

actum erumpat. Ad 2. opinio tertio modo sumpta dicitur incerta negative, quatenus abstrahit a certitudine, & incertitudine positiva, & per hoc adhuc sufficienter a scientia distinguitur, quæ est positive certa, sicut inquit Doctor 2. d. 3. q. 11. F. & 3. d. 14. q. 3. B. & 4. d. 45. q. 2. D. & alibi sæpe notitiam abstractivam, etiam interdum pertingat rei existentiam, adhuc tamen sufficienter ab intuitiva distingui, quia non necessario alligatur existentie rei, sicut illa, sed indifferenter representat rem, sive existat, sive non, & ideo dicitur abstrahere ab existentia rei; Neque per hoc, quod opinio dicitur non certa, & scientia certa, talis inferitur contradictio, quæ arguat eorum impossibilitatem, quia qualibet forma disparata dicit negationem alterius in hoc sensu, ut albedo negationem dulcedinis, & dulcedo negationem albedinis, & tamen sunt in eodem lacte. Ad 3. sicut non repugnat in Physicis vinum esse formaliter frigidum, & virtualiter calidum, & in moralibus, qui cum aliqua indebita circumstantia elicit actum dilectionis Dei, & formaliter ad Deum conversum, & virtualiter ab eo aversum; ita non repugnant duo iudicia, quorum unum dicat formaliter rem ita se habere, & aliud dicat oppositum non formaliter, sed virtualiter tantum; Accedit, quod in proposito iudicium factum ex medio probabili idem affirmat, quod factum ex necessario, scilicet, hominem esse risibilem abstrahendo a necessaria, vel non necessaria connexionem. Ad 4. quia convinci intellectum, & non convinci pendet præcise ex conditione medi, nullum videtur inconveniens dicere, quod convincatur per unum medium, & non per aliud, sicut inconveniens erat, quod esset certus, & incertus de eadem conclusione, nam illa duo contradictoria enunciantur de intellectu respectu diversorum, ista vero respectu ejusdem; absolute in eo casu intellectus dici debet convictus; tum quia denominatio sumi debet a medio nobiliori, & efficaciori, tum quia si diceretur non convictus sine addito, cum negatio sit malignantis naturæ, & totum destruat, judicaretur intellectum non esse convictum per medium necessarium. Ad ult. quamvis cognitio demonstrativa clarius, & certius rem ostendat, quam probabilis, adhuc tamen ista non superfluit, quia est diversa rationis ab illa, & saltem diverso modo rem ostendit; sic in Beatis simul admittuntur cognitio vespertina, & matutina de eadem re, & a Scoto præsertim notitia abstractiva, ac intuitiva in Angelo respectu sui ipsius 2. d. 3. q. 8. quamvis per matutinam, ac intuitivam longe clarius res ostendantur, quam per vespertinam, & abstractivam, & etiam quando esset frustra, adhuc non probat intentum de potentia absoluta.

22 Ex dictis facile est resolvere quæsitum de similitudine scientiæ, & opinionis, ut habitus important, nam si sumatur opinio, ut specificatur ab objecto, quod est contingens, & variabile, sic habitus scientiæ, & opinionis directe opponuntur, atque ideo non poterunt esse simul, nisi ad instar aliorum habituum contrariorum, quatenus, scilicet, ab initio non illico unus alterum destruit, sed paulatim: si autem opinio sumatur pro assensu probabili absolute præcise formidine, sic poterit consistere perfectus habitus opinionis cum actu, & habitu scientiæ, ac etiam actus opinionis cum habitu scientiæ, & hoc etiam naturaliter, & regulariter loquendo, quia ratio, quæ hoc prohibebat de actibus, non æque militat de habitibus, ut discurrenti constabit.

Q U E S T I O III.

Quid sit error, & quomodo a scientia, & opinione differat.

23 Error proprie significat falsum quid, & sicut falsum proprie reperitur in actibus intellectus, eo quia veritati opponitur, cognitioni tribui solet, ita error proprie spectat ad intellectum in suis operationibus: tot modis autem contingit errare, & dicere falsum, quot modis contingit dicere verum; quare sicut veritas speciali modo tribuitur secundæ, & tertiæ operationi, sic etiam error, & falsum, error igitur proprie est cognitio falsa rem explicans aliter, ac est in se; si simplex est iudicium, erit secunda operatio, & falsa, & correspondebit habitui principiorum in syllogismo demonstrativo, vel topico: si vero erit assensus falsus alicujus propositionis ex vi alterius causatus, erit discursus falsus, & verus effectus syllogismi falsi, scientiæ, & opinioni oppositus.

Sed pro majori dilucidatione not. quod non sufficit ad errorem, si quis proferret solum propositionem falsam, nisi quoque ita iudicet, & assentiat per intellectum ita esse, sicut tali propositione enunciatur. Hic assensus potest quandoque esse cum formidine, quandoque cum certitudine, experientia enim constat, aliquos ita falsis dogmatibus adherere, ut mortem subire non dubitent; ratio autem hujus est, quia radix erroris in intellectu oritur ex hoc, quod id, quod in se non est verum, apparet intellectui verum, quæ veritas apparens, & existimata est duplex, vel probabilis apparens, vel neces-

saria, si enim quod non est probabile, potest apparere probabile, etiam quod est probabile, potest apparere necessarium, minus enim hæc distant, quam illa; si veritas est apparens probabilis, causat assensum falsum cum formidine, si est apparens necessaria, causat assensum falsum cum firmitate; unde tam potest errare intellectus, si quod non est probabile, iudicat ut probabile, quam si iudicat necessarium, quod in se est probabile, vel falsum; requiritur autem hæc veritas apparens, quia intellectus ad assensum solummodo movetur a vero, non a falso, & si veritas non esset apparens, & existimata, sed existens, assensus non esset falsus, sed verus; qua ratione Arist. 1. Elench. cap. 1. definit syllogismum captiosum dicens, quod sit syllogismus apparens, atque non existens.

24 Rursum est not. quod quandoque opinio est de re apparenter vera, & in se falsa, non ob id tamen illa opinio dicitur erronea, sed probabilis, & vera, non enim qualibet veritas apparens causat errorem, sed solum illa veritas, quæ apparet probabilis, in se tamen est improbabilis; quæ tamen in se est probabilis, licet non ita se habeat a parte rei, causat opinionem probabiliter veram; ratio hujus est, ut notat Averl. qu. 29. sect. 6. quia ex Arist. cit. probabile illud dicitur, quod creditur ab omnibus sapientibus, aut plurimis, aut quibusdam in scientiis excellentibus, improbable est, quod a sapientibus falsum censetur, licet rudibus appareat verum, ut quod Sol, & astra sint exiguæ quantitatis; quando igitur aliquid censetur verum, aut ab omnibus, aut ab aliquibus sapientibus, quamvis non ita se habeat a parte rei, assensus circa illud non dicitur erroneus, sed opinativus, & probabilis, neque hæc apparentia excludit probabilitatem; quando vero apud omnes sapientes est falsum, & solum rudibus videtur verum, tunc assensus erit error, quia quod est improbable, apparet probabile.

25 Quod diximus de errore circa propositionem, dicendum quoque erit de errore in discursu, nam tunc proprie discursus dicitur erroneus, quando non recte consequens deducitur ex antecedenti, quamvis in se sit verum, veritas enim conclusionis, ut propositio quadam simplex est, de per accidens quasi se habet ad rectitudinem discursus; dupliciter autem potest conclusio male deduci, vel propter defectum in forma syllogistica, & de hoc diximus 1. p. Infl. tract. 3. dum regulas bonæ argumentationis assignavimus; vel propter defectum in materia, quando scilicet conclusio ut probabilis, vel necessaria deducitur ex motivo improbabili, vel non necessario.

Ex his manifeste apparet distinctio inter errorem ex una parte, & scientiam, & opinionem ex altera; scientia enim est cognitio vera veritate necessaria, cui nequit subesse falsum, certa, & evidens; isti accedit opinio, quæ est cognitio vera veritate probabiliter apparens, habetque aliqualem evidentiam saltem probabilem, error tamen tamquam aliud extremum est cognitio omnino falsa, quia nec necessaria, nec probabiliter apparet vera. Unde vero proveniat deceptio intellectus nostri pro statu isto, tetigimus disp. 10. qu. 2. art. 4.

26 Sed dubitabis: de ratione discursus est, ut consequens inferatur vi antecedentis, sed hoc solum intervenit in recto discursu, ergo nullus discursus erit falsus. Min prob. quia quando consequens inferitur vi antecedentis, recte inferitur, unde dicebat Arist. cit. syllogismum deficientem in forma non esse verum syllogismum; quia in ipso conclusio non necessario inferitur ex præmissis. Item unum non nisi uni contrariatur, ergo error nequit esse scientiæ, & opinioni contrarius. Resp. neg. min. Ad prob. dicimus veram esse, si antecedens in se spectatum habet vim illativam consequentis, at quando consequens deducitur, non quia sit ex se deducibile, sed quia intellectus concipit in antec. vim illativam consequentis, quia iudicat antecedens esse causam istius, tunc inferitur consequens, sed non recte, Arist. autem loquitur de syllogismo peccante in forma, quomodo non est syllogismus illativus, quia non recte deducitur conclusio ex præmissis, etiam veris, sicut recte inferitur, quando est in forma, quamvis præmissæ sint falsæ, positæ enim his præmissis, omnis homo est lapis, Petrus est homo, rite inferitur, ergo est lapis, nam illæ præmissæ sic dispositæ habent vim illativam, quamvis non habeant vim probativam; cum sint falsæ, non loquitur autem de syllogismo, prout cum quocumque discursu convertitur, ut sic enim dicitur de syllogismo etiam peccante in forma, quamvis æquivoce, quia potest intellectus aliquis assensum conclus. elicere ex assensu præmissarum, quæ non recte dispositæ sint in forma, ut dispositæ tamen sint apprehensæ, quia actus esset tertia operatio intellectus; & discursus, non tamen rectus, sed falsus. Ad 2. satis diximus disp. 9. quæst. 1. art. 1. cum hanc contrariorum proprietatem explicavimus. Et hæc satis de facultate Logica: Quæ omnia cedant in laudem D. Antonii, in cujus Sacra Domo moramur, & sub ejusdem auspicio hæc elaboravimus lucubraciones.

RR. PP. BARTHOLOMÆI
M A S T R I I
D E M E L D U L A,
E T B O N A V E N T U R Æ
B E L L U T I


De Catana Ord. Minor. Convent. Magistr.

Tomus Secundus:
CONTINENS DISPUTATIONES AD MENTEM

Scoti in Aristotelis Stagiritæ Libros

P H Y S I C O R U M.

Editio novissima a mendis, quæ prius irrepsert, expurgata.



V E N E T I I S , M D C C L V I I .

Apud Nicolaum Pezzana.
SUIÆRIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

F I N I S .

RR. PP. BARTHOLOMÆI
MASTRII
DE MELDULA,
ET BONAVENTURÆ
BELLUTI

De Catana Ord. Minor. Convent. Magistr.


Tomus Secundus:

CONTINENS DISPUTATIONES AD MENTEM

Scoti in Aristotelis Stagiritæ Libros

PHYSICORUM.

*Editio novissima a mendis, quæ prius
irreperant, expurgata.*



VENETIIS, MDCCLVII.

Apud Nicolaum Pezzana.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

A D L E C T O R E M T Y P O G R A P H U S .



Uemadmodum in prima hujus Philosophici Operis editione Tomus Physicus alios præcessit, ita in hac secunda meis sumptibus facta ab eisdem recusione exordior, cæteros deinceps paulatim reculusurus. Et ubi in prima plurimi irreperere errores, nunc prodiit, qua potui diligentia, emendatior, & ab eisdem Auctoribus ubique recognitus, novis additionibus, copiosiorque indice locupletatus. Quoniam vero in priori editione Romana disp. 5. q. 3. art. 1. iterum Natura Materia, & Forma examinabatur ad occurrendum Complurentibus, quorum Cursum Auctores ab initio Operis non habuerant; nunc articulus ille inde ex integro translatus est 2. disp. de Principio materiali, & formali, qui est ejus locus proprius, ac in ea distributus in proprias quæstiones.


Cum autem ad finem hujus Tomi postera properaret editio, in lucem venit Cursus Philosophicus cujusdam recentioris Scotistæ, cui Auctores mei plurimum se debere fatentur, eo quia licet interdum in quibusdam parvi momenti difficultatibus ab eo impugnetur, in gravioribus tamen, & principalioribus quæstis comiter ipsum comitem habent in omnibus desiderant solum, ut magis devincerentur. Quod sicut eos memorat, ubi impugnat, ita fecisset, ubi sequitur, & quidem quod in multis sequatur, experimentum fieri potest in pluribus, & præcipuis quæstionibus illius Cursus utrorumque collatione facta v. g. disp. 11. Log. qu. de divisione entis in decem prædicamenta, & disp. 14. Log. q. 2. de ratione formali quantitatis, & eadem disp. 14. q. 4. de divisione quantitatis in continuam, & discretam, & disp. 15. q. 1. de discrimine relationis prædicamentalis a transcendentali, & eadem disp. 3. de distinctione relationis prædicamentalis a fundamento, & eadem disp. 15. n. 64. declarando, secundum modum relativorum, ubi ut ex proprio penu docet paternitatem, & filiationem in creaturis non esse relationes reales, cum tamen antea id docuerunt Auctores mei disp. 8. Log. qu. 10. art. 2. duabus illis rationibus, quibus ipse utitur, item in Physica quæst. de toto, & partibus de dependentia ejusdem effectus a pluribus causis totalibus conjunctim, vel divisim, & aliis multis, quas recensere longum esset. Hac igitur de causa quibusdam ejus objectionibus in recusione hujus Tomi satisfieri ex instituto non potuit, quod tamen certissime fiet in Metaphysica, quam modo parat P. Maltrius ab ipso nominatim in Palestram vocatus, velut præcipuus Operis Auctor, ut ipse protestatur ab initio Logicæ num. 14. & ab initio Physicæ num. 2. facile tamen erit solerti Lectori ex eisdem assertis impugnat, & aliis consequentibus, solutionem colligere, quod experiri poterit (ut mihi Auctores significarunt) in prima impugnatione, quam facit in Logica parva nu. 14. ubi impugnat explicationem ab eis assignatam termini absoluti, & connotativi, & contendit terminum connotativum cum relativo prorsus coincidere; hujus objectionis solutionem accipies ex his, quæ habent de terminis relativis disputation. 8. Log. quæst. 3. art. 1. in fine §. *Pro complemento hujus artis* ubi diferte docent discrimen inter terminum relativum, & connotativum. Rursus experimentum fieri poterit in alia prima impugnatione, quam facit disp. proæm. Physic. quæst. 1. conclus. 1. contra famosam Scotistarum distinctionem Philosophiæ in se, & in nobis; ejus siquidem perfecta solutio habetur ex ipsa quæst. proæm. Auctorem art. 2. & ex disp. 11. de loco ab initio num. 1. ubi statuitur Angelorum quoque motum ad Philosophiam in se pertinere; Quod si pertinaciter quis contendat sola entia corporea, & materialia cadere sub Physica consideratione absolute loquendo, videat responsionem, quam meretur, apud canonicum insignem Scotistam 1. Physic. quæst. 1. in fine §. *ad quartam concedo*.

Quod autem ego ipse Typographus agre tuli, est, quod in epistola nuncupatoria Auctor ille sibi applaudit primum fuisse, qui Cursum Philosophicum ex integro in via Scoti in lucem dederit; Quod quantum a veritate distet, ex impressione ipsorum voluminum deprehendi potest, nam Cursus illius Recentioris sub anno 1641. impressus est, at meorum Auctorum Disputationes Physicæ sub anno 1637. Logicæ sub anno 1639. de Cælo, & Metheoris, de Gener. & Corrupt. 1640. Animasticæ demump paulo post, adeo ut integrum fere opus invulgatum erat, cum ille Typis dedit, quod etiam ex eo maxime constat, quod ille disp. 1. de Gener. nu. 35. cit. Maltrium in illo dubio, *quomodo generans concurrat ad generationem viventium*, de quo ipse agit in lib. de Gener. & Corrupt. disp. 8. q. 2. art. 2. ita quod ex ejus confessione ante sui Cursus editionem (præter Tomum Animasticum, quem non citat, quod viderim, etiam si ex quibusdam quæst. conjectari possit hunc quoque vidisse, ut v. g. disp. 7. de substantia Animæ q. 7.) omnia vidit volumina meorum Auctorum. Cum autem Cursus ille sit vere ad mentem Scoti ex integro, ut titulus præfert, lectoribus incumbit iudicium, non Typographis; non potui tamen admirari, quod a nonnullis (mea siquidem est Scotistarum Typographia) eiusdem Scholæ Sectatoribus audiui; cum Auctor ille Cursum ad mentem Scoti ex integro tradere polliceatur, minus tamen frequenter in suarum assertiorum testimonium Scotum adducere, imo potius in oppositum, quem tamen explicare conatur, ut ostendat asserta sua, si non juxta Scoti mentem, saltem contra non esse; Scotistas fere nunquam citare, cum tamen citet D. Thomam cum suis nominatim, quasi Doctor subtilis non habuerit Sectatores memoratu dignos, ac D. Thomam, & quod mirabilius est, interdum quoque rationes ipsas, quibus firmat Scotus asserta sua ut insufficientes reicere, quod quidem pluribus in locis poterit Lectori experiri, sed præsertim disp. 15. Log. q. 3. ubi a nu. 35 rationes Doctoris adducit ad probandam realem distinctionem Relationis prædicamentalis a fundamento, singulas carpendo,

ut insufficientes, quasi in probandis conclusionibus discipulus fuerit oculatior Magistro, & proinde n. 39. hanc regulam Tyronibus assignat non esse necesse, ut omnes rationes, quas Scotus affert, teneantur a Scoticis; tamquam convincentes, sed abunde suo muneri satisfaciunt, si teneantur ejus conclusiones, non ita sane fecerunt Complutenses, non ita Joan. de S. Thoma, & alii, qui Cursum conferipterunt in via D. Thomae; nedum enim ejus conclusiones accipiunt, sed ejus rationes, & singula dicta tumentur, ut in hunc mundum Tyrones adducant in venerationem doctrinae Angelici Doctoris, nam oportet addiscentem credere, ait Philosophus, sed quae fides Doctori asserta sua non solide probant? Nec etiam ita fecerunt, qui antea scripserunt in via Doctoris subtilis Faber, Posnaniensis, Rochman, Cavellus, Hiribart. P. And. de Urcia; Mastrius, & Bellurus, quorum omnium opera ex mea prodierunt Typographia; Nedum enim asserta sua ex variis Scoti locis eruere profitentur, sed, & rationes ejus contra Adversarios eas infirmare tentantes tumentur pro viribus; & hunc in modum muneri fidelis Scoticæ, nec adhuc abunde, satisfacere arbitrantur.

Sed percontanti mihi, cur vir fere Scoti conterreaneus, unde magis ei debebat esse devotus, adeo humiliter de tanto Doctore sentiat, ut dormitantem crediderit in suis probandis conclusionibus, & plura expresse præter ejus intentionem asseruerit, ut v. gr. secundas intentiones non dicere entia rationis disp. 1. Log. num. 7. eandem scientiam posse esse simul practicam, & speculativam disp. 2. de natura Log. a. n. 91. accidens corporeum posse divinitus subjicari in subjecto spirituali, & accidens spirituale in subjecto corporeo disp. 13. Log. n. 24. dari relationes natura suum terminum præcedentes disp. 17. Log. n. 42. actionem, & passionem formaliter sumptas eundem importare respectum disp. 17. Log. n. 45. divinitus dari posse unionem in materia sine forma unita disp. 17. Log. n. 66. ad Ubi non dari motum proprie dictum disp. 13. Physicor. n. 44. posse divinitus idem corpus poni in pluribus locis abque replicatione formæ absolutæ disp. 15. Physic. n. 90. posse divinitus dari infinitum in actu, & categorematicum tam in magnitudine, quam in multitudine disp. 14. Physic. q. 1. posse salvari incorruptibilitatem Cœli, quamvis constaret materia sublimari disput. 22. ad Cœlo n. 31. ad veram mutationem opus non esse materiam duratione præcedere formam disput. 1. de Generat. num. 9. generationem sub ratione mutationis non solum in materia, sed etiam in forma subjicari disput. 1. de Genes. num. 15. vivens ab initio usque ad finem vitæ idem numero perseverare non physice, sed moraliter disp. 5. de nutritione n. 11. rarefactionem fieri per receptionem corpusculorum inter poros rei rarefactæ, & condensationem per egressum illorum disp. 4. de natur. num. 47. aerem habere summum frigus disp. 5. de element. n. 36. gravitatem; & levitatem non esse accidentia distincta a substantia, cui conveniunt, sed identificata ipsi realiter disp. 5. de element. num. 71. non dari conceptum communem univocum omnibus, & solis viventibus, & speciatim Deo, Angelis, animalibus, & arboribus disp. 7. de substantia Anima num. 6. non dari species intelligibiles disp. 12. de potentia intellectiva num. 22. intellectum posse recipi in lapide disput. ead. n. 81. non esse de ratione Verbi, quod producatur ab intellectu disp. ead. n. 99. visionem beatificam in intellectu beato esse verbum disp. ead. n. 95. ex glossa Scoti, & Scotistarum doctrinam ait ens esse genus respectu Dei, & creaturæ, nec divinam impedire simplicitatem quod Deus includat formalitatem generis, & formalitatem differentia disput. 18. de ente, ut sic n. 34. esse cognitum, & diminutum, quod habent creaturæ ab æterno mediare inter esse reale, & esse rationis disp. eadem n. 52. & illud esse diminutum non produci per actum Divini intellectus ibid. n. 53. Denique disp. 20. n. 53. proponit tritam difficultatem Thomistarum contra distinctionem formalem attributorum a Scoto positam, quod in delectatione compositio in Deo. Et n. 56. adducit communem Scotistarum ex eodem Scoto solutionem: deinde n. 57. eam refellit; Et tandem n. 59. propriam assertit dicens unionem attributorum in Deo non facere compositionem, quia illa unio non habet dependentiam in esse realis existentia a causa extrinseca: Quas omnes opiniones, & alias ejusdem Auctoris quamplures esse a Scoticamente alienas quisque etiam modice in Scoti doctrina versatus dignoscet, & mei Auctores in propriis locis luculenter ostendant.

Hæc inquam, sciscitanti mihi, cur a calamo viri Scoticum profitentis, imo, & Cursum in via Scoti Tyronibus demonstrantis exciderint, responsum est a cordato viro non semel eventire, ut Seraphicam Religionem intrent alumni antea in Scholis Jesuitarum edocti, qui etiam postea in Subtilium Schola cum omni alacritate Scoto, & Scoticis incumbant, nunquam tamen evadunt candidi Scoticæ, quia non lac ejus doctrinæ ab incunabilis suxerunt, non nihil enim sapiunt semper prioris literaturæ juxta illud Poetæ *Quo semel imbuta recens, &c.* & Sapient: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum semerit, non recedet ab ea;* atque ita de hoc Auctore accidisse, nam ejus doctrina, phrasibus, methodus, stylus reprobandi aliorum rationes in probandis conclusionibus, impugnandi argumenta, quibus ab aliis illæ rationes rejiciebantur (qui sane differendi modus multis non placet, quia tempus, quod infumi deberet in probanda conclusione proposita, conteritur in censura non solum rationum, quibus probatur ab aliis, sed, & impugnationum, quibus illæ rationes ab aliis imperebantur, & plerumque conclusio principalis interim relinquatur sine sufficienti probatione) multiplicandi responsiones in solvendis objectionibus, ac in eis assignandis observandi semper formam syllogisticam; hic, inquam, stylus ipsissimus est, qui in Scholis Jesuitarum edocetur, & quo uruntur modo Neoterici Societatis Patres Hurtad. Ariag. Jo. de Lug. Ovviad. & alii Recentiores illius Scholæ, atque ideo mirandum non est, si a Scoticarum Schola interdum exorbitet, vir namque libertati abusus in speculando, intra certæ Scholæ cancellos difficile cohibetur; ex animadversione Scoticæ doctrinæ Zelatorum hæc dicere volui in gratiam Tyronum, non equidem ut nonnullos passus advertant, qui a recta via Scoticæ possent eos abducere, & in Adversariorum insidias, & castra invitos deducere.



INDEX RERUM NOTABILIUM

Numerus prior disputationem indicat, alter vero marginalem numerum, præterquam in quæst. procem. & expositione text. ubi citatur tantum numerus marginalis.



ABSOLUTUM non includit in suo conceptu quiddam relationem transcendentalem 2. 113. in absolutis valet illa regula, quod ratio formalis distinctiva est ejusdem constitutiva, non in Connotativis 4. 7.

ACCIDENS quomodo differat a forma substantiali 2. 24. materiale habet pro adæquato, & proximo subjecto corpus de genere substantiæ 3. 4. recipitur in potentia ex natura rei distincta 3. 17. accidentia inhærent illi ordine quodam 3. 26. unum potest esse subjectum alterius non ultimum 3. 27. quomodo accidenti conveniat subsistere 3. 29. accidentia materialia quantitati inhærent, ut proximo subjecto 3. 33. & de ejus potentia proxime educuntur 3. 31. omne accidens absolutum per Dei potentiam esse potest sine subjecto, nullum respectivum 3. 46. respectivum pendet essentialiter etiam ab eo, quod non est de ejus essentia 3. 51. accidentis esse est inesse quo sensu intelligatur 3. 48. inhærentia aptitudinalis identificatur cum accidente respectivo 3. 51. separatim non indiget novo per se itatis modo 3. 55. neque novo concursu secundum rem a priori diverso 3. 61. accidentia omnia tam naturalia, quam artificialia educuntur de potentia subjecti 3. 69. accidentia connaturalia quo pacto productionem diversam habeant a productione subjecti 3. 73. etiam supernaturalia educuntur de potentia subjecti 3. 74. supernaturalitas non impedit talem educationem 3. 76. non qualiscumque educio facit accidens materiale, sed educio de subjecto corporeo 3. ibid. accidentia subordinata se invicem denominant, non disparata 11. 121.

Accidens nequit producere substantiam ut causa totalis, & principalis 7. 90. nec in virtute substantiæ, ut causa instrumentalis 7. 93. nec etiam potest esse causa partialis 7. 96. non fit eadem actione, qua substantia 7. 92. nec a Deo assumi potest, ut causa principalis ad productionem substantiæ 7. 100. nec etiam valet accidens corrumpere substantiam 7. 101. imo nec gradus accidentis pro conservatione substantiæ necessario 7. 103. quomodo conservetur a substantia 7. 113. quo pacto possit corrumpere omnes gradus accidentis contrarii 7. 115. accidens ad productionem alterius concurrat ut causa principalis 7. 18. non tamen ad productionem substantiæ, nisi instrumentaliter ipsam non attingendo 7. 119. quo sensu dicatur virtus substantiæ, & agere in virtute substantiæ 7. 120. quo pacto accidens conservet substantiam 8. 10. efficienter, non materialiter sustentatur a Deo in Eucharistia 8. 12. accidentia omnia absoluta remanent in Eucharistia 9. 18. quo pacto dicatur moveri per accidens ad motum subjecti 11. 70.

Accidentia eadem numero, quæ erant in corpore vivo manent in mortuo 2. 68.

ACTIO educitiva, & creativa differunt penes connotata 2. 56. unitiva, & educitiva non est eadem 2. 146. & 154. eductiva, & Belluri Tom. II. Physicæ.

Activa præcedit unitivam 2. 155. actio productiva nequit terminari ad rem jam existentem 11. 139. actio conversiva ab ipsa conversione distinguitur 11. 141. actio dicitur naturalis a natura, ut principium activum est 6. 6. & 7. & ad actionem de genere actionis non est actio, sed productio 7. 11. quot in qualibet actione concurrant 7. 16. est nomen æquivocum 7. 17. dividitur præcipue in immanentem, & transeuntem ibid. in sua formalitate non dicit absolutum 7. 18. non dicit relationem ad agens 7. 19. non dicit relationem mediam inter causam, & effectum 7. 21. dicit formaliter respectum agentis ad passum, ut constituit quintum prædicamentum 7. 22. de ratione ejus, ut sic, est quod non fit productiva termini, sed transmutativa subjecti ibid. actio sive successiva, sive instantanea spectat ad quintum prædicamentum ibid. suapte natura subjectum inhærentis exposcit 7. 19. hoc non potest esse terminus, aut motus 7. 31. neque potest esse passum ibid. sed est agens 7. 34. actio pro re acta subjicatur in passo 7. 36. quomodo agens mutetur recipiendo actionem 7. 38. eadem est actio, qua agens producit, & conservat effectum in esse 7. 44. quo pacto sit causalitas causæ efficientis 7. 41. actio, & passio dari possunt sine motu 15. 6. & 20. ad actionem non est motus, quia ad motum non est motus, quomodo intelligatur 15. 14. actio non includens motum potest esse cœva cum homine ab æterno producta 14. 10. realiter distinguitur a motu 15. 21. quo pacto dicatur actus agentis 15. 23.

ACTUS duplex formalis, & entitativus, seu physicus, & metaphysicus 2. 6. actus entitativus est existentia rei 2. 17. actus, & potentia sunt ejusdem generis quomodo intelligatur 2. 123. qualis inter ea requiratur proportio ibid. actus separari potest ab aptitudine 11. 107. & 119. actus vitales, an replicari debeant in corpore pluribus in locis existente 11. 154. actus, & potentia dividuntur ens, quomodo intelligatur 7. actus vitales possunt a Deo immediate produci in potentia vitali 8. 19. actus moralis quomodo augeatur, & fiat bonus, & meritorius 10. 76. an actus vitalis identificet sibi respectum tendentiæ in objectum 11. 154.

Actus finem respicientes sunt diversi 7. 208.

AGENS creatum in omni sua actione a materia dependet 2. 143. quomodo attingat nudam materiæ essentiam 2. 175. agentis diversitas non facit diversitatem effectus 8. 58. agens illimitatum, & æquivocum per quid determinetur ad inductionem formæ particularis 5. 91. agens est subjectum actionis 7. 34. quomodo muretur recipiendo actionem 7. 38. idem potest agere in seipsum actione æquivoca 7. 56. agens multipliciter intelligi potest agere in distans 7. 58. potest agere in distans ut causa partialis cum medio, in quod prius egit 7. 59. potest agere in extremum totaliter ita tamen ut prius agat in medium propinquius 7. 71. potest agere in distans non agendo in medium actione ejusdem rationis 7. 62. agens quod naturaliter non agit in extremum nisi per medium, potest supernaturaliter agere in extremum non agendo in medium 7. 64. agere immediate dicit perfectionem 7. 51. potest suas operationes exercere modo

Index Rerum Notabilium.

supernaturali ex vi præcedentis miraculi 11. 151. non potest per se primo agere in corpus Christi in Eucharistia 11. 152.

AGENS aliud est intellectuale, & liberum, aliud naturale 7. 200. agens intellectuale creatum vere agit propter finem 7. 204. quo pacto agentia quoque naturalia agant propter finem 7. 205. quo pacto bruta 7. 206. agentia contraria eidem passio applicata simul in uno, vel pluribus locis quomodo agerent 11. 155.

ALTERATIO præviã ad generationem dupliciter considerari potest 5. 91. fit successive 15. 60. licet etiam aliqua fiat in instanti 15. 61. potest quæcumque fieri in instanti per potentiam Dei 15. 67. quo pacto possit aliqua alteratio fieri simul, & non in instanti 14. 27.

AMOR amicitia; & concupiscentia; 7. 160. habet pro objecto bonum 7. 169.

ANGELUS ut mobilis spectat ad Philosophiam in se, & ejus motus dici potest physicus quæst. procem. numer. 22. dici etiam debet naturalis, non neuter ibidem 23. quomodo coextendatur loco divisibili 9. 66. est in loco per suam substantiam, non per operationem 11. 72. si non operaretur, adhuc esset in loco 11. 74. potest ejus substantia fundare immediate præsentiam localem 11. 75. potest ab alio Angelo distare secluso omni corpore 11. 77. substantia ejus est ratio fundamentalis essendi in loco, præsentia est ratio formalis 11. 78. & 81. quare substantia materialis sit necessario in tanto, vel tanto loco, non Angelus ibidem quomodo ubi angelicum sit divisibile 11. 81. nequit esse in loco quantumvis magno, sed in quantumvis parvo, etiam in puncto 11. 84. potest Angelus naturaliter esse in linea a Cælo usque ad Terram protracta 11. 88. neque hoc arguit in ipso infinitam virtutem 11. 89. plures Angeli possunt naturaliter esse in eodem loco 11. 101. ac etiam in pluribus locis inadæquatis intra propriam sphaeram 11. 114. non tamen in pluribus adæquatis, aut etiam inadæquatis, ex eo propriam sphaeram 11. 115. nec fere intra propriam sphaeram, si sint discontinui, quamvis oppositum quoque possit sustineri 11. 117. potest tamen supernaturaliter esse in pluribus locis adæquatis simul, & semel 11. 18. quomodo Angelus possit moveri ab extremo ad extremum in instanti 15. 60.

ANIMA requirit corpus continuum, ut animare possit 9. 43. non potest animare corpus sub quacumque magnitudine, vel parvitate 9. 109. requirit corpus perfecte organizatum ibid.

ANIMA rationalis in statu separationis, & extra corpus potius ad Metaphysicum spectat, quam ad Physicum quæst. procem. numer. 17. & 20. potest tamen, ut mobilis in eo statu ad Philosophiam in se pertinere ibidem numer. 22. & 26. nequit informare, quod corpus est 2. 77. nequit dare esse corporeum 2. 73. nec etiam sensitiva, & vegetativa 2. 74. istæ non sunt æterogenæ, sed homogenæ ibidem; rationalis virtualiter continet eas, non formam corporeitatis 2. 78. anima rationalis cur non dicatur educi de potentia materiae, sed creati 2. 145. & 3. 74. quomodo producat ad mentem Aristotel. 2. 146. non prius existit in se aliquo signo naturæ, quam in corpore ibidem; quo sensu prius in se produci dicatur quam uniri 2. 155. non est effectus causæ materialis 5. 19. propria virtute nequit uniri materiae pro ea dispositæ 5. 27. illi subordinatur forma embryonis 5. 58. quomodo sit corpori unita, & ejus partibus, an una, vel multiplici unione 11. 82. est forma informans 6. 35. quam habeat subsistentiam 3. 38. est intelligens, ut quo, & ut quod 11. 24. non eadem ratione unitur cum capite, & pede 11. 156. informat partes corporis sine sui replicatione ibidem.

ANIMAL quo pacto dicatur aliud generare 9. 98. in viviparis mater attingit immediate formationem corporis, & animationem 9. ibid.

APPETITUS duplex naturalis, & elicitus 2. 129. item alter desiderii, complacentia; alter 2. 125. appetitus quoque naturalis major est in majus bonum 2. 130. quomodo privatio sit ejus causa 2. 127.

APTITUDO semper consequitur rem, cuius est aptitudo 2. 113.

ARS multipliciter sumitur 6. 49. quid sit ars, ut habitus ibid. quibus a natura differat 6. 50. ars non est principium motus, sed modificationis motus 6. 24. & si quo sensu ars naturam perficiat 6. 50. in quibus cum natura conveniat ibid. artefacta quomodo a naturalibus differat 6. 51. artificialis forma a naturalis distinguitur solum penes connotata 6. 49. forma artificialis aliquid

addit supra partes naturales, ac earum ubicationes 6. 51. non addit entitatem absolutam, sed solum respectivam 6. 13.

ASTRA quomodo agant in hæc inferiora 7. 63.

ÆTERNITAS multiplex 13. 11. formaliter dicit existentiam divinam connotando respectum aptitudinalem existendi temporis differentis 13. 12. declaratur ejus definitio 13. 13. est solius Dei duratio ibidem; formaliter est indivisibilis, virtualiter divisibilis 14. 15. quo pacto coexistentiam dicat ad omnes temporis differentias 13. 16. ens permanens ab æterno esse non implicat 14. 3. implicat esse successivum 14. 12. & successio implicat in æternitate 14. 13.

ÆVUM idem sonat ac sæculum 13. 17. per quid ab æternitate differat 13. 19. non est successivum ibid. non est infinitum 13. 21. per quid differat a tempore nostro 13. 24. est duratio communis omnibus permanentibus 13. 26. non est athoma durationis species 13. 27. an sit unum ævum omnium æviterorum 13. 28.

B

BEATI quo pacto se penetrent per dotem subtilitatis 11. 107.

BONUM triplex, honestum, utile, & delectabile 7. 166. & hoc rursus duplex, verum, & apparens ibid. bonum utile nequit habere rationem finis 7. 167. solum bonum potest esse objectum prosecutionis, non malum, vel indifferens 7. 168. bonum quod est motivum voluntatis non est duntaxat verum, sed etiam apparens 7. 170. bonum præfixum quoque potest habere rationem finis ibid.

C

CASUS quid sit, & in quo a fortuna differat 7. 212.

CAUSA definitur 5. 7. conditio causæ in quo ab ea differat ibidem, qui dicit essentialis conceptus causæ in actu primo 5. 7. causalitas quid supersaddat entitatibus causæ, & effectus 5. 8. non est quid medium inter causam, & effectum. illumque natura præcedens ibidem, potest sumi formaliter, & fundamentaliter 5. 14. formaliter sumpta in relatione consistit 5. 12. quo sensu causalitas sit via in effectum 5. 14. quænam sit proxima ratio causandi in causis intrinsecis 5. 29. discrimen in causando inter extrinsecas, & intrinsecas 5. 45. discrimen inter conditionem causantis, & conditionem causandi 5. 50. causa num respiciat effectum in communi, an etiam singulos in particulari 5. 8. qua ratione causæ intrinsecæ differant ab extrinsecis 5. 136. causarum genera quatuor 8. 1. quo pacto quæcumque habent rationem causæ ad illa reducuntur ibid. in conceptu communi causæ non conveniunt univoce 3. 2. materialiter coincidere possunt, non formaliter 8. 3. quædam etiam respectu ejusdem effectus 8. 3. quem ordinem prioritatis in causando servant 8. 4. est prioritas naturæ intelligendi ibidem, causæ extrinsecæ sunt digniores intrinsecis 8. 4. causæ nequeunt esse sibi invicem causæ secundum eandem rationem 8. 6. bene tamen secundum diversas rationes 8. 8.

Causa a suo effectu realiter distinguitur, & nihil potest causare seipsum 8. 22. est simul natura cum ipso, si formaliter consideretur, est vero prior materialiter inspecta 8. 29. opus non est hanc prioritatem esse durationis, sed sufficit prioritas naturæ 8. 30. causa ut sic semper est perfectior effectu 8. 35. intelligitur præsertim de causa totali 8. 38. in causis essentialiter ordinatis non datur processus in infinitum 8. 11. quomodo causa naturalis determinetur ad hunc effectum in specie 8. 39. causa libera quo pacto a naturali secernatur 8. 40. a quo determinetur ad hunc effectum in individuo 8. 42. causa totalis quænam sit 8. 59. plures causæ totales ejusdem effectus esse non possunt 8. 61.

Causa per se, & per accidens quæ 7. 3. quæ physica, & moralis ibid. quæ principalis, & instrumentalis, proxima, & remota totalis, & partialis 7. 4. quæ causæ prima, & universalis, quæ secunda, & particularis 6. 5. causa totalis debet esse perfectior, & vel saltem æque perfecta cum effectu 7. 90.

Causa secunda est vere activa 7. 30. causa prima prius agit, quæ secun-

Index Rerum Notabilium.

secunda prioritate à quo, non in quo ibid. secunda nequit omnino agere sine prima 7. 81. & oppositum implicat nedum de facto, sed etiam de possibili 7. 83. causæ secundæ subordinatio ad primam qualis sit secundum Philosophos, & Theologos 8. 13.

CAUSÆ materialis effectus qui sint, & quot 5. 18. quæ ejus ratio causandi 5. 29. quo sensu materia dicatur causare formam, & compositum, ut per se potentia 5. 32. Causalitas materiae erga formam consistit in concursu educivo, seu in habitudine, ex quo aliud educitur, ut ex subjecto 5. 35. & 38. non rectè explicatur per receptionem, & unionem ibidem; neque per generationem 5. 37. neque per receptionem actionis agentis ibidem; causalitas ejus erga compositum consistit in unione cum forma, sed in habitudine principii potentialis, ex eo, quod aliud componitur 5. 42. estque eadem in fieri, & facto esse 5. 47. causalitas erga formam non est eadem cum causalitate erga compositum 5. 48. causæ materialis definitio 5. 49. quæ reducuntur ad causam materialem ibidem, quæ sit ejus vera conditio causandi 5. 52. ejus causalitas intrinseca respectu compositi, extrinseca respectu formæ, 5. 53.

CAUSÆ formalis effectus qui sint, & quot 5. 22. materiam informare dicitur effectus ejus primarius, aliam formam expellere secundarius ibidem. causalitas formæ erga materiam consistit in ejus unione ad illam, seu activa in informatione 5. 35. non est tamen vera causalitas 5. 39. causalitas ejus erga compositum consistit non in unione cum materia, sed in habitudine principii actualis ex quo aliud componitur 5. 42. estque eadem in fieri, & facto esse 5. 46. causalitas ejus erga formam non est eadem cum causalitate erga compositum 5. 48. causæ formalis definitio 5. 49. quæ reducuntur ad causam formalem ibidem, quæ sit ejus conditio causandi 5. 52. erga compositum causalitas ejus est intrinseca, erga materiam extrinsecam 5. 53. nequit causa formalis ab effectu suo primario separari 5. 54.

CAUSÆ efficientis definitio, & explicatio 7. 1. correlativa ipsius sunt terminus productus, & subjectum transmutatum 7. 2. variaz ejus divisiones 7. 3. & seq. dividitur præsertim in primam, & secundam, univocam, & æquivocam 7. 5. definitio efficientis causæ in omnibus univocè convenit 7. 6. passiones non sunt effectus causæ efficientis immediate, sed solum mediatè 7. 8. nec relatio causalitatis ibidem, & 9. cæteræ relationes sunt veri effectus 7. 10. quæ resultant separabiliter, & sunt per simplicem efficientiam veri effectus 7. 12. causa conservans duplex 7. 13. quinam sint effectus conservantis causæ ibid. causa efficiens comparari potest ad effectum, respectu cuius dicitur producens, & ad subjectum, quod patitur, respectu cuius dicitur transmutans 7. 41. plures causæ efficientis conditiones 7. 48. indiget existentia ad causandum, nec oppositum etiam de potentia Dei absoluta contingere potest 7. 49. non est propriè conditio ejus, sed potius spectans ad complementum causæ 7. 51. distinctio à passio non requiritur necessarîo saltem æquivoca actione 7. 53. nec necessarîo requiritur indistantia 7. 64.

Causa instrumentalis, vide Instrumentum. Causa prima vide Deus. Causa exemplaris vide Idea. Causa finalis vide finis.

CAUSALITAS, quæ dicat perfectionem, & quæ imperfectionem 8. 5. ejus prioritas semper est realis 3. 7. quomodo in Deo omnium causarum causalitas continetur 8. 12.

COELUM est corpus naturale quæstion. procem. num. 5. & 6. 30. per se, & directè consideratur à Philosopho ibid. quo sensu habeat principia in fieri, & facto esse ibidem num. 11. coelorum formæ propriè sunt educitæ de potentia materiae 2. 150. ultimum Cælum non est in loco actualiter, sed tantum potentialiter 11. 53. non est in loco quoad locare 11. 54. neque ratione partium quasi una continetur in alia, velut in loco 11. ibid. & 55. neque per propriam superficiem connexam 11. ibidem; movetur localiter quoad locare, non quoad locari 11. 57. non acquirit ubi locale passivum, sed activum ibid. acquirit tamen ubi præsentiale passivum ibidem. Cæli motus non est simpliciter necessarius ad motus sublunares 12. 20. motus ejus circularis est naturalis 6. 30. est de se indeterminatum ad motum, & quietem 6. 31.

COMPOSITUM naturale propriè creari nequit, sed generatur 2. 149. nequit cum suis partibus una, & eadem actione produci 2. 153. compositio dupliciter sumi potest 5. 45. & 147. & 167. est ens per se unum 5. 127. manent in ipso materia, & forma secundum propositiones Aristoteli, & Bellari Tam. II. Physicæ.

prias entitates 5. 132. compositum dupliciter sumi potest 5. 147. distinguitur realiter à suis partibus etiam unitis 5. 154. per se primò terminat generationem 5. 157. distinctio realis inter partes, & totum est positiva, & mutua 5. 162. quomodo operationes conveniant composito 5. 173. propriè non dicitur unitum, sed unum 5. 147. & 167. compositum integrale à partibus unitis non distinguitur 5. 176. neque compositum per accidens 5. 182. compositum est perfectius materia, & forma etiam uniti 8. 36. nequit propriè esse terminus creationis 2. 149.

CONCEPTUS duplex, formalis, & objectivus 7. 143.

CONCURSUS Dei cum causis secundis qualis sit, optime declaratur 8. 74. quo pacto sit virtualiter multiplex ibid. ejus attemperatio, & insufficientia quomodo explicanda 8. 75.

CONSERVATIO non est distincta actio à productione 7. 44. conveniunt in principali significato, & solum penes connotata differunt 7. 46.

CONTACTUS fit in indivisibili 9. 77. quomodo fiat inter divisibile, & indivisibile ibid. contactus triplex 11. 76. duplex 7. 58.

Continencia virtualis duplex 2. 135. qualis esse debeat, ut arguat infinitam perfectionem in continente 10. 32.

CONTINUUM quo pacto reperitur etiam in substantia materiali circa quantitatem 9. 2. & 11. & 22. & 29. quo sensu in sola quantitate reperitur 6. 22. quo pacto sit per se unum 5. 177. & 130. non constat ex indivisibilibus 9. 30. quo pacto distinguatur à continuo 9. 42. definitur ibidem continui partes aliæ proportionales, aliæ æquales, & istarum aliæ sunt determinatæ, aliæ indeterminatæ, aliæ communicantes, aliæ non communicantes 9. 50. æquales, determinatæ, & non communicantes sunt finitæ, proportionales, indeterminatæ, & non communicantes minime 9. 51. habet æquales, & proportionales actu abinvicem realiter distinctas 9. 52. quomodo proportionales sint infinitæ 9. 55. quomodo indivisibilia 9. 60. continui mirabilis compositio ibid. ad continuum extensio, & continuatio requiritur ibid. non est in continuo una divisio alteri immediata ibid. non potest simul dividi in omnes suas partes 9. 61. plures partes, & indivisibilia sunt in continuo majori, quam in minori 9. 81. & 92. continuus duplex 9. 85. non datur in continuo pars infinite minor alia 9. 59. nec minima, nec ultima 10. 35. cur ex singulis continui divisionibus possibilibus non rectè inferatur tota ejus divisio 10. 54. & 56. continuum inanime non habet terminum magnitudinis, & parvitatibus 9. 100. Continua, contigua, simul, & consequenter se habentia explicantur 15. 81. quo pacto etiam quæ specie differunt continuari possunt, ibid.

CONTRARIA principia non sunt materia, & forma p. 31. sed forma, & privatio 132. talis contrarietas per se est privativa, per accidens positiva p. 34. quo sensu dicantur prima contraria, & qualis sit ista primitas p. 38. qualis contrarietas requiratur ad motum 15. 40.

CONTRADICTORIA semper inferunt distinctiorem 2. 108. & 5. 153. in nullo instanti temporis verificari possunt simul, & semel 4. 31. imò interdum nec per diversa signa naturæ ibid. non datur transitus à contradictorio in contradictorium sine mutatione reali in aliqua re. 9. 18. contradictio quando cadit in propositione modali 14. 6.

CONVERSIO quid dicat, & quid ad conversionem requiratur 141. conversio eucharistica est substantialis, non tamen actio conversiva ibid.

CORPUS naturale an sit adequatum philosophiæ objectum, Vide Objectum. Corporis naturalis principia. Vide Principium. Est adæquatum subjectum mobilitatis, quæ est prima passio physica quæst. procem. nu. 14. corpus naturale esse, nusquam in Physica demonstratur ibid. nu. 20. dupliciter considerari potest, & in quo sensu sit objectum adæquatum totius Philosophiæ ac etiam in octo lib. Phys. quæst. procem. ad 8. lib. Physicor. num. p. & seq. Corpus naturale ubi definitur ibid. num. 3. corpus, quod manet post animæ discessum, non ponitur in prædicamento 2. 76. corpus vivum, & mortuum quomodo differant ibid. corpus organicum dupliciter considerari potest 2. 81. corpus naturale esse adæquatum, & proximum subjectum accidentium materialium 3. 4. recipit accidentia media potentia ex natura rei distincta 3. 17. corpus organicum in definitione animæ positum, quid

Index Rerum Notabilium.

quid dicat 9. 44. corpus naturale nedum habet principia cognoscendi, sed etiam essendi, & tale principium est natura 5. 2. potest dari corpus completum simplex 5. 3. corpus, dum movetur majus spatium occupat, quam dum quiescit 9. 53. omnia corpora sunt in loco excepto ultimo Cælo 11. 53. corporeitas non est ratio essendi in loco actuali 11. 58. potest corpus expoliari quocumque Ubi locali non præfentiali 11. 58. modus ejus essendi in loco est circumscriptivus 11. 65. quo sensu corporeitas sit ratio fundamentalis essendi in loco circumscriptive 11. 66. corpora loco circumscriptiva sunt etiam situata 11. 71. Corpus Christi qualiter in Hostia existat 11. 82. naturaliter plura corpora in eodem loco esse non possunt 11. 102. bene tamen supernaturaliter 11. 106. & hoc potest dupliciter fieri 11. 107. aptitudo duplex in corporibus replendi, & expellendi, cui duplex correspondet actus ibid. quomodo faciat distare latera continentis 12. 10.

CORPUS sphaericum tangit planum in puncto 9. 44. non implicat dari tale corpus 9. 45. quomodo super planum moveatur 9. 93. nequit idem corpus naturaliter esse simul in pluribus locis adæquatis 11. 115. potest supernaturaliter esse in pluribus locis definitive 11. 118. quomodo corpus possit indivisibiliter in loco constitui ibid. & 122. quid agere posset constitutum in pluribus locis 11. 131. quomodo corpus Christi sit præfens Hostiæ, & ejus partibus 11. 124. potest etiam circumscriptive idem corpus poni in pluribus locis supernaturaliter 11. 115. poneretur in pluribus locis non per reproductionem substantialem, sed per replicationem accidentalem ipsius ubi 11. 139. affectiones quæ dependent a loco essent in eo diversæ pro diversitate locorum, non autem aliæ independentes a loco 11. 144. quare diversitas loci non tollat contradictionem in formis absolutis 11. 145. quomodo corpus hic ab igne calefactum; Romæ quoque diceretur calidum 11. 151. quædam formæ absolutæ, quarum informatio pendet continuo a præfentia extrinseci agentis, non videntur necessario replicandæ in corpore replicato 11. 154. an corpus expoliari possit quocumque Ubi tam locali, quam præfentiali 11. 58.

CORRUPTIO, & annihilatio quomodo differant 2. 56. dupliciter sumi potest 2. 162. corruptionis compositi adæquata, ac integra causa sunt materia, & forma 2. 168. præcipua causa est forma ibidem. originaria, & radicalis est materia 2. 169. extrinseca causa est contrarietas ibid.

CREATURA infinita in perfectione essentiali dari nequit 10. 25. neque suprema est possibilis, qua perfectior dari nequeat 10. 34. eadem actione creatur, & conservatur a Deo 7. 44. creatio connotative solum a conservatione differt 7. 46. ad rationem creaturæ non sufficit mediata dependentia a Deo 7. 81. an sub tali ratione possit ab æterno produci 14. 4. quam operationem habere possit creatura ab æterno producta 14. 10. quomodo sit præfens Deo ab æternitate 14. 20.

D

DEFINITIO quomodo explicet essentiam definiti 7. 165. definitio duplex 11. 21. concretorum definitiones quo pacto exponendæ 11. 19. definitio proprie est concretorum 6. 24.

DENOMINATIO duplex formalis una, materialis altera 3. 37. denominatio subjecti a forma est effectus ejus primarius 5. 22. denominatio intrinseca sumitur a forma intrinseca 7. 116. denominativa prædicatio duplex 5. 141.

DEUS concurret cum causis secundis concursu sufficienti secundum rem, & solum insufficienti secundum modum 2. 52. & 3. 61. ejus concursus non suscipit intensiorem, & remissionem ibi. potest supplere omnem causalitatem extrinsecam in absolutis, non in respectivis 3. 51. eodem concursu conservat rem cum causis secundis, ac sine illis 3. 61. non eodem concursu conservat accidens absolutum, & inherentiæ ejus 3. 62. & 67. concursus educitivus, & creativus non differunt nisi penes connotata ibid. concursus Dei non est indeterminatus, & indifferens 3. 63. licet sit semper formaliter unus, & idem, est tamen virtualiter multiplex 3. 64. & 8. 47. qui concursus dicitur naturalis, & supernaturalis 3. 65. & 66. dicitur causa per extrinsecam tantum denominationem 5. 13. nequit supplere causalitates intrinsecas materiæ,

& formæ 5. 53. quo sensu se solo facere possit, quod agit mediante causa secunda 5. 53. nec implere potest causalitatem extrinsecam formæ in materia 5. 54. potest supplere causalitatem materiæ erga formam in genere causæ efficientis 5. 55. efficienter solum concurret cum causis secundis consequentibusque sint generis 8. 11. in sententia Aristotelis. necessario concurret cum causis secundis 8. 13. & per hoc concessit contradictiones latentes 8. 16. Deus modo non aufert libertatem causarum secundarum per suum concursum 8. 17. si ageret necessario, & naturaliter auferret libertatem 8. 19. determinat causas ad effectus in individuo 8. 42. cur non dicatur causa peccati 8. 47. & 7. 86. quomodo dicatur cognoscere simul omnes divisiones continui 9. 70. non potest continuum dividere simul in omnes suas partes 9. 96. Deus potius est cum loco, quam in loco 11. 59. ratione suæ immensitatis est in hoc universo, & quoque entia in spatio imaginario 11. 93. non tamen tamquam in loco 11. 94. si non esset in spatio imaginario, posset moveri per illud 11. 96. quo sensu Deus possit dici natura 6. 12. Deus insluit in omnes effectus causarum secundarum immediate 7. 81. quare Deus dicitur naturaliter concurrere ad infusionem animæ 7. 133. & 135. unde Deus dicitur agens naturale, & supernaturalis 7. 139. quo pacto dicatur agere propter finem 7. 201.

DEPENDENTIA causati a causa qualis sit 5. 7. dependentia creaturæ ad Deum est illi realiter identificata 5. 9. dependentia relationis ab extremis qualis, & quanta 3. 47. & 50. quale sit discrimen inter dependentiam essentialiam, & accidentalem 5. 82. dependentia effectus a causa quo pacto sit essentialis 8. 55. & 61. qualis sit dependentia totalis 8. 64.

DISTINCTIO semper infertur a contradictione, & talis, qualis est ipsa contractio 2. 108. realis est duplex 4. 9. distinctio Modalis recentiorum potius debet dici realis 5. 109. distinctio rationis duplex ratiocinantis, & ratiocinatæ 5. 152. distinctio realis regula & inditium 5. 154. distinctio realis totius, & partium est positiva, & mutua 5. 162. ad mutuam distinctionem opus non est extrema posse ab invicem separari, & separata existere 5. 163. distinctio, & identitas essentialis tripliciter sumi solet 5. 164. distinctio inter includens, & inclusum declaratur 5. 169. realis distinctio duorum non infert exclusionem unius ab alio 5. 171. distinctio inter causam, & effectum semper est realis 8. 21.

DISPOSITIO alia de genere causæ materialis, alia de genere causæ efficientis 5. 38. & 5. 94. non est necesse, quod semper recipiatur immediate in subjecto, quod disponit 5. 87. dispositiones præviæ recipiuntur in composito præcedente, non in materia prima 5. 88. aliquæ dispositiones comitantur formam, non antecedunt 5. ibidem, ad quid sint necessariae dispositiones in materia 5. 89. in quo genere concurrant ad introductionem substantialis formæ disp. 2. 109. & disp. 5. 90. & 99. duo genera dispositionum 5. 94. concursus earum ad generationem formæ est instrumentalis 5. 99.

DURATIO quid formaliter dicat 13. 4. non dicit quid ab existentia ex natura rei distinctum, nec ut rem a re, nec ut modum 13. 5. non dicit formaliter negationem destinationis, ut quid ab existentia distinctum 13. 6. neque respectum permanentiæ ibid. sed existentiam rei connotando respectum coexistentiæ ad durationem aliquam imaginariam 13. 7. res per instans existens quomodo durare dicatur 13. 8. duratio ab existentia differt solum penes connotata 13. 8. quomodo duratio spectet ad prædicamentum Quando 13. 9. nullum ens permanentens tempore durat 13. 24. nec tempore discreto 13. 25. quæ habent eundem permanentiæ modum, eodem modo durant 13. quomodo distinguatur a re durante 13. 36. tres tantum sunt durationis species non plures 13. 41. cur duratio non dicat respectum coexistentiæ ad divinam æternitatem, ut virtualiter divisibilem, sicut coexistentia localis dicit respectum ad divinam immensitatem virtualiter divisibilem 14. 18. & 19. respectus coexistentiæ, quem connotat ad tempus imaginarium, quo pacto dicatur rationis, & non realis 13. 10.

E

EFFECTUS a causa creata non dependet essentialiter simpliciter 3. 63. effectus causæ materialis 5. 18. effectus causæ for-

Index Rerum Notabilium.

formalis 522. effectus quilibet in quocumque genere causæ realiter a sua causa distinguitur 5. 155. & 8. 21. supponit existentiam suæ causæ 8. 7. supponit suam causam natura priorem, non tempore 8. 30. individuatione ejus unde proveniat. 8. 43. quare nequeat a causa secunda reproduci 7. 45. nullus effectus in individuo de se petit hanc potius causam, quam illam. 8. 50. in quo consistat dependentia effectus a sua causa. 8. 55. idem a pluribus causis totalibus esse nequit. 8. 61. quinam effectus fiant per resistentiam 7. 7. & seq. quinam per simplicem efficientiam 7. 12. quinam a sua causa dependant non solum in fieri, sed etiam in conservari 7. 13. qui sit effectus efficientis causæ. 7. 7. & seq. effectus omnes creati pendunt essentialiter a Deo in suo fieri 7. 81. non sufficit dependentia mediata. 7. 83. effectus supernaturalis unde dicatur 7. 134. & 136. effectus causæ finalis qui sint 7. 208. & seq. quinam sit effectus fortuitus 7. 213. qui causalis ibid. effectus ad utrumlibet non sunt fortuiti ibid. quo pacto in effectu per accidens reperitur quoque causa per se 7. 214. respectu Dei nullus datur effectus fortuitus 7. 215.

ELEMENTUM quomodo differat a principio; & causa in exposit. tex. n. 1. quomodo unum elementum conservetur ab alio 11. 37. quomodo in elementis symbolis dicatur facilior transitus 3. 6.

ENS reale dicitur tale per ordinem ad realem existentiam possibilem 10. 68.

EX quomodo teneatur in definitione principiorum p. 4. ex quolibet non fieri quolibet ipso sensu intelligitur 1. 37.

EXEMPLAR internum, & externum 7. 143. ratio exemplaris interni, quod est Idea, ab externo debet deduci 7. 146.

EXISTENTIA non distinguitur realiter ab essentia 2. 28 duplex est partialis, & completa ibid. quo sensu dicatur perfectissimus effectus, & ultima actualitas rei 2. 32. re vera est imperfectior ipsa essentia 2. 46. non est actus secundus formæ substantialis, sed potius ipsius essentia 2. 47. est simpliciter necessaria ad causandum 8. 7. non mensuratur per instans naturæ 8. 32. correspondet productioni, sicut duratio conservationi 13. 3.

F

FATUM in quo sensu non sit admittendum 7. 223. in quo sensu admitti debeat, & ejus definitio 7. 224. quo modo sit unum, & multiplex ibi. spectat ad varia causarum genera ibid. quo pacto a casu, & fortuna differat ibid.

FIGURA duplex, intrinseca, & extrinseca 9. 15. & 3. 60. & 11. 122. dupliciter accipi potest 3. 44. non importat proprie quid absolutum ibidem, & 6. 53. est modus connaturalis quantitatis 3. 60. quomodo distinguatur a re figurata 6. 53.

FINIS cur dicitur prima causa, & causa causarum 8. 4. ejus definitio 7. 160. multipliciter dividitur ibid. finis cuius, & cui sunt vere fines, ita tamen ut ex utroque unus integer fiat 7. 161. finis non ultimus est quoque vere finis 7. 164. ordinatio ad ulteriorem finem non tollit ab eo propriam finis rationem ibidem; finis triplex verus, apprensus, & præfixus ibidem; solum bonum potest esse finis voluntatis, non malum, vel indifferens 7. 168. nedum verum, sed etiam apprensus, & præfixus 7. 170. causalitatis finis consistit in motione efficientis ad agendum 7. 176. finis non movet actu antequam agens agat 7. 178. ejus motio non est realis sed metaphorica 7. 179. & ejus causalitas non est realis, & physica, sed moralis 7. 181. ut causet, debet habere esse cognitum 7. 189. non tamen causet secundum esse cognitum, sed secundum esse reale. 7. 191. præcipua finis munera ibid. futuritio consecutionis finis est conditio sine qua non similiter, & cognitio finis 8. 193. non est causa physica, & realis, sed moralis 7. 197. finalis causa, quo pacto detur in Deo 7. 301. vere datur in intellectuali agente creato 7. 204. quo pacto detur in agentibus naturalibus. 7. 205. ac etiam in brutis 7. 206.

FORMA est principium in fieri rerum naturalium 1. 17. est principium per modum termini ad quem 1. 23. quo pacto possit esse finis, & principium generationis 1. 25. & 28. forma substantialis datur in rerum natura 2. 2. dat esse specificum, & completum, sed non quocumque entitativum 2. 18. definitur, & a forma accidenta-

li seceritur 2. 24. materialis nequit naturaliter sine materia existere 2. 41. bene tamen supernaturaliter 2. 43. non indiget novo perfectitatis modo, neque concursu majori, ut sic separata conservetur 2. 50. & 51. Forma materiæ informat nedum secundum gradum genericum formæ, sed etiam specificum, & individualement 2. 85. & 98. nulla quantuncumque perfecta satiat adæquate appetitam materiæ 2. 134. forma suo modo dici potest appetere materiam 2. 136. non continetur actu secundum aliquid sui in materia ante generationem 2. 138. non fit sola virtute alicujus agentis separati neque a Cælo 2. 241. cur non dicatur creari, & ex nihilo fieri 2. 139. omnis forma materialis educitur de potentia materiæ 2. 143. quo sensu forma per se fiat, & propria producat productione 2. 145. ad educationem formæ opus non est, materiam duratione præcedere formam 2. 147. nec requiritur, quod sit in potentia naturali, vel neutra subjecti 2. ibid. quid proprie sit formam educi de potentia materiæ 2. 148. omnes formæ materiales etiam Cælorum, & elementorum educuntur de potentia materiæ 2. 150. forma non satians materiæ appetitum est causa præcipua corruptionis 2. 168. forma non est ita ratio agendi, ut non etiam sit ratio patiendi 2. 180. est effectus materiæ 5. 21. formæ novæ introductio absolute prior est expulsiōe antiquæ 5. 25. forma nova expellit antiquam in genere causæ formalis ibid. non potest forma propria virtute uniri materiæ pro ea dispositæ 5. 27.

FORMA duplex subordinata, & disparata 5. 57. plures subordinatæ substantiales possunt esse in eadem materia 5. 58. formarum pluralitas non obstat unitati compositi 5. 59. subordinata constituit rem in specie incompleta 5. 60. est dispositio ad formam perfectiorem 5. 61. disparatæ naturaliter nequeunt in eadem materia simul esse, sed supernaturaliter possunt 5. 64. & tunc constituerent duo composita essentialiter distincta, & secundum quid eadem 5. 66. & unum compositum de altero non diceretur 5. 67. quo pacto se haberent in agendo 5. 68. qualis sit potentia materiæ ad formas disparatas 5. 70. nequit eadem forma naturaliter informare plures materias adæquatas ab invicem divisas 5. 73. potest supernaturaliter plures materias partiales divisas informare, non tamen plures totales, five unitas, five divisas 5. 76. virtus informativa formæ num possit augeri 5. 80. forma substantialis immediate materiam informat nulla mediante quantitate, aut qualitate. 5. 87. est principalior pars quidditatis 5. 139. forma partis, & forma totius 5. 140. forma est perfectior materia quoad entitatem 8. 36. est etiam magis natura 6. 36.

FORMA substantialis est activa, sed ejus activitas a priori demonstrari non potest, sed tantum a posteriori 7. 87. nam formæ imperfectiores interdum sunt similitum productivæ, non perfectiores ibidem; non omnes producuntur a Cælo, vel a Deo, sed una potest alteram producere 7. 88. formæ permanentes, & successivæ, & forma creata in subjecto certo quomodo incipiant, & definant 14. 31. & 32.

FORMA corporeitatis necessaria est in viventibus 2. 67. præsertim ut det esse corporeum, & extensum 2. 33. quid importet corporeitatis forma in viventibus 2. 74. & 81. in cæteris corporibus talis forma non est necessaria 2. 75. non continetur virtualiter in anima 2. 78. est ipsa forma mixtionis 2. 79. quo sensu dicatur dare esse genericum absque specifico, & forma generica ibidem; quælibet pars organica habet suam formam partialem corporeitatis 2. 81. non facit cum materia ens completum 5. 62. qualis sit unitas corporis pro altera parte 5. 81.

FORMA accidentalis est actus secundum quid, & secundarius 3. 1. ejus differentia a forma substantiali 2. 24. & 5. 129. cur cum subjecto non faciat ens per se unum 5. 129. quo sensu dici possit perfectior substantiali 5. 131. Forma artificialis quid sit 6. 53. quomodo distinguatur a naturali 6. 149.

FORTUNA quid hoc nomine intelligatur 7. 211. quid sit proprie 7. 212. in quo differat a causa ibidem; proprie spectat ad causam efficientem 7. 214. cur in sapientibus, & prudentibus modica sit fortuna 7. 215. fortuna bona, vel mala ibid.

Index Rerum Notabilium.

G

GENERATIO sumi potest sub ratione mutationis, vel productionis 1. 11. ejus principia sunt tria sub ratione mutationis 1. 17. vide Principium: generatio unius quo sensu sit corruptio alterius 1. 34. quo sensu dicatur mutatio totius in totum 2. 3. 5. & 63. generatio, & educio etiam sine mutatione proprie dicta possunt exerceri 1. 151. generatio sumitur dupliciter 2. 162. generatio, & creatio differunt ratione connotati 3. 62. non est causalitas materię erga formam 5. 37. generatio unius est corruptio alterius quomodo intelligatur 5. 63. generationum impuritas unde proveniat 5. 94. generatio univoca, & æquivoca quo pacto specie differant 15. 78.

GENUS quomodo ejus natura sit una in omnibus speciebus per solam differentiam, non per inexistentem 10. 42. an ejus potentia ad differentias sit una, vel multiplex ibid.

GRATIA in anima an producatur per creationem, vel educationem 3. 74. gratia Christi fuit physice finita 10. 77. **GRAVE** cur velocius moveatur in sine, quam in principio 11. 37. grave infinitum an moveretur in instanti 10. 72. an moveretur in vacuo 18. 12.

H

HABITUS supernaturalis non est tota ratio agendi intellectivi, & voluntatis 7. 127. an necessario requiratur ad agendum supernaturaliter 7. 134.

HOMO si creatus esset ab æterno, quas operationes habuisset, 14. 10.

I

IDEA, ejus ethimologia, ac definitio 7. 143. solum in agente intellectuali reperitur ibid. potest applicari conceptui formali, sed proprie est conceptus objectivus. 7. 145. quo pacto conceptui formali possit adaptari 7. 147. quæ sint ejus munera 7. 149. discrimen ideæ creatæ, & divinæ, quod illa est practica, non ista ibid. non est de ratione ideæ, quod differat ab ideato, vel sit eadem cum ipso 7. 151. est causa moralis ideati, non realis, dirigit nempe, ac regulans in intellectu creato. 7. 153. non autem intellectu divino 7. 154. constituit genus causæ distinctum ab aliis 7. 155. ut respicit effectum, spectat ad genus causæ efficientis 7. 156. ut respicit agens potest habere rationem formalis causæ ibid. finis, & idea possunt materialiter coincidere, non formaliter 7. 158.

IDEM potest movere seipsum, ut agens æquivocum, non univocum 15. 98.

IDENTITAS duorum est sufficiens, non præcisa causa inseparabilitatis eorum 3. 53. & 5. 168. idem potest agere in seipsum actione æquivoca 7. 54.

INCŒPTIO modi incipiendi quot, & qui sint 14. 22. incœptio, & desitio est intrinseca, vel extrinseca ibid. præter istos duos modos incipiendi, & desinendi non datur alius 14. 23. incœptio, vel desitio indeterminata non datur ibid. successiva incipiunt, ac desinunt extrinsece 14. 25. & eodem modo incipit, ac desinit quies privativa ibid. permanentia, quæ simul accipiunt esse, intrinsece incipiunt, & extrinsece desinunt 14. 30. sic etiam composita, quæ successive accipiunt esse, si consistere debent, ut entia perfecta, & completa ibid. formæ contrariæ, ac etiam forma, & privatio nequeunt incipere, & desinere intrinsece, altera extrinsece, aut è contra 14. 31. quomodo forma certa desinat per adventum formæ habentis primum, mutatum esse 14. 32. differentia inter desitionem entis per se successivi, ut est motus, & successivi per accidens ibid. brevius explicantur modi incipiendi, & desinendi, & res illis incipientes, vel desinentes 14. 44.

INDIVISIBILE triplex, physicum, & metaphysicum, & mathematicum 9. 29. indivisibile additum indivisibili non facit majus 9. 30. indivisibile corporeum nec formaliter, nec virtualiter est divisibile 9. 32. nec partes habet, nec latera 9. 34. & 35. dantur in continuo, tam continuativa indivisibilia, quam terminativa 9. 40. quomodo continuativa sint infinita, 9. 60. cur indivisibili corporeo repugnet spiritus extensio 9. 66. cur indivisibile spirituale additum indivisibili facit majus ibid. in-

divisibile corporeum additum indivisibili facit plus, non majus 9. 66. indivisibile physicum potest successive pertransiri 9. 67. indivisibilia quomodo ingrediuntur definitionem continui 9. 68. quo pacto indivisibilia dicantur uniones partium 9. 74. indivisibilia substantialia dantur 9. 75. quomodo indivisibile tangat partem 9. 77. non est extra partem ibid. quomodo sit immediatum indivisibili ibid.

INDIVISIBILE rursus multiplex 14. 33. instans, & instantanea mutatio incipiunt, & desinunt intrinsece ibid. quomodo incipiant, ac desinant indivisibilia permanentia 14. 34. nec per potentiam Dei absolutam possunt extrinsece incipere 14. 35. res indivisibiliter producta potest durare per solum instans 14. 79. indivisibile duplex, spirituale, & materiale 15. 88. indivisibile tam conjunctum, quam separatum potest successive moveri 15. 90. indivisibile spirituale potest esse in loco indivisibili 11. 63.

INDIVISIBILIA a sensu non percipiuntur 9. 72. proprie nec generantur, nec corrumpuntur ibid. omnia collectivè non sunt a partibus separabilia 9. 73. ad quid interviant 9. 76.

INFINITUM categorematicum, & syncategorematicum declaratur 9. 95. & 10. 2. hoc mediat quodammodo inter simpliciter finitum, & infinitum ibid. quid sit infinitum 10. 1. infinitum multiplex ibid. definito infiniti tradita ab Aristotele 3. Phyl. 62. convenit infinito syncategorematico tantum 10. 2. quo sensu etiam categorematico competere possit 10. 3. definitio infiniti in actu, seu categorematici ibid. discrimen inter hæc duo infinita 10. 4. & 5. qualis sit infinitas necessaria ad infinitum syncategorematicum 10. 7. unde dicatur infinitum categorematicum, vel syncategorematicum ibid. infinito categorematico nequit fieri additio, bene tamen syncategorematico ibid. 22. & nullum infinitum potest mensurari, vel pertransiri 10. 10. quomodo dicatur ignotum 10. 11. an unum infinitum sit majus alio 10. 12. non datur majus, & minus in infinito categorematico 10. 14. datur in syncategorematico 10. 16. infinitas non est una forma indivisibilis 10. 15. categorematicum intrinsece infinitatem attingit, non syncategorematicum 10. 16. num infinito possit addi, vel detrahi 10. 18. categorematicum additionem, vel detractionem non patitur 10. 19. infinitum syncategorematicum duplex 10. 22. quo pacto fieret ei additio 10. 23. infinitas essentialis duplex 10. 24. nequit dari species categorematicæ infinita in perfectione 10. 25. aliud est infinitum simpliciter, aliud in genere, & ex hoc nequit illud argui ibid. quo pacto possit deduci 10. 27. in perfectione essentiali specierum datur processus in infinitum 10. 34. infinitum syncategorematicum in multitudine negari non potest 10. 44. categorematicum vero repugnat omnino, 10. 45. nequit dari infinitum infinitis infinitum 10. 47. infinitas adæquata, & inadæquata seipsam destruit 19. 50. infinitum syncategorematicum est totum quoddam indeterminatum, & confusum, quod nequit unica productione produci 10. 54. categorematicum in magnitudine prorsus repugnat 10. 60. non vero syncategorematicum 10. 65. item repugnat categorematicum in qualitate 10. 71. non tamen syncategorematicum 10. 79. & quod hoc eadem ratio est de quantitate, & qualitate 10. 80. infinitum in actu, & categorematicum neque datur in mente divina in esse objectivo 10. 95. qualis sit potentialitas infiniti syncategorematici 10. 100. infinitas peccati qualis sit 10. 77.

INHÆRENTIA actualis distinguitur re ipsa ab accidente absoluto 3. 48. non tamen alia inhærentia inhæret, sed se ipsa ibid.

INSTRUMENTUM multipliciter sumitur 7. 69. instrumentum proprie sumptum triplex est, supernaturale, naturale, & artificiale ibid. artificiale ad tria intervirit 7. 70. aliud conjunctum, aliud separatum vel secundum esse, vel secundum causalitatem 7. 71. non omne instrumentum activum est 7. 72. & actio nullo modo attingit terminum principalis agentis 7. 73. nec subordinatio, neque improprio præcise cum effectu constituit causam instrumentalem 7. 74. nec etiam elevatio 7. 76. propria definitio instrumenti; atque verum discrimen a causa principali 7. 77. reducitur ad genus causæ efficientis, etiam si ad alia quoque causarum genera possit aliquo modo spectare 7. 78.

INTELLECTUS ad hanc, vel illam intellectionem limitatur ab objecto 8. 39. creatus non est infinitæ virtutis, esto plures producat intellectiones 10. 31. habet virtutem activam in suo ordine producendi actus supernaturales 7. 116.

LI.

Index Rerum Notabilium.

L

LIBERTAS est essentialis voluntati, non usus libertatis 8. 19. cum qua necessitate persistat 8. 14. quam Dei libertatem agnovit Aristoteles ibid. libertas primæ causæ est radix secundariæ, & contingentis effectuum 8. 17. libertas creata auferretur si Deus ad extra ageret necessario 8. 19. libertas voluntatis in qua indeterminatio consistat 8. 40. libertas specificationis, & exercitii 8. 46. & 7. 172.

LINEA non fit ex punctis 9. 64. a centro ad circumferentiam duci possunt lineæ ad omnia ejus puncta 9. 90. linea girativa columnæ an sit infinita 10. 66. & seq.

LOCUS varias habet acceptiones 11. 1. in qua formaliter consistat 11. 2. quid sit pro materiali 11. 3. nec spatii, nec positioni, quam habent corpora in universo, convenit ratio loci 11. 4. & 7. qua ratione dicantur res in hoc, vel illo loco per comparisonem ad centrum, & polos 11. 12. locus vere, & proprie est sola superficies 11. 13. quomodo conveniat loco conservare locatum 11. 19. loci definitio 11. 20. ejus attributa ibid. definitur per superficiem, veluti per subjectum, non per genus 11. 21. est ens connotativum, non absolutum ibid. ejus definitio non est quiddam ibid. per se primo non dicit superficiem, sed respectum continentis 11. 22. immobilitas non est ratio formalis constitutiva loci ibid. definitur locus proprius non communis 11. 23. quomodo sit continens locatum 11. 24. & 25. quomodo sit immobilis 11. 26. qualis immobilitas requiratur ad locum ibid. & 27. licet sit immobilis localiter, est tamen mobilis motu corruptionis 11. 27. & adhuc etiam est incorruptibilis per æquivalentiam ibid. locus duplex, communis, & proprius 11. 28. vas, & locus quo pacto differant 11. 29. loci attributa conveniunt superficiem 11. 30. quomodo sit æqualis locato ibid. immobilitas est cuiuslibet loci proprietates ibid. loci unitas, vel multiplicitas non desumitur ex respectu ad centrum, & poli 11. 32. neque loci immobilitas absolute loquendo inde sumi potest ibid. neque ex respectu continentis qui sit immobilis 11. 33. neque ex immobilitate spatii fixi 11. 34. penes quid proprie sit attendenda loci immobilitas 11. 35. seorsum, & deorsum non sunt differentis essentialis loci 11. 36. conservare locatum convenit loco naturali 11. 37. quo sensu dicatur locus locatum attrahere ibid. est terminus extrinsecus localis motus 11. 40. penes quid attendi debeat loci unitas, vel diversitas 11. 49. omnes substantiæ spirituales sunt in loco excepto Deo 11. 59. & omnia corpora excepta ultima sphaera 11. 53. spiritus sunt in loco definitive, non circumscriptive 11. 60. locus est terminus extrinsecus rei locatæ 11. 63. vide Angelus.

LOCUS, & esse in loco an univoce conveniat rebus omnibus 11. 64. varii modi essendi in loco declarantur ibid. inter locum, & locatum qualis sit adæquatio 11. 13. localis comprehensio qualis sit 11. 128. quomodo locus dicatur terminus rei locatæ 11. 129. nequit idem corpus esse naturaliter in pluribus locis, neque plura corpora in eodem loco 11. num. 102. & 115. vide Corpus.

LUMEN quomodo recipiatur in corpore opaco, & diaphano 9. 41. est latum, non profundum in corpore ibid. quomodo transeat per prævium corpus ibid. lumen gloriæ non est tota ratio agendi intellectui ad visionem beatificam 7. 127.

M

MALUM ut sic nequit esse objectum volitionis 7. 169. nec amoris sive amicitis, sive concupiscentis ibid. **MATERIA** est principium in fieri rerum naturalium 1. 17. est principium mutationis per modum subjecti aliter se habentis nunc quam prius 1. 23. est principium cuiuscunque mutationis physice 1. 24. ejus potentia, & dispositiones diversum modum principiandi ab ea non exercent 1. 20. non est contraria formæ 1. 31. materia prima datur in rerum natura 2. 2. est distincta a quatuor elementis 2. 1. quæstio de ejus actu entitativo est de nomine 2. 6. est entitas substantialis actu existens a forma realiter distincta, & actum habet entitativum 2. 8. quid per actum entitativum intelligi debeat 2. 10. & 17. est substantia corporea 2. 13. quare dicatur ens in potentia 2. 15. quo sensu a for-

ma dicatur primo diversa 2. 10. ejus definitio assignatur, & explicatur 2. 23. cur dicatur genus physicum 2. 26. habet propriam existentiam partialem independenter a forma 2. 28. & cum ea permanet sub utroque termino mutationis 2. 29. est terminus creationis 2. 31. est individuum incompletum 2. 33. quo sensu propriam habeat substantiam 2. 38. naturaliter nequit esse sine forma 2. 41. talis necessaria coexistentia ex conditione naturæ universalis potius, quam particularis ipsius materię auspicanda est ibid. est magis independens, quam forma ibid. supernaturaliter potest sine forma conservari 2. 43. a forma habet esse specificum extrinsecum, & adventivum 2. 45. separata a forma esset in specie determinata entis, & substantiæ incompletæ ibid. est capax existentis citra formam 2. 46. magis pendet a quibusdam formis accidentalibus ipsam naturaliter consequentibus, quam ab ipsa forma substantiali 2. 41. non indiget novo perfectatis modo, neque novo concussu majori, ut separata conservetur a forma 3. 49. est una specie athoma etiam si in Cœlis admittatur 2. 59. est numero multiplicata sub diversis formis 2. 60. si daretur in Angelis esset una unitate generica 2. 61. specifica unitas materia positiva est, non vegetativa 2. 65. de facto est una specie materia omnium corporalium, at de possibili possit esse diversa 2. 64. quiescit naturaliter sub quacunque forma 2. 86. considerari potest in prima, & secunda notionem 2. 112. appetit formam 1. 124. materia semper est prior natura ipsa forma 2. 152. quomodo cognoscibilis sine ordine ad formam 2. 158. quomodo cum ordine ad formam 2. 150. quomodo ingenerabilis, & incorruptibilis 2. 163. est causa corruptionis non adæquata, & præcipua, sed originaria, & radicalis 2. 169. quare dicatur potentia contradictionis ibid. non habet quantitatem interminatam eorum 2. 173. non ita patitur, ut nullo modo agat 179. quorum accidentium possit esse subjectum 3. 3. prius respicit actum substantialem, quam accidentialem 5. 87. materię indifferentia determinatur ab agente 5. 91. materia prima, & secunda 5. 92. est pars quidditatis compositi substantialis 5. 138. materia totius, & partis 5. 140.

MATERIÆ potentia erga formam, & compositum distincta est ex natura rei 2. 82. ad singulas formas est naturaliter indeterminata 2. 83. habet simultaneam potentiam ad omnes, sed pro simul 2. 83. & 94. potentia materię respicit formam vel proximam, vel remote, vel remotissime 2. 90. materia quomodo sit in potentia naturali etiam ad formas corruptas 2. 91. alia proxima, alia remota ad formas 2. 95. remota est ipsa, proxima multiplicatur ad multiplicationem formam ibid. capacitas materię ad infinitas formas non concludit in ea infinitam virtutem receptivam 2. 98. potentia materię alia receptiva formarum; alia sustentativa 2. 99. & distinguuntur ab invicem ex natura rei 2. 100. in materia potentia receptiva formæ substantialis distinguitur ex natura rei formaliter a potentia receptiva formæ accidentalis 2. 107. potentia materię tripliciter sumi potest 2. 111. & 125. non est de essentia materię in primo modo 2. 112. nec accidens superadditum, sed ejus connaturalis proprietates 2. 119. adventiente actu cessat potentia quoad privationem connotatam 2. 112. nec ejus potentia ad formas accidentales est accidens 2. 120.

MATERIÆ appetitus quid 2. 124. in recto non differt ab ejus naturali potentia 2. 125. est ad formas etiam in particulari 2. 126. est unus ad omnes, & singularis 2. 125. tripliciter sumi potest ibid. quo sensu privatio sit ejus causa 2. 127. non est æqualis ad omnes, sed major ad perfectiores formas 2. 129. dum est materia sub perfectiori forma appetit adhuc minus perfectum 2. 134. **MATERIÆ** privatio, materia secundum se nec est privata, nec non privata forma formaliter loquendo 4. 87. Vide verbum Privatio, est privata forma subsequenti, cum est sub antecedenti 1. 22.

MENSURA duplex activa, & passiva 13. 2. activa duplex 13. 42. quatuor requiruntur ad mensuram ibid. dupliciter sumitur 13. 43.

MIXTA cur aliqua sint impura 5. 93. **MODUS** perfectatis non est necessarius in accidente separato 3. 55. an modi educantur de potentia materię 2. 153. & 3. 70. modus nequit existere sine re, cuius est modus 11. 45. unius rei modificatæ seipso, non alio modo 11. 46. omnis modus accidentalis est entis respectiva 11. 45. modus non habet distinctam præsentiam a re modificata 11. 146.

MOBILITAS qualis sit prima, & communissima passio in philosophia considerata quæst. proœm. num. 9. ejus pri-

Index Rerum Notabilium.

primum, & adæquatam subjectum est corpus naturale, ibid. 14.
MONSTRUM quid sit 7. 219. proprie datur in animalibus, ibid. respectu causæ particularis est effectus per accidens, & casualis 7. 220. in quo deficiat a casuali effectu 7. 221.
MOTUS proximum, & adæquatam ejus subjectum est corpus de genere substantiæ 3. 5. dupliciter sumi potest 6. 17. motus in definitione naturæ positus stat pro accidentali ibid. & pro motu materialiter sumpto, ut incidit cum actione 6. 21. motus naturalis quinam dicitur 6. 42. quinam violentus 6. 43. motus dicitur simpliciter naturalis a forma, secundum quid a materia 6. 37. præter naturalem, & violentum datur neuter 6. 44. alius est acquisitivus, alius deperditivus 15. 3. motus in communi ad mutationem substantialem, & accidentalem non est passio corporis naturalis adæquata 15. 48. motus ut est passio corporis naturalis non distinguitur a mutatione essentialiter, quia habeat terminos positivos ibid. nec per successivum, & instantaneum 15. 50. sed quia terminus ad quem motus est esse accidentale, mutationis vero substantiale ibid. motus qui est passio physica esse potest etiam instantaneus 15. 54. quinam successivæ fiant 15. 60. omnes motus successivi fieri possunt in instanti per Dei potentiam excepto locali totam realitatem motus includente 15. 67. ad motum quinque concurrunt 15. 73.
MOTUS accipitur ut communis ad motum proprie dictum, & ad mutationem proprie dictam 15. 1. multa in motu considerata veniunt ibid. dupliciter spectari potest secundum essentiam suam, & prout modo naturali exercetur 15. 3. motus naturalis, & physicus dicitur successione termini ad quem posterioris post terminum a quo priorem immediate præcedentem in subjecto 15. 3. non potest motus formaliter, quod absolutum præferre ibid. non potest dicere quantitatem successivam de genere absoluto 15. 4. nec relationem formæ ad agens 15. 5. nec actionem solam, aut actionem, & passionem simul 15. 6. nec respectum informationis de principali significato 15. 7. sed successione informationis in subjecto ad non informationem immediate præcedentem ibid. ut abstrahit a naturali, & supernaturali dicit præfatam successione præcedendo a subjecto 15. 8. motus secundum essentiam suam potest extra subjectum exercere ibid. materialiter sumptus est in tot prædicamentis, quot sunt formæ per motum acquisibiles 15. 10. sumptus pro informatione passiva subjecti est in prædicamento motus ibid. formaliter sumptus reducit ad prædicamentum sui termini ibid. motus est respectus secundum quid realis, non simpliciter ibid. non est forma fluens 15. 3. & 12. distinguitur realiter a subjecto, termino, actione, & passione 15. 21. ejus definitio fufe explicatur 15. 24. per actum intelligitur receptio formæ, qua subjectum actuatur 15. 25. per *quatenus in potentia* nequit intelligi agens ibid. neque terminus 15. 27. sed subjectum commune ad mutationem substantialem, & accidentalem 15. 28. per *ly quatenus in potentia*, significatur ordo ad non esse immediate præcedens 15. 31. aliæ motus definitiones coincidunt cum ista 15. 32. hæc definitio competit tantum motui physico, & naturali 15. 34. convenit etiam mutationi instantaneæ ibid. motui quoque deperditivo, violento, & neutro 15. 37. quomodo intelligatur motus inter contraria fieri 15. 41. motus est ad quatuor prædicamenta substantiam, quantitatem, qualitatem, & Ubi 15. 56. in cæteris non reperitur 15. 57.
MOTUS localis fit inter terminos specie diversos 11. 15. & per translationem localem mobilis 11. 16. debet habere terminum realem 11. 39. factus in vacuo non proprie dicitur localis 11. 49. motus lationis secundum totam realitatem suam ita fieri potest in vacuo, sicut in pleno 11. 57. motus lationis qua ratione differat a locali ibid. fieri potest in vacuo 12. 17. quinam esset terminus ejus 12. 20. effectus successivus 12. 21. in quo æquatur motus factus in pleno, & in vacuo 12. 23. unde successio in motu proveniret 12. 24. motus progressivus est simpliciter animalis naturalis 6. 38. motus localis totam realitatem includens est essentialiter successivus 15. 47. explicatur quomodo successivæ fiat 15. 62. cur illuminatio fieri possit naturaliter in instanti, non motus localis 15. 66. motus localis species accidentales assignantur 15. 70. omnes motus locales sunt ejusdem speciei essentialis, & solum accidentaliter differunt 15. 79.
MOTUS speciei quæ, & quot 15. 39. variæ motus divisiones ibid. divisio motus in successivum, & instantaneum declaratur 15. 40. divisio motus penes terminos sumpta est essentialis, non autem penes subjecta 15. 45. divisio motus in naturalem, violentum, & neutrum est accidentalis ibid. divisio per instantaneum, & successivum quando sit motui essentialis 15. 46. motus accidentalis, seu proprie dictus dividi potest in instantaneum, & successivum, tamquam in species 15. 51. species accidentales motus, & earum divisiones assignantur 15. 70.
MOTUS unitas generica, vel specifica a tempore non desumitur 15. 73. neque ab agente, aut a termino a quo 15. 74. generica potest a subjecto desumi, non tamen specifica 15. 76. utraque per se sumitur a termino ad quem 15. 77. tamen ex distinctione specifica motuum semper inferri potest distinctio specifica terminorum ibid. motus unitas numerica duplex identitatis, & continuitatis 15. 81. prima sumitur ab unitate numerica mobilis, & termini ad quem, non vero temporis, vel motoris 15. 82. altera requirit etiam unitatem continuativam temporis saltem a posteriori, licet non motoris 15. 83. motus, & immobilitas contradictorie, sed motus, & quies privative opponuntur 15. 85. motuum oppositio sumitur ex contrarietate terminorum sed præcipue ad quos 15. 86.
MOTUS quomodo incipit, & desinit 14. 25. non datur prima pars motus incipiens, vel ultima desinens 14. 28. datur tamen ultimum mutatum esse motus ibid. quomodo dari possit primum etiam mutatum esse 14. 29.
MOVENS seipsum quomodo intelligatur debere dividi in partem per se moventem, & partem per se motam 15. 100. quo sensu dicat Aristotel. inanimata a seipsis non moveri 15. 103.
MOTOR primus duplici medio, scilicet physico, & metaphysico demonstrari potest existere 15. 104. non sufficienter demonstratur ejus existentia per motum 15. 105. fortius demonstratur per medium metaphysicum, scilicet per rerum causalitatem, & efficientiam 15. 106.
MUNDUS potuit esse ab æterno quoad entia permanentia 14. 3. non quoad successiva 14. 12.
MUTATIO alia substantialis, alia accidentalis 1. 114. utriusque principia assignantur 1. Phys. ibid. sub mutatione accidentali Aristot. localem quoque comprehendit 1. 16. tria sunt utriusque principia 1. 17. non potest dari mutatio physica, & realis rebus absque aliqua re, vel modo denuo in remutata producto 9. 18. & 15. 101. non datur mutatio physica, nisi privatio in susceptivo præcedat duratione formam 4. 24. mutatio est respectus subjecti ad formam, ut unus 2. 31. in omni mutatione datur unum subjectum commune respectu contrariorum in expos. text. num. 9. ad mutationem realem, & physicam non sufficit, quod privatio præcedat formam in subjecto natura, sed debet præcedere duratione 15. 19. res non dicitur vere mutari per solam denominationem extrinsecam 11. 39.

N

NATURA varie sumitur 6. 1. est principium in facto esse, & constitutum corporis naturalis 5. 2. duplex munus naturæ constituendi corpus, & principiandi operationes ejus 5. 2. & 6. 1. dicitur de materia, & forma, & quidditate 5. 3. ut dividitur in materiam, & formam, corpus sublunare constituit, ut dicitur essentialiter, corpus cæleste 5. 4. secundum veritatem natura est principium in facto esse per modum causæ physice in omnibus corporibus, secundum Aristot. in sublunariis solum 6. 16. naturam esse a posteriori potest demonstrari, non a priori 6. 1. ejus definitio 6. 2. de natura agit physicus, ut est principium motus immanens, metaphysicus ut transiens 6. 4. natura dicitur absolute de principio, tam passivo, quam activo, tam immanenti, quam transeunti, at secundum physicam considerationem primo, & principaliter dicitur de passivo, & activo immanenti dependenter a passivo 6. 5. natura sumitur formaliter, & fundamentaliter 6. 10. naturæ definitio essentialis est, & principium in ea positum sumitur fundamentaliter ibid. non est principium motus nec in genere causæ formalis, nec finalis 6. 15. natura est principium motus finalis tantum 3. 25. & 6. 18. præcipue autem motus accidentalis 6. 17. & sumitur pro principio motus in actu 6. 20. & non tantum pro motu proprie dicto, sed etiam pro emanatione, & resultantia passionum, & qualitatum naturaliter consequentium res ipsas ibid.
NATURÆ definitio explicatur per singulas particulas 6. a num. 17. & seq. non convenit privationi 6. 25. nec proprie

Index Rerum Notabilium.

PHILOSOPHIA quomodo dividatur quæst. præem. num. 1. potest considerari in se, & prout est tradita ab Arist. ibid. & hæc distinctio non est inutilis, sed necessaria disp. 11. num. 1. Naturalis quomodo a Metaphysica feceratur ibid. num. 4. & disp. 11. num. 1. per se, & directe Cælum quoque, & elementa considerat num. 6. contemplatur quodcumque ens materiale, & mobile, licet non omnia eodem modo ibid. num. 9. & 10. quo sensu dicatur considerare res materiæ immensas ibid. 11. & 24. non considerat materiam, & formam ut species sui objecti adæquati, sed ut partes, & principia compositi substantialis ibid. 13. pariter & accidentia materialia in ordine ad corpus contempla ut non per se, & directe ibid. 17. & 26. considerat motum in communi in gratiam motus accidentalis, & ens mobile in gratiam corporis naturalis ibid. num. 10. & 17. est vere scientia, quamvis versetur circa generabilia, & corruptibilia ibid. 34. est etiam scientia una unitate tamen generica, non specifica num. 35. est scientia speculativa, non practica num. 36. non est subalternata metaphysicæ proprie loquendo num. 37.
POTENTIA duplex objectiva, & subjectiva 2. 11. triplex potentia, cui triplex correspondet actus 2. 12. potentia, & actus distinctio apud Arist. 2. 17. potentia passiva in ordine ad agens est naturalis, vel supernaturalis, in ordine ad formam est naturalis, violenta, vel neutra 2. 83. potentia naturalis, sicut & neutra est duplex ibid. quo sensu potentia passivæ naturali correspondeat activa naturalis 2. 92. potentia passiva a toto genere nullam importat perfectionem 2. 34. & 98. potentia receptiva accidentium in composito non est accidens ei superadditum 3. 17. potentia naturalis activa, vel passiva non ponitur in prædicamento qualitatibus, sed earum facilitates 3. 21. præter potentiam naturalem, & violentam datur neutra non activa, sed passiva 6. 44. quando potentia neutra sicut cum naturalitate ibid.
POTENTIA obediens non infert infinitatem in rebus 11. 119. non differt a naturali entitative 11. 130. quæ rebus conveniunt per potentiam obediens dicuntur supra naturam rei non contra naturam ibid. dicit ordinem ad agens potens de illa facere quidquid vult, dummodo non implicet 7. 121. ad exercitum istius potentia requiritur concursus specialis Dei ibid. quid sit potentia obediens 7. 122. quid activa 7. 124. datur in rebus creatis non solum passiva, sed etiam activa 7. 125. est remota, & inchoata, non proxima, & completa ibid. non tamen datur in quolibet ad quodlibet 7. 129. regula ad dignoscendum in quibus reperitur potentia obediens 7. 132. quo pacto elevetur creatura per potentiam obediens ad producendos effectus supernaturales 7. 133. & 134. potentia obediens intrinsece est naturalis, & extrinsece solum supernaturalis 7. 137.
PRÆSENTIA localis quid sit 11. 39. est modus rei locatæ superadditus ibid. quo sensu unica præsentia sufficit pro toto corpore, ejus partibus, & accidentibus 11. 67. quo sensu non sufficit, sed multiplicari debeat 11. 62. præsentia duplex intrinseca, & extrinseca 11. 67. iterum positiva, & negativa 11. 99. vide Ubi.
PRINCIPIUM ad rationem principii in fieri duo requiruntur disp. 1. nu. 1. Arist. 1. Phys. agit de principii rerum naturalium in fieri ibid. principia recte definiuntur ab Aristot. text. 42. 1. 3. non fiunt ex alterutris in eodem genere principiandi 1. 4. contraria speciali etiam ratione non fiunt ex alterutris ibid. nec ex aliis in eodem sensu 1. 5. sed omnia ex his, in quo consistit ratio essentialis principiorum ibid. particula ex in ea definitione semper eodem modo tenetur ibid. definiuntur principia in communi 1. 7. definitio illa univoce analogice convenit materiæ, formæ, & privationi 1. 8. definiuntur ibi principia generationis sub ratione mutationis, non productionis 1. 11. principia in fieri, non in facto esse 1. 13. & mutationis in communi ad substantialem, & accidentalem 1. 14. sunt tria, materia, forma & privatio 1. 17. ratio principiandi singulorum 1. 23. quo sensu dicantur intrinseca mutationi 1. 17. quæ, & qualis sit eorum primitas 1. 22. non omnia sunt contraria positive, vel privative 1. 31. sed solum per se primo, & directe forma, & privatio seu terminus a quo, & ad quem partiales 1. 32. talis contrarietas per se est privativa, per accidens positiva 34. quo sensu dicantur primitas contraria 1. 38. principia semper manere quo sensu intelligendum 4. 26. principium generationis ut sic non necessario dicitur positivum influxum 437. & 5. 7.

PRIN.

OBJECTUM alicujus potentia adæquatam constituitur, ut supponit absolute, non simpliciter aut per se 2. 85.
OBJECTI scientiæ conditiones quæ, & quot quæstion. præem. num. 1. duplex est in qualibet scientia, materiale, & formale ibid. quo pacto constitutio objecti scientiæ pendeat ex scribentis arbitrio ibid. nu. 4. objectum materiale philosophicæ periphateticæ est corpus naturale substantiale in tota sua latitudine ad corpora mixta, & simplicia caduca, & æterna ibid. num. 5. non autem corpus corruptibile, & mixtum num. 6. nec ens mobile, vel materiale prout commune substantiæ, & accidenti num. 7. neque ut commune composito substantiali, & accidentali num. 8. neque ut commune composito substantiali, ac ejus partibus num. 9. objectum adæquatam philosophicæ in se, & in tota sua latitudine est substantia finita naturalis ibid. num. 21. ratio formalis objecti philosophicæ est sola naturalitas ibid. num. 28. objectum adæquatam libr. de physico auditu est corpus naturale simpliciter, & in genere sumptum quæst. præem. ad octo lib. phys. num. 1.
OPERATIO immanens abstrahit a loco 11. 73.

P

PARS alia essentialis, alia integralis, & utriusque discernimen 2. 23. partes sunt priores natura toto etiam unitate, sed non ideo esse possunt sine toto 5. 135. realiter distinguuntur ab ipso 5. 154. quo sensu sint idem essentialiter cum ipso 5. 164. pars prima motus, vel temporis nequit assignari 9. 87. partes continui quæ, & quot 9. 50. & 51. vide continuum. quo sensu partes continui dicantur in potentia 9. 88. partes spatii, & temporis quomodo percurrantur ibid. & num. 89. ex partibus infinitis indeterminatis moles finita confluit 9. 90. partes continui proportionales infinitæ syncategorematicæ tantum 9. 94. quo sensu partes moveri, & locari dicantur ratione totius 11. 70. quæ partes continui sint per se existentes, & quæ inexistentes 9. 97.
PASSIO propria non fluit ab essentia physice, sed metaphysice 7. 7. multipliciter sumitur 7. 18. passio prædicamentum quid formaliter dicat 7. 27. ejus subjectum est passum 7. 37.

Index Rerum Notabilium.

PRINCIPIUM constitutum, & in facto esse corporis naturalis est natura 5. 2. ut dicit materiam; & formam, est principium corporis sublunaris, ut dicit quidditatem corporis caelestis 5. 4. principium, causa, & elementum quomodo distinguantur in expol. text. num. 1.

PRIORITAS naturae positiva, & privativa 4. 10. & 14. 4. prioritas naturae quomodo exponenda 4. 32. prioritas naturae secundum causalitatem, & secundum consequentiam 8. 31. prioritas naturae a quo, & in quo 8. 16.

PRIVATIO est principium in fieri rerum naturalium 1. 17. principiat per modum termini a quo 1. 23. non quod principiat per suum non esse, sed per suum esse, quatenus tollitur, & abicitur 1. 26. & 4. 26. in matatione deperditiva principiat per modum termini ad quem 1. 20. privatio proxima, & remota 1. 35. proprie, & communiter sumpta 4. 1. non est ens rationis, quae vere datur a parte rei nullo cogitante intellectu 4. 28. non idcirco bene dicitur maleficia formae 4. 5. & 29. est negatio formae in subiecto adeo praesertim negationem, & connotet aptitudinem 4. 6. differt a simplici negatione per aptitudinem in subiecto connotatam 4. 7. quo sensu dicatur generare appetitum in materia 4. 8. distinguitur realiter a subiecto distinctione reali privativa 4. 9. praecedit natura formam in materia 4. 10. non datur privatio privationis, sed privatio in subiecto apto immediate opponitur formae 4. 11. & 14. tollitur a subiecto per formam oppositam, vel continentem eam virtualiter 4. 16. in eodem subiecto tot sunt privationes praecise, ac adaequate, quot formae possibiles haberi in illo subiecto 4. 17. distinguuntur, & multiplicantur, ut habitus, & formae, quibus opponuntur ibid. non datur in materia una privatio omnium formarum 4. 18. privatio formae substantialis non suscipit magis, & minus, bene tamen privatio formae accidentalis 4. 20. ut dicatur principium generationis, non sufficit prioritas naturae ad formam 4. 22. & prioritas naturae non inducit privationem in materia 4. 24. concurrunt ad generationem ratione negationis importatae; non aptitudinis connotatae 4. 26. principiat, quando non est 1. 31. privatio formae subsequens reperitur in materia, cum est sub forma antecedenti 1. 22. privatio non est natura 6. 35.

PRODUCTIO alia per se, alia per accidens 2. 145. idem nequit seipsum producere 8. 21. & seq.

QUALITAS esto in ordine ad agentia naturalia habeat determinatum gradum, tamen in ordine ad supernaturale potest intendi in infinitum 10. 79. est talis intentionis capax per potentiam obedientialem 10. 83. & 92. infinita intentio in qualitate unde repugnet 10. 73. soli qualitati proprie convenit agere 7. 117. in qualitate non datur minimum naturale 9. 102. gradus intentionis distinguuntur ab invicem in qualitate 9. 6. non est physice divisibilis sine quantitate 9. 21.

QUANDO praedicamentum non dicit respectum realem; sed denominationem extrinsecam 13. 9.

QUANTITAS, non consistit ejus essentia in ratione mensurae, vel divisibilitatis 9. 3. nec in extremitate partium, ut dicit pluralitatem, & distinctionem earum 9. 5. nec in extremitate partium, ut dicit ordinem, & dispositionem earum in toto 9. 6. neque in actuali extensione locali 9. 7. neque in extensione aptitudinali ad locum 9. 8. seu in principio exigitive extensionis impenetrabilis in loco 9. 9. quae divisibilitas sit passio quantitatis 9. 10. quomodo Aristot. explicaverit essentiam quantitatis per ordinem partium in toto 9. 11. qualis sit impenetrabilis, quam asserit quantitas 9. 13. quinam effectus primarius quantitatis 9. 15. quomodo sit ratio essendi in loco circumscriptibile 9. 16. unde in corporibus proveniat impenetrabilitas 9. 17. distinguitur realiter a substantia materiali 9. 18. unica quantitas extendit substantiam materialem cum suis accidentibus 9. 22. sola quantitas facit molem in corporibus ibid. quantitas interminata non est coeva materiei 2. 173. est generabilis, & corruptibilis 2. 174. cur dicatur se tenere ex parte materiei, & qualitas ex parte formae 2. 176. est subiectum immediatum aliorum accidentium 3. 33. ex ejus potentia educuntur 3. 31. non ob id tamen dici debet per se mobilis 3. 32. nequit esse sine superficie terminante 9. 78. quanti definitio explicatur 9. 84. quantitatis indeter-

minatio duplex 9. 84. quantitas infinita, vide infinitum, quantitas est ratioemota essendi in loco 11. 58. quo pacto sit ratio fundamentalis essendi in loco circumscriptive 11. 66. qualis sit repugnancia unius quanti ad aliud in eodem loco 11. 104. quantitas in ordine ad formas artificiales est in potentia neutra 6. 46. quomodo sit suarum passionum effectiva, etiamsi proprie non sit de genere activorum 7. 117. in quantitate non datur minimum naturale 9. 102.

QUIES quomodo sumatur in definitione naturae 2. 22. motu perficitur 9. 36. tempore mensuratur negative 13. 40. incipit, & desinit extrinsece 14. 25. privative motui opponitur 15. 86.

R

RAREFACTIO est vera mutatio, & realis 9. 20. per ipsam non acquiritur nova quantitas 9. 82.

RATIO formalis quaecumque se ipsa est talis 5. 13. & est ita quo, ut non possit esse quod 5. 103.

RELATIO multiplicatur ad multiplicationem terminorum adaequatorum, non inaequatorum 2. 96. non ingreditur conceptum absoluti 2. 112. & 5. 108. quo pacto extrema sint illi intrinseca 4. 28. in quo genere causetur pendat ab extremis 3. 50. qualis, & quanta sit ejus ab extremis dependentia 3. 47. sequitur extrema, non antecedit 5. 11. non est de genere activorum 5. 12. & 7. 117. petit extrema realiter distincta 8. 22. ejus unitas numeralis pendet ex unitate numerali extremorum 8. 57. non omnis relatio requirit quid novum in fundamento, ut insurgat, sed tantum intrinsecus adveniens 11. 80. relatio distantiae, & propinquitatis est intrinsecus adveniens 12. 19. relatio quaelibet creata necessario debet esse in aliquo subiecto 7. 35. relatio triplicis generis 7. 56. relatio est inter extrema realiter distincta, quomodo intelligatur ibid. quae relationes sint veri effectus causae efficientis 7. 8. & sequent. relatio intrinsecus adveniens non habet propriam novitatem, & ideo nequit terminare motum, bene tamen extrinsecus adveniens 15. 57. relationis extensio explicatur 15. 63.

RESULTANTIA quid sit, & quotuplex 6. 7.

RESURRECTIO mortuorum quo sensu dici possit naturalis 2. 93. quomodo fiet cum eisdem corporibus 5. 145.

S

SEMEN quomodo agat in generatione viventium, ut instrumentum generantis 7. 98. non est homogeneous, sed heterogeneous ibid.

SCIENTIA quare non sit omnium una, & unde multiplicetur quael. prom. num. 4. in scientia cognitio rationis communis ad cognitionem inferiorum ordinatur ibid. num. 10. unde suam sumat necessitatem ibid. num. 34. unde unitatem num. 35. unde dicatur practica, vel speculativa num. 36. condiciones ad subalternationem scientiae requiritur num. 37.

SIDUS duplex 9. 16. situs in ordine ad centrum, & polos non habet rationem loci 11. 7. sine situ circumscriptio localis nequit intelligi, ideo circumscriptive locatum est quoque situatum 11. 71. sicut duplex est Ubi circumscriptivum, ita quoque duplex situs ibid.

SOL quando est in aequinoctio 11. 7. si creatus fuisset ab aeterno fuisset in determinata parte sui orbis 14. 13.

SPATIUM quid sit 11. 5. dupliciter sumi potest 11. 3. quomodo differat a vacuo 11. 5. & 6. non stat simul cum corporibus 11. 9. qua ratione dicatur imaginarium ibid. datur extra Coelum 11. 9. non potest proprie exercere munera loci 11. 11. non est ubicationes ipsae possibiles 11. 47. neque quid omnino factum per intellectum 11. 5. sed realis negatio corporis quatenus localis 11. 6. & 100. nequit terminare realem praesentiam 11. 76.

SPECIES infinite perfecta dari non potest 10. 25. species distincte repraesentans divinam essentiam est possibilis, quae tamen non est infinitae perfectionis 10. 31. species superior quomodo excedat inferiorem 10. 33. in speciebus non datur status 10. 34.

SPHAERA ultima non est in loco 11. 53. movetur localiter quomodo ad locare, non quoad locari 11. 57. acquirat tamen Ubi praesentiale passivum, ibid.

SUBJECTUM denominationis, & inhætionis 3. 3. subiectum accidentis duplex esse potest 27. subiectum omnium accidentium materialium est corpus de genere substantiae 3. 4. SUBSI-

Index Rerum Notabilium.

SUBSISTENTIA tripliciter sumi potest 2. 37. proprie sumpta sola convenit supposita, & primae substantiae ibid.

SUBSTANTIA spiritualis creata non est alterius substantiae productiva 7. 88. quomodo sit in loco 11. 72. vide Angelus.

SUBSTANTIA materialis ante quantitatem est divisibilis, & habet partes extra partes substantiae non sunt per quantitatem distinctae 9. 5. sine quantitate adhuc retinet praesentiam divisibilem in loco, non tamen impenetrabilem 9. 16. habet a quantitate impenetrabilitatem 9. 13. & 16. potest per miraculum quantitate expoliari 9. 18. & 23. habet a quantitate divisibilitatem physicam 9. 21. unica quantitas extendit substantiam cum suis accidentibus 9. 22. substantia materialis citra quantitatem habet suam continuitatem, & indivisibilia 9. ibid. sine quantitate adhuc esset in loco 9. 24. expoliata quantitate non fuisset in punctum 9. 25. praesentia ejus in loco distincta est a praesentia quantitatis 9. ibid. sine quantitate remanet in eodem situ, & loco, quem prius habebat cum quantitate, licet non eodem modo 9. 27. naturaliter non potest separari a quocumque accidente, supernaturaliter potest a quocumque absoluto, licet non a quocumque respectivo 3. 40. quo sensu substantia dicatur prior natura accidente 3. 45. substantia materialis est immediate alterius productivae 7. 90. immediate efficit aliqua accidentia 7. 107. quoniam sint hujusmodi accidentia 7. 108. non solum immanenter, sed etiam actionem transeuntis 7. 110. quomodo in seipsa accidentia conservet 7. 113. nullum accidentis gradum sibi determinat, quem nequit corrumpere accidens contrarium 7. 116.

SUCCESSIO in motu unde proveniat 12. 21. alia essentialis, alia accidentalis ibid. quid proprie sit, & quot requirit 15. 40. successiones origo est residua media ad motorem, & mobile 15. 41. non dicit formaliter quantitatem 15. 42. nec simplicem negationem simultatis partium 15. 43. sed relationem ordinis partium prioris, & posterioris ibid. successio soli motui totam realitatem includenti est essentialis 15. 47. successio in motu vel ex divisibilitate mobilis, vel spatii provenire potest 15. 88. successio, & instantaneitas quando accidunt formae, & quando non 15. 46.

SUPERFICIES sola corporis continentis est vere & proprie locus 11. 13. quo pacto variata superficie ambiente res dicatur manere in eodem loco 11. 15. quomodo conservet locatum 11. 19. est continens, & ratio continendi locatum 11. 24. superficiei omnia attributa conveniunt 11. 30. quo pacto sit etiam locus substantiae spiritualis 11. 59.

T

TEMPUS varie accipitur 13. 29. proprie accipitur pro duratione rei successiva per partes continuo fluentis ibidem, tempus duplex, intrinsecum, & extrinsecum ibid. & hoc est duplex reale, & imaginarium ibid. datur tempus intrinsecum, & quoddam sit 13. 30. non existit per existentiam instantium ibid. sed per existentiam successivam suarum partium 13. 31. non generatur, neque corrumpitur 13. 32. tempus intrinsecum potest dupliciter sumi 13. 34. explicatur in utroque sensu 13. 35. non distinguitur realiter a motu ibid. passio ipsius motus quodammodo dicitur 13. 36. intrinsecum tempus est quid reale existens independenter ab anima ibid. multiplicatur ad multiplicationem motuum ibid. tempus discretum non datur, ut specie a continuo distincta ibid. quomodo sit idem nunc in tempore 13. 40. tempore mensurari non est tantum temporis coexistere 13. 43.

TEMPUS extrinsecum est mensura motus quoad cognoscendam ejus durationem 13. 43. tale tempus proprie est motus primi Coeli 13. 44. est unum numero omnium tempus in hoc sensu ibidem, quo pacto tempus in hoc sensu sit ens reale, & quomodo non 13. 45. quomodo distinguatur a subiecto, in quo est, & a suo mensuratore 13. 48. soli temporis reali, vel imaginario ratio mensurae convenire potest, non alicui durationi permanenti 13. 47. omnia successiva, tam materialia, quam spiritualia tempore mensurantur 13. 48. etiam motus ipsius primi Coeli ibid. etiam motus spirituales Angelorum 13. 49. quin etiam motuum privatione 13. 50. potest etiam esse mensura rerum permanentium, ut habent existentiam virtualiter divisibilem 13. 50. explicatur definitio temporis 13. 51.

TERMINUS a quo, & ad quem in generatione sunt forma, & privatio 1. 17. quo pacto terminus a quo sit generationi intrinsecus 4. 28. terminus motus, debet esse realis 11. 39. quinam termini motus sint incompossibiles 11. 120. terminus lationis in vacuo qualis esset 12. 20.

TERMINUS magnitudinis, & parvitas duplex 9. 98. inanimata nullum habent terminum magnitudinis, & parvitas 9. 100. nec in generatione, nec in conferyatione 9. 105. quod sensu dici possint habere terminos extrinsecos magnitudinis, & parvitas 7. 106.

TOTUM substantiale dependet essentialiter a suis partibus 5. 135. totum multiplex 5. 150. essentialiter distinguitur a suis partibus virtutis ratione, & plusquamratione 5. 152. immo, & realiter ut res 5. 154. & haec distinctio est realis, & mutua 5. 162. num etiam distinguitur essentialiter 5. 164. totum sumi potest categorematice, & syncategorematice 2. 3. & 5. 63. & 169. totum integrale a partibus unitis non distinguitur 5. 176. nec etiam totum per accidens 5. 182. quid requiratur ad unitatem totius essentialis, & integralis 9. 85. includit, ut partes quidditatis, materiam, & formam 5. 138. non tamen unionem 5. 146. est tamen conditio simpliciter necessaria ad ejus constitutionem, & conservationem ibid. vide Compositum.

TRANSUBSTANTIATIO quid sit 11. 141. magis denominatur a termino a quo, ibid.

V

VACUUM quid sit 12. 1. ejus definitio explicatur ibid. solum corpus quantum replet vacuum ibid. non datur in rerum natura 12. 2. ratio, cur natura vacuum abhorreat, non est assignabilis a priori, sed tantum a posteriori 12. 3. dari potest vacuum naturaliter, si universum sed secundum naturae vires spectetur, non vero ut subest divinae determinationi 12. 7. dari potest supernaturaliter 12. 8. quo sensu miraculosa foret vacui existentia 12. 9. quot modis natura conetur vacuum devitare 12. 21. a quo moveantur corpora ad replendum vacuum 12. 14. motus ad replendum vacuum respectu corporis particularis est violentus, respectu universi est particularis 12. 15. motus in vacuo fieri potest 12. 17. etiam localis 12. 18. quid dicendum de motu gravium, & levium, & progressivo animalium ibidem, talis motus in vacuo factus non esset proprie localis, sed lationis 12. 20. terminus ejus foret Ubi praesentiale, non locale ibid. foret successivus 12. 21. quae proportio sit vacui ad plenum 12. 23. unde proveniret successio motus 12. 24.

UBI vel ubicatio est modus ex natura rei superadditus rei locatae, & loco 11. 39. est terminus motu locali ibid. est caeteris formis accidentaliter 11. 40. est locato ratio formalis essendi in loco 11. 42. ubi duplex, activum, & passivum ibid. & 48. passivum productur in re locata per motum ibid. & hoc non est forma absoluta, sed mere respectiva, per se, & directe respiciens superficiem corporis continentis, non autem spatium imaginarium 11. 45. & 47. Ubi duplex, locale, & praesentiale 15. 51. & hoc est per se terminus motus lationis ibid. & 57. est modus, & non res 11. 46. ne dum Ubi passivum, sed etiam activum potest terminare motum localem 11. 57. Ubi circumscriptivum est ratio formalis essendi in loco circumscriptive 11. 67. an hoc in corpore sit unicum, vel multiplicari debeat per multiplicatam partium, & accidentium 11. 67. & 68. Ubi circumscriptivum non datur sine situ 11. 71. divisibilitas Ubi provenit ex divisibilitate absoluti 14. 62. non tamen successio 15. 63. omnia Ubi sunt ejusdem speciei essentialis, & solum accidentaliter differunt 15. 79. Ubi definitivum, quo Angelus constituitur in loco, non est unum, & indivisibile ad totum locum, & partes ejus, sed multiplex 11. 81.

VELOX & tardum quid dicantur in motu 15. 71.

VIOLENTUM duplex privativum, & positivum 6. 3. quid sit utrumque ibid. violentum in naturalibus idem est, quod involuntarium in cognoscendis 6. 6. violentia datur in rebus etiam contra principium activum ibidem, ac etiam respectu agentis supernaturalis 6. 14. attenditur principaliter contra passivum 6. 7. violenti definitio explicatur 6. 43.


VISIO beata non est intrinsece infinita in essentia 10. 30.

VITA-

Index Rerum Notabilium.

VITALITAS debet esse a principio vitali, & vivo 7. 126.
 VIVENS præter animam habet corporeitatis formam 2. 67. ex sua natura terminos habet magnitudinis, & parvitatis intrinsecos 9. 108. non tamen in ordine ad potentiam Dei absolutam homine excepto 9. 100. discrimen augmenti viventium, & non viventium 9. 111.
 UNIO cur non sit principium distinctum in fieri a materia, forma & privatione 1. 20. cur neque principium distinctum in facto esse 5. 5. est diversus respectus ab educatione 2. 154. non consistit in unione causalitatis materiæ erga formam 5. 35. unio est causalitas materiæ, & formæ erga compositum 5. 34. unio materiæ, & formæ, quo sensu substantialis dicatur 5. 47. est conditio sine qua non in causis intrinsecis 5. 52. unio partium materiæ est necessaria dispositio pro ejus informatione 5. 74. & 75. aliquid superaddit partibus instantibus 5. 100. mediat inter extrema, ut ratio vivendi 5. 103. non est modus absolutus substantialis, vel essentialiter relativus, sed mera relatio extrinsecus adveniens de prædicamento actionis, vel passionis, aut habitus 5. 106. & 109. quo sensu dicatur substantialis 5. 107. probabilis ponitur in prædicamento habitus 5. 109. quomodo distinguatur ab extremis 5. 109. est duplex unio inter materiam, & formam 5. 114. si effectiva, potius in forma poni deberet, quam in materia

5. 120. diversa est unio essentialis ab integrali 5. 122. est medium formale, & relativum, non materiale, & absolutum ibid. differt ab unitate 5. 123. non est una unio in anima rationali ad corpus, sed tot quot illius partes proportionales 5. 125. & 11. 82. unio per se tres habet conditiones 5. 129. non est de essentia compositi, sed conditio necessaria 5. 146. unio excludit separationem, non distinctionem 9. 54. unio duplex, informationis, & continuationis 9. 74.
 UNITAS scientiæ unde sumatur quæst. præcæm. 35. unitas specifica, alia completa alia incompleta 2. 59. numerica triplex ibid. unum numero dupliciter 4. 12. unitatis plures gradus 5. 5. & 127. cur ex materia, & forma fiat per se unum 5. 129. tres requiruntur conditiones, ut aliqua constituent ens per se unum, ibid. non requiritur ad hoc similitudo in natura inter constituentia, sed sola proportio 5. 130. diversa est unitas essentialis ab integrali 5. 130. unum, & unum non sunt idem 5. 147. unitas, & unio quomodo distinguantur 5. 167. aliud est unitas, aliud identitas 9. 54. unitas triplex 15. 73.
 VOLUNTAS in eodem instanti, quo operatur, est libera 8. 30. nequit velle malum sub ratione mali 7. 169. potest efficere suo modo ens rationis 7. 172.
 VOLUNTARIUM, & involuntarium quid 6. 6.



INDEX DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM

In hoc Opere contentorum.

Quæstio Proæmialis ad universam Philosophiam naturalem.

De adequato Philosophiæ naturalis objecto.

- Artic. 1. AN quo resolvitur quæstio de objecto materiali Philosophiæ peripateticæ. 2
- Artic. 2. In quo resolvitur quæstio de objecto materiali Philosophiæ in se. 5
- Artic. 3. In quo resolvitur quæstio de objecto formali Philosophiæ. 7

Quæstio Proæmialis ad octo Libros Physicorum: Quodnam sit objectum horum Librorum.

DISPUTATIO PRIMA.

De principiis rerum naturalium in fieri.

- Quæst. 1. AN principia recte definiantur ab Aristotele, & quomodo illa definitio eis conveniat. 28
- Quæst. 2. Quænam principia hic definiantur. 30
- Quæst. 3. Quot sint hujusmodi principia. 32
- Quæst. 4. Quænam sit ratio principiandi singulorum. 34
- Quæst. 5. An principia rerum naturalium sint contraria, & quomodo. 35

DISPUTATIO II.

De principio materiali, & formali mutationis substantialis.

- Quæst. 1. AN sint, & quid sint materia, & forma substantialis. 38
- Artic. 1. Ostenditur existentia utriusque principii in rerum natura. ibid.
- Artic. 2. Explicatur natura, & quidditas materiæ primæ, ubi de actu ejus entitativo. 42
- Artic. 3. De quidditate, & essentia Formæ. 44
- Quæst. 2. Num tam materia, quam forma per se habeant propriam existentiam, & subsistentiam partialem. 45
- Artic. 1. Ostenditur tam materiam, quam formam propriam existentiam partialem possidere. ibid.
- Artic. 2. Ostenditur, quomodo materia, & forma propriam habeant subsistentiam partialem. 47
- Quæst. 3. Num materia, & forma naturaliter, vel saltem supernaturaliter possint separari, & separata conservari, & quo pacto id fieret. 48
- Artic. 1. Insinuat ratio, cur materia, & forma nequeant naturaliter separata existere. 49
- Artic. 2. Ostenditur, materiam, & formam posse supernaturaliter separari, & separata conservari. 50
- Artic. 3. Quo pacto materia, & forma conservarentur a Deo ab invicem separatæ. 51
- Quæst. 4. An sit una omnium rerum materia, & una communis forma corporeitatis pro omnibus, vel saltem in quibusdam corporibus præter distinctas formas específicas. 54
- Artic. 1. Declaratur unitas materiæ corporalium substantialium, & etiam spiritualium, si in ipsis darentur. 54
- Artic. 2. Ostenditur, in quibus necessaria sit corporeitatis forma, præter peculiare formas específicas. 56
- Quæst. 5. De potentia materiæ erga formas. 59

- Artic. 1. An potentia materiæ ad formas sit naturalis, vel neutra. 60
- Artic. 2. An potentia naturalis materiæ extendatur ad omnes prorsus formas etiam corruptas. 61
- Artic. 3. An potentia materiæ sit una ad omnes formas, vel potius multiplex. 62
- Artic. 4. An potentia receptiva formarum distinguatur a sustentativa earundem, & num receptiva substantialium distinguatur a receptiva accidentalium. 63
- Artic. 5. An potentia sit de essentia materiæ, vel saltem ejus proprietas, vel potius accidens superadditum. 65
- Quæst. 6. De appetitu materiæ erga formas. 69
- Artic. 1. An appetitus materiæ sit solum ad formam in communi, vel potius ad singulas in particulari. ibid.
- Artic. 2. An materia æqualiter appetat omnes formas in particulari, vel nobiliores magis, & dum est sub nobiliori, an minus nobilem appetat. 70
- Quæst. 7. Quomodo formæ substantiales fiant ex materia, & an omnes ex ejus potentia sint educæ. 72
- Artic. 1. Ostenditur, formas non fieri in materia per inchoationes actuales præcedentes, nec sola virtute intelligentiæ cujusdam separatæ in eam induci. ibid.
- Artic. 2. Ostenditur, formas materiales fieri per educationem ex potentia materiæ, & quid sit educatio declaratur. 73
- Artic. 3. Ostenditur, formas omnes materiales educatas esse de potentia materiæ etiam formæ Colorum, & elementorum. 75
- Quæst. 8. De cæteris proprietatibus, & attributis materiæ, & formæ. 77
- Artic. 1. An materia sit per se cognoscibilis sine ordine ad formam. ibid.
- Artic. 2. An materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis. 78
- Artic. 3. An materia sit causa corruptionis, vel potius forma. 79
- Artic. 4. An quantitas saltem interminata sit materiæ proprietas. 80
- Artic. 5. An materiæ ita sit proprium pati, ut nullo modo sit activa, & formæ ita agere, ut nullo modo sit passiva. 81

DISPUTATIO III.

De principio materiali, & formali mutationis accidentalis.

- Quæst. 1. Quidnam sit proprium, & adequatum subjectum accidentium, ut inde cognoscamus proprium, & adequatum subjectum motus. 82
- Quæst. 2. An potentia substantiæ corporeæ ad formas accidentales sit de ejus essentia, vel passio, an potius accidens ei realiter superadditum. 85
- Quæst. 3. An corpori omnia accidentia proxime inhereant, vel quædam non nisi mediis aliis. 87
- Artic. 1. Ostenditur unum accidens posse esse subjectum alterius, quo mediante inhit substantiæ. ibidem.
- Artic. 2. Quantitatem esse subjectum immediatum aliorum accidentium, per quod substantiæ inhereant, demonstratur. 89
- Quæst. 4. An substantia possit a quolibet accidente communi separari, & e contra; & quid necessesse foret, ut ita separata conservaretur. 90

Index Disputationum, Quæstionum, & Articulorum.

- Artic. 1. Ostenditur a quo accidente substantia queat, & nequeat separari. 91
 Artic. 2. Quomodo accidens separatim conservaretur. 94
 Quæst. 5. An omnes formæ accidentales educantur de potentia subjecti. 97
 Artic. 1. Resolutio quæstionis de formis naturalibus, & artificialibus. ibid.
 Artic. 2. Resolutio quæstionis de formis supernaturalibus. 98

DISPUTATIO IV.

De Privatione.

- Quæst. 1. **D**E natura privationis. 100
 Artic. 1. Ostenditur, privationem dari a parte rei. ibid.
 Artic. 2. Formalitas privationis declaratur. 101
 Artic. 3. Realis distinctio privationis a subiecto declaratur. 102
 Quæst. 2. De oppositione privationis cum forma. 103
 Quæst. 3. Quo sensu privatio dicatur principium generationis. 105
 Quæst. 4. Quando privatio mutationem principiare dicatur. 107

DISPUTATIO V.

De Principiis intrinsecis in facto esse.

- Quæst. 1. **Q**uænam sint principia in facto esse corporis naturalis in communi, & duarum specierum ejus cælestis, & sublunaris. 109
 Quæst. 2. Ubinam principia in facto esse habeant rationem causæ; occasione cujus declaratur, quid sit causa in communi, & quid causalitas ejus. 110
 Quæst. 3. Quid causent materia, & formæ, & per quid. 114
 Artic. 1. Recensentur effectus causæ materialis. ibid.
 Artic. 2. Recensentur effectus causæ formalis. 115
 Artic. 3. Declaratur ratio proxima, & immediata causandi materialis, & formalis causæ. 117
 Quæst. 4. De causalitatibus materiæ, & formæ, & conditionibus causandi. ibid.
 Artic. 1. Declarantur causalitates materiæ, & formæ in ordine ad se invicem. 118
 Artic. 2. Explicantur causalitates materiæ, & formæ erga compositum. 119
 Artic. 3. Explicantur conditiones utriusque causæ; tam in ordine ad se invicem, quam ad compositum. 121
 Quæst. 5. An Deus supplere possit causalitatem materialem, & in quo genere causæ. 122
 Quæst. 6. An possit eadem materia simul informari pluribus formis substantialibus. 123
 Artic. 1. Resolutio quæstionis de formis subordinatis. 124
 Artic. 2. Resolutio quæstionis de formis disparatis. 125
 Quæst. 7. An una, & eadem forma substantialis possit informare simul plures materias. 128
 Artic. 1. Resolutio quæstionis quoad potentiam naturalem. ibid.
 Artic. 2. Resolutio quæstionis quoad potentiam supernaturalem. ibid.
 Quæst. 8. An materia, & forma substantialis immediate uniantur, an vero mediate. 131
 Artic. 1. Ostenditur, formam non uniri materiæ medio accidente absoluto. ibid.
 Artic. 2. Unionem aliquid superaddere partibus indistantibus, quo invicem neantur, demonstratur. 134
 Quæst. 9. Quid sit unio substantialis, & quomodo a partibus distincta. 135
 Quæst. 10. An sufficiat unica unio inter materiam, & formam ad constituendum compositum. 138
 Quæst. 11. An materia, & forma unitæ constituent ens per se unum, in quo maneat secundum proprias entitates. 141
 Artic. 1. Ex materia, & forma fieri per se unum ostenditur, & quare. 142
 Artic. 2. Ostenditur materiam, & formam manere in composito secundum proprias entitates. 143

- Quæst. 12. An compositum physicum materiam, formam, & unionem includat in sua essentia, & quidditate. 144
 Artic. 1. Ostenditur, materiam esse in partem quidditatis compositi. 145
 Artic. 2. Unionem non esse de essentia compositi demonstratur. 146
 Quæst. 13. An compositum consistat in partibus unitis, vel potius sit quid realiter diversum ab ipsis. 148
 Artic. 1. Resolutio quæstionis de toto essentiali. ibid.
 Artic. 2. Resolutio quæstionis de toto integrali, & per accidens. 155

DISPUTATIO VI.

De Natura.

- Quæst. 1. **A**N natura recte ab Arist. definiatur. 158
 Artic. 1. Explicatur, quomodo principium sumatur in definitione naturæ. ibid.
 Artic. 2. Declarantur reliquæ particulæ definitionis naturæ. 162
 Quæst. 2. Quibus rebus, & quomodo conveniat definitio naturæ. 163
 Artic. 1. Ostenditur quomodo definitio naturæ quidditatis, & formæ totius conveniat etiam secundum Aristot. 164
 Artic. 2. Ostenditur definitionem naturæ, materiæ, & cuicumque formæ univoce analogice convenire. 166
 Quæst. 3. An detur motus indifferens inter naturalem, & violentum, seu an detur potentia neutra. 167
 Quæst. 4. Quomodo natura differat ab arte. 169

DISPUTATIO VII.

De Causis extrinsecis, efficienti, & finali.

- Quæst. 1. **Q**uid, & quotplex sit causa efficiens. 171
 Quæst. 2. Quomodo sint effectus efficientis causæ, ut producentis, & transmutantis. 172
 Quæst. 3. Quomodo sit causalitas agentis in ratione producentis, & transmutantis, ubi de actione, & passione. 174
 Artic. 1. Quid formaliter sint actio, & passio, declaratur. ibid.
 Artic. 2. Assignantur actionis, & passionis subjecta. 177
 Artic. 3. Explicatur causalitas agentis, ut producentis, & transmutantis, ac etiam conservantis. 180
 Quæst. 4. De conditionibus causæ effectivæ. 182
 Artic. 1. Ostenditur necessitas existentis ad causandum. ibid.
 Artic. 2. Idem posse agere in seipsum declaratur. 183
 Artic. 3. Ostenditur agens creatum, & sublunare posse agere immediate in distans. 184
 Quæst. 5. De causa instrumentali. 187
 Quæst. 6. Quibus conveniat ratio efficientis causæ. 189
 Artic. 1. An tam secunda, quam prima causa actu efficientes dicantur. 190
 Artic. 2. An substantia creata sit immediate activa alterius substantiæ. 192
 Artic. 3. An substantia sit immediate activa accidentum. 196
 Artic. 4. Quomodo accidentibus activitas conveniat, explicatur. 199
 Artic. 5. An causæ secundæ vim habeant producendi effectus supra naturam, ubi de potentia obedientiali. 200
 Quæst. 7. De causa ideali, seu exemplari. 205
 Artic. 1. Ostenditur ideam esse proprie conceptum objectivum. 206
 Artic. 2. Resolvitur quæstio quoad causalitatem ideæ. 208
 Quæst. 8. De causa finali. 209
 Artic. 1. An quilibet finis dicatur causa. ibid.
 Artic. 2. An bonitas sit ratio constitutiva finis in esse finis. 210
 Artic. 3. Explicatur causalitas finis. 213

Artic. 4.

Index Disputationum, Quæstionum, & Articulorum.

- Artic. 4. An finis moveat secundum esse reale, vel cognitum. 214
 Artic. 5. An finis sit vera causa realis. 216
 Artic. 6. Quomodo agentia propter finem dicantur agere. 217
 Artic. 7. Enumerantur effectus finalis causæ. 219
 Quæst. 9. De causis per accidens. ibid.
 Artic. 1. De casu, & fortuna. ibid.
 Artic. 2. An mostra intendatur a natura. 221
 Artic. 3. De fato. 222

DISPUTATIO VIII.

De Collatione Causarum inter se cum suis effectibus, & contra.

- Quæst. 1. **U**bi conferuntur ad invicem quatuor causarum genera, & causa prima cum secunda. 223
 Artic. 1. Quatuor causarum genera ad invicem varie conferuntur. ibid.
 Artic. 2. Conferuntur prima causa cum secundis, præsertim in sententia Aristotelis. 225
 Quæst. 2. Ubi causæ comparantur cum suis effectibus. 227
 Artic. 1. Conferuntur causæ cum suis effectibus quoad distinctionem. ibid.
 Artic. 2. Conferuntur causæ cum suis effectibus quoad prioritatem, & perfectionem. 229
 Artic. 3. Conferuntur causæ cum effectibus quoad determinationem eorum tam in specie, quam in individuo. 231
 Quæst. 3. Ubi comparantur effectus cum suis causis. 233
 Artic. 1. An idem numero effectus possit produci a pluribus causis totalibus ejusdem generis, & ordinis divisim. ibid.
 Artic. 2. An idem numero effectus possit produci a pluribus causis totalibus ejusdem generis, & ordinis conjunctim. 236

DISPUTATIO IX.

De Continuo.

- Quæst. 1. **I**n quo consistat ratio quantitatis continuæ, & an a substantia corporea, aliisque ejus accidentibus distingatur. 241
 Artic. 1. Explicatur essentia quantitatis continuæ. ibid.
 Artic. 2. Ostenditur distinctio realis quantitatis a substantia corporea, & cæteris ejus accidentibus. 246
 Quæst. 2. An continuum ex solis indivisibilibus, vel solis divisibilibus, vel ex utroque simul constituatur. 249
 Artic. 1. Physice, & Mathematicè ostenditur repugnare compositionem continui ex indivisibilibus. ibid.
 Artic. 2. Ostenditur implicare compositionem continui ex solis partibus divisibilibus. 251
 Artic. 3. Astruitur compositio continui ex partibus, & indivisibilibus. 254
 Artic. 4. Solvuntur rationes Zenonitarum pro compositione continui ex solis indivisibilibus. 257
 Artic. 5. Diluuntur rationes Nominalium pro compositione continui ex solis divisibilibus. 259
 Artic. 6. Enodantur difficultates contra existentiam actualem, & multitudinem assignatam partium in continuo. 263
 Quæst. 3. An quodlibet continuum terminos habeat suæ magnitudinis, & parvitas. 266
 Artic. 1. Deciditur quæstio quoad continua inanimata. 267
 Artic. 2. Ostenditur, quomodo termini viventibus competant. 268

DISPUTATIO X.

De Infinito.

- Quæst. 1. **D**E natura infiniti, & ejus affectionibus. 270
 Artic. 1. Quid sit infinitum categorematicum, & syncategorematicum. ibid.

- Artic. 2. De affectionibus, & attributis infiniti. 272
 Quæst. 2. An creari possit infinitum in essentia categorematicum, vel saltem syncategorematicum. 275
 Artic. 1. Resolvitur quæstio quoad infinitum categorematicum. ibid.
 Artic. 2. Resolvitur quæstio quoad infinitum syncategorematicum. 277
 Quæst. 3. An possit dari infinitum: categorematicum in multitudine, vel saltem syncategorematicum. 280
 Quæst. 4. An dari possit infinitum in magnitudine categorematicum, vel saltem syncategorematicum. 282
 Quæst. 5. An possit dari infinitum in intensione categorematicum, vel saltem syncategorematicum. 286
 Artic. 1. Non posse dari in qualitate infinitum categorematicum. ibid.
 Artic. 2. Posse dari in qualitatibus infinitum syncategorematicum. 288
 Quæst. 6. An saltem in mente Dei admittendum sit infinitum in actu, & categorematicum. 290

DISPUTATIO XI.

De Loco.

- Quæst. 1. **Q**uid sit illud, quod dici solet locus, & cui conveniant munera loci. 293
 Artic. 1. Nec spatium, nec situs, quem habent corpora in universo, possunt habere rationem loci. 294
 Artic. 2. Ostenditur solum superficiem corporis continens esse vere, & proprie locum. 296
 Quæst. 2. De loci definitione, & attributis ejus. 297
 Artic. 1. Loci definitio ab Aristotele tradita explicatur. ibid.
 Artic. 2. Attributa loci convenire superficiem demonstratur. 299
 Quæst. 3. An præter locum extrinsecum debeat admitti Ubi in re locata, & quid sit. 302
 Artic. 1. Ostenditur, Ubi esse modum ex natura rei superadditum rei locatæ, & loco. ibid.
 Artic. 2. Qualis forma sit Ubi, declaratur. 303
 Quæst. 4. Quibus rebus esse in loco competat, & an omnibus univoce conveniat. 305
 Artic. 1. Corpora omnia esse in loco, excepta ultima sphaera, demonstratur. ibid.
 Artic. 2. Omnes substantias spirituales esse in loco, solo Deo excepto, probatur. 307
 Quæst. 5. De peculiari modo essendi in loco rerum corporalium, & spiritualium. 308
 Artic. 1. Explicatur modus essendi in loco rerum corporearum. ibid.
 Artic. 2. Explicatur modus essendi in loco rerum spiritualium. 309
 Quæst. 6. An Deus sit in spatiis quoque imaginariis extra Cælum. 313
 Quæst. 7. An plura entia sive corporea, sive incorporea possint esse in eodem loco. 315
 Quæst. 8. An eadem res sive corporea, sive incorporea possit simul esse in pluribus locis. 318
 Quæst. 9. Qua actione poneretur res eadem in pluribus locis, & num in omnibus easdem formas haberet, & affectiones. 323

DISPUTATIO XII.

De Vacuo.

- Quæst. 1. **A**N detur, vel possit dari vacuum in natura. 328
 Quæst. 2. A quo moveantur corpora ad replendum vacuum, & an talis motus sit naturalis. 330
 Quæst. 3. De motu in vacuo. 332
 Artic. 1. Possibilitas motus in vacuo comprobatur. ibid.
 Artic. 2. Successio motus in vacuo demonstratur. 333

DISPU-

Index Disputationum, Quaestionum, & Articulorum.

DISPUTATIO XIII.

De Duratione rerum.

- Quaest. 1. Quid formaliter dicat duratio. 335
 Quaest. 2. Explicatur prima durationis species, quae est aeternitas. 337
 Quaest. 3. Declaratur secunda durationis species, quae est aevum. 338
 Artic. 1. Ostenditur differentia aevi ab aeternitate. 339
 Artic. 2. Explicatur aevi differentia a caeteris durationibus. 340
 Quaest. 4. Explanatur tertia Durationis species, quae est tempus. 341
 Artic. 1. De tempore intrinseco. ibid.
 Artic. 2. De tempore extrinseco. 344

DISPUTATIO XIV.


De Inceptione, & desitione Creaturarum.

- Quaest. 1. AN implicet, dari creaturam aliquam sine principio, & sine. 347
 Artic. 1. Deciditur quaestio quoad entia permanentia. ibid.
 Artic. 2. Deciditur quaestio quoad entia successiva. 350
 Quaest. 2. De temporali inceptione, & desitione creaturarum. 352
 Artic. 1. Qui, & quot sint modi incipiendi, & desinendi rerum creaturarum. ibid.
 Artic. 2. De inceptione, & desitione successiva. ibid.
 Artic. 3. De inceptione, & desitione permanentium rerum, & divisibilium. 354
 Artic. 4. De inceptione, & desitione rerum indivisibilium. ibid.

DISPUTATIO XV.

De Motu.

- Quaest. 1. IN quo consistat formalitas Motus. 357
 Quaest. 2. An in motu terminus a quo debeat tempore praecedere terminum ad quem, an vero natura. 361
 Quaest. 3. Explicatur distinctio motus a subjecto; & termino, actione, & passione. 362
 Quaest. 4. An motus recte definiatur ab Aristotele. 363
 Quaest. 5. Quibus motibus allata definitio conveniat. 365
 Quaest. 6. De speciebus motus. 369
 Artic. 1. Explicatur divisio motus in instantaneum, & successivum. ibid.
 Artic. 2. Quae motus divisio sit essentialis; & quae accidentalis, declaratur. 368
 Artic. 3. Per quid motus proprie dicitur a mutatione stricto sumpta distinguatur. 369
 Artic. 4. Ad quae praedicamenta sit motus, 370
 Artic. 5. An quilibet horum motuum possit fieri in instanti. 372
 Artic. 6. De speciebus accidentalibus motus. 374
 Quaest. 7. De proprietatibus Motus. ibid.
 Artic. 1. Ostenditur, a quo unitas motus generica, & specifica sumatur. ibid.
 Artic. 2. Explicatur, unde unitas numerica, & contrarietas motus desumantur. 376
 Quaest. 8. De causis Motus. 377
 Artic. 1. An indivisibile possit moveri, seu esse causa subjectiva Motus. ibid.
 Artic. 2. Utrum idem possit movere seipsum an necesse sit ab alio moveri. 379
 Artic. 3. An sufficienter per motum ostendatur existentia primi Motoris. 380



DISPUTATIONES
 IN ARISTOTELIS PHYSICAM,
 Quibus ab Adversantibus Veterum, &
 Recentiorum jaculis
 SCOTI PHILOSOPHIA
 VINDICATUR.

QUAESTIO PROOEMIALIS
 Ad universam Philosophiam Naturalem.

De adequato Philosophiae naturalis objecto.



NATURALIS Philosophia, quam modo explicandam suscipimus, est membrum Philosophiae ut sic, quam in ipso Logicae vestibulo cum D. August. lib. 8. de Civit. Dei cap. 4. divisimus in Naturalem, Moralem, & Rationalem; ejus autem naturam contemplaturi, merito ab illius objecto exordimur; cum enim sit habitus qui-

estum Philos. naturalis, ponentes, id esse corpus naturale, aut mobile, ut commune quoddam est ad corpora caduca, & aeterna, & est omnium receptissima opinio, totque habet affectus, ut eos enumerare pigeat. At alii ex Thomist. schola, ut refert Manca quaest. proem. phys. dub. 4. videntes mobilitatem, in ordine ad quam philosophia naturalis constituitur, & a Metaph. fecerunt, non solum composito substantiali, sed etiam partibus ejus, & praesertim materiae primae convenire (ipsa enim est subjectum cujuscumque transmutationis substantialis) ampliaverunt adhuc Philosophiae objectum, ponentes, id esse substantiam materialem, & corpoream, seu ens mobile substantiale ut complectitur composita, eorumque partes. Imo Aversa quaest. 2. de objecto Philosophiae sect. 2. constituens etiam in accidentibus intrinsecum principium mutabilitatis, si physica sit scientia distincta a Metaph. statuit objectum ejus adequatum ens mobile materiale in tota latitudine, ut etiam accidentia complectitur. At ex alio c. objectum philosophiae Cajet. tract. de subjecto naturalis philosophiae dilatat; cum enim nedum compositum substantiale, verum etiam accidentale sit mobile (ait ipse) si non subjective, terminative saltem, debet objectum philosophiae ita ampliari, ut utrumque directe, & per se comprehendat, poteritque vocari ens mobile. Rursus alii considerantes, mobilitatem entia materialia transcendere, & substantiis spiritualibus etiam re vera convenire, dixerunt non sufficere substantiam materialem pro objecto adequato naturalis philosophiae, neque ens mobile, ut composita materialia complectitur, sive substantialia, sive accidentalia, sed poni debere substantiam finitam directe complectentem tam Angelos; quam substantias corporeas, ita Scotistae omnes antiquiores, Ant. And. de tribus principiis p. 1. Canonici 1. phys. qu. 1. Tromb. 6. quaest. 1. & Regentes Parisienses quaest. 4. proem. physicae; Imo Tatar. quaest. praebula physicae, & Nicol. Bonet. 1. phys. cap. 1. statuunt pro objecto Philosophiae ens finitum directe complectens tam accidentia, quam substantias, eo quia nedum substantiae, sed accidentia etiam sunt essentialiter mutabilia, & habent principium radicale talis passionis. Hi tamen Scotistae omnes, dum philosophiae subjectum ita dilatant, proferantur, se loqui de objecto philosophiae secundum se, & in tota sua latitudine, non autem prout conscripta fuit ab Arist. in quo Recentiores Scotistae ab antiquis discrepant, quia corpus naturale statuant objectum philosophiae absolute absque ulla limitatione, ac declaratione, ita Faber. Theor. 20. Roccus in phys. proem. quaest. un. differunt. 1. Sghemma 1. phys. digress. 1. quaest. 7. & alii passim.

dam intellectus, habitus autem, & actus ab objectis specificentur, ad hoc negotium objecti inquisitio valde conferet, & nomine objecti hic non intelligimus quidquid in scientia quomodocumque consideratur, sed quod habet conditiones ab Aristotel. insinuat. 1. Post. text. 25. ut scilicet sit id, cujus principia, partes, & passiones in scientia inquiruntur, & a Scoto magis explicatas quaest. 3. Universalium, quod nimirum in scientia de eo praesupponatur quid est, & quod est; quod per ejus quod quid est affectiones de ipso demonstratur in ea scientia: & quod tandem omnia in scientia considerata ad ipsum habeant attributionem adequate, in ejus gratiam considerentur, & ad ipsum aliquo modo reducuntur, aut veluti partes subjectivae, aut veluti partes ad integritatem, & naturam spectantes, aut veluti passiones ejus, aut veluti principia, & partes partium subjectivarum ejus, aut veluti alia consimili ratione; quae objecti scientiae conditiones in Logica fute explicatae sunt disputat. 12. quaest. 2. atque ideo ibi relegenda. Et quia objectum adequatum scientiae, ut ibidem dicebamus, parte materiali, & formali constat, re scilicet considerata, & modo considerandi, de utraque parte erit hic nobis differendum. Demum quia quaestio haec moveri potest tam de Philos. in se, prout adequate institui potest secundum totam suam latitudinem, quam de Philos. prout est ab Aristotel. tradita, qui non omnia entia mobilia agnovit, cum tamen Physicam a Metaphys. separaverit per ordinem ad motum, unde substantias separatas posuit penitus immobiles, & immutabiles, ac proinde 12. Met. agit de substantiis separatis sub titulo de substantia immobili, & pariter omnes putavit esse necessarias in essendo, ut notat Scot. Quol. 15. C. hunc se junctim de objecto philosophiae hoc, vel illo modo considerata differemus, quod eo vel maxime nobis praestandum est, quia licet Aristotel. Philosophiam sumperimus, & commentariis illustrandam, & disputationibus enucleandam, tamen quia eam conscribere philosophiam intendimus, quae nostrae Theolog. famulari possit, & debeat, cum Philosophus in multis erraverit, variaeque principii fidei nostrae repugnantia asseruerit, ideo postquam sensum Philosophi breviter explicaverimus, si principii fidei non erit consentaneus, limites Aristotelicae Philosophiae egrediemur, & philosophiam secundum se trademus, ipsi naturae lumini, ac naturali rationi, quantum fieri potest, innixi, quae apud nos semper, & ubique magis valebit, quam nuda Aristotelis auctoritas.

2 De objecto igitur naturalis philosophiae quamplures extant opiniones: dixerunt aliqui, ejus adequatum objectum esse corpus generabile, & corruptibile, includentes tanquam species elementa, & excludentes caelestia corpora, quae opinio tribui solet Galen. lib. 1. de elementis, & Simpl. initio phys. & defenditur a Georgio Rag. disputat. 1. Peripat. imo quidam addiderunt, tantum corpus mixtum a Philosopho considerari directe, Coelos autem, & elementa tantum reductive, veluti principia, & causas objecti directi: Verum quia ingenue negari nequit, Coelum etiam, & elementa directe spectare ad physicam considerationem, ampliaverunt alii ob-

jectum Philos. naturalis, ponentes, id esse corpus naturale, aut mobile, ut commune quoddam est ad corpora caduca, & aeterna, & est omnium receptissima opinio, totque habet affectus, ut eos enumerare pigeat. At alii ex Thomist. schola, ut refert Manca quaest. proem. phys. dub. 4. videntes mobilitatem, in ordine ad quam philosophia naturalis constituitur, & a Metaph. fecerunt, non solum composito substantiali, sed etiam partibus ejus, & praesertim materiae primae convenire (ipsa enim est subjectum cujuscumque transmutationis substantialis) ampliaverunt adhuc Philosophiae objectum, ponentes, id esse substantiam materialem, & corpoream, seu ens mobile substantiale ut complectitur composita, eorumque partes. Imo Aversa quaest. 2. de objecto Philosophiae sect. 2. constituens etiam in accidentibus intrinsecum principium mutabilitatis, si physica sit scientia distincta a Metaph. statuit objectum ejus adequatum ens mobile materiale in tota latitudine, ut etiam accidentia complectitur. At ex alio c. objectum philosophiae Cajet. tract. de subjecto naturalis philosophiae dilatat; cum enim nedum compositum substantiale, verum etiam accidentale sit mobile (ait ipse) si non subjective, terminative saltem, debet objectum philosophiae ita ampliari, ut utrumque directe, & per se comprehendat, poteritque vocari ens mobile. Rursus alii considerantes, mobilitatem entia materialia transcendere, & substantiis spiritualibus etiam re vera convenire, dixerunt non sufficere substantiam materialem pro objecto adequato naturalis philosophiae, neque ens mobile, ut composita materialia complectitur, sive substantialia, sive accidentalia, sed poni debere substantiam finitam directe complectentem tam Angelos; quam substantias corporeas, ita Scotistae omnes antiquiores, Ant. And. de tribus principiis p. 1. Canonici 1. phys. qu. 1. Tromb. 6. quaest. 1. & Regentes Parisienses quaest. 4. proem. physicae; Imo Tatar. quaest. praebula physicae, & Nicol. Bonet. 1. phys. cap. 1. statuunt pro objecto Philosophiae ens finitum directe complectens tam accidentia, quam substantias, eo quia nedum substantiae, sed accidentia etiam sunt essentialiter mutabilia, & habent principium radicale talis passionis. Hi tamen Scotistae omnes, dum philosophiae subjectum ita dilatant, proferantur, se loqui de objecto philosophiae secundum se, & in tota sua latitudine, non autem prout conscripta fuit ab Arist. in quo Recentiores Scotistae ab antiquis discrepant, quia corpus naturale statuant objectum philosophiae absolute absque ulla limitatione, ac declaratione, ita Faber. Theor. 20. Roccus in phys. proem. quaest. un. differunt. 1. Sghemma 1. phys. digress. 1. quaest. 7. & alii passim.

In quo resolvitur questio de objecto materiali Philosophia Peripatetica.

PRO resolutione quaeritur quoad hanc partem. Notandum est id, quod Sc. docuit 6. Met. q. 1. in fine additionis non dari rationem aliquam necessitatem ad ponendam unam, aut plures scientias, sed ex beneplacito hominum divisas esse scientias, sicut de numero predicamentorum dicebamus in Log. cum fundamento in re, quare non sine magna ratione dubitari solet, an Met. sit a Philosophia condistincta veluti quadam scientia totalis, & per se una, num potius sint scientia partialis unam totalem integrantes, cujus objectum sit ens in sua communitate, ut tenuit Ant. Mirand. lib. 13. de eversione singularis certaminis sect. 67. & sequitur Averfa in sua Philos. q. 1. sect. 6. & pro utraque parte addunt rationes probabiles intantum, ut Scot. in hac re videatur dubius, quia multoties ait, Metaphysicum res tantum in universaliter considerari, quandoque ad particularia descendere teneri, unde & Scotista divisi sunt, & de facto sub titulo unius scientia antiqui Philosophi ante Arist. tempora physica, & Metaph. tradiderunt. Sed quia hic dicendi modus res physicas, & metaph. promiscue confusionem parere videbatur, Arist. ipse Philosophiam a Metaph. discrevit, & quia omnia materialia, ut subsunt motui, magnam habent affinitatem inter se, unam scientiam de his omnibus conrexit, quam & philosophiam naturalem appellavit, ac etiam in alias partialis scientias juxta objectorum divisionem secuit, & pariter quia omnia immaterialia in abstractione a motu magnam habebant affinitatem, aliam scientiam totalem de illis conrexit, & Metaphysicam nuncupavit; itaque has duas scientias veluti totales discrevit ad invicem per ordinem ad motum, unde 2. phys. text. 71. ait, quae mota movent, considerari a physico, non vero moventia immota, & 6. Met. c. 1. ait, Philosophiam esse circa tale genus entis, in quo est principium motus, & status, idem habet 11. Met. n. 3. c. 1. & alibi saepe poterat etiam, & alio modo distingui, & distribui in plures scientias hae una scientia totalis de ente in rota sua communitate, ut nimirum Philosophia esset de ente finito, Metaphysica de infinito, vel alio consimili modo, ita ut objecta adaequata, & (ut ajunt) attributionis, scientiis assignare pendeat ex docentis, & scribentis arbitrio; cum enim objectum scientia sit illud, in cujus gratiam omnia tractat Author tamquam propter finem objectivum, ita quod intentio, & scopus Auctoris eo totaliter collimat, ut ejus natura, partes, principia, & passiones in illa scientia explicentur, juxta varium eorum tractationem, quam inducit, hoc vel illo modo, de objecto illius scientia ferendum est iudicium: hoc autem non ita intelligendum est, ut quisque possit pro libito cuicumque scientia quocumque assignare objectum, quia ex natura rei scientia specificatur ad objectum, & ab eo sumit unitatem, non vero ex scribentis arbitrio, sed in eo sensu intelligendum est, ut quemadmodum pendet ex arbitrio Auctoris de hac, vel illa re tractare, & naturam hujus, vel illius objecti sumere explicandam, & de hoc agere in gratiam illius, vel e contra, ita, quantum est ex hac parte, in scribentis arbitrio est objectum adaequatum in scientia constituere, ad quod caetera omnia attributionem habeant in esse scibili, etiam si ex alio capite in esse rei illud ad aliud istorum reduceretur, ut fufius in Log. dictum est disp. 12. qu. 2. Hoc praetotato.

5 Dicimus, Objectum materiale adaequatum philosophiae peripateticae esse corpus substantiale, & naturale in tota sua latitudine. Ita Scot. 6. Met. q. 1. & est communis Graecorum, & Latinorum, & probatur. Primo auctoritatibus expressis ipsius Philosophi, nam 6. Met. cap. 1. ait, Philosophiam naturalem esse circa quoddam entis genus, in quo est principium motus & status, & ne quis occasione sumeret extendendi nomen hoc entis etiam ad accedens subdit se declarans, etenim circa talem substantiam, in qua principium est motus, & status, & ne quis hunc substantiae naturalis conceptum extenderet ad substantias spirituales, aut saltem ad partes essentielles compositi materialis, 11. Met. n. 3. c. 1. ait, naturalem scientiam esse circa ea, quae in se principium motus habent, & subdit esse corpora natura constantia, quod etiam apertius docuerat verbis primo de Caelo ab initio; per hoc autem excluduntur Angeli, qui non sunt corporei, & etiam partes essentielles compositi physici, quae licet materiales, & corporeae nuncupari possint, corpus tamen natura constans nequaquam dici possunt, nec debent.

Probatur ratione. Illud iudicari debet subiectum adaequatum in aliqua scientia, quod est ibi primo consideratum, & caetera in gratiam illius, cuiusque natura, partes, principia, & passiones explicantur, & in hoc tota Artificis cura est posita, ut ex Philo. tradita corpus naturale est hujusmodi, nam in 2. phys. c. 1. essentiam ejus explicat, dum ait, esse id ens naturale, in quo est internum principium motus, & quietis: ejus principia in fieri, seu transmutationis subiecit, assignavit in 1. phys. & principia in facto esse, seu effendi in 2. phys. dum naturam definit, & per naturam docet, corpus naturale essentialiter constitui, quae postea in sublanaribus dividitur in materiam, & formam: tradidit etiam principia cognoscendi, propositiones nimirum illas universales, quae ad ejus notitiam maxime conducunt, quales sunt definitio ipsius, definitio naturae motus, & aliae ejusdem proprietates, & affectiones in caeteris libris Phys. demonstrat, esse mobile, esse

locabile, esse divisibile &c. partes subjectivae illius sunt Caelum, elementa, mixta imperfecta, perfecta & animata, de quibus ex professo agitur in aliis libris de Caelo, & Mundo, de Gen. & Corp. de Anima &c. qua ratione cernitur manifeste, omnia in philosophia considerata in gratiam corporis naturalis considerari, ac proinde objectum attributionis, & adaequatum debere constitui.

6 Deinde probatur ex aliarum opinionum confutatione, in primis enim objectum naturalis philosophiae adaequatum esse nequit corpus corruptibile, aut mixtum; Tum quia Caelum, & elementa naturalia esse corpora, ac per se mobilia docuit Philosophus 1. Meteor. cap. 1. ubi epilogat, se dixisse de causis naturae, & omni motu naturali, & de aëtris, & elementis, & 7. Met. text. 5. inter corpora naturalia enumerat animalia, elementa, Caelum &c. idem reperit 8. Met. text. 1. & 2. Phys. text. 71. ait, negotium Physicum esse circa mobile corruptibile, & incorruptibile, & 12. Met. cap. 2. dividit substantiam sensibilem in sempiternam, & corruptibilem, & utramque docet a scientia naturali tractari, & certe, si Caelum tantum, ac elementa manerent, caeteris corporibus destructis, adhuc permaneret scientia physica. Nec respondere valet, Caelum, & elementa tractari quidem in physico, non directe, & per se, veluti species sub ejus adaequato objecto contentas, sed tantum reductive, ut principia objecti physicae scientiae, nam elementa sunt principia materialia mixerum, & Caeli sunt principia effectiva; Non valet, quia Caelum, & elementa sunt excellentia quaedam objecta, ac proinde per se, & directe a Philosopho naturali considerabilia, veluti species principales corporis naturalis in communi, & de facto in hoc sensu sermonem de ipsis instituit Philosophus in lib. de Caelo, & Gener. & Meteor. considerans eorum quidditates, & passiones, unde lib. de Mundo ad Alexand. c. 1. ait praecipuam partem Philosophiae esse, quae contemplatur caelestia corpora.

7 Nec philosophiae objectum esse potest ens mobile, vel materiale, ut commune per praedicationem compositis substantialibus, partibus ejus, & accidentibus, ut putavit Averfa loc. cit. sect. 2. Tum quia hoc est confundere subiectum communitatis cum subiecto attributionis; Tum quia ita loquendo non contradistinguntur in philosophia principia, passiones, & subiectum contra documentum Philosophi 1. Post. text. 25. quia haec omnia considerantur ut species, cum intrinsicè imbibant conceptum entis materialis, ut sic; Tum tandem quia etiam in aliquo sensu his omnibus mobilitas conveniret, non proinde dicendum est, a Philosopho considerari per se, & directe, veluti species objecti totalis, sed indirecte, & reductive; ait enim de materia, & forma, quatenus sunt principia essendi compositi substantialis; de motu, loco, & tempore, quatenus sunt affectiones corporis naturalis in communi, ac proinde 6. Met. cap. 1. dixit, Philosophiam naturalem versari circa substantiam, in qua est principium motus, ut accidentia excluderet a consideratione directa, & per se physica, & alibi saepe reperit, scientiam naturalem esse circa corpora natura constantia, ut excluderet materiam, & formam, quae non sunt corpora, nec natura constant in sensu Philosophi, sed potius sunt natura; ut ipse docet 2. phys. cap. 1.

8 Nec Philosophiae objectum poni potest ens mobile, vel materiale, ut est commune per praedicationem ad compositum substantiale, & accidentale, ut putavit Cajet. loc. supra cit. nam concessio etiam quod ens per accidens possit in aliquo sensu constitui objectum scientiae, adhuc non licebit affirmare hoc accidentale compositum Cajet. veluti per se objectum, ac directe consideratum in Arist. Philosophia, & hoc totum ex ipsius doctrina facile demonstratur; ait enim ipse, in rebus physicis dari compositum substantiale ex materia, & forma, & accidentale ex subiecto & accidente; ait deinde, transmutationem, vel transmutabilitatem, quam ponit primam passionem physicam, non solum accipi debere subjectivè, sed etiam terminative, quo sensu convenit etiam composito, quod fit, vel substantialiter, vel accidentaliter: hoc enim proprie est quod fit ex Arist. 7. Met. text. 28. & ideo praecipue hoc dicitur ens mobile, quia est mobile ut Quod, id est, ut totum quoddam, & hoc tandem compositum in communi ab utroque abstractens asserit directe, & adaequate objectum physicae. At in primis falsum est, transmutationem, vel transmutabilitatem, in ordine ad quam constituit Philosophus scientiam physicam, & a Met. fecerit, per se, & directe terminativam quoque includere debere; Tum quia dum 2. phys. explicat, naturam esse principium hujus mobilitatis, dum 3. phys. motum definit, dum 2. phys. text. 71. & alibi saepe ait, mobilia esse de consideratione physica, loquitur semper de mobilitate subjectiva, mobile igitur subjectivè & ut Quod solum directe spectat ad physicum, mobile vero terminative indirecte solum, quatenus scilicet ejus productio, vel definitio annexam habet mutationem subjectivam; productio enim rei suae ultra profus mutatione potius spectat ad Metaphysicum, ut productio Intelligentiarum, vel etiam ad Theologum, ut productio Filii in divinis. Immo proprie loquendo, nec etiam terminative transmutabilitas compositi accidentaliter potest convenire, quia ejus natura non est per se una, ac proinde terminare non potest unam, & per se productionem, quare in communi etiam modo loquendi dicimus aquam calefieri, non vero produci compositum ex aqua, & calore, aquam esse calefescibilem, non autem compositum ex aqua, & calore esse producibile, unde mobile ut Quod ad quantitatem, & qualitatem, & ubi, est ipsum compositum substantiale.

9 Postremo refelli potest opinio Averfae, Cajet. aliorumque Thomist. destruendo eorum commune fundamentum, quod est, primam passionem physicam esse mobilitatem in communi ad substantialem, & accidentalem, atque ideo ens mobile, quod materiam quoque comprehendat, esse adaequatum philosophiae objectum; Quod

Quod eo vel maxime dicendum est (ait Averfa cit.) quia juxta distinctionem scientiarum ab Arist. factam ad Physicum pertinere considerate omne ens materiale, & mobile, & eadem Physica considerate debet conceptum ipsum communem entis materialis, & mobilis, nam hoc urique est objectum considerabile, & scibile per se pertinens ad ipsam Physicam, neque in ipsa considerari potest per reductionem ad aliquam suam speciem, non enim in scientiis genera reducuntur ad species, sed species ad genera.

At totum hoc fundamentum ruinosum est; potuit quidem Arist. ita suam Phys. instituire, ut pro objecto haberet substantiam materialem adaequate sumptam, & de illa per ejus quod quid est transmutabilitatem in communi demonstrare; imo potuit asserere etiam pro adaequato objecto Philosophiae suae ens materiale in communi; complectens etiam accidentia, at non ita fecit, siquidem in 1. & 2. Phys. agit de materia, & forma, ut principii rerum naturalium, non autem ut de speciebus objecti adaequati; & in caeteris libris agit de Motu, Loco, & Tempore; ut de affectionibus corporum naturalium, unde corpora ipsa per se, & directe consideravit ut species adaequati objecti, caetera vero, partes scilicet, & accidentia indirecte, & in ordine ad ea. Ex quo etiam sequitur, solum mobilitatem accidentalem esse primam passionem physicam, quia mobilitas illa est prima passio physica, cujus principium est natura secundo Phys. definita, at natura est principium mobilitatis accidentaliter tantum, ut ab Arist. ibidem definitur, inquit enim 2. Phys. 1. omnia, quae natura constant, habere in seipsis principium motus, & status, & explicans qualis sit iste motus, ait, hoc quidem secundum locum, illa vero secundum augmentum, & decrementum, quaedam autem secundum alterationem, hos autem omnes constat esse motus accidentales; & hinc est, quod cum in primo Physicozum egisset de principii mutationis in communi, & in tertio assignasset definitionem ejusdem, postea in aliis lib. Phys. de Caelo, de Gen. &c. semper specialiter agit de motu accidentaliter, & non nisi obiter de substantiali mutatione. Accedit, inter tot physicas affectiones ideo praecipuum locum motui tribui, quia per ipsum ut magis sensibus obvium rerum naturalium gradus, & species innotuerunt, ut insinuat Arist. 8. Phys. 22. hic autem est motus accidentaliter, non autem mutatio substantialis, seu in communi.

10 Verum est etiam, quod juxta distinctionem scientiarum ab Arist. factam ad Physicum spectat contemplatio cujuscumque entis materialis, & mobilis, sed non eodem modo; non enim omnia per se, & directe considerare tenetur, sed quaedam ut species, quaedam ut principia, quaedam ut passiones; conceptum etiam ipsum entis mobilis in communi considerare debet, sicut & mobilitatem in communi considerat; sed falsum est hunc ipsum in Physica considerari non posse in gratiam corporis naturalis, sicut falsum est in scientia genus ad speciem saltem in esse scibili reduci non posse, immo omnino necessaria est cognitio generis ad scientificam speciei notitiam, ac proinde ex natura rei potius genus ad speciem, quam species ad genus reduci debet in scientia, quare sicut in logica argumentatio, secunda intentio, ens rationis, &c. reduci habet ad Syllogismum, cujus exacta cognitio intenditur per se & directe ab Arist. in sua Log. ita etiam in sua Philosophia ens materiale, ens mobile, &c. ad corpus naturale reduci debet, utpote cujus exprimere naturam, per se, & directe intendit Arist. & eadem ratione mutabilitas in communi considerabitur a Philosopho in gratiam mobilitatis accidentaliter; cum haec sit prima passio physica, & scientifica cognitio speciei sine generis notitia haberi nequeat; & sicut materia ad corpus naturale reducitur, tamquam pars essentialis partis subjectivae ejus, scilicet corporis caduci, ita mutabilitas substantialis, ut passio materiae, ad accidentalem reducitur, ut ad passionem adaequatam corporis naturalis. Ex quo deducitur tantum abesse, quod mobile dumtaxat substantialiter per se tractetur a Physico, mobile vero accidentaliter solum reductive, ut quidam Thomista dicebant, quod potius res omnino e contra se habeat. Amplius autem hanc veterum Thomistarum opinionem refellere opus non est, jam enim ab omni schola ablegata est, etiam ab ipsa Thomistica, unde Recentiores Thomista passim eam rejiciunt, ut est videre apud Complut. Manca, & alios, & in nostram aperte descendunt, a qua non nisi vocibus discrepant: (ut ipsimet factentur) corporis naturalis, ac entis mobilis.

Solvuntur Objectiones.

11 IN oppositum objiciunt Primo Auctores primae opinionis. Illud est subiectum in tota Philo. cujus principia, & passiones traduntur in octo lib. Phys. ubi Arist. tradit principia communia Physicae, id est, quae conveniunt omnibus speciebus objecti adaequati, ut pollicitus erat primo Phys. text. 4. at principia, & passiones in octo lib. consideratae competunt tantum corruptibilibus corporibus, ergo &c. probatur minor: in primo Phys. tradit principia in fieri, inter quae est privatio, quae non reperitur in Caelis, in secundo agit de principii in facto esse, scilicet de natura, quam dividit in materiam, & formam, quae in Caelo non sunt apud Arist. denique locus & tempus, de quibus agitur 4. Phys. Caelo non conveniunt, quod sempiternum est, nullumque extra se corpus habet, a quo ambar. Confirmatur quia Philosophus primo Phys. text. 68. & 83. clare significat se velle agere de principii rerum corruptibilium in lib. Phys. sed in eis agitur de principii communif. Mastrii, & Belluti Tom. II. Physica.

simi, & adaequati objecti, ergo &c. Demum subiectum debet esse univocum; sed Caelo, & sublanaribus nihil est commune univocum, aeternum enim, & corruptibile differunt pluraquam genere 10. Met. text. 20. ergo.

Resp. negando minorem, cum enim in 1. Phys. tradantur principia in fieri, id est transmutationis in communi, ut infra dicemus, cum caelestia corpora mutationi accidentaliter subiecta sint, hac ratione tria illa principia participabunt. Nec valet, quod contra hoc objicit Averfa sect. 3. ex hoc sequi, caelestia corpora solum secundum rationem mutationis accidentaliter, & non secundum substantiam suam, quatenus scilicet substantialiter incorruptibilia ad Physicum pertinere; Quia Arist. adhuc considerat naturam caeli, quatenus est principium affectionum illius, & praesertim motus circularis, quem ait esse aeternum, eo quia nullum habet motum contrarium, & ex ejus aeternitate colligit etiam substantialem Caeli incorruptibilitatem. Conveniunt etiam Caelo principia in facto esse, scilicet natura, non quatenus dicitur de materia, & forma, sed quatenus accipiuntur pro essentia; & quidditate, ex qua res ipsa habet, ut possit moveri; Natura enim adaequate dividitur in materiam, formam, & quidditatem, ut dicemus 2. Phys. c. 1. & disp. 5. q. 1. Affectiones tandem etiam in caeteris, lib. Phys. explicatae Caelo competunt, scilicet motus circularis, ratione cujus tribuit ei Arist. tempus aeternum, & locus, quatenus semper inferior sphaera a superficie concava superioris ambitur, & quomodo etiam ultima ipsa sphaera sit in loco dicitur Disp. de Loco. Ad primam confirmationem negatur eam esse intentionem Arist. in illis text. ut dicemus disp. 1. q. 2.

Ad aliam confirm. negatur minor, ad cujus probationem ait Scot. 4. disp. 6. quaest. 10. Met. Philosophum loqui de genere physico, scilicet materia, non autem logico, & verum est in sententia Arist. corpora aeterna non convenire in materia cum sublanaribus, sunt enim materiae expertia secundum ipsum, ut ait Doct. 2. disp. 14. q. 1. Sed urges, ergo non pertinent ad Physicum, qui res immeritas materiae considerat, & in hoc a Metaphysico differt. Resp. ex Arist. 8. Met. & text. 12. quod est careant materia transmutabili secundum substantiam, eam tamen habent, quae secundum locum mobilis est, & de hac praesertim materia Philosophus loquitur, cum ait, Physicum considerare res materiae immeritas, & Metaphysicum abstractas.

12 Secundo objicitur ex Averfa, & aliis statutibus substantiam materialem subiectum, ut etiam partes physicas complectitur, quia accipi potest substantia materialis, ut comprehendit materiam formam, & compositum, ut fecit Arist. 2. de Anim. text. 2. & substantia sic sumpta est objectum scibile, de quo demonstrari possunt passiones physicae, immo Aristot. ipse 4. Met. text. 4. dum dixit, tot esse partes Philosophiae, quot substantiae assignare volens substantiam corpoream ipsi Physicae, videtur locutus absolute de tota substantia, & 2. Phys. in principio enumerans substantias naturales, quae erant consideraturus, recenset animalia, & partes eorum, & praesertim in lib. de Anima directe, & adaequate agit de ipsa anima, unde & ibi statuitur objectum. Nec respondere valet (inquit Averfa) non posse materiam, & formam directe includi in objecto physica, quia considerantur ut principia, & partes ejus, non ut species. Quia id non impedit, quin ad huc possint in se ipsis considerari, tamquam species substantiae materialis in tota latitudine inspectae, sicut elementa sunt quidem principia respectu mixti, sed in se sunt quaedam species corporis, & utroque modo considerantur a Philosopho, nec una contemplatio aliam impedit.

Confirmatur, quia passiones physicae non adaequate competunt corpori, sed etiam partibus, quantitas enim est in materia prima, ut in subiecto, & etiam transmutabilitas substantialis. Nec respondere juvat, primam passionem physicam esse mobilitatem tantum accidentalem. Quia mobilitas illa est prima passio physica, cujus principium est natura, sed natura est principium, non solum mutationis accidentaliter, sed etiam substantialis; tum quia mutabilitas materiae est a principii passivo sibi intrinsicè, quo nata est moveri primo, per se, & non secundum accidens ad hanc, & illam formam; tum quia argumentum adhuc magis urget de corpore pro altera parte compositi, quod utique est habens naturam, scilicet materiam, & formam, & est substantialiter transmutabile ad Animam, cujus transmutationis principium esse naturam dubitari nequit.

Demum, quando etiam natura foret principium tantum accidentaliter mobilitatis, adhuc ista excedit corpus de praedicatione substantiae, tum quia de facto corpus pro altera parte compositi Anima destitutum movetur: tum quia Anima rationalis in corpore per suas operationes immediate subiecit alterationis, ergo aliquid corpore latius poni debet subiectum in Philosophia, immo & ipsamet substantia materialis.

13 Respondetur gratis concedendo potuisse ita a Philosopho institui Physicam, ut pro objecto haberet substantiam materialem adaequate sumptam, & de illa per ejus quod quid est transmutabilitatem in communi demonstrare, at non ita fecit; siquidem in 1. & 2. Phys. agit de materia, & forma, ut principii rerum naturalium, non autem ut de speciebus objecti adaequati, & in hoc sensu 2. Phys. ab initio subiecit etiam partes animalium Physicae considerationi, indirecte nimirum, & reductive per ordinem ad totum, quod constituitur, & consulto ita agit de materia, & forma, quamvis enim praescindit quae ab ordine ad compositum, & secundum se considerari, ut species materialis substantiae, haec tamen cognitio non fati exacta.

4 exacta est, quantum exigitur ad cognitionem scientificam, quare ut de eis habeatur cognitio omnibus numeris absoluta, considerari debent per ordinem ad compositum. Nec valet assumpta paritas ab Avera de materia, & forma in ordine ad compositum, & elementis in ordine ad mixtum, quia elementa possunt quidem considerari ut species objecti, quia sunt species quaedam integre, & completae, de quibus in recto corpus praedicatur, & ablati corpore mixto adhuc extarent in universo, & sine ordine ad mixtum possunt scientifica, & exacta cognitione attingi, quod de materia, & forma dici nequit. Et falsum est Arist. in lib. de Anim. agere de illa per se, & directe, quia de illa agit in ordine ad corpus, & ut est pars animalis; Neque ex hoc, quod in illis libris statuatur objectum, sequitur quod cadat sub directa consideratione totius Philosophiae, sicut neque ex hoc, quod principia ponantur objectum primi, & secundi Phys. affectiones vero ceterorum, sequitur, principia, & affectiones cadere sub directa consideratione totius Philosophiae, veluti species objecti adequati.

14 Ad confirm. negatur assumptum, quantitas enim corpori inharet, & non materiae primae, ut infra patebit disp. 2. q. 8. art. 4. similiter & mobilitas, quae est prima passio physica, corpori naturali solum adaequate convenit. Ad quod tuendum P. Faber theor. 20. c. 2. absolute negavit materiam ulla specie motus per se moveri posse, quod plane minus philosophice dictum censemus; Arist. namque 1. Phys. per totum ex professo demonstrat materiam esse subiectum primum cuiuscumque mutationis substantialis, quod & nos infra fuisse probabimus, praesertim disp. 2. q. 8. art. 2. Alii videntes rationabiliter negari non posse materiam esse per se subiectum mutationis, ut adhuc defenderent materiam non posse proprie dici physice mobilem, dixerunt, quod per mobile mutatione physica intelligitur omne id, quod ita mutatur, quod non solum est subiectum mutationis, verum etiam terminus eius, quo pacto non est materia, quia licet materia sit generationis, & corruptionis subiectum, non tamen est terminus, mobile vero physice non solum debet esse subiectum, verum etiam terminus, & utrumque ajunt, ad mutationem physicam per se requiri; atque ideo materiam non esse mobilem aliqua physica mutatione. Verum vel isti intelligunt, quod mobile mutatione physica debeat esse subiectum, & terminus respectu ejusdem mutationis, vel respectu diversarum, unius nempe subiectum, alterius vero terminus; primum bene omnino implicat, quia subiectum praesupponitur motui, & terminus acquiritur per eum, alterum vero est prorsus voluntarie dictum, nam omnino per accidens se habet, quod subiectum unius mutationis fuerit antea terminus alterius, & praesertim in sententia Philosophi patet caelum esse mobile physice, & tamen nullus mutationis hujusmodi fuisse terminum. Praesertim igitur ex dictis respondere, quod neque mobilitas substantialis, quae materiae convenit, neque mobilitas in communi est prima passio physica, sed tantum accidentalis; & cum id impugnetur, concedimus absolute loquendo mobilitatem materiae, & corporis pro altera parte ad formam substantialem posse dici naturalem, quatenus principium ejus est natura, si natura in ampliori significato sumatur, quam sumpsit Arist. 2. Phys. imo concedendum est nedum corpus pro altera parte, sed etiam materiam dici posse habens naturam, sed non in sensu, quo Philosophus est ibi loquutus de natura, & habente naturam, nam per habens naturam intelligit ibi ens completum, & per naturam principium constitutum alterius essentialiter, ut supra disp. 6. dicimus; & ideo tex. 14. explicat generationem esse naturalem, non quia sit a natura, sed quia est via in naturam, quatenus est via ad constituendas rerum essentias ex materia, & forma.

15 Sed dices, si mobilitas accidentalis habet pro subiecto adequato corpus naturale, & mobilitas in communi ad substantialem, & accidentalem ens mobile, seu substantiam materialem, ut etiam partes physicas complectitur; cujus consideratio ad physicum spectat, ergo praestabit mobilitatem in communi statuerem primam passionem physicam, & ens ita mobile subiectum adequatum Philosophiae naturalis, non vero corpus naturale; Consequenter probatur, quia subiectum in scientia, ut Scot. ipse docet q. 3. prol. & in report. debet habere conceptum quidditativum non inclusum virtualiter in aliquo priori ad scientiam illam pertinente. Resp. negando sequelam, & ratio negationis saepius est inculcata superius, ad cujus probationem gratis concedimus, quod docuit Scotus cit. subiectum in scientia non debere habere conceptum quidditativum virtualiter inclusum in aliquo priori ad scientiam pertinente, quia quod quid est de subiecto, indemonstrabile est; at falsum est in hoc sensu conceptum corporis naturalis virtualiter contineri in conceptu priori substantiae materialis, vel entis mobilis, quia conceptus specificus addit semper rationem differentialem supra genericam; qua de causa conceptus quidditativus de specie demonstrari nunquam potest per rationem generis, quantumcumque sit nota, genus enim continet differentias tantum potentiales, non virtuales.

Ad alteram Conf. etiam negatur assumptum, ad primam probationem dicimus, quod motus accidentalis non competit corpori pro altera parte absolute, & directe, quatenus species corporis, sed indirecte, quatenus pars corporis animati, unde nec dici potest ens per se mobile absolute loquendo; mobile enim per se apud Philosophum dicitur, quod est mobile, ut quod, id est tamquam totum quoddam; quod enim se habet, ut pars respectu totius compositi, dicitur mobile, ut quo, etiam si moveatur extra compositum, quia adhuc manet cum essentiali ordinatione ad illud. Ad 2. pariter dicimus, animam quamvis

manet in corpore per suas operationes dici alternari, & moveri, ut quo, unde primo de Anima tex. 64. habet Arist. hac verba non tamquam motu in ipsa existente, &c.

16 Tertio arguit Avera cit. probans, Phys. objectum esse ens mobile materiale in communi complectens directe non solum partes essentialis, sed etiam accidentia materialia, nam 3. Phys. 6. & 9. pro subiecto adequato motus, qui ponitur prima passio, assignavit Arist. ens mobile in tota sua latitudine, & hic conceptus entis mobilis in Physica non consideratur in ordine ad aliquam suam speciem; & 1. Caeli tex. 1. aequae directe ait scientiam de natura, de corporibus, & magnitudinibus, motibus, & passionibus, id est aliis accidentibus, & praesertim 4. Met. text. 1. ait scientias particulares abscindere sibi partem entis, eamque considerare; si ergo Physica dicitur adaequate considerare ens materiale, per quod determinatur in sua abstractione, & a Met. seceratur ejus adaequatum objectum, debet assignari ens materiale, ut etiam accidentia comprehendit.

Confirmatur a pari, quia objectum adaequatum Met. est ens in communi, neque assignatur per se, & directe sola substantia, ita ut accidens consideretur per reductionem ad substantiam; sed ita se habet accidens materiale ad substantiam materialem, sicut accidens in communi ad substantiam in communi, ergo pariter illa scientia, quae considerat omne ens materiale, quae dicitur Physica, debet potius habere directe pro objecto suo adaequato ens materiale, & non solum substantiam materialem, & corpoream.

Denique vere etiam accidentia sunt essentialiter mutabilia, & habent naturam, ut radicale principium talis passionis sumendo naturam pro tali essentia rei, ex qua ipsa res habet, ut possit moveri, & mutari, quantitas per se alterari potest, cum sit immediatum subiectum qualitatis, & accidentia separata in Eucharistia deorsum tendunt naturaliter, quia adest gravitas, imo, & conjuncta proprie, & per se localiter moventur, quia non solum compositum, sed etiam ejus partes, & accidentia peculiarem habent praesentiam distinctam a praesentia totius, ut dicemus disp. de loco, unde illam in se immediate acquirendo vere, & proprie, ac per se localiter moventur, & non tantum per accidens ad motum totius.

17 Resp. potuisse utique Arist. assumere pro adaequato objecto Physicis ens materiale in communi complectens etiam accidentia, at non ita fecit, sed directe, & per se consideravit corpora naturalia, & in ordine ad illa consideravit accidentia Physica, & quidem res ipsa sic postulabat; in scientiis enim intenditur cognitio veritatis non quantumcumque, sed perfecta, & ordinata juxta exigentiam rerum, modus vero magis congruus, & scientificus cognoscendi accidentia physica est, ut per suas causas demonstratur de subiecto, in quo sunt, & hoc modo ad Physicum spectat considerare omne ens materiale, scilicet per se, & directe, quod in hunc modum considerandum venit, indirecte vero, & reductivae, quod ex natura sua ordinatur ad aliud, & in hoc sensu 1. Caeli tex. 1. dixit Arist. scientiam de natura esse circa corpora &c. in sensu scilicet illi accommo, ut de corporibus ageret, veluti speciebus objecti, de ceteris autem, ut de principiis, vel passionibus ejus; & in hoc sensu dixit 4. Met. tex. 1. Physicam abscindere sibi partem entis materialem; in 3. autem Phys. sicut definit motum in communi in gratiam motus accidentalis, cujus principium est natura, ita consideravit ens mobile in communi in gratiam entis mobilis accidentaliter, quod est corpus naturale, quia cognitio speciei distinctam praerogavit notitiam generis, & ita in scientiis potest genus reduci ad aliquam suam speciem in esse scibili.

Ad Conf. negatur paritas assumpta, quia Metaph. praesertim circa transcendentia verfat, nec illa passiones transcendentis poterant congrue, & adaequate de substantia demonstrari, tum quia non considerat accidens ut affectionem substantiae; sed ut ens aequae participans passiones transcendentis, ac substantiam; at Physica considerat accidentia, quatenus affectiones corporum, quare potest recta ratione de accidentibus mobilitatem, & alias Physicas passiones demonstrare, non per se, & absolute, sed in ordine ad corpora.

Ad aliam Conf. accidentia etiam si concedantur naturaliter mutabilia, non tamen in eo sensu, quo Arist. dixit naturam esse principium motus 2. Phys. & entia naturalia esse per se mobilia, qua ratione accidentia ibidem non entia naturalia directe appellavit, sed entia secundum naturam, quatenus etiam si sint mutationis capacia, hoc eis solum convenit in ordine ad corpus eorum subiectum, unde quamvis unum accidens possit immediate in se aliud suscipere, & sustentare, quia tamen hoc totum facit dependenter a substantia, quae est subiectum primum, & ultimate terminans dependentiam omnium accidentium, ut docet Scot. 4. disp. 12. q. 2. & nos infra disp. 3. q. 3. ar. p. n. 32. ideo, quod per se moveatur ad quantitatem, & Ubi est substantia, & accidens ad summum dici poterit mobile, ut quo, & ad motum alterius, quia si non esset in substantia, nullum aliud posterius accidens in se suscipere posset, ratione cuius diceretur moveri, ut supra infra disp. 3. q. 3. art. 1. motus vero accidentium in Eucharistia ad physicum non spectat, quia quod accidens moveatur extra subiectum, procedit ex vi antecedentis miraculi.

Instantibus difficultatem urgere saltem de anima rationali, nam si in sententia Philosophi ponatur immortalis, etiam & mobilis extra corpus poni debet, & quidem ex natura sua, & non ex vi alicujus antecedentis miraculi. Resp. quod sicut status accidentis extra subiectum ad physicum non spectat, ita neque status animae rationalis extra corpus,

5 pus, nec Arist. de immortal. animae fuit undequaque securus, imo nec pro statu isto absolute loquendo potest rigorosa demonstratio probari, ut suo loco dicemus, & quando etiam hac omnia concederemus, dicens foret de illo motu animae idem omnino, quod de motu corporis pro altera parte paulo supra dictum est.

18 Quarto arguit Cajet. probans adaequatum objectum esse ens mobile, praedicabile de composito substantiali, & accidentali, adaequatum objectum primae passionis physicae est etiam adaequatum objectum Philosophiae, sed hoc est ens mobile commune composito substantiali, & accidentali, ergo, &c. Probatur minor, quia si loquamur de mobilitate subiectiva, hac non tantum convenit composito substantiali, sed etiam accidentali, id enim, quod moveatur ad qualitatem corpoream, & Ubi circumscriptivum, est corpus substantiale quantum, nam mediante quantitate est qualitatis corporeae susceptivum, & Ubi circumscriptivum, ergo, &c. Si vero loquamur de transmutabilitate terminativa, hac etiam convenit composito accidentali, namque principia istius docuit Arist. 12. Met. 22. vagari etiam per accidentium praedicamenta, ut enim compositum substantiale fit ex privatione formae substantialis, sic compositum accidentale fit ex privatione formae accidentalis, & hac ratione 1. Phys. 17. dixit se tractare in universum principia omnis generationis; & inter res tractatas e Philosophia sunt res meteorologicae, quae non sunt, nisi composita quadam accidentalibus, ergo, &c.

Confirm. quia Philosophia considerare tenetur principia naturalia in communi ad omne compositum tam substantiale, quam accidentale, & id, quod sit tamquam terminus per mutationem, est conceptus scibilis in Physica, cum habeat principia, & passiones de ipso demonstrabiles, nempe transmutabilitatem subiectivam, & terminativam, hac enim adaequate competit composito tam substantiali, quam accidentali, ut modo probatum est. Nec bene diceretur hunc conceptum superiorem in Physica considerari in ordine ad aliquem inferiorem, tum quia in scientiis, non genera ad species, sed species ad genera reducuntur, tum quia si Physica adaequate respiceret aliquem conceptum inferiorem v. g. corpus substantiale, non posset considerare conceptum illum superiorem, quia excederet limites ejus, sicut si objectum oculi esset visibile, non posset oculus ferri in conceptum qualitatis.

19 Resp. neg. min. ad probationem dicimus, de quantum; transmutabilitate sit sermo, falsum esse assumptum a Cajet. nam si loquamur de subiectiva, falsum est ens mobile in communi ad compositum substantiale, & accidentale esse subiectum adaequatum ejus, quia nec compositum substantiale est subiectum transmutationis substantialis, cum omne tale apud Thom. fit ens completum; nec compositum accidentale est subiectum mutationis accidentalis, quod enim moveatur ad quantitatem, qualitatem, & Ubi, est corpus ipsum substantiale, quamvis non intelligatur moveri ad qualitatem, & Ubi, nisi sit quantum ut ex professo di emus infra disp. 3. q. 3. ar. p. Si vero loquamur de transmutabilitate terminativa, falsum est, hanc esse primam passionem physicam, & proprie convenire composito accidentali, ut supra n. 8. diximus contra Cajet. & quando id Arist. dixit 12. Met. tex. 22. intelligendum id est per quantum analogiam, ut ipsemet ibi se explicuit, alioqui enim fieri, proprie loquendo, convenit composito substantiali, sicut ei solum proprie competit esse, & existere, ut discretis verbis docuit idem Philosophus 7. Met. text. 22. & 23. falsum est insuper, transmutabilitati terminativae convenire tria illa principia, materiam, formam, & privationem, quia cum sic inspecta rationem habeat productionis, & a ratione mutationis praescindat, respicit agens pro principio, & a subiecto praescindit; concedimus tamen, illa tria principia convenire transmutationi subiectivae in communi ad substantialem, & accidentalem, & de illis in hac communitate 1. Phys. tractari, at hinc non sequitur, compositum accidentale esse per se objectum a Philosopho directe consideratum, sed tantum corpus substantiale, ut mutationi accidentale subiectivae, compositum vero accidentale indirecte, quatenus scienda de tali composito optime dignoscuntur loquendo directe de corpore substantiali recipiente accidentia: res vero meteorologicae, si sunt entia per accidens, non considerantur, ut per se objecta, sed veluti quasi passiones elementorum, vel mixtorum.

Ad confirm. dicimus, utique Philosophum considerare 1. Phys. principia in fieri cuiuscumque mutationis, quatenus tractat de principiiis cuiuscumque mutationis, sed cum subiectum mutationis accidentalis sit corpus substantiale, & hoc sit proprie, quod dicitur fieri tale per hanc mutationem; non enim dicimus, fieri hominem musicum, aquam calidam, sed aquam fieri calidam, hominem musicum, sequitur hinc, non compositum accidentale esse per se objectum a Philosopho directe consideratum, sed tantum indirecte per considerationem corporis substantialis accidentia recipientis, & in hoc sensu est objectum scibile in Physica, & rationabiliter; quamvis enim utcumque posset dari scientia de illo, modus tamen magis congruus dignoscendi naturam ejus est, ipsum dignoscere agendo de subiecto per se accidentia recipiente, & falsum est, in scientia considerari non posse conceptum communioem necessarium ad exactam cognitionem objecti adaequati, ad quod proinde reducatur in esse scibili, ut 17. dicebamus contra Aversam, nec talis est adaequatio objecti in scientia, ut excludatur cognitio conceptus communioris, quem essentialiter includit; imo dicitur adaequatum, quia nil scientiae debet esse, quod

non sit subiecto contentum, & nil subiecti, quod non explicetur in scientia, & si conceptus communis qualitatis foret necessarius ad constitutionem qualitatis in esse visibili ut sic, posset adhuc oculus ferri in illum absque excessu limitum suae sphaerae.

20 Quinto tandem arguitur, corpus naturale substantiale non posse esse subiectum adaequatum Philosophiae, sed debere poni quid latius; Tum quia agit de anima rationali, quae spiritalis est; Tum quia si nullae essent substantiae abstractae, Physica esset prima Philosophia 6. Met. text. 3. ergo circa ens verfat, ut Metaphysica, a qua non differt, nisi quia substantias abstractas non considerat. Confirm. quia nulla scientia probat, suum subiectum esse, at Philosophus 6. Phys. tex. 32. probat, omne corpus esse mobile, sive habere principium motus, quod in re idem est, ac si probaret esse naturale.

Resp. animam posse considerari tripliciter, vel secundum se, vel ut est in corpore, vel ut extra corpus, primo, & secundo modo spectat ad Physicum, quia ut sic dicitur ordinem ad actualem materiam, vel aptitudinalem, & reducitur ad corpus, veluti pars ejus, sed tertio modo pertinet ad Metaphysicum. Et si non darentur substantiae abstractae, utique tunc Physica esset prima Philosophia, quia tunc nulla daretur abstractio praedicatorum transcendentium, circa quae verfat Metaphysica, & sunt communia rebus corporeis, & incorporis sed tantum darentur substantiae materiales, & corporeae, quas cum Physica consideret cum his accidentibus utiq; data hypothesi, totam entis amplitudinem exhauriret, & ita foret prima Philosophia, hinc tamen non sequitur, modo debere contemplari aliquid communis corpore, ut per se objectum. Confirmatio illa, in qua vim tantam solent Thomistae facere, ita frivola est, ut mille habeat solutiones, quarum singulae sufficient; falsum est, ubi in Philosophia probari, corpus naturale esse, cum potius ubicumque supponatur, ut patet ex 1. Phys. tex. 11. supponendum est, omnia, aut quaedam moveri. & 2. Phys. text. 6. non magis ridiculum ait, esse demonstrat naturam, quam corpus esse, in quo est natura, cum manifestus sit, esse corpora naturalia, quam naturam; loco vero cit. 6. Phys. text. 32. nec probat, corpus esse, nec mobile esse, sed tantum omnino mobile esse quantum, & divisibile, divisibile autem non est idem ac corpus substantiale; imo neque ibi Philosophus nominat corpus substantialiter sumptum, sed tantum pro accidente de genere quantitatis, nec sumit mobile pro ratione formali, & principio radicali, sed loquitur expresse de motu, quod est accidens, ut recte notat Avera cit. text. 3. Arist. igitur, nec probat, corpus esse, nec naturale esse, nec mobile esse, sed tantum probare conatur, substantiam ad hoc, ut sit capax motus, debere esse quantum, quod an bene probet, suo loco videbimus. Quod si etiam divisibile ibi accipere velimus pro corpore substantiali, adhuc non probatur corpus de mobili, sed supposita existentia corporis substantialis, probatur mobilitas inesse soli, & omni, ut advertit Amicus in sua Philos. tract. 1. disp. 1. q. 1. ar. 10. quod est dicere, omne mobile esse corpus, neque est absurdum probare, conjunctionem passionis cum subiecto convenire soli subiecto, imo hoc est necessarium in scientia. Et quando etiam Philosophus probaret, corpus naturale, seu mobile esse, adhuc non sequitur, hac de causa non posse poni subiectum, quia in scientia potest de subiecto demonstrari, quod sit a posteriori, ut ex Scot. colligitur qu. 3. Prol. & nos probavimus in Log. disp. de scientia, & Cajet. ipse fatetur 1. p. qu. 2. art. 3. ostendens, Theologiam posse probare, Deum esse, etiam si habeat illum pro objecto.

Sed Urges, probari etiam a priori existentiam corporis naturalis in Philosophia, dum 1. Phys. ostendit, dari materiam, & formam. Resp. ab omnibus, id facere Arist. indurum habitu metaph. ut ipse protestatur text. 8. sed etiam addere possumus, Philosophum ista principia probare ex medio physico, ex continua nimirum rerum mutatione, quod est ostendere principia, & subiectum a posteriori, hoc autem non repugnat rationi subiecti scientiae, ut diximus loco cit.

ARTICULUS II.

In quo resolvitur quaestio de objecto materiali Philosophiae in se.

21 Dicendum est, in Philosophia naturali secundum se considerata, & in tota sua latitudine objectum adaequatum esse substantiam finitam naturalem, ut etiam substantias immateriales complectitur, sive per se subsistentis, ut sunt Angeli, sive habentes modum subsistentis, ut est anima separata. Conclusio est fore omnium veterum Scotist. quam manifeste docuit Doct. 6. Met. quaest. 1. ubi ait, rationem, quare substantia separata ad Metaphysicum pertineat, esse, quia, & si habeat proprias passiones sibi primo inherentes, non tamen nobis scibiles via sensus, sed sic sunt solae passiones entis de ipsa natura, unde verum est (subdit Doctor) quod ipsa est subiectum secundae scientiae speculative possibilis intellectui cognoscens ipsam sub propria ratione, sed non nobis, hac Doctor, ex quo patet, in sententia Doctoris substantiam separatam pertinere ad Physicam, quae est ipsa secundum scientiam speculative, si consideretur secundum se; & intellectu cognoscere illam substantiam sub propria ratione, atque ita in sententia Scoti assignari debet pro adaequato objecto Philosophiae in tota sua latitudine aliquod commune substantiis corporeis, & incorporeis, quod erit substantia finita naturalis, quam conclusionem

tionem ex Recentioribus tenet Averfa loc. cit. qn. 2. sect. 1. Probatur autem conclusio evidenti ratione: Prima, & communissima passio, quae in Philos. consideratur, & per quam in esse naturalis scientiae constituitur, & a Met. distinguitur, est mobilitas, ergo subiectum adequatum huius passionis erit etiam adequatum objectum scientiae naturalis, at tale adequatum subiectum nequit esse corpus, sed tantum substantia finita; ergo hoc erit adequatum Philosophiae naturalis objectum in tota sua latitudine, probat minorem subtilitatem Canonici, loc. supr. cit. aliqua enim, etiam non corporea, sunt per se mobilia, quod ipse probat de Angelis ex Doct. in 2. disp. 2. quae 9. quia omne receptivum formarum alicujus generis, quod non est determinatum ad aliquam unam illarum, potest mutari de una in alteram, si non est illimitatum ad omnes, at Angelus est receptivus ubi definitivi, nec est illimitatus ad omnia ubi, quia non est immensus, ergo potest de uno in aliud mutari.

Conf. ex Tromb. 6. Met. qu. 2. quia si quid obstat, ne substantia immaterialis finita ad physicum pertineret, ut ens per se mobile, vel esset, quia omne per se mobile esse debet in loco 5. Phys. tex. 8. huiusmodi autem substantiae non sunt in loco 4. Phys. & 1. Caeli tex. 100. & hoc non obstat, quia licet huiusmodi substantiae non sint in loco circumscriptive, sicut corpora, ut docet Philosophus loc. citat. sunt tamen in loco definitivae per actualem exhibitionem, & praesentiam suae substantiae hic, vel ibi. Vel esset, quia indivisibile moveri non potest, ut ostendit Philosophus 6. Phys. tex. 32. & hoc non impedit, quia, & indivisibile re vera moveri potest, ut suo loco dicemus, & Arist. ibi non loquitur de indivisibili spiritali, & de genere substantiae, quod est virtualiter divisibile, qualis est Angelus, sed de indivisibili de genere quantitates. Vel esset denique, quia cum Angeli non reperiant resistantiam in medio, motus fieret in instanti, & hoc non obstat, quia licet non addit resistantiam ex parte medii positivi, adest tamen ex parte medii negativi, scilicet ex distantia extremorum, quam non potest totam simul Angelus pertransire ob limitationem virtutis, nec toti spatio interjecto simul coexistere, & quando etiam in instanti moveretur, non propterea ab objecto physico deberet excludi, quia etiam mutationes instantaneae ad physicum spectant, ut ex 12. Met. cap. 2. & lib. 3. & 5. Phys. liquet.

23. Denique cum substantia angelica sit mobilis, vel localiter, vel saltem motu alterationis, recipit enim in se varias mutationes per suas operationes, & qualitates sibi proportionatas, ut sic est objectum scibile, & ad aliquam scientiam pertinet, & non ad Metaphysicam, quia haec agit de rebus immobilibus, 6. Met. tex. 3. ergo ad physicam, quae agit de rebus mobilibus, & quidem in tantum Arist. substantias separatas a physica removet, in quantum posuit eas penitus immobiles, & immutabiles, quod utique non fecisset, si eas mutabiles cognovisset. Sub hoc autem objecto Philosophiae in se comprehendimus etiam animam separatam; Tum quia quantum ad motum eadem est ratio de ipsa, & Angelo; Tum quia etsi non sit per se subsistens, habet tamen non modum subsistentis, quantum sufficit, ut dicatur mobilis, ut quod extra corpus, atque ita directe cadat sub physica consideratione, & non reductivae tantum per ordinem ad corpus.

Respondendi solet, quod quamvis Angeli sint entia mobilia, non tamen sunt physici considerationis, quia motus eorum non est physicus, quod varie varii explicant; Aliqui appellant motum physicum, qui fit cum mole corporea, & sensibili, locum occupando, & ideo cum motus Angeli non sit huiusmodi, ad physicum non spectat. At isti vel ita intelligunt, quod motus physicus debeat esse in se formaliter extensus, & divisibilis, vel etiam talis esse debeat subjective, quod nimirum exerceatur in subiecto extenso, & divisibili; Si primum, jam motus localis Angeli erit vere physicus; licet enim non sit extensus subjective, est tamen in se formaliter extensus, & divisibilis, quia est quantitas successiva, quam extensionem habet ex parte spatii super quod fit, ut erudite Tromb. docet l. c. in responsione ad primum, sed falsum est, motum omnem ad physicum spectantem ita extensum esse, ac divisibilem, nam etiam mutationes instantaneae, & indivisibiles ad ipsum pertinent; Si secundum, jam non per rationem motus amplius, seu naturalitatis, quae est principium motus, determinabitur objectum physicum, sed per rationem corporeitatis, & sensibilitatis, & per hanc rationem physica a Met. distinguitur; praeterquam quod falsum est de ratione mutationis physicae esse, quod habeat subiectum divisibile, & corporeum, ut patet de alterationibus animae, quas patitur in corpore, quae tamen omnes ad physicum spectant, & motus partialis, qui recipitur in anima rationali, cum moveretur in corpore, ad physicum spectat.

Alii ideo negant, Angelicum motum esse physicum, quia physici non habet medium ad illum dignoscendum, nequit enim id probari medio physico, id est ex sensibilibus deducto, sed vel medio metaphysico ex natura Angelorum, vel tantum theologico; ad physicum autem spectat solum illud ens mobile, cuius motus medio naturali, & sensibili potest dignosci. Sed neque hi satisfaciunt; Tum quia, si ideo negant, motum Angelorum dignosci posse medio physico, quia motus eorum non est sensibilis, & materialis, & solum talis motus attingi potest a physico, recidunt in praefatam explicationem jam rejectam quia sic dicendo, non amplius per rationem motus absolute, aut naturalitatis, sed per rationem motus corporei, & sensibilis, atque

ideo per rationem corporeitatis, & sensibilitatis constitueretur objectum physicum, & a Metaphysica secerneretur; Tum quia, & si Philosophia, quam modo non habemus, per talia media ex sensibilibus deducta procedat ad investigandas rerum naturalium affectiones, tamen Philosophia in se via sensus non indigeret, sed ex ipsa rerum natura, & rationibus naturali lumine notis affectiones de rebus ipsis demonstraret, ut colligitur ex Scot. 6. Met. q. 1. ubi supra; Tum tandem quia, ut notat Averfa loc. cit. 1. potest aliquo modo ex effectibus sensibilibus inquiri motus Angelicus, ex eo nimirum, quod sint finitae virtutis, & finiti loci, ex eo, quod movent Caelos ex operibus etiam Magorum, & ex his, quae in arreptiis fieri videmus, & ex antiquis oraculis Idolorum, & quando etiam medio metaphysico probaretur motus de Angelo, non sequitur, conclusionem hanc intrinsece ad physicam non spectare, sed tantum in tali conclusione physicam subalternari Metaphysicam, in quantum ab ea principia probanda conclusionis desumpserit.

24. Quidam ex nostratibus explicant, motum Angeli non esse physicum, quia non est naturalis, sed neuter, ut docet Doctor in 2. dist. 2. q. 6. O. sed neque isti satisfaciunt; Tum quia motus Angeli vere naturalis est, quia est a principio intrinseco existentem in Angelo, sicut definitur natura 2. phys. esse principium motus ejus, in quo est, fumendo naturam, non quidem pro materia, & forma, quibus Angeli carent, sed pro essentia rei, ex qua res ipsa habet, ut possit moveri, & colligitur ex Scot. in 2. dist. 2. q. 9. B. dicente, Ubi esse aliquam Angeli perfectionem, sicut intellectus est perfectio potentiae intellectivae; perfectibile autem naturaliter movetur ad suam perfectionem, & quando Doctor vocat illum neutrum, neutralitatem accipit, non ut excludit naturalitatem absolute sumptam, id est inclinationem ad motum, & ubi, sed ut excludit naturalitatem rigorose sumptam, id est inclinationem determinatam ab hoc, vel illud ubi, haec enim facit, ut si aliquid sit hic naturaliter, sit alibi violenter (quae est ratio a Scot. adducta pro neutralitate motus Angelici) ut ipse declarat in r. d. i. q. 1. in calce; Tum etiam quia motus Caeli a multis ponitur neuter, & tamen ad physicum spectat, quia ad eum attinet de omni motu differere, etiam de violento ipso, ergo etiam si motus Angeli neuter esset, non ideo a consideratione physica excludendus est.

Alii demum ajunt, Angeli motum non esse physicum, quia multum distat vera mutatione secundum Ubi, ut Scot. docet in 4. dist. 10. q. 1. H. sed sane Doct. ibi non intendit excludere rationem vere mutationis a motu Angeli, sed tantum conditiones quasdam accidentales, quae conveniunt motui corporis, ut ibi est videre. 24. Contra hanc conclusionem objicit Primo Amicus supra cit. art. 7. Si Angeli, ut entia mobilia ad physicum pertinerent, jam tolleretur sufficiens ratio distinguendi Metaphysicam a physica, eo quia physica abstraheret re, & ratione a materia, sicut Metaphysica; consideraret enim Angeli naturam, quae re, & ratione abstrahit a materia.

Conf. quia si motus Angeli ad physicum spectat, cur non etiam intellectus, & voluntas angelica? nam quae habent aequalem abstractionem a materia, videntur pertinere ad eundem Artificem, sed aequae abstractus est a materia motus Angeli, ac ejus potentiae, ergo si Philos. considerat motum ejus, etiam potentias ejus intellectuales considerare poterit, ac debet.

Denique conceptus proprii ex propriis substantiarum separatarum videntur pertinere ad Metaphysicum in se, sed talis foret conceptus mobilitatis angelicae, ergo &c.

Resp. negando sequelam, nam, ut Tromb. docet l. c. ad 1. motus angelicus dicit ordinem ad materiam, scilicet ad magnitudinem, & spatium, super quod fit motus, unde & in se ipso est formaliter extensus, licet non subjective, quare hinc non sequitur, substantiam angelicam, quatenus mobilem, abstrahere a materia, re, & ratione, quia ut sic dicit ordinem ad motum spatium materiale necessario respicientem, & abstrahere a materia in sensu Aristotelis, qui physica distinguitur a Metaphysica, non est esse sine materia partis, sed est non habere materiam, quae secundum locum mobilis est, seu non esse subiectum praeditum intrinseco principio motus, unde in hoc sensu Angelus non est a materia abstractus, quia est subiectum tali principio praeditum, & denique necesse non est, quidquid ad physicum spectat, intrinsece materiam includere, sed satis est, si dicat ordinem ad materiam, & aliquid extensum, ut patet de anima rationali, quae etsi spiritalis, ad physicum spectat ob ordinem, quem dicit ad corpus.

25. Ad confirmationem Respondet idem Trombetta ad 4. negando, motum Angeli esse ita abstractum a materia, veluti ejus potentias, quia motus ejus nequit esse successivus, & continuus, nisi per habitudinem ad materiam sensibilem, scilicet ad spatium, & magnitudinem, intellectus autem angelicus ut intellectus, & voluntas similiter nullam habent habitudinem ad materiam sensibilem; & maxime quo ad primam earum operationem, quae est intelligere, & velle.

Ad aliam confirmationem dicendum pariter est, quod etsi assumptum sit verum universaliter de conceptibus a motu praescindentibus, & ordine ad illum, non tamen de illis, qui dicunt ordinem ad motum, quia Metaphysica omnino abstrahit a motu, ita ut Aristoteles substantias separatas ideo Metaphysico totaliter considerandas tradiderit, quia ipsas patavit penitus immobiles, & immutabiles, ut liquet ex 8. Phys. & 12. Met.

At responsiones istas Tromb. Amicus loc. cit. conatur evertere ea praesertim ratione, quia si huiusmodi ordo ad materiam sufficeret ad collocandas substantias spirituales sub objecto Physico, sequeretur, intellectum, & voluntatem angelicam, saltem

saltem ut sunt principia operationum circa aliquid quantum, & materiale, pertinere ad Physicum, quia in tali casu ita intellectio, & volitio diceret ordinem ad aliquid quantum, & materiale, sicut motus. Responderet adhuc, negando pariterem, nam motus localis necessario in se extenditur per extensionem spatii, super quod fit, at potentiae, & operationes intellectuales, quatenus circa objecta materialia versentur, non ita in se ipsis extensionem recipiunt, sed objective tantum, & terminative operationes illae in tali casu poterunt dici extensae, & materiales.

26. Secundo argui potest pro Tar. & Boneto. Non solum substantia quae cunctae finitae mobilis est, sed etiam accidentia ipsa, seculo quocumque ordine ad subiectum, habent in se ipsis infinitum principium motus, & sunt naturaliter mutabilia, v. n. 16. dicebatur, ergo non sufficit substantia finita pro adequato subiecto Philosophiae in tota latitudine, ut omnia per se mobilia comprehendat, sed potius poni debet ens finitum, quatenus naturale.

Respondetur, concessio etiam, accidentia habere intrinsecum principium motus (fumendo naturam pro essentia rei, unde habet res ipsa, quod fit intrinsece mutabilis, atque tamen censeri non debent per se mobilia, ac veluti per se objecta Philosophiae in se, quia sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci, ac proinde cum accidentia non sint, nisi propter substantiam, motus & a Philosopho appellatur non absolute entia, sed entis entia, ita in scientia considerari non debent, nisi per ordinem ad substantiam, cui inhaerent, atque ita indirecte, & reductivae.

Sed urgebis, eadem ratione animam separatam, ut mobilem, veluti per se objectum Philosophiae in se considerari non debere, sed tantum reductivae in ordine ad corpus, & ad quod est essentialiter ordinata.

Respondetur, utique ita etiam constitui posse objectum Philosophiae in se scilicet substantiam finitam naturalem, ut complectitur substantias omnes completas, & indirecte tantum incompletas, sed quia asserere potest existentiam animae separatae, & ejus mobilitatem, in quo statu modum habet subsistentis, ideo eam contemplari potest, veluti per se objectum, & directa consideratione dignum, quod de accidentibus asseri nequit, quae, si corpus auferatur, suapte natura absque miraculo nequaquam in universo remanent.

27. Tertio substantias immateriales existere in universo, naturaliter demonstrari non potest, ut colligitur ex Scot. quol. 7. in principio, & tenet communior, & rationes ex Calorum motu, & circumvolutione deductae, quibus 12. Met. sibi persuasit Arist. ea extare in rerum natura, nec sunt necessariae, imo nec satis probabiles, ergo frustra assignatur Philosophiae in se substantia finita pro subiecto, ut etiam ad immateriales extenditur.

Respondetur, licet pro statu isto naturalis ratio non suppetat, quia necessario probemus existentiam substantiarum immaterialium, hoc non obstat, quin intellectus ex natura potentiae eas attingere queat, loquuntur ergo DD. de naturali lumine nobis pro statu illo illuciente, dum inquirunt, naturaliter demonstrari non posse Angelorum existentiam; sed concessio etiam antecedente de quocumque naturali lumine, neganda est adhuc consequentia, quamvis enim actualis eorum existentia naturaliter probari non possit, potest tamen probari possibilitas, & earum non repugnantia, quatenus praedicata illa, quibus essentia angelicae naturae solet explicari, ad invicem non repugnant, nec integram rationem in se fallant, & hoc sufficit, ut directe cadant sub objecto naturali Philosophiae, in quantum sunt naturae mutabiles, ac constituentium enim objectum scientiae realis non exigitur actualis ejus existentia, sed sufficit non repugnantia, & possibilitas in rerum natura.

ARTICULUS III.

In quo resolvitur quaestio de objecto formali Philosophiae.

28. Dicendum est, naturalitatem dictam a natura, quae definitur principium motus, &c. melius ceteris adungi objecto materiali Philosophiae, tam in se, quam in nobis veluti rationem formalem adequatam, secundum quam objectum materiale in Philosophia considerari debeat, ita ut corpus naturale, quatenus naturale subiectum adequatum dicatur Philosophiae peripateticae, substantia vero finita naturalis, quatenus naturalis Philosophiae in tota sua latitudine. Conclusio colligitur ex Scot. loc. cit. & quantum attinet ad rationem formalem, videtur communiter recepta, paucis quibusdam exceptis, & probatur ex aliarum rationum formalium, quae ab aliis assignari solet, refutatione. Non in primis assignari potest pro ratione formali adequata generabilitas, & corruptibilitas, quia non solum Philosophia in se, sed etiam ipsamet peripatetica est majoris ambitus, & ad corpora incorruptibilia extenditur, & res ipsas corruptibiles sub aliis etiam rationibus contemplantur, & denique generabilitas, & corruptibilitas corpori caduco, veluti ratio formalis objecto materiali adungi nequit, quia de ipso demonstrabilis est a priori, cum tamen scientia suum objectum praesupponere debeat, tam quoad partem materiale, quam formalem. Non potest assignari mobilitas, quia quando sic assignatur, aut sumitur pro passione ipsa mobilitatis, aut pro principio essentiali istius passionis; primo modo inspecta statui nequit, quia tunc scientia naturalis non consideraret quidditatem, & essentiam rerum naturalium, sed tantum accidens, sicuti Mathematica, *Maffrii, & Belluti Tom. II. Physico.*

quae in corpore substantiali solam quantitatem considerat, cum tamen Philosophia agat de principiis, causis, & elementis rerum naturalium, ex quibus oriuntur earum affectiones, ac proprietates, & in hoc a Mathematica seceratur, ut docet Scotus 6. Met. q. 1. Consequentia probatur, quia scientia non potest excedere rationem adequatam objecti, quare si mobilitas consideratur ut ratio formalis objectiva, sub ea tantum licebit descendere ad varias species motus, & mobilitatis, quod tamen nec Aristoteles fecit, nec alii Philosophi, qui de rebus physicis agentes, non solum de motu, ac ejus speciebus sermonem instituerunt, sed de principiis, & causis rerum naturalium, aliisque proprietatibus, inter quas licet motus, seu mobilitas sit notior, non tamen dignior. Et tandem si mobilitas ita sumatur, scilicet pro passione, utique non erit prima ratio in re ipsa naturali, sed aliam necessario supponit, ad quam consequitur, & per quam a priori de re naturali demonstratur, quod est contra rationem objecti scientiae. Quod si sumatur pro principio essentiali mobilitatis, neque bene adhuc statuitur pro formali objecto, & ratione considerandi, quia Philosophus considerat essentiam rerum naturalium adequatam, ut est principium omnium affectionum ipsas naturaliter consequentium, & non tantum quatenus est principium radicale motus; considerat enim & quantitatem, & qualitatem, & locum, & tempus, & alia accidentia res naturales consequentia, quae utique non sunt affectiones minus praestantes motu. Nec potest rationabiliter assignari sensibilitas; Tum quia haec non est prima ratio in corpore naturali, sed aliam supponit, ad quam consequitur, & per quam de ipso demonstratur; Tum quia tunc Philosophia esset per se de accidentibus, & de substantia per accidens, quemadmodum illa tantum sunt per se sensibilia, substantia vero solum per accidens, cum tamen per se, & directe de substantia agat, ut docet Philosophus 6. Met. c. 1. & de accidentibus solum veluti de passionibus ut ait 4. Met. sum. 3. c. 1. Tum tandem quia in ipsis rebus sensibilibus non solum rationem sensibilitatis, sed alias physicas affectiones scrutatur, ergo non bene assignatur pro objecto formali in Philosophia Arist. & tanto minus in philosophia secundum se, cum haec insensibilia etiam attingant, substantias nimirum spirituales. Nec poni potest cum Aureolo substantialis corporeitas, vel, ut loquitur Cajetanus, quodquid rerum corporearum, quod praevit naturalitatem, & passionem; non in philosophia secundum se, quia sic res corporeas transcendit; non in philosophia, quam modo habemus; Tum quia substantia corporea ut sic etiam ad Mathematicam spectat, ut notat Doct. l. 6. Met. quae 1. §. Sed haec ratio, &c. num. 11. quamvis enim Mathematica dicatur de quanto, vel quantitate, quia non multum comparat quantitatem ad substantiam corpoream, tamen subiectum primum virtute continens omnia est substantia corporea, & per hoc physica seceratur ab ea, quia eadem corpoream substantiam alio modo considerat, in quantum scilicet habet formam, quae est principium motus, & quietis aliarumque passionum physicarum; Tum quia, si ut loquitur Cajet. res corporeae habent suum quodquid est praecedens naturalitatem, jam naturalitas esset conceptus accidentalis, & natura non foret substantia, sed accidens contra Philosophum in 2. Phys.

29. Remanet igitur, ut sola naturalitas assignetur pro formali ratione considerandi objectum materiale philosophiae, tam in se, quam in nobis; Tum quia sic faciendo, non assignamus objectum formale in ordine ad unam tantam affectionem physicam, v. gr. ad motum, ut Thomista, ad sensibilitatem, aut generabilitatem, ut alii, sed adequate in ordine ad omnes omnino affectiones naturales; dum enim philosophia proponit sibi corpus naturale, ut naturale, considerandum est, ac si illud sibi proponat contemplantum, ut principium omnium naturalium affectionum, inter quas quantitas, & qualitas sunt motu nobiliores; Tum quia ratio formalis est illa, qua posita ponitur res, & qua ablata aufertur, quocumque alio remanente, at posita naturalitate in rebus, quocumque alio ablato, remanet scientia physica, ipsa ablata, & alio quocumque posito, aufertur scientia physica, nam si maneret mobilitas, sensibilitas, & quaevis alia passio, non esset eadem scientia, quae nunc est, quia non esset de substantia, sed de accidente; Tum tandem, quia philosophia dicitur scientia naturalis a corpore naturali, unde ex hac ratione formali nomen sibi vindicatur.

30. Contra positam conclusionem primo objicitur ex Averfa loc. citat. sect. 4. Naturalitas dicta a natura 2. Phys. definita, proprie, & per se significat principium radicale, & essentialis mobilitatis, & motus, quoniam natura definitur principium motus ergo sicuti male assignantur objectum formale, qui statuunt mobilitatem sumptam pro principio radicali talis passionis, quia physica non considerat res naturales tantum secundum rationem motus, & mobilitatis, sed etiam secundum alias affectiones, & praedicata, & ipsam essentiam rerum naturalium, ut adequatam principium omnium physicarum affectionum, ita male loquuntur, qui assignant naturalitatem eadem ratione.

Respondetur, negando assumptum; naturalitas enim adequate significat, non tantum principium motus, sed aliarum insuper passionum res naturales consequentium; natura enim definitur 2. Phys. principium motus, & quietis, & sub nomine quietis intelliguntur omnes aliae physicae passiones, ut

ut disp. de natura dicemus explicando præfatam definitionem. Sed contra arguit Averſa. Per quietem, cujus principium ponitur natura ad summum, intelligi poſſunt alia formæ, & accidentia, quæ conſequentur, & ſunt per motum ipſum, & in quas deſinit ipſe motus, at non omnes formæ, & affectiones rerum naturalium ſunt per motum, ſeu mutationem phyſicam; primæ enim ſunt innatæ, & congenitæ ipſis rebus, v. gr. quantitas cum ſubſtantia, potentia cum anima; aut proſiunt per naturalem emanationem, & reſultantiam ex rerum eſſentia, nec dicuntur fieri per motum, & mutationem, & hæc omnia per ſe conſiderantur in phyſica, ergo naturalitas illa non eſt ratio adæquate.

Reſpondetur, negando majorem; quamvis enim per quietem in definitione naturæ poſitam præſertim intelligantur formæ, & accidentia, quæ conſequentur, & ſunt per motum, non tamen excluduntur aliæ, quæ ſunt per emanationem, & naturalem reſultantiam ex rebus ipſis, ſiquidem non minus illæ, quam illæ habent rerum eſſentias pro principio eſſentiali, & radicali, unde dimanant.

Sed iterum objicit Averſa; concedamus, naturalitatem inſinuare etiam principium quarumcumque paſſionum, quæ ex corporis eſſentia conſequentur; non idcirco recte assignatur pro ratione formali adæquata in Philoſophia, quia ſcientia totalis, & perfectæ, non ſolum quantum ad paſſiones conſequentes, ſed etiam absolute quantum ad principia etiam & cauſas, ex quibus ſuum objectum dependet, illud conſiderare debet, & de facto ſecundum hæc omnia phyſica conſiderat ſuum objectum.

Reſpondetur negando conſequentiam; Philoſophia enim conſiderando rerum naturalitatem, conſiderat etiam prædicata eſſentialia earum, ex quibus tales, vel tales affectiones emanant; & ita in compositis materialibus conſiderat materiam, & formam velut cauſas intrinſecas; conſiderat etiam conſequenter cauſas extrinſecas; Tum quia omne, quod movetur, ab alio movetur ex 7. & 8. Phyſ. unde cauſam efficientem inveſtigari neceſſe eſt; Tum quia natura agit propter finem 2. Phyſ. & ideo de cauſa finali eſt quoque in Philoſophia diſquirendum.

31 Secundo arguit Averſa, probans, non oportere assignari aliquam rationem peculiarem quaſi determinantem, & reſtringentem objectum materiale phyſicæ; in tantum enim determinari debet peculiaris aliqua ratio formalis circa objectum materiale ſcientiæ, in quantum tale objectum poteſt conſiderari ſecundum plures rationes, & non ſecundum eas omnes conſideratur in una certa ſcientia, quod ſi ſecundum omnes conſideratur in ea, jam non admittit rationem aliquam determinantem, ſed ita ſe habet res in propoſito; Philoſophia enim in ſuo objecto materiali, verb. gr. ſubſtantia corporea non conſiderat tantum unam certam rationem, ſcilicet mobilitatis, ſenſibilitatis, aut aliam, ſed adæquate omnes, ergo addi non debet ratio formalis determinans, ſed ipſummet materiale objectum in tota ſua amplitudine erit ratio formalis conſiderandi.

Reſpondetur, negando minorem, quia ſubſtantia corporea conſiderari poteſt ſecundum rationes tranſcendentes, quomodo non conſideratur a phyſico, & eſt commune objectum materiale Mathematicæ, & phyſicæ, quæ inter ſe non diſtinguuntur, niſi per diverſas rationes formales objectivas conſiderandi hoc idem objectum, quia Mathematica eam conſiderat, ut habet in ſe quantitatem alteri quanti tati commensurabilem, phyſica vero ut habet naturalitatem; verum igitur eſt, phyſicam conſiderare ſuum objectum materiale ſecundum omnes rationes phyſicas, etiam ſecundum quantitatem, quatenus eſt accidens naturaliter conſequens corpus ipſum, at non absolute ſecundum omnes proſus de ipſo ſpeculabiles, & ideo neceſſarium eſt, illi opponere rationem formalem determinantem, & ejus conſiderationem reſtringentem, & quidem talem, quæ ſit ſons, & origo omnium affectionum phyſicarum, & talis eſt naturalitas.

32 Tertio, per rationem naturalitatis phyſica ab aliis ſcientiis non diſtinguitur; ergo non eſt ratio formalis objectiva, cujus præcipuum munus eſt, unam ſcientiam ab alia diſtinguere, probatur aſſumptum; Tum quia natura, ut eſt principium motus, conſideratur a Metaphyſico, unde eam deſinit Philoſophus 5. Metaphiſ. text. 5. Tum quia Astrologia etiam agit de corpore naturali, quatenus habet in ſe principium motus ex 10. Met. tex. 4. unde Astrologus conſiderat Cæleſtium corporum figuram, ſitum, ordinem, & motum. Ex alio capite per ordinem ad motum diſtinxit ubique Ariſt. Philoſophiam a Metaphyſica, ergo potius mobilitas erit ratio formalis objectiva.

Reſpondetur negando aſſumptum, ad primam probationem dico, Metaphyſicam conſiderare naturam, non ut rationem formalem objectivam, ſed potius, ut eam prober, cum ad Metaphyſicum ſpectet probare principia omnium ſcientiarum contra negantes ea, conſiderat etiam quaſi indirecte, & per accidens, nam conſiderando cauſas entis ut ſic, neceſſario explicat naturam, quæ habet rationem cauſæ; demum natura, absolute loquendo, non tantum eſt principium paſſivum, ſed etiam activum, ut diſp. de Natura ſuſe dicemus, & quamvis ut principium paſſivum ad phyſicum ſolum ſpectet, cujus eſt conſiderare moventia mota, tamen quatenus activum ſpectat etiam ad Metaphyſicum, ſub ratione autem principii præcipue paſſivi opponitur objecto materiali Philoſophiæ.

Ad alteram probationem dicimus, alia ratione agere phyſicum de corpore naturali, v. gr. cæleſti, alia ratione Astrologum; hic enim contemplantur ſitum, & figuram ejus, ille vero eſſentiam, & naturam, & accidentia ſenſibilia, quæ ab ea originantur; & quamvis uterque cæleſtem motum conſideret, alia tamen, & alia ratione id faciunt. Phyſicus enim eum conſiderat, quatenus eſt actus entis in potentia, & ejus ſunt tria principia, materia, forma, & privatio, quæ etiam ſuo modo reperiuntur in Cælo; at Astrologus ſecundum rationes mathematicas, ſcilicet numerum, æqualitatem, menſuram, propinquitatem, & alia attributa. Demum diſtinxit Phyſicam Ariſt. a Metaph. per mobilitatem a poſteriori, ut notat Danon. cit. quaſt. 1. in fine, & a priori diſtinguitur per naturalitatem.

33 Quarto arguit Piccolomineus; quod ſtatendo ſubſtantiam finitam objectum materiale Philoſophiæ in ſe, male poſtea determinetur per naturalitatem, tanquam per rationem conſiderandi, quia ratio formalis objectiva non reſtringit ſubjectum quoad ſpecies, ſed quoad modum conſiderandi dumtaxat, ut diximus in Logica, assignando conditiones objecti ſcientiæ, at naturalitas addita ſubſtantie finitæ, non tantum eam contrahit quoad modum conſiderandi, ſed etiam quoad rem ipſam ad pauciora reſtringit, ergo non bene determinatur per naturalitatem.

Reſpondetur, negando minorem, nam ſicut in ſententia Philoſophi naturalitas erat adæquata ratio ſubſtantie corporeæ; ita ſecundum rem ipſam eſt adæquata ratio ſubſtantie finitæ, quia nulla ſubſtantia finita reperitur; ſubſtantia nimirum completa, & ſubſiſtens, vel ſaltem habens modum ſubſiſtens, ſive corporea ſit, ſive incorporea, quæ non habeat in ſe principium motus, atque ita non ſecundum rem ipſam, ſed tantum quoad modum conſiderandi naturalitas addita ſubſtantie finitæ eam coarctat.

Reſolvuntur queſta quedam de natura Philoſophiæ.

34 **E**X dictis in Logica diſputatione de ſcientia, breviter expediuntur queſta quedam de natura Philoſophiæ, quæ in hoc exordio diſputari ſolent; Num ſcilicet, ſit ſcientia; Num una; Num ſpeculativa. Supponendo namque, quæ ibi diſſuſe dicta ſunt de natura ſcientiæ, unde ſummat unitatem, & quodnam ſit diſcrimen inter ſpeculativam, & practicam, tribus propoſitis quaſtis affirmative reſpondendum eſt, eſſe ſcientiam, unam, & ſpeculativam.

Eſt igitur ſcientia, quia in ea demonſtrantur affectiones de proprio ſubjecto per cauſam proximam, & neceſſariam, mobilitas per naturalitatem, corruptibilitas per compositionem ex materia, & forma; diviſibilitas per continuitatem, & ſic de ſingulis, qua de cauſa Philoſoph. primo Cæli dicitur ſcientia de natura, & 2. Met. ſcientia veritatis, & 6. Met. inter ſcientias enumeratur. Nec obſtat, quod verſetur circa res naturales, ut mobiles, quia ly ut non reſtuitur medium demonſtrationis, ſed tantum paſſionem demonſtrabilem; ut enim docet Scot. in 1. d. 3. quaſt. 4. I. mutabilitas, ſeu contingentia in objecto non eſt ratio, qua notitia eſſentialis producit, ſed ipſa natura objecti, quod eſt mutabile, & contingens, quatenus cum ipſa aliqua paſſio neceſſariam habet connexionem. Nec minus obſtat, quod verſetur circa generabilia, & corruptibilia, quia ut monet Doct. cit. ad hoc, ut de aliquo objecto habeatur ſcientia, non requiritur neceſſitas, & incorruptibilitas ejus, ſic enim ſolus Deus foret objectum ſcibile, ſed neceſſitas inhaſionis alicujus prædicati cum ipſo intellectu de illo componente enunciationem, & quidem rationabiliter, quia ſcientia eſt de complexis non incomplexis, & ideo ad ipſam exigitur neceſſitas propoſitionum, quotieſcunque ab intellectu formantur, non autem terminorum in ſeipſis; & non eſt de rebus æternis, & neceſſariis quoad eſſentiam, & exercitium, ſed quoad connexionem prædicati cum ſubjecto, & ita loquitur Philoſophus, dum 1. Poſt. c. 6. inquit, ſcientiam eſſe æternorum, & incorruptibilem; non igitur motus, tranſmutatio, & corruptio tollunt Philoſophiæ neceſſitatem, quæ ad ſcientiam requiritur, quia ſcire corruptibilitatem, & mobilitatem per cauſas neceſſarias, vere eſt ſcire per cauſam, & propter quid, & tantæ neceſſitatis eſt, quæ conſtant ex materia, & forma eſſe corruptibilia, quantæ neceſſitatis eſt eſſe incorruptibilia, quæ illis carent.

35 Eſt ſcientia una, quia ejus objectum eſt unum, ſive loquamur de Philoſophia in ſe, ſive in nobis; ſcientiæ enim unitas (extrinſeca nimirum, & objectiva) ex unitate objecti deſumitur, in quo continetur ex Scoto in 1. d. 5. qu. 6. & in 3. d. 25. quaſt. 2. in calce; ſicut autem objectum ejus, ſcilicet corpus naturale in Philoſoph. peripatetica, & ſubſtantia finita naturalis in Philoſoph. ſecundum ſe, unum eſt, unitate tantum generica, & potenti, non autem ſpecifica, & virtuali, quia quæ conſiderantur in Philoſoph. ut partes ſubjectivæ ſpecie differunt, ut Cælum ab elementis, hæc a mixtis, & animatis, ita Philoſoph. naturalis eadem dumtaxat unitate una erit, non inajori, ut incendunt recentiores. Rationem hujus tangit Doctor in 3. loc. cit. quia quando conſiderata in ſcientia ſpecie differunt, ut in propoſito assignari non poteſt, niſi commune prædicatum habens rationem generis, in quo conveniant, & ita a tali communi ea ſcientia ex pluribus ſpecie habitibus integrata, habi-

tus unus ſecundum genus tantum dicitur; illud enim commune contineret potentialiter ſolum eos habitus in ſcientia contentos, ſicut potentialiter contineret objecta eorum, a quibus abſtrahitur, non autem virtualiter; & talem unitatem non majorem, assignat quoque Zabar. Philoſoph. lib. de naturalis ſcientiæ conſtituit.

36 Eſt tandem ſimpliciter ſpeculativa, quia omnes, præcipue habitus ejus in ſola ſpeculatione objecti ſiſtunt, neque regulas, ac præcepta operandi tradendo, & in praxim dirigunt, & ipſa tota eſt de corpore, aut ſubſtantia naturali ſub ratione mere ſpeculabili, qualis eſt naturalitas, qua de cauſa ab Ariſt. 6. Met. inter ſcientias ſpeculativas reſcenſetur. Pender totum id ex diſcrimine loc. citat. in Logica inter ſpeculativam, & practicam assignato ex Ariſt. 2. Metaph. tex. 3. ubi docet, finem ſcientiæ ſpeculativæ eſſe veritatem, & contemplationem, practicæ vero opus, & praxim, unde factum eſt, ut practica ſcientia idem ſit, quod operativa, quatenus actus ejus ex natura ſua non ſunt propter ſolam cognitionem, ſed ut veluti regula quedam dirigant in opus, talis eſt Ethica, quæ docet, operationem virtutis hujus, aut illius eſſe naturæ, ut talis ab homine fiat, ſic v. gr. cognitio iſtius propoſitionis, Deus eſt ſuper omnia diligendus, proximus eſt amandus, eſt cognitio practica, quia non tantum explicat, naturam Dei vel proximi eſſe talem, ſed ſuadet etiam, & præcipit æqualem Dei, & proximi dilectionem, hominemque in opus impellit. Scientia vero ſpeculativa dicitur illa, quæ rem contemplantur, ejuſque naturam conſiderat, atque ita ſiſt in tali contemplatione, ut hæc ex natura ſua non referatur ad aliud, ſive ad alios actus dirigendos, ut bene ſiſt in genere moris: ſic in propoſito noſtro, cognitio hujus propoſitionis, v. gr. Corpus naturale eſt mobile, Ignis eſt calefactivus, eſt ſpeculativa; quia ſiſt in ſimplici ſpeculatione naturæ ignis, & corporis naturalis, nec ulterius progreditur, diximus ex natura ſua, quia

per accidens ex intentione ſpeculantis poteſt alio referri ad lucrum, honores, alioſque fines operabiles, de hoc videatur Scotus quaſt. 4. Prolog. Nec obſtat communis objectio de Medicina, quæ eſt pars Philoſophiæ naturalis, & colligitur ex Ariſt. libello de Sanitate, & Morbo, & tamen eſt practica; falſum enim eſt, eſſe partem Philoſophiæ (licet ſit ei ſubalternata) neque id Ariſt. dixit loc. cit. ſed ſolum, conſines, vel terminos utriuſque proximis eſſe docuit, quia nimirum ubi deſinit Phyſicus, ibi incipit Medicus.

37 An vero Philoſophiæ Metaphyſicæ ſubalternetur, eſt fere quaſt. de nomine; juxta enim varios ſubalternationis modos poteſt affirmari, & negari, ut patet ex dictis loc. cit. in Logica de natura ſcientiæ ſubalternatæ, proprie tamen ſubalternata dici non poteſt; tres ſiquidem ibi numerabamus conditiones ad perfectam ſubalternationem acquiſitas, ut ſcientia ſubalternata habeat pro objecto ſpeciem aliquam, ſive partem ſubjecti ſcientiæ ſubalternantis, ut addat conditionem aliquam accidentalem ſibi propriam, & ut aſſumat præmiſſas probatas, & demonſtratas in ſcientia ſubalternante, illiſque principiis utatur, quatenus notis, & demonſtratis in ſuperiori ſcientia, quamvis igitur ratione primæ conditionis poſſit Phyſica dici ſubalternata Metaphyſicæ, quia corpus naturale, vel ſubſtantia finita naturalis ſub ente continetur, ſecunda tamen conditio non adest, quia naturalitas addita corpori, vel ſubſtantie finitæ non eſt differentia accidentalis, ſed eſſentialis; nec etiam tertia conditio proprie intervenit; eſt enim Metaphyſica proponat, & prober principia omnium ſcientiis communia per deductionem ad impoſſibile, qua ratione ceteras ſcientias ſibi ſubalternat, ut docet Ariſt. 4. Met. tex. 7. & 1. Phyſ. tex. 8. Phyſica tamen non utitur principiis ad ſuas conſuſiones probandas, quatenus notis, & demonſtratis in Metaphyſica, ſed habet ſua propria principia, quibus intellectus ſtatim aſſentitur, veluti per ſe notis, & evidentibus in ipſa Phyſica abſque recurſu ad Metaphyſ.

F I N I S.

BREVIS EXPLICATIO TEXTUS

Octo librorum de Physico auditu.

LIBER PRIMUS.

In quo de principiis in fieri rerum naturalium agitur.

CAPUT PRIMUM.

A Textu 1. usque ad 6.



DUO principaliter facit Aristot. in hoc 1. cap. quod veluti proemium est totius Philosophiae; primo enim ponit in primo textu suum institutum, & scopum, scilicet docere vitam; & methodum attingendi suam intentionem, & hoc in aliis text. At ergo; quod suum intentum est agere de principiis, causis; & elementis rerum naturalium, quod probat. Omnis scientia, cuius sunt principia, causa; & elementa, procedit ex cognitione ipsorum ad cognitionem principiorum; sed in scientia naturali res naturales habent principia, causas, & elementa; ergo; &c. probat majorem ex communi omnium estimatione; omnes enim tunc arbitrantur cognoscere unumquodque; cum principia, est causas utque ad elementa inclusive cognoscunt. Principia, causa; & elementa; vel sunt synonyma; intelligendo omne id; quod potest esse medium in demonstratione a priori, vel se habent ut superius; & inferius: principium enim in plus se habet, quam causa; nam haec solum illi rei; quae realiter in effectum influit; tribuitur, non sic principium; unde privatio principium dicitur, non causa; & causa quoque communior est, quam elementum; quod proprie intrinsecis causis competit; at causa dicitur etiam de extrinsecis. In 2. parte docet methodum; qua vult uti in investigandis principiis; & est methodus resolutionis; sive per demonstrationem a poster. quia procedit a compositis; & principiat ad principia componentia; & resolutionis; quod probat: In quacunque inquisitione procedere debemus ex notis nobis; natura autem ignota; ad manifestiora natura; quia talis via est nobis insita a natura, sed confusa magis, idest composita; quae dicuntur magis confusa; quia essentia essentialiter; & actualiter continent; sunt nobis notiora; deinde dividendis nobis composita nota sunt elementa; & principia; ex quibus ipsa constituitur; quapropter concludit in text. 4. ex universalibus ad singularia procedere oportet; ita ut in istis tribus textibus unicus syllogismus contrahatur; in 2. major; in 3. minor; & in 4. conclusio; per ly *universalibus* Philosophus intelligit, ut notat Scotus in 1. diff. 3. qu. 2. O. compositum; & totum essentiale; per ly *singularia* intelligit principia, ubi sciendum, quod sicut duplex est totum; aliud potentiale, ut superius; aliud essentiale, ut inferius; ita duplex est magis confusum; aliud potentiale, quod plura continet potentialiter; aliud essentiale; quod plura actualiter habet; quale est compositum; duplex quoque est universale; aliud in praedicando; ut totum universale; aliud in continendo; ut totum essentiale; quod actualiter plura continet; & de isto loquitur Philosophus; ut patet ex rationibus; quibus probat minorem text. 5. & quamvis 2. Post. cap. 21. dicit; a singularibus ad universalia procedere oportet; intelligitur tamen in ordine distincte cognoscendi; non confuse; ut hic loquitur; & hoc sumendo utrobique singulare; & universale in eodem sensu; minorem vero hujus rationis tripliciter probat in text. 4. primo; quia totum integrale sensibile notius est suis partibus; compositum etiam est quoddam totum in continendo; 2. Definivum; ut per nomen confusum est impotitum; notius nobis est quam definitio; ita se habet compositum ad suas partes. 3. Ea sunt nobis primo nota; quae per se instinctu naturae prius apprehendunt; tale autem est compositum; quia primo appellant omnes viros patres; & omnes foeminas matres; quod ideo evenit; quia apprehendunt primo illud singulare hominis confuse; quam ejus partes; quae sunt tales conditiones individuantes; ut talis facies; talis color; &c. quod si primo apprehenderent istas partes; certe cognoscerent; illud singulare hominis; quod est pater; esse distinctum a quocunque alio.

CAPUT II.

A Textu 6. usque ad 23.

Incipit hic agere de principiis rerum naturalium; & primo numerum investigat. adducendo; & refutando antiquorum opiniones; postea propriam aperiendo sententiam; in praesenti vero capite; postquam retulit quasdam Antiquorum opiniones peculiariter tamen contra Parmenidem; & Melissum invenitur; qui unum tantum principium ponebant rerum

naturalium; & immobile; sed Parmenides dicebat; esse finitum; Melissus vero infinitum; hos Philosophos non naturales vocat Arist. quia motum negabant; & consequenter naturam; quae est motus principium; unde non esset hic contra ipsos disputandum; quia contra negantes principia alicujus scientiae; non est in illa scientia disputandum; in qua principia supponuntur; non probantur; atamen (inquit Aristot.) quia de principiis erit agendum; utile quoque erit contra ipsos arguere rationibus desumptis ex aliorum scientia; scilicet Metaphysica. Arguit ergo primo; quia si omnia sunt unum ens; jam non erit principium; quia principium ad principium refertur tanquam ad suum correlativum realiter distinctum. 2. Arguit rationibus desumptis ex ente; & uno. Prima est; Ens multipliciter dicitur de essentia; scilicet substantia; de quantitate; qualitate; &c. ergo si omnia sunt unum aut substantia sitis accidente; & sic nec finitum; nec infinitum esset; quia haec quantitatem sequuntur; loquendo de molis magnitudine; vel quantitas; aut aliud accedens; & hoc est falsum; quia accidentia sunt in alio entia; & substantiam; ut subjectum supponunt; Si utrumque substantia eum accidente; jam non unum omnia erunt; sed plura; quia haec; sive conjuncta; sive separata; diversa sunt. Secunda est ista: Unum; aliud constituitur; aliud indivisibile; aliud definitione: omnia non sunt unum continuitate; quia multa distincta sunt; ut patet; Tunc quia essent plura potestate; scilicet illa; in qua continuum potest dividi; non secundo modo; quia nec finitum; nec infinitum; neque tertio modo; quia contraria; & contradictoria eandem definitionem; & essentiam haberent; quod impossibile. Deinde Philosophus parvipendit quosdam; qui; si unum plura esse dicerent; tollebant copulam a propositione; non enim dicebant; homo est albus; sed albus; quasi quod (inquit Aristot.) idem non possit simul esse unum actu; & plura in potentia. Tandem proponit solvere rationes Parmenidis; & Melissi tanquam sophyllicas.

CAPUT III.

A Textu 23. usque ad 32.

Solvit in hoc capite rationes horum Philosophorum; quae; ut deducitur ex ipsis solutionibus; erant istae. Argumentum Melissi erat tale: Omne quod genitum est; habet principium; ergo omne; quod non est genitum; non habet principium; sed ens non est genitum; ergo caret principio; quod caret principio; caret etiam fine; quod est hujusmodi; est infinitum; & consequenter immobile; & unum; nam si esset mobile; non occuparet totum spatium; & sic finitum esset; & si essent plura; alterum illorum esset finitum; ergo ens est unum; infinitum; & immobile; minor subtilitate probatur. Si ens est genitum; vel ex ente; vel ex nihilo; non secundum; quia ex nihilo nihil fit; non primum; quia alioquin esset antequam fieret.

Respondet Arist. argumentum continere fallaciam; quia arguit ab inferiori ad superius negative; genitum esse est inferius ad habere principium magnitudinis; de quo procedit ratio Melissi; aliter non inferretur ex carentia principii; & finis infinitatem in magnitudine; datur enim Caelum ingenitum secundum Philosophos; & tamen est finitum in magnitudine. Nec insuper sequitur: est unum; ergo immobile; quia potest moveri secundum partem; & motu alterationis.

4. Ratio Parmenidis est haec: Quicquid est praeter ens; est non ens; sed non ens est nihil; ergo quicquid est praeter ens; est nihil; sed ens; & unum convertuntur; ergo quicquid est praeter unum; est nihil; ergo omnia sunt unum ens; si unum; ergo immobile; quia non habet a quo moveatur.

Respondet; rationem hanc etiam peccare; nam sumit ens communissime in primo argumento; sed in subtilitate minori; ut sit vera; accipit pro aliquo ente in particulari; aliter si communissime illud acciperet; esset falsa; ens enim in sua communitate non dicit unum; sed plura; scilicet substantiam; & accidens.

CAPUT IV.

A Textu 32. usque ad 41.

Disputat in praesenti cap. contra Philosophos naturaliter loquentes; idest juxta principia Philosophiae; & precipue contra Anaxagoram; ponentem infinita principia rerum naturalium; alii enim dicebant; vel unum esse principium; scilicet ignem; vel aquam; aut aerem; vel aliquid medium corpus inter aerem; & aquam; & praeter hoc principium alia duo contraria ponebant; scilicet raritatem; & densitatem; vel magnum; & parvum; &c. At Anaxagoras; a quo parum distat Empedocles; infinita posuit principia inclusa in quodam chao; quae nil aliud erant; quam infinita particulae indivisibiles; & propterea atomi vocatae; cujuslibet rei; ut infinita particulae carnis; ossis; aquae; &c. quam partium confusionem; dicebat; ab initio fuisse; sed mentem; idest Deum; distinxisse; & separasse in varias species; sed modo agens creatum ex istis corporibus segregat multas portiones alterius rei in ipsis latentibus; & quia una res ex alia gignitur; inferebat; quodlibet ex quolibet fieri; & omnia in omnibus esse; sed denominationem habere ab eo; quod in illa res magis enteret; v. g. aliquid dici aquam; quia plures aquae particulae in eo essent; quam alterius rei. Empedocles autem voluit; ex isto chao primo quatuor elementa extracta fuisse; ex quibus postea omnia alia genita fuerunt. Fundamentum autem istorum fuit; quia ex nihilo nihil fit.

6. Ista Anaxagorae opinio impugnat Arist. 1. quia non daretur scientia de rebus naturalibus; nam non potest haberi scientia de reali; nisi cognitio principii; ergo si principia rerum naturalium essent infinita; & infinitum; ut infinitum; est ignotum; non possent cognosci res naturales. 2. Quia res naturales non essent determinatae quantitatis; sub qua perunt existere; sed in infinitum possent esse majores; vel minores; quod est falsum. 3. Quia finitum per ablationem finiti tandem consumitur; ergo a qualibet parte carnis non potest fieri segregatio in infinitum aliarum partium; quia daretur minima caro; a qua nihil posset extrahi. 4. In quolibet corpore essent infinitae infinita corpora; ut in quolibet parte cerebri infinitus; in quolibet parte sanguinis infinita caro; infinitus ignis; infinitum cerebrum; &c. & sic quilibet res esset infinita magnitudinis. Rationes vero horum Philosophorum adequate solvit in cap. 8.

CAPUT V.

A Textu 41. usque ad 50.

Nunc ex propria sententia incipit de principiis agere; & ut certum numerum assignet; praemittit in praesenti capite unum principiorum conditionem; ab omnibus Philosophis concessam; videlicet; principia esse contraria; quam probat auctoritate omnium Philosophorum. Secundo ratione; quae talis est. Prima principia sunt; quae non sunt ex aliis; neque ex alterutris; sed omnia ex ipsis; sed talia sunt prima contraria; ergo prima contraria sunt prima principia; major patet; quia si ex aliis fierent; non essent prima principia; neque ex alterutris; quia unum esset principiatum; non principium; quod vero omnia ex ipsis fiant; patet; quia sunt principia omnium rerum; & prima; minor probatur; quia prima contraria ex eo; quod sunt prima; non sunt ex aliis; neque ex alterutris; nam calidum ex frigido licet fiat; ut ex subjecto; non tamen ex frigore; vel ex non calore; & omnia ex ipsis; quia quod agit; in suum contrarium agit; & quod patitur; a suo contrario patitur; sed res naturales sunt per actionem; & passionem; ergo omnia sunt ex contrariis; seu; in omni generatione rerum prima contraria interveniunt.

CAPUT VI.

A Textu 50. usque ad 57.

Infert in hoc cap. numerum ternarium principiorum sic. Principia sunt contraria; ergo non unum; quia non potest idem sibi ipsi contrariari; ergo plura sed non infinita; quia ex dictis contra Anaxagoram; non essent res naturales scibiles; neque duo tantum; quia unum contrarium non transmutat; nec convertit aliud; sed a communi subjecto illud expellit; ergo debet dari tertium amborum susceptivum: Tum quia aliqua principia constituunt substantiam intrinsece; substantiae autem nihil est contrarium; ergo praeter contraria debet dari tertium commune illis. Neque tantum sunt plura tribus; quia pro una contrarietate sufficit unicum principium; circa quod; ut commune subjectum; contraria illa versentur; & pro una contrarietate duo tantum ponuntur extrema; neque in quolibet genere est nisi una contrarietas; ex communi axiomate; sunt autem haec privatio; & forma in genere; privationes autem; & formae in specie; quae plurimae sunt; non multiplicat principia in communi; ergo tria principia; non plura; nec pauciora.

CAPUT VII.

A Textu 57. usque ad 71.

Declarat; & probat amplius numerum principiorum assignatum hoc modo; in omni mutatione datur unum subjectum commune respectu contrariorum; & duo termini contrarii; scilicet terminus a quo; & ad quem; qui sunt privatio; & forma; ergo tria principia; antecedens probat inductione; tam in substantiali generatione; ut cum producitur homo; vel equus; quam in accidentali; ut cum homo fit muscus; ad quod explicandum varios supponit modos loquendi; quibus utimur ad significandas transmutationes istas; nam duobus modis utimur ipsa privatione; videlicet; ex non albo fit album; & non album fit album; sed subjecto unico tantummodo utimur; scilicet; hominem fieri album; non vero ex homine fieri album; nisi in artificialibus; nam dicimus; ex ligno fit statua. Supponit etiam; materiam; & privationem; licet sint unum numero subjective; differre tamen ratione; idest conceptu; quia manet materia in composito; recedente privatione. Ex quo deducit; principia posse tria dici; & duo; tria; si secundum rationes formales accipiantur; alia enim est ratio subjecti; alia termini a quo; & alia termini ad quem; duo vero secundum rem; & simpliciter; quia privatio; cum sit non ens; non ponit in numerum; sed unum cum materia principium possit poni. Ait etiam; principia posse dici contraria; & non contraria; contraria; si termini a quo; & ad quem inter se comparentur; non contraria; si subjectum cum altero illorum terminorum sumatur; nam cum quolibet illorum est compositibile. Tandem ait; materiam cognoscibilem esse per analogiam; nam sicut in artificialibus ea se habet ad statum; & lignum ad lectum; & similia; quae formam artificialem recipiunt; & ante ipsam formam dicuntur informia; sic se habet materia ad formam substantialem; est igitur ipsa materia unum principium; non sic actualiter existens; sicut substantia completa; nec eodem modo ens; cum sit pars substantiae.

CAPUT VIII.

A Textu 71. usque ad 82.

Nunc ex dictis solvit Achillem advariorum; quo freti ponebant; materiam esse totam quidditatem rei; nec dari generationem substantialem; sed tantum accidentalem; ratio erat ista. Ex nihilo nihil fit; si ex aliquo; ergo esset antequam fieret; quod est falsum; ergo nihil de novo secundum substantiam oritur vel interit. Respondet Arist. quod oritur non fieri ex non ente simpliciter; neque ex ente in actu simpliciter; sed ex non ente per accidens; & secundum quid; nam fit ex materia; quae ratione privationis annexae potest dici non ens secundum quid; fit etiam ex simpliciter non ente; scilicet ex privatione; non per se; sed per accidens; quatenus privatio in materia praesupponitur. Similiter non fit per se ex ente in actu simpliciter; & completo; sed per accidens; quia aqua verbi gratia non fit per se ex materia; ut informata forma ignis; accidit enim hoc sibi; sed per se fit ex ente in potentia.

11. Deinde ex dictis confutat opinionem Platonis; qui privationem non distinguebat a materia; eo quia unum sunt subjecto; & numero; & consequenter fit non ens; quia quicquid est praeter ens; est non ens; materia est praeter ens; quia est in potentia; ergo absolute est non ens; & eadem cum privatione. Hoc dictum dupliciter impugnat Aristot. primo; quia materia; esto unum subjecto fit cum privatione; diversa tamen munera ambo exercent; materia enim est quodammodo substantia; suscipit formam; & cum ea concurrat ad constituendum compositum; nullum horum habet privatio; quae est non ens; & potius ad maleficium tendit. Neque per hoc; subjungit Aristot. excludenda erit privatio a principiorum numero; quia privatio est causa appetitus; quem habet materia respectu formae; etenim materia appetit formam; non quam habet; quia appetitus est ob indigentiam non habitam; & respectu absentis; ergo quam non habet; non ratione formae habitae; aliter haec esset ratio appetendi propriam destructionem; nam ex adventu novae formae provenit destructio antiquae; ergo appetit materia formam; sicut foemina marem; & turpe pulchrum; ratione carentiae; & privationis illius formae.

CAPUT IX.

A Textu 82. usque ad finem.

Ostendit Aristot. in hoc capite; materiam per accidens generabilem esse; & corruptibilem; per se vero ingenerabilem; & incorruptibilem. Primum probat; quia privatio advenit materiae recedente forma; & perit illa adveniente; ergo per accidens potest dici generari; & corrupti; ad generationem; & corruptionem scilicet privationis; vel formae. Secundum probat; supponendo prius definitionem ipsius materiae primae; dicens; materia est subjectum primum uniuscujusque; ex quo fit aliquid; cum insit; & si aliquid corrumpitur; in hoc abibit ultimum; ergo si ipsa per se generaretur; & corrumpere; per se haberet subjectum generationis; & corruptionis; sed ipsa est primum; & ultimum subjectum cu-

iuscunq̄ue generationis, & corruptionis, ergo esset antequam generaretur, & remaneret post sui ipsius corruptionem, quod implicat. Tandem ait, non esse physicæ considerationis agere de forma, ut abstracta a materia, sed solum de formis in materia. Et sic finis hujus primi libri.

LIBER SECUNDUS PHYSICORUM

In quo de principiis in factis esse naturalium, scilicet de natura, & causis agitur.

CAPUT PRIMUM.

A textu 1. usque ad 16.

Intendit Philosophus in hoc 1. cap. declarare naturam, & ens naturale, & primo dat divisionem generalem entium, quod alia sunt a natura, & sunt illa, quæ internam habent principium motus, & quietis, ut Cælum, & elementa, & corpora mixta, nam simplicia ab intrinseco moventur localiter, mixta alterantur, &c. Alia sunt ab aliis causis extrinsecis, ut artificialia, videlicet domus, statua, &c. quæ ut sic nullum habent principium internum motus, nisi quatenus ex aliquo ente naturali constant, ut statua deorsum movetur, non ut statua, sed ut lignea est. 2. Ex ista divisione infert definitionem naturæ, dicens esse principium, & causam motus, & quietis ejus, in quo est primo, per se, & non secundum accidens; dicitur autem principium per se, & non secundum accidens ad differentiam artis, quæ potest aliquando esse principium alicujus motus in artifice, sed per accidens, ut patet in Medico se ipsum sanante; accidit enim illi, ut ægrotus est, quod polleat medicina, quæ definitio fuit in quæstionibus explicabitur. 3. Definit rem naturalem, & secundum naturam; res naturalis est, quæ naturam habet, idest tale principium motus, & quietis, hinc artefacta non sunt naturalia; ut diximus; quæ naturalis res substantia est (inquit Arist. in text. 4.) quod probat, quia *subiectum quoddam, & in subiecto est natura semper*, ex quibus multi deducunt, Aristot. hic naturam dividere in materiam, & formam, ita ut vis rationis sit hæc; natura est materia, & forma, istæ sunt substantiæ, ergo habens naturam erit substantia, quia non substantia nequit ex substantiis constitui, sed falluntur, nam Arist. incipit agere de natura in particulari, ipsam dividens a text. 7. & in text. 10. ipsam totaliter, & adæquate dividit; non ergo in text. 4. assignavit divisionem naturæ, neque probavit, habentia naturam esse substantias ex hoc cap. quia natura constant, quæ est materia, & forma, aliter Cælum non haberet naturam, cum in sententia ipsius, materia, & partiali forma careat, sed ex alio cap. ut notavit Vicomercatus, ibi, quia scilicet naturæ subijciuntur, quam in subiecto esse semper est necesse; subijci autem, substantiæ est proprium, cap. de substantia, in cuius expositionis signum Argyropoli versus omnium germanissima, apud omnes habita, ita habet. *Subiectum enim quoddam sunt, & in subiecto est natura semper.* Ens autem secundum naturam, ait, esse vel ens habens naturam, vel ens consequens rem habentem naturam, ut sunt omnes proprietates, quæ habentibus naturam insunt, ut igni ferri sursum, terræ deorsum, in quarto ostendit a text. 7. quibus rebus ratio naturæ conveniat, & primo ait, convenire materiæ ex communi omnium Philosophorum consensu, a quibus discrepat solum Arist. quod illi materiam posuerunt totalem naturam, Arist. vero partialem, ratio est, quia licet materia, ex quo est principium motus, & operationum naturalium, saltem passivum in rebus inexistentibus sit natura, non tamen est totale principium constituens rem in esse, sed partiale, ideo in text. 10. dividit naturam, in materiam, & formam, sed per formam, si bene perpendatur, non intelligit solum formam partem, sed etiam totius, quæ est quidditas, & essentia in eo, cuius est; ita enim habet: *Uno igitur modo natura sic dicitur prima unicuique subiecta materia habentium in seipsis motus principium, & mutationis, alio autem modo forma, & species, quæ secundum rationem, & statim text. 11. explicans, quid intelligat per speciem secundum rationem, subiungit. Quam definiens dicitur, quid est caro, aut os. Quid autem sciat nomen speciei, quam quidditatem, & essentiam rei? quapropter adæquata naturæ divisio erit in materiam, formam, & quidditatem, vel in materiam, & formam, intelligendo per formam, tam partialem, quam totalem, nam tota quidditas est immediatum principium omnium passionum, & sic sub ista divisione Cæli natura comprehenditur. Tandem ostendit, formam esse magis naturam, quam materiam, ex hoc, quod artificialia dicuntur talia a forma artificiali, ergo naturalia a forma naturali potissimum dicuntur; Tum quia ens naturale magis per formam, quam per materiam est ens actu; Tum quia generatio dicitur naturalis, quia tendit ad naturam, sed tendit ad formam, ergo, &c. ex quibus infert, naturam aliquo modo, & improprie posse dici de privatione, quæ materiam tanquam forma denominat.*

CAPUT II.

A textu 16. usque ad 27.

Ostendit in hoc cap. 1. Physicum a Mathematico differre; verum enim est, utrumque circa quantitatem, & corpora cælestia versari, atque adeo, cum ex unitate objecti unitas scientiæ desumatur, Physicum, Mathematicam, & Astrologiam unam scientiam videri, at tamen, inquit Arist. aliter Physicum considerare res istas, aliter Mathem. nam Physicum illas considerat, ut immerfas in sensibili materia, ut accidentia corporis naturalis per materiam, & formam definit, ubi Mathematicus abstrahit a materia sensibili, definit per formam, non per materiam, & a corpore naturali, cuius sunt accidentia, abstrahit (quomodo autem proprie sint distinguendæ scientiæ, tactum est in quæst. de subiecto Philosophiæ.) Secundo probat, Physicum debere materiam, & formam considerare, quia ejusdem artis est cognoscere materiam, & formam, ergo quia ars imitatur naturam, ejusdem scientiæ erit materiam, & formam considerare, antecedens patet inductivè; Medicus enim non solum debet cognoscere sanitatem, sed etiam humores, quæ materia sunt sanitatis, adificator domum, ligna, lapides, &c. debet etiam cognoscere. Tum quia ejusdem scientiæ est cognitio finis, & eorum, quæ ad finem sunt ordinata, & contemplatio relativorum; materia ordinatur ad formam, quæ est finis generationis, & habent ut relativa, quia sunt per se actus, & per se potentia, ergo, &c.

CAPUT III.

A textu 27. usque ad 39.

Hic incipit agere de causis, quia scientia est cognitio per causam, ergo ad Physicum etiam spectat de causis rerum naturalium agere, & primo assignat definitiones quatuor generum causarum: primum est genus materialis causæ, & definitur, esse id, ex quo fit aliquid, cum insit; secundum est genus formalis causæ, & est species, exemplar, & ratio ejus, quod quid erat esse, hoc est, esse rationem principalem definitionis, & essentiam rei; tertium est efficientis causæ, & dicitur id, unde primo incipit motus, & quies; dicitur primo, ut excludatur instrumentalis causa, quæ licet sit quodammodo efficiens, non tamen est prima; quartum est genus causæ finalis, & definitur, esse id, cuius gratia aliquid fit, ut sanitas est finis deambulationis, quæ fit propter sanitatem, & possunt respectu ejusdem effectus plures fines intermedii concurrere, ut sumptio medicinæ est propter purgationem, & ista propter sanitatem.

16. Deinde tres ponit causarum proprietates 1. Quod ejusdem effectus possunt esse plures causæ per se, in diverso tamen genere, & si in eodem genere, erunt partiales causæ, non totales. 2. Causæ sunt sibi invicem causæ in diverso genere, ut purgatio est causa efficiens sanitatis, sanitas causa finalis purgationis. 3. Idem potest esse causa contrariorum effectuum, diverso tamen modo, quod exemplificat Arist. de nauta, qui sua præsentia est causa salutis navis, at sua absentia est causa submerisionis; potest autem intelligi de eadem causa per se agente, si adit contraria dispositio ex parte materiæ; Sol enim lutum desiccatur, ceram mollicat; finis etiam potest contraria causare, ut sanitas modo est causa comestitionis, modo dietæ; tranquillitas Reipublicæ est causa punitionis malorum, & præmiationis bonorum; materia quoque successiva potest effectus contrarios causare, at forma non potest per se causare effectus contrarios, nisi quia sua absentia corrumpit compositum.

17. Tertio assignat plures causandi modos, qui in omnibus generibus possunt reperiri. 1. Est, quod una causa est prior, idest universalis, altera posterior, idest particularis. 2. Est, quod una causa est per se, a qua, ut tali provenit effectus, ut statua a statuario; altera per accidens, quæ accidentaliter est per se causæ unita, ut accidit statuario album esse. 3. Est, quod quælibet causa, alia est in actu, quæ actu operatur, alia in potentia, quæ licet non agat, potest tamen causare, qui modus omnibus convenit, & eodem modo effectus possent distingui. Ex quo deducitur, causam in actu esse simul cum effectu in actu, non sic causam in potentia. 4. Modus est, quod alia causa est simplex, seu incomplexa, ut Policletus vel statuarius, alia complexa, & conjuncta, ut Policletus statuarius. Tandem concludit, quod si scientiæ velimus cognoscere aliquem effectum, debemus causam summam, idest proximiorum illius quærere, & si effectus est universalis, causa quoque universalis assignari debet; si particularis, causa particularis: si effectus est in potentia, etiam causa in potentia, & si in actu, causa quoque in actu.

CAPUT IV.

A textu 38. usque ad 68.

In præsentem cap. agit Arist. de causis per accidens, scilicet de casu, & fortuna; tria facit, primum investigat, an sint casus, & fortuna, secundum quid sint, tertium quomodo differant, & conveniant. Quoad primum adducit opinionem An-

CAPUT VI.

A textu 57. usque ad 87.

Intendit hic Arist. ostendere, naturam propter finem agere, non temere, & casu, ut dicebant antiqui, ponentes omnia post mundi fabricam casu evenire ex parte agentis, & solum causam esse determinationem materiæ, ut quod in hyeme pluat, esse propter ascensum vaporum ad mediam aeris regionem, non vero ad terram fecundandam, quod probant, quia per solam materiæ determinationem, & necessitatem rediit sufficiens ratio effectuum naturalium, ergo non debet alia per se causa assignari: Tum quia multa in his, quæ a natura proveniunt per accidens, ut monstruosa, & hoc propter defectum materiæ: ergo si monstra non sunt, erit ex proportione debita materiæ: Tum quia agere propter finem prærequirit cognitionem finis, & mediorem, quæ in naturalibus non reperitur; Arist. tamen affirmative respondet, & probat, quia quæ sunt a natura, ut plurimum eveniunt; quæ sunt a casu, raro contingunt; Tum quia ars imitatur naturam, & propter finem agit, ergo & natura; Bruta, quæ carent electione, agunt propter finem, ut araneæ telas texunt, ut muscas capiunt, aves nidus fabricant generationis causæ, plantæ producunt folia ad tegendos fructus, radices in imum depingunt nutritionis causa, &c. hinc ad primum respondet, non adæquate responderi propter materiæ determinationem, nam videmus, dari operationem propter finem in naturalibus, ut patet. Ad 2. ait, potius oppositum probare, nam sicut in arte, quia non semper agens assequitur finem, ideo datur operatio propter finem, ita in naturalibus dicendum; quapropter monstrum est erratio naturæ ab eo fine, quem sibi in agendo proposuerat. Ad 3. Tandem, falsum est, quod necessaria sit libertas, & deliberatio ad agendum propter finem, ut patet etiam in artibus, nam artifex sæpe non deliberat de modo productionis effectus, sed quasi naturaliter juxta regulas artis, ad opus se movet.

CAPUT VII.

A textu 87. usque ad finem.

Ultimo declarat, unde proveniat necessitas in rebus naturalibus, duplex enim necessitas potest reperiri in ipsis, una ex parte materiæ, quod talis, vel talis sit, altera ex parte finis, quatenus isti, & non alteri fini inservire debet. Antiqui primam tantum necessitatem agnoscebant, negabant secundam. Contra (inquit Aristot.) ars imitatur naturam, & necessitatem sumit ex fine, ut patet in structura ferreæ, quæ duos, & acutos dentes habet, ut ligno resistat, ipsumque scindat, & similibus, ergo & natura: Tum quia sicut se habet principium ad conclusionem in speculabilibus, ita finis in naturalibus ad ea, quæ sunt ad finem, sed necessitas conclusionis sumitur a principio, ergo, &c. Tum quia materia est propter finem, scilicet propter formam, quæ potissima est in definitione, ergo potius necessitas a fine, quam a materia, debet desumi.

LIBER TERTIUS PHYSICORUM

Ubi de motu, & de infinito est sermo.

CAPUT PRIMUM.

A textu 1. usque ad 6.

Antiquorum, negantium, dari casum, & fortunam, quia omnes effectus determinatas habent causas, ut patet præcipue de thesauri inventione; de qua maxime solet dubitari, cuius determinata causa est fortis; unde antiqui Sapientes nihil de casu, & fortuna dixerunt. Hos impugnat Arist. ex communi omnium consensu, multos effectus casu, & fortunæ attribui, eo quia non habent certam, determinatam, & necessariam causam, ut videbimus; quare negat minorem, & ait, Sapientes diminutos fuisse, non assignantes causas per accidens inter alias causas. Alii ex opposito dixerunt, dari casum, & fortunam respectu Cæli, & universi, quoad partes principales, eo quia dicebant, casu evenit, quod athomi ita se conjunxerunt, ut istum mundum cum tali ordine constituisent. Contra (inquit Aristot.) si plantæ, & alia inferiora corpora non habent causam per accidens, sed per se, multo magis corpora nobiliora. Tum quia nihil in Cælis casu evenit, sed omnia ordine quodam mirabili sunt, at in his inferioribus totum oppositum videtur, ergo potius casus, & fortuna poni deberent in his sublunariis, quam in cælestibus.

19. Quoad 2. refert opinionem aliquorum, ponentium fortunam, causam divinam esse nobis occultam, a qua omnes effectus fortuiti, & causales proveniunt. Ut autem patefaciat, quid proprie sit fortuna, primo adducit multas divisiones: prima est. Eorum, quæ sunt, alia semper eveniunt, ut ignem comburere, si esset applicatus, alia frequenter, ut pulvis in hyeme, semem canescere, alia raro, ut quod fodiens thesaurum inveniat. 2. Quod aliqua sunt propter finem, ut deambulationem propter sanitatem, alia non propter finem, quia sine advertentia rationis sunt, ut fricatio harbæ. 3. Quæ sunt propter finem, alia sunt ex electione, & judicio, ut effectus a causa cognoscente provenientes; alia absque electione, sed ex naturali instinctu, ut actiones causarum naturalium. 4. Causa per accidens, alia est causa per se conjuncta, ut album respectu statuarii; alia est effectui per se conjuncta, ut ruina domus est effectus conjunctus combustionis lignorum, quibus domus innitebatur, combustio est effectus per se ignis, at ruina domus est effectus per accidens ipsius ignis. 5. Causa per accidens ex parte effectus tripliciter potest effectui per se conjungi, vel semper, vel frequenter, vel raro; istas duas ultimas divisiones causæ per accidens applicans in proposito, ait, fortunam non esse causam per accidens ex parte causæ, quia non est fortuito, quod adificator sit musicus, sed ex parte effectus raro eventientis, ut quod fodiens terram, thesaurum inveniat; & quia fortuna est eorum effectuum, qui proveniunt in agente a consilio, casus vero in agentibus propter finem quidem, sed non ex electione, colligit definitionem fortunæ, dicens, Fortuna est causa per accidens in his, quæ operantur propter finem, raro, & præter intentionem eventientibus. Quæ dividi potest in bonam, & malam fortunam, juxta qualitates effectuum, reduciturque ad causam efficientem, quia casus est in agentibus a natura, fortuna in agentibus per intellectum.

20. Quoad 3. ait, casum universaliorē esse, quam fortunam, quia casus, si late sumatur, se extendit ad quamcumque causam per accidens, & sic effectus fortuiti casuales possent dici, at strictè loquendo, casus solummodo in agentibus sine proposito reperitur, sic, quod lapis decidat e turri, & aliquid cadat, læsio est effectus casualis respectu lapidis: quod aliquis inveniat, fodiendo terram thesaurum, est effectus fortuitus, quia est in agente a proposito, & hoc, quia fortuna accidit illis agentibus, quibus convenit bene, vel male agere, qualia sunt agentia a proposito, hinc infantes, bruta, & inanimata non operantur ex fortuna, nisi similitudinariè. Ex quibus tandem concludit contra Democritum, mundum non fuisse casu productum, quia si esset effectus per accidens, debuisset præcedere effectus per se, cui per accidens conjungeretur, quod est falsum, quia ante mundum nihil fuit productum.

CAPUT V.

A textu 68. usque ad 75.

Duo facit Arist. in hoc cap. Primo probat quatuor esse causarum genera tali ratione. De aliqua re quatuor interrogationes solent fieri, quibus per quatuor genera causari solent; nam primo possumus inquirere de aliqua re, ex quo sit facta, & responderetur per causam materialem. 2. Per quid sit talis, & responderetur per formalem causam. 3. A quo sit producta, & est efficiens. 4. Cuius gratia, & propter quid sit producta, & responderetur per finalem causam. Quamvis autem (subiungit Arist.) quatuor sunt ista genera, sæpe tamen tria illorum coincidunt in eadem re, puta forma, finis, & efficiens, nam idem numero in generatione est forma, & finis, efficiens quoque est idem cum forma, & fine, non quidem numero, sed specie, & hoc solum in generationibus univocis, non æquivocis.

Secundo ostendit, omnia ista genera ad Physicum pertinere, quia causa efficiens est triplex, vel est movens immota, ut Deus, vel movens mota, sed incorruptibilis, ut Cælum, vel movens mota, sed corruptibilis, ut sublunaria; Prima ad Metaphysicum pertinet secundum essentiam, secunda, & tertia ad lib. de Cælo, & de Gen. Quo supposito probat, Philosophum omnia causarum genera considerare, quia si considerat generationes rerum, debet quoque causas earum investigare, hinc in suis demonstrationibus utitur omnibus istis generibus, & modo per efficientem, modo per finalem, modo per materialem, vel formam demonstrat.

feruntur secundum superabundantiam, & defectum, alia secundum activum, & passivum, ut calefaciens, & calefactum, & est relatio secundi modi, fundata super potentiam activam, & passivam: prima vero est primi modi, super unum, & multa fundata: relationem tertii modi non adducit Ar. quia ad presens non spectat. Tandem subjungit, motum non esse praeter res ipsas, circa quas versatur idest non pertinere ad praedicamentum distinctum a suo termino, sed in eodem esse praedicamento, in quo terminus motus reperitur: & quia quatuor sunt genera entis per motum acquisibilia, videlicet substantia, quantitas, qualitas, & ubi, ideo ad ista quatuor praedicamenta motus pertinet.

CAPUT II.

A textu 6. usque ad 18.

25 **A** signat hic Arist. definitionem motus, ipsamque probat: dicit ergo, motus est actus ejus, quod potentia existit quatenus hujusmodi, idest, quatenus in potentia, ubi ly *quatenus*, ut notat Scot. quol. 3. K. se tenet specificative, quia cum in mobili sint duae rationes, est enim in actu, & in potentia, motus est actus ejus, ut consideratur in potentia. Istam definitionem explicat, & probat Arist. esse bonam, & primo, quod motus sit actus, quia id, per quod aliquid constituitur in actu enim prius esset in potentia; est actus ipsius, mobile per motum sit in actu, ubi prius erat in potentia, nam lignum frigidum, dum calefit, actuatur per calefactionem, ergo, &c. quod vero sit existentis in potentia, probat, quia duo sunt in mobili, & ratio actus, & ratio potentiae, motus non actuatur mobile, ut jam est in actu; non enim es sit statua, ut es actu est, sed ut in potentia ad formam statuae, & per hoc patet alia particula *quatenus in potentia*. Specificat enim rationem, qua mobile per motum actuatur, ut scilicet, respicit formam non habitam, sed quae per motum acquiritur; & hoc totum multis exemplis confirmat, ut est videre in textu.

Ex dictis colligitur primo, motum non esse actum perfectum, sed imperfectum, quia perfectio alicujus imperfecti quatenus imperfectum est, est actus imperfectus, motus est hujusmodi, quia est actus entis in potentia, quatenus in potentia, ergo &c. Secundo, quod licet aliquando contingat, idem simul movere, & moveri, motus tamen non est actus mobilis ut movens, sed ut mobile; tum quia accidit, ut id, quod movet, simul moveatur: Tum quia id, quod movet, semper actu continet formam aliquam, per quam movet; id autem, quod movetur, in continua acquisitione formae versatur; quare cum actus non sit nisi formae acquisitio, motus erit actus mobilis, ut mobile est.

CAPUT III.

A textu 18. usque ad 24.

26 **E**xplicat Arist. in hoc cap. an idem sit actus moventis, & mobilis, & idem motus in utroque, an vero diversus; rationabiliter tamen de hoc dubitatur, quia motus procedit a movente, & recipitur in mobili, & ut a movente, & agente progreditur dicitur actio; ut in mobili, & passio recipitur, dicitur passio; nam primo videntur actus activi, & passivi duo actus, quia actus activi est actio, & passivi est passio; actio vero, & passio non sunt unum, & idem: Tum quia finis, & opus activi est factum ipsum, est res acta, & operata, finis vero, & opus passivi est effectus, idest res recepta; differunt autem operatio, & receptio: Tum quia duorum specie diversum, ut sunt agens, & patiens unum esse actum, est impossibile. Tum quia si idem esset descendendi, & ascendendi, & universaliter agere, & pati eadem essent, tenet consequentia ab abstractis ad concreta in praedicationibus per se, & tunc ultra sequitur, omnem docentem, ut docentem, discere, & omne agens, ut agens, pati. Ex alio cap. videtur, non posse esse duos actus; nam vel esset uterque ut in subiecto, in patiente, aut actio in agente, & passio in patiente; non secundum, quia cum actio sit motus, tunc motus esset in movente, & propterea vel omne movens moveretur, vel motus esset in aliquo, quod tamen non moveretur, quae sunt absurda; nec primum, quia hoc pacto actus non esset in eo, cujus est actus, sed in alio: Tum quia idem mobile duobus modis simul moveretur, scilicet actione, & passione ad formam eandem, quod est absurdum, & hoc modo potest probari, non esse in agente.

27 Responder tamen quaestioni in text. 20. affirmative, quod idem realiter sit actus moventis, & mobilis, non enim est absurdum, actum unius esse in altero, dummodo actus ille non sit decisus ab illo, sed ab eo procedat, & dependeat; neque inconveniens, unum, & eundem actum esse duorum, non quidem ratione unum, ut sunt vestis, & indumentum, sed quidem ratione diversum, scilicet formalitate, & eundem re, ratione vero diversum, sicut id, quod est in potentia, simul potest esse in actu secundum aliam, & aliam rationem. Ex quo non sequitur, aut in text. 21. docere, & discere, agere, & pati esse idem, quia illa non accipiuntur, ut sunt unum ratione, seu definitione, sicut sunt indumentum, & tunica, sed ut sunt tantum unum re, & subiecto, ratione vero diversa, sicut est via Thebis ad Athenas, & e contra. Ubi notat. ex Scot. in 4. d. 13. q. 1. L. quod via non accipitur pro ipso spatio, seu

magnitudine super quam fit motus, sed pro ipso motu hinc, illinc, & e contra, qui motus sunt idem materialiter, propter identitatem spatii, sed alii, & alii formaliter; ita docere, & discere, agere, & pati sunt respectus materialiter idem propter identitatem formae, ratione cujus resultat in passio relationis, & in agente relatio actionis, sed formaliter alii, & alii sunt, & in aliis subiectis; unde hic pro docere, & discere, pro agere, & pati intelliguntur respectus actionis, & passionis, & relatio docentis ad discendum, & discens ad docentem; at doctio, & disciplina, actio, & passio sumuntur materialiter, scilicet pro re acta; & forma inducta. Hinc non valet inferre (inquit Arist.) doctio est disciplina, ergo docere, & discere sunt idem; sicut neque sequitur; idem est spatium aliquorum distantium, ergo eadem distantia, seu idem est distare hinc illuc, & illinc huc; ubi patet, quod spatium sumitur pro ipsa magnitudine, distare vero, pro motu hinc illuc, & illinc huc, ut notat Scot. cit. qui motus licet materialiter sint idem propter identitatem spatii, non tamen formaliter.

28 Sequitur insuper Arist. in text. 22. demonstrare, doctio-nem, & disciplinam, actionem, & passionem, si pro formali accipiuntur, non esse idem formaliter, quia sunt alii, & alii respectus, in aliis, & aliis subiectis fundati; ait enim *omnino vero dicere est, quod neque doctio cum disciplina, neque actio cum passione idem proprie est, sed cui insunt haec motus; nam hujus in hoc, & hujus ab hoc actum esse ratione diversum*, idest, ut explicat Scot. l. c. actio, & passio, quamvis pro re acta sint idem, ut dictum est, attamen si formaliter accipiuntur, sunt respectus hujus in hoc, idest respectus agentis in passum, & hujus ab hoc, idest patientis ab agente, & solum materialiter conveniunt in motu, sumendo motum etiam materialiter, scilicet pro forma fluente, non quod ista forma sit subiectum, vel fundamentum istarum relationum, sed actio dicitur esse eadem cum forma fluente terminative, passio vero subjective, & hoc non formaliter, sed concomitanter, nam respectus passionis est subjective in eo, in quo est forma fluens, & respectus actionis terminative in eo, in quo est eadem forma, ita explicat Scotus supra cit. litt. M.

Tandem Arist. in text. 23. concludit, motum esse actum, activi, & passivi, quatenus hujusmodi; non, quod formaliter ly *quatenus* specificet potentiam activam, & passivam, sed hanc solum, addidit tamen potentiam activam, ut ostendat: Idem posse esse movens, & mobile, & motum ipsius actum esse posse, non tamen quatenus movens est, sed quatenus mobile, ut supra ipsemet Arist. dixerat text. 16. & 17.

CAPUT IV.

A textu 24. usque ad 35.

29 **H**inc incipit agere de infinito, cujus tractatio ad Physicum spectat, qui de quantitate, & continuo agit, motu, & tempore, quorum passiones sunt finitas, & infinitas; hinc omnes Philosophi agentes de rebus naturalibus, de infinito quoque mentionem fecerunt; illudque dixerunt, omnium rerum esse principium, & alii, ut Pythagorici, & Plato dixerunt esse substantiam, alii, ut Anaxagoras, & Democritus dixerunt, rebus accidere infinitum, eo quia pro principio rerum omnium infinitum numerum atomorum ponebant. Quod vero derit infinitum in rerum natura, posset suaderi, quia tempus non habet principium, & finem, ergo infinitum; Tum quia Mathematici definiunt continuum, dicunt, esse divisibile in infinitum; Tum quia generatio in infinitum multiplicatur, ergo ex aliquo infinito principio ortum ducit, aliter consumpro principio, generatio finiretur; Tum quia omne corpus terminatur ab alio, puta terra ab aqua, aqua ab aere, &c. ergo vel in magnitudine erit processus in infinitum, vel devenietur ad unum corpus, quod ab alio non continetur; ex 1. sequitur, dari infinitam multitudinem; ex 2. infinitam magnitudinem. Tandem nostra cognitio non sinit in aliquo finito, quia dato quovis numero, & magnitudine, adhuc majorem intelligit, ergo dabitur numerus infinitus, & magnitudo infinita, alioquin cognitio mathematica esset ficta. Quod potest confirmari, quia extra Coelum est spatium infinitum, ergo etiam mari, quia extra Coelum est spatium infinitum, vel est repletum, & habetur intentum, vel non, & tunc cur magis hic quam ibi natura abhorret vacuum? ergo est locus, qui repleti potest, sed in sempiternis idem est esse, ac posse, ergo, &c. ex quibus patet, maximam difficultatem continere quaest. istam de infiniti existentia.

30 Ut autem possit q. determinare in seq. c. praemittit hic varias infiniti acceptiones, nam primo sumitur pro eo, quod non est pertransibile, eo quod non habet spatium, ut sit aptum transiri transitu proprie, & successive, & dicitur infinitum negative, ut est punctum, & quomodo vox dicitur invisibilis. 2. Pro eo, cujus transitus est inconsummabilis: quia terminis caret, & dicitur infinitum positive, ut quantitas infinita, si daretur. 3. Pro eo, quod pertransiri potest, sed difficulter, ut ambitus terrae. 4. Pro eo, quod natura sua potest pertransiri, sed adest impedimentum, qua ratione profundum pelagus infinitum dicitur. 5. Pro eo, cujus quantitas non terminatur, nec in appositione, ut in numeris, nec in divisione, ut in continuo: De secunda, & quinta acceptione loquitur Philosophus, illud est infinitum in actu, seu cathegorematicum, hoc infinitum in potentia, seu syncathegorematicum.

CAPUT V.

A textu 35. usque ad 56.

31 **R**esolvit Arist. quaest. propositam negative, & multis rationibus probat, non dari infinitum actu, & categorematicum, & duo facit. Primo probat, non dari infinitum in infinitum in substantia: 2. Neque dari in quantitate.

Primo ergo tribus rationibus ostendit non dari substantiam infinitam; Nullum indivisibile est infinitum, sed omnis substantia est indivisibilis, ergo, &c.

Neque dicas, infinitum accidere substantiae, quia tunc infinitum, ut infinitum, non esset principium, ut asserbant antiqui, sed illud potius, cui infinitum accidit. 2. Non potest esse infinitum sine quantitate, quia finitas, & infinitas sunt ejus passionis, ergo non potest dari infinitum in substantia. 3. Aut esse substantia indivisibilis, & hoc non, ut patet, aut divisibilis, & tunc sequitur, quamlibet partem infiniti infinitam esse: sicut quaelibet pars aquae est aqua, quod est falsum, quia infinita nequeunt multiplicari; sed disputare, an detur in substantia intelligibili infinitum, proprie est Metaphysici, non Physici, cujus est considerare substantiam sensibilem.

32 Secundo multis rationibus probat, non dari corpus quantum infinitum, & primo rationibus topicis, seu ex probabilibus desumptis; Corpus est, quod superficie est terminatum, & numerus, aut habens numerum, numerari potest, ergo non datur corpus, vel numerus infinitus, quia infinito repugnat terminari, aut numerari. 2. Rationibus physicis, quarum prima est; Vel istud corpus esset simplex, vel mixtum, non secundum, quia omne mixtum constat ex elementis numero finitis, aut ergo omnia illa elementa secundum magnitudinem finita sunt, aut unum, aut omnia infinita; non primum, quia ex finitis nonnisi finitum sequitur; non secundum, quia mixtum componitur ex partibus, aequali proportione se habentibus; ita ut una pars non convertat in se aliam, non tertium, quia cum illa quatuor elementa sint corpora, essent infinita secundum omnes dimensiones; & tunc unum solum illorum omnium locum repleteret; quia ratione probatur etiam non esse corpus simplex, sive sit unum ex quatuor elementis, sive sit corpus medium, quia omnem locum repleteret, nec aliis locum relinqueret; Tum quia vel esset expoliatum contrariis qualitatibus, vel illis praeditum; non primum, quia nulla generatio ex illo fieret, quae est ex contrario in contrarium; non secundum, quia omnia alia in se converteret, quod experientia patet esse falsum. 2. Ratio; Aut tale corpus esset ex partibus ejusdem rationis, aut alterius, non primum, quia sequitur, quod quaelibet pars separata in alia quiescat, vel cur in unam moveatur potius, quam in aliam, ergo cum non possit in omnes partes simul moveri, necessario quiescet, & quia non posset in omnibus simul quiescere, necessario moveretur, neque sunt alterius rationis, quia vel essent numero finitas, vel infinitas, vel una tantum, nullum istorum ex dictis superius; & quod non possint esse plura infinita, & quod unum infinitum alia in se converteret finita, & omnem locum repleteret, ergo, &c. 3. Ratio. Nullum infinitum determinat sibi certum locum, quia omnem replet locum, omne corpus sensibile habet determinatum locum, si in orbem non moveatur, cum sit grave, vel leve, ergo &c. Tum quia omne corpus est in loco, sed locus est determinatus, cum habeat determinatas species, & differentias, scilicet ante, retro, sursum, deorsum, ergo, &c. Tandem omne corpus est quantum, & est in loco, ergo non est infinitum, quia omne quantum, vel est bicubicum, vel tricubicum, & locatum est determinatum ad sursum, vel deorsum, quae omnia infinito repugnant.

CAPUT VI.

A textu 56. usque ad 62.

33 **P**robavit in praeced. cap. Aristot. non dari infinitum in actu, attamen quia ex communi consensu Mathematicorum infinitum datur a parte rei, ideo per multas divisiones colligit, quodnam infinitum sit illud, quod in rerum natura debet admitti, ut possit postea in seq. cap. illud definire. Infinitum igitur est duplex; unum actu, & categorematicum, aliud potentia, & syncathegorematicum; primum est illud, cujus magnitudo, vel multitudo nullis terminis clauditur. 2. Est, cujus aliquid existens est finitum, sed quod potest esse, est infinitum, quae potentia non est ad actum perfectum, itaut aliquando futurum sit in actu perfecto, sed ad actum imperfectum, idest ad fieri, itaut non actu futurum sit totum simul, sed successive, & in fieri hoc infinitum est duplex, vel permanens, quod partes habet permanentes, ut caro, lignum, &c. vel successivum, cujus partes in successione consistunt, ut motus, & tempus, & utrumque est duplex, vel continuum, ut linea, si est permanens, & tempus, si est successivum, vel discretum, ut numerus hominum possibilis est infinitum discretum permanens, numerus generationum possibilis est infinitum successivum

discretum. Insuper infinitum in potentia, aliud est infinitum divisione, & est continuum illud, in quo non est dabilis ultima divisio, aliud appositione, vel additione, cui semper aliquid superaddi potest; inter quae infinita est talis proportio, quod si quid removeretur per divisionem ab uno continuo, & infinito, & addatur alteri, sicut divisio procedit in infinitum, ita alteri potest fieri additio in infinitum; ut autem divisio fiat in infinitum, non debet fieri per partes aequales non communicantes, quarum una est extra aliam, ut octo palmi in ulna; nam ista sunt finitae, sed per partes proportionales, & communicantes, quarum una includitur in alia, ut duae medietates, & medietas alterius medietatis, & sic in infinitum; ex quo patet, infinitum in potentia ut sic non se habere ad modum substantiarum permanentium, quae totae simul sunt, sed sicut esse rerum successivarum, quae existere dicuntur, in quantum sunt in continuo fluxu, & acquisitione alterius, & alterius partis.

Ex dictis tandem colligit, non dari infinitum in actu, sed bene in potentia, sive continuum, sive discretum, sive permanens, sive successivum, sive divisione, sive additione, quod in actu dici potest, non perfecto, sed imperfecto, ut diximus.

CAPUT VII.

A textu 62. usque ad 71.

34 **P**lura facit Arist. in hoc cap. ut declarat exacte naturam infiniti in potentia, & primo rejicit definitionem infiniti traditam ab antiquis, quae talis erat, infinitum est id, cujus nihil est extra, idest continet omnia, quae ad propriam rationem pertinent, ut nihil ipsi deficiat, & extra ipsum reperiatur, quam definitionem Arist. confutat, eo quia toti, & perfecto convenit: totum est id, cujus nulla pars deest, perfectum vero parum differt a toto, immo re idem sunt, & solum ratione differunt, quia totum dicit ordinem ad partes, quas includit, perfectum vero dicitur ratione finis, quem res consequuta est, ergo non potest illa definitio convenire infinito, quia infinitum, & perfectum sunt inconpossibilia, perfectum enim est, quod habet finem, & est consummatum, quod infinito repugnat; Tum quia infinitum in potentia est partim in actu, & partim in potentia: quod est in actu est finitum, & acceptum, sed quod est in potentia, qua ratione dicitur infinitum, non est acceptum, sed accipiendum, ergo potius est extra, quam intra.

Quapropter rectius definitur contrario modo, ut facit Arist. infinitum est id, cujus semper est aliquid extra accipere, idest, cujus semper aliquid dividendum, vel apponendum restat, quocumque diviso, vel apposito. Cujus attributa sunt quatuor. Primum, quod dicitur totum, & finitum, idest perfectum, non secundum se, scilicet in actu puro, sed secundum aliam, & aliam partem successive acceptam. 2. Quod quatenus infinitum non continet, sed continetur, quia non habet esse, nisi secundum aliam, & aliam partem, quae in toto continetur. 3. Quod quatenus infinitum est ignotum, quod est intelligendum respectu intellectus cognoscentis illud secundum modum suae infinitatis, qui modus consistit in accipiendo alterum post alterum, & intellectus, qui hoc modo cognosceret, semper cognosceret aliquid finitum; potest tamen intellectus cognoscere totum illud simul, non per partem post partem, ita docet Scot. 1. dist. 3. quaest. 2. H. 4. Quod potius habet rationem partis, quam totius, quia se habet veluti materia, quae aliquo modo infinita est, materia vero est pars.

35 Deinde ponit quasdam differentias inter species infiniti in potentia, nam infinitum divisione differt ab infinito additione, quod in isto non semper datur major quantitas, quacumque majori data, quia, inquit Arist. quantum contingit esse in potentia ad fieri majus, tantum contingit esse in actu, quae propositio est vera secundum Arist. ut notat Scot. 3. dist. 13. quaest. 4. D. qui putavit, quantum non crescere, nisi quia partes ablatae ab uno quanto apponuntur alteri quanto, cum non sit possibilis alia materia secundum ipsum: & ideo nunquam in appositione potest fieri magnitudo actu infinita, nam non posset excedere, & non contineri a concava superficie lunaris sphaerae, at in infinito divisione non habet terminum, sed quacumque divisione data, potest dari major. Ex quo sequitur alia differentia inter infinitum magnitudine, & numero, quod illud nullum habet terminum versus minimum, & parvitatem, quaelibet enim pars est adhuc divisibilis, at versus maximum habet terminum, ut diximus, istud vero versus minimum habet terminum, quia ad unitatem devenitur, sed versus maximum est interminatum.

Tandem docet, infinitum, quamvis de magnitudine, motu, & tempore dicatur, prius tamen de magnitudine, & propter magnitudinem de motu, & propter motum de tempore dicitur.

CAPUT VIII.

A textu 71. usque ad finem.

36 **U**t rationibus in contrarium respondet, praemittit, non concludi, dari infinitum in actu, eo quod Mathematici alii quando lineas infinitas in suis demonstrationibus assumunt; ratio est quia non assumunt tales lineas, quasi quod illis indigeant, nam quicquid de lineis maximis demonstrant, possunt etiam de minimis demonstrare, & si aliquando illas acci-

accipiunt, ne linea finita, qua indigent; ipsi deficiat. Secundo ait, infinitum potius ad materialem causam reduci, quam ad formalem, quia infinito convenit privatio, & potentia ad ultra accipiendam, unde ipsius esse est privatio; cuius subiectum est continuum, seu quantum sensibile, at cui convenit privatio, & potentia, ad materiam debet reduci, eum privatio, & potentia sint in materia.

His præmissis respondet ad primam, tempus, & motum esse infinitum in esse successivo, & in potentia. Ad 2. continuum esse divisibile secundum partes proportionales, vel secundum rem, vel secundum rationem, non vero secundum partes æquales non communicantes, ideo solum est in potentia infinitum. Ad 3. negatur consequentia, quia cum generatio utrius concomitantur sit corruptio alterius, potest ex principio actu finito perpetuari, & sufficere finita materia. Ad 4. deveniri ad corpus, quod ab alio non continetur, non tamen hoc infinitum esse, quia corpus, quod finitur, non ab alio finitur, sed propria superficie. Ad 5. non valet arguere ab imaginatione ad veritatem rei. Ad id de spatiis imaginariis, ait proprie, non esse vacuum illud, sed inane, nec datur aptitudo ad replendum, quia secundum Arist. nec fuit possibilis alius mundus, neque datur subiectum aliquod, in quo proprie reperitur privatio, sed est negatio extra genus.

LIBER QUARTUS PHYSICORUM

In quo de loco, vacuo, & tempore disputatur.

CAPUT PRIMUM

A textu 1. usque ad 14.

Postquam Arist. demonstravit, agere de loco ad Physicum pertinere, Tum quia est communis affectio corporum naturalium, quæ quamdiu sunt, alicubi sunt; Tum quia tenetur de motu locali tractare, qui primus est, & principalis, ac ceteris motibus communior. Quarit primo de loco, an sit, & rationes adducit pro utraque parte; quod locus sit probat primo ex successione corporum in eundem locum, quasi in quodam communi continente, distincto a corporibus succedentibus: Tum quia gravia, & levia ad propria loca moventur, ut in illis conserventur, ergo evidens est, locum esse, virtutemque habere attrahendi locata; immo propria partes, & species habere, quæ sunt sex, videlicet, sursum, & deorsum, ante, & retro, dextrum, & sinistrum; quæ non tantum, quoad nos reperuntur, nam sic mutarentur secundum quod nos converteremur, sed etiam, ex natura rei, & determinare, Sursum enim est, quo levia feruntur, & deorsum, quo gravia; & tandem patet, locum esse ex communi Philosophorum consensu: etiam illorum, qui vacuum admittebant: asserere enim, vacuum locum esse.

Ex altera parte probat, locum non esse; tum quia maxime esset corpus trine dimensionatum, & sic locus penetraret locatum, & corporum penetratio daretur; Tum quia maxime esset corporum receptaculum, sed hoc non, quia daretur locus puncti, & superficierum; nam illa etiam sibi invicem succedunt, sicut corpora, sed non datur locus puncti, ergo neque lineæ, superficier, & corporis, per locum a destructione consequentis; Tum quia, vel esset elementum, vel ex ipsis constans, & tunc vel ex elementis corporeis, vel incorporeis, id est principiis intellectibus, sed non potest esse elementum corporeum, vel ex corporeis compositum, quia esset corpus, & daretur penetratio corporum, neque quicquam intellectualem, quia magnitudinem habet; Tum quia virtus ipsius ad nullum genus causæ reduci potest, non ad intrinsecas, quia nihil ex loco constat, neque ad extrinsecas, quia hæc causæ cum forma coincidunt, ex dictis in 2. Phys. tum quia esset in loco, & daretur locus loci, & processus in infinitum. Tandem quia augetur ad auctorem locati, quia æqualis debet esse locato, at quod augetur est corpus, ergo locus esset corpus, quod est falsum.

CAPUT II.

A textu 14. usque ad 23.

Non minus difficile est resolvere, quid sit locus: adfunt enim rationes probantes, esse materiam, vel formam, & utrumque negantes; sed primo præmittit, locum duplicem esse, communem, qui plura ambit corpora, ut templum, & proprium, qui immediate unum tantum continet corpus, ut vas continet solum aquam. Quo supposito arguit pro utraque parte. Primo probat, locum formam esse, locus est continens, ergo est terminus, quo magnitudinis materia terminatur, ergo est forma, quia de ratione formæ est terminare. Secundo, quod sit materia, quia locus est intervallum illud occupatum a locato, sed quo tanquam sub forma continetur, & ab illo definitur, & terminatur, ergo est materia, quia materia est quoddam indefinitum contentum sub forma, & ab ea determinatur; hinc Plato dixit, idem esse materiam, & receptaculum.

At oppositum his rationibus suadetur; Tum quia locus a loco separatur ipso manente, & contigit locatum, non sic materia, & forma a composito possunt separari, ipso manente, & materia non continet, sed continetur: Tum quia corpus esse in loco, est esse in aliquo, quod sit extra illud, materia, & forma non sunt extra compositum; Tum quia corpus ad locum, quem non habet, movetur, at semper habet materiam, & formam; Tum quia sequeretur, quod loci esset locus, dum movetur locatum, etenim locus, scilicet materia, & forma, quæ ad motum compositi moventur, acquirere locum. Tandem, quod non sit materia, probatur, quia cum ex aere sit aqua, locus aeris corrumpitur, materia manet in genito, & corrupto, ergo, &c.

CAPUT III.

A textu 23. usque ad 30.

Incipit nunc Arist. determinare loci naturam, sed prius aliqua præmittit in hoc, & sequenti cap. Notat enim hic, quod modis aliquid dicitur esse in alio, & an possit idem esse in seipso. Quoad primum, ait, octo esse modos effendi in 1. Est sicut pars in toto, ut corpus in homine, & digitus in manu, 2. Sicut totum in partibus simul sumptis, ut homo in corpore, & anima, 3. Sicut species in genere, & inferius in suo superiori, 4. Sicut genus in specie, & superius in inferiori, 5. Sicut forma in materia, & accidens in subiecto, 6. Sicut effectus in causa efficiente, sive physica, ut calor in Sole, sive morali, ut Regnum in Rege, 7. Sicut effectus in sua causa finali, sic omnia sunt in Deo, medicamenta in sanitate, & amans dicitur esse in amato, ut in fine, 8. Et est maxime proprius, sicut locatum in loco, vel in vase, ceteri vero modi per quamdam similitudinem ad istum modum dicuntur modi effendi in.

40 Deinde dubitat, an aliquid posset esse in se ipso; ad cuius solutionem præmittit, tripliciter aliquid posse dici tale, per se primo, si secundum se tale sit, & non secundum aliquam partem, aut secundum aliquod accidens, ut homo est animal; vel per aliud, si scilicet est tale per aliquam partem, ut homo est sciens per animam, vel tertio per accidens, si videlicet tale dicitur per aliquod accidens, quod est immediatum subiectum illius denominationis, ut homo est albus propter superficiem quantitatis, quæ est immediate alba. Hoc flante, tripliciter respondet ad quæsitum. Primo aliquid potest dici esse in se ipso per aliud, scilicet secundum partem. Probatur, quia sæpe solentur totum denominare a dispositione suæ partis, sed aliquando alicuius totius pars vere est in alia parte, ut huius totus, scilicet amphoræ vini, pars una, scilicet vinum, vere est in amphora; ergo licet amphora non sit in se ipsa, neque vinum in se, tamen totum aggregatum ex amphora, & vino erit in se ratione unius partis. Secundo ait, non posse idem per se primo, id est secundum totum, esse in se ipso. Probatur discurrendo per omnes modos effendi in; Tum quia sequeretur, ambo utrumque esse, scilicet, amphoram esse vinum, & vinum esse amphoram: Probatur sequela, sit amphora vini illud totum, quod in se ipso est, tunc idem continet, & continetur, at continere est amphora, contineri est vini: ergo amphora, prout continetur, habebit rationem contenti, quod est vinum: & vinum, prout continens, habebit rationem amphoræ, & sic amphora esset vinum, & vinum esset amphora, & continetur: hoc autem est impossibile: Tum quia secundum esse differunt continens, & contentum: ergo idem a se ipso differret. Tertio, non potest aliquid secundum accidens esse in seipso, quia duo corpora essent simul, quod est absurdum. Sequela probatur; id dicitur tale per accidens, quando est in eo, vel habet id, quod secundum se tale est, si amphora vini est in se ipsa, ut in loco per aliud corpus, tunc illud corpus esset in amphora vini, & in eodem erit ipsamet amphora, & sic penetratio corporum, nam esse in loco proprium est corpus, & aliquid est per accidens in loco, erit per corpus a se distinctum.

Ex his solvit Arist. quædam dubitationes propositas; & primo argumentum Zenonis, quo probabat, si locus aliquid esset esse in alio loco, & sic processus in infinitum. Respondet Arist. locum esse in alio, non ut in loco, sed ut accidens in subiecto, nam ut videbimus, locus est superficies continentis. Secundo, ex hoc, quod locus continet, non sequi esse materiam, vel formam, quia contineri in loco, est esse veluti in vase, itant continens sit a contento distinctum, at materia, & forma sunt partes essentielles locati, ergo non potest locus esse materia, vel forma.

CAPUT IV.

A textu 30. usque ad 43.

Prosequitur Aristot. aliqua præmittere, ut tandem in fine huius capituli exactam definitionem loci assignet. Primo adducit quinque loci proprietates, quarum 1. est, quod locus non est aliquid locati, sed solum ambit ipsum. 2. Quod sit locato æqualis, quæ tantum loco proprio in text. 33. docet convenire, non communi. 3. Quod licet possit a quolibet locato separari distributive; non tamen ab omni collective, aliter daretur naturaliter vacuum. 4. Quod locus omnis sublanaris sursum est, aut deorsum. 5. Quod corpus omne naturaliter fertur ad proprium locum, in quo naturaliter postea quiescit.

quiescit. Secundo aliqua præsupponit, tamquam vera; quorum primum est, quod motivum inquisitionis loci fuit localis motus, qui sunt latio, augmentatio, & diminutio, sed primum tantum est proprie localis motus, reliqui vero concomitantur. Secundum, quod mobilia sunt duplicia, alia per se, quæ proprio motu moventur, alia per accidens, quæ ad motum alterius moventur, & hoc dupliciter, nam vel possunt per se moveri, ut partes integrales, quæ dum sunt in toto, per accidens moventur, at si separantur, moventur per se, vel nullo modo per se moveri possunt, ut albedo, scientia &c. Tertium, quod cum pars est in toto, non dicitur in illo esse ut in loco, sed potius, ut pars in toto. Ratio est, quia nunc aliquid est in alio, ut in loco, cum extrema eorum se tangunt, & non continua sunt: & cum ad locum movetur, non cum loco, sed pars est continua toti, & cum toto, non ad totum movetur, ergo &c. Quartum, quod locus non est forma, quia hæc est quæ loco intrinsecum, locus vero est extrinsecus, quamvis similitudinem aliquam habeat cum forma, quatenus terminat locatum, neque est spatium, seu intervallum illud interceptum inter latera continentis trine dimensionatum, ut dicebant antiqui, quia non datur: nam inter latera vas; aliud corpus non reperitur, verbi gratia, nisi aqua, quæ sufficit ad distantiam laterum continentis, & ipsa ablata, remanet vacuum; Tum quia daretur corporum penetratio, vel scissio in omnes partes locati, quia si duo corpora non se penetrant, & unum est in alio, ut cum aqua, & vinum miscetur, jam adinvicem seinduntur in partes; & quoniam quælibet pars est in loco, ideo darentur infinita loca, infinitis partibus divisis correspondentia; neque est materia, quia non est materia, ut locus separabilis a re; quamvis cum materia similitudinem habeat, eo quia sicut materia in generatione modo est sub una forma, modo sub alia, ita locus modo habet unum corpus, modo aliud.

42 Ex istis tandem infert Arist. definitionem loci, quod locus est terminus, seu superficies corporis continentis corpus illud, quod localiter movetur; pro cuius notitia addorat, hanc esse differentiam loci, & vas; quod vas continet, ut locus, sed est mobile, ita, at feratur cum re contenta, ut patet de navi in flumine, quæ utitur aqua, ut vase, quia cum navi fertur, at locus continet, ut vas, sed est immobilis, ut non feratur cum locato, ut alvei superficies habet rationem loci respectu navis, quamvis communis. Quapropter completa loci definitio erit ista; Locus est primus terminus, seu ultima superficies continentis immobilis; quam definitionem sic probat: & primo, quod sit immobilis; ex communi consensu veterum, qui mundi medium, ideo putaverunt locum deorsum, & ultimum Cæli Lunæ versus nos locum sursum, quia immobilia sunt, cum servant eandem distantiam; quod sit superficies, probat ex hoc, quod continet locum, & simul sit cum locato.

CAPUT V.

A textu 43. usque ad 50.

Tria facit; Primum, quomodo omnia corpora sint in loco, quod, ut ostendat, ait, quod cum esse in loco sit habere superficiem ambientem, hinc quatuor modis contingere esse in loco, secundum potentiam, ut partes in continuo, secundum actum, quæ actualiter habent superficiem ambientem, tertio per se, quæ scilicet per se localiter moveri possunt, & tandem per accidens, quæ ratione alterius continentur in loco, & hoc dupliciter, vel omnino per accidens, quæ sunt in eo, quod est in loco per se, ut anima in corpore, vel per accidens, quia per partem, & quæ ex partibus constant, quarum altera est in loco per se. Ex his sequitur, omne corpus esse in loco per se, quod habet superficiem ambientem, hinc ultimum cælum potest dici quodammodo locus omnium, quia omnia alia continet, universum vero secundum motum non est in loco per se, quia non habet continens, sed est in loco per partes, quæ per se sunt corpora cælestia, elementalia &c. Secundum, quomodo solvantur rationes in contrarium; nam locus non crescit; quod proprium est corporis, non superficier, nam crescere est fieri majus secundum omnem dimensionem. Nec datur locus puncti, quia solum corpus per se movetur, ideoque solum corpus per se est in loco, nec sequitur, duo corpora esse simul, quia locus continens non est corpus, sed superficies; unde nec est corpus medium, vel elementare; neque tandem locus erit in loco, quia licet superficies sit in corpore, non tamen, ut in loco, sed ut terminus in terminato, unde falsum est, omne, quod est, esse in loco. Tertium tandem quomodo intelligatur quinta loci proprietates, quod omne corpus naturaliter ad proprium locum feratur, & ait, locata ideo naturaliter ad propria loca moveri, & in ipsis quiescere, quia naturalem habent convenientiam cum corporibus continentibus, sicut pars avulsæ cum suo toto; locatum enim se habet ut pars ad locum, quia se habet ut materia, quæ rationem partis habet; locus vero, ut forma, quæ habet rationem totius, quia totum perficit; artem est advertendum, corpus naturale dupliciter considerari posse, vel ut substantiale tantum, vel ut præditum determinatis qualitatibus; similiter locus, vel sumitur, ut dicit superficiem ut sic, vel ut est in corpore continente simul cum qualitatibus activis, & passivis; si corpus, & locus primo modo considerentur, sic grave natu-

Mastrii, & Belluti Tom. II. Physicæ.

raliter tendit, & quiescit deorsum, & leve sursum, a quo omne que ibi continentur; est enim per accidens, quod cum continentibus habeant naturalem convenientiam; si vero secundo modo considerentur, sic est verum, illud evenire propter naturalem convenientiam.

CAPUT VI.

A textu 50. usque ad 57.

Post translationem de loco subiungit disputationem Arist. de vacuo, tamquam Philosopho dignam, quia omnes dubitationes, quæ possunt fieri de loco, possent etiam de vacuo moveri propter maximam affinitatem, quam habet cum loco, & postquam refutavit rationem Anaxagoræ, probantis, non dari vacuum, eo quia ubi nullum sensibile corpus reperitur, adest aer, quæ ratio (inquit Arist.) solum probat, non dari vacuum, iuxta vulgi existimationem, non vero iuxta placita Philosophorum, ponentium vacuum, sive intra universum inter unum, & aliud corpus contiguum, ut Leucippus, & Democritus, sive extra universum, ut alii. Adducit deinde rationes probantes, dari vacuum in rerum natura. Prima est. Mobile localiter moveri nequit in pleno, aliter daretur penetratio corporum, ergo in vacuo, qua ratione Melissus, ne vacuum admitteret, motum negabat: Tum quia, quando duo corpora condensantur, minorem molem acquirunt, quando vivens augetur, alimentum per totum corpus diffunditur, vas plenum cinere tantum aquæ recipit, quantum sine cinere, quæ non essent vera, nisi intus darentur vacui quidam meatus; Tum quia corpora confunderentur inter se, & continua essent, & consequenter unum, quod est falsum, ergo inter illa est vacuum.

CAPUT VII.

A textu 57. usque ad 64.

Revertit primo definitiones veterum de vacuo. Prima erat. Vacuum est locus, in quo nullum est corpus grave, vel leve, eo quia putabant, omne corpus tangibile esse, & consequenter grave, vel leve, sed falsum est fundamentum, aliter locus, ubi Cælum modo reperitur, esset vacuum, ideo falsa quoque definitio; 2. Vacuum est locus, in quo nulla est singularis substantia, qua ratione, materiam vacuum appellabant: sed contra, inquit Arist. quia vacuum isti ponebant, ut quid a corpore separabile, materia est inseparabilis. Hinc ex propria mente subiungit definitionem vacui, dicens esse locum non repletum corpore, aprum tamen repleri. Deinde solvit rationes propositas pro vacuo, ad 1. ait non esse necessarium vacuum propter motum localem, quia corpus, in quo sit motus, cedit mobili. Ad illa exempla respondet, condensationem fieri per expulsionem aliquorum corporum subtilium intra poros existentium, vel possumus dicere, fieri per solam mutationem situs partium in ordine ad locum, non in ordine ad se, quod tangit Philosophus intra text. 83. & sequentibus, ut in libris de Generatione dicemus, auctio etiam fit per appositionem alimenti intra corporis poros, in quibus aer, vel subtiliores humores erant inclusi, & per advenum alimenti expelluntur. Per idem ad illud de cineribus, imo si hæc valerent, probarent, vivens esse totum vacuum, quia quælibet pars augetur, & vas cinere plenum totum esse vacuum, vel quod duo corpora penetrarentur. Ad 3. non respondet, eo quia patet, corpora, licet non sint continua, esse tamen contigua.

CAPUT VIII.

A textu 64. usque ad 76.

Probat Philosophus, non dari vacuum in rerum natura propter motum localem, ex ipso locali motu, quia posito vacuo, non posset fieri motus localis in eo, quod probat multipliciter; Tum quia in vacuum nulla esset positio differentia, sursum scilicet, aut deorsum, est etiam uniforme, ergo non esset ratio, cur mobile huc potius, quam illuc pergit, cum omne mobile naturaliter sit ad locum determinatum, sicut terra dicitur immobile a Platone, eo quia æqualiter distat a circumferentia (hæc ratio probat tantum, non dari motum naturalem a principio determinato provenientem.) Tum quia projecta secundum veteres, præcipue Platorem, a medio occurrente, vel percusso, a projiciente moventur, cum sunt separata a projiciente, in vacuo nullum est medium, ergo, &c. hæc ratio probat tantum, non fieri motum violentum factum a causa tangente mobile solum in principio motus, ut sunt projecta, non vero motus vectionis, vertiginis &c. provenientes a causa semper tangente: ita explicat Arist. text. 68. in vacuo nihil horum potest esse, neque enim ferri erit, nisi ut quod vehitur. Tum quia quæ proportio est mediæ ad medium in subtilitate, & densitate, eadem est proportio motus ad motum in velocitate, & tarditate, sed vacui ad plenum nulla est proportio in raritate, & densitate, ergo neque motus facti in vacuo ad motum factum in pleno in velocitate, ergo motus in vacuo factus, esset instantaneus, aliter posset mobile in vacuo, & in pleno æquali tempore moveri, quia si esset aliqua proportio, posset excogitari medium in tanta proportione subtilius, quanta tempus vacui minus est tempore, quo pertransit plenum. Item

quia aequaliter moventur mobilia in vacuo, five unum sit altero gravius, five eandem habeat, vel diversam figuram, aut magnitudinem, quod est falsum. Sequela probatur, quia in vacuo nulla potest assignari ratio majoris, vel minoris velocitatis, ut in pleno; in quo dicere possumus, gravius fortius scindere medium, quam levius. Quae rationes, quantum valeant, videbitur in disputationibus.

CAPUT IX.

A textu 76. usque ad 87.

Impugnat Arist. in hoc cap. adhuc existentiam vacui juxta alios modos antiquorum, nam quidam ponebant vacuum intervallum illud trine dimensionatum, quod locum esse dicebant, quando corporibus erat plenum, vacuum vero, si corpus nullum haberet, sed posse habere, quem modum rejicit Arist. ea potissimum ratione quod daretur penetratio corporum, ut dixit de loco. Neque valet dicere; corpora sensibilia, v. gr. elementa non se penetrare, sed unum alterum expellere, quia sensibilibus sunt praedita qualitatibus, at intervallum illud solum est trine dimensionatum, non qualitatibus affectum, idcirco non implicare penetrationem. Contra inquit Arist. quod corpora sensibilia habeant qualitates illas, per accidens se habent ad rationem occupandi locum, & ratio impenetrationis est trina dimensio, non sensibilis qualitas, ergo si in corporibus sensibilibus non datur penetratio, ut patet, quia unum alteri cedit, neque poterit dari in corpore, & intervallum trine dimensionato. Deinde rejicit alterum modum, quo veteres vacuum admittebant, scilicet per modum privationis intra corporum poros, & hoc propter raritatem, & densationem eorumdem. Contra quos sic arguit. Vel intra poros reperiuntur partes vacui accepti pro illa trina dimensione, & hoc est falsum, quia non datur tale spatium dimensionatum extra corpora, ut probatum est, ergo nec intra corpora, vel datur vacuum pro privatione, & neque hoc, quia ipsi ponunt vacuum propter motum localem, & rarefactionem, & tamen motui locali vacuum nequit intervenire: Tum quia esset causa raritatis, & consequenter levitatis, unde solum sursum moveret, quoniam ergo esset causa motus deorsum? Tum quia vacuum esset causa activa motus, imo ferret mobile, & simul ferretur, ergo moveretur, & locum haberet, quod est falsum. Motivum autem de rarefactione frivolum esse ostendit Arist. eo quia rarefactio, & condensatio non est motus ad quantitatem, ut innuimus cap. 7. sed sicut dicemus in libris de Gener. Cui accedit pro nunc, quod datur corpus rariis, ut plumbum, quod tamen velocius deorsum movetur, quam crystallum, quod est densius, ergo vacuum non est causa motus sursum.

CAPUT X.

A textu 10. usque ad 27.

Incipit Philosophus ab hoc cap. tractare de tempore, & primo ostendit difficultatem investigandi temporis existentiam, & naturam. Quod sit difficile cognoscere temporis existentiam, probatur his rationibus. Partes temporis non sunt, ergo nec tempus ipsum, antecedens probatur, quia partes sunt praeteritum, & futurum, quae non existunt. Neque dicas, dari nunc, seu instans temporis, quia nunc non est pars temporis, nam pars saepius repetita potest totum mensurare, ipsumque componere, nunc, cum sit indivisibile, non potest mensurare, nec componere tempus, aliter ex indivisibilibus constaret, ergo &c. Tum, quia dato, quod sit pars, nihil sequitur, quia non existit, ergo &c. Antecedens probatur, vel est unum nunc in toto tempore, vel plura, non secundum, quia unum corrumpere & tunc vel cum alio nunc, & sic duo nunc simul, & corrumpere in se, & quando esset, quae omnia sunt falsa; vel in alio nunc sequenti, quod etiam nequit fieri, quia vel duo nunc immediata, & sic tempus ex indivisibilibus constaret, vel si esset mediatum, jam per tempus duraret, & simul cum infinitis nunc existeret. Neque primum, quia nullum continuum finitum unico clauditur termino, sed pluribus, ut patet in linea, tempus est hujusmodi, ergo non habet unicum nunc. Tum quia omnia essent simul, etiam quae in principio temporis fuissent facta, quia omnia essent in eodem nunc. Nec minus difficilis est natura ipsius; nam Plato dicebat, tempus esse totam primi Caeli circulationem, quod impugnat Arist. eo quia qualibet pars temporis est tempus, non tamen qualibet pars circulationis est circulari. Pythagoras dixit, substantiam ipsius Caeli tempus esse, quod improbat, quia omnia in sphaera continentur, ut in loco, non ut in tempore; Tum quia Caelum est totum simul, non sic tempus. Alii, quemvis motum esse tempus. Contra, inquit Arist. quia motus est tantum in eo, quod movetur, tempus est ubique, & apud omnia; motus dividitur per velocem, & tardum, in quorum definitionibus tempus ingreditur, nam velox est, quod in parvo tempore multum spatium pertransit, tardum, quod in multo tempore paucum spatium percurrit; tempus vero dividitur per longum, & breve, neque per seipsum definitur potest, ergo &c.

CAPUT XI.

A textu 97. usque ad 108.

Intendit Philosophus in praesenti declarare naturam temporis, & primo aliqua praesupponit, ex quibus deinde definitionem colligit temporis. Primum praesuppositum est, quod tempus non est sine motu, quia cum nullum percipimus motum, aut si quem percipimus, non tamen animadvertimus, nullum videtur nobis effluxisse tempus, ut patet in dormientibus, qui cum a somno excitantur, putant, inter nunc, quo dormire ceperunt, & nunc excitationis nullum fluxisse tempus medium, ergo tempus non est sine motu, ergo est aliquid motus, quia tunc concipimus tempus esse, cum concipimus motum, est autem aliquid motus, non secundum se considerari, id est, ut est agens entis in potentia, sed ut habet partes priores, & posteriores, & continuus est, quia tunc tempus fluere dicitur, cum percipimus successione, & continuitatem in motu. Secundum praesuppositum est, quod continuas convenit magnitudini, motui & tempori, sed ordine quodam, non primo convenit magnitudini, deinde per magnitudinem motui, quia cum motus sit transitus mobilis de uno ad alium terminum, evenit, ut motus sequatur necessario mobilis, vel spatii magnitudinem, tempori vero competit per motum, quia tempus sequitur motum, & quam magnus est motus, tam longum est tempus, Idem dicendum de habere prius, & posterius, motus enim habet partes priores, & posteriores, quia magnitudo, & spatium habet partes anteriores, & posteriores secundum positionem, tempus vero per motum.

Hinc definit Arist. tempus, dicens, est numerus motus secundum prius, & posterius, dicitur numerus, non simpliciter numerans, nec simpliciter numeratus, sed numeratus, & numerans simul, ut sistis in questionibus; Ex quo sequitur, tempus de numero successivorum, & continuorum esse, quia partes habet copulatas uni termino communi, scilicet nunc, & instanti, quamvis per intellectum discernas. Occasione cuius, Arist. subjungit aliqua de ipso nunc, & ipso instanti. Primum: Nunc dicitur tempus, quatenus, prius, & posterius, id est, a nunc terminatur tempus ad certam quantitatem secundum partem priorem, & posteriorem, Secundum. Idem nunc dicitur unum, & diversum, quatenus est in alio, & in alio, id est, ut est finis praeteriti, & principium futuri, dicitur diversum, ut secundum id, quod est, id est, secundum se est unum; & probatur ab Arist. Nunc sequitur mobile, non quidem absolute, ut notat Scot. in 2. d. 2. q. 2. C. D. sed ut est sub mutatione, seu mutato esse, sicut tempus sequitur motum, ergo nunc est idem secundum se, & diversum secundum aliam, & aliam rationem, quia etiam mobile, ut est sub mutato esse, est diversum, quatenus illud mutatum esse est principium motus sequentis, & finis praeteriti, at secundum se est idem. Tertium. Nunc non est sine tempore, nec contra, quia eodem modo se habent inter se, sicut mobile sub mutato esse, & motus: continuum enim non est sine partibus, nec e converso. Quartum. Nunc secundum se continuat tempus, at ut ratione diversum, dividit, & distinguit, quia tunc terminatur tempus ad quod non sufficit unum tunc, & quamvis ratione diversum; sed duo distincta requiruntur, quia quolibet finitum duobus terminis clauditur. Tandem, nunc non est pars temporis, sed terminus illius, eodem enim modo se habet, sicut mutatum esse ad motum, & punctum ad lineam.

CAPUT XII.

A textu 108. usque ad 114.

Declarat hic Arist. temporis proprietates, quarum prima est, quod cum tempus sit de termino continuorum, & numerus motus dicatur, ideo partem minimam habet aliquo modo, & aliquo modo non habet, non enim se habet, ut numerus numerans, qui partem omnino minimam habet, qualis est unitas, sed est numerus numeratus, & ideo habet partem minimam secundum multitudinem, quia partes illae secundum unitates sunt distinctae, non tamen habet minimam partem secundum magnitudinem, quia est de numero continuorum, cujus pars est in infinitum divisibilis. 2. Tempus non est velox, aut tardum, quia haec tempore mensurantur, ex dictis cap. 10. dicitur autem longum, vel breve, quatenus continuum est; dicitur multum, vel parvum, quatenus numerus est. 3. Tempus respectu omnium temporalium est semper ubique unum, simul, & idem per applicationem scilicet, & coexistentiam, quia non est necesse, numerum variari ad variationem numerarum; idem enim est numerus denarius decem hominum, & decem equorum, quamvis homines, & equi specie differant, sic de tempore respectu omnium motuum est dicendum, at secundum prius, & posterius non est idem sed diversum, quia partes temporis non sunt simul, sed una alteri succedit. 4. Quod tempus revertitur idem specie, sicut motus etiam idem specie redit, ex quibus partibus numero distinctis constat unum numero tempus, ut annus, mensis, ver, &c. cap. 5. Quamvis tempus per se, & a priori sit mensura motus, utpote praesentissimus motus sit, & regulatissimus, tamen per accidens, & a posteriori potest motu mensurari, ut ex motu horologii arenarii devenimus in cognitionem motus horarii primi Caeli, quod etiam patet in numeris, nam non solum numerus numerans est mensura, verum etiam res numeratae possunt parere cognitionem numeri numerantis, quod est ipsum mensurare.

CAPUT XIII.

A textu 114. usque ad 130.

Uo facit Arist. in praesenti, Primo comparat tempus ad res extrinsecas, dicens, quod aliquid esse in tempore multipliciter sumitur, sed in praesenti sumitur pro mensurari tempore (ubi nota, quod hic Arist. videtur loqui de tempore intrinseco, quatenus est duratio cuiuscumque motus, non de extrinseco, ut est mensura proprie) non vero simpliciter pro esse simul cum tempore, nam sic etiam Deus esset in tempore; quae nullo modo motui subjiciuntur, ut Deus, & intelligentiae in sententia Philosophi, nullo modo tempore mensurantur, at quae motui subjiciuntur, tempore possunt mensurari; non ratione sui, sed ratione motus; unde proprie tempus est mensura motus, est etiam per accidens mensura quietis, quia privationes cognoscuntur ex suis formis oppositis, ut declarat Scot. in 2. d. 2. q. 4. & quol. 11. & nos in questionibus. Quapropter infert Arist. ea tempore mensurari, quae tempori subjiciuntur, a tempore comprehenduntur, & patiuntur, non quod tempus sit causa activa istius passionis, sed quia est mensura illarum alterationum, quibus res temporales pati dicuntur; tribuitur autem tempori potius corruptio, quam generatio, quia in generatione causa activa manifesta est; in corruptione vero naturali, quae est ultimum, & tempus senectutis, ac non est omnibus, praesertim vulgaribus, nota ejus causa, non propterea tempori eam tribuimus; Tum quia res, in quantum sunt, tempore non mensurantur; sed ut variables, & mutabiles sunt, ergo potius corruptio, quae varietatem dicit, quam generatio, quae denominat rei permanentiam, tempori tribui debet. Secundo explicat terminos aliquos ad tempus pertinentes. Primum est Nunc, qui duo significat, primum instans, seu momentum, secundum ex communi usu, tempus proxime elapsam, vel futurum, quia quod parum distat, nihil distare videtur. Secundus est Aliquando, vel Tunc, qui vage determinatum aliquod tempus, vel praeteritum, vel futurum significat. Tertius est, Jam, qui significat tempus parum distans a praesenti, sive praeteritum, sive futurum. Quartus est, Nuper, qui proximum tempus praesenti significat, sed praeteritum, non futurum. Quintus est, Olim seu Pridem, qui tempus praeteritum multum a praesenti distans, significat. Sextus est, Repente, vel Subito, qui brevissimum tempus significat, sive praeteritum, sive futurum, in quo magna fuerit facta mutatio.

CAPUT XIV.

A textu 130. usque ad finem.

Tria dubia proponit, & solvit Arist. in hoc capite de tempore. Primum est, An sit verum, tempus esse ubique, in Caelo, in terra, in mari &c. Respondet affirmative propter indissolubilem unionem cum motu, ubi enim est motus, ibi est tempus per applicationem, & coexistentiam in ratione mensurae. Secundum dubium, Utrum tempus sit citra operationem intellectus; cui negative respondet: Ratio est, quia est numerus numeratus, remoto autem numerante, removeretur numeratum, sed numerans est intellectus, numeratum est tempus, ergo &c. Tertium, An tempus sit unum, vel plura juxta motuum varietatem, scilicet lationis, alterationis, auctiois &c. Respondet unum esse, quia licet plures sint inferiores motus, unus tamen est supremus, qui propter uniformitatem, certitudinem, & velocitatem, potest fundare respectu ceterorum rationem mensurae, & talis est motus primi mobilis.

LIBER QUINTUS
PHYSICORUM,

In quo species, unitas, distinctio, & contrarietas motus declaratur.

CAPUT PRIMUM

A textu 1. usque ad 9.

UT differentiam motus proprie dicti a mutatione strictae sumpta possit venari, Arist. praemitit aliquas divisiones motus in communi. Prima sumitur ex parte mobilis, nam aliquid potest moveri, vel per accidens, cum per se movetur id, cui illud accidit, ut dulce dicitur per accidens moveri ad motum per se lactis; vel secundum partem, cum aliqua totius pars per se movetur, ut cum homo calescit secundum manus, totus homo secundum partes dicitur moveri; vel tertio per se primo, ut cum aliquid habet in se motum, quod ab aliquo sui non dependeat, ut lapis descendens deorsum. Eadem divisio potest fieri ex parte moventis; nam movens per accidens est, quod movetur per se accidentaliter unum, ut album aedificat: movens per partem est, cum secundum aliquam sui partem movet, ut homo manu percutiens; movens per se primo, ut cum Medicus sanat. Similiter potest etiam terminari.

Mastrii, & Bellari Tom. II. Physica.

no applicari divisio assignata; etenim (inquit Arist.) in quolibet motu quinque interveniunt, scilicet movens, a quo fit; mobile, in quo recipitur; tempus, in quo fit; terminus a quo, & est a quo incipit; & terminus ad quem, & est id, in quod definit; motus non est in forma; mobile, movens, & forma distinguuntur, ergo forma non potest esse mobile; neque est in termino a quo, quia motus a termino ad quem specificatur, ergo magis esse in hoc, quam in illo; est igitur in mobili, ut in subiecto, forma vero est terminus, ad quem motus terminatur, & per quem acquiritur; & quod etiam tripliciter potest esse, vel per accidens, ut cum unum illi formae, quae per se acquiritur, ut humidum esse, est terminus per accidens calefactionis, vel per partem, ut colorari est terminus ad colorem secundum partem subiectivam, scilicet secundum albedinem, & pergere in Europam dicitur, qui in Italiam, quae pars est Europae, tendit; vel per se primo, ut forma, quae per se, & adaequate acquiritur per motum, ut albedo respectu dealbationis. Ex istis mutationem secundum accidens relinquit, tamquam inutilem, quia indeterminata est, & in omnibus reperiri potest.

Secunda divisio est mutationis per se; nam cum mutari sit aliter se habere nunc, quam prius, quadrupliciter potest aliquid transire a termino a quo, ad terminum ad quem; vel ex subiecto in subiectum, vel ex non subiecto in non subiectum, vel ex non subiecto in subiectum, vel ex subiecto in non subiectum; per subiectum intelligit terminum positivum, per non subiectum terminum negativum, & omnia secunda mutatione tamquam impossibili, subdividit tertiam & quartam mutationem, in simpliciter, ut cum ex non ligno fit lignum, vel ex ligno non lignum, vel secundum quid, ut cum ex non albo album, vel ex albo non album, quae mutationes generationes dicuntur, & interitus, vel simpliciter, vel secundum quid, quae divisio non est generis in specie, quia idem dealbationis motus ad ista tria membra possit reduci, sed potius est quaedam loquendi diversitas explicandi transitum subiecti a termino a quo, ad terminum ad quem, licet si motus, ut successivus accipiat, necessario inter terminos positivos erit, nam successio est ordo partium secundum prius, & posterius. Hoc praesupposito, sequitur Arist. in tex. 8. demonstrare differentiam inter motum proprie dictum, & mutationem proprie dictam, non quidem penes successione, & instantaneitatem, vel penes terminos contrarios, vel contradictorios, sed penes subiectum, & terminum hoc modo. Quod generatur, non est, quod movetur est, id est ut explicat Scot. in 2. d. 12. q. 1. I. & in 4. d. 11. q. 3. Ee. subiectum generationis non necessario est in actu completo, sed debet esse aliquid potentiale ad esse simpliciter, quod vero movetur, est necessario aliquid ens actu, nec aliquid esse simpliciter caret. Rursus, quod movetur, est in loco, quod generatur, non est in loco, id est, ut idem declarat in 4. cit. omne, quod movetur, necessario est in loco, vel per formam prius acquisitam in mobili, quod tali motu movetur, ut evenit in alteratione, & latione, quibus quantitas, quae est ratio essendi in loco circumscriptive, praesupponitur, vel est in loco per eandem formam, secundum quam movetur, ut evenit in auctione, & diminutione, at vero quod generatur, id est, quod est subiectum generationis, quatenus est tale subiectum, nec est in loco per formam prius acquisitam, quia quantitas non est subiecto generationis ratio formalis recipiendi formam substantialem, nec est in loco per formam, secundum quam movetur, nam talis est substantialis forma. Quapropter generatio substantialis non erit motus, & consequenter neque corruptio substantialis.

CAPUT II.

A textu 9. usque ad 21.

Postquam Arist. in fine praec. cap. motum proprie dictum, qui passio est naturalis corporis, a mutatione proprie dicta diffinxit penes subiectum, & terminum, quod haec videlicet est ad esse simpliciter, & subiectum simpliciter incompletum habet, ille vero est ad esse secundum quid, & subiectum simpliciter completum respicit, prosequitur Arist. in hoc cap. ad assignandas motus species, & quia peculiariter intantum suum est de motu successivo agere, hinc concludit in principio hujus capituli, transitum a subiecto in subiectum motum esse solum, non quod transitus a non subiecto in subiectum aliquando non sit motus, si est ad formam accidentalem, sed quia iste instantaneus esset, probat igitur, solum tres esse species motus, quia ad tria tantum pertinet praedicamenta, videlicet quantitatem, qualitatem, & ubi, quod ut ostendat, inductione probat, non esse motum ad alia praedicamenta, deinde vere dari per se motum ad ista tria. Ad substantiam igitur (inquit Arist.) non est per se motus, quia motus est inter contraria, substantiae nihil est contrarium, ergo &c. Neque ad relationem, quia non acquiritur per se physica acquisitione, sed semper ad termini mutationem, si enim paries dealbatur, alter paries similis dicitur absque mutatione per se physica in ipso, sed ad mutationem alterius parietis. Ad actionem quoque, & passionem non est motus, quia ad motum non est motus, neque ad generationem est generatio, ergo neque actionis, & passionis est motus, quae consequentia non tenet, per hoc, quod actio, & passio sint motus, sed, ut notat Scot. in lib. de Anim. q. 7. ad 2. principale, tenet a simili, tali passio, si ad motum non est motus, ergo a simili ad actionem non est actio, ex quo sequitur

ergo ad actionem non est motus, quia actio est causa motus formalis; quia ea agens formaliter agens, & movens denominatur; Tum quia esset processus in infinitum, quia si ad actionem esset motus, actio istum motum concomitans, praeponebatur illi actioni, quae est terminus motus, & sic de illa actione in infinitum.

57 Quod vero ad motum non sit motus, septem rationibus probat Arist. sufficit duas adducere. In omni motu requiritur terminus ad quem, sub quo mobile quiescat, habitibus enim praesentibus, cessat motus, sed motus non potest esse talis terminus, ut patet; est enim via, ergo &c. Tum quia daretur processus in infinitum, quia de illo alio motu quaereretur, an terminaret motum. De aliis tribus praedicamentis non probat, forsitan quia eadem ratio, quae pro praedicamento ad aliquid inservit, ostendit idem de istis; remanet ergo, quod in quantitate, qualitate, & ubi sit motus, quia vere in istis reperitur contrarietas, ultra alias conditiones ad motum requisitas, motus ad qualitatem communi nomine alteratio vocatur; motus ad quantitatem non habet commune nomen, sed ad quantitatem majorem dicitur augmentatio, ad minorem diminutio; motus ad ubi in genere latio nominatur. Tandem immobile, ait, vel dicitur quod nullo modo moveri potest, ut Deus; vel quod difficulter, vel tarde moveretur, ut ingens pondus, restudo; tertio quod de facto non movetur, aptum tamen est moveri, & tale dicitur quiescens, quia quies est privatio motus in susceptivo apta nato in tempore, in loco, & in dispositione, in quibus aptum est moveri, ut lapis sursum existens, quae definitio solum violenta quieti convenit.

CAPUT III.

A textu 21. usque ad 31.

58 UT possit explicare unitatem specificam, & numericam motus, in praesenti Arist. explanat quadam vocabula. Primum est, Simul (solummodo accipiendum simul subjectam materiam.) Simul loco sunt, quae in uno primo loco, idest proprio, & adaequato reperuntur, ut si duo corpora se penetrarent. 2. Separatim, quod significat esse in altero loco. 3. Tangere sese dicuntur ea, quorum extrema sunt simul, idest, inter quae nullum datur medium, tam positivum, scilicet corpus, quam privativum, scilicet vacuum, ut notat Scot. quol. 11. F. medium vero, seu interjectum dicitur esse illud, ad quod mobile prius pervenit, cum continue moveretur, quam ad extremum. 4. Continue moveri dicitur id, quod nihil temporis intermittit, quamvis aliquid intermittat magnitudinis, ut cum pulsator extremas chordas tangit relictis intermediis, absque tamen temporis interruptione; requiritur tamen, quod spatium sit continuum, vel corpora interjecta sint contigua, quia continuitas motus sumitur ex continuitate magnitudinis. 4. Phys. 99. quae continuitas explicatur, ut scilicet spatium non sit discretum, nam si corpora intermedia essent alterius rationis, essent contigua, non continua, & tamen motus posset esse continuus, ut motus lapidis in aere, & in aqua factus. 5. Contraria secundum locum dicuntur, quae secundum lineam rectam maxime distat, nam linea recta est omnium brevissima inter duo puncta. 6. Consequenter se habere, seu deinceps dicuntur illa, inter quae nil mediat ejusdem rationis, quamvis alia diversae rationis interjaceant, ut duae civitates, inter quas aer, non tamen altera mediat civitas. 7. Coherentia, seu contigua dicuntur, quorum extrema sunt simul, & convenit se tangere, sed se tangere dicitur rationem contactus, contiguum vero rationem simultatis extremorum. 8. Tandem est, continua, & dicuntur illa, quorum extrema sunt unum. Deinde, ait Philosophus, haec tria. Consequenter, Contiguum, & Continuum se habere, ut superius, & inferius, nam in plus se habet consequenter, quam contiguum, & latius patet contiguum, quam continuum, quod enim est continuum, se tangunt partes illius, quia ut fiant unum copulatum, debent prius se tangere, & quae se tangunt, consequenter se habent, non tamen e contra.

CAPUT IV.

A textu 31. usque ad 46.

59 AGIT Philosophus de unitate, & diversitate motus in hoc cap. ait enim, multipliciter motum dici unum. Primo generice cum scilicet est ad idem praedicamentum. 2. Specificae, quando terminatur ad eandem speciem, vel subalternam, ut omnes colorationes, vel aethomani, ut dealbationes, ad quam unitatem, licet non requiratur unitas subjecti specifica, requiritur tamen unitas termini specifica, & medium; unde linea recta, & circularis specie differunt, quamvis ad idem punctum terminentur, quod intellige de diversitate specifica accidentali, non essentiali, ut in questionibus dicitur. 3. Numerice, ad quam unitatem requiritur unitas numerica subjecti, unitas numerica termini, & unitas numerica temporis, idest, quod tempus interruptum non sit, quod intrinsece non requiritur, quia (inquit Arist.) si idem mobile ad eundem numero terminum moveretur, quem prius amiserat, esset idem numero motus, quamvis tempus diversum, sed requiritur extrinsece, quatenus dat nobis intelligere continuitatem motus, quae necessario requiritur ad unitatem numericam

alicujus. 4. Dicitur etiam unus secundum perfectionem, qui scilicet perfectus est, sive genericus, sive specificus, sive numericus sit, & tunc talis dicitur, quando pervenit ad terminum ad quem. 5. Dicitur unus secundum uniformitatem, quando scilicet regularis est, & aequalis in velocitate, vel tarditate, aut in spatio; at quando est difformis, & irregularis, potest dici multiplex secundum rationem, ut cum partim est velox, partim tardus; partim circularis, partim rectus. Hinc deducitur, cum ad unitatem numericam requiratur continuitas motus, & qui specie differunt, nequeant esse unum numero, motus specie differentes non posse continuari, quod probat Arist. quia omnis motus continuus potest aliquando esse regularis, aliquando irregularis, sed motus specie differentes numquam possunt esse regulares, cum illi motus nequeant fieri ejusdem rationis, quod requiritur ad regularitatem, ergo &c.

CAPUT V.

A textu 46. usque ad 53.

60 INCIPIT Arist. hic agere de contrarietate reperta inter motum & motum, & advertit, duos motus quinque modis posse contrariari. Primo, quia terminus a quo unius est terminus ad quem alterius, ut motus a sanitate, & motus in sanitate. Secundo, quia termini a quibus sunt contrarii, ut motus ab albedine, & nigredine. 3. Quia termini ad quos sunt contrarii, ut motus in sanitate, & aegritudinem. 4. Quia terminus a quo unius est contrarius termino ad quem alterius, ut motus a sanitate, & motus in aegritudinem. 5. Quia termini ad quos, & a quibus sunt contrarii, ut motus a sanitate in aegritudinem, & motus ab aegritudine in sanitatem. Hoc praecipue ait, quod non possunt duo motus dici quarto modo contrarii, quia sunt idem, non quidem identitate formali, nam inter duos terminos positivos dantur formaliter duo motus, sed de identitate ex concomitantibus terminis, vel quia est sermo de successivo motu; nec secundo modo, nam possunt esse termini a quibus concomitantes contrarii, & tamen motus esse ejusdem speciei, ut motus ab albo in rubrum, & a nigro in rubrum, & ex rubro remisso in intensum. Primus vero motus, quia est in terminis privative oppositis, puta a sanitate in non sanitatem, & a non sanitate in sanitatem, quibus solemus tantum mutationem innuere, ubi motus per terminos positive oppositos, & a subjecto in subjectum solet explicari, & hoc, quia Arist. de motu successivo praecipue loquitur, ut diximus, proprie (inquit Arist.) convenit mutationibus, & illa mutatio est alteri contraria, cujus terminus ad quem est terminus a quo alterius, ut in generatione, & corruptione ejusdem rei. Quare remanet tertius, & quintus modus, quibus duo motus dicuntur oppositi, & tertius ad quantum reducitur, quia si sunt ad terminos contrarios, necessario debent esse a per se terminis contrariis, scilicet privationibus, vel si de concomitantibus est sermo, magis contrariantur, qui sunt ex contrariis in contrarios, quam non solum in contrarios tendunt, licet haec differentia accidentaliter sit, inquit Arist. tex. 48.

CAPUT VI.

A textu 53. usque ad finem.

61 PRIMO assignat Philosophus contrarietatem inter quietem, & motum, & inter quietem, & quietem; nam licet quies, cum formaliter sit privatio motus (quamvis materialiter dicat formam, sub qua mobile quiescit) non habeat proprium genus, sed reducitur ad genus sui habitus oppositi, scilicet motus, hac ratione suam oppositionem potest etiam habere, quapropter quies est duplex vel in termino a quo, quo modo pro formali dicit privationem motus in termino a quo, pro materiali formam abiciendam, vel in termino ad quem, quomodo pro formali dicit eandem acquisitionem, seu motus, pro materiali vero formam acquisitionem; si quies pro formali accipitur, semper motui privative opponitur, at si pro materiali, quomodo de ea loquitur hic Philosophus; si sumitur, ut est in termino a quo, contrariatur motui, quia per motum destruitur, & abicitur, nec possunt simul esse, si ut in termino ad quem, sic non contrariatur, quia forma acquisita est terminus, & perfectio motus; nihil autem propriae perfectioni est contrarium, vel sui contrarii est acquisitivum. Docet deinde, quod immutatio est quies instantanea, quae non motui proprie contrariatur, sed mutationi, quia privative opposita habent fieri circa idem, & in eodem tempore, motus sit in tempore, ergo & ipsius privatio, solum contradictorie posset motui opponi, quatenus dicit negationem motus. Insuper, quod quies non cuiusque motui opponitur, sed ejusdem generis, ut quies a motu locali solum ei opponitur, non alterationi. Tandem, sicut unus motus alteri contrariatur, sic quietes opposita inter se opponuntur. Subjungit postea quasdam dubitationes levioris momenti, ideo solum dicimus, in omni motu dari oppositionem secundum naturam, & violentum, ut est in motu locali, imo inter generationes ipsas, & corruptiones, quatenus tamen una est secundum cursum naturae, altera praeter exigentiam naturae, ut cum generatur rosa in vere, est generatio secundum naturam, si in hyeme praeter naturam; corruptio secundum naturam est, cum evenit ex senectute; praeter naturam, si gladio, suffocatione &c, intervenit.

LIBER

LIBER SEXTUS

PHYSICORUM,

Ubi de integrali compositione motus, quatenus continuus est, tractatur.

CAPUT I.

A textu 1. usque ad 11.

62 OSTENDIT Arist. in hoc capite, continuum, qualis est motus, ex indivisibilibus non componi. 1. Ratio. Vel indivisibilia in continua se habent, ut continua, vel ut contigua, vel consequenter, non primum, & secundum, quia talia habent ultima, quae sunt unum, vel simul, indivisibilia non habent ultima, quia partibus carent; nam quod habet ultimum, habet etiam id, cui ultimum competit; Tum quia ista se debent aliquo modo tangere, indivisibilia non possunt se tangere, faciendo extensionem, quod probatur, nam vel pars tanget partem, vel pars totum, vel totum tanget totum, non prima duo, quia indivisibilia sunt; si tertium, ergo unum non esset extra aliud, sed simul cum illo penetratum, & sic non faceret extensionem. Nec tandem possunt se consequenter habere, nam medium vel est indivisibile, & hoc non, quia medium non debet esse ejusdem rationis cum extremis, vel est continuum, ergo ex indivisibilibus non constat. 2. Ratio. Continuum est divisibile in infinitum in semper divisibilia, ergo ex punctis non constat, quae indivisibilia sunt. 3. Idipsum probat de magnitudine, motu, & tempore ex hoc, quod eodem modo se habent quoad continuitatem, probat ergo, motum ex indivisibilibus non componi, nam prius est, moveri, quam motum esse, & implicat, simul moveri, & motum esse, ire, & itum esse, ergo motus non componitur ex indivisibilibus, nam sic in quolibet indivisibili motus, corpus moveretur, & motum esset. Ex quo sequitur, magnitudinem quoque ex indivisibilibus non constare, quia supra indivisibile nequit fieri motus, nam vel prius pertransiret secundum unam partem, & posterius secundum aliam, & sic divisibile esset, vel totum simul, ergo simul moveri, & motum esse, quod implicat; vel si dicatur, jam pertransitum esse indivisibile, ergo aliquid esset pertransitum, quod nunquam pertransibatur. Tandem deducit, nec tempus ex indivisibilibus componi, quia mobile pertransiens partem magnitudinis divisibilem in tempore, prius pertransit unam partem, quam alteram, ergo in priori parte temporis pertransit priorem partem, ergo tempus divisibile est, sicut magnitudo.

CAPUT II.

A textu 11. usque ad 24.

63 IN isto cap. adhuc intendit probare continuitatem temporis ex continuitate motus, & magnitudinis, & supponit, mobile velocius in aequali tempore majus spatium pertransire, quam tardius, & in minori tempore aequale, vel majus spatium adhuc pertransire, quod patet exemplo; sit spatium unius ulnae, quod a velociori per horam pertransitur, a tardiori vero per horam, non nisi quatuor palmi pertransirentur, si in duplo tardius esset, & velocius per dimidiam horam aequale spatium, scilicet quatuor palmorum pertransiret, quod tardius per horam absolvit. Et quod tandem majus spatium in minori tempore pertransit, patet, quia in dimidio horae velocius pertransit quatuor palmos, tardius duos tantum; unde si in tempore aequali, & spatio aequali aliqua moverentur, aequae velociter moverentur; quapropter eadem proportione semper se habent magnitudo, motus, & tempus: quod magis explicat, quia dato quocumque motu, potest velocior dari, qui in minori tempore fiet per majorem magnitudinem, & tardior, qui in aequali, vel majori tempore per minorem magnitudinem, ergo tam magnitudo, quam motus, & tempus divisibilia sunt in semper divisibilia. Antecedens patet ex dictis, consequentia probatur: Quod habet partes, quarum qualibet designata, potest dari alia, & alia minor in infinitum, divisibile est in infinitum, in semper divisibilia, sic se habent magnitudo, tempus, & motus, ergo &c. Ex quibus inferit, etiam quoad finitatem, & infinitatem eodem modo se habere, quia finitas, & infinitas sunt continui passiones, infinitum autem est duplex, vel actu, quod terminis caret, vel divisione, & potentia, cujus divisio nunquam terminatur; & sic quomodo unum est infinitum, scilicet divisione, sic & aliud. Ex qua distinctione desumitur, solutio rationis Zenonis negantis motum, eo quia in quolibet spatio sunt infinitae partes, quarum quamlibet oportet mobile pertransire, sed impossibile est, infinitum tempore finito pertransiri, ergo &c. Solvit Arist. quoniam spatium est in potentia infinitum, & motus, & tempus, unde non repugnat, infinitum in potentia pertransiri tempore quocumque in potentia infinito, sed actu finito, sicut spatium actu finitum est. Tandem denuo probat, nullam magnitudinem ex indivisibilibus constare; sit mobile duplo velocius pertransiens magnitudinem trium punctorum, tardius in eodem tempore pertransit dimidium illius magnitudinis, & sic erit in dimidio indivisibilis, quod implicat.

Maffri & Bellati Tom. II. Physica.

CAPUT III.

A textu 24. usque ad 33.

64 OSTENSA in communi continuitate, & divisibilitate cujuscumque continui, descendit modo Arist. ad explicandam magis divisibilitatem motus, pro quo supponit in praesenti capite. Nunc esse quid indivisibile, copulans partes praeteritam, & futuram temporis, quod probat, quia unum est instans copulans praeteritum, & futurum, ergo est indivisibile; Antecedens probatur, si plura essent, itaut unum sit finis praeteriti, alterum initium futuri, vel unum alteri succedit, & sic continuum ex indivisibilibus componeretur, vel unum ab altero distabit, quod est falsum, nam debet tempus inter illa mediare, & tamen praeteritum, & futurum consequenter se habent, inter quae nihil ejusdem rationis mediat; Consequenter probatur, quia si partes haberet, quarum una sit finis praeteriti, & altera initium futuri, jam una pars ejus esset praeterita, altera futura, & sic alio nunc terminare deberet. Secundo supponit, in nunc non posse fieri, motum, nec quietem; Primam partem probat, quia si tardius in nunc moveretur, ergo velocius in duplo idem spatium in dimidia duratione pertransiret, & sic nunc divisibile esset, quod est absurdum. Secundam partem ostendit, quia privative opposita, ut sunt motus, & quies, eadem duratione nata sunt convenire disjunctim subiecto apto, sed in instanti non inest motus, ergo &c. Tum quia idem moveretur, & quiesceret, nam si in toto tempore praeterito moveretur, ergo & in nunc terminativo, & si in toto tempore futuro quiescit, ergo & in nunc initiativo, ergo in eodem nunc moveretur, & quiesceret. Tertio ostendit, omne mobile divisibile esse, quia omne mobile partem est in termino a quo, partim in termino ad quem, nam dum est totum in termino a quo, quiescit, dum totum in termino ad quem etiam quiescit, ergo &c. sed omne tale est divisibile, ergo, &c.

CAPUT IV.

A textu 33. usque ad 40.

65 ASSIGNAT Philosophus in hoc capite quomodo motus in communi sit divisibilis, & primo ait, divisibile esse ad divisionem subjecti, quia motus, quo Petrus moveretur, dividitur in eam partem, qua caput moveretur, & in eam, qua pes, non enim idem motus in pluribus subjectis reperitur; Tum quia aliter motus non esset adaequatus mobili, quia nulla pars ejus partibus mobilis conveniret. Secundo est divisibilis ad divisionem temporis, quia totus motus est in tempore, & pars motus in temporis parte, ergo, &c. Ex quibus deducit, tempus, motum, moveri, scilicet motum in concreto subjectum concernentem, mobile, & terminum simul dividi, esseque ejusdem rationis quoad finitatem, & infinitatem, quia toto motu mobile secundum totum, acquirit totum terminum in toto tempore, & parte motus pars mobilis partem termini in parte temporis acquirit.

CAPUT V.

A textu 40. usque ad 60.

66 IN praesenti determinat Arist. de partibus motus, & de mutatis esse ipsius motus, & ait. Quod mutatum est in aliquem terminum, cum primum mutatum est in eum, in eo dicitur esse. Ratio hujus est, quia mutatum esse dicit, terminum a quo dereliquisse, & terminum ad quem acquisivisse, ergo quando primo mutatum est in eum, est in eo, quia ipsum acquisivit, sic omne, quod factum est, quando primo factum est, est, & omne, quod corruptum est, quando primo corruptum est, non est. Subjungit postea Philosophus, quod illud, in quo aliquid primo mutatum est, est indivisibile, quia si esset divisibile in partes, signarentur istae partes, vel ergo quod primo mutatum est, mutatum est in altera parte tantum, vel in utraque, non secundum, quia non primo mutatum esset, cum sit divisibile in partes priores, & posteriores, nec primum eadem ratione, quia adhuc divisibilis esset in alias partes. Tertio subdit, quod mutatum esse est duplex, completum, & perfectum, quod est terminus motus, & incompletum, quod est continuativum motus. Ex quibus deducit unam conclusionem, videlicet, dari ex parte finis primum mutatum esse completum, & perfectum, nullum vero, neque incompletum, ex parte principii. Prima pars probatur, quia omne continuum habet summum indivisibile, quo terminatur, motus est quid continuum, ergo &c. Tum quia nunquam motus esset perfectus, & finitus, cum finis ipsius sit mutatum esse. 2. Pars probatur. Tum quia tale est continuativum motus, ergo praesupponit motum. Tum quia daretur prima pars motus, quod est falsum, quia sicut non datur prima pars mobilis, nec spatii, aut temporis, sed ante quamlibet assignatam, est alia assignabilis, ita de motu dicendum. Tum quia quaelibet pars est in infinitum divisibilis.

67. Ex qua doctrina colligitur duo Philosophus a tex. 50. & deinceps, (observato prius, quod mutari in tempore stat dupliciter, vel primo, ut cum in toto tempore moveretur secundum quamlibet partem

B 3

partem temporis, vel non primo, & adæquate, sed secundum alterum, quia secundum alteram temporis partem. Primum, ante quodlibet moveri dari mutatum esse. Secundum, ante omne mutatum esse dari moveri, seu partem motus; fundamentum utriusque est infinita divisibilitas, & proportio in divisione inter motum, tempus, mobile, & spatium. & sicut in tempore non est assignabilis prima pars, & primum instans, sic in motu, qui divisibilis est juxta temporis divisibilitatem. Tum quia omne, quod mutatum est, pervenit ad illud, in quo mutatum est in tempore, ergo per motum, qui fiebat in illo tempore, ergo ante illud mutatum esse erat moveri, sic de aliis.

CAPUT VI.

A textu 60. usque ad 67.

68 **D**eclarat Arist. in præsentibus quod motui, tempori, mobili, & spatio, sicut proportionaliter divisibilitas convenit, ita finitas, & infinitas, & hoc per plures propositiones, quarum Prima est. Mobile finitum nequit pertransire magnitudinem finitam tempore infinito, nisi motus sæpius super eandem fieret magnitudinem, ut in circulari, de quo non est sermo in præsentibus, quia loquimur de unico transitu, istud vero spatium non semel, sed infinite pertransiretur; probatur propositio, quia parti motus, sive regularis, sive irregularis, correspondet pars temporis, & alteri parti altera pars, sed istæ partes sæpius replicatæ faciunt totum motum, & hunc finitum, ergo partes illæ temporis finitum tempus componunt. 2. Propositio. Impossibile est, aliquid tempore finito moveri per spatium infinitum, quæ probatur, sicut præcedens, quia parti temporis correspondet pars motus, & spatii pertransiri. 3. Propositio. Impossibile est, mobile infinitum pertransire finitum spatium tempore finito; ratio est, quia si infinitum pertransiret finitum, ergo finitum tempore finito pertransiret infinitum, & si non motu locali, saltem mensurando, nam spatium mensuraret mobile infinitum, quod non est possibile per secundam propositionem. 4. Propositio. Impossibile est, mobile infinitum tempore finito transire spatium infinitum: ratio est eadem, quia tempus finitum mensuraret infinitum, & pars mobilis infiniti, quæ finita est, totum spatium infinitum pertransiret. 5. Propositio. Mobile infinitum nequit spatium finitum tempore infinito pertransire, patet ex dictis. Concludendum est ergo, eodem modo, & proportione finitatem, & infinitatem motui, mobili, spatio, & tempori convenire, quia unum infert aliud.

CAPUT VII.

A textu 67. usque ad 75.

69 **Q**uæ hucusque docuit de motu, eadem nunc affirmat de quiete, non quidem, ut est negatio motus, sed ut privatio, videlicet, quod divisibilis sit in infinitum, sicut motus, non positive, sed negative, quia est non ens, & quod sicut in motu non datur primum mutatum, ita in quiete nec primum quietum esse; ratio hujus est, quia quies privativa non est in instanti, sed in tempore, ut sæpe dictum est, ergo eodem modo se habebit, sicut tempus. Deinde asserit Arist. impossibile esse mobile per se primo in aliquo toto tempore moveri, & secundum aliquam partem illius temporis esse sub determinato loco, vel determinato gradu formæ, secundum quam movetur, quia simul moveretur, & quiesceret; moveretur, quia supponitur per se primo moveri in toto tempore, hoc est, in qualibet parte illius temporis; quiesceret, quia per tempus eodem modo se haberet, ac prius, ergo in qualibet parte illius temporis non erit in determinato loco, aut gradu formæ, quamvis in quolibet instanti, cui mutatum esse correspondet, habeat determinatum gradum, non tamen quiescere dicitur, cum sit instans, non tempus, in quo est quies.

CAPUT VIII.

A textu 75. usque ad 86.

70 **S**olvit modo Philosophus rationes antiquorum, præsertim Zenonis contra existentiam motus. Prima est. Quando mobile est in loco sibi æquali, vel movetur, vel quiescit, sed in quolibet nunc est in loco sibi æquali, ergo vel quiescit, & sic in toto tempore quiesceret, vel in quolibet instanti moveretur. Respondet Aristotel. rationem hanc supponere, tempus ex indivisibilibus constare, quod est falsum, quare in singulis instantibus non movetur, neque quiescit, sed in partibus temporis movetur, in quibus semper est in priori, & priori parte spatii, non in loco adæquato.

Secunda ratio. In quolibet spatio sunt infinitæ partes, quarum prior debet prius pertransiri, sed nequit infinitum pertransiri, ergo &c. Respondet ex jam dictis, magnitudinem, motum, & tempus eodem modo se habere in infinitate, & finitate, quæ infinitas non est secundum partes æquales, & in actu, sed in potentia, & secundum proportionales, quo modo infinitum pertransiri potest.

Tertia ratio. Sequeretur, velocissimum in motu nunquam attingere tardissimum, probatur: ponatur velocissimum in

principio spatii, & tardissimum in medio, & simul incipiant moveri, quando primum pervenit ad medium, secundum aliquid spatii transivit, quia movebatur, ergo tum non attinget; similiter quando primum pervenit ad istud punctum secundi, secundum aliquid aliud pertransivit, & sic in infinitum. Respondet, esse fere eandem rationem cum præcedenti, ideo dicitur; motum non fieri per spatium secundum partes proportionales, sed secundum æquales, quare non debet fieri illa partitio secundum medietates medietatum, sed secundum æquales, quæ cum sint finitæ, possunt citius in æquali tempore pertransiri a velociori.

71 Quarta ratio. Sequeretur, majus tempus esse æquale minori, probatur; sint tres magnitudines quadrupalmares, quarum media sit ferrea, & immobilis, alia vero lignea, superponatur ferrea, itaut extremum lignea tangat medium ferrea, altera lapidea, & ferrea supponatur, itaut extremum, & finis ferrea sit cum principio lapideæ; immota manente ferrea, incipiat lapidea moveri sub ferrea, itaut in fine semihoræ sit simul cum medio ferrea, & extremum lapideæ correspondeat extremo lignea, tunc ambæ moveantur aequo velociter, una contra aliam, in fine alterius semihoræ ambæ cum ferrea aquarentur, & inter se; ex quo sequitur illud absurdum; illa enim tempora sunt æqualia, in quibus mobilia aequo velocia æquale spatium percurreunt, sed lapidea tempore unius horæ pertransit totam ferream, lignea vero per semihoram pertransit totam ferream, lignea vero per semihoram pertransit lapideam, quæ est ferrea æqualis, & eadem velocitate, ergo hora, & semihora essent æqualia. Respondet negando sequentem; ad probationem ait, committi fallaciam, quia lapidea comparatur ferrea, quæ est fixum spatium, lignea vero comparatur lapideæ, non fixæ, sed motæ in contrariam partem, quo modo motus quasi duplicatur in velocitate, & ideo in minori tempore potest pertransiri; non enim æqualia in velocitate possunt dicit ista mobilia.

72 Quinta ratio. Vel mobile movetur, quando est sub termino a quo, vel quando est sub termino ad quem, vel quando est sub neutro; non primum, neque secundum, quia tunc non movetur, sed quiescit, neque tertium, quia terminus a quo, & ad quem contradicunt, ergo non potest dari aliquod, cui alterum illorum non conveniat. Respondet, in motu successivo mobile moveri, quando est partim sub uno termino, partim sub altero, quomodo unum illorum semper convenit, vel scilicet esse album ex parte, secundum quam falsum erit dicere, non esse album, vel non esse ex toto album, cuius contradictorium, scilicet esse ex toto album, erit falsum.

Sexta ratio. Est contra circulem motum, nam tale corpus movebitur, ut supponitur, quiescet etiam, quia semper esset in eodem loco, & secundum totum, & secundum partes, quia nec ipsum, nec aliqua ejus pars egredietur extra locum, ergo &c. Respondet, partes mutare locum sicutaliter, & totum secundum omnes partes variare dispositionem ejusdem loci, quod sufficit, ut quiescere non dicatur.

CAPUT IX.

A textu 86. usque ad finem.

73 **D**uo facit Aristot. Primo ostendit, indivisibile non posse moveri per se, ut dicebat Democritus, quia nequit esse partim sub termino a quo, partim sub termino ad quem, sed totum sub altero illorum erit, ergo nequit successive moveri; Tum quia omne per se mobile prius pertransit æquale, vel minus spatium se ipso, quam majus se, sed indivisibile nequit esse in majori, vel minori spatio, quia non habet majus, vel minus, ergo semper esset in æquali, & sic describeret lineam ex indivisibilibus constantem; Tum quia si mobile aliquod in tempore pertransit spatium sibi æquale, in minori tempore pertransit spatium correspondens alicui parti ejus, sed indivisibile non habet partes, ergo non posset moveri, quia non dabitur tempus minus indivisibili; vel quod in instanti movebitur, quia tempus, spatium, & mobile debent se commensurari. Secundo probat, nullum motum infinitum esse, quia quilibet contradictorius, vel contrariis terminis finitur, & terminatur, infinitum autem nequit terminari. Si dicas, saltem motus violentos ab extrinseco provenientes, & circulares posse esse infinitos. Respondet Arist. si loquamur de motu infinito secundum formam, & terminum acquisitum, falsum est, quia repugnat fieri, quod repugnat esse factum, quia terminus est finis actionis, sed si mobile moveretur ad infinitam formam, seu spatium, nunquam esset mutatum, sed semper movebitur, ergo repugnat quoque fieri etiam ab extrinseco talis motus. At motus circularis dicitur solum infinitum secundum durationem, non secundum formam, & talis non repugnat, ut videbitur in octavo libro.

LIBER SEPTIMUS

CAPUT III.

A textu 21. usque ad finem.

PHYSICORUM,

In quo de motu in ordine ad moventia præcipue disputatur.

CAPUT I.

A textu 1. usque ad 10.

74 **U**T possit Arist. probare, in moventibus non dari processum in infinitum, sed ad unum primum motorem deveniendum, assumit prius hanc propositionem. Omne, quod movetur, ab alio movetur, quam probat in motis naturaliter, nam in motis violentis est clarum, semper motorem extrinsecum esse. Omne, quod movetur a se ipso primo, non quiescit ad quietem alterius, quia dependeret ab illo, & non a se primo, sed ab alio moveretur, sed omne mobile dividitur in plures partes, quarum una quiescente, vel totum movetur, vel quiescit; si secundum, ergo dependet in motu, & sic a se primo non movetur; si primum, ergo neque primo movebitur, quia id taliter moveri dicitur, quod secundum quamlibet sui partem movetur, quam rationem fise explicat Scot. in 2. d. 2. qu. 10. H. & nos in quæstionibus. Cum igitur (inquit Arist.) omne, quod movetur, ab alio moveatur, & in moventibus non sit dari processus in infinitum, dabitur unus primus motor ab alio non motor. Quod non datur processus, probat: si hoc esset, ergo quia cum movens movetur, mobile movetur, & e contra, existens in infinitis moventibus, & motis, essent infiniti motus, quorum quilibet esset finitus, cum inter determinatos terminos versaretur, ex quibus unus numero, vel specie infinitus motus resultaret, factus in tempore finito, quia motus lapidis deorsum, verbi gratia, sit tempore finito, & in illo tempore infiniti motus simul sunt, quod est absurdum. Si dicas, non fieri ex illis motibus unum totalem, sed infinitos in numero esse, & consequenter non implicare, simul tempore finito fieri. Contra, quia non repugnat, mobile, & movens continuari, ut patet in animali, ergo supposito, quod continua sint, jam unus numero motus infinitus resultaret.

CAPUT II.

A textu 10. usque ad 21.

75 **P**robat Arist. movens, & mobile simul esse debere, seu contigua, quod facit inductive, nam in motu locali, si mobile ab intrinseco movetur, jam sunt simul, si ab extrinseco, hoc quadrupliciter, nam vel sit pulsione, vel tractione, vel erectione, vel vertigine, ut in motu circulari, & hæc ad duo prima reducuntur, in quibus movens est simul cum mobili, in tractione, saltem in fine motus, ut cum magnes attrahit ferrum; trahere enim est ad se congregare, in pulsione, saltem in principio motus, ut in projectis, pellere enim est a se separare, in motu augmentationis evidens est, quia sit per appositionem nutrimenti; in motu alterationis, probatur, alteratio proprie dicta sit secundum qualitates sensibiles, sed in istis semper movens, & motum sunt simul, ut patet in calefactione, quia calefaciens semper tangit passum, & objectum immutat sensus, vel per se immediate, vel per species sensibiles, ergo &c. Major fise probatur a tex. 14. inductive, & quod ad naturalium potentiam, vel impotentiam non sit per se alteratio, patet, quia consequenter corpus in sui generatione; quod non datur ad quartam speciem, scilicet formam, & figuram, probat, quia insurgunt ad acquisitionem alterius, videlicet per condensationem, vel rarefactionem, aut motum localem; Tum quia subiectum, & forma per alterationem acquisita in recto de se invicem prædicantur, ut lignum est calidum, & calidum est lignum, non sic in artefactis, ubi proprie est figura; non enim dicimus, statua est æs, Tum quia subiectum suscipiens figuram, perficitur, & fit, ergo non alteratur; nec ad qualitates primæ speciei, quales sunt habitus, & dispositio, qui, vel ad corpus pertinent, ut sanitas, pulchritudo, robur &c. vel ad animam; ut scientia; primi, qui virtutes, & vitia vocantur ab Arist. quarens faciunt, vel ad bene, vel ad male esse, non possunt terminare alterationem, quia sunt ad aliquid, in quo prædicamento non est motus. Quod sint ad aliquid, probatur, quia dicunt quandam commensurationem, ut sanitas proportionem humorum; neque virtutes in anima, quæ vel pertinent ad potentias appetitivas, ut sunt morales virtutes, & istæ non terminant alterationem, quia anima ipsas perficitur, neque vitia opposita, quia oppositorum eadem est ratio; Tum quia semper præsupponunt alterationes prævias, nam acquiruntur per actus, per delectationes, aut tristitias, vel pertinent ad potentiam cognoscitivam ut sunt scientia, & in istis neque est alteratio, quia sunt ad aliquid; perficiunt, & quia quæ acquiruntur per quietationem non terminant motum, scientia sunt hujusmodi, quia anima sedendo, & quiescendo fit prudens, ergo &c.

76 **D**uo facit in hoc capite. Primo agit de comparatione motuum inter se, secundo, de comparatione moventium, & mobilium in ordine ad motum. Quo ad primum est sciendum, quod comparatio est unius, vel duorum in aliquo tertio collatio secundum magis, vel minus, æquale, vel inæquale, & dubitat, an omnis motus cuilibet motui sit comparabilis in velocitate, & tarditate: negativum probat, quia circularis, & rectus non sunt comparabiles, sicut nec ubi, motus illos terminantia; Tum quia motus localis non est cum alteratione comparabilis: affirmativum probat, quia tam circularis, quam rectus sunt veloces, vel tardi, & in eodem tempore possunt fieri, ergo sunt adinvicem comparabiles. Attamen determinat quæstionem, assignando conditiones comparabilium. Prima, quod illud tertium, in quo fit comparatio, univoce, non æquivoco illis conveniat, unde licet acutum stylo, & voci conveniat, non tamen possunt comparari. Secunda, quod conveniat in aliquo susceptivo primo, sic paries, & equus in albedine comparantur, quia conveniunt in superficie immediate susceptiva albedinis, at vox, & mel non comparantur in dulcedine. Tertia, quod fiat comparatio in specie specialissima, quia sub genere latent multæ æquivocationes. Ex quibus inferit, neque alterationem cum motu locali, neque circulem cum recto posse recte comparari, quia non conveniunt specie, sed bene motus ejusdem speciei in velocitate, & tarditate, sive sint locales, sive alterationes, sive augmentationes, imo & generationes, & corruptiones possunt ad invicem comparari, si fiant in tempore æquali, vel inæquali.

77 Quoad secundum supponit, in quolibet motu quatuor reperiri, movens, mobile, tempus, & spatium, seu latitudo formæ acquirendæ, tunc dat regulas, quibus motus in particulari comparari possunt in ordine ad ista. Prima est, Si aliquod movens movet pondus per spatium aliquod in certo tempore, idem movens, vel aliud ejusdem virtutis poterit movere pondus dimidium in eodem tempore per spatium duplo majus. Secunda, Si aliqua virtus movet aliquod pondus per spatium, & tempus determinatum, eadem, vel æqualis movebit medietatem ponderis illius per idem spatium in medietate illius temporis; & ratio harum regularum est, quia motus velocitatem secundum proportionem moventis ad resistentiam mobilis. Tertia, Si aliqua virtus movet pondus per spatium in certo tempore, eadem, vel æqualis movebit idem pondus per medietatem spatii in medietate illius temporis. Quarta, Si aliqua virtus movet pondus per aliquod spatium in tempore, media virtus movebit medietatem ponderis per idem spatium in eodem tempore. Quinta, Si aliqua virtus movet pondus per spatium in tempore, non oportet, illam virtutem movere majus pondus in duplo per idem spatium in tempore duplo majori, quia forte non poterit ullo modo illud movere, si excederet mobilis resistentia activitatem moventis. Sexta, Si virtus aliqua movet pondus per aliquod spatium in tempore, non est necessæ, medietatem illius virtutis posse idem pondus in eodem tempore per medietatem spatii movere propter eandem rationem. Septima, Si duæ virtutes separatæ moveant duo pondera in certo tempore, & per determinatum spatium, aggregatum ex illis virtutibus movebit aggregatum ex illis ponderibus in eodem tempore, & spatio, quia eadem proportio adhuc servatur. Quæ regulæ, quamvis de motu locali claritatis gratia dantur, possunt tamen omnibus aliis motibus applicari, præter ultimam, quæ in alteratione duorum agentium univocorum non videtur verificari, v. gr. si calidum ut unum producit calorem ut unum, & aliud calidum ut unum similiter; si ista duo applicantur eidem subiecto, non producent, nisi calorem ut unum, sed de hoc alibi, præcipue in libris de Generatione.

LIBER OCTAVUS

PHYSICORUM,

In quo de primo motore, & motus æternitate discutitur.

CAPUT I.

A textu 1. usque ad 16.

78 **P**roponit quæst. de motu, an semper fuerit, & erit, an vero aliquando incæperit, & non erit, & loquitur de motu in communi; refert opiniones antiquorum. Prima fuit Democriti dicentis, motum semper fuisse, quia infinitos mundos posuit, quorum unius generatio erat alterius corruptio. Secunda fuit Anaxagoræ, ponentis utique motum æternum a parte post, sed negabat a parte ante, eo quia res atomas per infinitum tempus quiescisse in chao dicebat, & postea a divina mente segregatas, quam segregationem generationem appellabat, & semper fore asserbat. Tertia fuit Empedoclis, dicentis motum non semper fuisse, nec semper fore, sed aliquando incæpisse, adveniente lite, aliquando desinere, adveniente amicitia.

B 4 Uf

Ut suam aperiat sententiam, supponit ex dictis in 3. Phyl. motum presupponere movens, & mobile, eo quia est actus mobilis, & illa respiciat ut causas, causas autem precedunt effectum. Deinde ponit conclusionem; Motus semper fuit, & semper erit.

Primum partem probat. Si motus incipit, ergo vel movens, & mobile presupposita fuerunt ab eterno, vel in tempore; si secundum, ergo per alium motum, cui mobile, & movens presupponebantur, & de istis queritur, sicut prius; si primum, ergo per infinitum tempus quiescisset, & cum potuerit moveri, ideo quiescebat propter aliquod impediens, quod necessario debuisset auferri, ut primus motus inciperet, sed non potuisset auferri, nisi per motum, ergo ante illum motum dabitur alius prior, & sic in infinitum, ergo motus fuit ab eterno.

79 Dices, agentia naturalia non agere propter aliquod impediens, at libera possunt cessare ab operatione, etiam si impedita non essent; sunt enim causa contrariorum, sic fuisset movens ab eterno. Contra (inquit Arist.) etiam in agentibus naturalibus idem, sicut per accidens, potest esse causa contrariorum propter diversitatem dispositionum, ita etiam in agentibus liberis, si modo movent, antea non movebant; hoc erit propter aliquam variationem dispositionum, vel extrinsecum, vel intrinsecum, ergo praecessisset motus. Secundo; Tempus fuit aeternum, ergo & motus, ut clarum est sine tempore, nec e contra; antecedens probatur auctoritate Philosophorum, ponentium tempus ingentium; Tum quia, si prius non erat, postea fuit factum, ergo erat antequam factum fuisset, quia prius, & posterius sunt differentiae temporis; Tum quia nequit tempus intelligi sine nunc, quod semper finis est praeteriti, & initium futuri, ergo ante quodlibet nunc, est assignare tempus. Secunda pars probatur ab ipso; si demum ultimus motus, per ipsum non est necesse, quod movens, & mobile corrumpantur, maxime si est motus localis, quia movens corrumpere se ipsum, per motum scilicet a seipso causatum, imo foret annihilatio, si subjectum motus non remaneat, vel ergo postea remanent in perpetuum, vel corrumpuntur; si secundum, ergo post ultimum motum daretur alius, de quo idem queritur: si primum, ergo cum aperiuntur habeant ad causandum motum, alium efficiant, vel actio ipsius retardabitur per alium motum, & sic alius motus post ultimum, Ex quibus ostendit, quod vanae fuerint Anaxagorae, & Empedocles opiniones, nam sine ratione aliqua assererent, motum ab eterno non fuisse.

CAPUT II.

A textu 16. usque ad 21.

80 Solvit Arist. rationes, quibus aeternitatem motus antiqui impugnabant. Prima est talis: Omnis motus est inter terminos, ergo est aeternus, & infinitus, cui terminari repugnat. Secunda in qualibet re videmus, motum modo incipere, modo desinere, ergo idem de universo dici debet. Tertia, quod venit in parvo mundo, scilicet homine, adest quoque in magno, sed in parvo adest principium motus, ita ut aliquando quiescat, aliquando denuo moveatur, ergo &c. Respondet ad primam, negando antecedens, quia circularis motus non est inter oppositos terminos, ut infra, de aliis concedit, qui nec sunt aeterni. Ad 2. Respondet, in non viventibus posse de novo esse motum, quia de novo potest adest movens, at in universo semper fuit movens, & mobile, ideo semper motus: Ad 3. Licet in animalibus adest principium internum motus localis, atramen istum motum praecesserunt alii motus in potentiis ab objecto externo, quo excitatur postea animal ad querendum sibi convenientis, quare non est simpliciter primus motus a potentia motiva locali proveniens, sed dependens ab extrinseco motore, qui potest aliquando non adeste, at in universo semper adest motor primus, & independens, ideo semper movet.

CAPUT III.

A textu 21. usque ad 27.

81 UT unitatem primi motoris possit indagari, Arist. praemittit in praesenti aliquas divisiones; Rerum enim, quae sunt, vel omnes quiescunt, ut dicebat Zeno, negans omnem motum, & hoc est falsum, quia contra sensum, quia contra scientiam, quae per discursum habetur, qui est quidam motus, & quia contra Philosophiam, supponentem, dari motum, cum supponat esse naturam, quae principium est motus; Vel omnes semper moventur, ut dicebat Heraclitus, & hoc non, quia contra experientiam, non enim vivens semper augetur, videlicet quando alimentum disponitur, sicut guttae cadentes non semper excavant lapidem, & dum homo est infirmus, non semper sanabitur, & naturalia in suis propriis locis quiescunt. Ex istis sequitur, quod rerum omnium aliqua quiescant, & aliqua moventur; quod tripliciter quoque potest evenire, vel quod aliqua moveantur semper, & aliqua semper quiescant, quod est falsum, quia in eisdem successive videmus motum, & quietem; vel quod omnes habeant motum, & quietem, ita ut aliquando moveantur, & aliquando quiescant omnes, & hoc etiam est falsum, quia aliquas videmus semper moveri, aliquas semper quiescere, quapropter concludit rerum omnium alias semper moveri, alias semper quiescere, alias aliquando moveri, & aliquando quiescere; quam propositionem in sequentibus capitibus probat, & declarat.

CAPUT IV.

A textu 24. usque ad 35.

82 Intentum Arist. in hoc capite est demonstrare propositionem illam universalem, quam in princ. 7. Phyl. adduxerat, videlicet, omne, quod movetur, ab alio moveri; quam ut probet, praemittit quasdam divisiones sapienter declaratas, scilicet; Eorum, quae movent, & quae moventur, quaedam per se movent, vel moventur, quaedam per accidens; quae per se, adhuc dupliciter, quaedam a principio intrinseco, quaedam ab extrinseco, & quaedam naturaliter, quaedam vero violenter. Hoc praemisso demonstrat, propositionem assignatam esse veram in violenter motis, in quibus movens, & mobile distinguuntur, ut patet, esse quoque veram in animalibus, quae a se ipsis moventur per principium internum, quae est pars corporis, in qua virtus residet motiva, quae est distincta a reliquis corporis partibus motis, & se habet, sicut natura ad navim. Solum remanet explicare, quomodo inanimata, seu gravia, & levia moveantur, an a seipsis, an vero ab aliquo principio extrinseco; & istos contextus sigillatim explicabimus, quia solent a Thomistis adduci contra nos cum Scoto tenentes, gravia, & levia a se ipsis moveri, ut clarior pateat mens Arist.

83 In textu igitur 28. proponit questionem, a quo gravia, & levia moveantur in motu naturali, an a seipsis, an vero ab alio extrinseco, & quod ab alio moveantur, probat tribus rationibus in tex. 29. & quarta in 30. tum quia movere se est proprium vitam habentium, Tum quia siftere possent se in medio, Tum quia non moventur ad diversas partes, sed ad unum determinatum locum, Tum quia omne, quod se movet, debet distinguere in partem per se moventem, & in partem per se motam, quae distinctio non adest in gravibus, & levisibus, cum sint continua, idest ejusdem dispositionis, sed necesse est, inquit, quod movens sit divisum a mobili, sicut videmus in non viventibus, cum ab animatis moventur. Subjungit postea in tex. 31. Sed accidit, & haec ab aliquo semper moveri, fiet autem manifestum dividendis causas; quibus verbis dat clare intelligere, in tex. 29. & 30. non determinasse questionem, sed solum dubia proposuisse pro contraria parte, imo quod ipse aliter sentiat, aliter non accideret, gravia semper ab alio moveri; quod patet etiam ex tex. 32. ubi ait, Quoniam autem quod potentia est, multipliciter dicitur, haec causa est, ut non sit manifestum, a quo haec moveantur: quod tamen esset falsum, si jam supra determinasset, gravia non a seipsis, sed ab alio moveri, male ergo Thomistae intentionem Arist. colligunt ex tex. 29. & 30. Ut autem decidat questionem, adnotat in tex. 31. quod sicut mobilia, & secundum naturam, & praeter naturam moveri possunt, ita moventia possunt movere secundum naturam, & praeter naturam, tunc gravia praeter naturam moventur, quando moventur ab alio, tunc secundum naturam, quando in potentia existunt ad suos actus, distinguit deinde in tex. 32. de potentia, alia enim est essentialis, & ad actum primum, sicut lignum est in potentia ad esse ignem, & habere actum primum comburendi, alia est ad actum secundum, ut cum actu est ignis, potest comburere, & comburere, si non est impeditus, & combusibile habeat approximatum: Similiter (inquit Arist.) se habet circa grave, & leve, leve enim fit ex gravi, ut ex aqua aer, quo modo est in potentia ad actum primum, sed cum est leve, idest cum aqua sit aer, operabitur confestim, nisi quid prohibeat, & explicans istam operationem ait, actus autem ipsius levis est alibi esse, & sursum, & infra, cum enim est aqua, potentia quodammodo est leve, contrahit enim, impeditum, & non sursum esse, sed si auferatur impediens, agit, & semper superius fit.

84 Ex quibus patet, Arist. asserere, gravia, & levia, si extra proprium locum sunt, & non impedita, statim movere se ipsa, quam doctrinam etiam adducit in 4. de Caelo tex. 24. & 25. Sequitur postea removens prohibens per accidens gravia, & vel levia movere, & concludit in eodem tex. Quod igitur nihil horum ipsum movet seipsum, manifestum est, sed motus habet principium non movendi, neque faciendi, sed patiendi, quod etiam replicat in tex. 33. ubi explicat, a generante moveri, vel a removente prohibens, hoc autem debet intelligi de principio, ut naturali, a quo motus naturalis denominatur, quale est passivum, nam activum non est ita per se natura, sicut passivum, & hoc colligitur ex ipso Philosopho, nam in tex. 32. proponit istam dubitationem, cur gravia, & levia in propria loca ferantur naturaliter, ergo quando respondet, quia habent principium patiendi, loquitur de principio, a quo sumitur per se naturalitas, attamen in tex. 33. epilogat omnia jam dicta, videlicet, omne motum ab alio moveri, quia si est violentum, a principio extrinseco, si est animatum, a se ipso, in quo tamen principium movens est diversum a parte mota, si est grave, aut leve, vel a generante, vel a removente prohibens, non quod gravia, & levia non habeant tale principium activum, sed quia non sunt primo moventia, quia necesse est, ut a generante reducatur ad actum primum, & sic presupponunt alium motum, & requirunt, quando sunt in actu primo, motum removentis prohibens quod licet sit movens per accidens, sufficit tamen ad ostendendum, gravia non per se primo moveri, a se ipsis, cum alium motum presupponant. Haec expositio habetur a Scoto in 2. d. 2. q. 10. Tandem Arist. in fine ait, quod moventia quoddam movet per se ipsum, aliud vero per alterum, ut homo baculo movet lapidem, & istorum, aliqua uno tantum instrumento, aliqua pluribus, ut homo movet lapidem manu, & baculo, quorum primum magis movet, quam secundum, quia primum movet secundum, non e contra, & quia secundum dependet

det a primo in movere, non e contra, & sic manet probata illa propositio, omne, quod movetur, ab alio moveretur.

CAPUT V.

A textu 34. usque ad 40.

85 EX dictis intendit Philosophus hoc probare, quod in moventibus deveniri tandem habet ad aliquod primum movens, quod nec per se, nec per accidens ab alio moveatur, sed si mobile esset, a se ipso moveretur, hoc autem dupliciter probat. Primo, omne quod movetur, ab alio movetur, ergo deveniendum est ad aliquod movens, quod ab alio non moveatur, aliter daretur in moventibus processus in infinitum. Secundo, vel ab alio moveretur per se, vel per accidens: non secundum, quia quod accidentaliter alicui convenit, potest non esse, & sic posset non moveri, & consequenter, si ut moveat, deberet moveri, posset quoque non movere, & sic totaliter motum cessare, quod implicat; neque primum, quia vel moveretur secundum eandem speciem motus, quia aliud movet, vel diversa; non primum, quia sequeretur, quod sanaret, & sanaretur, esset docens, & doceretur, edificaret, & edificaretur; non secundum, quia cum species motus sint finitae, deveniendum erit ad aliquod movens primum, quod vel non moveatur, vel quod moveatur eadem specie motus, qua ultimum movetur, & sic daretur reflexio ad primam speciem motus, unde idem doceret, & doceretur; nam certum est, ultimum mobile a primo moventem tali motu moveri; quod enim est causa causae, est etiam causati causa, ergo si primum movens tandem moveretur eodem motu, jam ferret, & ferretur, sanaret, & sanaretur, &c. Tum quia datur ultimum mobile, quod aliud actu non moveat, ut patet in baculo moto a manu, datur movens, quod etiam movetur, ut est manus ab homine mota, ergo dari debet movens, quod ab alio nullo modo moveatur, sed si mobile esset, potius dici debet a se ipso, quam ab alio moveri.

CAPUT VI.

A textu 40. usque ad 54.

86 Ostendit in hoc capite omnimodam immobilitatem, perpetuitatem, & unitatem primi motoris, & primo, quia jam probaverat, primum movens immobile esse ab alio, tam per se, quam per accidens, unde poterat dici se ipsum movere, ostendit, neque a se ipso moveri, supponens principium illud demonstratum in 6. Phyl. quod omne mobile continuum, & divisibile sit, tunc si arguit. Omne se ipsum movens, dividitur in partem per se moventem, & in partem per se motam, quod probat, quia in movente se, vel totum movet totum, & hoc non, quia idem moveret, & moveretur, ferret, & ferretur, esset in actu, quatenus movens est, & simul in potentia, quatenus est mobile, & hoc respectu ejusdem formae, vel utraque pars movet se invicem, & hoc non, quia nullum esset primum movens, quia quaelibet ab altera moveretur; tum quia altera pars movens, per accidens ab alia moveretur, unde posset immoveri, & consequenter cessare a motu, quod est falsum. Vel tandem, quod quaelibet pars moveret se ipsam, & neque hoc, quia tunc totum non movebit primo se ipsam, sed partes illas, quae adhuc dividi debent in partes alias per se moventes, & per se motas, & sic processus in infinitum in partibus moventibus, quod enim primo se movet, dividitur in partem per se moventem, & in partem per se motam, si ergo primum se ipsum movet, habebit partem aliquam propterea immobilem per se. Quod vero sit etiam per accidens immobilis, probatur ab ipso a tex. 50. postquam perpetuitatem, & unitatem probavit.

87 Secundo igitur a tex. 45. ostendit, primum movens perpetuum esse; Res naturales modo sunt, modo non sunt, quia generationi, & corruptioni sunt obnoxiae, ergo causam aliquam habebunt istius variationis, quae ingenerabilis sit, & incorruptibilis, quia si corruptibilis esset, non posset esse causa generationum subsequentium ipsius corruptionem, & cum generationes perpetuae sint, causa quoque ipsarum, qui primus erit motor, perpetua erit. Quod tandem sit unus motor, probat, quia rationabilis est finita ponere principia, quam infinita, & unum, quam plura, si nulla adsit necessitas, quam natura nihil frustra admittat. Tum quia unus est motus perpetuus, ergo unus primus motor; antecedens probatur, quia si motus fuit semper, ergo fuit continuus, & non interruptus, ergo unus, quia unum, & continuum convertuntur in proposito; consequentia probatur, quia unico motui unicus motor sufficit, & a pluribus motoribus adaequatis, non unus, sed plures motus proveniunt. Ex quibus omnibus duo deducit; primum, quod primum movens erit immobile per accidens sit, quia id per accidens movetur, quod ad motum illius movetur, quod movet, ut anima in corpore, sed primus motor nequit sic moveri, ergo &c. minor probatur. Quod taliter movetur, non potest perpetuo movere, ut videmus in animalibus, ubi anima quia a se ipsa per accidens movetur, non perpetuo movet, sed motor debet perpetuo movere, ergo &c.

88 Dices: Res inferiores per accidens a primo mobili motu raptus, & perpetuo moventur, ergo motui per accidens non repugnat perpetuitas, & sic poterit primus motor perpetuo movere, sed per accidens moveri. Respondet Arist. orbis caelestes moveri per accidens ab alio, non a se ipsis, qui modus solis corruptibilis convenit, & quia primus motor nullo modo potest per accidens ab alio

moveri, aliter non esset primus, si moveretur a se per accidens, non posset perpetuo movere cum solis corruptibilibus conveniat hoc modo moveri. Secundum, quod deducit, est, quod sicut datur unum primum movens perpetuum, quod debet dari unum primum mobile perpetuum, quia si immediate primus motor ageret in haec inferiora, cum sit omnino invariabile, eadem semper causaret, quare propter diversitatem rerum, dari debet unum primum mobile, quod suo motu variet aspectus, & influentias in haec inferiora. Concluditur ergo ratio illius propositionis in principio apposita, videlicet, quod aliqua semper moventur, aliqua semper quiescunt, aliqua vero modo moventur, modo quiescunt; quia enim in moventibus non est processus in infinitum, ideo aliqua scilicet primus motor semper quiescit, quia aliqua motorem immobilem, & uniformem perpetuo habent, semper moventur, ut Caeli, alia vero, quia non habent motorem semper moventem, ideo aliquando moventur, aliquando quiescunt.

CAPUT VII.

A textu 54. usque ad 64.

89 Dixerat in praecedenti, primum movens perpetuum primum mobile movere, intendit modo declarare, quoniam sit iste motus, quo primum mobile a primo motore moveatur, & primo ostendit, nullum motum, praeter localem, primum, & perpetuum esse posse; quod primum non sit, probat, quia, cum tres sint species motus, augmentatio scilicet, alteratio, & motus localis, augmentatio presupponit alterationem alimenti, haec vero motum localem, seu alterationis approximationem; Tum quia motus localis est prior natura, tempore, & dignitate ceteris; natura quidem, quia ipse potest esse sine aliis; non e contra, estque causa aliorum, tempore, quia, est aeternus, ut dicemus, non sic alii; imo praecedit generationes ipsas, quia debet dari causa universalis, quae suo accessu, & recessu varietatem generationum, & corruptionum sit causa; neque quod localiter movetur, necessario erit generabile, ut patet in Caelis; dignitate tandem, quia in generatione animalium ultimo loco ipsis convenit localis motus, quae autem sunt posteriora generatione, sunt perfectione priora; Tum quia nobilioribus naturis convenit, minusque mobile varium reddit. Quod solus perpetuus, & continuus sit, ostendit, quia omnis alius motus, si mutatio sit inter terminos oppositos, ergo nullus perpetuus, & continuus esse poterit, sed semper quies intermedia erit; consequentia probatur, quia idem simul moveretur motibus contrariis; Tum quia absurdum est, generatum statim corrumpi; neque implicat, idem duobus opponi, diversimode tamen, ut aequale excedenti, & excessivo, sic motus privative quieti opponitur, motui vero contrarie.

CAPUT VIII.

A textu 64. usque ad 78.

90 Determinavit, inter motus solum rationem perpetuam esse posse, at quia motus localis est duplex, rectus, qui super lineam rectam fit, & circularis, qui super lineam circularem, & hoc dupliciter, vel sit per reflexionem, retrocedendo per eandem viam, quod moveri in circulo dicitur ab Arist. vel absque reflexione, sed super eundem circulum, saepius ipsum transeundo, & tandem mixtus ex utroque; hinc ostendit, quinam ex istis motibus possit perpetuari, & primo ait, nullum motum rectum posse esse perpetuum, quia non potest fieri super lineam infinitam, quae non datur, super lineam finitam nequit fieri perpetuus motus, nisi per reflexionem, sed mobile in puncto reflexionis necessario debet quiescere, ergo non possunt motus rectus, & reflexus unum motum continuare; minor probatur multipliciter: Tum quia ad continuationem motus requiritur continuatio terminorum ex dictis in 5. & 6. Phyl. sed termini horum motuum sunt contrarii, videlicet sursum, & deorsum, ante, & retro, & contraria nequeunt continuari, ergo &c. minor patet, quia si duo mobilia super eandem lineam, unum ab A. in B. alterum a B. in A. moverentur, mutuo se impedirent: Tum quia in puncto reflexionis dari quietem patet sensui in motu progressivo animalium, & pulsus. Tum quia in qualibet linea datur principium, medium, & finis, medium vero est ratione diversum, nam participat de utroque, quod potest esse, vel in actu, ut cum punctum medium in linea actu ipsam terminat, vel in potentia, ut cum est continuativum lineae: si ergo mobile, cum est in medio, profequitur motum, non terminat actu motum, sed continuat ipsum: quare per instans erit in puncto, in quo proprie non quiescit; nec movetur: at si reflectitur, quia actu terminat motum, erit actu in illo puncto, & quia principiat motum reflexum, abest ab illo puncto, sed impossibile est in eodem nunc adeste, & abesse ab eodem puncto, ergo in alio, & alio instanti, inter quae tempus medium datur, quiescit in puncto reflexionis. Hinc stante ista doctrina, inquit Arist. si super eandem lineam duo mobilia aequalia in magnitudine, & velocitate moverentur, unum autem profequeretur motum, sed alterum in medio reflecteretur, non aequali tempore absolvetur motus illos, quia primum non quiescit in medio, sicut secundum.

91 Ex ista doctrina occasionem sumit Arist. solvendi rationem Zenonis negantis motum, in 6. Phyl. ad ducliam, vid. cum con-

num omne quid sit in infinitum divisibile, oporteret in motu prius primam medietatem pertransire, & prius medietatem istius medietatis, quod non erit possibile, quia infinitum nequit pertransiri; respondet ibi Arist. infinitam magnitudinem posse pertransiri quia eadem infinitudo correspondet ex parte motus, & temporis; sed modo, inquit ipse, non adquate responsionem istam solvere rationem; si quis de tempore, & non de magnitudine interrogaret, quomodo sit pertransibile, cum ex infinitis partibus constet; quapropter aliam dat solutionem, scilicet, quod ibi non sunt termini actu infiniti, sed in potentia, & hoc modo partes etiam ibi erunt, quare sicut si quis divideret continuum, quia actu terminat ipsum, & quasi numerat partes, nunquam deveniret ad ultimam divisionem, sicut in motu, si quis quodlibet nunc designaret in actu tanquam terminum partis motus, vel temporis, nunquam perveniret ad ultimam partem; imo neque motum continuum infinitum conficeret, quia in quolibet nunc deberet quiescere, eo quod actu terminaret partem illam; at non sic consideratur continuum, quatenus pertransibile est, sed ut est quid infinitum in potentia, quo modo infinitum licet pertransire; qui enim continue movetur, secundum accidens infinita transivit, hoc est prout non omnia determinate transivit, sed simul cum toto, & aliis partibus, accidit enim lineæ quatenus spatium est pertransibile, infinita dimidia esse in ipsa, hoc modo enim non pertransitur.

92 Redit Arist. ad probandam quæstionem inter motus reflexos: Tum quia simul esset mobile album, & non album, quia illud instans esset aliquid illorum motuum contrariorum, & recederet, ac accederet simul ab eodem loco: Tum quia quod movetur continue, in principio istius motus valet dicere, mobile moveri ad terminum ad quem ultimatum, ergo si motus rectus, & reflexus essent unus continuus motus, in principio recti motus, mobile diceretur moveri ad terminum ultimum, qui est locus ille, a quo tunc mobile recedit, qui est terminus reflexi motus, & sic simul accederet, & recederet, fieret album, & non album: Tum quia cum motu recto fiat privatio, seu quies opposita motui reflexo, quia si motu recto sursum vehitur, vere deorsum non movetur, & e contra, ergo unum motum continuum non conficiunt, quia unico motui unica quies est opposita. Tandem, quia motus istius speciei distinguuntur, ergo quamvis quies intermedia non daretur, non per hoc continui censentur, sed contigui tantum, quia specie differentia nequeunt continuari. Quæ rationes probant etiam de motu circulari reflexo, & de mixto, quia si illi nequeunt esse perpetui, nec iste ex illis compositus.

93 Deinde ostendit, solum motum circularem absque reflexione posse esse perpetuum, quia nullum sequitur inconveniens ex assignatis in aliis motibus, quod scilicet contrariis motibus moveatur, &c. Tum quia est primus inter omnes locales motus, nam est prior mixto, quia hic est compositus, ille simplex: prior recto, quia hic est corruptibilis, ille perpetuus: Tum quia est mensura cæterorum, est regularis, quæ non conveniunt aliis motibus. Tandem confirmat auctoritate veterum, ponentium motum localem præcedere rerum generationes.

C A P U T I X.

A textu 78. usque ad finem.

34 Explicat Philosophus in hoc capite alias primi motoris proprietates, solum in text. 82. & 83. incidenter loquitur de motu projectorum; probat igitur, primum motorem infinitæ virtutis esse, & immaterialem, incorporeum, & indivisibilem. Primum probat, eo quia impossibile est movens finitum

indefinito tempore movere, primum movens infinito tempore moveret, ergo non est finitum, minor fuit supra probata, major probatur. Si aliquid movens finitum infinito tempore moveret, ergo pars virtutis moventis movebit partem mobilis, non tempore infinito, quia in hoc totum moveret, sed in minori tempore, quod necessario est finitum, & quia augendo virtutem motivam, & mobile, proportionaliter quoque tempus crescit, sequitur, quod tunc determinata, & finita proportio sit inter ista moventia, & mobilia, finita quoque proportio erit inter tempora istorum motuum, ita ut perveniat ad tempus, in quo totum mobile moveatur, quod necessario finitum erit, quia finiti ad infinitum nulla est proportio. Probat etiam immaterialitatem ex hoc, quod nulla virtus infinita potest esse in magnitudine infinita, neque virtus finita in magnitudine infinita: primum probat, quia sequeretur, virtutem finitam movere in tempore æquali cum infinita, vel quod infinita in non tempore moveret, quæ omnia sunt falsa: prima pars sequelæ probatur, quia si infinita moveret in tempore determinato, verbi gratia, unius horæ, datur finita virtus, quæ moveat idem mobile, vel æquale in duobus horis, jam per intensiorem huius potentie minuitur tempus secundum proportionem, ita ut intentio est dupla, tempus minuitur per dimidium, & sic per horam moveret, ut infinita: Ex quo probatur secunda pars, quia si ad intensiorem potentie secundum proportionem minuitur tempus, ergo si potentia infinite intenditur, tempus minuitur in infinitum, & sic in non tempore, seu instanti movebit: Tum quia sequeretur, virtutem finitam efficaciorē esse infinita, quia si hæc esset in magnitudine finita, quia ad auctiōnem magnitudinis augetur efficacitas agendi, posset dari virtus finita in majori magnitudine, & consequenter efficacior infinita virtute in minori magnitudine existente.

95 Secundum, quod virtus finita non sit in magnitudine infinita, probat, quia hæc non datur ex 3. Phyl. Tum quia infinita virtus deberet esse, quia augetur ad auctiōnem magnitudinis, ut diximus. Hinc a textu 84. epilogat quæ dicta sunt de primo motore; quod sit unus, ex unitate primi motus, unum numero motorem exigentis: quod sit immobilis, quia in moventibus non datur processus in infinitum, nec a se moveri potest, quia hoc solum magnitudinibus convenit, cum dividi debeat movens in partem per se moventem, & in partem per se motam, primus motor omni magnitudine caret. Ex qua immobilitate deducitur, primum motorem sine lassitudine motum efficere, quia caret mole, & semper uniformiter movere, nunquam enim debilitatur eius virtus; quod sit incorporeus, quia est infinitæ virtutis, quæ nequit in magnitudine reperiri, ut dictum est: quod sit infiniti vigoris, quia movet tempore infinito, & tandem in text. 84. locum assignat primo motori, scilicet, quod in circumferentia Cæli reperitur, ubi maxime motus viget, ex quo text. elicitur, Arist. Dei immensitatem non cognovisse.

96 In text. autem 82. & 83. dubitat, a quo projecta moveantur, cum longe a proiciente abfunt, & tamen movens, & motum in distantia esse debent, quam quæstionem solvens, ait, non moveri per antiparitalitatem, ut dicebant antiqui, quatenus partes aeris scissæ a lapide projectæ, occurrentes a tergo lapidis, ut vacuum impleant, pellebant lapidem sursum; ratio est, quia cessat aer moveri, cessat proiciens, & tamen lapis adhuc sursum movetur, quare sit, quia proiciens movet aerem continuum, & hic aliam partem aeris, a qua lapis movetur, & quia progressu temporis elanguescit hæc virtus motiva in aere, ita ut prorsus deficiat, ideo lapidis quoque motus cessabit, ex quo sequitur, nunquam motum projectorum posse esse perpetuum, quia cum non proveniat ab uno motore, fed a multis, non erit continuus, & consequenter non perpetuus.

QUÆSTIO PROÆMIALIS AD OCTO LIBROS PHYSICORUM Quodnam sit objectum horum librorum.



XTANT duæ famosiores sententiæ de hac re, prima Græcorum, Latinorum altera; illi principia, & passiones, quæ sunt omnibus corporibus physicis communia, objectum statuerunt in his libris; ita Simplicius, Philoponus, & aliqui Græci, quos sequitur Averroes 1. & 2. Phyl. isti vero corpus naturale simpliciter, & in genere sumptum, idest pro conceptu communi corporis, ut abstrahit a suis speciebus; ita D. Thom. Albert. Egidius, Scot. q. 3. Universi in responsione ad 2. & cæteri Latini Recentioris, Piccol. c. 30. Zab. c. 7. Conimb. quæst. 5. art. 4. Amicus tract. 2. quæst. 3. & alii fere omnes.

1 Dicendum est cum Latinis fere omnibus, corpus naturale simpliciter, & in genere sumptum esse objectum adæquatum in octo libris Phyl. Prob. & explicatur conclusio; duobus modis corpus naturale considerari potest; primo simpliciter, & in genere, & quasi abstractum a suis partibus subjectivis, in quantum dicitur principia ipsius, ut sic; & passiones ipsorum formaliter consequentes, quarum proinde notitiam producere potest per suam formalem rationem adæquatam, & secundum quod ipsum, quales sunt mobilitas, locabilitas, divisibilitas, &c. Deinde considerari potest, non solum quoad hæc principia, & passiones, sed etiam, ut continet principia, & passiones suorum inferiorum, in primo sensu supponit simpliciter, idest pro solo conceptu communi corporis, in secundo sensu supponit absolute, idest pro corpore in tota sua latitudine, pro conceptu scilicet communi corporis, & ejus speciebus; cum igitur corpus naturale sit objectum adæquatum in tota Philosophia naturali, oportet, ut in ipsa consideretur, non solum secundum rationem specificam, sed etiam secundum rationem genericam; tum quia secundum hanc rationem est objectum scibile, cum habeat passiones ipsum formaliter consequentes, ac proinde de ipso demonstrabiles secundum quod ipsum per ejus quodquid est; tum quia cognitio specierum, sine cognitione generis imperfecta foret, at in cæteris libris considerantur rationes specificæ corporis naturalis, ergo in his consideratur ratio generica ab inferioribus præcisa, cum alibi non consideretur.

Confirmatur, quia subjectum dicitur id, cujus principia, & passiones explicantur in scientia, 1. Post. 25. sed in his octo libris explicantur principia, & passiones corporis naturalis simpliciter, & in genere; in primis duobus libris explicantur principia: in primo quidem principia in fieri, seu mutationis, cui subicitur corpus naturale: ut enim infra demonstrabimus, non tantum explicat Philof. ibi principia generationis substantialis, sed etiam accidentalis, cujus subjectum est corpus naturale: in secundo autem agitur de principii in facto esse, agitur enim de natura, quæ est principium essentialiter constituens corpus naturale in esse tali, & causis concurrentibus ad ejus constitutionem, in cæteris tandem libris considerantur affectiones ipsum formaliter consequentes, mobilitas, locabilitas, divisibilitas: cæteræque passiones, ergo erit objectum adæquatum in his libris: & sane erit objectum virtualis continentis tantum, & non virtualis, & potentialis simul, quia natura corporis naturalis hic consideratur tantum in ordine ad passiones ipsum formaliter consequentes, quarum ipsa est adæquatum principium, & in essendo, & in cognoscendo, & non etiam in ordine ad passiones inferiorum, quarum non est nisi inadæquatum principium, tum in essendo, tum in cognoscendo.

2 Contra hanc conclusionem pro Græcis arguitur. Primo Arist. in Proæmio 1. Phyl. proponit agendum de principii, in Proæmio 2. de communibus affectionibus, & in Proæmio meteor. colligit, se in his libris declarasse primas naturæ causas, & communes passiones. Confirmatur, quia principia scientiæ tractari debent in aliqua parte scientiæ, at principia Physicæ non alibi tractantur, quam hic, ergo, &c. Respondetur, principia, & passiones non posse hic poni subjectum, quia non habent illam unitatem, quæ in objecto desideratur, unde potius id, cujus sunt principia, & passiones, debet poni subjectum, cum in gratiam ejus considerentur: & cum Arist. proponit loc. cit. se de principii, & passionibus communibus acturum, non utique dicit, se de illis acturum, ut de subjecto, sed tantum declarat, quid velit explicare de subjecto, quod est corpus naturale. Ad confirm. pariter dicendum est, principia scientiæ nullibi, ut subjectum tractari, sed ut principia subjecti.

Secundo principia in fieri, de quibus agitur 1. Phyl. sunt principia tantum corporis generabilis, & corruptibilis. Similiter, & natura, de qua agitur in 2. ut de principio in facto esse, est tantum principium corporis caduci: Tum quia dividitur in materiam, & formam, quibus carent secundum Phi-

lofophum corpora cælestia: Tum quia est principium motus, & quietis, quæ abest ab illis, ergo corpus naturale in genere non est hic subjectum. Confirmatur, quia corpus naturale in his octo lib. Phyl. nullibi definitur, sed tantum 1. de Cælo ab initio, & sane ratio generica ejus speciali tractatu digna non videbatur, aut si per se explicari debuit, posteriori id videbatur agendum, quia abstractior est rationibus specificis, a notioribus autem nobis inchoare pollicitus erat Philosophus in Proæmio 1. Phyl.

3 Respondetur negando assumptum, agitur enim in 1. Phyl. de principii cujuscumque mutationis in universum, tam substantialis, quam accidentalis, cui, cum omne corpus naturale subjectum sit, consequenter hac ratione tria illa principia censei debent principia corporis naturalis in communi, principia nimirum in fieri, seu mutationis accidentalis, cujus est adæquatum subjectum, & quamvis natura, ut præcise dividitur in materiam, & formam, non sit principium in facto esse, nisi corporis sublanaris, attamen, ut addit tertium membrum, essentia scilicet in eo, cujus est essentia, convenit omnibus, & singulis corporibus, & hoc tertium membrum addi debere in ipso contextu docuimus. Denique quando natura 2. Phyl. definita dicitur principium motus, & quietis, vel hoc non est intelligendum in singulis, & distributive, sed in sensu accommodo, vel dicendum est, Cælum de se esse indifferens ad motum, & quietem, & utriusque naturaliter receptivum, ut ait Scot. 2. dist. 1. qu. 5. N. & sempiternitatem motus in eo provenire tantum a causa extrinseca, scilicet ab Intelligentia movente, de quo in disp. de natura ex professo agemus. Ad confirmationem negatur assumptum, definitur enim corpus naturale in 2. Phyl. text. 1. & 4. dum statuit naturam principium essendi, & constitutum corporum naturalium, per quod essentialiter ab artificialibus differunt, & corpora naturalia docet esse illa, quæ habent in se hujusmodi principium motus, & quietis, & definitio illa corporis naturalis, 1. Cæli assignata text. 3. cum dicitur, corpus esse ex omni parte divisibile, non convenit corpori ut naturali, sed potius ut mathematico, & sane quando etiam in octo lib. Phyl. non definitur, non proinde a ratione objecti excludendum foret, si quidem non semper necesse est in scientia explicite definire subjectum, quando notum est, sed tunc debet supponi, ut ex Arist. colligitur 1. Post. c. 2. Negatur etiam rationem genericam corporis naturalis non fuisse dignam speciali tractatione, cum enim habeat tot, tamque insignes affectiones corpus naturale in communi ipsum formaliter consequentes, opus erat ejus naturam investigari, ut per ejus quodquid est de ipso demonstrarentur, & de inferioribus per ipsum, & quidem hoc faciendum erat in his octo lib. Phyl. quia ad distincte cognoscendum, communia in arte sunt præponenda, ut omnino necessaria ad exactam cognitionem particularium, & licet ordine doctrinæ in prima inventionem ratio generica corporis, ut a sensibus abstractior, posterior esse deberet, quod tamen nec etiam universaliter verum est, ut dictum est in Logica disp. 1. quæst. 6. in doctrina tamen inventa, & ab Arist. elaborata utilis fuit ita procedere.

4 Tertio objicit Vicomercatus ex Latinis. Idem esse non potest subjectum totius, & partis, aliter pars adæquatur toti, & totum parti, cum ergo corpus naturale sit in tota Philosophia subjectum adæquatum, non poterit esse in hac parte. Nec valet communis responsio, valere assumptum de subjecto eodem, & eodem modo accepto, hic autem non eodem modo accipi corpus naturale, cum ponitur subjectum in tota Philosophia, & in hac determinata parte: ponitur enim subjectum totius, ut supponit absolute, scilicet tam pro se, quam pro suis speciebus, seu ut subjectum virtualis, & potentialis continentis simul, ponitur vero subjectum Partis, ut supponit simpliciter, & ut subjectum virtualis continentis tantum. Non valet quia in 8. Phyl. agitur de motu æterni, qui non est passio corporis naturalis in communi, sed tantum Cæli, quod est inferius ad ipsum, ergo eodem modo erit subjectum hic, & in tota Philosophia, atque ita pars æquabitur toti. Non desuerunt Scotistæ, qui ob hanc instantiam concesserunt, corpus naturale in octo lib. Phyl. esse subjectum tam virtualis, quam potentialis continentis, & non tantum ut simpliciter supponit: imo dixerunt hanc fuisse Doctoris mentem loc. cit. q. 3. Universalium in sol. ad 2. quia cum dedisset distinctionem de subjecto, quæ incidit in allatam de subjecto virtualis, & potentialis continentis, eam postea relinquens, aliam assignat, concelendo, idem esse posse subjectum totius, & partis, & exemplificat de subjecto in lib. Phyl. quæ responsio nisi ita intelligatur, ut hic sit subjectum secundum utramque continentiam, & ut absolute supponit, non erit a priori distincta. Negant tamen, adhuc eodem modo fore subjectum hic, & in tota Philosophia, quia, & si

hic quoque sit subjectum virtualis, & potentialis continentis simul, adhuc tamen hoc est discrimen, quod ubi hic supponit etiam pro aliquo inferiori, in tota Philosophia supponit pro omnibus, unde ibi est subjectum virtualis, & potentialis continentis simul in tota sua latitudine, quantum extendi potest, non vero hic.

Sed etiam si hæc opinio, & responsio possit defendi, nulla tamen est necessitas discedendi a communi, quia Arist. 8. Phys. loquitur quidem de motu æterno, & ab ejus initio questionem de motu æternitate præmittit, at questionem illam de motu in genere excitat, & non de motu Cæli tantum, ac æternitatem de motu in communi demonstrari laborat, ut omnes fere Expositores docent; & præsertim Vicomercatus ipse, solus Averr. ait, de motu Cæli Philosophum fuisse locutum; & de eodem questionem illam proposuisse, & æternitatem demonstrasse; fatetur tamen, & ipse, hoc factum fuisse in gratiam motus in communi, ut scilicet ex æternitate cælestis motus, sempiternitas etiam motus in genere deduceretur, & sane Arist. ipse clarissimis verbis initio 8. Phys. de æternitate motus in communi se locutum protestatur, illius enim motus æternitatem se quæsiturum pollicetur, qui est *veluti vita quedam, que inest omnibus natura constantibus*; at motus Cæli non est hujusmodi, cum non conveniat, nec inest omnibus rebus naturalibus, sed tantum ipsi Cælo. Verum quidem est, inferius in progressu, etiam æternitatem cælestis motus peculiariter demonstrari, hoc tamen non gratia sui ipsius

effectum est, ut ait Averr. sed gratia motus in communi, ut nimirum ex motus cælestis æternitate, motus in genere æternitas evidens fieret, utpote ex qua perpetuitas omnis in sublunares motus derivatur, & certe ad quid ageret Arist. gratia sui de motu Cæli in 8. Phys. si statim post illum quatuor libros de Cælo erat conscripturus?

Nec etiam auctoritas Scoti allata urget nos discedere a communi, nec enim secunda responsio intelligi debet de subjecto tan virtualis quam potentialis continentia, sed virtualis tantum, & manifeste deducit ex verbis ejus, inquit enim. *Quando subjectum totius multa requirit determinari propter ejus cognitionem, tunc de illis multis oportet in ea scientia considerare, & cum hoc de ipso subjecto, ergo aliqua pars scientia erit de illo subjecto secundum se proprie, quod est subjectum totius, ita est hic, ut patet de libris Phys. respectu totius naturalis scientiæ*, hæc Doctor, quid est autem partem aliquam scientiæ considerare subjectum totius secundum se proprie, quam contemplari illud secundum suam propriam naturam, prout a quacumque specie præcindit, & in ordine ad passionem ipsum formaliter consequentes? præterquamquod si secunda responsio intelligeretur de subjecto virtualis continentia, & potentialis simul, jam Scot. concederet, Syllogismum in libris Prior. subjectum esse virtualis, & potentialis continentis simul; quod falsum est, secunda igitur responsio non est diversa a prima, sed in eam recidit, & quasi deservit pro declaratione prioris.

DISPUTATIO PRIMA.

De Principiis rerum naturalium in fieri.

UT nuper dicebamus, tradit Arist. in 1. Phys. principia rerum naturalium in fieri id est principia concurrentia ad mutationes, quibus accipiunt esse, vel simpliciter, vel secundum quid; quare cum principii nomen varias habeat acceptiones, hic loquimur de ipso, ut significat id, a quo aliud procedit, quomodocumque illud sit, in quo sensu ad rationem principii duo requiruntur, quod sit aliquo modo prius principiato; unde 5. Met. c. 1. commune est omni principio esse primum, & quod sit aliquo modo consecutio intrinseca posterioris ad illud, ratione cujus hoc dicitur esse ab illo, & non tantum ratione ordinis, aut qualiscumque connexionis, quo sensu Aurora dicitur principium diei, & ita de ratione principii in hoc sensu, quo hic loquimur, est, ut ad ipsum habeat principiatum necessarium, & per se habitudinem, etiam si non interveniat positivus influxus illius in ipsum.

QUESTIO PRIMA.

An principia recte definiantur ab Aristotele, & quomodo illa definitio eis conveniat.

ID uas habet partes quæstum hoc, cum scilicet definitio tradita ab Arist. de principiis tex. 42. recte explicet essentiam, & naturam ipsorum, & quomodo competat materiæ, formæ, & privationi, æquivoce nec ne, vel univoce, vel saltem analogice: circa primam partem non est magna difficultas, materia, formæ, & privationis, ut subsunt relationibus principii: itaut conjunctivè omnibus competat, an vero distinctivè solum, materia quidem, si ly ex dicat habitudinem subjecti: formæ, si dicat habitudinem termini ad quem: privationi, si dicat habitudinem termini a quo; atque ita ly ex diversam dicat habitudinem, prout ad diversa principia contrahitur, & quidem hæc videtur communis opinio, quam præsertim tenet Hurradius in Philosophia disputatio prima sectione 2. Averr. qu. 10. sect. 2. Arr. disp. 1. Phys. in fine.

3. Dicimus primo, per definitionem ab Aristotele traditam tex. 42. recte explicari naturam principiorum in fieri rerum naturalium. Conclusio est communiter recepta, & probatur discutendo per illas tres particulas optime explicantes essentiam, & minus principiorum physicorum. Prima est, quod non sunt ex alterutris; quæ particula cum manifestam habeat instantiam; nam forma fit ex materia, tamquam ex subjecto, & ex privatione tamquam ex termino a quo, a diversis diversimode explicatur.

Frequens expositio est, principia non fieri ex alterutris; quia fieri proprie convenit compositis, 1. Phys. 64. & 7. Met. 27. & ideo non recte dici, formam fieri ex materia, aut privatione, ita Compl. disp. 2. quæst. 1. Hæc tamen explicatio non est ad mentem Philosophi, qui non omnia composita posuit prima principia, sed solum prima composita, non fiunt ex aliis, nec ex se invicem, & tamen etiam a contraria non fiunt, ut quod, sed tantum ut termini es, neque secundum rem ipsam satisfaciunt, quia licet

sola composita fiant, ut termini totales, forma tamen etiam fit ut terminus partialis. Conimb. 1. Phys. cap. 5. qu. 1. art. 4. explicant, principia non fieri de alterutris, aut alio modo, quia principia hic ab Arist. sumuntur abstracte, sola vero singularia, & concreta proprie fieri dicuntur, ut album ex non albo, ignem ex ligno. Sed neque hæc expositio satisfaciunt, quia non solum dicimus, album fieri ex non albo, ignem ex ligno, sed etiam formam fieri ex privatione, fieri ex materia, atque ita sub ipsis nominibus principiorum quoque dicimus, unum fieri ex alio. Multi Græcorum sic exponunt, quod dum Philosophus inquit, principia ex alterutris non esse, non sumit particulam, ex, ut dicit habitudinem termini a quo, quia sic unum contrarium principium fit ex alio, forma ex privatione, & e contra, sed ut notat habitudinem subjecti recipientis, & in hoc sensu utique repugnat, unum contrarium fieri ex alio, quia unum nequit esse subjectum alterius. Sed hæc ratio adæquate non salvatur, & in universum, principia non fieri ex alterutris, sed tantum contraria, adhuc enim forma dicitur fieri ex materia, velut ex subjecto. Propter hoc Latinorum quamplures, ut adæquate solvant, unum principium ex alio non fieri, dicunt particulam ex importare habitudinem partis intrinsecæ, sic enim non solum unum contrarium non fit ex alio, tamquam ex parte, ut forma ex privatione, sed neque forma fit ex materia, quia materia non est pars intrinseca constitutiva formæ, & hæc expositionem amplectitur Averr. quæst. 10. section. prima. Sed neque expositio ista congrua est, quia hic est de sermo de principiis in fieri, non in facto esse, & sicut intendit probare Philosophus, omnia esse ex his, velut ex principiis in fieri, ita probare contendit, non esse ex aliis, vel ex alterutris eodem modo, nimirum veluti ex principiis in fieri; vanum igitur est recurrere ad rationem principii in facto esse, seu per modum partis, ut offendatur, principia non fieri ex se invicem, & Averr. ipse fatetur, particulam ex, cum dicitur, omnia fieri ex his, non importare solam habitudinem partis, alioquin privatio principium non esset, ergo etiam cum dicitur, non esse ex alterutris, non potest dicere solam habitudinem partis, quia Philosophus eodem prorsus modo negat, principia esse ex aliis, vel alterutris, quo affirmat, omnia esse ex his, & verisimile non est, utum esse Philosophum hac particula cum tanta æquivocatione, ut quandoque dicat in eadem definitione rationem principii in fieri, quandoque in facto esse.

4. Vera igitur, & resolutior expositio est, principia non fieri

Quæstio I.

fieri ex se invicem in eodem genere principii, quam sequitur Hurradius l. c. & Amicus tract. 3. disp. 2. quæst. 1. unde cum forma principii tamquam terminus ad quem, est primum omnino principium in hoc genere principii, neque fit ex aliis, nec ex alterutris in hoc genere, sed solum in alio, ex materia, tamquam ex subjecto, ex privatione, velut ex termino a quo; & sane satis congrua expositio est ista, quia contendit probare Philosophus, principia eo modo non esse ex aliis, vel alterutris, quod modo omnia fiant ex ipsis, at ex ipsis omnia fiant, vel tamquam ex termino a quo, juxta distributionem accommodatam, ergo unumquodque non fit ex alio in eo genere, quo ipsum est principium, in alio autem genere non inconvenient, unum ex alio fieri, respectu enim diversorum idem potest esse principium, & principiatum.

Sed hæc expositionem refellit Averr. loc. cit. quia sic intelligendo, principia non esse ex alterutris, potius oritur ex eo, quod principia sunt prima, singula in suo genere, præcisa ratione contrarietatis; at Arist. probat hæc principiorum conditionem ex eorum contrarietate; & cum simul mentionem faciat primitatis eorumdem, ait, ex hac esse, quod non sint ex aliis; ergo expositio ista non est ad mentem Philosophi. Sed argumentum hoc militat etiam contra expositionem, quam sequitur Averr.; nam si conditio ista, quod principia non sint ex alterutris, præcise probanda est ex eorum contrarietate cum Aristot. nec etiam Averr. probat conditionem hæc ad mentem Philosophi; dum inquit, particulam ex in hac conditione importare habitudinem partis, quod enim forma ex privatione non fiat, veluti ex intrinseca sui parte, non oritur ex eorum contrarietate præcise, quia nec etiam ex materia fit forma hoc modo, cum tamen contraria non sint; ergo neque expositio Averr. ad mentem Philosophi, si hæc conditio est sola contrarietate probanda est. Dicimus igitur, quod sicut ista conditio non est tantum principiorum contrarietatis, licet speciali quodam modo illis competat, sed etiam eorum, quæ contraria non sunt; ita duplex potest assignari ratio, quare non fiant ex se invicem, una communis omnibus, & est eadem cum illa, qua probatur, non esse ex aliis, ex eorum primitate deducta: ex eo enim, quod singula sunt prima in suo genere, simul sequitur, & quod non fiant ex aliis, & non alterutris, hoc enim, vel illo dato, statim sequitur oppositum antecedentis; alia vero assignatur peculiaris pro principiis contrariis; sicut enim speciale inter se repugnantiam habent, ita speciali quodam modo illis repugnat fieri ex se invicem, quod non repugnat principiis non contrariis, nimirum tamquam ex subjecto, ut hic Vicomercatus exponit, hoc enim modo specialiter ex se invicem fieri nequeunt privatio, & forma, quia contraria sunt, quorum natura est, ut alterum alteri principium esse nequeat per modum subjecti, cum sese non recipiant contraria, sed potius interimant, igitur contrarietas est specialis ratio, cur forma, & privatio ex se invicem fieri nequeant, non præcisa, quia si contrarietas esset hujus ratio præcisa, jam illa conditio, quod principia non fiant ex alterutris, non nisi principiis contrariis competere; itaque expositio nostra optima est utpote ex ratione generali pro omnibus principiis, cur ex sese non fiant, deducta.

5. Ad hæc contra hæc expositionem dubitat ipse Vicomercatus, & non solvit, si enim dicimus, contraria specialiter ex se invicem fieri non posse, itaut unum sit alterum principium per modum subjecti, quia contraria sunt, jam cum eo modo, quo ex se invicem esse non possunt, ex ipsis omnia fiant, per tertiam conditionem, sequitur quod ex contrariis omnia fiant, tamquam ex subjecto, quod falsissimum est. Sed argumentum hoc militat etiam contra expositionem eorum, qui dicunt contraria non fieri ex se invicem per modum partis, sic enim alia omnia fieri debent ex ipsis, quod falsum est, quia privatio nequit esse pars constitutiva rei, dicimus igitur, quod licet necesse sit, principia non esse ex aliis, aut ex alterutris, eo modo, quod cætera fiunt ex ipsis, non tamen contra opus est, ut omnia ex ipsis, eodem prorsus modo, quo ipsis repugnat, ex sese fieri, vel saltem necesse non est, quod cætera fiant ex ipsis eo modo, quo specialiter eis repugnat ex sese fieri, sed eo modo, quo eis repugnat generaliter; & hoc sufficit.

Altera definitionis particula, & principiorum conditio est, quod non fiant ex aliis, quæ nullam continet difficultatem, & facillime probatur a Philosopho ex eorumdem primitate, quia enim singula sunt prima in suo genere principii, sequitur quod non sint ex aliis in eodem genere principii, hoc est, formam non fieri ex alia forma, materiam ex alia materia, in diverso enim genere non repugnat, quod unum sit ab alio, sic materia in genere principii activi est ab alio, scilicet a Deo, non tamen in genere principii passivi, quod sibi proprium est.

Ultima principiorum conditio est, quod omnia ex ipsis fiant, in qua sola, ut Themistius notavit, consistit ratio essentialis principiorum, & formale significatum principii exprimitur; principium enim, ut principium, dicit ordinem tantum ad principiatum; ex eo vero, quod omnia ex ipsis fiant, duæ connotantur negationes, quod scilicet non sint ex aliis, neque ex alterutris, non enim intelligere possumus, fundari in aliquo rationem principii communis, quæ in eo consistit, quod omnia ex ipso fiant, nisi intelligamus, ipsum neque ex alio fieri, neque consimili principio, itaq; tertia conditio explicat principale significatum principii, prima, & secunda connota-

tum; ex quo patet, hæc non esse quiddam simpliciter definitionem, sed datam per additamentum, quia ultra principiale, explicat etiam connotatum; Particula ex in hac ultima conditione sita, non dicit simul, & semel habitudinem partis constitutivam, subjecti recipientis, & termini a quo, ut putat Averr.; valde enim irrationabile est quod hæc particula semel prolata tam multiplicem habeat significationem, nec dicit solam habitudinem partis, seu principii in facto esse; Tum quia hic definiuntur principia generationis, & in fieri, ut videbimus questione sequenti, materia vero, & forma, ut partes sunt principia rei genitæ: Itaq; non solum in hac tertia conditione, sed in omnibus particula ex semper eodem modo tenetur, & dicit generalem habitudinem principii in fieri, præcipientem a ratione principii per modum subjecti, vel termini generationis, & ob id omni principio communi competit, quia ex omni tali, sive ut ex subjecto, sive ut ex termino, pendet rerum omnium fieri, unde fit etiam, quod per ly omnia intelligere debemus, non corporea, vel composita, quia hic non loquimur de principiis rei genitæ, sed rerum omnium generationes, sive substantiales, sive accidentales, quia hic cum Arist. loquimur de principiis cujuscumque generationis.

6. Contra hæc conclusionem objicitur, Primo, quod principia fiant ex alterutris, etiam in eodem principii genere; Tum quia in mutatione deperditiva privatio fit ex forma tamquam ex termino a quo, nam ex vidente fit cæcus, sicut ex cæco fit videns; Tum quia materia habet suas partes integrantes, a quibus pendet in genere causæ materialis. Resp. negando assumptum, ad primam probationem dicitur infra quæst.

6. Ad alteram probationem concedimus etiam materiam suas partes integrantes, sed negatur, ex eis fieri eo modo, quo materia est principium materiale omnium mutationum, nimirum per modum subjecti: imo si loqui etiam velimus de ratione principii in facto esse, in quo sensu videtur argumentum urgere, falsum est, materiam pendere ab eis in genere materialis principii, eo modo, quo composita pendet a materia, quia materia est pars essentialis, non integrals compositorum. Sed urges Materia, & Forma constant ex gradibus metaphysicis, quæ faciunt essentialem compositionem, ergo fiunt ex aliis in eodem genere principii, quo ipsa sunt principia compositorum in facto esse. Responderetur, quidquid sit de antecedente, materia enim, & forma non sunt in predicamento, nisi reductive, adhuc negatur consequentia; genus enim, & differentia sunt principia essentialia metaphysica, & non physica, qualia sunt materia, & forma, quare adhuc manet, quod non fierent ab eis in eodem genere principii, cum principium physicum diversum sit a metaphysico. Sed iterum urgebis; si in animatis datur forma corporeitatis distincta ab anima, ut cum probabiliori tenet Doctor 4. d. 11. q. 3. tunc corpus pro altera parte, quod est materiale principium generationis animalis, fieret ex aliis in eodem principii genere, ex materia scilicet prima, cum forma corporeitatis concurrente ad ejus constitutionem, atque ita in eodem genere principii, scilicet materiali, & physico esset principium, & principiatum. Responderetur gratis concedendo, hæc definitionem principiorum in rigore corpori pro altera parte non convenire, quia hic Philosophus prima principia physica intendit declarare, quæ utique non est corpus pro altera parte, sed materia prima dumtaxat, quam proinde in hoc 1. tex. 82. dixit esse primum subjectum cujuscumque formæ, per hoc excludens corpus pro altera parte, quod utique est subjectum formæ substantialis, scilicet animæ, cum hæc sit actus corporis physici 2. de Anima tex. 6. sed subjectum proximum, & immediatum. Iterum dices, ergo falsum est, quod ait Philosophus, hæc tria in omni generatione reperiri. Neg. consequentiam, in omni enim reperitur materia prima immediate vel mediate, ut in proposito.

7. Secundo. Hæc definitio principii in particulari non convenit, quia non omnia fiunt ex hac materia, ex hac forma, ex hac privatione, sed neque in communi, quia definitio communioris convenit particularibus, saltem secundario, sed hæc, ut probatur est, principiis particularibus accommodari non potest. Responderetur, hic definiuntur principia in communi, nec necesse est, definitionem communioris particularibus convenire, quando commune definitur in sua communitate, & ut supponit simpliciter, quomodo describitur hæc ratio generalis principiorum, licet etiam hæc definitio in sensu distributivo particularibus quoque accommodari possit, si distributive fiat, tam ex parte subjecti, quam prædicati in hunc modum, Omnia fiunt ex principiis, ergo hoc fit ex istis, & illud ex illis. Sed dices quomodo ex principiis in communi dicantur omnia fieri, si generatio est rei singularis, & res fit ex principiis particularibus? Responderetur, quod non dicuntur omnia fieri ex principiis in communi quasi quod principia communia. Ita physice se habeant in generationibus particularibus, sicut principia particularia, sed dicuntur omnia fieri ex ipsis, quia in qualibet generatione concurrunt aliquid per modum formæ, aliquid per modum privationis, & aliquid per modum materiæ; hinc nos abstrahentes ab his particularibus rationibus rationes communes dicimus, quod principia in communi fiunt ea, ex quibus omnia fiunt, quia scilicet in qualibet generatione est aliquid, quod habet rationem materiæ, aliquid formæ, & aliquid privationis: sensus igitur est, quod omnia fiunt

fiunt ex principiis in communi in esse signato, & singula ex singulis in esse exercito.

Tertio. Cæum est præstantissimum corpus naturale, & tamen non ex his principiis; Tum quia in sententia Philosophi caret materia, & forma, ut ait Doct. 2. dist. 14. q. 1. Tum quia in eo privatio non reperitur, ergo non omnia ex his fiunt. Respondetur, per ly omnia non denotari res ipsas, ut dictum est in explicatione tertie conditionis, sed generationes, & mutationes omnium, quæ generantur, & mutantur; unde cum cælestia corpora mutationi accidentali subiecta sint, hac ratione tria illa principia participabunt, & aptior responsio est ista, quam illa communis, in his nimirum libris Phys. & præsertim in hoc primo, tradi principia rerum corruptibilium, hoc enim repugnat tum Arist. instituto, qui in Proœmio præmisit, se velle incipere tractare a communioribus principiis, quod utique non præstitisset, nisi in hoc loco de principiis omnium rerum naturalium in fieri egisset. Tum etiam quia si corpus naturale, ut supponit, simpliciter statim adæquatum subiectum in his libris, cum hoc deinde minime coheret, quod in 1. & 2. Phys. agat de principiis corporis generabilis, cum potius de principiis corporis naturalis in communi, tum in fieri, tum in facto esse agere debeat, & ita fecisse ostendemus quæst. sequenti.

8 Dicimus secundo, præfatam definitionem exprimere conceptum communem principii univoce convenientem, cum aliqua tamen analogia; quæ stat cum univocatione ex Scot. 1. dist. 3. q. 3. materię, formę, & privationi, ut subsunt relationibus principii, ita quod non definiuntur ibi principia distinctivè, sed definitur generalis ratio principii abstrahens a particularibus rationibus principiandi, positivis, & privativis, per modum subiecti, per modum termini ad quem, & per modum termini a quo; Hac conclusio probatur simili ratione, qua Scot. utitur in 1. dist. 3. q. 2. B. ad probandum univocationem entis; Omnis intellectus certus de uno conceptu, & dubius de duobus, seu diversis, habet conceptum, de quo est certus, alium a conceptibus, de quibus est dubius, sed intellectus naturaliter esse potest certus, quod in aliqua mutatione quipiã, puta privatio, vel forma, est principium illius, dubitando, an per modum termini a quo, vel ad quem, ergo conceptus principii in communi est alius a conceptu principii per modum termini a quo, vel ad quem, & ita neuter ex se, sed in utroque inclusus quidditative; ergo univocus, & univoce diffusus; major probatur, quia nullus idem conceptus est certus, & dubius, ergo vel alius, quod est propositum, vel nullus, & tunc non erit certitudo de aliquo conceptu; minor probatur per exemplum mutationis deperditivę, certi sunt omnes, ad hanc mutationem, præter materiam, concurrere in ratione principii formam, & privationem, dubitant vero, an privatio sit principium in tali mutatione per modum termini ad quem, vel a quo, ergo &c. quare si similis Scoti ratio probat univocationem entis, etiam & univocationem principii probat ad tria illa principia materiam, formam, & privationem, ex hoc autem deducitur præfatam definitionem, cum sit principii in communi, conjunctivè materię, formę, & privationi convenire. Hanc conclusionem tenet Fuentes 1. Phys. q. 3. art. 3. sed satis perplexè, ita ut pervertat terminos Scotie de univoce prædicato, & univoce prædicari.

Sed contra hanc conclusionem objici solet commune, sed solidum argumentum, quoad asserunt Complur. disp. 5. sect. un. Enti reali, & rationis, positivo, & privativo nihil esse potest commune univocum, sed privatio, & ejus habitudo ad generationem utique nil positivum importat, materia vero, & forma, & earum habitudinem ad eandem sunt entia realia, & positiva, ergo &c. ex quo postea deducitur, hanc distinctionem tribus illis principiis conjunctim competere non posse, quod etiam probari potest, quia cum mutatio aliam habeat habitudinem ad materiam, aliam ad formam, & aliam ad privationem, secundum etiam diversam habitudinem eis competere debet; quia ratione data opera Philos. principia definiunt in plurali, & non in singulari.

9 Respondetur, majorem illam non esse propositionem immediatam, sed mediatam, ut constat ex Scot. 1. dist. 29. qu. unic. dependet enim ex hac alia propositione; Ei, quod est simpliciter tale, & ei quod est secundum quid tale, nihil est commune univocum in quid, positivum, & negativum, ens reale, & rationis sunt hujusmodi, ergo &c. At minor hæc non est vera, nisi ea membra comparentur ad aliquod commune prædicatum, quod uni simpliciter, & absolute competat, & alteri membro, non nisi concipiatur ad modum alterius, sicut se habet hoc prædicatum ens ad ens reale, & rationis, positivum, & privativum; quod si comparentur ad commune prædicatum, quod utique ex æquo simpliciter, & absolute competit abiq; eo, quod unum concipiatur ad modum alterius, falsa est ea minor, & hac de causa ratio principii convenit univoce formę, & privationi, non ratio entis, quia, ut privatio dicatur principium generationis, non exigit, quod concipiatur ad modum formę, & principii per modum termini ad quem, sed tunc vere concipitur tale, quando concipitur, ut privatio, & terminus a quo; at non ita est de ratione entis; ad hoc enim, ut tenebra dicatur ens, petit concipi ad modum lucis, formę scilicet per aerem extensę, sane fatentur omnes, privationem esse simpliciter principium generationis, sicuti forma, non ita simpliciter ens; Exemplum ad hoc explicandum haberi potest a Doctore 1. d. 23. qu. 1.

de negatione infinitante; hæc enim negatio v. g. non lapis, competit enti, & non enti, homini scilicet, & Chimærę, univoce, quia ut competat Chimærę, non exigitur, quod concipiatur ad modum alterius membri, scilicet hominis; sed sufficit si concipiatur, ut Chimera, exemplum clarius habemus in moralibus; genus enim moris univocum est in quid ad tres suas species, Bonum, Malum, & indifferens, cum tamen malum inter eas species privationem dumtaxat bonitatis præferat. Quod vero principia ab Arist. sint in plurali definita, non infert necessario, quod ea definitio competat materię, formę, & privationi distinctivè, multa enim alia in plurali definiuntur, quæ tamen conjunctivè, ut prædicata univoca, inferioribus conveniunt; sic in Antepædicamentis describuntur in plurali Æquivoca, Univoca, & Denominativa, in prædicamentis Relativa, quæ tamen definitiones unitatem conceptus præferunt, & exprimunt, univoce convenientis inferioribus suis.

Q U Æ S T I O II.

Quænam principia hic definiuntur.

10 Difficultas est, an præfata definitio sit principii, prout etiam quatuor omnes amplectitur causas, an potius describantur principia tantum intrinseca, & horum, an principia intrinseca generationis tantum, an etiam rei genitæ, hoc est, an principia intrinseca in fieri dumtaxat, an etiam in facto esse, & si describuntur principia generationis tantum, an in fieri, an generationis substantialis præcise, an potius generationis in communi ad substantialem, & accidentalem, Hurtados disp. 1. sect. 2. tenet, Aristotelem hic principia descripsisse generatim, quatuor etiam complectendo causas. Aversa qu. 10. sect. 2. putat, hic assignari, & definiiri principia generationis, ut sic, prout a quacumque acceptione particulari præciscit, non autem in ratione mutationis tantum. Conimb. Complur. & Ruvius 1. Physic. c. 5. cum D. Thom. sect. 2. 1. Physic. ajunt, hic definiiri principia, tum generationis, tum rei genitæ, seu tam in fieri, quam in facto esse, quam opinionem sequitur etiam Zab. lib. de naturalis scientiæ constitutione c. 11. Fatentur tandem alii, hic ab Arist. principia tantum in fieri, & generationis describi, sed ea generationis tantum substantialis, non autem accidentalis, aut non nisi secundario, & in gratiam mutationis substantialis, ita Amic. tract. 4. qu. 6. art. 2.

11 Dicimus primo, hic ab Aristotele describi principia generationis in ratione tantum mutationis, non vero productionis, & ideo ab hac definitione efficientem, & finem excludi debere. Conclusio est Scoti 2. dist. 12. qu. 1. infra 1, ubi ait, Arist. 1. Phys. egisse de materia, ut habet ordinem ad mutationem, & est contra Averfam, & Hurtadum loc. cit. Pro cuius conclusionis probatione supponimus ex Philosopho 1. Phys. 64. & Scot. 1. dist. 5. q. 2. G. generationem in creaturis mutationem annexam habere regulariter, & ideo sumi posse dupliciter, & in ratione productionis, quo sensu convenit composito, & in ratione mutationis, quo sensu convenit subiecto, seu mobili, quod de privatione transit ad formam ex Arist. ibi, quo supposito, ita probatur conclusio. Hic a Philosopho principia definiuntur generationis in eo sensu, quo subiectum exigit, at non petit subiectum in ratione productionis, sed tantum in ratione mutationis, nam ratione productionis, convenit cum creatione, quæ subiectum quodcumque excludit, major patet ex processu Philosophi 1. Phys. ubi, ut necessaria principia generationis advenirent, præter contraria, exigit tertium principium, scilicet subiectum. Accedit, quod, ut ipse Aversa fatetur, si particula ex sumatur in rigore sermonis, quo proprium sensum suum reddit, excluduntur efficiens & finis; non enim res dicitur fieri ex suo agente, sed a suo agente, non dicitur fieri ex suo fine, sed propter suum finem; fatetur etiam, in hoc sensu hic ab Arist. sumi, ergo etiam fatetur tenetur, non hic definiiri principia generationis in ratione productionis, quia ut actio, & productio est, intrinsece dicit in suo conceptu principium agens, & constituitur per respectum ad causam agentem ex ipso Aversa ibidem. Ex hoc autem, quod hic definiantur principia generationis in ratione mutationis tantum, clare deducitur, quod excluduntur ab hac definitione efficiens, & finis; nam in ratione solum productionis respicit agens, & finem, quatenus agens agit propter finem, in ratione vero mutationis præciscit ab efficiente, & fine, & respicit tantum materiam, formam, & privationem, cum ut sic formaliter actus mutabilis, de privatione transit ad formam.

12 Contra hanc conclusionem objicit Aversa. Primo, quia generatio non tantum sub ratione mutationis, sed etiam sub ratione actionis, & productionis considerari potest, in quo sensu intrinsece respicit agens pro principio, & sub aliis rationibus quoque, ergo cum hic assignet principia generationis, eaque definiat, non est arctanda hæc definitio ad principia generationis in ratione mutationis tantum, sed amplianda est ad principia generationis ut sic, prout a quacumque speciali acceptione præciscit; præsertim, quia Aristot. ipse, dum 1. Phys. tria principia assignavit, nec meminit quidem mutationis in eo sensu, nec sub nomine mutationis principia designat, sed vel absolute, vel sub nomine fieri, ut tex. 43. & 45. & 48. ac seq. vel sub nomine generationis, ut tex. 68. Deint.

Deinde argumentatur Hurtados loco supra citato. Ea principia describit Philosophus c. 5. de quibus actum se dicit cap. 1. ubi proponit, se actum de principiis, causis, & elementis naturalibus, ea autem sunt omnia principia rei naturalis, causas omnes complectendo, ergo &c. Denique hæc definitio cuiuscumque principio generatim sumpto accommodabilis est; omne enim primum ea ratione, qua est primum, non habet principium, alioquin non esset primum, & omnia principia in eo genere pendunt ab eo, ergo omni tali principio dicendum est competere præfatam definitionem.

Respondetur, posse utique generationem sub gemina illa ratione considerari, at fallum est, in 1. Phys. considerari sub utraq; & principia ejus, ut sic, assignari, principia siquidem ejus sub ratione productionis assignat 2. Phys. dum ait, causam efficientem esse principium, unde motus, at hic assignat tantum principia illius in ratione mutationis, & fallum omnino est, Arist. nunquam mutationis meminisse, cum enim in tex. 68. colligat, se assignasse, quænam sint principia generationis, & quot, ne quis putaret, ipsum loqui de generatione in ratione productionis in fine textus ipsam specificat sub nomine mutationis, & quando eam nuncupat sub nomine fieri, non utrique ly fieri notat productionem termini ad quem, sed transmutationem subiecti (nam fieri in creaturis non est sine mutatione) ut patet ex illius exemplis, nam quando dicitur, Petrum fieri musicum, aquam fieri calidam, proprius sensus non est, quod Musica producatur in Petro, vel caliditas in aqua, sed Petrum, de non musico, musicum fieri, hoc est, in musicum transmutari, aqua de non calida, fieri calidam, idest in calidam transmutari.

Ad Hurtadi rationem negari potest major, & minor; major quidem, quia nulla videtur necessitas describendi cap. 5. omnia ea principia in universali, de quibus se actum dixit in Proœmio, quia illud non est proœmium solius primi Phys. sed Philosophiæ totius, unde satis est, ut principia in fieri assignet 1. Phys. principia in facto esse, & causas, tam intrinsecas, quam extrinsecas in secundo, potest etiam negari minor, quia quid Aristot. intelligat in Proœmio per principia, causas, & elementa, quot sunt capita, tot sententiæ. Ad confirmationem dicimus tandem, quod licet si ly ex communiter sumatur, prout extenditur ad omnem causalitatem in communi significandam, quo sensu dicimus filium esse ex Patre, omnia ex Deo, &c. accommodari possit illa definitio omnibus principiis in universali; tamen si sumatur in rigore, & proprie, ut hic Aristoteles sumptis, non bene explicat causalitatem efficientis, & finis, quia nec res dicitur fieri ex suo agente, sed a suo agente, nec ex fine, sed propter finem.

13 Dicimus Secundo, hic definiiri principia generationis tantum, non autem rei genitæ, seu principia in fieri tantum, non autem in facto esse. Colligitur ex Scot. loc. cit. ubi dicit, Philosophum egisse de materia, quatenus est subiectum generationis, non autem quatenus pars compositi, & est contra Auctores supra cit. D. Thom. Zab. Conimb. Ruvium, & alios etiam ex nostratibus. Probatur primo auctoritate Philosophi 1. Phys. tex. 68. ubi epilogans se assignasse quæ sint principia rerum naturalium, & quot, ne aliquis suspicaretur, se fuisse locutum etiam de principiis rei genitæ, exprimit, se assignasse principia rerum naturalium, quæ circa generationem, hoc est, principia, quæ ad generationem concurrunt; his verbis principia rei genitæ excludens, de quibus postea agit in secundo. Deinde ratione, quia, & si materia, & forma sint principia in facto esse, utpote, quæ intrinsece constituunt compositum per modum partium, non ideo hinc recte infertur, hic assignari, & definiiri, ut talia, cum etiam sint principia in fieri, & generationis, & etiam sic a Philosopho considerari debuerunt, nec etiam bene diceretur, in utroque sensu hic assignari, & definiiri. Tum quia in hoc 1. Phys. semper consideratur materia, ut subiectum transmutationis, & forma; ut terminus ad quem ejusdem, per quas habitudines exprimitur eorum causalitates in fieri, non in facto esse, sic enim exprimitur per esse partem potentialem, & actualem; Tum quia, ut principia rei genitæ, & in facto esse considerantur tantum in secundo, & sub nomine naturę, & sub nomine causarum intrinsecarum.

Contra hanc conclusionem objiciunt Auctores citati, quia sensus definitionis principiorum hic est, omnia fieri ex ipsis, tanquam ex partibus componentibus, vel tanquam ex termino a quo, quibus modis principia ipsa nec sunt ex aliis, nec ex alterutris; & sane quod materia consideretur 1. Phys. vel ut principium rei genitæ, & in facto esse, clare colligitur ex ejus definitione tradita tex. 82. ubi definitur in ordine ad compositum, cum dicitur, materia est subiectum ex quo fit, quod fit cum infit. Addit Zab. in hoc primo tractari de principiis constitutivis corporis generabilis, & corruptibilis, ut constat ex tex. 68. ubi ait, se de principiis loqui rerum naturalium, quæ generationis, & interitus obnoxie sunt, & in secundo tantum de principiis corporis naturalis in communi, & his quidem cognoscendi, non essendi, cum talia non habeat. Respondetur non esse talem illius particulæ ex sensum, qualem ipsi fingunt, hoc enim est confundere rationes principii in fieri, & in facto esse, sed se est, quem nos tradidimus quæstione præcedenti in explicatione tertie conditionis principiorum, & negamus, 1. Phys. definiant fuisse materiam in ordine ad rem genitam; sic enim definitur 1. Phys. sub nomine naturę, & tex. 28. sub nomine causę materialis ex qua fit aliquid, cum

infir, sed definitur in ordine ad generationem, & corruptionem, ut patet ex ipso contextu; intendit enim ibi ex eo ostendere materiam ingenerabilem, & incorruptibilem, quia est subiectum primum in omni generatione, & ultimum in qualibet corruptione, addit tamen particulam cum infir, ut intelligeremus, non quomodocumque ex materia fieri compositum, sed ita ex ea fieri, ut etiam in ipso per modum partis constitutivis remaneat, id in 2. Phys. ex professo ostenditur. Negamus item omnino quod addit Zab. in 1. Phys. tractari de principiis corporis generabilis, & corruptibilis, hoc enim directe repugnat Aristotelis intentioni, quæ erat incipere a principiis communioribus corporis naturalis, ut sæpe diximus supra, & textus ille non bene explicatur a Zab. quia cum inquit Philosophus, quot igitur principia sint rerum naturalium, quæ circa generationem, & quomodo tot, dictum est, relatum illud quæ refertur ad principia, non ad res naturales, ita ut per hoc excludere videretur considerationem principiorum rei genitæ, ut dictum est in probatione conclusionis, non autem res ingenerabiles.

14 Dicimus tandem, hic definiiri principia generationis, nempe substantialis, sed etiam accidentalis, seu assignari principia mutationis in communi ad substantialem, & accidentalem. Conclusio est Scoti loc. cit. ubi ait Philosophum 1. Phys. locutum esse de materia, ut est subiectum, non solum in generatione, sed etiam in alteratione, & est contra Doctorem ultimæ sententię. Probatur primo auctoritate Philosophi, qui tex. 57. ait, se dicturum de omni generatione, reddit rationem, quia secundum naturam debemus prius aggredi principia communia, deinde particularia specillari, quem locum communiter explicat Interpretes, præsertim vero Simplicius, & Vicomer. qui stant pro nostra conclusione; de generatione, & mutatione omni tam substantiali, quam accidentali, cujus principia inquirunt hic Aristotelem inquirere, ergo principia, de quibus agit Philosophus in hoc 1. Phys. sunt principia communia mutationi substantiali, & accidentali.

Confirmatur; Tum quia cum dixisset Philosophus tex. 57. se velle inquirere principia generationis omnis, tex. deinde 62. duplicem generationem distinguit, alteram simplicem idest substantialem, alteram secundum quid, idest accidentalem, & utramque explicat, ergo utriusque principia inquirunt; Tum quia cum 2. Phys. tex. 27. ait, se velle inquirere causas generationis, & corruptionis, & omnis physicę mutationis, agit de causis communibus mutationi substantiali, & accidentali, ergo etiam cum hic ait, se velle inquirere principia, omnia generationis, inquirunt principia communia mutationi substantiali, & accidentali.

Demum principia, de quibus agit Philosophus 1. Phys. materia, forma, & privatio reperuntur suo modo in omni mutatione, tam substantiali, quam accidentali, cum enim ferrum ex non calido fit calidum, non minus ferrum, tamquam subiectum, ex privatione frigoris mutatur, & transit sub forma caloris, quam in mutatione substantiali, materia, quæ est sub forma ligni, mutatur, & transit sub forma ignis, ac proinde a mutatione substantiali, & accidentali potest abstrahi conceptus mutationis in communi, ita etiam a principii mutationis substantialis, quæ sunt materia prima, forma substantialis, & ejus privatio, & a principii mutationis accidentalis, quæ sunt materia secunda, seu corpus, & compositum, (quod modo supponimus subiectum in hæssionis accidentium) forma accidentalis, & ejus privatio, abstrahi possunt principia in communi, hoc est conceptus materię, formę, & privationis, præscindens a substantiali, & accidentali, in qua abstrahente dici solent principia communiter, & principia universalia, quia prædicantur in recto de omni materia, forma, ac privatione mutationis, tam substantialis, quam accidentalis, & cum ad Philosophum naturalem non magis pertineat agere de mutatione, quæ nescitur generationi substantiali, quam de ea, quæ nescitur accidentali, cum hæc sit effectus proprię passionis corporis naturalis; sane dicendum est, Arist. in hoc 1. Phys. de principiis generationis fuisse in tali communitate locutum, cum alibi de his non tractet, ne cogamur ipsum asserere mancum in investigatione principiorum omnium rerum naturalium.

15 Contra hanc conclusionem objiciunt. Tum quia in 1. Phys. materiam tantum definiit Philosophus, quæ est subiectum generationis substantialis. Tum quia plurima dicit, quæ de generatione substantiali tantum verificantur; tum tandem quia materiam naturalium investigat per materiam artificialem; unde si de principiis mutationis accidentalis agit, hoc facit in gratiam mutationis substantialis, ut per principia illius veluti notiora, & sensibilia in notitiam istorum deveniremus. Respondetur, utique Philosophum plurima dixisse, quæ de generatione substantiali tantum verificantur, ac etiam plurima dixit, quæ tantum verificantur de accidentali; concedimus etiam per viam mutationis accidentalis nos manducere in cognitionem substantialis; & per subiectum illius, nos devenire in cognitionem subiecti istius, non quia intentum Philosophi sit de substantiali solum agere, & ejus inquirere principia, cum tex. 57. expresse dicat, se velle adæquate cuiuscumque generationis principia investigare per se, & directe, sed quia illa notior est, & magis sensibus obvia, & materiam primam, quæ est subiectum mutationis substantialis speciatim definiit, quia hæc ignotior erat, & speciali explicatione indigebat, quia non indigebat materia mutationis accidentalis, quæ cum sit corpus, & compositum naturale, minus est a sensibus

fibus remotum: ipsa materia prima. At instat Am. l. c. de accidentibus materialibus non per se directe tractatur in Philosophia, sed indirecte tantum, & per ordinem ad corpus substantiale, cujus sunt accidentia, ut etiam nos diximus in quaestione proemiali de subiecto Philosophiae, ergo a pari mutatio accidentalis non est per se tractanda, nisi in ordine ad mutationem substantialem. Respondemus, non solum mutationem accidentalem, sed neque substantialem esse per se tractandam a Philosopho, sed utramque in ordine ad subiecta, quorum sunt mutationes, & cum subiectum mutationis substantialis sit materia prima, accidentalis vero corpus naturale, & compositum, cujus materia prima est pars, utraque considerari debet in ordine ad illud, mutatio quidem accidentalis proxime, veluti effectus adaequata passionis illius; substantialis autem remote veluti effectus passionis materiae, quae etiam ad compositum ordinatur, nec valet assumpta paritas de accidentibus materialibus in ordine ad corpus, & mutatione accidentali in ordine ad substantialem, quia accidentia materialia ordinantur ad corpus, veluti ad subiectum suum, non autem mutatio accidentalis sic ordinatur ad substantialem.

16 Sed quaeres, An sub hac mutatione accidentali, cujus quoque principia investigat, ac definit Arist. i. Phy. etiam mutatio secundum locum sit recensenda? Respondetur, utique cum in motu locali aequae bene, sicut in ceteris ea tria notare possumus, subiectum scilicet, & duos contrarios terminos, scilicet a quo, & ad quem. At contra arguit Zab. l. c. hic agit de principis in fieri, & generationis, sed motus non recipit nomen fieri, & generationis nisi ad modum improprie, ergo sub hac mutatione accidentali, cujus principia hic investigantur, motus localis comprehendi nequit, minor probatur primo, quia Arist. i. Phy. tex. 62. enumerans omnia, quae fieri dicimus sive secundum substantiam, sive secundum accidens, ut inde colligat, in omnibus, quae fiunt, necessariam esse subiectam materiam, omnes mutationes recenset, tum substantiales, tum accidentales, tum ab arte, tum a natura factas, sola tamen excepta mutatione secundum locum, cujus nec verbum quidem. Deinde generari, & fieri proprie dicitur, quando acquiritur forma aliqua inherens ei, quod mutatur, sed talis non est, nisi una trium Cathegoriarum, Substantiae, quantitatis, & qualitatibus; locus enim est res externa, quae proinde vocari non potest forma rei motae, ubi vero non est aliquid absolutum, quod possit vocari forma. Tandem nunquam dicere solemus, id, quod loco movetur, generari, vel fieri, nisi admodum improprie. Respondetur negando minorem, & ejus primam probationem, quia ibi expresse meminit Ubi, ut mirum sit, quomodo Zab. id ausus sit negare. Ad secundam probationem negamus minorem, licet enim Ubi quid absolutum non sit, est tamen forma respectiva, quam mobile secundum locum proprie acquirit sibi inherentem, ut fufus disputatio de loco 4. Physicor. Ad tertiam negatur assumptum, cum hunc ipsum loquendi modum docuerit Aristoteles expressis verbis 8. Phys. tex. 24. dicens, & ipsum moveri fieri quippiam, & corrumpi videtur omnibus.

QUESTIO III.

Quot sint hujusmodi principia.

17 DE numero principiorum rerum naturalium magna olim erat controversia inter Arist. & antiquos, quorum aliqui unum, & hoc immobile, ut Parmenides, & Melissus; aut unum aliquod ex elementis, ut Heraclitus ignem, Anaximenes aërem, Thales aquam; Aliqui duo, ut Empedocles litem, & amicitiam inter quatuor elementa; Alii tria, ut Plato in Timaeo Materiam, Deum, & Ideam, quidam viginti, ut Pythagorici, ponentes numeros rerum principia, & decem enumerantes ex una parte, bona, decem alios ex altera parte, mala. Alii tandem infinita, ut Anaxagoras, Democritus, Leucippus, & Epicurus, omnia ex atomis componentes. Aristoteles autem i. Phys. post longam, & maturam rei discussionem, tria asseruit principia in fieri rerum naturalium, materiam, formam, & privationem, quae modo in omnibus Scholis est receptissima, & plausibilis sententia.

18 Dicimus itaque principia intrinseca cujuscumque physicae mutationis esse tantum tria, non plura, nec pauciora, Materiam nimirum, Formam, & Privationem. Conclusio communis est in schola peripatetica, quae prius explicatur, deinde probatur; loquimur de mutatione physica ad excludendam creationem, transubstantiationem, quae proprie, aut non sunt mutationes, aut saltem non physicae; loquimur de quacumque mutatione physica, ut omnes physicas mutationes comprehendamus, tam substantiales, quam accidentales; tam naturales, quam violentas, vel neutras; tam acquisitivas, quam deperditivas, omnes enim hujusmodi mutationes ad Physicum spectant, qui universim de omnibus mobilibus agit; quamvis alioquin verum sit, inter physicas mutationes, naturalem praesertim, & acquisitivam esse numeris physici, ejusque principia praesertim inquiri; ex quo tandem fit nos hic per materiam intelligere quodcumque subiectum, tam mutationem, quam motus; per formam quancumque formam, tam substantialem, quam accidentalem; per privationem item quancumque privationem, sive formae substantialis, sive accidentalis.

Conclusio autem sic explicata probatur ratione ex Arist. deducta i. Physic. a tex. 50. & sequentibus. Illa sunt principia intrinseca omnis mutationis physicae, quibus possit, vel intellectus, ponitur, vel intelligitur mutatio; sed hujusmodi sunt materia, forma, & privatio, ergo haec tria sunt principia intrinseca omnis mutationis Physicae, major patet, probatur minor, quia mutatio est essentialiter transitus de quodam ad quoddam, sed ad hunc transitum requiritur id, quod transit, terminus ad quem transit; & terminus a quo transit, quae sunt materia, forma, & privatio, ergo si omnia haec ponantur, vel intelligantur, ponitur, vel intelligitur mutatio; si vero unum istorum trium non ponatur, neque mutatio ponitur; ex quo etiam probatur, non esse plura, nec pauciora tribus, nam in omni mutatione dantur haec tria, & sufficienti, & pauciora non sufficienti, aliter enim concipi nequit mutatio, nisi concipiendo id, quod mutatur, ut est materia, id ad quod mutatur; ut forma in acquisitivis, in deperditivis privatio, & id, a quo mutatur, scilicet privatio in illis, forma in istis, & praeter haec nihil assignari potest, quod sit essentialiter de conceptu mutationis, ut ex argumentorum solutione patebit, ergo &c.

19 Aversa quaest. 10. sect. 2. hunc modum, quamvis ex ipso Philosopho desumptam assignandi trinitatem principiorum refellit; Tum quia generatio non solum in ratione mutationis considerari potest, sed etiam actionis, & productionis, & in hoc sensu praesertim eam consideravit Philosophus i. Phys. dum quasi semper eam designat sub nomine fieri: Tum quia forma assignari nequit principium generationis, tamquam terminus ad quem mutationis, nam principium debet esse prius principiatio, & forma veluti terminus ad quem est posterior ipsa generatione, & mutatione, quia per eam acquiritur: quare tandem concludit, veram rationem ostendendi sufficientiam, & necessitatem horum trium principiorum, sumi debere ex definitione ipsorum tradita tex. 42. quia sumendo particulam ex cum omni sua proprietate, assignantur ista tria principia, & aliae causae excluduntur, bene enim dicitur, & cum omni proprietate, compositum fieri ex materia, & forma, formam fieri ex privatione, at non ita fieri ex suo agente fieri ex suo fine, sed a suo agente, & propter suum finem. At prima improbatio manet exposta ex dictis quaestione praecedenti nu. 11. ubi probatum est, Philosophum in hoc i. Phys. loqui de generatione in ratione tantum mutationis, in ratione autem productionis, & actionis, quo sensu comparatur ad agens, & causas extrinsecas, de ea fuisse locutum 2. Phys. Altera impugnatio ex quaest. sequenti elisa manebit, ubi ostendimus, propriam principiandi rationem formae in fieri, esse per modum termini ad quem. Decipitur denique Aversa, dum putat, per definitionem a Philosopho traditam tex. 42. ostendi trinitatem principiorum, veluti necessariam, & sufficientem, id enim Aristoteles non ibi probat, sed probare incipit a tex. 50. ratione a nobis allata, & certe sistendo in solo rigore illius particulae ex probare possumus, principia esse plura tribus; nam cum omni proprietate dicimus, compositum fieri ex materia, & forma, & ex unione materiae, & formae ad invicem, & non solum dicimus, album fieri ex non albo, aquam ex non aqua, sed etiam album fieri ex nigro, aquam ex aere; quando cum privatione expellenda adiungitur forma, seu terminus positivus, atque ita stando in rigore illius particulae, & unio, & forma expellenda possent cum omni proprietate dici principia rerum in fieri.

20 Contra hanc conclusionem objicitur primo probando, principia esse plura tribus, quia ad mutationem physicam praeter materiam, formam, & privationem concurrunt ex parte materiae potentia, quantitas, & dispositiones, ex parte formae requiritur etiam alia privatio, quia exigitur, ut non sit in materia, & possit esse in materia, in quo consistit ratio privationis, ex parte utriusque exigitur unio; quia non sit compositum sine unione partium, ex parte privationis recentis exigitur, ut adjunctam habeat formam positivam, quae secum recedat, generatio enim unius est, necessario corruptio alterius, ex parte denique compositi resultantis requiritur necessario ejus privatio, veluti verus, & proprius terminus a quo; homo enim necessario fit ex non homine, album ex non albo, quae est distincta privatio a privatione formae, sicut distincti termini sunt partialis, & totalis.

Confirmatur, quia ad mutationem non magis requiruntur tria praedicta, quam agens, quia sicut motus, ut accidens, dicitur ordinem ad subiectum, ita actio dicitur ordinem ad agens, & universaliter, ut ens creatum, involvit in suo conceptu essentiali ordinem transcendentem ad illud. Nec valet communis responsio, efficiens esse principium extrinsecum mutationis, hic autem queri intrinseca; quia privatio, cum sic non ens, non potest esse intrinseca mutationi, quae est ens; & cum praesente forma cesset motus 2. de Gen. 55. non potest forma esse intrinseca motui; & cum motus habeat rationem accidentis, non potest esse ei intrinseca materia, quae est substantia. Nec rursus valet ad hoc communis responsio haec, tria principia non dici intrinseca mutationi constitutive, quasi per se, & directe in ipsius mutationis essentia includantur, sed terminative tantum, quatenus mutatio dicit necessariam habitudinem ad illa tria, nam etiam dicitur habitudinem ad efficiens, praesertim si exactam, & distinctam cognitionem illius habere velimus, qualis est cognitio, quae de re habetur per definitionem.

21. Demum si ista tria sunt principia generationis, ubicumque ea concurrerent, ibi foret vera generatio, quod tamen falsum est, quia in Adami productione haec tria intervenere, & tamen ea non fuit generatio, ut videtur communis omnium sententia. Et si sunt tria, vel sunt tria secundum numerum, vel secundum speciem, vel secundum genus, vel secundum analogiam, non primis tribus modis, quia sic res essent tantum tres; tum quia secundum distinctionem principiorum distinguuntur principia 12. Metaph. cap. 2. tum quia sunt correlativa, & quot modis dicitur unum, totidem, & reliquum; nec quarto modo, quia nulla entia sunt numerata secundum unitatem, sed esse tria est esse numeratum, & analogia est quaedam unitas. Et ex Arist. i. Phys. 56. in quolibet praedicamento est una prima contrarietas, atque adeo cum tantum sint praedicamenta, erunt viginti principia contraria propter subiectam materiam.

22 Respondetur, neque potentiam, neque dispositiones, neque quantitatem, si materiae primae inherens, constituit principium ab ea diversum, id enim, quod principia multiplicat, est diversa ratio principiandi, & ideo cum isthaec omnia sint conditiones ipsius materiae ad recipiendam formam, censentur omnia concurrere per modum subiecti, & ad materiam ipsam reduci; idem de unione dicendum, nam quae se tenet ex parte materiae, est unio quaedam passiva, qua mediante veluti passiva receptione, dicitur forma recipi in materia, ac proinde ad materiam pertinet, nec diversum habet modum principiandi ab ea; quae se tenet ex parte formae, est quasi activa quaedam informatio, qua mediante forma perficit, & actuali materiam, ac proinde ad formam pertinet, nec diversum habet modum principiandi ab ea, unde nec materia est subiectum aliter se habens nunc, quam prius, nisi ut primo intelligitur unita formae, nec forma censetur terminus ad quem, nisi ut unita materiae. Forma autem expellenda, ac ejus privatio, & si ut plurimum in mutationibus interveniat, non tamen distinctum principium efficit. Tum quia non semper intervenit, ut cum aer fit lucidus. Tum quia quando intervenit, per accidens intervenit, ut Scotus docet in 2. dist. 1. quaest. 5. in fine ex Philosopho 5. Phys. tex. 7. & 8. ubi ait, quod terminus a quo per se mutationis non est quid positivum, sed privatio; nam si per divinam potentiam, aut forma introduceretur in materiam nudam, aut forma praesistens non aboleretur per adventum novae, adhuc foret vera mutatio, & quod generatio unius sit corruptio alterius, provenit, non per se ex necessitate mutationis, sed per accidens ex impossibilitate formarum, ut notat Doctor 2. dist. 1. quaest. 3. L. Praeter autem privationem formae in materia, nulla alia privatio in mutatione necessario intervenit, non privatio materiae in forma, quia privatio est negatio in subiecto capaci, at forma non est capax materiae, & quamvis forma praecederet non unita materiae, cui tamen uniti posset, non recte diceretur adhuc forma privata materia, sed potius unio ad materiam, quia est capax, & receptiva unionis ad materiam, non autem materiae. Nec minus privatio totius est compositi, quia haec est negatio extra genus, concurrentis veluti terminus a quo ad creationem, non autem ad generationem, quae pro termino a quo petit negationem in genere, & in subiecto, & hanc insinuare vult, non illam modum ille loquendi: homo fit ex non homine, album ex non albo, idest homo fit ex subiecto privato forma hominis, album ex subiecto privato forma albedinis; & quando etiam omnes haec privationes intervenirent, non adhuc multiplicarentur principia, quia omnes haberent eundem modum principiandi, scilicet per modum termini a quo.

Ad Confirmationem negatur assumptum, quia hic non consideratur generatio ut actio, vel ens creatum, sed praesertim ut mutatio; quae ratione explicite nec dicit ordinem ad transcendentem, nec ordinem ad agens, sed tantum ad illa tria, materiam, formam, & privationem; unde si anima separata seipsam uniret corpori absque alia causa efficiente, perfecte intelligeretur conceptus mutationis, ut sic, absque ordine ad agens, loquendo de perfecta cognitione quidditativa rei, lis enim non petit causarum externarum explicationem, sed tantum principiorum, sine quibus res percipi nequit; & solutiones ad instantias ibi factas adhibita, sunt optima.

Ad aliam Confirmationem gratis concedimus, omnem eam productionem, in qua ista tria principia interveniunt, esse veram generationem, & talem esse productionem Adami, si isthaec ibi intervenire, & solummodo fuisse supernaturalem in ordine ad agens. Concedimus item, ista principia esse tria secundum genus, sed negatur, res naturales, & composita tot esse futura, quia ista non sunt principia compositorum sed generationis eorum; & ista tria non sunt principia diversarum rerum, sed unius rei, scilicet generationis physicae in communi. Denique quando etiam diversae forent contrarietates in utroque genere, non proinde multiplicanda sunt principia contraria ultra binarium numerum, quia omnia in communi haberent eundem concurrendi modum, scilicet per modum termini a quo, & ad quem, ratio enim principiandi, ut saepe dictum est, principia diversificat.

23 Secundo ex alio capite arguitur, quod sint pauciora tribus. Tum quia tria principia assignata univoce analogice conveniunt in genere principii, ergo sunt unum genere, non tria genere distincta, & prima cum his tribus adhuc detur unum prius commune omnibus. Tum quia Arist. i. Phys. tex. 66. ait, materiam, & privationem esse unum numerum, & 68. quod alterum contrariorum cum subiecto sufficit ad mutatio-

nem, & text. 75 & 77. privatio dicitur principium per accidens, ergo duo sufficiunt. Tum quia generatio in ratione mutationis dicit respectum quendam subiecti informati ad non informationem immediate praecedentem, ut saepe Scot. docet; praesertim 2. dist. 1. quaest. 5. T. & in 4. dist. 11. quaest. 1. E. at principia relationis cujuscumque sunt tantum duo, scilicet ejus extrema, fundamentum, & terminus, ergo duo tantum erunt generationis principia. Tum denique quia non in omni mutatione haec tria interveniunt, in speciebus enim consecratis fiunt mutationes naturales, & physicae rarefactionis, calcificationis, & similes, cum tamen ibi materia non addit, & cum homo nutritur ex illis, dicitur Theologi, in eodem instanti creari materiam a Deo, & simul formam substantialem introduci, & consequenter mutationem substantialem fieri nulla interveniente privatione, quia non datur in eo instanti, in quo est forma, nec antea, cum materia non extaret; ut autem materia dicatur privata, debent in aliquo saltem instanti temporis formam praecedere, & non sufficit solum instans naturae, & generatio substantialis fieri potest absque eo, quod forma sit terminus ad quem illius, & ita fit, cum forma praesistens inducitur de novo in materiam, ut patet in nutritione hominis.

24 Respondetur, nihil horum urgere, sicut enim bene assignantur quatuor causarum genera ob diversas rationes specificas causandi, licet omnes in communi ratione causa convenient; ita in proposito omnia principia conveniunt in ratione communis principii, recte tamen adhuc distinguuntur in tria genera juxta triplicem principiandi rationem, & quamvis ratio principii communis illis tribus sit prior eis logice, & prioritate communitatis, seu praedicationis, illa tamen tria principia sunt priora physice, & prioritate causalitatis, in quo sensu Philosophus haec principia praesertim appellavit prima. Ad secundum cum Philosophus text. 66. materiam cum privatione vocat unum numero, intelligi debet negative, quatenus, scilicet privatio non est entitas positiva realiter distincta a materia, aut vocat unum numero, idest subiecto, & in text. 68. noluit excludere privationem, sed tantum insinuare, quod non omnia principia concurrunt ad generationem per influxum positivum, sic enim concurrunt solum materia, & forma, cujus absentia, & praesentia in materia facit mutationem, immo implicite enumeravit privationem, dum formae absentiam dixit; privatio enim, ut ait Vicomecat. ibi, nil aliud est, quam formae absentia, & text. 75. appellavit eam principium per accidens respectu rei genitae, non generationis, ut notat Scot. 2. dist. 12. quaest. 1. sub I. Ad tertium, quod generatio in ratione mutationis sit respectus, vel materiae ad formam, ut novus, sicut loquitur Doctor in 2. dist. 2. quaest. 5. S. & T. vel informationis, seu subiecti informati ad non informationem immediate praecedentem, ut loquitur in 4. dist. 11. quaest. 1. E. non tollit trinitatem principiorum, quia respectus iste non fundatur in materia quomodocumque, sed in ea, ut de novo informatam, seu ut aliter se habente secundum formam, quam immediate antea non habebat, in quo tria constat intervenire, materiam veluti, subiectum, & fundamentum respectus, formam in materia, quasi rationem fundandi, privationem immediate praecedentem, veluti terminum, quare, sive explicetur per respectum ipsa mutatio, sive per transitum, semper tria insinuatur in ea. Ad quartum haec tria semper inveniuntur in quacumque mutatione physica; unde in mutationibus accidentalibus in Eucharistia contingentibus reperitur quantitas, gerens vicem materiae, & si aliqua contingit sine subiecto, non erit physica, & naturalis, sed miraculosa; & quando ex speciebus consecratis nutritur homo, & universaliter, quando subiectum in eodem instanti cum forma creatur, negandum est, intervenire generationem in ratione verae mutationis physicae, quia subiectum in his casibus non vere mutatur, cum enim nunquam praesentibus sub opposito; in rigore dici nequit, quod nunc se habeat aliter, quam prius, ut docet Scot. 2. dist. 5. quaest. 2. I. & 3. dist. 2. quaest. 3. E. & dist. 7. quaest. 2. E. & clarissime in 4. dist. 43. quaest. 5. Non est denique semper necessarium, quod dum forma est principium in fieri, seu generationis compositi, sit etiam terminus ad quem suae productionis; idest quod tunc producatur, quando fit compositum, sed sufficit, quod sit semper terminus ad quem mutationis, idest terminus, ad quem materia transit, terminus, qui licet de novo non producat, de novo tamen in materia acquiritur, semper enim materia dicitur transire de privatione ad formam, sive forma praesistat, sive non.

Demum specialiter objicitur soler contra privationem, quod nunquam in mutatione interveniat, quia nunquam in aliquo instanti reperitur sine forma antecedenti, vel subsequenti, & dum materia est cum forma antecedenti, non habet privationem subsequenti, quia non potest eam habere simul cum praecedenti, ergo nunquam materia reperitur cum privatione subsequenti forma. Resp. materiam dici privatam forma subsequenti, cum est sub antecedenti, nec enim opus est, ut dicatur privata forma subsequenti, quod possit eam simul obtinere cum praecedenti, sed sufficit, quod de se sit capax ejus praesistendo a praecedenti, & quod possit illam acquirere istam dimittendo; sic oculus caecus dicitur visu privatus, non alio capite arguitur, quod sit pauciora tribus. Tum quia tria principia assignata univoce analogice conveniunt in genere principii, ergo sunt unum genere, non tria genere distincta, & prima cum his tribus adhuc detur unum prius commune omnibus. Tum quia Arist. i. Phys. tex. 66. ait, materiam, & privationem esse unum numerum, & 68. quod alterum contrariorum cum subiecto sufficit ad mutatio-

formarum præscindendo ab illa, quam actu habet, neque ista reddit eam intrinsece ineptam ad alias, sed extrinsece tantum, quod impedimentum tollitur per dispositiones.

Q U E S T I O I V.

Quænam sit ratio principiandi singularum.

23 **Q**uamvis omnes in eo convenire videantur, quod privatio est principium fieri per modum termini a quo, & abiectionis in mutatione acquisitiva; de forma tamen sentitur nonnulli, nequaquam constitui posse principium generationis, & tanquam terminum ad quem mutationis, sed potius constitui debere, quatenus pars constitutiva totius, ita Averſa quæst. 10. sect. 2. 3. & 5. ubi pari ratione speculatur de materia, esse nimirum principium generationis compositi per modum partis potentialis constitutive, per modum vero subjecti recipientis concurrere ad generationem formæ, non compositi. Et adhuc inter eos, qui materiam statuunt principium in fieri per modum subjecti, est altercatio, an concurret per modum subjecti simpliciter formam, an etiam substantiantis; itaut ad generationem concurrat duplici concursu, receptivo scilicet, & sustentativo.

Dicendum est, materiam concurrere ad mutationem per modum subjecti aliter se habentis nunc, quam prius, formam per modum termini ad quem transit, & quem acquirit, privationem per modum termini a quo transit, & quem abicit. Conclusio sequitur ex dictis in superioribus; cum enim conclusum sit, in hoc 1. Phys. sermonem esse de principiis generationis, & non rei genitæ, de principiis in fieri, & non in facto esse, quia postea de his agit in secundo, non bene asseritur, materiam, & formam esse principia per modum partium intrinsece totum constituentium, sic enim confunditur ratio principiandi illarum in fieri, & in facto esse; & quidem Arist. 1. Phys. dum a text. 50. incipit investigare tertium principium generationis, non concludit necessitatem materiæ, quia composita indigent parte potentiali, cum qua forma unum per se constituat, veluti pars actualis, sed ex eo, quia præter contraria, necessarium est commune subjectum, quod existat sub utroque termino mutationis, ergo ut est principium in fieri generationis compositi, concurrat materia per modum subjecti generationis, & formæ, & non per modum partis constituentis compositum. Eodem modo idem de forma probatur; si enim generatio in ratione mutationis aliud non importat, quam transitum materiæ de opposito ad oppositum, idest de privatione ad formam, non videtur, formam ad generationem concurrere posse, nisi per modum termini, ad quem transit materia privationem deferens, & si semel concedatur, privationem concurrere ad generationem per modum a quo termini, ut concedit Averſa, eo ipso concedere debemus formam concurrere per modum termini ad quem. Accedit, quod materia, & forma sunt principia in fieri, non solum in compositis substantialibus, sed etiam in accidentalibus, dicimus enim, & hominem fieri ex non homine, & album ex non albo, at utique dici nequeunt in generatione compositi accidentalis concurrere per modum partium intrinsece illud constituentium, quia sicut compositum illud non est vere per se unum ens, ita non vere fit, & proprie, ergo male explicatur ratio principiandi illarum in fieri per habitudinem partium in ordine ad compositum.

24 Cum autem dicimus, materiam concurrere ad mutationem per modum subjecti ratione potentie receptivæ, non ob id excludere intendimus concursum sustentativum in ordine ad formas, quæ tali indigent fulcramento, licet sine tali concursu adhuc materia sufficeret ad mutationem per solum concursum receptivum, ut patet in hominis nutritione; an vero sint distincti concursus erga eandem formam, dicitur disp. de principiis in facto esse, & sicut per materiam hic intelligimus subjectum cujuscumque physice mutationis, sive naturalis, sive violentæ, sive neutræ, omnes enim ad Physicum pertinent, & omnia principia investigare tenetur, ita per potentiam passivam intelligimus meram capacitatem cujuscumque forme possibile in ea introduci, seu non repugnantiam Logicam ad eam recipiendam, præscindendam a potentia naturali, quæ illi capacitati addit inclinationem ad formam, a potentia violenta, quæ illi addit repugnantiam physicam ad formam, & a potentia neutra, quæ illi addit negationem inclinationis, & repugnantiam; & ratio hujus est, quia ut fiat in subjecto vera, & physica mutatio, sufficit, ut subjectum forma carens, & eam quomodocumque recipere potens, transeat a privatione ad ipsam formam, unde, & per privationem significabitur negatio formæ in subjecto capaci, qualiscumque sit ista capacitas; bene verum est, quod cum Philosophus directe, & per se solum mutationem naturalem consideret, per quam subjectum formam sibi convenientem acquirit, vel disconvenientem dimittit, violentam vero, & neutram non nisi indirecte, & in ordine ad illam consideret, quatenus opposita juxta se posita magis elucet, sic & nos insistentem vestigiis ejus, de mutatione naturali sermonem instituemus, & de potentia naturali subjecti; de hac enim locutus est Philosophus, dum 1. Phys. dixit, quod materia appetit formam, sicut turpe pulchrum, & quod privatio generat appetitum in materia ad formam, & alia hujusmodi, quæ, & si pronuntiata sint a Philosopho de materia prima præsertim, utpote naturaliter propensa in omnes formas substantiales, veluti perfectiones substantiales ipsius, cum tamen per materiam in 1. Phys. ut diximus, non tantum intelligat materiam primam, sed etiam secundam, idest corpus

naturale, & compositum substantiale, intelligi etiam debent de corpore in ordine ad formas accidentales sibi consentaneas.

25 Cum etiam dicimus, formam concurrere ad generationem per modum termini ad quem, non loquimur de generatione in ratione productionis; ita enim non forma, sed compositum est terminus ad quem, sed tantum in ratione mutationis, ut sæpe dictum est, quatenus est illa, ad quam materia transit, privationem deferens, quod adhuc dupliciter intelligi potest; potest enim forma considerari, vel ut immediate succedens ad sui privationem, vel post illam immediatam successione eo modo, quo loquitur Doctor de respectu creationis, & conservationis quodlibet. 12. forma in primo sensu est terminus ad quem mutationis in ratione principii, quia in hoc sensu præcedit mutationem prioritate naturæ; cum enim fundamentum respectus per mutationem importati sit materia, ut primo informata, tunc enim primo aliter se habet, quam prius se haberet, & fundamentum cum ratione fundandi præcedat natura respectum, consequenter forma cum materia mutationem pro formali præcedunt, at in altero sensu considerata forma est terminus ad quem generationis in ratione finis, & non principii, & est posterior ea in executione, licet prior sit in intentione, quæ prioritas nihil confert ad rationem principiandi, de qua nunc loquimur; itaque solum in primo sensu per modum termini ad quem constituitur forma principium generationis, ut nimirum immediate succedens ad sui privationem.

26 Cum denique dicimus, privationem principiari per modum termini a quo, seu per modum abiectionis, id non ita intelligendum est, quasi privatio principiari per suum non esse, quia ipsum non esse privationis formaliter est ipsum esse formæ, vel saltem necessario concomitatur illud, unde si ita principiaret, principiaret potius per modum termini ad quem, non a quo, quia ipsum non esse privationis spectat ad terminum ad quem; permanet enim cum formæ, & cum ipsa acquiritur per generationem; sed ea ratione intelligendum est, quod principiari per suum esse, quatenus tollitur, & abicitur per adventum formæ; id enim habet rationem termini a quo, quod opponitur termino ad quem, quod excluditur per ipsum, quod est illi impossibile, & in ejus adventu tollitur, & aboletur; id autem est ipsum esse privationis, atque ideo dicendum est, ipsam principiari per modum termini a quo per suum esse, non quidem stans, & permanens in materia, quia sic non principiari, sed potius impedit generationem, sed per suum esse, quatenus ergo tollitur, & abicitur.

27 In oppositum solet objici primo, quod materia non concurrat ad generationem per modum subjecti, quia generatio in ratione mutationis formaliter est respectus subjecti informati ad privationem illius formæ immediate præcedentem, at relatio non dependet a suis extremis in genere causæ materialis, sed vel efficientis, vel formalis, ut passim omnes affirmant, ergo non potest materia esse principium generationis per modum subjecti, quia concursus hic est in genere causæ materialis. Resp. minorem non esse universaliter veram, quamvis enim relatio ut sic non respiciat fundamentum in ratione subjecti, in quo recipiatur, & cui inhaereat, sed tantum in ratione fundamenti, in quo radicatur & fundatur præscindendo a quacumque potentialitate, ut patet de rationibus divinis; relationes tamen creatæ, quia accidentia sunt, respiciunt suum fundamentum, non tantum in ratione fundamenti, se etiam subjecti, ut fufè declaratum est in disputatione de Relatione; atque ita pendet a fundamento suo etiam in genere causæ materialis; & nos quando dicimus, materiam esse principium mutationis per modum subjecti, non tantum in hoc sensu intelligimus, quia hic universaliter quodcumque fundamentum relationis creatæ dici potest principium relationis, quam fundat per modum subjecti: sed amplius volumus concurrere per modum subjecti aliter se habentis secundum formam, ita quod referatur ut subjectum, non solum ad mutationem, sed etiam ad formam, quam de novo recipit, & per quam dicitur aliter se habere nunc, quam prius, quod inter omnes relationes peculiare est respectus per mutationem importati.

28 Secundo objicitur, quod forma constitui nequeat principium generationis per modum termini ad quem; Tum quia sic est posterior ipsa generatione, & mutatione, cum per eam acquiratur, principium autem debet esse prius principiatio; Tum quia, sic est terminus, & finis generationis; Tum quia, præsentem forma per modum termini ad quem, cessat motus, & mutatio 2. de Gen. text. 55. Tum tandem quia compositum est terminus ad quem, & potiori ratione quam forma 1. Phys. 64. quare etiam ipsum deberet constitui principium generationis. Resp. communiter, formam esse terminum partialem generationis, & quo res fit, non vero totalem, & quod; & ideo non est ita terminus, & finis generationis, quin etiam possit esse principium. Quæ responsio non est ad propositum; salvat enim utique, quod sit principium rei genitæ, & etiam generationis compositi in ratione productionis, quatenus est pars constitutiva illius; at difficultas urget, quod non sit principium generationis in ratione mutationis; & quando est principium rei genitæ, aut generationis compositi in ratione productionis, non utique est principium per modum termini ad quem, sed per modum partis formalis, & hic quaeritur de ratione principiandi eius per modum termini ad quem. Resp. Suarez in Met. disp. 12. sect. 2. nu. 9. formam esse priorem generatione in intentione, quatenus generatio essentialiter ordinatur ad formam, quæ est prioritas causæ finalis, & sequitur

Amicus

alterutris fieri in diverso genere mutationis, qualis est acquisitiva, & deperditiva, & cum Philosophus oppositum docet, loqui in eodem genere mutationis; vel dicendum principia in communi ad mutationem acquisitivam, & deperditivam, quæ non sunt ex alterutris, esse subjectum, terminum a quo, & terminum ad quem, quæ duo contraria principia variantur juxta diversitatem mutationum; nam in acquisitiva forma est terminus ad quem, privatio terminus a quo; in deperditiva res e contra se habet.

Q U E S T I O V.

An principia rerum naturalium sint contraria, & quomodo.

30 **A** pud Veteres Scholasticos fere nulla fuit altercatio circa principiorum contrarietatem, ferebantur liquidem omnes cum Philosopho, primo Phys. a text. 41. aliqua principia debere esse contraria, scilicet formam, & privationem, contrarietate late sumpta, quatenus coincidit cum oppositione privativa, non tamen omnia, quia præter ista debet dari tertium principium, quod sit successive commune subjectum utriusque contrarii, de uno in aliud progrediens; quam veritatem, etsi luce clariorem Recentiores speculationibus minime necessariis obnubilant. Aquarius enim ad q. 8. Ferrariensis omnia principia facit contraria, etiam materiam formæ, Averſa qu. 10. sect. 4. & si materiam non facit formæ contrariam, adhuc tamen constituit ipsam contrariam cuidam privationi, quam ipse fingit ex parte formæ; ubi etiam negat, contrarietatem per se primo, & directe inter formam, & privationem inveniri, quandoquidem talem per se primo tantummodo ponit inter principium, quod est terminus a quo, & principium quod fit ex ipso, & ideo solum concomitanter, idest ratione contrarietatis termini a quo totalis, & ad quem, ait opponi ad invicem quoque formam, & privationem. Zab. lib. 1. de materia cap. 7. inter formam, & privationem, non solum privativam, sed etiam positivam contrarietatem videtur exigere, per privationem intelligens non puram carentiam formæ in subjecto, sed formam oppositam formæ generandæ. Alii tandem contrarietatem hanc assignant solum privationi, & formæ substantiali, ea ratione innixi, quod cum Philosophus hæc principia vocet prima contraria, talis primitas solum in genere substantiæ reperitur, a quo dimanant cætera prædicamenta.

31 Dicimus Primo, non omnia principia physice mutationis esse contraria positive, vel privative. Est communis apud omnes; colligitur ex Philosopho primo Phys. præsertim text. 67. ubi ait, principia esse contraria, & non esse contraria, idest ut exponunt Interpretes, aliqua esse contraria, ut formam, & privationem, quedam non, ut materiam, & formam, & probatur, quia materia secundum se manet cum forma, absente privatione; manet cum privatione, absente forma, ergo cum illis nullam habet contrarietatem; Deinde contraria habent fieri circa idem, quod recipit utrumque, ergo aliquid principium non est contrarium, sed contraria sustentat. Denique inter materiam, & formam præter oppositionem relativam, nulla alia oppositio reperitur.

Sed objicies Primo cum Aquario, materiam habere contrariam formam; Tum quia contrariorum effectuum sunt causæ contrariæ 2. de Gen. 56. sed effectus materiæ, & formæ sunt contrarii; Tum quia materiæ, & formæ competunt conditiones primorum contrariorum assignatæ 1. Phys. 42. quod non fiant ex aliis, nec ex alterutris, sed omnia ex his; Tum tandem, quia contraria ita se habent, ut uno contrariorum existente in rerum natura, ponatur & reliquum 2. Cæli text. 18. at ita se habent materia, & forma, quod naturaliter unum existere nequit sine alio.

Respondetur, effectus materiæ, & formæ esse utique diversos, immo, & primo diversos, non tamen sunt contrarii, cum sint simul compossibiles, & coeant ad constitutionem totius, unde, ut dicebamus, præter oppositionem relativam nulla contraria oppositio reperitur inter materiam, & formam. Conditiones enumeratæ ab Arist. primo Phys. 42. non conveniunt adæquate primis contrariis, itaut quacumque habent eas, sint prima contraria, sed adæquate conveniunt primis principiis, itaut quacumque illas habent, sint prima principia. Sic etiam, & ad aliud dicendum, quod licet contraria ita se habeant, ut ex positione unius inferatur positio alterius, non tamen ex tali mutua illatione duorum valet inter ea inferre contrarietatem, quia talis mutua illatio non adæquate convenit contrariis, unde in tali modo arguendi committitur fallacia consequentis, est animal; ergo homo &c.

Secundo, objicies cum Averſa posse etiam considerari privationem materiæ ex parte formæ, hoc est, quatenus dum forma non est in materia, & habet privationem essendi in materia, privatio hoc modo sumpta dicitur principium quoddammodo contrarium ipsi materiæ, sicut privatio formæ ex parte materiæ dicitur contraria formæ. Respondetur ex dictis num. 20. formam nunquam dici posse privatam materiam; Tum quia formæ materiales nunquam existunt, nisi cum materiæ, & anima rationalis ipsa non præcedit corpus, nisi prioritate naturæ; Tum quia quando etiam forma præexistet, non tamen diceretur privari materia, quia privatio est rei, quæ in subjecto privato recipi potest, & ei perfectionem asserit, materia vero nec in forma recipitur, nec ei perfectionem asserit, sed res e contra se habet, quod etiam implet Averſa loc. cit. fatetur.

Amicus tract. 4. q. 3. art. 4. & Complut. dist. 2. nu. 2. quæ tamen responsio admittenda non est; quia, ut bene notat Averſa, sic causa finalis ponitur inter principia, & causa formalis excluderetur, cum tamen omnes a numero principiorum excludant efficientem, & finalem, & solum materialem, & formalem includant; deinde in hoc genere prioritatis per modum finis, & intentionis, compositum est prius forma, quia etiam ipsa forma in hoc genere est propter compositum. Itaque dicendum ut supra, quod generatio potest considerari vel in ratione mutationis, vel productionis, si in secundo sensu consideretur, forma nullo modo est principium ejus per modum termini ad quem, non est hoc modo principium generationis sui, seu suæ productionis, quia potius e contra res se habet, quod generatio est principium, vel inchoatio formæ, neque principium generationis compositi, quia terminus ad quem istius generationis est compositum ipsum, primo Phys. 64. si vero consideretur generatio in ratione mutationis, potest adhuc forma in ordine ad illam dupliciter spectari, vel ut immediate succedens in materia ad sui privationem, vel post illam immediatam successione; primo modo spectata est principium illius, quia tunc fit mutatio in materia, cum primo intelligitur informata forma, qua prius immediate carebat, unde forma in materia saltem prioritate naturæ mutationem præcedit, sed in secundo sensu non est principium illius, sed potius principia per ipsam; tunc enim quasi intelligitur in esse quieto, & in hoc sensu forma dici solet per generationem acquiri, veluti per viam, in hoc sensu dicitur terminus, & finis generationis, in hoc sensu dixit Philosophus 2. de Gen. 55. ad formæ præsentiam cessare motum, cum in alio sensu dixisset 1. Phys. 68. præsentiam formæ facere mutationem, licet etiam hæc omnia possent intelligi, & explicari de generatione in ratione productionis, non mutationis, & quidem in hoc sensu dixit Philosophus primo Phys. 64. compositum esse terminum ad quem generationis, in ratione scilicet productionis, cum alioqui forma dicitur terminus ejus in ratione mutationis.

Sed urgebis, Ergo non potest forma constitui principium generationis per modum termini ad quem, ratio est, quia non dicitur forma terminus ad quem generationis, nisi quatenus generatio est via in ipsam, per quam acquiritur, at non acquiritur per mutationem formæ, ut ad sui privationem immediate succedens, nec generatio est in formam, ut sic, ergo, ut immediate succedens ad sui privationem nequit dici terminus ad quem generationis, at non habet rationem principii, nisi ut sic, ergo cum ut sic non sit terminus ad quem generationis, non habebit rationem principii per modum termini ad quem.

Respondetur cum Scoto 4. dist. 13. q. 1. I. distinguendo de duplici via, nam alia dicitur via, seu medium quo, & est acquisitio ipsa, quæ formaliter mobile dicitur acquirere formam, & hæc via est motus; alia est via, seu medium per quod, sive in quod, & est illud, in quod mobile primo pervenit, & per quod primo pertransit, quod ad extrema perveniat, & talis via est spatium illud interjacens inter mobile, & terminum, hæc via prior est termino ad quem, illa via semper subsequitur terminum, quia formaliter dicit relationem jam explicatam, & tamen per utramque viam terminus acquiri dicitur, quare cum mutatio sit medium, quo acquiritur forma, etiam ut immediate succedens ad sui privationem, coherens simul hæc duo, & quod forma sit principium illius, & quod illa dicitur via in formam, ut in terminum ad quem, ac proinde forma sit principium mutationis per modum termini ad quem.

29 Tertio arguitur, quod non sit universaliter verum, quod privatio sit principium mutationis per modum termini a quo, quia in corruptione rei naturalis privatio est terminus ad quem, quia transit de esse ad non esse materia, hoc est a forma ad privationem. Respondemus, neque nos asserere, privationem esse principium mutationis universaliter, & absolute per modum termini a quo, sed hoc tantum asserimus in mutatione acquisita, & fieri rerum naturalium, de qua quidem mutatione, tanquam de magis per se intenta a natura, & principiori analogato locutus est Arist. 1. Phys. dum mutationis principia investigavit, in mutatione autem deperditiva, qualis est corruptio, gratis concedimus, privationem principiari per modum termini ad quem, sicut principiari forma in mutatione acquisitiva, unde si tria principia assignare velimus mutationis in communi, ut præcendit ab acquisitiva, & deperditiva, cum suis rationibus principiandi, assignare debemus subjectum terminum a quo, & terminum ad quem.

Sed urges, si ita est, ergo ista duo principia forma, & privatio sicut ex alterutris, etiam in eodem genere principiandi, quia in mutatione acquisitiva fit forma ex privatione, tanquam ex termino a quo, ut ex non vidente videns, & postea in deperditiva ipsamet privatio fit ex forma in eodem genere principiandi, quo ipsa fuit principium ejusdem formæ, nam ex vidente fit cæcus, vel non videns. Respondet Hurrad. disp. 1. Phys. sect. 2. negando sequelam, quia privatio habet terminum a quo in diverso, non modo genere, sed etiam ordine; quia forma habet terminum a quo privativum, privatio vero positivum, qui constituitur diversis ordinibus terminorum. Sed hæc responsio non solvit, quia quod terminus a quo, & unde incipit motus, vel mutatio, sit positivus, vel privativus, non variantur rationem principiandi per modum termini a quo, & hoc omnino materialiter se habet ad illud, & mere per accidens, uterque enim modus principiandi est per abiectionem: dicendum igitur est, vel nullum esse inconveniens, contraria hæc ex

32 Dicimus secundo, formam, & privationem, seu terminum a quo, & ad quem paritales, esse adinvicem contraria per se primo, & directe. Est contra Averſam loci cit. & probatur primo, auctoritate Philoſophi, qui i. Phys. text. 41. & ſequentibus contrarietatem poſuit inter principia per modum termini a quo, & ad quem inchoantia mutationem, nunquam autem inter principium per modum termini a quo, & ſuum principium. Probatur etiam ratione, quia ideo Averſa principium per modum termini a quo dixit eſſe per ſe primo contrarium principiato, & toti compoſito, & ratione hujus contrarietatis etiam formam, & privationem ad invicem opponi concomitantem, quia putavit, terminum a quo, unde directe, & adaequate fit compoſitum, eſſe, non praeciſe privationem formam, ſed privationem totius compoſiti; quando enim fit compoſitum directe, & adaequate fit ex non compoſito, ut indicavit Philoſophus primo Phys. 58. atque ideo cum privatio, ſeu non eſſe compoſiti directe opponatur compoſito, & non formae, ſequitur contrarietatem per ſe, & directe inveniri inter hanc privationem, ſeu terminum a quo totalem, & principiatum; & quia haec privatio totalis includit privationem partialem, & terminum ad quem totalis includit terminum ad quem partialem, ſcilicet formam, hac ratione concomitantem (inquit Averſa) contrarietatem reperiri etiam inter principia compoſiti, haec eſt ratio fundamentalis Averſae; At omnino falſum eſt, in generatione compoſiti intervenire, veluti terminum a quo, privationem totius eſſe compoſiti, ut ſupra diximus num. 20. quia haec eſt negatio extra genus concurrens per modum termini a quo ad creationem, quae fit ex nullo praecedente ſubjecto, non vero ad generationem, quae fit ex praedepoſito ſubjecto, & ideo petit pro termino a quo negationem in genere, & hoc tantum inſinuare voluit Philoſophus loc. cit. dum inquit, hominem fieri ex non homine, album ex non albo; id eſt album fieri ex negatione albedinis in ſubjecto, quod amplius declaravit, cum text. 43. & 44. inquit album, & muſicum non fieri ex quocumque non albo, & muſico, ſed ex nigro, aut mediis, & muſico, per quod inſinuare voluit, ut omnes interpretes docent, & ipſemet Averſa loc. cit. in fine ſectionis, album non fieri ex pura negatione albedinis, ſed tantum ex privatione dicente aptitudinem in ſubjecto, ergo terminus a quo fit compoſitum in generatione, non eſt pura negatio totius eſſe compoſiti, quia haec negat materiam, & formam, at in generatione, licet forma non praexiſtat, praexiſtat tamen materia, quare praecedere nequit eſſe compoſiti, velut terminus a quo, niſi privatio formae in materia.

Denique communis eſt, & apud omnes recepta diſtinctio illa contrariorum, quod alia ſunt ſe totis adaequate, & primo contraria, alia non ſe totis, ſed inadaequate tantum, & ratioe alterius partis, & in eo ſenſu ab omnibus intelligitur, ut contraria ſe totis ſunt forma, & privatio in abstracto, ut albedo, & non albedo, contraria inadaequate, & ratione alterius partis ſunt eadem in concreto; ſcilicet album, & non album, album enim quod eſt compoſitum accidentale, opponitur non albo; id eſt ſubjecto tali forma privato, non ſe toto, ſed inadaequate, ratione ſcilicet albedinis, ergo tantum ab eſt, quod forma opponatur privationi concomitantem, & ratione contrarietatis per ſe primo reperitur inter album, & non album, ut poſius res e contra ſe habeat, quod compoſitum, ſcilicet album concomitantem ſolum opponitur non albo, & ratione contrarietatis per ſe primo reperitur inter albedinem, & privationem albedinis.

33 Sed contra objicies primo cum Averſa loc. cit. Contrarietatem termini a quo cum termino ad quem ex eo probat Averſa quia omnes, quod fit, ex ſuo contrario fit, & ita concludit text. 47. ſed id, quod fit ex alio, eſt principiatum, non principium, ergo per ſe, & directe hoc principium eſt contrarium ſuo principiato, quod ex ipſo fit, atque adeo per ſe, & primario haec contrarietas non exercetur inter plura principia. Reſpondetur, Philoſophum velle contrarium fieri ex contrario ut album ex non albo, ratione alterius partis, ſcilicet albedinis, quae fit ex non albedine in ſubjecto reperta, unde ſequitur, oppoſitionem per ſe primo eſſe inter illa duo principia, ſcilicet albedinem, & privationem albedinis, ac ratione alterius partis, ſcilicet albedinis concomitantem album contrariari non albo.

Secundo, terminus a quo per ſe, & directe opponitur cum termino ad quem, ſed terminus ad quem, quatenus talis terminus eſt, non eſt principium, ſed principiatum, ergo principium, quod eſt terminus a quo, per ſe, & directe non dicit oppoſitionem cum alio principio, ſed cum ſuo principiato. Reſpondetur, concedendo, terminum ad quem generationis in ratione productionis eſſe principiatum, non principium, at terminus ad quem generationis in ratione mutationis eſt principium, & ipſius mutationis, & rei genitae per mutationem, ut quaestione praecedenti oſenſum eſt, & in hoc ſenſu loquimur de termino ad quem, cum opponimus ipſum termino a quo.

Tertio, Hoc genus principii per modum termini a quo invenitur in omnibus rebus creatis, etiam ſi non conſtet ex materia, & forma, nam etiam Angelus factus eſt ex ſuo non eſſe, ergo per ſe, & directe hoc genus principii non dicit oppoſitionem cum alio principio, ſed cum ſuo principiato. Immo etiam dum fit forma ex ſua privatione, forma, ut ſic, habet rationem principii, & privatio oppoſitionem habet cum ipſa forma, non cum alio quopiam principio formae. Et quan-

do etiam fit compoſitum, directe, & adaequate fit ex non eſſe ſui ipſius, non praeciſe ex privatione formae, ergo privatio ipſius compoſiti eſt proprius terminus a quo factionis ejus; at haec privatio directe opponitur tantum compoſito, quod eſt principiatum. Reſpondetur, Auctorem hunc confundere terminum a quo creationis, & generationis, & terminum ad quem generationis in ratione mutationis, & productionis, Angelus fit ex non eſſe ſui, ſed talis eſt negatio extra genus, quae ſolum in creatione eſt terminus a quo, & talem terminum a quo concedimus directe, opponi termino ad quem, ut principium principiato, quia creatio rationem habet productionis, non mutationis, & terminus ad quem in productione ſemper habet rationem principii, non principii. Eadem ratione quoque concedimus formam opponi cum ſua privatione, ex qua fit, ſicut principiatum principio, ſi talis factio ſumatur in ratione productionis, non autem ſi ſumatur in ratione mutationis, quia ſic privatio, & forma non comparantur ad invicem, ut principium, & principiatum, ſed ambo comparantur ad tertium, ſcilicet ad mutationem, veluti principia per modum termini a quo, & ad quem. Et denique negatur, dum fit compoſitum, proprium terminum a quo generationis ejus eſſe privationem ipſius compoſiti, quia privatio illius adaequate ſumpti dicit negationem, tam formam, quam materiam, at in generatione compoſiti, eſt forma non praexiſtat, praexiſtat tamen materia, & ideo nunquam dicitur fieri ex totali ſuo non eſſe, ſed tantum ex privatione formae in praecedente materia.

Sed inſtabis pro Averſa. In generatione non tantum datur terminus ad quem partialis, qui eſt forma, ſed etiam totus, qui eſt compoſitum, ergo cum cuilibet termino ad quem correfpondeat terminus a quo, admitti debet etiam in generatione phyſica, nedum terminus a quo partialis, ſcilicet privatio formae, ſed etiam totalis, ſcilicet privatio ipſius compoſiti. Reſpondetur, etiam admitti terminum totalem a quo in generatione, non tamen in eo ſenſu, quo admittit Averſa, ut adaequate neget totum eſſe compoſiti, etiam ſyncategorematicae ſumpti, ſed ſicut terminum ad quem partialem affignamus formam, & totalem formam in materia, ſeu formam debitam materiae, ita pro termino a quo partiali affignare debemus ipſamſmet privationem praeciſe ſumptam, & pro termino totali ſubjectum ipſum, forma privatam; ſic enim dicimus, album fit ex non albo, id eſt ex ſubjecto privato forma albedinis, ex quo colligitur, terminos totales non contrariari, niſi ratione terminorum partialium, hos vero adinvicem per ſe primo, & ſe totis opponi.

34 Dicimus Tertio, Contrarietatem hanc per ſe primo reperiri inter terminum a quo, & ad quem, eſſe per ſe oppoſitionem privativam, per accidens tamen, & concomitantem eſſe quoque poſitivam. Eſt communis contra Zab. & colligitur ex Scoto quoad utramque partem in diſt. 1. q. 3. in fine, ubi docet ex Philoſopho 5. Phys. terminum a quo mutationis per ſe eſſe privationem, non autem quid poſitivum, niſi per accidens; idem habet 2. diſt. 1. q. 3. L. ubi ait, generationem unius eſſe corruptionem alterius, non quod ita per ſe exigat generatio, ſed ob formarum incompoſibilitatem, & ita quaſi ex accidenti, non per ſe. Probatur itaque conſeſſo quoad primam partem; illa ſunt contraria privative, quae ſe invicem expellunt ab eodem ſubjecto, quorum unum eſt poſitivum, alterum privativum, ſed terminus a quo, & ad quem generationis in ratione mutationis ſunt hujusmodi, ergo &c. major patet ex Logica cap. de oppoſitis, minor patet ex dictis, nam terminus ad quem eſt forma, terminus a quo eſt privatio, & haec ſe invicem excludunt ab eodem ſubjecto; Probatur etiam quoad alteram partem; nam modo quando fit generatio, reperitur in materia, non ſolum privatio formae generandae, ſed alia forma ei poſitive repugnans eo genere repugnantis, quae verſatur inter formas poſitivas diſparatas, & haec etiam componatur pro termino a quo, quia cum ipſa privatione recedit, at quia hoc non eſt per ſe, ſed aut ex incompoſibilitate formarum, aut quia naturaliter materia non poteſt nuda reperiri, & in mutationibus accidentalibus quandoque non intervenit terminus hujusmodi poſitivus, ut cum aer fit lucidus, hinc eſt, quod per accidens tantum, & concomitantem inter terminum a quo, & ad quem contrarietas poſitiva reperitur.

Sed contra hanc conſeſſionem objicies primo, quod Philoſophus i. Phys. per totum, hanc principiorum oppoſitionem ſemper exprimit nomine contrarietatis, nunquam privativae oppoſitionis, & praefertim text. 43. inquit, album fieri quidem ex non albo, non tamen ex omni non albo, ſed ex nigro, aut mediis, quo inſinuare voluit, inter terminum a quo, & ad quem non ſufficere qualemcumque oppoſitionem, ſed contrariam requiri; & 5. Phys. ait, motum eſſe a ſubjecto in ſubjectum, id eſt a poſitivo in poſitivum; & i. Caeli text. 140. ait, quidquid corrumpitur, a contrario corrumpitur, ergo cum generatio unius fiat cum alterius corruptione, requiritur contrarietas poſitiva.

35 Reſpondetur, Philoſophum uſum eſſe nomine contrarietatis ample pro oppoſitione, quam eſſe privativam, clare inſinuavit text. 50. uſus autem eſt tali nomine ſemper, ut communem modum loquendi Veterum retineret, qui principia appellabant contraria, & ſaepe uſus eſt exemplis contrariorum poſitive, tum quia haec contrarietas eſt notior, ut notavit Averſa text. 42. tum quia cum uno contrario adjuncta eſt privatio alterius. Dum autem dicit text. 43. album fieri non

ex

ex omni non albo, ſed ex nigro, plane per ſe non requirebat contrarium poſitivum in ſubjecto, quia ſine illo fit generatio, ut patet in illuminatione, ſed requirebat ſubjectum capax formae generandae, inquit enim album non fieri ex quocumque habente negationem albedinis, cujuſmodi ſunt etiam ea, quae non poſſunt eſſe alba, ſed fieri ex nigro, id eſt non albo privative ſumpto, hoc eſt habente privationem albedinis, cujuſmodi ſunt tantum ea, quae licet non ſint alba, talia tamen eſſe poſſunt; hanc autem albedinis privationem indicavit Ariſt. nomine nigri, aut mediis coloris, quia cum idem fit ſubjectum contrariorum, hoc ipſo, quod aliquid eſt nigrum, vel viride, eſt etiam capax albedinis, quare Ariſt. non ſumit ibi nigrum, aut medium colorem poſitive, id eſt pro habente formam nigredinis, vel mediis coloris; ſed privative, id eſt pro habente privationem albedinis, ſic etiam capit immuſicum, ex quo ait fieri muſicum, pro ſubjecto ſcilicet capaci muſicae, & ea carente, non autem pro forma contraria muſicae in illo ſubjecto exiſtente; quinta autem Phys. ideo ait motum fieri ex ſubjecto in ſubjectum, quia cum praeter rationem communem mutationis, etiam ſucceſſionem includat, licet ratione mutationis ſufficeret inter terminos privativa oppoſitio, ut ipſe docet eodem 5. text. 59. tamen ratione ſucceſſionis requiritur contrarietas aliqua poſitiva, ex qua oriatur ſucceſſiva acquiſitio formae, deſignat, quod in generatione unius, alterius corruptio interveniat, eſt mere per accidens ob formarum incompoſibilitatem, ut docet Scotus loco cit. & oppoſitum evenit in productione formarum accidentalium, quae non habent contrarium.

Secundo, Si ſufficeret contrarietas privativa principiorum, ſequeretur, ex quolibet fieri quodlibet v. g. ex ligno fieri aquam, ex lapide panem, ſed hoc eſt contra Ariſt. i. Phys. 43. & contra experientiam; acetum enim non fit ex materia ferri, ſed ex vino, ſequela majoris probatur, quia materia ligni, vel lapidis habet privationem formae panis, &c. Reſpondetur, quod ſicut duplex aſſignari ſolet potentia in materia, altera remota, & indeterminata ad omnes formas indifferenter, altera proxima, & determinata ad hanc, vel illam formam, ad quam eſt peculiariter diſpoſita per agens naturale, ita duplex aſſignari ſolet privatio, proxima, quae connotat aptitudinem proximam per diſpoſitiones factam, & remota, quae connotat nudam capacitatem materiae, & conſequenter duplex contrarietas privativa, altera proxima, & determinata, altera remota, & indeterminata; concedimus igitur, poſſe ex quacumque parte materiae fieri quodcumque remotum, & mediate, mediantibus enim multis tranſmutationibus fieri poteſt, ut materia, quae eſt ſub forma lapidis, fit tandem ſub forma panis, at negamus, proxime, & immediate ex quolibet fieri quodlibet, ſic enim determinata materia juxta diſpoſitiones praevias, & ad probationem ſequelae majoris dicimus materiam ligni, vel lapidis habere privationem panis, & carnis remotam, non proximam, & ideo remotum ſolum ex ea fieri poſſe, non proximam.

36 Tertio arguitur ex Zab. loc. cit. cap. 7. & 8. Si daretur materia nuda, nil generari poſſet ab agente naturali; Tum quia non eſt apta ad ſuſtinendam actionem naturalis agentis, quod non attingit eſſentiam nudam materiae, ſed eam praexigit quantam, & debitis diſpoſitionibus inſtructam; Tum quia ad generationem non ſufficit, quod praecedat in materia quacumque forma, ſed debet ſupponi forma, ex qua proxime poſſit alia gigni, unde in materia lapidis non eſt privatio formae animalis, quia non poteſt proxime ex lapide gigni animal; Tum tandem quia, ut ait Fonſeca 5. Metaph. cap. 2. quaest. 4. ſect. 2. ſi Deus materiam nudam proprie ignem apponeret, ignis nihil in eam ageret, quia agens naturale non inducit formam, niſi in materiam diſpoſitam, nec diſponit materiam, niſi quae habeat aliquam formam ſubſtantialem. Reſpondetur negando aſſumptum, ad primam probationem negatur, materiam nudam non fore aptam ad ſuſtinendum actionem agentis, ſicut enim immediate ſuſtinet formam ſubſtantialem, ita poſſet quoque nuda ſuſtinere actionem agentis naturalis, formam ſubſtantialem in ea producentis, & falſum eſt, diſpoſitiones praecedere in materia in genere cauſae materialis, univerſaliter loquendo, ut ſuo loco dicemus, quia forma ſubſtantialis immediate materiam informat, nullo mediante accidente. Ad alteram probationem concedimus, ad generationem naturalem certae formae certas praerquiri diſpoſitiones, quandoque etiam in genere cauſae materialis, quae non conſiſtunt cum quacumque forma ſubſtantiali, ut patet in exemplo a Zab. adducto, ut enim generetur anima ſenſitiva, praerquiritur forma mixta in materia: at ut bene notat Averſa loc. cit. id oritur ex neceſſitate talium diſpoſitionum, non autem ex neceſſitate contrarietatis poſitive inter formas, immo quando in materia praerquiritur hoc modo aliqua forma v. g. mixta, ut ex ea proxime gigni poſſit ſenſitiva, forma praecedens non ſe habet ut terminus a quo contrarii, ſed permanet cum forma adveniente. Ad ultimam probationem Fonſeca negatur in eo caſu ignem non inducturum in materia formam ignis, immo ſtatim induceret, quia nullam reſiſtentiam in paſſo reperiret, & materia nuda ſatis diſpoſita cenſetur, ut poſſit hanc, vel illam recipere formam praeter animam, &

licite, modo non diſponatur, niſi dum eſt ſub alia forma, eſt, quia naturaliter non poteſt eſſe ſine omni forma, non vero ex neceſſitate generationis.

37 Quarto, Contraria privative non ſunt prima contraria, ſed ex Ariſtotele prima principia ſunt prima contraria, ergo non ſunt contraria privative, probatur major, quia contraria poſitive ſunt priora illis, vel certe oppoſita contradictonie, quia ad hanc omnes contrarietates reducuntur. Reſpondetur negando majorem cum ſua probatione, ſi fermo fit de contrariis per ſe requiſitis ad mutationem, & de prioritate principiationis in ordine ad illam, ſicut Philoſophus loquitur de prioritate contrariorum text. 42. contraria enim poſitive non interveniunt in omni mutatione, ut oſenſum eſt, & ideo ex ipſis non omnia ſiunt, bene tamen contraria privative, quia in mutatione ſemper ſubjectum tranſit a privatione ad formam, vel e contra; contradictonia etiam oppoſitio, licet in omni mutatione interveniat, nihil tamen conſert ad rationem principiantium, quia unum contradictonium non fit ex ſuo contradictonio ex text. 43. album enim non fit ex quocumque non albo, ſed ex nigro, privative ſumpto; cum igitur Philoſophus non loquatur de primis contrariis absolute, ſed ſolum de illis, ex quibus omnia ſiunt, & in omni mutatione interveniunt, & cum talia non ſint, niſi contraria privative, conſequenter prima contraria dici poterunt, & debent.

38 Dicimus tandem, hanc primam contrarietatem non ſolum reperiri inter formam ſubſtantialem, & ejus privationem, ſed etiam inter accidentalem; & ita adaequate convenire formam, & privationi in communi. Concluſio eſt contra Auctores, qui putant Philoſophum hic loqui tantum de principiis contrariis in genere ſubſtantiae, & ideo hanc primitatem tribuunt illis; & probatur ex oppoſito fundamento, cum enim Philoſophus hic traſtet de principiis cujuſcumque mutationis, tam ſubſtantialis, quam accidentalis, ut ſupra oſenſum eſt, conſequeus eſt, ut cum quaedam horum principiorum vocat principia contraria, de omnibus in univerſum loquatur, & non de ſubſtantialibus tantum. Accedit, quod de ratione horum principiorum, quae vocat prima contraria, eſt, ut ſemper maneat in omni generatione text. 50. id eſt, ut habeant generalem conſuſum ad omnem mutationem, juxta communem expoſitionem, at forma, & privatio ſubſtantialis non ſunt hujusmodi, ſed tantum forma, & privatio in communi, quarum rationes principiantium inveniuntur in omnibus, & ſingulis formis, & privationibus, ergo per prima contraria haec debent intelligi. Conſtitatur, quia per hanc primitatem non intelligitur primitas dignitatis, aut perfectionis: ſed primitas principiationis, quatenus ſcilicet ipſa non ſiunt ex aliis, ſed alia ex ipſis, ſed talis primitas non convenit formae, & privationi ſubſtantiali, nam non omnes mutationes ſiunt ex ipſis; & in modo principiantium dependent ex aliis, ſcilicet ex forma, & privatione in communi, ergo haec intelliguntur per prima contraria.

Sed objicies, Philoſophum i. Phys. probare, omnia contraria non eſſe principia, ſed ſolum prima, quae text. 50. ait, eſſe in genere ſubſtantiae; ſic etiam 10. Metaph. text. 15. declarat, primam contrarietatem eſſe inter habitum, & privationem ſubſtantialem, inquit enim; *Prima vero contrarietas, habitus, & privatio eſt, non tamen omnis privatio, ſed quae perfecta ſit*, talis autem non eſt niſi privatio ſubſtantialis formae. Reſpondetur, Philoſophum text. 50. aſſignare utique talem primam contrarietatem in genere ſubſtantiae, at eam non limitat ad illud genus, immo ait, in unoquoque genere unam talem reperiri contrarietatem, nulla tamen illarum contrarietatum erit absolute prima; Tum quia non habent generalem conſuſum in omni mutatione; Tum quia reſolvuntur in priora, id eſt in formam, & privationem in communi, 10. autem Metaph. ſi per formam, & privationem perfectam intelligit formam ſubſtantialem, vel non loquitur de primitate, ut hic, vel ea prima contraria appellat comparative, in ordine ſcilicet, ad caetera praedicamenta accidentium, quae a ſubſtantia dimanant, at ſimpliciter, & absolute loquendo, prima contrarietas, & phyſice, & logice eſt illa, quae inter formam, & privationem in communi reperitur, phyſice quidem, quia eſt primitas principiationis, quatenus in omni mutatione reperitur; logice vero, quia in illa caetera reſolvuntur, veluti in priorem prioritate praedicationis.

Secundo, Illa ſunt prima contraria, quae incipiunt, & deſiunt, generatio enim fit per inceptum unius contrarii in materia, & deſitionem alterius, ſed forma, & privatio in communi nunquam incipiunt, vel deſiunt, cum inceptio fit particularium, non univerſalium, ergo per prima contraria non debent haec intelligi. Reſpondetur negando minorem, quia ſicut natura communis fit, quando hoc particulare fit, & interit ad ejus interitum, ita privatio communis perit pereunte particulari, & forma in communi fit, dum fit particularis, incipiunt enim, & deſiunt univerſalia ad inceptum, & deſitionem ſingularium, ut Scot. docet 3. diſt. 22. quaest. unic. G. ubi ait, inceptum, & deſitionem primario, & proxime eſſe particularium, remote, & ſecundario eſſe quoque univerſalium.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Principio materiali, & formali mutationis substantialis.

Egimus de principiis in communi hucusque, & quidem mutationis in communi ad substantialem, & accidentalem; nunc de illis discurrendum est in particulari, sejungendo etiam, qua sunt principia mutationis substantialis, ab his, qua sunt principia mutationis accidentalis; & quia ordine natura mutatio substantialis accidentalem precedit, incipimus a materia prima, & forma substantiali, que sunt principia una cum privatione mutationis substantialis, & quia materia, & forma sunt transcendentaliter relativa, ideoque cognitio unius maxime confert ad cognitionem alterius, agemus de utroque principio conjunctim.

QUESTIO I.

An sint, & quid sint materia, & forma substantialis.



Estatur Aristot. 2. Phys. 22. & 1. de Partibus animalium cap. 1. veteres Philosophos agnovisse materiam, immo id ita certum est, ut quidam eorum illam asseruerint totam substantiam rerum naturalium, teste eodem Philosopho, 1. Metaph. cap. 2. & 3. putantes, sola accidentium diversitate res ab invicem differre, qui propterea, ut ibidem Philosophus ait, ignoraverunt Philosophorum opinionibus circa materia, & formam existentiam in rerum natura, hoc certum est, post Arist. tempora, Philosophos omnes ejus vestigiis inhærentes, utrumque principium hoc mutationis substantialis concessisse; non tamen omnes eodem modo explicarunt naturam, & essentiam illarum, & præsertim de essentia materiae variae Peripateticorum extant sententia; quidam enim eorum ajunt, esse substantiam utriusque, sed ita potentialem, ut nullum profus includat actum, etiam entitativum, ita D. Thomas 1. p. qu. 66. art. 1. & qu. 69. art. 1. & 2. & quæst. 74. art. 2. qu. 4. de potentia art. 1. & qu. 3. de veritate art. 5. quem omnes Thomistæ sequuntur, Capreolus, Ferrar. Cajet. Bannes, Complut. disp. 3. quæst. 2. & præter illos Zabarell. lib. 2. de Materia, Conimb. qu. 9. art. 1. & 2. Ruvius tract. de mater. qu. 2. & alii. Rufus asserunt aliquid, materiam esse corpus, quod nec etiam eodem modo explicant. Philoph. lib. 11. contra Proclum dixit, materiam esse corpus per trinam dimensionem quantitatis ipsi essentialiter convenientem, quæ tamen interminata sit ante adventum formæ, & per eam terminetur, quam opinionem nuper amplexatus est Thomas Giannius lib. 3. cap. 10. Avicenn. vero lib. 1. suff. cap. 2. dixit, materiam esse corpus per formam quandam substantialem ei congenitam, ab eaque inseparabilem, quam propterea vocavit formam corporeitatis. Zab. tandem lib. 2. de materia cap. 12. vult, materiam esse corpus simplex substantiale de prædicamento substantiæ, immo ipsam esse genus generalissimum.

Hic autem cum communi Peripat. supponimus materiam primam, quam in rerum natura extare mox ostendemus, esse a quatuor elementis distinctam contra quosdam Recentiores, qui cum Empedocle tenentes elementa esse ingenerabilia, & incorruptibilia, materiam primam ab elementis non distinguunt, sed ajunt hanc esse ipsamet quatuor elementa simul sumpta, quæ ad compositionem mixtorum tanquam subiectum primum recipivum formarum concurrunt, qua ratione omnem compositionem ex materia, & forma ab elementis arcent, quam opinionem rejicere non est hujus loci, sed pertinet ad lib. de Gener. & Corrup. ubi disp. 6. quæst. 1. contra ipsam agimus ex professo.

ARTICULUS I.

Ostenditur existentia utriusque principii in rerum natura.

Dicimus, ita certum esse, dari in rerum natura materiam, & formam substantialem, ut quasi probatione non indigeat. Ita tota Schola Peripatetica, & probat Scotus efficacissimis rationibus in 2. dist. 12. qu. 1. §. Positio ista, &c. in rem certa, & explorata, nobis sufficere unam vel alteram potiore adhibere rationem; probatur igitur primo, dari materiam in rerum natura, quia si non daretur, res omnes fierent ex nihilo, & in nihilum redirent; atque ita productio omnis esset creatio, aut transubstantiatio, & omnis corruptio esset annihilatio, sed ex nihilum sit naturaliter, & nulla res in pœnitenti nihil definit, ergo danda est materia, ex qua, tanquam ex subiecto primo omnium fiant, & in quod tanquam in ultimum resolvantur, ut ait Philosophus 1. Phys. 82. probatur sequela majoris, quando enim ex ligno sit ignis, aut aliquid, quod antea esset in ligno, remanet in igne, vel nihil; si nihil, ergo ignis factus est totus de novo, & ita factus est de nihilo sui, & creatus; si aliquid remanet, hoc nequit esse forma ligni, quia adhuc in igne esset lignum, postquam destructum est lignum, nam quamdiu est forma alicujus rei in materia, extat etiam illa res, cujus est forma, ergo illud, quod remanet, erit ma-

teria. Pariter quando lignum corrumpitur in ignem, aut in igne manet aliquid, quod antea esset in ligno, vel nihil, si nihil, ergo dabitur annihilatio naturaliter, si aliquid, hoc non potest esse forma, ratione jam allata, ergo erit materia.

Deinde probatur, dari formam substantialem ratione deducta ab Arist. 1. Phys. 44. Necessè est admittere principium, quo una substantia materialis ita in suo esse constituitur, ut per illud substantialiter differat ab alia re quacunque, illo principio constitutivo carente; sed talis esse nequit, nisi forma substantialis, ergo, &c. probatur major; evidens enim est, dari substantias materiales, specie, & genere diversas, ut hominem, lapidem, plantam, &c. Probatur minor; quaeritur enim, quid sit illud, quo ignis differat essentialiter ab aqua; vel enim differunt essentialiter ratione materiae, & hoc non, quia hæc est ejusdem rationis in omnibus, saltem sublimitaribus, ut postea dicemus; vel essentialiter differunt, per accidentia corpora illa naturaliter consequentia, per frigus nimirum qualitates connaturales, ut per calorem, & frigus, scitatem, & humiditatem; sed neque hoc recte dicitur, quia qualitates unius elementi interdum reperiuntur in alio, ut calor in aqua, ergo per tales qualitates substantialiter adinvicem differre nequeunt, quia accidentia hujusmodi ad summum nonnisi accidentalem diversitatem efficere possunt, ergo necessario dari debet in substantiis materialibus aliquid aliud præter materiam, quo substantialiter differant, & hoc erit forma substantialis, cujus propria ratio est, & munus, res specificè constituere, & distinguere, & præsertim in homine non solum Philosophia, sed etiam fides Catholica docet ex Concil. Lateran. sub Leone X. animam rationalem reperiri, ut veram formam informantem, & distinguentem hominem substantialiter a brutis, quæ accidens dici nequit, cum post mortem existat a corpore separata.

Tandem, existentia materiae, & formæ substantialis probatur communi ratione ex transmutatione substantiali deducta; non enim solum dantur mutationes accidentales, sed etiam substantiales, nam ex aqua fit aer, ex ligno ignis, & ex alimento non vivente fit vivens; at hujusmodi mutationes fieri nequeunt per corruptionem, & generationem primi subiecti, quia tunc forent creationes, & annihilationes, ergo permanet sub utroque termino unum primum, & commune subiectum; pariter per hujusmodi transmutationes non acquiruntur nova accidentia sola, aut deperduntur; dum alimentum fit vivens, non acquirit solum accidens, dum corpus vivens interit, non solum accidens amittit, ergo termini harum mutationum sunt formæ substantiales.

2 In oppositum objicitur primo, quod non detur, nec necessaria sit materia prima ad generationem substantialem; Tum quia generatio substantialis est mutatio totius in totum 1. de Gener. 23. ergo cum ex cibo generatur caro, tota substantia cibi corrumpitur, & tota substantia carnis generatur; Tum quia in generatione substantiali totum dicitur produci, & fieri, at totum non fieret, nisi omnes partes producerentur; Tum quia ad inductionem formæ substantialis non requiritur materiam primam, patet in Eucharistia, cum ex speciebus nutritur homo; Tum tandem quia sicut in generatione accidentali fit ens secundum quid non ente secundum quid, ita in substantiali cum fiat ens simpliciter, debet fieri ex non ente simpliciter. Respondetur, generationem substantialem esse mutationem totius in totum, sumendo totum non syncategorematicè, pro toto scilicet, & singulari ejus partibus, sed sumendo totum categorématicè, ut dicit compositum illud per se unum ex materia, & forma constitutum: vere enim in generatione totum hoc modo sumptum mutatur, quia materia cum nova forma novum totum constituit specie diversum a priori, ita explicat Scot. in 2. d. 12. q. 1. infra A & 4. dist. 11. qu. 1. A. In hoc sensu etiam per generationem substantialem dicitur totum produci, non quod producerentur singulae ejus partes, sed quia unum ens per se ex illis constitutum producit: Et cum homo nutritur ex speciebus sacramentalibus, fatentur omnes, tunc a Deo produci materiam primam, in qua forma carnis introducitur. Demum, quod generatur substantialiter, dicitur fieri ex non ente simpliciter, id est ex non ente in actu completo, & perfectè per formam substantialem, & talis est materia prima, quatenus caret forma substantiali, & dicitur ens in potentia ad illam suscipiendam; ita docet Philosophus 1. de Gener. cap. 3. non autem ex non ente simpliciter, id est ex nihilo.

4 Secundo objicitur, quod non detur forma substantialis; Tum autem Arist. 7. Met. text. 8. ubi docere videtur, solum mate-

materiam esse substantiam, cætera affectiones substantiæ 2. de Gen. a text. 7. docet, formas elementorum esse primas qualitates 2. de Anim. text. 7. & 8. Met. text. 15. inquit, ita ex materia, & forma fieri unum, ut ex cera, & figura; Tum quia si talis forma substantialis daretur, subsisteret, & nullo subiecto sustentante indigeret, quo tamen indigent omnes formæ materiales, ergo omnes sunt accidentales; Tum quia si daretur, præsertim ex operatione deprehenderetur, nam operatio arguit formam, at in una re plures videmus operationes etiam inter se non solum diversas, verum etiam contrarias, inquit Forolivienfis in Avic. q. 50. & 51. ut in magnete expulsionem ferri a parte meridionali, attractionem ex septentrionali; in Napellis vim hominis interemptivam, Turdi nutritivam, ergo non ab una forma substantiali, sed a diversis accidentibus ejusdem rei operationes illæ proveniunt; Tum quia corrupta forma substantiali, manet eadem operatio, ut patet de Napello, Elleboro, & aliis plantis exsiccatis; Tum quia, ut ait Bassonus lib. de materia int. 2. art. 1. si datur forma substantialis, quæ sit principium suorum accidentium, sequitur, ipfammet esse principium suæ corruptionis, & sibi moliri interitum, quia plerumque esset origo talium accidentium, quæ ad ejus ruinam tenderent, ut patet in oleo, sulphure, nitro, & aliis, quæ facillime inflammantur; Tum tandem quia sequeretur, fieri ex nihilo, quoniam dum dicitur educi de potentia materiae, nil aliud infuitur, quam materiam præhabere potentiam ad recipiendam formam, sed per hoc nihil formæ præcessit, ergo, &c.

5 Responderet, Arist. 7. Met. text. 8. proponere dubitationem Antiquorum, quibus sola materia visa est rerum substantia, sed in processu offendit, etiam formam, & compositum substantias dici debere, 2. de Anima, & 8. Met. assumpsit paritatem de cera, & figura, ut actualitatem formæ substantialis, & potentialitatem materiae primæ ostenderet, ad faciendam compositionem a natura instituta, similitudine ex artificialibus ducta, non quod eadem compositio ferret hic, & ibi, ex his enim fieri unum per accidens, ex illis per se unum, etiam in illis locis explicat Philosophus, & 2. de Gener. per primas qualitates elementorum formas, veluti per notiores circumscribit, vel illas constituit formas, & principia corporis tangibilis, & sensibiles, ut sic reductive, quo etiam sensu albedo est forma, & principium constitutum corporis albi, non tamen specificative. Ad 2. substantia, seu modus effendi per se, qui substantiam ab accidente distinguit, negat esse in alio, tanquam in subiecto inhærente, ut Scot. docet quodl. 9. sub A. illud autem est in subiecto inhærente, quod dependet a subiecto, ut sustentante, & non constituitur cum eo unum per se ex Doct. ibidem, & in hoc sensu forma substantialis dicitur per se esse, id est alteri non inhærente, dicitur subsistens, & substantia, quare autem forma substantialis faciat per se unum cum materia, non autem accidentalis, explicabitur inferius. Ad 3. quod plures, & diversæ operationes ab eadem re prodeant, potius asseruit formam substantialem in ea re, quæ cum ob substantialem ad plures operationes illimitata sit, multis indiget accidentibus, veluti instrumentis ad eas abundans, quo enim forma est nobilior, eo est illimitatior ad operandum, ut patet de anima rationali; quod autem eadem causa diversos, ac fere contrarios producat effectus, sæpe evenit ex varia dispositione subiecti, circa quod agit, hæc de causa idem Sol lutum indurat, ac ceram liquefacit, & ita in proposito ex varia hominis, & Turdi complexione evenit, ut Napellum idem hunc nutrit, illum interimat. Et in varietatem influxus Coeli Australis, & Aquilonaris referri possunt effectus illi magnetis expellentis ferrum positum Australium versus, & attractentis positum versus Aquilonem, si tamen experientia vera est.

Ad quartum, virtus Napelli, Ellebori, & aliarum plantarum manet in eis adhuc exsiccatis, quia a forma mixti dimanat, quæ manet, & non a vegetativa, quæ recessit. Ad quintum, obiecto Bassoni nulla est, & contra ipsum quoque militat; multis enim rebus natura indifferat accidentia tendentia ad eam interitum, ut oleo, nitro, & aliis facillime inflammationis, & illa accidentia utique ex potentia sui subiecti, educi debuissent, unde si educio non sufficit ad creationem tollendam, omnes formæ accidentales in ejus sententia creabuntur; res igitur naturales ita sunt a natura institutæ, ut quædam maximam inter se affinitatem habeant, ac proinde facillime possint una in aliam transmutari, & talis erunt natura oleum, sulphur, & ignis, & ne formæ materiales dicantur creati, sufficit earum educio de potentia materiae, ut inferius dicemus pro existentia substantialis formæ, vide disp. 1. de Gener. & Corrup. quæst. 2. art. 1.

ARTICULUS II.

Explicatur Natura, & quidditas Materie primæ, ubi de actu ejus entitativo.

UT dicebamus initio quæstionis, explicaverunt Thomistæ essentiam materiae per hoc, quod in genere, & coordinatione entium sit nuda, & pura potentia, omnem profus excludens actum, etiam entitativum; sed sicut per actum entitativum non omnes Thomistæ idem intelligunt, ita non omnes in eodem sensu hanc tenent sententiam, ex quo factum est, ut controversia hæc, quæ tam celebris exiit ab initio Scholarum inter Thomistas, & Scotistas, modo magna ex parte evaserit quæstio de nomine ut Compl. fatentur 1. Phys. disp. 3. quæst. 2. Veteres Thomistæ Mavrii, & Belluti Tom. II. Physicæ.

ita mordicus a natura materiae excluderunt omnem actum entitativum, ut in tota entium coordinatione nullum gradum entis illi adscriperint, sed omnem ejus entitatem, & actualitatem in formam retulerint; ita ut entitas actualis materiae non sit alia præter entitatem formæ, sed sit eadem entitas formæ communicata formaliter ipsi materiae, ita notavit Averfa qu. 20. sect. 8. Alii Thomistæ, magis D. Thomæ mentem penetrantes, concesserunt materiae propriam essentiam, ac entitatem realiter distinctam ab entitate, & essentia formæ, non tamen existentiam distinctam ab existentia formæ, vel compositi; & quia per actum entitativum non aliud intellexerunt, quam rei existentiam, quam ipsi ab essentia realiter distinguunt, ideo materiae perpetuo denegarunt omnem actum, nedum formalem, & physicum, sed etiam entitativum, & metaphysicum, & hæc ingenue fuit mens D. Thomæ, ut colligitur ex expressis ejus verbis 1. par. qu. 7. art. 2. ad 2. ubi loquens de isto actu dicit. *Materia prima non existit in veram naturam per se ipsam, cum non sit ens in actu, sed potentia, & hic modus dicendi communior est, ac frequentior in schola D. Thomæ; sed Recentiores aliqui Thomistæ ulterius perexerunt, quidam enim concesserunt materiae nedum suam partialem entitatem, sed etiam existentiam realiter distinctam, ab existentia formæ, & adhuc actum entitativum eidem denegarunt, concedentes existentiam hoc nomine appellari non posse, ita Conimb. 1. Phys. cap. 9. qu. 3. art. 1. Ruvius tract. de mat. quæst. 2. Soto 1. Phys. quæst. 6. art. 2. Niger in clyp. quæst. 10. Alii e contra etiam ex familia Dominicanæ (quod mirabilius est) negant materiae propriam existentiam, & concedunt actum entitativum, quia volunt actum ejusmodi importare non rei existentiam, sed intrinsicam quandam, & transcendentem perfectionem cujuscumque entis, ita Manca 1. Phys. quæst. 4. dub. 8. qui citat Cabreram 3. part. art. 11. disp. 2. concl. 3. num. 85. & Masium 1. Phys. sect. 2. cap. 9. quæst. 6. concl. 3. dicentem de hac veritate neminem dubitare.*

7 Ex quo duo colligere licet, primum est nullum Thomistarum materiam primam ita puram potentiam fecisse, ut eam posuerit in sola potentia objectiva, sicut modo est Antichristus, & rosa in hyme, quæ est in sola virtute causæ, semper enim omnes facti sunt materiam fuisse ab initio creatam, & cum cæteris entibus in rerum natura existere; sed alii dixerunt, esse, & existere in rerum natura per solam essentiam, & existentiam formæ. Alii esse utique in rerum natura per se ipsam, & propriam habere essentiam, ac entitatem, at non existere, nisi per formam; Alii tandem esse, & existere per propriam essentiam, & existentiam, adhuc tamen dici non posse ens in actu, vel actum entitativum habere. Alterum est, hanc quæst. esse de nomine, nisi in sensu veterum Thomist. sustineatur, in quo nullo modo defendi potest, quia tunc materia non esset comparans cum forma, compositum esset simplex, & alia sequeretur absurda, ut postea dicemus; nam in altero sensu, quo tribuitur materiae distincta entitas in rerum natura ab entitate formæ, licet non distincta existentia, jam convenit D. Thom. cum Scoto secundum rem ipsam, Doct. enim 2. d. 12. q. 1. aliud probare non intendit, quam materiam non esse in potentia objectiva tantum, talis enim est conclusio, quam infert litt. C. *Igitur sequitur, quod est aliquid, non in potentia objectiva tantum; ut probant omnes rationes supradictæ, & solum remanet lis de nomine, an, ut sic extra causas posita possit dici entitas in actu, vel actus, secundum quod omne illud dicitur actu, vel actus, quod est extra causam suam; si vero in tertio sensu sustineatur, adhuc magis est lis de nomine, concedit enim quiddam Doctor desiderat materiae, & essentiam, & existentiam propriam, & solum quæst. manet, an hæc actualis essentia materiae, an hæc ejus existentia possit dici actus entitativus; & quidem ubi sustinendo eam in secundo sensu, saltem de re disputandum manet cum D. Thoma, an concedendo materiae propriam essentiam, ac entitatem distinctam ab entitate formæ, cogamur hinc etiam illi concedere propriam existentiam, quia hæc non distinguitur realiter ab illa; sustinendo eam in tertio sensu, nulla omnino remanet quæstio, nisi de puro nomine, an existentia dici queat actus entitativus; Ut igitur essentiam materiae explicemus.*

8 Dicimus Primo. Materia prima est entitas de genere substantiæ actu existens in rerum natura realiter distincta ab entitate formæ, qua ratione dici potest habere actum entitativum, ita Scot. loc. cit. quem præter Scotistas, Trombetam, Tatar. Canonicum, Licher. Radam, Fabrum, Fuentes, Roccum, Sghemmam, Parisenses, & alios, sequuntur Nominales omnes, & ex Thomistis Recentioribus quamplures, Toletus, Pererius, Suarez, Amicus, Averfa loc. cit. Hurt. & alii passim. Probatur ex Scot. loc. cit. *Materia secundum se considerata, vel est aliquid in rerum natura, vel nihil, non secundum quia 1. Phys. est principium rerum in fieri, & subiectum primum omnium mutationum substantialium, 2. Phys. est natura, est per se causa intrinseca compositi, 7. Met. est fundamentum formarum, & secundum Theologum est terminus creationis, ergo oportet, quod sit aliquid ens reale actuale positum extra causas existens, quia cum principiatum, & causatum dependeat a causa, & principio suo, si materia nihil est, dependerent composita naturalia in suo esse a nihilo, vel non ente. Si est aliquid, vel est substantia, vel accidens, non secundum, quia ponitur subiectum formæ substantialis, & pars constitutiva substantialis compositi, quæ sibi non convenirent, si foret accidens, ergo est entitas de genere substantiæ, at non est eadem entitas substantialis cum forma, quia tunc non foret subiectum formæ, non esset altera pars compositi, compositum foret entitas simplex, generaretur, & inte.*

& interiret ad interitum formæ, quæ omnia sunt absurda, cum ergo hæc omnia sint vera, non erit materia ita pura potentia, ut nullum prorsus gradum actualem entis in rerum natura, & entium coordinacione obtineat; non erit solum possibilis in rerum natura, sed entitas actu extra causas posita, & a Deo creata, atque ita obtinebit actum entis, ut actus iste excludit potentiam objectivam rei possibilis.

Deinde dum Thomistæ contendunt, materiam non esse in actu, sed tantum in potentia, seu esse entitatem potentialem, non actualem, ne sit quæstio de nomine, aut intelligitur, ipsam esse potentialem solum, quia receptivam formæ substantialis, aut in se non est quidditative aliqua entitas actualis; si primo modo vocant materiam potentialem, optime loquuntur, & nos illis assentimus, at ex hoc inferre non licet, ipsam non esse secundum se in rerum natura entitatem actualem, immo inferri debet oppositum, cum solum ens actu extra causas sit fundamentum idoneum, & susceptivum entitatis actualis, qualis est omnis forma substantialis: si secundo modo vocant potentialem, hoc tueri non possunt nisi vel dicendo, materiam esse rem solum possibilem in rerum natura, & non extra causas productam, ut est Antichristus, vel esse in rerum natura per solum entitatem formæ, ut dicebant veteres Thomistæ; quod supra est impugnatum, quia tunc in composito non esset, nisi sola entitas formæ.

Respondent Thomistæ sustinentes opinionem contrariam in secundo sensu initio articuli explicato, concedendo, materiam esse entitatem in composito ab entitate formæ realiter distinctam, esse rem in natura a forma diversam, at negant, quiddam habet rationem aliquam entis in rerum natura, habere rationem actus entitativi, sed tantum ajunt, id convenire existentia, quæ dicitur actus respectu essentia, quam existentiam de se materia non habet.

9 Sed in primis posset hæc responsio impugnari ex ea parte, qua nobis manet quæstio de re cum D. Thoma, ostendendo, quod si materia dat entitatem in composito distinctam realiter ab entitate formæ, tenetur etiam dare distinctam existentiam, quia hæc non distinguitur ab illa, at modo ab hac quæstione volumus abstinere, de hoc enim in sequenti disputabimus ex professo: possemus etiam cum Manca cit. & aliis instare, quod actus entitativus non importat solum existentiam sed intrinsecam, & transcendente cujuscumque entis perfectionem eo ipso, quod extra causas existit, quam cum materia secundum se obtineat, consequenter de se actum entitativum habebit: sed ab hoc quoque quæsto abstinendo, & soli existentia nomen, & significatum actus entitativi concedendo, modo intendimus ostendere, Thomistas materię concedentes in composito distinctam entitatem ab entitate formæ, tantum concedere, quantum sufficit, ut dicatur esse ens in actu, & actum entitativum habere, præsertim juxta eorum principia, etiam si existentiam distinctam ei denegent. Utique existentia sola secundum nos meretur nomen actus entitativi, quia ipsa est actus essentia, quo scilicet constituitur extra causas, & dicitur esse in rerum natura, unde est actus correspondens potentia objectivæ; est actus, quem acquirit res, dum transit de non esse ad esse; est id, quo res ab agente dicitur de potentia ad actum deduci, dum ab eo producitur; at secundum Thomistas, est quid realiter distinctum ab entitate rei, & etiam secundum aliquos separabile, itant entitas substantialis secundum seipsam terminare possit productionem substantialem præscindendo ab existentia, & ita de facto loquuntur de sacra Christi Domini humanitate, quæ in Verbo propriam existentiam non habet; cum igitur entitas realis, quatenus in rerum natura terminat productionem agentis, possit dici entitas actualis, quia non amplius est res possibilis, sed actualis in universo, consequenter etiam materia, cum sit talis entitas realis in rerum natura, quæ fuit terminus creationis secundum substantiam suam, & poterit dici entitas actualis, etiam excludendo existentiam; poterit dici habere actum entitativum, quatenus secundum seipsam est extra causas, licet non secundum seipsam existat.

10 Accedit, quod per actum entitativum (ut tollatur quæstio de nomine) omnes intelligunt id, per quod quodlibet ens est a parte rei extra causas suas, ut de re possit per propositionem de præsentia, & de inesse verificari esse absolute, dicendo, hoc est, ut notavit Arimin. 2. dist. 11. q. 1. art. 1. e contra vero ens in potentia dicitur, de quo non verificatur esse hoc modo, sed per propositionem de possibili, dicendo, hoc potest esse: Sed licet licet nos verificari nequeat propositio, quod res sit de præsentia in rerum natura, nisi per existentiam, quam ponimus modum intrinsecum essentia, quo dicitur esse extra causas, & ideo existentia solum vere dicatur actus entitativus, tamen secundum Thomistas, etiam præscindendo ab existentia, potest de re verificari propositio, quod habet esse substantiale extra causas in rerum natura, ergo ex hoc solum, quod concedunt materiam in composito entitatem realem ab entitate formæ realiter actualiter distinctam, concedunt quantum sufficit dicere de præsentia, quod materia est in composito, & quod in eo habet esse substantiale, ergo concedunt quantum sufficit ad hoc, ut habere dicatur actum entitativum, quia per actum entitativum id omnes intelligunt.

Respondent adhuc Thomistæ, concedendo, materiam, ut a forma distinguitur, esse entitatem realem, esse principium in fieri, esse subiectum formarum, esse partem compositi, esse ejusdem causam materialem, non tamen ob id posse dici ens in actu, quia id solum est forma, vel quod formam habet, unde causat ut potentia, principiat ut subiectum, non ut actus, & denique omnia illa munera gerit, ut ens potentiale, non

ut ens actu, qua responsione utuntur etiam, qui existentiam quoque dant materiam distinctam ab existentia formæ, adhuc enim volunt, hanc existentiam esse mere potentialem, nec ullo modo dici posse actum, quia etiam Philosophus quamvis agnovit, materiam esse entitatem in rerum natura existentem, adhuc tamen semper eam appellavit potentiam, nec unquam legitur, vel minimum actualitatis ei dedisse.

11 Hæc responsio consistit in æquivocatione potentia, & actus, dum enim materiam appellant potentiam, & puram potentiam, vel intelligunt de potentia objectivæ, seu entitativa, quæ est rei possibilis esse in rerum natura, quæ tamen adhuc non sit, & hoc dici non potest, quia materia non est solum res possibilis, sed re vera in rerum natura reperitur; vel intelligunt de potentia subiectivæ, quæ est rei jam existentis, potentis tamen in se formam aliquam recipere, quo perficiatur, & compleatur, qualis est potentia ligni ad formam statua, in quo sensu re vera intelligi debet; sapius enim Philosophus potentialitatem materiam primæ explicavit per potentialitatem materiam artefactorum ad formas artificiales, & sic negare non debent actum entis materiam, quia hic excluditur a potentia objectivæ, non subiectivæ; quod vero Philosophus eam semper appellaverit potentiam, mirum esse non debet, quia Philosophus semper locutus est de materia in secunda, ut inquit, notione, in ordine ad formam substantialem, cujus est subiectum, & cum qua constituit per se unum; & communiter etiam dicitur pura potentia, quia actus entitativus, quem includit, sive quicquid est entitatis in materia, id totum exercet munus potentia passivæ, seu receptivæ, & sustentativæ formarum; communiter etiam nec dicitur, nec dici debet ens in actu, quia secundum communem loquendi usum, hoc significat esse actum perfectum simpliciter, ut est compositum, vel actuante aliud, ut forma.

12 Compl. denique cit. 1. Phyl. disp. 3. quæst. 2. inquit aliud esse aliquid esse realem entitatem, quæ sit in actu, aliud vero esse reipia realem entitatem, nam ad primum requiritur, vel quod sit actus, vel quod includat actum, sed ut aliquid sit reipia realis entitatis, satis est, quod reipia non sit purum nihil, sed habeat aliquem entitatis gradum; in tota vero entium latitudine non solum datur realis entitas actualis, sed etiam realis entitas potentialis, & hæc est materia, quæ tantum est pura potentia receptiva actus, & nihil actus includens. Quod autem ens reale extra causas sub se comprehendat veluti membra opposita ens actuale, quod sit forma informans, vel actus subsistens, & ens potentiale, quod sit purum receptivum formæ, colligitur ex Arist. dividente 9. Met. text. 1. & 6. Met. text. 4. ens reale extra causas in actu, & potentiam in hoc sensu, quare cum membra dividenda debeant commune divisum includere, & inter se formaliter opponi, sequitur, quod materia secundum se considerata sit ens reale extra causas, prorsus tamen potentiale, & nihil actualitatis includens; Ex quo tandem inferunt nec etiam dici posse actum, quatenus non est amplius in potentia objectivæ, quia non semper potentia objectivæ per actum explenda est, sed aliquando per actum, aliquando vero per realem potentiam, si res illa, quæ possibilis dicitur, fuerit ens, quod sit realis potentia, ut in proposito est materia prima.

Miramur sane, quare cum ab initio quæstionis fateantur nobiscum Patres isti hanc esse quæstionem de nomine, in progressu postea tam insident, ut demonstrant materiam a Deo creatam, & in serie entium positam extra causas in nullo prorsus sensu ens in actu dici posse, sed solum ens potentiale, seu ens in potentia; sed tum auctoritate, tum ratione ostendimus entitatem realem eo ipso, quod ex vi causarum posita est in rerum natura, posse dici ens in actu, & entitatem actualem, nam utique res eadem considerari potest, ut possibilis in rerum natura, & ut reipia extra causas posita, & in hoc sensu multoties divisit Arist. ens in actu, & potentiam, ut mox dicemus, & quamvis sic dividendo ens non sit partitio entis in diversas res, seu entia, partitur tamen eadem res in diversos status, vel sub diverso statu consideratur, ut Compl. ipsi fatentur ibi; hoc stante querimus ab eis, quo nomine appelletur status rei, antequam producat: inquit, & bene, dici statum possibilitatis objectivæ: percontamur deinde, quo nomine sit nuncupandus alter status, quando ponitur extra causas, plane dici nequit, nisi status actualitatis, & quidem ita loquuntur omnes, dicunt enim, quod dum ab agente res producitur, traducitur effectus de potentia ad actum, ergo etiam de materia ita loqui possumus, & debemus, & quamvis comparando eam ad formam dici debeat ens in potentia, tamen comparando eam ad statum possibilitatis objectivæ, sub qua erat, antequam in rerum natura poneretur, dici potest ens in actu: Accedit, falsum esse, quod potentia objectivæ tunc non correspondeat actus, qui dicitur entitativus, nam potentia ut potentia respicit actum sui specificativum, ergo cum triplex sit potentia activa, passiva, & objectiva, nam hanc non negant Compl. licet dicant (& bene) non esse potentiam realem, & rigorosam, ut alia duæ, triplex quoque erit actus singularis correspondens, actus secundus, seu operatio correspondens activæ, actus formalis correspondens passivæ, seu subiectivæ, & actus entitativus correspondens objectivæ, & falsum est hanc potentiam formaliter loquendo non expleri per actum: quamvis enim expleri possit materialiter per productionem entitatis potentialis, quatenus est alterius rei susceptiva, tamen hæc ipsa entitas potentialis ad potentiam objectivam relata, sub qua erat ante sui productionem, dici debet entitas actu extra causas producta, & hoc ipsi

ipsi fatentur, dum sæpius quæst. illa repetunt, ut aliquid reipia sit entitas realis, sufficere, quod reipia non sit purum nihil, quod idem est, ac si dicerent sufficere, quod actu non sit purum nihil, idem enim sonat ly *reipia*, sed nolunt isti patres uti suspecto vocabulo.

Neque hic loquendi modus est ab Arist. alienus, multis enim in locis locutus est de hac potentia objectivæ, & actu entitativo ei opposito, & quidem insignem, & conspicuum de hac re locum asserit Scot. 4. dist. 11. q. 3. D. ex 9. Met. text. 11. ubi sic loquitur Arist. *est autem actus existere rem, non ita, sicut dicimus potentia*, loquitur etiam de actu, & potentia in hoc sensu 9. Met. text. 7. ut notat Doct. 2. dist. 16. qu. un. A. & 4. dist. 11. q. 3. supra X. item 12. Met. text. 26. ubi ait *idem quandoque actu, quandoque potentia est, ut vinum, caro, &c.* & 3. Met. 19. inquit *possibile est esse etiam, quod nondum est*, subdens dicit actu, quando postea est, idem colligitur v. Met. 17. immo potentiam objectivam præter activam, & passivam, & actum entitativum præter formalem docet eodem loc. ab Adv. cit. 9. Met. text. 1. dum inquit *potentia, & actus in plus est, quam illa, quæ secundum motum solum dicuntur*, & utitur tandem eodem loquendi modo 8. phyl. 32. ubi ignem nondum genitum vocat in potentia, genitum vero ait esse in actu, & alibi sæpe; ergo id quod erat sub statu possibilitatis, & postea est productum, dici potest ut sic ens in actu, quatenus non est amplius solum in potentia agentis; quare autem Arist. semper materiam appellaverit ens in potentia, declaratum est supra, & rursus declarabitur infra.

13 Dicimus 2. licet materia possit, & debeat dici substantia corporea per gradum corporeitatis sibi essentialiter identificatum, absolute tamen nequit dici corpus, neque in sensu Philoponi per trinam dimensionem ei essentialiter convenientem, neque in sensu Avicennæ per formam corporeitatis coarvam; nec demum in sensu Zabari per gradum corporis simplicis directe positum in prædicamento substantiæ. Conclusio est communis contra præc. Auctores, & probatur quoad omnes partes & in primis materiam poni debere corpoream per gradum corporeitatis essentialiter distinguentem substantiam materialem, & corpoream ab immateriali, & incorporea, est communis omnino sensus, siquidem materia non est incorporea, & spiritualis, sed habet pluralitatem partium entitativarum, & integralium, ratione cujus dicitur substantia exigiva quantitates, in qua quidem existentia, vel principio ejus radicali consistit gradus corporeitatis essentialiter distinguens substantiam corpoream, ut comprehendit completas, & incompletas ab incorporea, & spirituali, tam completa, ut Angelus, quam incompleta, ut rationalis anima; quod si hujusmodi gradum corporeitatis non haberet, rem materialem, & corpoream constitueret non posset, sicut anima rationalis non potest viventi esse corporeum tribuere, quia in se spiritualis est. Quod vero poni non possit corpus trinæ dimensionis cum Philopono, probatur, tum quia corpus hujusmodi est accidens, & in prædicamento quantitates; tum quia in tantum ab eo ponebatur trine dimensio, vel potius trina dimensio, ut redderetur divisibilis, & extensa, ut sit proportionatum subiectum formarum materialium, nam forma divisibilis recipi nequit in subiecto indivisibili, qualis foret materia sine quantitate: vel igitur hæc trina dimensio est forma essentialiter distincta a materia prima, & in ipsa recepta, veluti in subiecto ad modum aliarum formarum, vel non; si primum ergo materia antecederet ad illam trinam dimensionem est extensa, & corporea, quia accidens materiale ut est quantitas, in subiecto in extenso recipi nequit; si secundum, ergo materia prima est essentialiter accidens, vel acciens est de essentia substantiæ, præstat ergo dicere, quod sit corporea per gradum corporeitatis jam explicatum, & non per trinam dimensionem.

Deinde, quod nequeat dici corpus per formam corporeitatis coarvam, probat pluribus Doct. 2. dist. 18. sed quia inferius de hoc agemus ex professo, pro nunc breviter sic potest probari, quia vel hæc forma corporeitatis est de essentia materię, vel non, sed potius reperitur in ea, ut in suo perpetuo subiecto; non primum, tum quia tunc materia non esset in potentia ad omnes prorsus formas, cum non sit in potentia ad illam, quæ ponitur de ejus essentia, nihil enim est in potentia ad id, quod ponitur de illius essentia; tum quia materia prima esset essentialiter actus formalis; tum quia Arist. 1. phyl. 69. ponit eam in sua essentia denudatam a quacunque forma naturali, ut materia artefactorum denudata est a quacunque artificiali. Neque secundum, tum quia materia prima non posset dici per eam corpus essentialiter compositum ex subiecto, & forma corporeitatis, nihil enim potest essentialiter constitui ex aliquo, quod non sit de ejus essentia, sed ad summum diceretur pars illius corporis, per talem formam constituti, tum quia nec adhuc denominative redderetur primo corporea per talem formam, sicut v. gr. redditur lapidea per formam lapidis, quia cum hæc forma corporeitatis sit extensa, & corporea, subiectum ejusdem rationis extensum scilicet, & corporeum præsupponere debet, in quo recipiatur.

Quod tandem dici nequeat corpus per gradum corporeitatis simplicis directe positum in prædicamento, & tanto minus generalissimum in prædicamento substantiæ, probatur: Tum quia tale corpus simplex directe positum in prædicamento est substantia completa, non vero materia; Tum quia, sicut Angelus, non potest habere rationem substantiæ ad ulteriorem formam substantialem, quia est substantia completa, ita materia

prima, si esset substantia simplex completa; Tum quia si esset corpus de prædicamento substantiæ, & præsertim generalissimum, posset prædicari de substantiis corporeis inferioribus in recto dicendo, homo est materia, sicut dicitur corpus; Tum quia substantia incorporea finita sunt directe in prædicamento, de quibus tamen corpus prædicari non potest. Tum tandem, quia secundum omnes materia ponitur in prædicamento reductivæ tantum per modum partis compositi substantialis.

Solvuntur Objectiones.

14 IN oppositum contra primam concl. objicitur primo modus loquendi Arist. qui ubique agnovit materiam, velut ens in potentia, & idcirco 3. phyl. text. 3. dividit ens in potentiam, & actum sub primo membro materiam constituens, idem repetit 2. de Anim. 2. & 7. Met. 7. & 8. Met. 3. ubi etiam text. 15. & 16. materiam non solum appellat potentiam, sed per se potentiam, id est essentialiter potentiam, & nihil aliud. Hinc 1. phyl. 79. ait materiam non cognosci, nisi per analogiam ad formam, quod falsum esset, si per se esset ens in actu, & 1. de Gen. 23. inquit, quod si subiectum generationis esset in actu, generatio foret alteratio, quia quod advenit enti in actu, est accidens, quod etiam prius dixerat 5. phyl. 7. & 8. ubi distinguens motum a mutatione penes subiectum ait, quod moveretur esse, quod generatur non esse: & 1. phyl. 69. ait materiam se habere in toto genere rerum naturalium, sicut lignum in toto genere artificialium, sed hoc est pura potentia in genere artificialium, ergo & materia in genere naturalium, qua de causa 7. Met. 8. dicit Arist. materiam non esse quid, nec quale, nec quantum, quam paritatem ab Arist. assumptam de materia naturalium, & artificialium valde exaggerat Joan. de S. Th. q. 3. ar. 2. Tandem confirmat id ipsum ex solutione, quam adhibet Arist. ad difficultatem Antiquorum, qui dicebant materiam esse ens in actu, & non in potentia, quia si foret ens in potentia, esset nihil (nam apud ipsos quod erat aliquid, erat ens in actu) unde si res fierent ex materia sic se habente, fierent ex nihilo, sic arguebant Veteres apud Ar. 1. Phyl. 34. & 70. & 1. de Gen. 12. At Arist. huic occurrens difficultati 1. Phyl. 66. & 78. & 1. de Gen. 17. non respondet negando consequentiam, quia materia est ens in potentia tantum subiectivæ, non objectivæ, ut solent respondere Scottistæ, & ideo non est nihil; sed negat consequentiam, quia nunquam est corruptio sine generatione, & ideo nunquam materia manet ita in potentia, quod non sit ens actu per aliud, quia semper est subiecta alicui formæ, unde licet generatio fiat per se ex ente in potentia, tamen per accidens sit ex ente in actu. Confirmat etiam hic Auctor suum assertum ex solutione, quam asserit Arist. ad aliam rationem Antiquorum, qua fulti negabant generationem substantialem, & dicebant non generari aliquid de novo substantialiter, sed alterari tantum, & ratio eorum erat, quia non poterat fieri ens simpliciter, nisi ex non ente, ut constat ex 1. Phyl. 71. & 78. solvit autem hoc Arist. quia ens simpliciter id est substantia sit per se ex ente in potentia, quod est materia, quæ per accidens est in actu, quatenus erat sub alia forma, quæ ipsa generatione corrumpitur, si autem ponatur materia ex se ens in actu per existentiam, licet in potentia ad formas, enervatur doctrina Ar. & sumit robur ratio Antiquorum, quia si sit generatio per se ex ente in actu, dicerent Antiqui, quod forma adveniens tali rei non est substantialis, quia non dat primum, & integrum esse.

15 Ad has omnes auctoritates respondet Doct. loc. cit. materiam dicens in potentia, quia quanto aliquid habet minus de actu, tanto magis est in potentia, & quia materia etiam secundum suum actum entitativum, seu secundum quicquid est in rerum natura est receptiva omnium formarum, ideo definitur ab Arist. per esse in potentia, quia ut nuper dicebamus, eam semper consideravit in secunda notione, ut subiectum formarum, & transmutationis, & hac ratione dixit esse cognoscibilem per analogiam ad formam, quamvis alias sit per se cognoscibilis per propriam entitatem. Negat vero 1. de Gen. 23. subiectum generationis esse ens in actu completo, & specifico, ut faciebant Antiqui ponentes subiectum generationis corpus habens formam substantialem. Et in eodem sensu negat 5. Phyl. subiectum motus esse, & dicit non esse, quatenus caret esse simpliciter, & perfectio, quod nata est tribuere forma substantialis, ut Doct. explicat etiam 4. dist. 11. qu. 3. Dd. non autem negat esse in actu entitativo, & extra causas, alioquin subiectum generationis esset nihil; Paritas assumpta ab Arist. 1. Phyl. 69. de materia naturalium, & artificialium non valet in omnibus, alioquin probaret materiam naturalium esse nihil; potest utique aliquid receptivum esse pura potentia, & nihil omnino in actu in genere artificialium, quia reperitur aliud genus prius, in quo erit aliquid in actu, scilicet genus naturalium; at genus naturalium cum sit omnino primum, nihil receptivum in eo poni potest, quin etiam aliquo modo ponatur ens in actu in eodem genere; paritas ergo stat in hoc tantum, quod sicut lignum in genere artificialium, ita materia in genere naturalium est pura potentia excludens omnem formam artificialem, ita materia in genere naturalium est pura potentia excludens omnem formam naturalem; auctoritas vero vulgata ex 7. Met. seipsam declarat, ait enim Arist. materiam non esse quid, nec quale, nec quantum, nec quid eorum, quibus ens est determinatum, id est non est actus determinans, & complens, vel similem actum habens: Ad duas confirm. ductas ex solutionibus, quas asserit Arist.

Arif. ad difficultates Antiquorum circa materiam primam, & generationem substantialem occurrimus disp. 5. de Gener. & Corrupt. quæst. 1. art. 1.

16 Secundo arguit Compl. cit. quia ens extra causas dividitur ab Arif. 9. Met. 1. & alibi in potentiam, & actum, ergo per hoc præcise, quod aliquid fit pura potentia realis, etiam si omnem profusum actum excludat, poterit rationem entis realis habere, & per consequens ex hoc, quod materia prima habeat veram, & realem essentiam, male colligitur eam includere intrinsece aliquem actum, immo cum constitutur vera, & realis essentia per modum entis potentialis ab ente in actu condistincti, consequenter nullum debet includere actum, membra enim bonæ divisionis non debent coincidere, & hoc est unicum fundamentum Adversariorum. Conf. quia hoc ipso, quod aliquid secundum suam ultimam rationem est potentia respectu alterius, ut est materia respectu formæ, nequit in ea imitari ratio actualitatis, nam sicut ratio potentia, ut sic, nequit imitari in actu, quatenus actus, ita neque ratio actus in potentialitate, quatenus potentia est. Rursum materia prima non habet propriam potentiam obiectivam distinctam a potentia obiectiva totius, ergo neque distinctum actum entitativum, conseq. patet, quia actus iste desumitur ex ordine ad talem potentiam, probatur assumptum, materia enim non habet propriam fieri, sed comprehenditur ad productionem totius ex 8. Met. tex. 3. Et denique quando etiam materia propria responderet potentia obiectiva, non proinde debet quoque ei respondere necessario actus entitativus, quia potentia expletur per positionem entis possibilis extra causas, ergo cum in proposito entitas materia sit actualis, non debet dici expleri per aliquem actum entitativum, sed per potentiam veram, & realem.

Resp. ad 1. quod si Arif. ibi dividit ens reale extra causas positum in actum, & potentiam, per actum intelligit actum substantentem, vel informantem, & per potentiam intelligit subiectum potentiale, & capax actus informantis; & cum ens reale extra causas positum, ut sic, dici possit ens in actu, quatenus reperitur in rerum natura, & non tantum in virtute, & potentia agentis, actus in hoc sensu utriusque membro illius divisionis convenit, licet actus in alio sensu nequaquam; & actum in eo sensu admitti debere, ut opponitur potentia obiectivæ, jam probavimus, & cuiusque rei convenire hoc ipso, quod est realis entitas in rerum natura. Ad 2. nos non concedimus potentiam esse differentiam essentiali materiam, nam hæc est ultima materiam realis absoluta, unde potentia pululata, & hanc dicimus esse passionem realiter identificatam entitati actuali materiam, ratione cuius identitatis verum est dicere, quod tota actualis entitas materiam, & actus ipse entitativus ejus habet rationem potentia obiectivæ respectu formarum, sicut in sententia Compl. actualitas ipsa formæ rationem habet potentia obiectivæ respectu actualitatis existentia, & substantia; neque hinc ulla sequitur implicancia, tum quia adhuc remanent impermixta ratio actus, & potentia formaliter loquendo, tum quia non conveniunt eidem respectu eisdem, nam entitas materiam dicitur actualis collata cum potentia obiectiva, in qua erat ante sui creationem, dicitur vero potentialis in ordine ad formam. Ad 3. neg. assumptum, imo cum materia generari nequeat, sicut compositum, & sit terminus creationis saltem secundum suam essentiam realem, ut etiam Thomistæ concedunt, consequenter distinctam habebit potentiam obiectivam ab obiectiva totius, atque ita etiam distinctum actum entitativum; cum autem ait Arif. 8. Met. 3. & alibi solum compositum fieri, & generari, partes vero potius confiteri, licet specialiter de forma loquatur, non de materia, quæ nullum accipit esse ei intrinsecum, & essentiali in productione compositi, loquitur de productione nata terminari ad rem in se existentem, & substantentem, nam absolute loquendo de productione, ut actio quædam est, qua res simpliciter accipit esse, & recedit a non esse, quomodocumque id fiat, sane cum forma sit causa compositi, oportet ut prius habeat esse in rerum natura, quam compositum ipsum, & cum sit per se terminus generationis, debet propria acquisitione acquiri, & non tantum per accidens ad productionem compositi, ut dictum est d. 2. q. 7. ar. 2. alioquin non solum materia, ut Adversarii præterdunt, sed nec etiam forma haberet propriam potentiam obiectivam, sed per potentiam obiectivam totius diceretur possibilis. Ad 4. neg. sequela, ad probationem patet ex dictis, quod licet potentia obiectiva materialiter expleri possit per productionem entitatis, quæ sit potentia receptiva alterius, hæc tamen ipsa potentialis entitas in ordine ad potentiam obiectivam, sub qua erat ante sui productionem, dici potest actus, vel ens in actu, quatenus non amplius est solum in potentia causæ, sed actu extra illam, quem actum vocant aliqui actum præsentialis existentia, quo nimirum aliquid dicitur esse in actu, quando actualiter existit in rerum natura.

17 Tertio obijciunt, hanc nostram sententiam fundari in illa distinctione de potentia obiectiva, & subiectiva, de actu formali, ac entitativo, cum tamen Philosophus agnovit solum distinctionem actus in primum, & secundum in 2. de Anima tex. 6. & distinctionem potentia in activam, & passivam. Addit Zab. explicari non posse, quid sit iste actus entitativus materiam, nam si est aliquid, utriusque erit substantia, hæc vero dividitur 2. de Anima in materiam, formam, & compositum, & cum non possit esse forma, vel compositum, quia hanc possidet materia per seipsam seclusa forma, & composito, remanet, quod sit materia materia.

Resp. Doct. 4. dist. 11. q. 3. D. hanc distinctionem potentia, & actus expresse haberi a Philosopho multis in locis diversimode loquente de actu, & potentia; nam 7. Met. 59. & 8. is, dum ait; quod ex actu, & potentia fit unum per se, non intelligitur de istis, ut opposita sunt, quia sic non stant simul, sed intelligit de potentia subiectiva, & actu informantem, quæ stant simul, & faciunt unum per se, & sic intelligit ubicumque dividit ens in ens in potentia, & in actu, illud materiam tribuens, formæ istud, de actu autem, & potentia, prout opposita sunt, & differentia entis loquitur 9. Met. tex. 11. dum ait, *Est autem actus existere rem, non ita sicut dicimus potentia, & post explanando istam distinctionem manifestat in multis oppositis, ut vigilans ad dormiens, & videns ad claudens oculum, & elaboratum ad illaboratum, hujusmodi, inquit, differentia alteri parti actus applicatus sit, alteri vero possibile, ex quibus clarissime deducitur, præter actum primum, & secundum, agnovisse Philosophum etiam actum entitativum, & præter potentiam activam, & passivam, etiam obiectivam agnovisse. Est autem actus rem existere, en actus entitativus, non ita sicut dicimus potentia, en acceptio potentia huic actui opposita: imo Arif. ibi dicit, non dari tantum potentiam activam, & passivam, sed dari quoque alteram, quæ ex divisione actus manifesta fiet, dum ait *non solum hoc dicimus possibile, quod natura aptum sit aliud movere, aut moveri ab alio, sed etiam aliter*. Videant modo Thomistæ, an hæc distinctio actus, & potentia in entitativum, & formalem, in obiectivam, & subiectivam, sit mera fictio Scoti; videant Ruvius, & alii, an existentia possit dici actus. Hinc patet ad Zab. nescientem, vel nescire volentem, quid sit actus iste entitativus; per hunc actum intelligitur id, per quod excluditur potentia obiectiva, id, per quod res non amplius dicitur possibilis, sed actu esse in rerum natura, intelligitur id demum, ut ajebat Gregorius cit. per quod verificatur propositio de præsentia, & de inesse, quod res est; id vero secundum nos est existentia, quæ est veluti modus intrinsecus essentia, quo dicitur extra causas stare, hoc enim sonat nomen existere, & ita actus entitativus materiam erit existentia ipsa materiam, nec propterea dicitur materia materiam, sed aliquid ipsius materiam, idest modus intrinsecus materiam; quia vero secundum Thomistam existentia distinguitur realiter ab essentia, ac entitate rei, etiam extra causas positæ, per actum entitativum, potentiam obiectivam a re primo excludentem intelligere debent entitatem rei, ut actualiter positam extra causas, & cum hoc habeat materia antecederet ad existentiam secundum ipsos, fateri debent, actum entitativum obtinere, etiam si non existeret, nisi existentia formæ, vel compositi, sicut humanitatem assumptam in Christo utriusque faterentur propriam actualitatem habere, etiam si non habeat propriam existentiam.*

Quarto arguunt. Tum quia forma dat esse rei, ergo materia nihil habet entitatis ex se; nec valet distinguere de esse specifico, & incompleto, quia sicut se habet esse accidentale ad formam accidentalem, ita substantiale ad substantialem, sed omne profusum esse accidentale est a forma accidentali in genere causæ formalis, ergo & esse quodcumque substantiale erit a substantiali. Tum 2. quia datur purus actus, nihil includens potentia passiva, idest Deus, ergo dabitur in creaturis pura potentia, nihil omnino includens actus entitativi, & erit materia prima, ut a Deo remotissima. Tum 3. quia si materia includeret actum, tunc foret purus actus, quia est quid physicum simplex non resolubile in alias partes, unde, vel est totaliter potentia, vel totaliter actus, non secundum, ergo primum. Tum 4. quia si includeret aliquem actum, esset principium alicujus operationis, quia hæc dimanat ab illo, quæ tamen nulla apparet in materia. Tum 5. quia tunc ex materia cum forma non fieret per se unum, quia ex duobus entibus in actu non fit per se unum 7. Met. 29. nam forma adveniens enti in actu, est accidentalis; Tum 6. quia, ut ajunt Conimbr. omnis actus vel est informantis ut forma, vel per se existens ut Angelus, & sola forma inter entia incompleta nominatur actus, vel ens in actu. Tum tandem quia sic se habet materia ad potentiam, ut forma ad actum, at forma est sic actus, ut excludat omnem potentiam, nedum subiectivam sed obiectivam quoque, ergo materia est ita potentia, ut excludat omnem actum, nedum formalem, sed etiam entitativum.

Resp. formam dare esse specificum, & completum, non autem quodcumque esse entitativum; nec valet paritas de forma accidentali, & substantiali, quia esse accidentale convertitur cum forma accidentali, non ita esse substantiale cum substantiali, & quia præter formam datur materia, & compositum, quæ sunt substantia 2. de Anima, & 8. Met. Ad 2. non valet assumpta propositio de Deo, & materia in omnibus; Deus enim dicitur actus purus per exclusionem cujuscumque potentia, tam obiectivæ, quam subiectivæ, materia vero dicitur pura potentia per exclusionem actus formalis tantum, non vero entitativi, quia tunc inter creaturas non computaretur. Ad 3. non sequitur, aut esse purum actum, aut partim actum, partim potentiam, sed tota est actus, & tota potentia simul, quatenus tota illius actualis entitas habet rationem potentia subiectivæ, nec proprie hæc duo compositionem faciunt, etiam metaphysicam; tum quia actualitas entitativa, & potentia subiectiva identificantur inter se, ut modus intrinsecus, & passio ejusdem rei; tum quia potentia subiectiva non est talis in ordine ad actum entitativum, sed solum formalem. Ad 4. non sequi.

sequitur, debere hunc actum esse principium operationis alicujus, quia id verum est tantum de actu informantem, & rem constituentem in esse completo; actus enim entitativus materiam, ut incompletus, ordinatur potius ad passionem, quam ad actionem. Ad 5. non sequitur, constitutum ex materia, & forma fore unum per accidens, vel formam substantialem fore accidentalem, quia Arif. dictum 7. Met. 29. intelligitur de duobus in actu completo, & totali, non incompleto, & partiali, alioquin id, quod non foret in actu entitativo, nihil esset nec unum quid, aut per se, aut per accidens constitutur posset. Ad 6. divisio actus a Conimbr. data non est sciendens; aut actus entis, quem materia includit, est per se existens, incompletus tamen, forma vero solet dici actus, quia est ens actuale determinans certam speciem entis completi, non materia, quæ potius est determinabilis per formam sub hac vel illa specie, & ideo merito dicitur ens in potentia. Ad 7. neg. omnimoda paritas de materia in ordine ad potentiam, & forma in ordine ad actum, licet enim teneat quoad potentiam subiectivam, & actum formalem, non tenet quoad potentiam obiectivam, & actum entitativum; tam enim forma solum actum entitativum habet, excludens potentiam obiectivam quam materia.

19 Quinto arguitur, quod non sit substantia: Tum quia potentiale non est aliquid actu illius generis, cujus est potentiale, nec formaliter, nec reductive, ut patet de superficie receptiva coloris, quæ non est aliquid actu in prædicamento qualitatibus, ergo cum materia sit receptiva substantia, non erit aliquid generis substantia. Tum quia, quod pertinet ad aliquod genus, necessario pertinet ad aliquam speciem determinatam, & infimam illius generis, ut ait Doct. 2. d. 12. q. 2. C. quod enim est animal, necessario est animal hujus speciei, vel illius, at materia ad nullam determinatam speciem generis substantia spectat. Nec respondere juvat, majorem esse veram de his, quæ pertinent ad aliquod genus directe, valet enim etiam in his, quæ pertinent indirecte, sic anima rationalis indirecte spectans ad genus substantia, reductive tamen est indeterminata specie substantia, scilicet humana. Respondet Doct. loc. citat. assumptum posse concedi de receptivis in posterioribus generibus, non in omnino primo, quale est genus substantia, quia receptivum illorum potest esse in aliquo priori genere, non sic receptivum substantia, cum hoc sit primum genus, & idcirco cum hoc receptivum aliquid esse debeat, in hoc primo genere statui debet, saltem reductive. Nec propterea necesse est, quod reductive fit in determinata specie substantia; propositio enim illa, quod determinat sibi genus, determinat sibi speciem, valet in individuis, & entibus per se substantibus, si enim Petrus est animal, necessario est in specie humana; valet etiam de partibus determinatibus, tam physicis, quam metaphysicis, non autem determinabilibus; quamvis enim rationalitas speciem humanam necessario sibi determinet, non sic animalitas, & idcirco non valet paritas de anima, & materia, quia anima est pars determinans, & specificè distinguens, non sic materia.

20 Sexto demum arguitur, quod non sit substantia realiter distincta a forma. Tum quia tunc actus, quem includit, non solum entitativus esset, sed specificus, & formalis, quia distingueret. Tum quia in fundamento nature nihil est distinctum. 8. Met. Tum quia constat ex genere, & differentia, cum non sit directe in genere, si autem a forma distingueretur, differentiam haberet. Tum tandem, quia quæ non distinguuntur conceptibiliter, nec etiam distinguuntur realiter, at materia non distinguitur conceptibiliter a forma, quia sine forma cognosci non potest, ergo neque realiter. Respondetur, in esse physico materiam, & formam esse se totis distincta, & primo diversa, ut ait Doct. loc. cit. E. quatenus materia quidditative nihil includit actualitatis formalis, nec forma aliquid potentialitatis subiectivæ, nec propterea sequitur, actum ejus esse formalem, quia nec constituit materiam sub specie completa substantia; nec ab alia specie completa eam distinguit. Ad 2. in hoc sensu loquitur Philosophus, dum ait, in fundamento nature, idest materia, nihil esse distinctum, vel significare, res materiales per materiam non distingui, sed per formam, non autem negare vult, quod materia per suam entitatem non distinguatur a forma, & a quocumque alio, quod non est ipsa. Ad 3. ut a forma distinguatur, non est necesse, quod constet ex genere, & differentia, quia non distinguuntur, ut duæ species completæ, sed ut partes illius potentialis, & actualis; possumus etiam concedere materiam, & formæ genus, & differentiam, si tali modo constitutur prædicamentum substantia, ut apex illius sit substantia finita, ut comprehendat tam completas, quam incompletas, quod nullum foret inconveniens, quia dispositio illa prædicamentorum artificiosa est, ex natura rei, ut in Logica diximus loquendo de constitutione prædicamentorum. Ad 4. materia secundum se, & in notione considerata, cognoscibilis est sine forma, & quamvis in 2. notione, & ut relativum transcendens sine forma concipi nequeat, non sequitur inde, quod ab ea realiter adhuc non distinguatur, quia propositio illa, si valet, tantum in absolutis locum haberet, non in relativis, vel connotativis, & in his universum, quæ per additamentum definiuntur, qualis est materia in 2. notione spectata.

21 Contra 2. conclusionem obijciunt pro Philopono, quod materia ante quamcumque formam substantialem habet plures partes, secundum quas subesse potest formis impossibilibus,

& forma substantialis est indivisibilis, & ratione materiam, in qua recipitur, sit divisibilis, & extensa; & est subiectum actionum agentis naturalis, quod non agit nisi in quantum, & constituit compositum corporeum; ergo materia secundum suam naturalem constitutionem est trine dimensa, vel ipsa trina dimensio. Respondetur, argumentum nendum non probare, materiam essentialiter includere trinam dimensionem, ut ajebat Philoponus; sed neque sufficienter probare, quod sit trine dimensa denominative, veluti subiectum proximum, & immediatum quantitatis, nam pluralitas partium non infert extensionem, vel corporeitatem de genere quantitatis, sed solum gradum corporeitatis distinguentem ens corporeum ab incorporeo, & spiritu, & exigentiam quantitatis, quæ ab illo gradu originatur, & talis corporeitas sufficit ad omnia illa munera; licet fallum sit, formam materialem esse indivisibilem, est enim & ipsa divisibilis in plures partes entitativas, alioquin veluti anima esset tota in tota materia, & tota in qualibet parte; & talis corporeitas sufficit ad substantiam actionem naturalis agentis, cui accedit, quod materia in nullo instanti reperitur sine aliqua forma substantiali, & ideo semper habet requisita ad hoc, ut possit excipere actionem agentis naturalis.

Secundo Obijciunt pro Avicenna, quod sine forma corporeitatis sibi coæva non possit materia appetere formas; quia contrarium non appetit contrarium, sed simile, at materia, ut habet rationem potentia, est contraria actui, ergo debet assimilari per formam: confert etiam hæc corporeitas forma, veluti seminarium ad generationem aliarum formarum, quia non potest forma, quæ est actus, & perfectio, gigni ex nulla materia, rudi, & imperfecta.

22 Resp. negando assumptum, quia, ut docet Scot. 2. d. 12. qu. 1. infra C. & 4. d. 45. q. 2. supra A. inter perfectivum, & perfectibile, recipiens, & receptum non requiritur similitudo in natura, sed proportio tantum, quæ potius disconvenientiam eorum postulat in natura, unde fallum est cum præcisione simile appetere simile, nisi similitudo large sumatur, ut etiam proportionem significat inter aliqua duo; nec materia in ratione potentia, & forma in ratione actus dicuntur proprie contraria, quia stant simul, sed potius physice primo diversa, vel relative opposita; nec confert illa corporeitatis forma ad generationem aliarum, cum sola materia sufficiat ad hoc; quamvis enim rudis sit, & imperfecta, adest tamen efficiens causa, in cujus virtute continetur: unde forma suam perfectionem principaliter trahere dicitur, juxta illud Averr. 8. Met. 15. Agens largitur perfectionem.

Tertio demum obijciunt cum Zab. quod omnis ratio generica sumi debet ex aliqua parte speciei, ut sumitur animal ab anima, sensitivum a sensu, sed ratio generica corporis non potest sumi a forma, aliave parte, sed tantum a materia, ergo materia est corpus. Respondetur, majorem non esse veram universaliter, non enim oportet, semper genus sumi ex determinata parte speciei, a qua non sumitur differentia, ut docuimus in Log. d. 5. qu. 3. ar. 2. ex Scoto in 1. d. 3. q. 3. O. imo multoties ab eadem natura, & forma simplici secundum diversas realitates sumitur ratio generis, & differentia, ut patet in accidentibus, minor etiam est falsa, tum quia forma materialis est substantia corporea veluti materia, & ideo etiam ab ea desumi potest ratio corporis, sicut una cum materia dat esse corporeum composito: tum quia in rebus compositis etiam ratio generis abstrahitur a toto per modum totius, & non ab aliqua parte; & tandem nec recte infertur, materiam esse corpus, quod sit genus generalissimum, quia quando etiam a sola materia sumeretur ratio generica corporis, hic conceptus abstractus, & se habens per modum totius; deberet poni genus, & non materia, quæ habet rationem partis, sicut in exemplo ipsius Zab. animal ponitur genus, & non anima, a qua secundum ipsum sumitur ratio animalis: alias rationes ad id congerit Zab. loc. cit. quæ non probant, nisi gradum corporeitatis in materia essentialiter distinguuntur res corporeas ab incorporeis, non vero gradum corporeitatis directe positum in prædicamento.

23 Ex his omnibus colligere possumus, quid sit materia prima, & exploratam habere ejus quidditatem, & essentiam, quantum nobis licet pro statu isto, & ipsam considerando in secunda notione, per ordinem scilicet ad formam, & transmutationem, quarum est subiectum, & ad compositum, cujus est pars essentialis; non enim pro statu isto est a nobis alio modo cognoscibilis, ut notat Doctor in 2. d. 12. q. 1. in fine: *Est igitur substantia quadam imperfecta, & incompleta, subiectum primum omnium formarum & transmutationum, & pars essentialis compositi substantialis per modum per se potentia; dicitur substantia imperfecta, & incompleta, non tantum ad differentiam corporis, & totius compositi, quia sic etiam forma dicitur substantia imperfecta, & incompleta, sed etiam ad differentiam formæ, a qua petit substantialiter perfici, & absolute, quia etiam in materia gradu suo potest dici perfecta, sicut latro in genere suo dicitur bonus latro, quatenus in latrocinando est diligens, & cautus, quo pacto perfectum definitur ab Arif. 5. Met. 16. cui nihil deest in genere suo, at vere materia ita se habet, quia nihil sibi deest eorum, quæ ad ejus essentiam, & integritatem spectant: dicitur subiectum receptivum formæ, & transmutationis ad differentiam formæ, quæ est actus, non subiectum, & terminus transmutationis, non subiectum; dicitur demum pars essentialis compositi ad diff.*

differentiam partis integralis, sine qua compositi essentia consistere potest, ut homo sine brachio, & per modum per se potentie, ad differentiam formae, quae est pars per modum per se actus. Hoc totum significavit Philosophus 1. Phys. 82. dum materiam definiti in secunda notione per ordinem ad formam, & transmutationem, sic loquitur. *Materia est subiectum primum uniuscuiusque, ex quo fit aliquid, cum insit non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimum.* Dicitur primum subiectum omnium formarum, & transmutationem ad differentiam compositi, quod est subiectum omnium formarum accidentantium, ac etiam transmutationum; & quandoque etiam substantialium, si est compositum incompletum formae nobiliori essentialiter subordinatum, sed non primum; dicitur ex quo fit aliquid, ut ostendat esse principium in fieri, addit cum insit ut infinet esse principium, nedum in fieri, ut est privatio, sed etiam in facto esse, quia remanet in composito; ait non secundum accidens ad differentiam subiecti accidentis, ex quo non fit unum per se, sed per accidens; concludit denique, & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimum, cum ad differentiam formae, quae in corruptione definit; tum ut ostendat, esse subiectum non tantum in generatione, sed etiam in corruptione; tum denique, ut significet, quod licet in aliquibus corruptionibus non immediate fiat resolutio usque ad materiam primam, ut in viventium interitu, denique tamen, quod remanet, postmodum resolvitur in eam, ut in subiectum ultimum.

A R T I C U L U S III.

De quidditate, & essentia Formae.

24 Cum ex dictis in primo articulo huius quaestiones habeamus, formam substantialem esse id, quo unaquaeque substantia composita in suo esse constituitur, ut essentialiter differat ab omni alia re, plane formam substantialem optime definitur, si cum Arist. dicamus 2. Phys. 28. *Forma est, quod quid erat esse rei, id est forma est id, quo res ex ipsa constituta intelligitur esse in certa, ac determinata specie rerum, nam per formam res sunt quid, & hoc aliquid; id est substantia perfecta, & incompleta ex secundo de Anima tex. 2. quare forma recte dicitur quodquid erat esse rei, id est quae dat rei essentiam, & quidditatem, saltem principaliori quodam, & eminentiori modo quam faciat materia, ut Scotus explicat in 3. d. 22. qu. un. ponitur autem in tempore praeterito verbum, quo exprimitur forma esse ratio quidditatis, ut intelligatur, formam pertinere ad conceptum essentiale rei, qui abstrahit ab ejus existentia, & est, antequam res existat extra causas, ut Doctor docet 1. d. 36. qu. un.*

Ut autem praedicta definitio substantialis formae melius percipiatur, notanda est differentia, quam ponit Doctor in 4. d. 11. qu. 3. Y. inter formam substantialem, & accidentalem; ubi postquam ens dividit in prius, & posterius naturaliter, vel primum, & secundum, illudque dixit esse substantiam, hoc vero accidens, inde colligit, formam; quae est actus, & perfectio, dividendam esse in actum primum, & secundarium; cum igitur materia, velut primum omnino subiectum omnium formarum omnes respiciat aliquo modo in ratione subiecti; tam substantiam, quam accidentales, hoc interest, quod formas prioris ordinis respicit, ut actus primarios, ac proinde essentialis, ac dantes esse simpliciter, formas vero posterioris ordinis, ut actus secundarios, ac proinde accidentales, & dantes esse secundum quid; quae enim rei adveniunt in esse secundario, accidentia dici consueverunt; unde ratio praecisa, cur forma substantialis est substantia, unum per se constituit cum materia, & differt ab accidentali, est, quia ipsa est actus primarius materiae, accidens vero secundarius; & modum hunc declarandi naturam formae substantialis amplexus est Averfa, postquam multos alios rejecit q. 20. sect. 5. quod etiam ibi declarat aptissimo exemplo ex compositione metaphysica deducto, in qua pariter praeter genus, quod se habet, ut materia, & potentiale quoddam; inventitur actus quidam, primario illi conjungitur, constituitque cum eo unum per se, & dicitur differentia; inventiuntur etiam quidam alii actus secundario advenientes, sicut sunt passiones: sola tamen ratio, quam genus primario respicit, & ad quam passiones consequuntur, essentialis differentia censetur; sic se habet forma substantialis in compositione physica; quare autem forma substantialis sit actus primarius materiae, ac proinde eam substantialem perficiens, & dans esse simpliciter rei, quam constituit, & faciens per se unum cum ea; accidens vero sit actus secundarius ejusdem, ac proinde dans esse tantum secundum quid, unumque per accidens natum constituit, inquit Doctor, a priori aliam rationem assignari non posse, nisi quia hoc est hoc, & illud est illud. Ex hac doctrina, & differentia posita a Doctore inter formam substantialem, & accidentalem, substantialis forma sic definitur potest, *Forma est actus primarius materiae, unum per se cum ea constituitur natum; per hoc, quod est actus, distinguitur a materia, quae est potentia, per hoc, quod est primarius, distinguitur ab accidentali forma, quae est actus secundarius, per hoc, quod unum per se cum ea constituit, distinguitur adhuc magis a forma accidentali, quae cum subiecto constituit unum per accidens.*

25 Sed in oppositum objicies. Primo, quia dantur aliquae formae substantiales, quae essentialiter ordinantur ad alias, ac proinde esse perfectum, & incompletum non tribuunt, sed incompletum potius, & quasi genericum, sic se habet forma mixta in viventibus in ordine ad animam, vegetativa in ordine ad sensitivam, & sensitiva in ordine ad intellectivam in opinione ponente tres animas in homine, ergo male explicata est ratio

formae substantialis, quod det esse completum, & specificum. Respondetur negando, esse de ratione formae substantialis in communi, ut ab accidentalibus distinguitur, quod constituit semper rem in esse perfecto, & ultimo, sed de ratione illius est, quod det constituto esse simpliciter, ut esse simpliciter distinguitur ab esse secundum quid, quod a forma accidentali tribuitur; talis enim est differentia, quam Doct. posuit 1. cit. inter formam substantialem, & accidentalem; quando vero dicitur forma, quod quid est rei, & rem constituit, & ab alia specificè distinguere; vel hoc intelligi debet de forma ultima, quae sola absolute est forma, & forma nuncupatur, formae enim intermediae, & subordinatae, quales sunt in argumento tactae, dicuntur potius materiae, ut Arist. docuit 4. Meteor. in fine, ubi ait, quod postrema forma, est absolute ratio, & actus, intermediae vero, ut materia, & alterius gratia; vel intelligi non debent in toto rigore, & absolute, sed comparative, & in ordine ad materiam, quam informant, nam facta tali comparatione, etiam formae intermediae dant esse specificum, & magis determinatum, quam tribuat materia ab ipsis informata, penitus communis, & indeterminata, & suo modo materiam perficiunt, & determinant, vide infra disp. 5. n. 61.

26 Secundo Si differentia posita inter formam substantialem, & accidentalem a Scoto posita valet, nimirum, quod illa sit actus primarius, hac secundarius materiae primae, sequitur, aliquam formam substantialem esse accidentalem, & aliquam accidentalem esse substantialem; si enim quantitas v. g. immediate recipitur in materia, & postmodum forma substantialis, tunc quantitas habet rationem formae substantialis, quia est actus primarius materiae, & anima, quia non primo advenit materiae, sed post formam mixtionis esset forma accidentalis, quia est actus secundarius.

Respondet Doctor loc. cit. sub lit. Y. & sub lit. D. quod non discernimus formam substantialem ab accidentali per hoc, quod substantialis est actus primarius, & dat esse primum materiae, & composito, quod constituit; accidentalis vero est actus secundarius, & dat esse secundum, non debet accipi prius, & posterius, ut praecise dicit ordinem introductionis formarum in materia, sed ut significet primum naturaliter, & secundum naturaliter; illud enim esse simpliciter, hoc vero secundum quid, quia esse simpliciter praecedit naturaliter esse secundum quid; quamvis igitur quantitas primo adveniens materiae dat primum esse formale in primo sensu, non tamen in secundo, & quia cuicumque, & quodcumque adveniat, semper tribuit esse secundum quid, & e contra, quamvis forma substantialis adveniat materiae secundo, & tertio, semper daret esse primum in hoc secundo sensu, esse nimirum simpliciter.

Tertio, etiam materia dat esse determinatum composito, ergo non tantum forma. Probatur assumptum, quia cum materia sit ex se existens, est individua, atque ideo habet determinatam speciem in genere substantiae; Nec valet dicere, materiam esse speciem incompletam, nam etiam forma est incompleta, potest ergo dici utraque compleri per alteram ad componendum totum. Respondetur negando assumptum in sensu, quo assumitur, nam licet materia sit substantia individua, & species incompleta, sicut forma quoque, habent tamen diversum esse, quia materia nullam habet in se speciem praedicamentalem, nec illam dare potest, & ratio hujus est, quia determinata illa essentia, quam habet, cuicumque speciei praedicamentali communis est, cum omnium specierum compositionem ingrediatur, qua ratione appellari solet genus physicum sumpta similitudine ex genere metaphysico, at vero forma non solum hanc determinationem habet, sed est determinata etiam quoad speciem praedicamentalem, quia nulla forma potest duas species constituit.

Querunt hic Recentiores nonnulli, praesertim Arriag. disp. 1. Phys. sect. 3. quare potius materia prima sit potentia passiva, sive subiectum formae, quam e contrario; & hoc proponit, tamquam difficultimum quæsitum, & postquam plures in hoc rejecit dicendi modos, respondet tandem ipse n. 23. materiam esse potius subiectum, quam formam, quia ita inter se uniuertur, ut illa antecedit, hac ei superveniat. Hac tamen solutio etiam in eius principiis subsistere nequit: inferius enim d. 5. n. 37. negat ex eo bene deduci quantitatem esse aliorum accidentium subiectum, quia illa praecedit, nam etiam primus gradus intentionis (inquit ipse) praecedit secundum, & tamen illum non recipit; item primae qualitates praecedunt secundas, quas non recipiunt. Vera igitur, ac germana ratio, cur materia sit subiectum formae, non e contra, est, quam docet Ar. 1. Phys. quia nimirum forma accedit, & recedit, & materia semper permanet sub utroque termino mutationis, quae est vera methodus investigandi subiectum formarum, vide infra disp. 3. n. 37.

Q U A E S T I O II.

Num tam materia, quam forma per se habeant propriam existentiam, & substantiam partialem.

27 Via Thomistica melioris notae conveniunt cum Scotistis in significato actus entitativi, per quem aliud non intelligunt, quam ipsam rei existentiam, quam & supponunt ab essentia realiter distinctam, sicut materiae denegant proprium actum entitativum, ita etiam existentiam, imo intantum negant, materiam actum entitativum habere, quatenus afferunt, non habere propriam existentiam, sed existere per solam existentiam formae in genere causae formalis, eo modo, quo dicimus, subiectum extendi per extensionem quantitatis in ipso recepto in genere causae formalis, vel si habet distinctam existentiam ab existentia formae, afferunt, hanc adhuc dependere ab ipsa, met existentia formae, tamquam effectum formalem illius, addunt tamen,

men, hanc dependentiam materiae a forma in existendo non esse ab una forma determinate, sed ab aliqua vage, sicut quantitas in esse figurata dependet non ab hac, vel illa figura determinate, sed ab aliqua vage, nam sine omni figura nunquam esse potest; ita Thomistae omnes citati quaest. praecedenti. Scotistae omnes e contra ibidem citati constanter asserunt, quod sicut materia secundum, & independentem a forma, dependentia vera, & propria, quam vocant a priori, habet propriam entitatem essentiae in rerum natura, distinctam ab entitate formae realiter, ita habet propriam entitatem existentiae independentem a forma, quae sententia unanimi consensu a Recentiorum torrente recipitur, Suar. disp. 13. Met. sect. 4. Hurt. disp. 2. Phys. sect. 6. Av. q. 20. sect. 8. Arriag. disp. 2. Phys. sect. 5. Am. tr. 5. qu. 4. dub. 2. qui alios citant innumerum Auctores, & est etiam communis in schola Nominalium. Formae vero propriae quoque existentiam partialem negare visi sunt, tam Antiquiores illi Scholastici, qui eam non ponebant distinctam entitatem ab entitate materiae, sed solum ejus terminationem, quos citat Canon. 1. Phys. quaest. 9. quam Recentiores illi, qui ajunt, non tantum materiam, sed etiam formam existere, & subsistere ad solam existentiam, & substantiam compositi.

De substantia etiam utriusque, quamvis apud Veteres Scholasticos quaestio non reperitur in terminis agitata; inter Recentiores tamen maxima exorta est contentio, quandoquidem Vafq. 3. p. disp. 32. c. 4. mordicus tenet, nec materiam, nec formam propriam habere substantiam, cum hac sit sola totius, & compositi, cujus est subsistere, imo ait, repugnare in terminis, appellare substantiam partialem, & communicabilem, cum in suo conceptu includat totalitatem, & incommunicabilitatem, quae sententia videtur fuisse D. Th. p. q. 90. art. 2. & q. 45. art. 4. ubi ait, composito, & naturae complexae substantiam convenire, & hunc dicendi modum sequitur ex nostris R. Sghemma 1. Phys. digr. 5. q. 3. concl. 2. Alii Thomistae, ut formae concedunt propriam existentiam, ita & peculiarem substantiam partialem, at pariter negant materiam, cui solum communicari affirmant ab ipsa forma, ut dicebant de existentia. Alii e contra solum materiam asserunt habere propriam substantiam in composito, & formam, praesertim corruptibilitatem, minime, quia insit materiae ipsi, veluti subiecto, quod est omnino contra rationem subsistentiae. Ita Suarez disp. 43. Met. sect. 5. n. 14. Fonteca 5. Met. c. 8. q. 5. Ruvius tract. de materia q. 4. & tract. de forma qu. 4. Alii demum affirmant, tam materiam, quam formam per se habere suas proprias substantias partiales, ex quibus resultat substantia totalis, & completa compositi, ita Hurtad. disp. 2. Phys. sect. 7. Averf. qu. 20. sect. 9. Amic. tract. 5. qu. 5. & alii quampures.

A R T I C U L U S I.

Ostenditur, tam materiam, quam formam propriam existentiam partialem possidere.

28 Dicimus, tam materiam, quam formam suas existentias partiales, & incompletas habere, ex quibus adaequata, & incompleta compositi coalescit. Est Scoti 2. d. 12. q. 1. & 2. & quidem de forma nulla est nobis cum Thomistis controversia, & probari potest asserio nostra de utraque simul ex principio metaphysico in Schola Scotistarum frequentissimo, & a Recentioribus passim recepto contra Thomistas, quod existentia non distinguitur realiter ab essentia, nec est alia essentiae illi superaddita, sed ipsamet essentia posita in actu extra causas; hinc enim statim deducitur, quod cum materia, & forma habeant entitatem essentiae realiter distinctam, habebunt, etiam existentiam aliam, & aliam realiter, sed quia hoc principium fule probandum est in Metaphysica, nunc asserionem positam de materia, de qua est controversia, mediis Physicis probare intendimus, ne videamur sententiam pro nobis arripere ante litis decisionem.

Primo itaque probatur a Scot. loc. cit. ex Physicis muneribus, quae materia exercet, ad quae prorsus inepta foret, & inhabilis sine existentia; est enim subiectum mutationis, est receptaculum formarum, est causa materialis earum, est pars altera compositi substantialis, ergo habet propriam existentiam distinctam ab existentia formae, & independentem ab ea, dependentia propria, & a priori, antecedens patet, & consequentia probatur, quia nec mutatio fit, nisi in subiecto existente in rerum natura, & sub utroque termino manente, nec forma in subiecto recipitur, & sustentatur, nisi prius natura existente; nec compositum constituitur, nisi ex partibus prius natura existentibus; prius autem non accipit existentiam suam a posteriori; & prorsus incapibile est subiectum actuale formae ab eadem forma, quam sustentat, existentiam accipere; prorsus intelligibile est, materiam physicam exercere causalitatem erga formam, & non praesentelligi existentem, quia existentia est ratio, vel saltem conditio necessario praerequisita ad exercitium physicae causalitatis, ut omnes fassentur.

Respondet Thomista, materiam praexistere ante productionem formae, quae producitur, quia existit existentia alterius formae, quam amittit, & secundum illam priorem existentiam concurrere ad productionem novae formae. Sed contra. Causa in actu, & effectus in actu sunt simul tempore cum effectu causato; sed quando primo fit nova forma, non amplius existit prior in materia, tunc enim primo fit nova forma, quando primo non est forma praecedens; ergo materia non potest causare existentiam novae formae per existentiam prioris, alioquin quod non est actu, causaretur in actu. Et si crearetur a Deo materia simul tempore cum forma, pro-

ductio formae a Deo non esset creatio, sedeductio, quia fieret forma in materia, & dependenter ab ea, unde & materia physice concurreret ad illius formae existentiam, nec in tali casu dici posset concurrere per existentiam formae praecedentis, quia in tali casu supponitur, materiam nullam praehabuisse formam, sed hanc esse omnino primam, quae sibi datur a Deo.

Respondet, in instanti generationis existere per existentiam formae subsequenter. Contra. Forma succedens non potest tribuere existentiam materiae prius natura, quam informer, cum informatio sit medium, quo communicatur existentia, at informatio praerogit subiectum existens, quia est unio quaedam actualis formae ad subiectum, & unio praesupponit extrema existentia. Respondet, materiam prius natura existere in genere causae materialis, formam vero in genere causae formalis. Contra. In nullo genere causae potest effectus secundum esse reale causam suam praecedere, & repugnat dicere, materiam prius existere in genere causae materialis, formam in genere causae formalis, nam existentia, quam sibi priorem vindicat materiam in genere causae materialis, vel ei per se ipsam competit independentem a forma in quocumque genere, vel non; si primum, habemus intentum; si secundum, ergo existentia effectus erit in causa ratio causandi ipsum, vel conditio praerequisita in causa ad actualem ejus causationem, & eadem existentia formae a se ipsa dependebit, & ipsa seipsum in materia praecedet, & in seipso recipietur, quae implicat, quod egregie etiam tetigit Pater Lichetus in 2. d. 12. qu. 2. solvendo argumenta Cajetani.

Resp. Compl. qu. 5. quod quamvis causalitas efficientis praesupponat necessario existentiam in causa, quia actiones sunt existentium, & subsistentium, tamen causalitas materialis, & formalis hoc non exigit, sed satis est, si pro illo priori talis causa sit extra nihil essentiae, & in eadem instanti temporis una cum composito, & per illius existentiam existat, cujus ratio est, quia genus causae materialis praesertim est genus potentialitatis, & ideo nequit exerceri per existentiam, quae est ultima rei actualitas. Contra urgetur, tum quia non minus indiget existentia materia ad suam causalitatem exercendam, quam efficiens, cum sustentare debeat & actionem agentis, & formam, tum quia in illo priori, in quo materia secundum suum esse essentiae realis causat formam, & compositum, intelligitur esse extra causam efficientem quantum ad illud esse, ergo intelligitur existens, nam per esse existentiae nos aliud non intelligimus, quam esse essentiae extra causas positum, & prorsus negamus aliud quidpiam ad rationem existentis necessarium esse. Et cum ajunt genus causae materialis esse potentiale, ac proinde exerceri non posse per existentiam, quae est ultima actualitas rei; hoc parum juvat, tum quia illud dictum intelligitur de existentia ultima, & completa, quae est modus essentiae totalis, tum quia ipsamet actualis existentia materiae, licet habeat rationem actus respectu essentiae ejusdem, tamen respectu formae habet rationem potentiae subjectivae; tum tandem quia subiectum erga formas accidentales ex ipsoeductas utique genus causae materialis exercet, & adhuc ad talis causalitatis exercitium, quamvis sit potentialis, existentiam praerogit. Resp. ad hoc Jo: de S. Th. q. 3. Phys. art. 2. neg. paritatem, quia subiectum erga accidentia non est solum causa materialis recipiens, sicut est materia respectu formae, sed etiam sustentans, & illi esse communicans in suo genere, unde cum illa receptio non sit pure potentialis, sed sustentativa in esse, supponit in causa materiali existentiam; Contra, quia forma substantialis materialis non minus a materia dependet in suo esse, fieri, & conservari, quam accidentalis a subiecto, & materia, nedum eam recipere dicitur, sed etiam sustentare, & vere causare in genere materialis causae, ut infra patebit in hac disp. qu. 5. art. 4. & qu. 7. art. 2. & disp. 5. qu. 4. art. 1. neque differentia formae substantialis ab accidentali consistit in dependentia, vel independentia a subiecto, sed in eo, quod constituar totum per se, vel per accidens.

29 Secundo probatur ex alio munere physico ipsius, quod est manere sub utroque termino mutationis, quia de causa ponitur a Philosophis ingenerabilis, & incorruptibilis, at si propriam existentiam non habet, sed existit existentia formae, jam non erit ingenerabilis, & incorruptibilis; non eadem numero permanebit sub utroque mutationis termino, sed cum veteri forma veterem amittit existentiam, & cum nova novam acquirat, ex quo rursus sequitur; quod agens naturale eam crearet, & annihilaret in qualibet mutatione.

Respondet Thomista, materiam semper eandem numero essentiam retinere, & hac ratione eandem permanere sub utroque termino mutationis, & hac ratione non definire, vel incipere in mutatione, & ideo neque creari, aut annihilari ab agente naturali, quia creatio dicitur inceptionem totius esse, & annihilatio desitionem pariter totius esse rei, tam essentiae, quam causalitatis. Addunt alii, posse etiam dici permanentem sub utroque termino mutationis, etiam quoad esse existentiae, quia existentia ejus absque ulla interruptione conservatur per subsequentes formas eo modo, quo idem lumen productum ab uno agente luminoso conservatur successive ab alio, & alio simili agente absque interruptione; & hac de causa inquit, non generari, vel corrumpi quoad existentiam, nec creari, aut annihilari, quia creari est transire ex nihilo ad existentiam, materia autem cum supponatur existens per existentiam formae prioris, non transit ex nihilo ad existentiam, sed ex una existentia ad aliam; & eadem ratione non annihilatur, quia non definit in nihilum, ita Compl. q. 5. cit.

Sed contra, quia saltem regulariter non amittitur existentia sine essentia, nec acquiritur; & res quascumque ideo de novo genita dicitur, quia acquirit essentiam cum existentia, & dicitur corrupta, quia essentiam cum existentia amittit, ergo si materia in generatione vel corruptione compositi amittit, & acquirit existentiam aliam, & aliam, amittit consequenter, & acquirit aliam essentiam, sic enim generaliter fit rerum naturalium generatio, & corruptio; Accedit, quod dicere, materiam ita secundum essentiam permanere sub utroque termino, idem est, ac asserere, quod permaneat secundum existentiam, nam utriusque materia in tali statu non est nihil, sed aliquid in rerum natura extra suas causas positum, ergo in tali statu censetur existens independentiter a forma, quia talem permanentiam sub utroque termino habet ex sua natura, & non a forma, probatur consequentia, quia essentia rei in tali statu dicitur existens, quoniam qualibet essentia, dum actu est, non nisi per talem suam existentiam esse potest; id est non nisi per tale suum esse actuale, nec assignari potest, quid existentia addat supra essentiam, nisi hanc ejus actualitatem in rerum natura extra nihil. Unde si existentia ponit formaliter rem extra nihil, & in rerum natura, utique pereunte illa, redibit res in nihilum, ergo si amittit, & acquirit existentiam cum forma, jam incipit, & definit cum ea, tam secundum essentiam, quam existentiam.

30 Sed, & adhuc magis repugnat dicere, quod eadem permaneat secundum existentiam sub utroque termino ex continuo formarum successu; quomodo enim eandem numero existentiam retinebit, si variatur forma, cujus erat effectus? certe si est alia, & alia forma, in materia, erit etiam alia, & alia existentia de novo; neque exemplum illud luminis est ad propositum, ut hic adnotavit Averfa; quia lumen procedit a corpore luminoso in genere causae efficientis, & quia effectus in hoc genere habet esse realiter, ac entitative distinctum a causa efficiente, contingere potest, ut idem effectus conservetur a consimili causa; at effectus causae formalis non est, nisi ipsamet forma communicata subiecto, quare si forma destruitur, & a subiecto tollitur, idem numero effectus per novam succedentem conservari non potest. Neque eo, quia habuit existentiam sub priori forma, per hoc tollitur, quod non creetur, cum postea sub forma succedente novam acquirit existentiam; sicut enim si Deus creato aliquo homine, in aliquo instanti eum annihilaret, & immediate post eum reproduceret, talis nova productio adhuc esset vera creatio, quia parum ad hoc refert, quod prius habuerit esse, vel non habuerit; ita in proposito, si materia amittit existentiam priorem, & immediate post acquirit aliam, talis nova productio erit nova creatio, & si agens naturale formam in materia corrumperet, & consequenter existentiam, quam materiae communicabat, si Deus tunc suspenderet concursum suum ad novam formam introductionem, vere materia per actionem agentis naturalis annihilata maneret, quia amittit priorem existentiam, & non acquirit aliam. Nec sufficit ad hoc, ne generari dicatur, vel corrupti, quod absque interruptione semper existere dicatur per existentiam vel prioris formae, vel alterius immediate sequentis; nam ad hoc, ut res aliqua corrupti dicatur, sufficit dicere, quod suam amiserit existentiam; quod vero immediate post denuo reproducatur, & nullum fuerit tempus, vel instans medium, in quo existentia extiterit, parum refert, quia semper verum erit dicere, quod res amittit priorem existentiam, & hoc solum est de conceptu destructionis rei. Postremo, dum Aristoteles inquit, materiam, sub utroque termino permanere, utique non intellexit de materia, ut possibili in rerum natura, sed ut actualiter existente, & in hoc sensu etiam dicitur materia esse idem numero subiectum formarum diversarum successive, sed non maneret eadem numero, nisi aliquid esse extra causas sibi propriam, ac a terminis independentem, semper retineret.

31 Tertio principaliter. Eadem actione, qua producitur essentia rei, producitur & existentia ejusdem, & ab eodem agente, sed materia (inquit Doct. loc. cit.) est terminus creationis, forma vero materialis est terminus generationis, ergo existentia materiae est omnino diversa ab existentia formae, & a diverso agente, minor patet, prob. maior; Tum quia actio terminata ad essentiam producendam tendit ad eam constituendam extra causas, nec essentia rei potest concipi esse terminus actionis agentis, nisi posita extra causas, & existens; hoc enim est existere, id est extra causas sistere, ergo eadem actione, qua producitur rei essentia, producitur & existentia, & ab eodem agente; Tum quia cum ab agente essentia rei producitur in rerum natura, vel per eam extra causas constituitur, vel non; si primum, ergo constituitur per eam existens, si secundum, ergo non erit vera productio, nec re vera poterit dici producta in rerum natura, sed erit essentia solum possibilis producta; Tum tandem quia totum hoc fatetur Thomista in productione formae, & compositi, quod ab eodem agente, a quo habent essentiam, habent & existentiam, & per eandem actionem, ergo idem fieri tenentur de materia.

Respondent, veram esse majorem, ubi essentia existit propria existentia, ut est de forma, & compositi, non ubi existit existentia aliena, ut est essentia materiae; tunc enim eadem actione producitur essentia rei, & ejus unio cum existentia aliena, cujus auxilio existere dicatur; quod explicat exemplo humanitatis Christi in Verbo, non habentis existentiam propriam, unde non existentia, sed essentia humanitatis cum unione ad divinam existentiam fuit terminus productionis illius. Sed contra; Tum quia unio praesupponit existentiam exterrorum, &

praesertim in proposito, cum non sit, nisi informatio, debet utrumque extremum prius natura existens praesupponere, nam nec forma possibilis solum actu informare potest, nec subiectum in esse possibile est idoneum actu informari; Tum quia actus secundus praesupponit ex natura sua primum, informatio autem passiva ex parte materiae, & activa ex parte formae habet rationem actus secundi; Tum quia reddit in integrum prior difficultas, quia essentia materiae producta in rerum natura, praecisa ista unione ad formam, est ens simpliciter in actu, extra causas existens ex vi illius productionis, & non ex vi unionis, quia unio non facit rem existentem, sed tantum facit unitam, ut patet de unione animae ad corpus, quae non facit animam, nec eam reddit existentem, sed tantum corpori unitam; Tum tandem quia falsum quoque est, humanitatem Christi non habere in Verbo propriam existentiam, ut Doct. ostendit 3. dist. 6. qu. 1.

32 In contrarium plura obijciunt Thomista: Primo auctoritates, tum Patrum, tum Philosophorum, qui docuerunt, esse & existere a forma derivare; sic ab Aristotele forma dicitur, quae dat esse rei 2. de Anim. 36. 2. Phys. tex. 12. 1. de Gen. 22. & 5. Met. tex. 15. & D. Dionysius de divinis nominibus cap. 3. existere substantialiter vocat perfectissimum effectum, significans per hoc, esse effectum formalem formae, & non materiae, quia tunc effectus esset nobilior causa; immo Conimbr. testantur, commune esse axioma inter Peripateticos, quod existentia est ultima actualitas omnis formae; & plane, nisi existentiam materiae ponamus effectum formae, non erit amplius causa materiae, quia non daret illi essentiam, neque existentiam; quare cum materia sit prior forma secundum essentiam, si est ab ea independentem etiam quoad existentiam, quid impedit, quod naturaliter etiam materia esse possit sine forma? Resp. Patres, & Philosophos loqui, non de esse, & existere entitativo, & transcendenti, quod est commune omnibus rebus, ut entia sunt, sed de esse specifico, & completo in determinata specie praedicamentali, & in hoc sensu vocat D. Dionysius existere substantialiter effectum perfectissimum; quod si loquatur de existere entitativo, ac transcendenti, vocat illud effectum nobilissimum, quatenus inter omnia attributa essentiae rei convenientia, hoc videtur praestantius, quia existentia est ultima actualitas ejus, & existentia rei proprie dici nequit, nec effectus essentiae, nec nobilior ea, quia ab ea nec realiter, nec formaliter distinguitur, sed tantum ut modus intrinsecus, unde dicitur perfectior essentia solum in hoc sensu, quod ubi essentia ex vi vocabuli non significat rem extra causas, sed in causis, & in esse possibili, existentia significat eam extra causas, & in rerum natura; quare existentia solum habet rationem effectus respectu agentis, essentiam rei in rerum natura producens; axioma vero illud, quod existentia est ultima actualitas formae, pariter intelligi debet de existentia completa, & in determinata specie, & quoad hoc esse specificum, & determinatum, utriusque forma est causa materiae, & in hoc esse, quod est sibi extrinsecum, & adventitium, pendet a forma; non tamen in sua essentia, & intrinseca existentia; nec ex hoc sequitur, materiam naturaliter posse sine forma existere, quia nec quantitas est causa compositi, & tamen compositum nequit sine quantitate naturaliter existere, nec figura est causa quantitatis, & tamen quantitas nequit esse sine figura; unde ex hoc inferitur tantum, quod materia pendet a forma dependentia impropria, quam vocant a posteriori, & potius est coexistentia, veluti scilicet a conditione necessaria, ut naturaliter esse nequeat sine illa sensu infra, explicando.

33 Secundo. Si materia existeret, aut existeret per se ipsam, & ex se, aut cum alio scilicet cum forma; si cum alio, ergo non existit proprio actu, sed actu alterius; si ex se, ergo erit individua, vel individuata, quia omne, quod est, ideo est, quia unum numero est: si est individuum, ergo adhuc a forma habebit suum esse, quia individuum ponitur in praedicamento, & omne tale esse habetur a forma: si est individuum, vel hoc erit per formam, vel compositum, & ita semper sequitur, quod ex se existentiam non habeat. Respondetur, materiam existere cum alio, seu coexistere, non tamen existentia alterius, sed propria, & quando cum ista forma coexistit in composito, est uti individua, nec tamen per formam, vel compositum, sed per suam propriam haccitatem, ut ait Doct. 2. dist. 3. qu. 6. dici etiam potest individuum, incompletum tamen, & partiale, ac proinde non in praedicamento directe reponibile, in quo reponitur solum individua completa juxta constructionem praedicamenti a Philosopho factam.

Sed urges. Quod est individuum substantiale, habet esse in certa, ac determinata specie rerum, non enim esse potest aliquid individuum, quod in aliqua specie constitutum non sit; sed materia non est in determinata, ac certa specie rerum, ergo non est individuum substantiale. Respondetur, eo modo aliquid esse in certa, & determinata specie rerum, quo est ens, unde ens completum, & perfectum est in certa, ac determinata specie rerum completa; cum igitur materia sit ens incompletum, erit utique in certa, ac determinata specie entis, sed entis incompleti. Adverte hoc argumento non minus probari materiam carere etiam essentia, quia ratione essentiae debet poni in aliqua specie, immo res constituntur in generibus, & speciebus per suas essentias, & non per existentiam.

34 Tertio. Si materia habet propriam, & determinatam existentiam, nil remanet, per quod distinguatur a forma, nam utraque est ens substantiale, & incompletum ordinatum ad constitutionem essentialem compositi substantialis; utraque in suo genere haberet ultimum actum existentiae propriae, atque

atque ideo esset determinata specie. Si dicatur ex eo distinguui, quia materia est perfectibilis, forma perfectiva; Contra est, quia cum utraque sit ens incompletum, videntur se invicem mutuo perficere, & complere, ut notat Scot. 2. d. 14. q. 1. in fine, unde non videtur ratio, cur potius haec sit perfectiva, & perfectibilis illa. Si dicatur, rationem esse, quia eadem numero materia cum variis formis variis constituit rerum species praedicamentales, at forma unam speciem tantum constituit, ideo forma dicitur per se determinans materiam ad certam speciem, materia vero dicitur principium ex se indeterminatum, & per formam determinabile; Contra est, quia materia caelestis non est principium, nisi unius speciei, veluti forma caelestis, ergo ex hoc capite non bene distinguuntur, nec bene una constituitur perfectibilis & alia perfectiva, ergo remanet, quod ex eo distinguuntur, quod materia est ens. ex se ita indeterminatum, ut nullam ex se habeat indeterminatam existentiam, sed determinetur, participando modo hanc, modo illam ex varietate formarum.

Respondetur negando consequentiam, quoniam esto materia etiam sit secundum se determinata specie incompletae, sicut forma, tamen est indeterminata quoad speciem sacramentalem, quia secundum se est positive indifferens ad constituendam hanc, vel illam speciem, at forma non solum est determinata quoad speciem incompletam, sed etiam quoad completam constituendam, quia cum materia non nisi determinatam speciem praedicamentalem constituere potest; & hac ratione materia dicitur principium indeterminatum, & perfectibile, forma principium determinatum, & perfectivum, & cum arguitur de materia caelestis, quae determinata videtur uno, & altero modo; dicimus, ex hoc potius colligi debere, in sententia Philosophi non esse admittendam in corporibus caelestibus materiam, & secundum veritatem illam, ex qua constat, esse ejusdem rationis cum materia horum sublunarium, & proinde indifferenter habere ad constituendam aliam, & aliam speciem.

Sed urges, hinc sequi, materiam esse perfectiorem forma, quia eo causa est perfectior, quo potest ad plures effectus concurrere; forma vero limitata est ad unam speciem constituendam. Resp. negando consequentiam, & propositio assumpta pro ejus probatione vera est, quando causa concurrat ad plures effectus, praebendo plures perfectiones; quod si omnibus, & singulis praebet unam, & eandem perfectionem, ut in proposito est de materia, ejus illimitatio non arguit majorem perfectionem in causa, quam si ad unum dumtaxat concurreret effectum. Accedit, quod illimitatio ad plures effectus duplex est ex Doct. 1. d. 28. q. 3. sub H. activa, & passiva, illimitatio activa ad plures effectus arguere potest majorem perfectionem in causa, quo plures sunt effectus, ad quos concurrat; at non illimitatio passiva, qualis est illa, per quam materia apta est plures species constituere.

35 Postremo obijciunt Complut. cit. quia si materia propria haberet existentiam partialem, tunc darentur plures existentiae partiales in composito, quarum una esset potentialis ad aliam, nimirum existentia materiae ad existentiam formae, sicut essentia ejus est potentialis ad essentiam ipsius, sed hoc manifeste implicat, ergo, &c. probat. min. Tum quia existentia est ultima actualitas rei, nam eo ipso, quod intelligitur res existens, intelligitur etiam ultimo terminata, & completa generatio substantialis illius. Tum quia repugnat inveniri in aliquo rationem differentialem, seu ultimam, quae sit ignobilior ratione superiori ejusdem ex 8. Met. 10. nam ratio inferior comparatur per modum actus respectu superioris, ergo existentia propria repugnat materiae, nam haec foret potentialis, & per potentialitatem, tamquam per conceptum ultimum constitueretur propria materiae. Tam etiam, quia existentia est terminus naturae, ergo nequit physice esse composita, ac proinde nec dari possunt existentiae partiales, pro prima consequ. nam de ratione termini est carere ea divisibilitate, & compositione, quam habet res terminata, sicut linea caret divisibilitate secundum latitudinem, quam terminat, ergo quod est terminus naturae compositae, non erit divisibile in partes physicas per modum actus, & potentiae se habentes. Tum denique quia causalitates exercentur, nec ad ultimum sui exercitium devenerunt, nunquam intelligitur effectus existens, quia nondum adhuc est extra causas in facto esse, sed tantum in fieri; at quousque causae attingant totum, causalitates eorum semper sunt in exerceri, nec ad ultimum sui exercitium devenerunt, ergo antecedenter ad totum nulla praetelligitur existentia etiam partialis.

Resp. neg. min. nam saltem in homine debent admitti existentiam partialem animae; ad 1. prob. dicimus valere de existentia totali, & completa, quae est solius compositi. Ad 2. prob. concessio antecedente neg. consequ. quia potentialitas subiectiva non est differentia essentialis materiam constituit, & quando foret, tunc dici deberet, quod esto sit ignobilior actu formali, non tamen actu entitativo. Ad 3. probet negari antecedens, & consequentia, quia substantia non existentia est ultimus terminus naturae; sed sive haec ponatur, sive illa, repugnat praesertim in Complut. opinione, compositum habere unam simplicem existentiam, & divisibilem, nam secundum ipsos compositum non est tertia entitas ex unione partium resultans, in qua immediate recipiatur haec existentia simplex, ergo pariter sicut entitas totius non est, nisi entitas suarum partium unitarum, ita existentia totius non erit nisi existentia illarum, seu existentiae partiales ambarum unitarum; & praesertim in homine difficultas esset, an talis existentia simplex totius foret spiritalis, vel corporea, nam si primum dicatur, non posset afficere corpus; si secundum, non posset afficere animam; & denique haec

simplex existentia totius non posset recipi in una parte tantum, quia cum sit modus, debet ipsum afficere quoad utramque partem; non in utraque simul, quia non potest idem indivisus modus res distinctas afficere, & esse in duobus subiectis realiter distinctis, nec in tertia entitate, quia haec non datur secundum illos, paritas autem illa deducta ex indivisibilibus quantitatibus non currit quatuor pedibus. Ad 4. prob. concludit solum de existentia totali, & completa, haec enim utique non habetur, nisi quousque causae ad ultimum exercitium sui devenerint; at sicut partes sunt priores toto, ita etiam supponuntur ex natura rei causalitates partiales ad existentiam partialem earum terminata.

ARTICULUS II.

Ostenditur, quomodo materia, & forma praecipiam habeant substantiam partialem.

36 Nota haec controversia inter Recentiores est quaestio de nomine, quid nimirum sonet, quid significet hoc nomen substantiae; contendit Valsq. loc. cit. de ratione substantiae esse, ut rem, quae dicitur subsistere, ita constituat per se existentem, ut sit independentem ab alio, tamquam a subiecto, & communicabilem alteri, non solum per modum naturae respectu alterius suppositi, sed etiam per modum partis respectu totius, aut alterius partis, & ideo inquit, substantiam esse solius naturae totalis, & integram, & converti cum suppositalitate. Huert. & Averfa loc. cit. inquit, magis patere nomen substantiae, quam suppositalitate, & modum substantiae non dare suae naturae, cujus est ultimus terminus, complementum, quod independentem existat a subiecto; nec eam reddere incommunicabilem per modum partis respectu totius, aut alterius partis, sed solum per modum naturae respectu alterius suppositi; & quia tam materia, quam forma, etiam dum actu compositum constituunt, sunt hoc modo incommunicabiles alteri supposito per talem suum modum, ideo etiam in tali statu dici debent subsistentes, quia hic modus non opponitur cum unione partium adinvicem, nec cum communicatione partium ad totum, sed tantum cum modo unionis hypostatice ad alienum suppositum: pro decisione quaeritur.

37 Notandum est ex Scot. quod 9. sub A. nomen substantiae tripliciter sumi posse, & solere, communissime, communiter, & proprie, primo modo subsistere idem sonat, quod per se esse, & non in alio ad modum accidentis, in quo sensu subsistere convenit omni substantiae, tam completae, quam incompletae, & quod talis modus per se efficiendi possit appellari nomine substantiae, ex eo constat, quod per subsistere dicitur substantia ab accidente differre; & D. Athanasius in disp. habita contra Arium in Concil. Niceno, substantiam, pro ut ab accidente distinguatur, definit esse illam rem, unde aliquid habet, ut subsistat. Secundo modo dicitur subsistere illud ens, quod per se existit independentem ab alio, velut a subiecto, & sustentante, quo pacto formae materiales substantia carent, & quod etiam hic modus per se existendi possit appellari nomine substantiae, docet communis usus sapientum, qui ob talem existentiam modum, animam rationalem appellant subsistentem. Tertio tandem modo, & magis proprio, illud dicitur subsistere, quod ita est per se existens ut habeat ultimam actualitatem, ita quod per se ordinabile non sit ad aliquem actum simpliciter ultra istum quem habet, nec alteri esse possit ratio efficiendi, sed omnino incommunicabile sit, ut quo, & ut quod, ut loquitur idem Doct. 1. d. 2. q. 7. & istud solum dicitur proprie subsistere, inquit Doct. & convertitur cum supposito, & solum primae substantiae convenit, quod ideo dixit Doct. non quia non admittat ut veros, & rationabiles primam, & secundum modum subsistendi, quia illos, & agnoscat loc. cit. & quod 4. M. & quod 5. V. quibus in locis Divinum Naturam appellat subsistentem ob independentiam a subiecto, etiam si communicabilis sit supposito; sed ut ostenderet, proprium, & rigorosum modum substantiae esse hunc tertium; ex quo patet nomen substantiae multas habere acceptiones veras, & rationabiles, si tamen in toto rigore sumatur, excludere quaecumque communicabilitatem, tam respectu subiecti, quam totius, & suppositi.

38 Dicendum igitur est, materiam, & formam habere propriam substantiam in primo sensu; in secundo sensu materiam quoque subsistere, non autem formam, anima rationali excepta; in tertio demum sensu, nec materiam, nec formam subsistere. Conclusio colligitur ex Scot. loc. cit. & probatur ex dictis, quia enim tam materia, quam forma vere sunt substantiae, ideo dicuntur subsistere, ut substantia distinguitur ab inhaerentia, & substantiam a toto genere fecerit ab accidente. Et quia materia a nullo dependet subiecto, & sustentante, imo potius est subiectum primum, a quo omnes formae materiales dependent, velut a sustentante, hinc est, quod materia gaudet substantia in secundo sensu, quatenus excludit dependentiam ab alio, velut a sustentante subiecto, non autem forma. Quia tandem non sunt partes incommunicabiles, sed venire possunt in compositionem tertii, cui etiam sunt rationes efficiendi, ideo non dicuntur in tertio sensu subsistere, quia sensus ille omnem prorsus excludit communicabilitatem, tam respectu subiecti per modum formae inhaerentis, quam respectu totius per modum partis constituentis, quam respectu suppositi alieni per modum naturae; & hanc conclusionem quasi in terminis tradidit Trombet nofer in initio Formalitarum, & Bassolius in 2. d. 12. q. 1. ar. 3. ad 3.

Sed in oppositum obijciunt primo pro Valsq. quod substantia est solius naturae completae, & totalis, ponitur enim ad constituendum suppositum, & subsistere est incommunicabiliter existere,

stere, at materia, & forma sunt maxime communicabiles, & actu communicantur, dum sunt in toto. Nec respondere valet (inquit Sghemma loc. cit.) hæc esse vera de substantia completa, & totali, non incompleta, & partiali, quia implicat, substantiam esse partialem, & divisibilem, incommunicabilitatem enim est de ratione substantiæ. Respondetur, non repugnare substantiam parti, quia substantia magis patet, quam suppositalitas, nec de ratione substantiæ absolute sumptæ esse incommunicabilitatem, sed tantum de ratione substantiæ rigorose inspectæ, in quo sensu cum suppositalitate convertitur, & Scotum hos omnes modos accipiendi substantiam agnovisse, ostendimus supra.

Secundo objicies pro alia opposita sententia, quod utraque proprie subsistat, quia modus substantiæ non habet ex vi sua redderem, quam afficit, incommunicabilem respectu subjecti inhesionis per modum formæ, aut respectu compositi per modum partis, sed tantum respectu alterius suppositi per modum naturæ; at materia, & forma, etiam quando sunt in composito, talem habent incommunicabilitatem per modum substantiæ, ergo proprie subsistunt: minor patet, probatur major, quia modus substantiæ nec opponitur cum unione ipsius formæ ad materiam, nec cum communicatione, aut communicabilitate partium respectu totius, sed tantum cum modo unionis hypostaticæ ad alterum suppositum per modum naturæ. Respondetur negando majorem, quia substantia in rigore accepta omnem prorsus excludit communicationem, & communicabilitatem; sic enim convertitur cum suppositalitate, quæ reddit individuum substantiale incommunicabile, ut quo, & ut quod, tam per modum partis respectu compositi, quam per modum naturæ respectu suppositi.

39 Tertio objicies, quod si substantia communiter dicta tribuitur materiæ, etiam debet tribui formæ, quæ longe perfectior est illa, substantia enim in eo sensu dicitur perfectionem in re ita substantiæ, quia in ea negat dependentiam a subiecto, ut sustentante; & si formæ denegetur, materia erit perfectior forma. Respondetur negando paritatem, quia ad tale munus instituta est materia in rerum natura, quod prorsus indigebat tali substantiæ, creata enim est, ut sit primum, & perpetuum subiectum omnium formarum, & transmutationum, ad quod munus non est instituta forma, & ideo non valet dicere, si materiæ tribuitur, ergo etiam formæ tribui debet. Nec sequitur ex hoc, materiam futuram esse perfectiorem ipsa forma, quia, ut docet Sc. 1. d. 8. q. 1. ad primum, quando sunt duæ naturæ, habentes peculiare, & diversas perfectiones, illa nobilior censeri debet, cui convenit perfectio aliam excelsa a toto genere, quod ibi explicat exemplo simplicitatis materiæ, & actualitatis compositi, & ex eo, quod actualitas a toto genere supereminet simplicitati, infert compositum esse perfectius materia, licet non sit simplex, ut illa; sic in proposito actualitas, quæ convenit formæ, supereminet a toto genere substantiæ, quæ convenit materiæ, quia hæc substantia stat cum potentialitate, imò ad hoc tribuitur materiæ, ut sit idoneum subiectum cujuscumque formæ materialis, quia ratione dixit Ruvinus loc. cit. hanc substantiam non fuisse inditam materiæ a natura propter perfectionem, sed potius imperfectiorem importare in ipsa materia, quatenus per eam constituitur subiectum primum omnium formarum, & transmutationum; & hæc breviter dicta sufficiant pro præsentis articulo, quia longius agere de substantia differendum est usque ad Metaphysicam.

QUESTIO III.

Num materia, & forma naturaliter, vel saltem supernaturaliter possint separari, & separata conservari, & quo pacto id fieri.

40 **N**on posse naturaliter materiam sine forma existere, nec formam materialem (de hac enim loquimur) sine materia, concedunt omnes, sed quamvis inseparabilitatem formæ a materia omnes oriri dicant ab extrinseca, & essentiali dependentia, quam habet ab ea in suo esse fieri, & conservari, tamen inseparabilitatem materiæ a forma non omnes ex eodem capite deducunt. Thomistæ questione præcedenti citati, ex eo oriri dicunt, quia materia ex se existentiam non habet, sed a forma in genere causæ formalis, vel saltem in sua existentia dependet a forma ut a conditione sine qua non, prævia tamen, eo quod materia non est capax existentie naturaliter, nisi prius sit conjuncta cum forma. Alii inquirunt, quod licet materia ex se suam habeat existentiam, eam tamen retinet dependenter a forma, tamquam a conditione sine qua non, non prævia, sed consequente, & concomitante, eo modo, quo natura pendet a substantia, anima a suis potentiis, & universaliter substantia ab accidentibus, sine quibus naturaliter conservari non potest, quæ dici solet dependentia a posteriori, & melius dicitur naturalis coexistentia, & indigentia ex naturali constitutione rei derivans, ita Suar. disp. 13. Met. sect. 4. & disp. 15. sect. 8. unde infert, materiæ sine forma naturaliter non deberi conservatiorem, sed ad formæ ablationem, ex natura rei materiam interituram. Alii demum negant dependentiam materiæ a forma; etiam in hoc sensu, unde hæc necessarium naturalem connexionem materiæ cum forma potius suspicantur ex conditione naturæ universalis, quam particularis, ipsius materiæ, hoc est, ex conditione, & ordine universi, quod ab Auctore naturæ ita institutum est, ut agens naturale semper generationem per se

intendat, corruptionem vero per accidens, ex quo fit, materiam virtute agentis naturalis non posse una forma exoliari, quin aliam recipiat, ita quamplures ex nostris, P. Vulpes t. 2. p. 2. disp. 32. art. 4. n. 6. & Fuentes 1. Phys. q. 2. diff. 4. art. 1. & sequitur Averfa q. 20. sect. 10.

Supernaturaliter vero, & per absolutam Dei potentiam, quæ ita dicitur, quia a legibus jam præfixis in universo absolvitur, ut ait Doctor 1. dist. 44. q. un. tenet ipse, & cum eo Scotistæ omnes 2. d. 12. q. 2. & Recentiores passim 1. Phys. imò & aliqui ex ipsamet Dominicana familia, Soto 1. Phys. q. 6. art. 2. concl. 2. & Bannes 1. p. qu. 66. art. 1. dub. 2. materiam posse esse sine omni forma substantiali, & contra. Oppositum vero asserunt, non solum ceteri Thomistæ communiter, sed etiam aliqui, nobiscum tribuentes materiæ propriam existentiam, ita Vallæ. contrav. 7. Physicæ, & probabile putat Averfa loc. cit. concl.

Quo autem pacto materia separata a forma conservaretur, vel forma separata a materia, varia etiam sunt Auctorum placita, an scilicet id fieret per novum perfectitatis modum, eis in tali statu communicatum, vel saltem per specialem concursum a priori diversum, quo simul conservabantur. Qui materiæ denegant substantiam propriam partialem, non solum inquirunt, necessarium esse novum influxum, sed etiam novum perfectitatis modum, quo separata a forma conservetur, & ita etiam loquuntur de forma. Qui vero utrique propriam decernunt substantiam, non adhuc eodem modo loquuntur, quamvis enim pro materiæ conservatione omnes in hoc convenient, non esse necessarium novum perfectitatis modum; aliqui tamen dicunt materiam indigere speciali concursu, quo tunc tametur concomitantia formæ, ita Suar. l. c. in Met. & to. 3. p. 3. disp. 50. sect. 4. & Ruvinus 1. Phys. q. 5. dubio collateralis, & Conimb. 1. Phys. c. 9. q. 6. art. 3. Negant alii necessitatem specialis concursus, ut Hurt. & Averfa loc. cit. Fuentes 1. Phys. q. 2. diff. 4. ar. 5. cum Scoto in 2. dist. 12. q. 2. prope finem. De forma vero loquentes præcitat Auctores, videntur utriusque necessitatem asserere; scilicet, & novi perfectitatis modi, & novi concursus propter dependentiam a priori, quam habet forma ad materiam; e contra Scotus negat utrumque, tura loc. cit. tum 4. dist. 12. q. 1. verum est, relatos Auctores, cum pro conservatione formæ separata modum novum perfectitatis postulant, præsertim loqui de forma accidentali, sed cum forma substantialis materialis non minus indigeat sustentante subiecto (licet ex alio capite dici possit subsistere, ut q. præc. art. 2. explicatum est) quam accidentalis, ideo uniformiter loqui quoad hoc de hac, & illa tenetur.

ARTICULUS I.

Insinuat ratio, cur materia, & forma nequeant naturaliter separata existere.

41 **D**icimus experientia ipsa constare secundum communem naturæ cursum, nec materiam posse absque omni forma existere, nec formam absque materiæ fulcimento, nec alia egere probatione. Ratio, cur forma materialis sine materia nequeat naturaliter existere, est ejus essentialis dependentia a materia, a qua, tanquam a causa materiali, dependet a priori; materia enim est vere causa materialis ipsius formæ, ut pote, quæ ab ejus potentia educitur, ut magis in progressu patebit, & ideo ad ablationem materiæ, debet naturaliter forma quoque desinere, quia ex ejus innata conditione, ei non debetur a Deo conservatio, nisi in materia, quod si aliter conservetur, est prorsus præter ejus naturam, ut dicimus de accidentibus Eucharisticæ, & in hoc nulla est controversia. Ratio a tem, cur materia nequeat naturaliter sine forma existere, est necessaria coexistentia, quam habet ipsius formæ, quæ necessaria coexistentia non debet attendi ex dependentia, quam habeat ab ea, veluti a causa sui esse, quia, ut probatum est supra, habet ex se materia independentem a forma propriam entitatem, & existentiam; & intantum forma dici potest causa materiæ, in quantum per informationem eam constituit in specie completa, & in quodam esse formali, ut infra dicemus. Neque hæc necessaria coexistentia attendi debet ex dependentia, quam habeat a forma, veluti a prævia conditione sibi requisita ad existendum, quia non minus causa, quam conditio causandi debet natura effectum antevertere; cum igitur forma sit verus effectus materiæ in genere materialis causæ, utique non poterit constitui conditio materiæ ad existendum, sicut nec causæ effectivæ ejus effectus tribui potest, ut conditio causandi ipsum; & effectus enim supponit causam cum omni conditione necessario ad causandum prærequisita. Neque hæc necessaria coexistentia attendi debet ex dependentia, quam habeat a forma, saltem velut a conditione concomitante in sensu, quo loquebatur Suarez, ut nimirum ei non debeatur naturaliter existentia, ablata forma; Tum quia connaturalis etiam est status conjunctionis animæ rationalis cum corpore, & tamquam pars essentialis hominis petit compleri, & tamen separata a corpore, adhuc naturaliter perseverat in esse ob substantiam, quam habet suapte natura, ergo cum substantiam consimilem etiam materia possideat, poterit, si semel a forma separatur, naturaliter, & quantum est ex se, in esse perseverare; Tum quia imperfectio, & incompletudo materiæ tantum facit, ut indigeat forma, tanquam actu perficiente, & completa, non tanquam conditione ad existendum necessaria. Tum quia multas videmus, ex eo, quod amiserint accidentia aliqua sibi consentanea, non statim perire, sed secundum communem naturæ cursum, adhuc perseverare licet cum aliqua violentia ob privationem illorum accidentium, ut patet de aqua

aqua tepida, & aere secundæ regionis frigido; Tum quia supposito miraculo separationis materiæ a forma, non est necessarius novus, & major influxus eo, quo conservabatur sub forma, sed eodem prorsus influxu conservatur in esse, quo prius conservabatur, ut dicemus art. 3. ergo seclusa forma non statim ex natura rei interire debet, alioquin & novum miraculum, & novus concursus foret necessarius pro ejus conservatione; Tum tandem quia illæ censentur conditiones, quas necessario res exigit pro naturali sua conservatione in sensu Suarez, quæ per naturalem dimanationem in ipsa pullulant, eo ipso, quod in rerum natura constituitur, secluso quocumque extrinseco agente, sed materia non ita sibi vendicat formam, sed ab extrinseco agente ei imprimitur, ergo non debet judicari conditio naturalis, necessario requisita ad naturalem existentiam materiæ, idest juxta existentiam particularis naturæ illius; nulli enim dubium est, quod est conditio naturalis, loquendo juxta existentiam naturæ universalis consistentis in ordine jam præfixo universi, minor patet, & probatur major; ideo enim dicimus, Solem a luce pendere in existendo, velut a conditione concomitante, ignem a colore, aquam a frigore, quia habent a natura, ut sine auxilio agentis extrinseci hæc sibi propria acquirant virtutem, tum in primæva eorum constitutione, tum deinceps, si illa in aliquo gradu amiserint, & id ipsum patet in exemplis ipsius Suarez, quibus explicat dependentiam a posteriori substantiæ ab accidentibus.

Recentiores quidam hanc connexionem materiæ cum forma secundum communem naturæ cursum ex eo suspicantur, quod materia naturaliter loquendo, si est in universo, non potest esse, nisi in loco, ubi est aliqua causa naturaliter determinata, aut ad conservandam, aut ad producendam formam aliquam substantialem in ea, sicut si non posset poni aqua, nisi in loco, ubi esset aliqua causa determinata ad producendum colorem in ea, aqua necessario haberet connexionem cum calore, non ex natura ejus intrinseca, sed ex applicatione talis agentis. Sed neque hæc ratio est sufficiens, quia agens naturale non potest agere, nisi inquantum, ut docet Scot. 2. d. 12. q. 2. litt. F. & omnes concedunt, quia subiectum idoneum pro recipienda actione ab agente naturali debet esse impenetrabile, sed materia nuda, ut infra ostendemus qu. 8. ar. 4. & etiam concedunt isti, cum quibus disputamus, non est subiectum immediatum quantitatis, sed compositum, ergo non possit ab agente naturali applicato recipere dispositionem ad formæ substantialis introductionem; Tum quia posset naturaliter contingere casus, quod duo agentia naturalia æqualis virtutis sint æque applicata ad illum, quo casu se invicem impedirent, & materia in tali casu a neutro susciperet formam; Tum tandem quia contingere potest, quod agens vel ob disproportionatam applicationem, vel ob debilem suam virtutem non producat formam substantialem in tota materia nuda, sed prius in parte sibi propinquantiori, quam in remotiori, sicut lux a Sole, licet possit in instanti per medium diffundi, tamen quia Sol non est omnibus universi partibus simul applicatus, sed per motum illis successive applicatur, successive etiam, & partibiliter inducit lucem in medio, quæ aliqui de se est forma acquisibilis in instanti, & in tali casu aliqua pars materiæ nempe remotior remaneret sine forma.

Restat igitur, ut hæc necessaria coexistentia formæ in materia secundum communem naturæ cursum petatur ex conditione naturæ universalis, & ordine universi, quod ita ab Auctore naturæ est institutum, ut agentia naturalia non corrumpant formam in materia, quin aliam de novo generent, qui ordo ab agente naturali inverti nequit, ut docet Doctor 2. d. 2. q. 12. C. quæ fuit opinio Marfilii 2. d. 12. q. 8. art. 2. Gab. q. 1. art. 2. & Bassolii in 2. d. 12. q. 1. in dec. art. 3. & videtur colligi ex Doctore 2. d. 1. q. 3. in expositione illius propositionis; Generatio unius est corruptio alterius. Accedit ex P. Vulpes cit. quod necessaria coexistentia materiæ cum forma non absolute fundatur in indigentia materiæ, sed in existentia universi pro sua integritate potentis elementa mixta, viventia, & cætera composita ex materia, & forma. Quia tamen materia est pars, quæ essentialiter petit compleri, est potentia, quæ naturaliter petit actuari, est imperfecta, & ideo naturaliter petit perfici; hinc coexistentia formæ potest etiam in aliquo sensu attendi ex natura, & peculiari conditione ipsius materiæ, ita quod sine forma existens, esset in statu violento, & contra suam naturalem inclinationem; at hæc indigentia non est talis, ut statim sine forma periret, nec conservari posset a Deo sine novo miraculo, ut asserbat Suarez, & Hurt. disp. 5. §. 154. & Arriag. disp. 2. Phys. sect. 6. n. 119. Dices, male ex hoc capite coexistentiam formæ in materia deduci, nam corpus, quod est altera pars hominis, est pars, est per se potentia, est quid imperfectum, & tamen non necessario conjungitur semper cum anima, ergo idem dici posset de materia. Hæc instantia parum urget, quia, ut dicimus infra disp. V. q. 6. art. 1. ad 4. & in lib. de Gen. & Cor. disp. V. q. 3. art. 1. n. 81. longe diversa est conditio materiæ nudæ, & constituti ex materia, & forma mixtionis; quale est corpus pro altera parte compositi animati, ut illis in locis exacte declaramus.

In contrarium objicies Primo ad probandum, materiam dependere a forma in existendo, ut a conditione concomitante ex intrinseca ejus indigentia. Tum quia sic pendet in essendo ab accidentibus saltem a quantitate; ergo multo magis a forma substantiali, quæ est actus materiæ proportionatus; Tum 2. quia si non potest materia esse naturaliter sine forma, signum est,

dependere ab ea, ut a conditione concomitante saltem. Tum 3. quia materia essentialiter ordinatur ad formam, & est propter formam; ita quod si forma implicaret, etiam materia non esset, ergo omnino a forma dependet. Tum 4. quia si ex sua natura, & intrinseca indigentia saltem hoc modo materia non dependet a forma, materia erit perfectior forma, quia magis independens. Tum 5. quia hic dependentiæ modus ab alio, ut a conditione concomitante, non est sciens, & cernitur in cæteris rebus, sic enim dicimus, dependere ignem a calore, & siccitatem, aquam a frigore, & humiditatem, unionem formæ cum materia a suis dispositionibus. Tum tandem quia ait Scot. 2. d. 20. q. 2. sub A. quod Deus modo dar esse materiæ median- te forma ut causa.

Resp. ad 1. neg. consequentiam; si enim quantitas ponatur accidens materiæ cœvum, magis dependebit materia a quantitate, ut a conditione concomitante, quam a forma substantiali, quia eam haberet per naturalem resultantiam, non sic autem habet formam substantialem; quare licet ad existentiam materiæ completam, & specialem magis conferat forma substantialis, tamen ad existentiam incompletam materiæ propriam, magis conferet quantitas. Ad 2. jam diximus, non propter dependentiam, aut talem indigentiam quod sine forma suapte natura perire materia deberet, necessarium esse naturaliter connexionem materiæ cum forma, sed ex indigentia naturæ universalis, & etiam naturæ particularis ipsius materiæ, sensu jam explicato. Ad 3. hoc est commune omnibus rebus transcendentaliter relativis, quod aptitudine terminum necessario respiciant, non tamen actu dependant in existentia ab existentia termini; ita omnis potentia est propter suum actum, & si hic implicaret, potentia ad illum non esset, sed hinc non sequitur, non existente actu, neque potentiam ipsam exituram fore. Ad 4. concedit Doct. 2. d. 12. q. 2. H. materiam esse magis independentem, adhuc tamen forma est perfectior, quia materia est potentia, forma vero actus: vide quæ dicimus in calce præcedentis questionis; & si argumentum valet, concludit, materiæ a forma pendere, ut a causa, & non tantum ut a conditione concomitante. Ad 5. concedimus eam dependentiam a posteriori in rebus pro exemplo allatis, quia res illæ habent virtutem a natura inditam, ut hæc accidentia sibi acquirant eo ipso, quod in lucem emergunt, absque actione agentis extrinseci, & ea denno recuperent, si quodammodo illis priventur in aliquo gradu, ut patet de aqua ad proximam frigiditatem redeunte, qua de causa accidentia illa rationabiliter vocari possunt conditiones ex natura rei concomitantes existentiam illarum substantiarum, at non sic se habet forma respectu materiæ; ex quo concludimus, præfatas substantias magis indigere hujusmodi accidentibus ex via intrinseca natura, quam materia indiget forma. Ad 6. vult tantum innuere Scot. quod Deus decrevit, materiam in universo conservare cum consortio formæ, & infra se explicat, connexionem hanc non esse necessariam absolute ex natura materiæ exortam, sed ex decreto Dei.

42 Secundo objicitur ad probandum, posse materiam existere naturaliter sine forma; Tum quia habet propriam existentiam, & substantiam, & independentem a forma, & tamquam a causa, & etiam tamquam a conditione concomitanti; Tum quia hæc ratione dicimus, naturaliter contingere separationem animæ rationalis a corpore, licet ordinem dicat ad corpus, tamquam ad sui partem; Tum quia materia artificialium esse potest naturaliter sine quacumque forma artificiali, ergo & materia naturalium sine quacumque naturali; Tum tandem quia non est convertibilis illa propositio, Generatio unius est corruptio alterius, ut patet in animalis interitu in Scoti sententia, & pars integralis potest naturaliter extra totum existere, ergo & essentialis.

Resp. ad 1. non contingere naturaliter separationem materiæ ab omni forma non propter aliquam veram dependentiam ejus a forma, vel tamquam a causa, vel tamquam a conditione concomitanti, sine qua statim perire deberet, nec conservari posset sine novo miraculo, sed præcipue propter ordinem naturalem rerum a Deo præfixum. Ad 2. negamus paritatem, quia existentia, & substantia animæ rationalis longe perfectior est existentia, & substantia materiæ; tum quia illa in ordine spirituum substantiarum reperitur: tum quia si internam indigentiam respiciamus, magis materia indiget forma, quam anima corpore, quia majorem acquirit perfectionem materia ex conjunctione ad formam, quam anima ex conjunctione ad corpus; licet nunquam sit talis indigentia, ut sine forma periret; dicimus etiam, ea ratione potuisse Auctorem naturæ talem rerum ordinem instituire, ut materia naturaliter quandoque separaretur a forma, ut contingit de anima rationali. Ad 3. negatur item paritas, quia non tantam perfectionem expectat materia artificialium a formis artificialibus, ut materia naturalium a naturalibus, quare majorem indigentiam habet naturalium materia, quam artificialium as, vel lignum, licet nunquam tantam, ut sine illis ex natura rei statim periret. Ad 4. infra suo loco ostendemus, quomodo propositio illa etiam veritatem habeat in animatis, non obstante formarum pluralitate, de quo interim videatur P. Faber Theor. 39. in fine; pro nunc dicimus, non esse necessariam in viventibus prædictam convertibilitatem illius propositionis, quia nullum imminet periculum in viventis interitu, quod materia maneat nuda, quia remanet adhuc cum forma mixta. Demum non currit paritas de parte integrali & essentiali, quia illa secundum essentiam suam abstrahit a ratione partis, & ratione totius, & in se vere est ens completum, ut constat de gutta aquæ, at ita non est de parte essentiali.

Responditur, materiam, & formam posse supernaturaliter separari, & separatam conservari.

43 **D**icimus per absolutam Dei potentiam posse, & formam sine materia conservari; & materiam sine forma. Conclusio quoad utramque partem est Scoti l. c. & omnium Scotistarum. De forma ita probatur; Tum quia de facto ita conservantur accidentia eucharistica, ergo tanto magis id erit possibile de forma substantiali, quae nobiliores habet existentiam accidentali: Tum quia licet forma a materia dependeat in genere materialis causae, haec tamen non est causalitas materialis intrinseca, hanc enim exercet solum respectu compositi, sed extrinseca, & ideo eam Deus supplere potest, si non in eodem genere materialis causae; saltem in eminentiori, scilicet in genere causae efficientis, ut de facto supplet in Eucharistia. Et hinc probatur evidenter altera pars de materia. Magis dependet posterius a priori, quam prius a posteriori, quia omnis dependentia simpliciter est ad aliquid prius, sed accidens est posterius substantiali, forma materia, ergo si potest conservari accidens sine subiecto, forma sine materia, tanto magis materia sine omni forma.

Resp. Thomista, quod licet materia sit prior forma in genere causae materialis, est tamen prior forma in genere causae formalis ipsa materia existente, quia eius existentia est formalis effectus formae, sicut superficies est prior albedine, sed haec est prior superficie alba. Sed hanc solutionem implicare, patet ex dictis quaest. precedenti; Tum quia si est prior in genere causae materialis, ergo in illo priori intelligitur existens, quia nulla causa realis causat physice, nec est potens proxime ad causandum, nisi existens; Tum quia ideo albedo est prior superficie alba, quia albedo in pariete non supponitur, ut est potens recipere albedinem, at in casu existentia supponitur in materia ad susceptionem formae; Tum quia materia humanitatis assumpta per Thomistas non existit existentia suae formae, cum nec forma propria habeat existentiam in Verbo, sed utraque existunt existentia Verbi, ergo falsum est, existentiam materiae esse effectum formalem formae, aut tali modo, ut a Deo suppleri nequeat; poterit ergo Deus facere materiam in universo existentem existentia aliunde accepta, quam a forma, ex quo motivo Recentiores quamplures, ut Hurt. Murcia, Hieronymus Pla. Amicus, & alii tenent, quod etiam si modo materia penderet in sua existentia a forma, etiam in genere causae formalis, adhuc per Dei potentiam posset existere sine forma, quia licet non possit efficere Deus effectum formalem sine aliqua causa formali, tamen potest illum efficere sine causa formali naturalis, dummodo sit alia causa formalis supplens naturalem.

Resp. ad hoc Comp. disp. 3. q. 6. existentiam materiae, esse effectum formalem formae, non quidem primum, quia hic est tribuere actualitatem essentiae ipsi materiae per informationem, sed secundarium, qui proinde semper supponit primum, formam scilicet materiae unitam, & licet effectus iste secundarius possit aliena suppleri existentia, ut contingit in exemplo allato de humanitate Christi, id tamen fieri nequit; nisi supponatur primum effectus, scilicet actualio materiae per formam, quod adhuc materiae convenit in Verbo: dicunt enim materiam, quia est mere potentialis, esse de se improprietatam ad recipiendam existentiam, quae est ultimus actus, ideoque necessario per actum intermedium, qualis est forma, proportionari debere, & sic etiam respondent Manca, Jo: de S. Th. & alii Thomistae recentiores. Sed haec solutio falso innititur fundamento, quod scilicet materia omni prorsus careat actualitate, & quod existentia sit perfectior essentia, cum enim non sit solum modus, & conditio essentiae, non erit utique perfectior illa, & constat in omnibus rebus earum perfectionem consistere in essentia; falsum item est formam esse medium necessarium, ut materia existentiam recipiat, esto enim id possit concedi in ordine ad existentiam ultimam, & completam, quae est composita, tamen omnino negandum est de existentia partiali, & incompleta.

44 Respondent etiam, quod licet materia sit prior forma, non tamen omne absolutum prius potest esse sine suo posteriori, quia causa inseparabilitatis non solum esse potest dependentia, sed etiam necessaria connexio; nam partes unitae sunt priores toto, nec tamen esse possunt sine toto, quantitas est prior qualitate, nec tamen esse potest sine figura; corpus est prius omni praesentia locali, nec tamen esse potest sine omni natura est prior substantia, nec tamen esse potest sine illa, & sic de aliis.

Sed neque haec solutio satisfacit; quando enim concederemus, inseparabilitatem duorum, non tantum a dependentia provenire, sed etiam a necessaria connexione, & quando instantias adductas admitteremus, adhuc Adversarii non probant hanc necessariam connexionem inter materiam, & formam, nam supra probatum est, materiam nec etiam, veluti conditione concomitante, sine qua ex natura rei periret, esse cum forma connexionem, & quando etiam hanc necessariam connexionem materiam cum forma admitteremus, haec adhuc non impediret separationem in ordine ad agens supernaturalis, sed tantum in ordine ad agens naturale, sicut dicimus de necessaria connexione, quam habet forma cum suis dispositionibus connaturalibus, ut in materia conservetur, quod utriusque impedit separationem eius ab eis ex vi causarum naturalium, non tamen in ordine ad Deum, qui potest conservare formam in materia sine illis dispositionibus.

Accedit, quod, ut notat Lich. in 2. d. 12. q. 2. solvendo argumenta Cajetani, instantiae illae non sunt ad propositum, quia aliud est loqui de absoluto priori realiter distincto in ordine ad illud quod ipsum, statim, ac est in rerum natura, sequitur per naturalem emanationem ab eo absque actione extrinseca agentis, ut se habent accidentia quaedam necessaria pro conservatione substantiae, a quibus proinde ipsa dependere dicitur a posteriori, ut a conditionibus concomitantibus, & ut in universum se habent entitates quaedam, quas Recentiores appellant modales, in ordine ad res, quarum sunt modi connaturales, ut substantia respectu substantiae, figura respectu quantitatis. Aliud est loqui de absoluto priori realiter distincto in ordine ad illud, quod nec habet rationem modi respectu eius nec conditionis naturalis necessitate absoluta ipsum consequentis pro eius conservatione; quae afferuntur in instantiis, se habent priori modo, & forma ad materiam se habent posteriori, quia nec est eius modus, nec ad positionem materiae necessario ab ea dimanant per naturalem sequelam.

45 In oppositum objicitur Primo cum Thomista ad probandum, implicare, materiam sine forma existere; Tum quia esset in actu, & non in actu, actum haberet, quia haberet existentiam in rerum natura, non haberet actum, quia non habet formam, a qua est omnis actus; Tum quia esset individuum, & non esset individuum, esset quidem, quia solitarie existit; non esset, quia non haberet formam, quae sola ponit individuum in determinata specie entis, & est principium individuationis, tam materiae, quam compositi, ut docet P. Fab. Theor. 90. Nec sufficit communis responsio, quod esset in determinata specie incompleta entis, & substantia transcendenter inspecta, ut communis est ad completas, & incompletas, quia quod est in tali specie imperfecta, ratione incompletionis suae per se, & directe, debet pertinere reductivè ratione ejusdem ad aliquam certam speciem completam, & praedicamentalem, ut patet de anima separata, quod materia a forma separate convenire non potest, quia talem reductionem non habet, nisi per formam; Tum tandem, quia materia, & forma sunt magis unum, quam subiectum, & passio, quia sunt unum per se, & essentialiter, non sic subiectum, & passio, at haec implicat ab invicem separari &c.

Resp. quod esset in actu entitativo, quem alii appellant transcendentalem, quia omnibus entibus convenit; non autem in actu formali completo, & specifico, qui a forma provenit, & competit solum rebus in specie completa existentibus, & proinde appellatur praedicamentalis, & in hoc nulla cernitur implicatio. Ad aliud dicimus, separationem materiae a forma non inferre novam difficultatem de specie intrinseca, & essentiali materiae, sicut enim forma adveniens materiae non illi affert differentiam essentialem, ita non dat illi speciem intrinsecam, & essentialem, sed extrinsecam tantum, & adventitiam, completam tamen, & perfectam, esset igitur eadem numero, & specie, ut tunc est in composito, quia a forma, nec agnoscit differentiam individuaalem, quicquid dicat P. Faber, cum per ultimam suam realitatem individuatur, ex Scot. 2. d. 3. q. 6. C. nec esse specificum, nisi praedicamentale, & completum: nam ex se est determinata entitas a quacunque alia distincta, & ex se est in specie determinata entis, & substantiae transcendenter sumpta; & cum dicitur determinabilis, & reductivè tantum in specie, hoc intelligi debet de specie praedicamentali, & completa, & quando objicitur, quod quicquid est determinata specie incompleta, debet reductivè spectare ad determinatam completam, dicimus id valere de substantia incompleta determinata, qualis est forma, non determinabilis, ut materia, quia haec ex munere proprio, & naturali conditione sua debet ad omnes species esse contrahibilis, & licet ad hanc, vel illam actu trahatur per formam reducturam, aptitudine tamen de se omnis reductibilis est, & ita se haberet separata a forma sine ulla reductione actuali: neque hoc ullam involvit repugnantiam: rationes validiores congerit Scotus ipse pro Thomista l. c. quas optime dissolvit, & dignè sunt, quae videantur, ubi ad tertium ait, materiam, & formam esse magis unum subiecto, & passione, unitate unionis, non identitatis.

46 Secundo objiciunt Comp. quia ordo essentiae distinguitur realiter ab ordine existentiae, & est prior illo, & ad illum indispensablem supponitur, ergo actus, qui per se pertinet ad ordinem essentiae, erit prior illo, quia ad ordinem existendi spectat, sed forma substantialis est actus pertinens ad ordinem essentiae, ergo materiam esse in actu per formam substantialem necessario supponi debet ad hoc, ut sit in actu existendi per existentiam. Conf. materia prima est pura, & prima potentia, sed existentia est maxima omnium actualitas, ergo, ut haec potentia reddatur proportionata ad recipiendam existentiam, quae est ultimus actus; necesse est, ut mediet forma substantialis, & specificatio ab ea desumpta, quae aliquid actualitatis, & aliquid potentialitatis habet, non enim ad actum ultimum, nisi per intermedium deveniri potest.

Resp. licet negari possit assumptum quoad primam partem, tamen illo admissio cum consequentia, neg. subillata minor, si intelligatur de actu absolute sumpto, ut re vera Adversarii intelligunt, qui in ordine essentiarum materiam statuunt puram potentialitatem sine ulla prorsus actualitate, quod falsum est, quia, & si materia non habeat actualitatem specificativam, & determinantem, habet saltem entitativam, quae sufficit, ut sine forma constitui possit a Deo in actu existendi: imo hoc argumento nedum probatur materiam primam non habere

exi-

sa non possit causare causatum secundae causae sine ipsa, & ideo cum subiectum aliquam causalitatem habeat respectu formae materialis, sine ista causa in ordine suae causalitatis positae, negaret Philosophus, posse formam existere. Ad 5. negatur sequela; foret actus fundamentaliter, quatenus apta foret informare materiam, sed non formaliter, quia non fundaret actualem respectum informationis; & negatur formam esse actum quidditativum, & cum hoc asserit Philosophus intelligendus est denominative; quare autem anima definiatur in ordine ad corpus, videatur Doctor modo cit. sub littera L.

ARTICULUS III.

Quo pacto materia, & forma conservantur a Deo ab invicem separatim.

49 **D**icimus, pro conservatione materiae, & formae separatim, nec opus esse novo perfectitatis modo positivo, neque novo concursu majori, & alterius rationis ab eo, quo earum entitates conservantur prius a Deo, quando erant conjunctae. Est Scoti, & Scotistarum loc. cit. De materia probatur; cum enim ex dictis propriam habeat existentiam, & etiam substantiam, quae omnimodum excludit dependentiam ab alio, ut sustentante subiecto, nulla certe videtur necessitas hujus novi perfectitatis modi positivi. Conf. quia ideo anima rationalis ponitur existere separata a corpore absque novo perfectitatis modo, quia de se habet consimilem substantiam, & e contra, ideo communiter ponitur materialis forma, & accidens hoc indigere perfectitatis modo, quia carent consimili substantia, ergo cum materia hanc habeat, illo non indiget, eodem modo probari potest, neque esse necessarium specialem influxum: ideo enim passim asserunt Adversarii necessitatem specialem concursus in conservatione formae materialis, & accidentis absque subiecto, quia subiectum verum habet influxum in formam materialem, qui proinde a Deo suppleri debet: cum igitur forma nullum proprium habeat influxum in materiam, non indiget peculiari influxu Divino, quo formae causalitas suppleatur: sicut e contra fatentur, animam separatam ideo non indigere speciali concursu pro sui conservatione, quia quando erat in corpore, in sua existentia a corpore non dependebat: ut igitur materia maneat sine forma, sufficit sola continuatio ejusdem influxus, quo prius sub forma conservabatur, & desitio influxus, quo formam conservabat in ea, nec aliud ex parte Dei requiritur.

50 At de forma conclusio videtur difficilior probatu; cum enim per se esse in rerum natura, hoc est, sine actuali dependentia a subiecto, modus sit essendi formalis naturae, ut ait Ruvinus citat. valde diversus ab eo, quem forma habebat in subiecto, & aliquid addens supra communem existentiam extra causas, non videtur esse posse solum extrinsecus concursus efficientiae, sed aliquid in natura ipsa de novo ei concessum; & cum forma vere a materia dependeat, ut ait Arriag. disp. 3. Phys. n. 40. cum hanc causalitatem supplere debeat, utriusque novum concursum, & majorem adhibere debet a priori diversum, qui se solo sufficiens non erat ad conservandam formam, sed indigebat concursu causae secundae, scilicet materiae. Sed neutrum horum necessarium est pro conservatione formae separatae, & si naturam consideremus illius modi, quo forma dicitur per se esse, dum est a materia juncta, & naturam concursus Divini cum causis secundis; modus enim per se essendi, quo dicimus, accidentia per se existere in Eucharistia, ut docet Doct. 2. dist. 12. q. 2. sub finem, non importat aliquam perfectitatem positivam, qualis secundum communem est substantia, sed dicit solum negationem actus essendi in alio, ut in subiecto, cum aptitudine ad talem actum, & ut ait Doctor, non est, nisi per se esse negative, ergo cogitari non debet, ut modus positivus per se essendi de novo formae materiali communicatur eo ipso, quod extra subiectum ponitur, & conservatur, & cum sit mera negatio essendi in alio actualiter, nihil addens positivum supra communem existentiam formae extra causas praeter aptitudinem, quam connotat in forma, dependendi a subiecto, poterit haberi per solum concursum extrinsecum Divinum continuatum in ordine ad materiam, substantiam in ordine ad formam, & eius existentiam in subiecto.

Deinde modus hic perfectitatis, & substantiae, vel ita opponitur inhærentiae, ut eam neget a subiecto, in quo est, tam in actu primo, quam secundo: tam actualiter, quam aptitudinaliter; vel solum ut excludat actualitatem ejus, non aptitudinem: non potest primo modo fugi, quia inhærentia aptitudinalis tolli prorsus nequit a forma materiali, cum sit ei realiter identificata; secundo modo sufficienter statuitur per solum negationem actus secundi, eo modo, quo dicimus, corpus Christi in Eucharistia esse penetrabile, quia caret actu impenetrationis, & hominem dormientem irrationalem, quia actu non discit; universaliter enim actus secundus sufficienter excluditur per simplicem negationem licet actus primus excludi possit per positionem, quam doctrinam de duplici negatione actus primi, & actus secundi fuisse tradit Doctor. 2. d. 3. q. 2. & 3. d. 1. q. 1. H. quod adhuc amplius explicatur, quia licet negatio, quae necessario rei convenit, petat in re aliquid positivum, ratione cuius rei convenit talis negatio, & simpliciter repugnat opposita affirmatio: negatio tamen, quae rei convenit continetur, non opponit in re aliquid tale positivum necessario, at negatio actualis inhærentiae formae in subiecto contingenter ei convenit, ergo non per aliquem modum positivum.

Denique separatio formae a subiecto fieri potest per solum subtractionem influxus, quo prius a Deo subiectum conservabatur, & continuationem ejus, quo conservabatur forma, & ita de facto credimus, in Eucharistia accidentia per se manere per solum

D 2

desi-

definitionem subiecti, & continuationem conservationis eorum: at ita nulla nova intervenit actio positiva, cujus per se terminus dicatur novus ille modus perfectitatis, ergo sine tali modo potest forma per se existere sine materia: Alias rationes ad hoc adducimus disp. seq. pro forma accidentali.

51 At necdum pro conservatione formæ separatæ necessarius non est novus perfectitatis modus, sed neque necessarius est novus, & major concursus illo priori, quo jam in subiecto conservabatur; Tum quia invariato principio, & termino nequit variari actio, cum ab his unitatem accipiat, & diversitatem, sed in isto casu idem manet principium, scilicet Divina voluntas ad opus applicata, manet idem terminus, scilicet entitas formæ, ergo est idem omnino concursus cum priori; Tum quia conservatio activa cum est ab eodem omnino agente, a quo est effectus productio, non est diversa actio a productione secundum rem, sed una, & eadem, ut etiam Adversarii ipsi fuerunt, ergo in casu conservatio formæ imposterum absque subiecto ab ipso Deo non esset nova actio diversa a priori secundum rem. Imo, & de facto ita est in multis rebus, quas Deus cum causis secundis efficientibus producit, & deinceps sine eis conservat, & tamen hæc conservatio non dicitur diversa a productione secundum rem. Tum præterea si in separatione formæ a materia cessat prior actio, qua formam conservabat concurrente subiecto, & novum adhibet concursus priori majorem, quo se solo deinceps conservat formam extra subiectum, ergo etiam cessat terminus prioris actionis conservativæ, scilicet forma ipsa materialis, & per novam actionem Divinam a materia independentem iterum reproducitur sine materia, sed ita non sumus in casu, in quo supponimus, formam conservandam fore absque ulla prorsus interruptione.

52 Nec respondere valet, concursus Divinum non mutari, sed eundem numero augeri, & intendi eo modo, quo dum duo homines pondus levant, & sustentant, si unus desistat, & alter prosequatur ponderis sustentationem se solo, utique in hoc casu non interruptur eius actio, quia semper pondus sustinuit, sed altero desistente, ipse intendit vires, & auget eundem numero concursus, quem prius adhibebat, quia deinceps ipse solus debet supplere vires alterius. Non juvat; aliud enim est loqui de concursu causæ secundæ, & aliud de concursu primæ, in illo enim concipere possumus intentionem, & remissionem, quia potentia finita est, & applicabilis ad opus, modo cum majori, modo minori conatu, unde fit, ut quandoque se solo sufficiens sit ad ponendam effectum, quandoque insufficientis; at non ita loqui licet de concursu Dei, qui secundum se consideratus, se solo secundum rem sufficientissimus est ad ponendum in esse, quicquid causat media causa secunda, ut docet Scot. 4. d. 12. q. 1. sub R. & oppositum dicere valde derogat perfectioni influxus primæ causæ; & licet quia ita philosophantur de primæ causæ secunda, non faciunt primam causam essentialiter dependentem a secunda absolute loquendo, quia sine illa efficere se sola potest effectum majorem adhibendo concursus; tamen eam faciunt dependentem, ut hic, & nunc cooperantem causæ secundæ cum influxu secundum rem insufficienti, & partiali. Accedit, quod vel loquimur de concursu Dei materialiter, seu fundamentaliter sumpto, & hic cum sit ipsa divina voluntas ad opus applicata, seu ipsum velle divinum, utique non potest dici insufficientis secundum rem, cum de se sit efficax, neque in eo cogitare possumus intentionem, & remissionem, vel loquimur formaliter, & sic cum non sit, nisi terminatio dependentiæ effectus ad illud, hæc sola sufficientissima est ad positionem, & conservationem effectus, ut ait Doctor loc. cit. nec in ea cogitari potest intentio, & remissio, cum omnia aique dependant, & eodem modo semper a Deo; igitur concursus Dei semper est sufficiens secundum rem, & quando conjunctus est cum concursu causarum secundarum, dicitur insufficientis solum secundum modum, ut fuit, & eleganter declarat P. Vulpes 2. p. t. 1. d. 7. a. 6. quatenus non ex necessitate rei, sed ex libertate sua, & suavi divinæ providentiæ dispositione assumit causas secundas ad operandum, & sicut eis communicavit esse, ita vult finire, quod agant motus suos, idem igitur prorsus est concursus Dei, quo cum igne comburit lignum, & sine igne combureret, secundum rem, idem concursus secundum rem, quo formam conservat cum concursu subiecti, & sine eo, nec ulla diversitas notari potest inter hunc, & illum, nisi secundum modum, quia prius copulatus cum concursu secundæ causæ modum habebat insufficientis, licet sufficiens foret secundum rem, at postea solum genus quicquid gerebat alterius consortio, & secundum rem, & secundum modum dicitur sufficiens.

Solvuntur Objectiones.

53 IN oppositum obicitur primo ad probandum, materiam separatam recipere a Deo novum perfectitatis modum, vel saltem speciali concursu conservari diverso a priori; tum a paritate partis integralis, quæ cum separatur, eo ipso acquirit modum totalitatis per indivisibile terminativum in ipsa resultans, ergo etiam pars essentialis, ut est materia, confirmem modum totalitatis recipere debet, cum separatur ab altera compute, Tum 2. quia non fit miraculum de novo, nisi aliquid noviter producat in re, circa quam miraculum contingit, at materiam existere separatam a forma est novum miraculum, ergo &c. Tum 3. impossibile est, esse supernaturale convenire rei per formam naturalem, & a materia separata non habet amplius esse naturale, sed supernaturale; Tum 4. quia materia separata existit in statu violento, & præter naturam suam,

ergo habebit alium modum essendi sibi a Deo tributum. Tum 5. non videtur conservari posse separata eodem concursu, pro prius, quia in tali statu supernaturaliter conservatur, si autem eodem concursu conservaretur, adhuc naturaliter existeret, quia concursus ille non habet vim conservandi, nisi naturaliter; Tum 6. cum constat, materiam naturaliter existere non posse sine forma, certe id oritur ex aliqua indigentia materiæ, at omnis indigentia quoad existentiam suppleri debet, ut res indigens existat, ergo necessarius erit major concursus priori; Tum denique quia materiæ separatæ, etiam ex ipso ordine universi, idem concursus conservativus non debetur, ergo qui præstat deinceps est indebitus, & specialis, atque ideo priori diversus, qui erat debitus.

54 Resp. ad primum, non esse eandem rationem de parte integrali, & essentiali; integralis enim indiget indivisibili terminante ob necessitatem horum indivisibilium in corporibus, at nulla est necessitas hujusmodi positivi per se existendi in separatione partis essentialis a toto, sed sufficit modus negativus, scilicet unionis cum altera compute; pars etiam integralis, cum est separata, vere dicitur totum, quia in se est ens completum, & ideo indiget modo totalitatis positivo, at non ita materia, quæ etiam separata remanet ens incompletum. Ad 2. negatur absolute major, quia contingere potest miraculum per solum subtractionem concursus, ut patuit in fornace Babyonica, & ita foret in proposito. Ad tertium transeat major de supernaturalitate positiva, & secundum rem, at materia in casu haberet esse supernaturale tantum secundum modum, & negativum quatenus conservatur a Deo in eo statu, in quo non deberet ex lege communi, & materia habet suum esse naturale, sed modo naturali, quia non unum cum forma. Ad 4. eodem modo dicendum, materiam separatam non existere violenter positive, ut existit aqua cum calore, sed negative, quatenus reperitur sine suo modo naturali existendi sub forma, & ideo non est necesse, quod recipiat novum modum positivum per se essendi, sed tantum negativum non existendi cum forma. Ad 5. dicimus, concursus esse prorsus eundem, sed prius dicebatur naturalis, quia materiæ debitus erat ex lege ordinaria, postea dicitur supernaturalis, quia præstat materiam in eo statu, in quo sibi debetur ex lege ordinaria; unde, & in eo statu, dicitur conservari supernaturaliter. Ad 6. concedimus materiæ aliquam indigentiam formæ, ex sui natura exortam, quatenus naturaliter petit per eam compleri, & perfici, at non talem, quod sine forma fatali necessitate periret, ut ait Hurtad. & ideo propter miraculum separationis opus fit alio speciali, & miraculoso concursu, quo ejus intrinsece indigentia succurrit, ut ait Amicus tr. 5. q. 4. dub. 5. art. 2. concl. 2. nam ultra miraculum separationis, non aliud miraculum requiritur, nec alius specialis concursus, sed ad conservationem materiæ sufficit continuatio ejusdem miraculi, & ejusdem concursus, quo prius ante miraculum conservabatur entitas materiæ sub forma; & si præternaturale est, ac miraculosam, materiam sine forma existere, hæc præternaturalitas, nec oritur ex indigentia majoris concursu priori, nec ex eo, quod concursus prior non est debitus naturæ particulari materiæ, sed ex eo præcipue, quod non est debitus naturæ universali; Ad ultimum concedimus totum, quia ex eo non infertur diversitas in concursu secundum rem, sed tantum in modo præstandi illam, quia prius præstabatur modo debito, & ordinario, postea indebito, & extraordinario.

55 Secundo obicitur, ad probandum, formam indigere separatam novo perfectitatis modo positivo; Tum quia ideo diximus, materiam separatam non indigere hoc modo perfectitatis, quia de se propriam habet subsistentiam, ut dicit independentiam a subiecto sustentante, ergo cum forma tali careat subsistentia, utique indigebit tali modo, ut per se separata existat. Tum etiam dicere non valet de forma, quod ei sufficit novus perfectitatis modus negativus, quamvis enim id admitteretur de materia, quæ propriam habet subsistentiam, de forma tamen non videtur admittendum, cum enim careat subsistentia, aliquid amplius exigere videtur, quam solum modum perfectitatis negativum; Tum deinde nec dicere valet, posse hunc modum per solum concursus extrinsecum efficientem suppleri, quia dum forma manet in subiecto, non sufficit sola actio divina, per quam dicatur conservari in subiecto, sed requiritur peculiaris modus inexistentiæ positivus, ergo pariter dum extra subiectum conservatur, non potest satisfieri per solum eandem divinam actionem conservativam ejusdem formæ, sed concedere oportet alium novum modum per se essendi positivum oppositum priori, essendi in alio. Alias rationes afferri solent pro isto perfectitatis modo, quæ quia ab Adversariis urgentur, præsertim pro accidentibus separatim, differuntur ad disputationem sequentem de forma accidentali.

Resp. ad primum negando assumptum, diximus quidem, materiam minus indigere tali perfectitatis modo positivo, quam forma ob subsistentiam, quam habet, & hac ratione communiter etiam ad Adversarii non judicari necessarium pro materia, sed non ob id negavimus Omnipotentiam Dei, qui conservare possit aliquid solitarie, dummodo propriam habet existentiam, absque modo perfectitatis superaddito, & ideo hac ratione poterit forma separata absque ipso conservari. Ad 2. dicimus, modum perfectitatis, quem materia separata acquirit, differre ab eo, quem acquireret forma, non per hoc, quod hic sit positivus, ille negativus, quia ambo sunt negativi: sed per hoc, quod modus formæ negaret actum dumtaxat essendi in alio, ut in subiecto modus materiæ negaret actum, & aptitudinem. Ad 3. negatur paritas, nam in priori casu ultra divinam actionem conservativam

etiam formæ; intervenit modus positivus inhærentiæ, quia nequit poni forma in subiecto, quin etiam ponatur respectus iste unionis, qui etiam distincta actione conservativa indigebit distincta conservativa formæ; at in separatione formæ a subiecto nullus novi modi adest necessitas, & sufficiens est actio prior conservativa formæ continuata ad conservationem ejusdem extra subiectum, quia ex vi illius forma in se conservabatur, non in subiecto, ut magis mox explicabitur.

56 Tertio obicitur, quod forma separata indigeat novo, vel saltem majori influxu. Tum quia prior influxus de se erat insufficientis se solo conservare formam, & conservabat medianter influxu subiecti; si enim de se sufficiens erat, ad quid influxus subiecti? vel ejusdem effectus duæ causæ totales, aut saltem una totalis, alia partialis fuisset; posterior vero influxus est de se sufficiens, ergo a priori diversus; Tum etiam quia ex vi prioris influxus forma conservabatur in subiecto, ex vi posterioris conservatur extra subiectum. Tum præterea ideo diximus, materiam a forma separatam posse eodem influxu conservari, quo prius cum forma, quia forma non habet aliquem peculiarem influxum in materiam, & ideo nihil remanet ex parte formæ supplendum, ergo cum in casu forma vere pendeat a materia, necessarius erit specialis, vel major influxus, quo materiæ causalitas in formam suppleri possit. Tum denique prior influxus erat educitivus, quia cum concursu subiecti conservabatur forma, posterior est creativus, quia conservatur sine subiecto, ergo sunt prorsus diversi, & alterius rationis.

Resp. ad 1. quod est idem influxus, qui prius dicebatur insufficientis solum secundum modum, non secundum rem, quatenus non ex necessitate, sed ex libertate sua assumebat Deus subiectum ad secum concusandum, & quamvis concursus causæ secundæ non sit Deo necessarius, non ideo iudicari debet superfluum, quia inter necessarium, & superfluum congruum fuit, ut divina providentia ad manifestationem suæ bonitatis, & largitatis, & creaturas produceret, & ad secum operandum assumeret; nec sequitur ejusdem effectus fore duæ causas totales, vel saltem unam totalem, & aliam partialem, quia quando Deus assumit causam secundam ad operandum, concursus ejus est partialis, & insufficientis saltem secundum modum, & eo ita utitur, ac si insufficientis saltem foret secundum rem; & quando communiter negatur a Doctoribus, ejusdem effectus esse posse plures causas totales, loquuntur de causis ejusdem ordinis, non alterius ordinis, ut in proposito. Ad 2. negatur assumptum, nam omnino distinguenda est actio, qua conservatur entitas formæ, & qua conservatur ejus unio ad subiectum, & ex vi prioris conservatur entitas formæ absolute, prædicando a subiecto, ex vi posterioris actionis utique conservatur in subiecto; quare ex vi prioris actionis continuatæ poterit etiam extra subiectum conservari. Ad tertium ratio illa potius fuit ad hominem, & per eam solum insinuare volumus, materiam in sua separatione minus indigere novo concursu, quam forma, quia in separatione materiæ a forma nihil remanet supponendo ex parte formæ, nec secundum rem, nec secundum modum, at in separatione formæ a materia remanet supplenda causalitas materiæ, saltem secundum modum, quod fit a Deo non per exhibitionem majoris concursus, sed tantum non sinendo secum concurrere subiectum. Ad 4. Actio creativa, & educitiva Dei in his præsertim formis, quæ uno, vel altero modo possunt fieri, non differunt nisi penes connotationem concursus materialis subiecti, vel ejus negationem; sicut e contra quoque actio corruptiva, & annihilativa, quare sicut defectio formæ semper in se est eadem, licet quando definit in subiecto, dicatur corruptio, quando extra, annihilatio; ita productio formæ in subiecto dicitur generatio, vel actio educitiva, & conservatio ejusdem extra subiectum dicitur actio creativa per solum variationem connotatorum. Alias rationes huc spectantes vide infra disp. seq. simili quæsto de forma accidentali.

Q U Æ S T I O IV.

An sit una omnium rerum materia, & una communis forma corporeitatis pro omnibus, vel saltem quibusdam corporibus præter distinctas formas específicas.

57 QUAESTIO non solum esse potest de unitate materiæ rerum corruptibilium, & sublunarium, sed etiam cœlestium corporum, quæ si non secundum mentem Aristotelis, saltem secundum veritatem ex materia, & forma constant, imo non solum rerum corporearum, sed etiam incorporearum, & spiritualium, quamvis enim Angeli, & anima rationalis de facto sint substantialiter simplices, compositione materiæ, & formæ carentes secundum communiorum sententiam, quam Doctor sequi semper est visus, & expresse significavit in 2. disp. 2. quæst. 5. in fine ubi in Angelo nullam de facto agnoscit materiam partem, nec corporalem, nec spirituales, & 2. d. 16. quæst. un. F. ubi pariter nullam materiam partem agnoscit in anima; tamen quia non implicare videtur, dari materiam spirituales receptivam formæ substantialis spiritualis, & aliquam substantiam spirituales ex his constitui, ideo ad hanc quoque materiam spirituales possibilem extendi potest quæstio, an scilicet esse ejusdem, vel diversæ rationis a materia corporearum, & de facto hanc quæstionem exagitate tenentur, qui Angelos componunt ex materia, & forma juxta præsertim, & Bellurii Tom. II. Physicæ.

babilem doctrinam Seraphici Doctoris 2. d. 3. p. 1. art. 1. q. 2. quam tuetur P. Cavellus libr. de Anima Scoto vulgariter adscript. q. 11. Hac igitur de re plures extant sententiæ Philosophi, qui jura Aristotelis dogmata in his sublunariis tantum materiam agnoverunt, unam numero materiam omnium posuerunt, non quidem actu, & positive; tum quia implicat, eandem numero materiam in hoc sensu esse simul sub diversis, & disparatis formis, & oppositis dispositionibus affectam; tum quia actualiter, & positive potius est multiplicata numeraliter per formas, igitur ponunt illam unam numero in omnibus sublunariis potentialiter, & negative, quatenus omnibus materiæ portionibus, quæ modo sub diversis reperiuntur formis, non repugnat, esse unam numero materiam, quia si omnes formæ auferantur, & portiones illæ uniantur, efficerent unam numero materiam, non sic autem formæ, quia hæc semper essent numero distinctæ, etiam si essent continuæ, quia in hoc differunt homogenea ab æterogenis, ita significavit Averr. 1. Phys. com. 63. & 1. Met. 17. & 12. Met. 13. & seq. Ach. 1. de elementis dub. 8. quam opinionem etiam quorundam Scot. fuisse testatur Trom. 8. Met. q. 3. con. 6. & re vera ita significavit Can. 1. Phys. qu. 9. dub. 5. Alii vero passim eam ponunt unam in omnibus sublunariis unitate specifica aethoma, & numeraliter positive multiplicatam sub formis specificè distinctis per proprias hæcitates intrinsece, & per formas solum extrinsece, ita Scot. 4. d. 11. q. 3. H. Ocham in Phys. c. 18. p. 1. & Recentiores omnes, qui alios citant Suar. in Met. disp. 13. sect. 3. Averfa qu. 20. sect. 2. Amic. tract. 5, q. 8. dub. 1. Hurt. disp. 2. sect. 5.

58 Qui vero non solum in his corporibus inferioribus, sed etiam in superioribus materiam reponunt, sunt inter se divisi; Aliqui enim dicunt, esse materiam ejusdem rationis in his, & illis, & ita adhuc retinere unitatem specificam aethomam respectu quorumcumque corporum; Alii dixerunt, esse diversæ rationis, & consequenter non retinere, nisi unitatem genericam, aut specificam subalternam. Qui tandem materiam agnoverunt etiam in spiritualibus substantiis, adhuc sunt divisi; nam aliqui dicunt, materiam sublunarium corporum esse diversæ rationis a materia cœlestium, & utramque materiam corporealem adhuc diversam a materia spiritualium, atque ita tres agnoscunt species materiæ, unam elementarem, alteram cœlestem, & alteram denique spiritualem, ita significavit Alensis p. 1. q. 20. membr. 2. & q. 44. membr. 2. Alii potius volunt, esse unam, & specie eandem materiam horum omnium, & solum differre hujusmodi materias penes diversa accidentia a formis permanentia, sub quibus sunt, nam ut est sub forma materiali, redditur capax, & subternitur quantitati, ut est sub sublunari, subternitur, nedum quantitati, sed etiam qualitatis contrarium habentibus, unde procedit corruptibilitas; ut tandem est sub forma spirituali, nec quantitati, nec qualitati corpore subicitur, sed tantum motui; ita significavit P. Cavellus. c. concl. 2. in sententia Seraphici Doct. 2. d. 3. p. 1. art. 1. q. 2.

Circa secundam quæstionem de forma, sunt etiam varia placita. Quidam statuunt in omnibus, & singulari corporibus, tam simplicibus, quam mixtis, tam animatis, quam inanimatis formam quandam physicam, specie ab aliis distinctam, cujus munus sit tribuere cuicumque composito substantiali esse corporeum, quam proinde formam corporeitatis appellaverunt, ita Avicen. lib. 1. hæc sufficientiæ c. 2. quem secutus est Suesfan. 1. de Gen. com. 78. referens Albert. pro eadem sententia. Alii ex opposito negant hanc formam corporeitatis in omnibus prorsus corporibus, ut specie distinctam a formis specificis singularum, sequitur Suar. disp. 13. Met. sect. 3. Averfa q. 20. sect. 3. & quicumque negant pluralitatem formarum substantialium in eodem composito. In medio harum opinionum se ponit Scot. in 4. d. 11. q. 3. statuens hanc formam corporeitatis in omnibus viventibus, ut ab anima condistinctam, & eandem negans in quocumque alio composito, quem sequuntur passim Medici omnes, ac Philosophi sæculares, Mercen. Zabel. Ragus. Morifan. & alii, & hac tempestate sequi incipiunt Patres Societatis, quibus temporibus elapsis opposita tam arrisit P. Dandinus in lib. de Anim. & P. Coninchius de Sacramento. q. 76. art. 2. quicquid dicat Arriag. disp. 3. Phys. sect. 6. contra quem late agimus disp. 5. de Gen. & Corrupt. q. 3. art. 1.

A R T I C U L U S I.

Declaratur unitas materiæ corporearum substantiarum, & etiam spiritualium, si in ipsis daverit.

59 PRO decisione hujus articuli, notandum est, quod duplex est unitas specifica, alia completa, & alia incompleta, unitas vero numerica triplex, ut ex Trombeta colligitur l. c. prima substantialis, ac entitativa, quæ rei competit ex sua hæcitate, & hæc materiæ convenit in quocumque composito indedenter a forma; altera est unitas numerica prædicamentalis, & hæc sibi advenit extrinsece a forma tali, quæ sicut dat ei extrinsece esse specificum in prædicamento, ita etiam, & numericum; alia denique est unitas numerica integralis, sive continuitatis, quæ propria est rebus homogeneis inter se unibilibus ad constitutionem totius integralis, quod dicitur unum numero unitate integritatis, & continuitatis, etiam si constet ex multis individuis partialibus; hoc prænotato.

Dicimus, materiam omnium corporum, non solum sublunaria comprehendendo, sed etiam cœlestia, quæ secundum veritatem materia constant, esse unam specie aethoma, & si numero multiplicata in diversis corporibus; at si quoque daretur in substantiis spiritualibus,

bus, non esse ita una, sed tantum unitate generica. Quoad r. conclusionis partem est Scot. 4. d. 1. q. 3. H. & 2. d. 14. q. 1. ubi tenet, materiam caelestem, & sublunarem esse ejusdem rationis specificam, sequuntur Scotistae communiter, P. Faber, Theor. 27. & 59. P. Vulpes t. 2. p. 2. d. 32. art. 5. Fuentes 1. Phys. q. 2. diff. 7. art. 2. Sghemma 1. Phys. digr. 5. q. 12. & alii, & probatur, Materiam omnium corruptibilium esse ejusdem speciei in omnibus, & habere partes ejusdem rationis manifeste deducitur ex mutua transmutatione earum ad invicem, vel immediata, sed saltem mediata, hujus enim mutuae transmutationis unicum fundamentum est materia eadem in omnibus, non quidem numero, quia ut ait Doct. l. c. in 4. potius hæc impediret eam, si enim eadem numero esset materia in aere, & aqua, non esset sibi necessaria transmutatio, ut de una forma transiret ad aliam; sed specie; quia enim materia in omnibus his corporibus est ejusdem rationis, ideo potest recipere hanc, & illam formam, & nulla alia ratione possent assignari hujusmodi materiae specie distincta, nisi quia incapaces forent formarum earundem; & hæc ratione utitur, qui materiam caelestem distinguunt a materia sublunari, quia nimirum illa capax non est formarum sublunarium, & totum id colligitur ex 1. Phys. 60. 69. & seq. & 1. de Gen. 22. & 8. Met. 1. r. & 14. Hac eadem ratione ostenditur, materiam caelestem ejusdem speciei esse cum materia sublunari; Tum quia cum forma Caeli non compleat, & fatiet totum materiae appetitum intensive, & extensive, quia non continet eminenter perfectionem aliarum formarum; non enim continet saltem (ait Doct. 2. d. 14. q. 1.) animam intellectivam, conseq. relinquuntur in potentia ad ceteras formas. Probat Doct. conf. l. c. lit. B. quia si forma Caeli non dat perfectionem harum formarum sublunarium, ergo privatio talium formarum ibi manet, privatio autem est in subiecto capaci: Dices, materiam Caeli non posse dici privatam his formis sublunariis, etiam si non det perfectionem illarum, quia non est capax illarum, unde carentia talium formarum in ipsa erit simplex negatio non privatio. Contra, quia hæc est manifesta petitio principii, hoc enim est, quod ratio probare intendit, & tu respondes per id, quod quaeritur, si enim illa materia est corporea, cur non est capax harum formarum sublunarium, quæ etiam sunt corporeæ? si dicas hoc ob stare, quod non sunt ei proportionatæ, teneris ostendere, quid importet hæc proportio. Tum quia etiam si in Cælo non fuit accidentia contraria, ratione quorum corrumpi possit ab agente naturali, hoc non provenit (inquit Doct.) ex incapacitate materiae, quia adhuc sibi inest illa potentia ad contrarium, & Cælum ex natura sua est simpliciter corruptibile, sed carentia contrarii provenit ex conditione formæ, quæ tantum denominatur illi materiae, ut non possit ab aliquo alio alterari recipiendo peregrinas impressiones, & per consequens nec corrumpi.

60 Respondere solent, materiam horum inferiorum differre a materia Cælorum, non quia respiciant formas alterius conditionis, & speciei, sed quia illas respiciunt sub diversa ratione informandi; nam caelestes formæ informant inseparabiliter, sublunares separabiliter. Sed hæc responsio est frivola; Tum quia ex Sco. c. hæc necessaria connectio nunquam ex parte materiae attendi potest, quæ tantum est ex se separabiliter semper, & contingenter formam recipit, veluti potentia contradictionis ex 9. Met. 17. & capax cuiuscumque alterius formæ, alioquin non reciperet, ut per se potentia; Tum quia si diversitas hæc informationis sufficit ad inducendam diversitatem specificam materiarum, & unitas unitatem, jam materiae omnium Cælorum essent ejusdem speciei, quia eodem modo formas respiciunt, scilicet inseparabiliter, quod tamen est contra Adversarios facientes tot materias caelestes specie distinctas, quor sunt Cæli; at de hoc ex professo agimus in lib. de Cælo.

Sed quamvis materia sit una specie in omnibus corporibus, est tamen numero multiplicata sub diversis formis ex Doctore cit. in 4. extrinsece quidem per formas, a quibus recipit unitatem numeralem prædicamentalem, intrinsece vero per proprias hæcietates, a quibus hæc, & illa portio materiae accipit unitatem individualementem, & substantialem, ut docet Tromb. cit. & hoc insinuavit Philosophus (ait Doct.) 12. Met. 27. illis verbis, *singularem aliquid est tua materia, & mea materia, universali vero ratione eadem, & si ad idem diversis corporibus, tunc non foret necessaria transmutatio, ut de una forma transiret ad aliam; tunc generans generare posset nihil corumpendo; posset etiam esse eadem materia sub formis quantumcumque diversis, & sub oppositis dispositionibus esse, & in diversis locis simul, & semel, quæ omnia sunt manifesta absurda; non est igitur materia una numero in omnibus corporibus, nec unitate individuali, quæ provenit a differentia intrinseca, & hæcietate, quia hæc portio materiae non est illa; nec unitate numerica integrali, quæ provenit a continuitate plurium partium integralium adinvicem ejusdem rei, quia portio materiae, quæ est sub forma lapidis, est discontinua a portione materiae, quæ est sub forma ferri; bene tamen verum est, eandem numero materiam, quæ est sub forma aquæ, posse successive transire ad aliam, & aliam formam, quæ ratione inquit Philosophus, sæpe remanet in genito eandem materiam, quæ fuit in corrupto, eandem scilicet numero, quod profus necessarium est, ne productio geniti dicatur creatio. Verum etiam est, quod si omnes materiae portiones in mundo existentes exuerentur singulis formis, & ad invicem continuarentur, unam numero conficerent materiam, unitate nimirum integritatis, & continuitatis, eo modo, quo si aquæ omnium marium, & fluminum ab Oceano diffusorum in eo congregarentur, vel cum eo continuarentur, illa tota aquarum colluvies una numero aqua diceretur.*

61 Quo ad alteram partem etiam probatur conclusio; si enim

unitas specifica materiae corruptibilium, & etiam rerum corporarum in universum ex eo capite probatur, quia possunt eadem formas recipere, consequenter e contra, quia materia corporalem, & spiritualium, si in eis admitteretur, non essent capaces earundem formarum, ideo specie diviseri statui debent; non esse autem capaces earundem formarum, probatur, quia etiam forma spiritualis, ut est anima, recipi possit in materia corporea, quia ab ea non dependet in esse, non tamen e contra forma corporea videretur recipi posse in subiecto indivisibili, & incorporeo, quia ab ea debet in esse dependere, quod fieri nequit, nisi per educationem; implicat autem, formam divisibilem, & corpoream educi ex subiecto indivisibili, & incorporeo. Nec respondere valet cum Cayello cit. nu. 13. materiam de se nec incorpoream esse, nec spiritualementem, sed ad utrumque gradum esse de se indifferentem, & utrumque ab extrinseco sibi advenire; per formam enim spiritualementem, redditur spiritualis, & per corporealem corporalis, sicut superficies de se non est alba, nec nigra, sed ad utrumque indifferens, & fit alba, vel nigra ab extrinseco per adventum albedinis, vel nigredinis. Non valet; Tum quia de facto videmus, animam rationalem recipi in materia, quæ tamen per eam spiritualis non redditur, Tum quia forma materialis, & extensa prærequirit subiectum materiale, & extensum, ut partes formæ educantur de partibus subiecti, sicut enim forma non dat esse subiecto, ita partes formæ non dant esse partibus subiecti, quod principium late probatur infra d. de Continuo q. 1. art. 1. Tum tandem quia exemplum ipsum de superficie adductum est omnino abs re, quia albedo, & nigredo non pertinent ad superficiem, ut causativam illarum, ad divisibilitatem, & extensio supponitur in subiecto ad causalitatem formæ corporeæ, & extensæ, quia ut vere dicatur ex eo educi, forma tota educi debet de toto subiecto ad causalitatem formæ ex diversis partibus subiecti præexistentibus.

62 In oppositum objicitur Primo, quod omnium corruptibilium sit una num. materia. Tum quia ita significat Philosophus, 1. Phys. 60. esse unum num. subiectum transmutationis, quod manet sub utroque termino. Tum quia si materiae omni forma expoliarentur, fierent numero materia, ergo ex se non haber distinctionem numericam. Tum quia, quod est terminus creationis, est unum numero, at materia ponitur terminus creationis. Tum quia species est de qua genus prædicatur in quid, & de materia nullum genus prædicatur, ergo non est una specie. Resp. ad 1. Philosophum tex. 60. velle, quod materia successiva est una numero in pluribus, non simul, & semel. Ad 2. si materiae singulae singulis expoliarentur formis, utitatem utiq; numeralem, prædicamentalem, & completam amitterent, non tamen intrinsecam, & substantialem; unde per proprias hæcietates adhuc distinctæ, & distinctæ manerent, neque continuarentur, nisi ope agentis extrinseci; quæ etiam facta continuatione, amitterent utique singulae illa materiae portiones unitatem illam numericam, quam importat totalitas, & præcisio unius partis integralis ab alia, & constituit numerum quantitativum, & prædicamentalem; non tamen unitatem intrinsecam individualem, nam istam adhuc singulae partes integrales retinent in toto, & constituant numerum transcendentalem; vide Scot. 2. d. 3. q. 4. Ad 3. ea ratione probari posse, nullam naturam communem admitti debere, quia, & homo etiam, & Leo esse possunt termini creationis; verum igitur est, naturam communem materiae non extare in universi, nisi in suis singularibus, seu per suas hæcietates contrariam, ut est de quacumque alia natura: at hinc inferre non valet, esse unam numero intrinsecam, nam, & natura materiae in se inspectæ prædicari essentialiter potest de hac, & illa materia per modum speciei. Ad 4. illa definitio datur de specie subicibili, sed natura materiae constituit speciem prædicabilem, item definitio illa traditur de specie completa, at species materiae est incompleta.

63 Secundo arguitur ex alio c. quod fit specie diversa. Tum quia 12. Met. 27. ait Philosophus, quod sic fit principia sunt alia, ita & eorum per se principia, & hoc secundum genus, speciem, & numerum. Tum quia nedom forma, sed etiam materia concurrunt, & pertinet ad essentialem constitutionem compositi, ergo si composita specificè distinguantur, etiam & illarum materiae, nec poterit materia de uno composito transire in aliud, quia quod est de essentia unius rei, non potest transferri ad aliam, essentialiter ab ea differentem. Tum quia forma est, quæ dat speciem rei, cui advenit, ergo formæ diversæ diversum esse specificum tribuant materiis. Tum demum nullo prioris modo videtur negari posse hæc diversitas inter materiam caelestem, & sublunarem, quia hæc amissibiliter subicitur formis, illa inamissibiliter, hæc autem diversa subicibilibus arguere videtur diversitatem specificam materiarum.

Resp. ad 1. auctoritatem illam intelligi debere juxta sensum alterius 2. Phys. 26. ubi ait Philosophus, ad aliam formam aliam esse materiam; his igitur in locis non loquitur de materia prima, sed secunda, hoc est, affecta certis dispositionibus, & proxime disposita ad certam formam; materia sic disposita utique alia est ad aliam formam, & distinguitur ab alia materia juxta distinctionem rei constitutæ secundum genus, speciem, & numerum. Ad 2. materia concurrunt ad rei constitutionem per modum partis communis, & potentialis, in qua res constituta convenit cum cæteris speciebus materialibus; at forma concurrunt per modum partis actualis, & distinguuntur, quod explicari potest exemplo generis, & differentie in composito metaphysico, & ideo negatur consequentia quoad utramque partem. Ad 3. forma dat speciem intrinsecam rei, quam constituit, non rei, cui

ei advenit, qualis est materia, nam dat ei esse specificum solum extrinsecum, & adventitium. Ad 4. negamus, diversitatem informationis formarum caelestem, & sublunarem provenire ex parte materiae, quia hæc, quantum est ex se, utrobique contingenter, & amissibiliter formam respicit, ut potentia contradictionis, & necessitas connexionis solum provenire potest ex parte formæ; ut ait Doct. loc. cit., & si hoc sufficeret ad distinguendum materiam caelestem a sublunari, & ratio inseparabiliter informandi speciem caelestem materia constitueret, jam omnes Cæli consentiret ex materia ejusdem speciei, quia materiae singulorum suas formas respiciunt separabiliter, sed de hoc fusius in lib. de Cælo suo loco.

64 Petes. An de absoluta Dei potentia possint dari plures species materiae rerum corporalium. Resp. in eo sensu, quo de facto eas admittunt Adversarii, quod nimirum una sit informabilis indissolubilis, alia dissolubilis a forma, non possunt dari plures materiae species, quia repugnat conceptui materiae, ut sic, quod inamissibiliter informetur; cum enim materia habeat rationem per se potentiam, implicat, quod necessario ex parte sui cum forma connectatur, ut ait Scot. 2. d. 14. q. 1. In alio autem sensu, quod utraque amissibiliter informetur a formis, quarum est receptiva, at non utraque sit omnium receptiva formarum, sed aliquarum tantum, nec consequenter composita ex eis possint inveniri transmutari, nulla videtur implicatio, & aliecatem materiae corporalium negavit Scot. loc. cit. in primo sensu, non in secundo, & negativè de facto, non de possibili. Sic etiam sentit Bassolius in 2. p. 14. q. 1. ubi argumenta quædam in oppositum adducit, & solvit, quæ ideo omitimus, quia fundantur præsertim in paritate de efficiente, & fine, sicut enim implicat duo efficientes, & fines, ita implicare videntur duæ materiae primæ alterius rationis, quæ paritas absolute neganda est, nec Scot. cit. ea utitur absolute, sed de facto, ut videre est in textu.

65 Petes rursus, an unitas specifica, quam modo habet materia, sit positiva, vel negativa? Compl. disp. cit. q. 4. art. 1. Jo. de S. Th. q. 3. art. 4. & alii Thom. ajunt non esse, nisi negativam, quatenus non est plura specificè, quia non includit in se principium aliquod proportionatum, unde talis unitas, vel pluralitas sumatur, quia hoc principium debet esse aliquis actus, & materia caret omni actu: & quia suum esse specificum a forma desumit, & ordine ad diversas formas specificè plurificatur, nec habent pro inconvenienti materiae ratione suæ naturæ potentialis posse esse successivè in diversis speciebus sibi intrinsecis, & essentialibus. Sic etiam loquuntur de unitate numerica, singulae enim materiae, quæ variis formis substant, sunt una numero materia negativè, quatenus nullum habent in se principium individuationis intrinsecum, per quod distinguantur, unde materiae non concedunt unitatem positivam, nisi transcendentalem, & analogam, prout præcisè importat entitatem non divivam cum Maffio 1. Phys. c. 9. sect. 2. q. 13.

Afferendum tamen est, unitatem specificam materiae positivam esse; tum quia cum materia sit ens positivum, consequenter etiam unitatem positivam habere debet, licet incompletam, quia passio debet proportionari subiecto; tum quia sicut materiae concedunt unitatem transcendentalem positivam, quia est ens positivum, ita etiam debent concedere unitatem specificam positivam, quia licet de se nullum esse specificum prædicamentale, & completum habeat, tamen sub genere entis, & substantie transcendentem sumptæ quædam entitas positiva substantialis, & per hoc essentialiter distinguitur a forma, ergo habet de se unitatem specificam positivam, & non tantum negativam, probatur conseq. nam ratio potentialitatis ita est formalitas positiva in materia, sicut ratio actualitatis in forma: idem etiam dici debet de hac, & illa numero materia, quod singulae habeant unitatem suam numeralem positivam, & non a forma, quia etiam secundum Thomistam subiectum non individuatur per formam, sed potius e contra, & forma hæc numero præsupponit hanc materiam numero: singulae igitur materiae non possunt dici una numero materia negativè, nisi loquendo de unitate numerica integrali, ut explicavimus: Denique quod concedunt Complut. materiam ratione suæ naturæ potentialis posse esse successivè in diversis speciebus sibi intrinsecis, & essentialibus, est ita patens absurdum, ut confutatione non egeat: unde Jo. de S. Th. cit. & Manca q. 4. dub. 5. de veritate coacti fatentur materiam semper habere, & retinere eandem speciem intrinsecam in quocumque composito inveniatur, rationem vero illius speciei completæ solum participare denominative denominatione formæ informantis, non participatione intrinseca, quæ est Scotica doctrina, quam supra docebamus.

66 Sed instant Compl. 1. quia materia secundum se non includit intrinsece tale principium, unde sumatur unitas specifica, sed tantum ut est actualia per formam, ergo &c. probatur assumptum, quia principium talis unitatis proximum est differentia, quæ cum habeat rationem actus metaphysici, sumitur ab actu physico, qui est forma. Conf. ideo Deus nequit fundare rationem contrahentis, & contrahibilis, quia est expers totius potentialitatis, ergo ex opposito, quia materia est expers omnis actualitatis, non habet, unde sumatur compositio metaphysica generis, & differentie. Demum si materia esset aliqua species positiva incompleta, & infima, deberet reduci ad aliquam completam, & infimam, nam sicut species imperfecta ad perfectam, ita species incompleta infima ad completam infimam reducenda est, sed materia secundum se ad nullam certam speciem infimam potest reduci, quia non magis ad hanc, quam ad illam spectat, ergo, &c.

Maffii, & Bellui Tom. II. Physicæ.

Resp. neg. assumptum, ejus probatio valet de unitate specifica completa, non incompleta, qualis est species materiae, quæ, ut a cæteris distinguitur, opus non est, quod consistit ex genere, & differentia (nisi prædicamentum substantia amplietur, ita quod apex ejus sit substantia finita comprehendens completas, & incompletas juxta dicta n. 20. quo casu necesse non esset, differentiam sumi ab entitate physica, quæ habeat rationem actus informantis, vel substantis, sed sufficeret; quod habeat rationem actus entitativi) quia non distinguitur a cæteris, ut species completa, sed ut pars speciei incompletæ, & pars potentialis. Ad Conf. neg. paritas, quia Deus dicitur actus per exclusionem omnis potentie tam subiectivæ, quam objectivæ, sed materia dicitur potentia per exclusionem solius actus formalis, tum quia potest in ea admitti compositio metaphysica ex genere, & differentia modo jam explicato. Ad ult. neg. conseq. ejus probatio valet de specie incompleta determinante, sicut sunt species formarum, non de incompleta determinabili, ut est materia, quæ ex munere suo nulli certæ speciei addita est ex n. 19. & 45.

ARTICULUS II.

Ostenditur, in quibus necessaria sit corporeitatis forma præter peculiarem formas specificas.

67 Dicimus in solis corporibus animatis formam corporeitatis esse necessariam præter animam, in cæteris vero minime. Ita Doct. l. c. initio quaestionis, ubi in animantibus solum hujusmodi admittit formam, eo quod peculiari modo inter cætera composita dicuntur consistere ex corpore, & anima, non tamen in eo sensu, quo in omnibus, & singulis admittebatur ab Avic. & Alb. ut scilicet materiae coævam, & in omni generatione permanentem sub diversis formis specificis; sed vult, illam de novo generari in materia antecedente ad animam, & post ejus deitionem, vel separationem, aliquo temporis intervallo corrumpi, in quo sensu intellecta conclusio acerrime contra Thomistam defenditur a Trombeta 8. Met. qu. 2. Kabro theor. 73. Cayello in libris de An. disp. 1. sect. 4. Sghemma 1. Phys. digr. 7. qu. 10. & aliis. Fundamentum præcipuum, quo Doct. ductus est ad distinguendam in animatis formam corporeitatis ab anima, ut ipse restatur 4. d. 11. q. 3. Gg. fuit ad evitandam contradictionem, quæ est immediata ratio distinguendi plura sub ente, anima enim abente, corpus manet, ut constat in animali nuper inspecto, ergo animal non est corpus per animam, sed per formam ab anima distinctam.

Thomista respondent, non esse idem corpus, sed novum generari, quod dicitur cadaver per formam cadavericam de novo generari. Contra, manent eadem accidentia, ergo idem corpus, quod est eorum subiectum in hæcietate; non enim migrare possunt de subiecto in subiectum; antecedens patet ad sensum; manent eadem vulnera, & cicatrices; eadem viriditas in ramo abscisso, hæc characteres in stipite viridi, & sicco, eadem virtus in herba virente, & arida. Resp. non esse eadem, sed similia de novo producta ad productionem cadaveris. Sed hoc manifeste repugnat sensui, & inquit Arist. 8. Phys. 22. quæreretur rationem, & sensum dimittere infirmitas intellectus est. Resp. verum esse Aristotelis dictum, quando sensus non fallitur, hic autem fallitur, quia accidentia illa non sunt eadem, nisi secundum apparentiam. Contra, optime instat Raguteus, responsionem eludens si in plura, vel stipite non manent literæ prius impressæ, postquam auvit, sed similes, si non manet idem carmen, sed novum illi simile, quis est iste novus characterum impressor? quis carminis conscripsit auctor? & si in corpore de novo genito infligentur a natura vulnera similia illis, quæ erant in corpore vivo, dicant Adversarii, quid mali perpetravit corpus istud, antequam extaret in rerum natura, ob quod tot, & similia vulnera debet sustinere, & si quis immediate post capitis, vel menti tonsonem moreretur, quis fuisset hic novus, tam diligens Tonfor, qui tam cito eum tondit? Certe, ut inquit P. Cavellus cit. hæc tam incredibilia videntur, ut si inter credenda fide divina ponerentur, inter difficiliora creditu locum haberent, nec minus arcana forent, quam quæ Mater Ecclesia de Sacramento Eucharistie docet.

Item Christus Luc. 24. & Jo. 20. ex identitate vulnerum in corpore suo ostendit discipulis identitatem numericam ejusdem redivi, ergo sunt eadem vulnera in corpore vivo, & mortuo. Dices vivum in cruce vulneratum esse, & resurgendo eadem numero vulnera resumpisse, quæ vivens in cruce receperat, non vero eadem numero, quæ mortuus habebat, sed similia. Contra est, quia nedom ex identitate numerica vulnerum manuum, & pedum, sed etiam lateris ostendit identitatem numericam sui corporis redivi, at vulnus lateris accepit mortuus, non vivus, ergo eadem numero sunt vulnera in corpore vivo, & mortuo.

68 Sed hæc non solum sensui, sed etiam rationi adversantur, si enim non sunt eadem numero accidentia, sed similia, a quo causantur ista accidentia consimilia, & unde oritur necessitas talis similitudinis, non oritur ab essentia materiae primæ, quia de se est indifferens ad quamlibet formam, non a forma cadaveris de novo inducta, quia formæ diversæ specie nunquam habent accidentia per omnia similia, anima vero recedens, & forma cadaveris adveniens sunt diversæ profus speciei; nec a natura tandem novi generati fluere possunt hæc accidentia similia, quia cum forma sit alterius rationis a præcedenti, non determinabit sibi accidentia profus similia accidentibus corporis vivi.

Resp. quidam, necessitatem hujus similitudinis oriri ex parte materiae, non quidem nudam, quo sensu indifferens est, sed dispositam, materia enim est ita disposita per dispositiones antecedentes, quod necessario petis accidentia similia. Contra, quia vel per dispositiones has in materia antecedentes intelligunt illas, quae intervalebant ad conservandam animam in materia, ut certa temperies primarum qualitatum; vel quae intervalebant pro introductione formae cadaveris, quales sunt illae, quae fiunt per alterationes interimentium, ut excessus caloris, vel frigiditatis; dispositiones primi generis istam similitudinem accidentium profus inducere nequeunt, sed potius exigunt accidentia omnino dissimilia, & opposita ob temperantiam, quam habent ad invicem forma cadaveris, & viventis. Nec pariter dispositiones secundi generis talem similitudinem accidentium exigere possunt, Tum quia evenit quandoque interitus animalis absque praeviis dispositionibus, ut cum illico interit ictu gladii, vel bellici tormenti. Tum etiam quando intervenerunt, non semper sunt eadem, sed diverfa juxta diversitatem interimentium, ut morbi, ignis, nivis, &c. quae diversas quoque inducunt dispositiones, alteratio enim per ignem facit causas excessum caloris: per nivem, excessum frigiditatis, unde tam diversae dispositiones non possunt eadem postulare accidentia.

69 Resp. alii necessitatem hujus similitudinis oriri ex forma cadaveris, quae cum quandam habeat affinitatem cum forma viventis, eo quod immediate semper sequitur ad ipsam, ideoque similia postulat accidentia. Contra, ista forma cadaveris, si datur, ita opponitur formae viventis, sicut mors vitae, ergo non possunt esse affines; nec sufficit ad hanc affinitatem, vel ad exigentiam similitudinis accidentium, quod una immediate sequatur ad aliam, alioquin acetum affinitatem haberet cum vino, & eadem accidentia postularet, quia se habet ad illud, sicut mortuum ad vivum, & eodem modo ex eo fit, ut docet Arist. 8. Met. 14.

Hinc alii negare non audentes identitatem accidentium in corpore vivo, & mortuo, potius negare elegerunt, subjectum inhaerentis accidentium esse corpus, & dixerunt materiam primam, quae cum eadem maneat in corrupto, quae erat in genito, eadem quoque manent accidentia, nec migrant; ita l. c. Suar. Sed contra, Tum quia in primis falsum est, materiam esse subjectum inhaerentis accidentium, ut docet Tromb. l. c. & Fab. c. 5. & nos disp. seq. fuse probavimus, quia prius est compositum substantiale, quam accidentale: Tum quia etiam si accidentia residerent in materia, tamen non sunt ei coaeva, saltem omnia, & nova accidentia adveniunt cum nova forma, ut in transmutatione elementorum, & mixtorum videmus, ergo etiam in proposito ita deberet esse, non enim potest afferri ratio, cur forma tam diversae, ut anima, & forma cadaveris, eadem profus accidentia exigant in materia; Tum tandem quia etiam isti non omnino effugiunt difficultates, Thomistas urgentes, adhuc enim, & ipsi explicare tenentur, unde petenda sit similitudo ista, vel potius identitas accidentium in corpore vivo, & mortuo, nam ex parte materiae assignari non potest, cum de se sit subjectum indifferens ad omnia, & si recurrit ad alia capita, impugnantur, ut prius, & eadem argumenta recurrunt. Resp. Suar. nu. 21. accidentia cadaveris esse eadem, quia non adest causa, a qua fiant nova. Sed eadem ratione debet dicere, etiam formam substantialem corporis esse eandem, quia non potest assignari causa, a qua producatur.

70 Denique contra utroque Adversarios, hac vel illa via incendentes probatur, in animalis interitu nullam produci formam cadaveris novam; Tum quia idem iudicium fieri debet de totius hominis interitu, ac alicujus partis integralis ejus, quoad hoc, at in interitu partis, v. g. in abscissione digiti, non generatur nova forma cadaverica in digito, quia sectio non est productiva formae substantialis, ergo nec in totius animalis interitu; Tum deinde quia, vel istius formae assignatur per se causa particularis, vel ad universalem recurritur cum Suar. cit. & Ruvio 2. de An. c. 3. nu. 275. causa particularis difficile assignatur in repentina morte, ictu fulminis caudata, vel alio modo confusimili, quia haec agit praeviis dispositionibus, quae in his casibus desunt; item causae particulares interitus animalis sunt diversae, interit enim aqua, igne, gladio, at semper idem effectus habetur, idem scilicet corpus, & cadaver, ergo non potest ab illis causis particularibus provenire, quia, ut inquit Scot. non potest idem effectus a quantumcumque diversis agentibus provenire. Sed nec recursus ad causam universalem securus est, quia dum causa universalis in generatione rei supplet defectum particularium causarum, agit dispositionibus praeviis, ut patet generatione animalium ex putri materia, at haec dispositiones non semper praecedunt, ut constat in casibus alatis: cui accedit, quod absque ulla necessitate sit iste recursus, contra Scot. monitum 2. d. 2. q. 10. Et si dicant, urgere necessitatem ne materia nuda remaneat, respondemus, quod connaturalius salvatur, materiam non remanere nudam in animalis interitu; si remanet cum antiqua forma mixtionis, quam si dicatur, illico formam cadaveris ab universali agente prodire sine praeviis dispositionibus, vel cum illis quantumcumque diversis; Tum denique ad generationem substantialem praerequiruntur dispositio praevia, & successiva, ergo dum interit animal ictu fulminis, vel bellici tormenti, nulla forma talis gignitur, quia eo intereunte, manent caro, nervi, ossa, & caetera: nec ista fieri possunt statim de novo, quia forma carnis, nervi, & ossis non sunt, nisi per multas alterationes praevias, & concoctiones, quae non nisi diuturno spatio peraguntur, ut Medici docent, ac perinde in his repentinis casibus intervenire nequeunt.

71 Secundo principaliter probatur conclusio theologice; Si in animalis interitu non remanet idem corpus, sed novum generatur, & nova cadaveris forma, sequeretur, Corpus Christi Domini non esse idem vivum, & mortuum, contra manifestas auctoritates Patrum, & SS. Ambrosii, Gregorii, Leonis, Aug. Damasc. Hier. quas Doctor adducit sub littera Q. sequeretur Corpus Christi fuisse corruptum contra locutionem Scripturarum; habetur enim in Psalm. Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem, & habetur Actorum 2. quod caro ejus corruptionem non vidit, probatur prima sequela; Tum quia in universum ad unitatem numeralem effectus requiritur unitas formae, & materiae ex 12. Met. 27. & praesertim formae, cum sint principalium constitutum compositi, & ideo si in morte Christi variata est forma corporis, non amplius manet idem numero corpus; Tum quia sicut quando ex corpore equi generatur vermis, non potest dici corpus vermis esse idem corpus cum corpore equi, ita a fortiori corpus cadavericum de novo genitum non potest dici idem numero cum Corpore Christi, nam corpus vivum, & mortuum magis inter se differunt in ratione corporis, & substantiae, quam corpus equi viventis, & corpus vermis, probatur etiam altera sequentia: illud dicitur cum omni proprietate corrumpi, quod in aliam substantiam, nedum specie, sed etiam genere diversam mutatur, sed ex hypothesi talis mutatio facta fuisset in Corpore Christi; ergo &c. Vide Bass. in 2. d. 17. q. 1. art. 2. ubi egregie hanc rationem pertractat, sicut & totam istam questionem pro dignitate.

Resp. Thomista ex Cajet. fuisse Corpus Christi idem vivum, & mortuum materialiter, quatenus eadem est omnino materia, quae fuit in corpore vivo, & mortuo. Addunt, corpus vivum, & mortuum magis inter se convenire accidentibus, quam homo, & vermis, & hac de causa, corpus cadavericum posse dici aliquo modo corpus hominis, vel equi, non ita corpus vermis, sicut etiam quia corpus cadavericum immediate succedit corpori vivo, non ita corpus vermis. Denique ajunt, Corpus Christi, eatenus remansisse incorruptum, quia licet fuerit novum cadaver, non tamen abiit in vermes, & cineres, sicut regulariter evenit de cadavere, & in hoc sensu loquuntur Scripturae, dum Corpus Christi afferunt incorruptum.

72 Sed nihil horum satisfacit; non primum, tum quia, ut urget Trombeta, cum ex igne generatur aer, certum est, quod eadem materia reperitur in aere genito, quae fuit in igne corrupto, & tamen non conceditur, quod ignis, & aer sint idem numero, ex quo sequitur, quod non majorem identitatem, & unitatem haberet Corpus Christi vivum, & mortuum, quam ignis corruptus, & aer genitus ex ipso: Tum quia illa, quae fuit idem secundum materiam tantum, sunt idem secundum quid, & diversa simpliciter, ut est de igne genito ex aere, ergo Corpus Christi vivum, & mortuum esset idem secundum quid, & diversum simpliciter, ex quo sequitur, propositiones Patrum dicentium, idem Corpus Christi jacuisse in sepulcro, quod fuerat in Cruce, & quod fuit in sepulcro resurrexisset, & modo in throno, gloriae residere, esse veras secundum quid, sed simpliciter falsas, & ita etiam ipsamet articulum fidei de resurrectione. Nec secundum satisfacit; Tum quia convenientia in accidentibus est extrinseca, & accidentalis, convenientia in genere proximo est convenientia essentialis, ergo, si haec non sufficit, ut corpus vermis, & heminis dicantur idem numero corpus, tanto minus illa, ut corpus cadaveri cum dicatur idem cum corpore vivo. Consequentia patet, quia ibi est major identitas, & unitas, ubi est major convenientia; Tum quia si illa intermediaria successio cadaveris ad corpus vivum sufficeret, ut idem numero diceretur cum eo, acetum quoque dici posset vinum, quia generatio hujus illius corruptioni immediate succedit. Nec denique tertium satisfacit; Tum quia, & si corpus, quod fuit in Christo vivo, in vermes non abierit, abiit tamen in formam cadaveris, quae est specie diversa ab anima, ergo vere, & proprie fuit substantialiter corruptum: Tum quia ad salvandum sensum Scripturarum, & Patrum, ita incorruptum remansisse debemus dicere Christi Corpus, ut fuerit omnino idem numero corpus mortuum, quod fuerat vivum, ergo non sufficit dicere, ideo incorruptum remansisse, quia in cineres non abiit, antequam patet ex dictis, probatur consequentia, quia illa incorruptio non salvat identitatem numeralem.

Resp. manere id Corpus Christi suppositiviter, quatenus nunc, sicut antea, manet idem suppositum divinum hypostatice unitum materiae primae. Sed neque haec responsio valet: Tum quia permanentia suppositi uniti nihil facit ad permanentiam ejusdem corporis, quia non suppositum divinum debet esse corporeum, sed alia forma distincta, ergo permanentia istius formae exigitur, ut dicatur idem corpus: Tum quia si lignum assumeretur a Verbo, & lignum converteretur in ignem, permanente adhuc unione materiae primae ad Verbum, non ideo idem corpus physicum manere diceretur, quia non sunt idem numero corpus, ignis, & lignum. Tum tandem quia Sancti, & Scripturae non dicunt manere idem suppositum, vel eandem materiam, sed idem numero corpus, ergo frustra recurritur ad identitatem suppositi, & materiae.

Resp. Suar. cit. disp. 15. sec. 10. esse idem numero corpus sensibilibiter propter identitatem materiae, & quantitatis, & sensibilibus accidentium, quod etiam alii probant, quia corpus organicum, quod est subjectum animae, non est, nisi materia prima talibus accidentibus instructa. Sed contra: Tum quia etiam in sententia Suar. quamvis in genito, & corrupto eadem remaneat materia, cum eisdem accidentibus, non tamen dici potest, genitum esse corruptum, & idem numero compositum cum illo, quia ad hoc necessario requiritur identitas formae substantialis. Tum quia, falsum est, corpus organicum importare solum materiam primam, cum illa accidentium varietate, quia esse carneum, esse osseum, & nervinum, est esse substantiale, & non accidentale, ut fufius suo loco diceretur in lib. de An.

73 Tertio principaliter demonstratur a priori necessitas formae corporeitatis in viventibus, & primo in homine; quia anima rationalis nequit dare esse corporeum, & extensum; cum in se spiritualis sit, & inextensa; Nec respondere valet cum Cajet. & Javello, quod licet anima rationalis sit formaliter spiritualis, est tamen virtualiter extensa, & corporea; Tum quia tale esse dare non potest, nisi per informationem, quare in seipsa esse deberet formaliter talis, ut quo, ut est de aliis formis ad suos effectus formales comparatis, albedo enim est alba, ut quo formaliter, & non virtualiter tantum, quia hoc pertinet ad genus causae efficientis; Tum quia nulla forma, ait Tromb. continet virtualiter effectum sibi repugnantem, aut formam talis effectus productivam, non enim albedo continet virtualiter esse nigrum, aut nigredinem ipsam, ergo nec anima rationalis continet virtualiter esse corporeum, & divisibile, aut formam ipsam corporeitatis, cum non minus adinvicem repugnet esse corporeum, & spirituale, quam esse album, & nigrum; Tum quia si forma spiritualis continet virtualiter esse corporeum, etiam forma corporea poterit continere esse incorporeum, & spirituale, cum non sit major ratio de uno, quam de altero; Tum tandem quia etiam admissio, quod virtualiter tale esse contineret, non proinde posset illud homini communicare in genere causae formalis, sicut forma Solis emittenter continet calorem, & tamen non facit Solem formaliter calidum, forma enim in tali genere dat tantum illud esse, quod in se habet, cum exercitium hujus causalitatis fiat per solam exhibitionem entitatis formae subjecto.

Resp. alii, esse corporeum a sola materia provenire, contra: Tum quia non ita est in ceteris compositis, alioquin genitum, & corruptum semper essent idem numero corpus, cum maneat in utroque eadem numero materia: Tum quia limitatio quantitatis non est a materia, quae ad omnes de se indifferens est, sed a forma, quia haec est, quae requirit tantam, vel tantam materiam, ergo materia absolute non dat compositum tantam, vel tantam extensionem sine forma; Tum quia sicut partialiter tantum dat composito esse substantiale, ita & esse corporeum: Tum tandem quia etiam materia prima daret composito esse corporeum, & extensum, non tamen constitueret posse corpus organicum, & humanum ex tot partibus heterogeneis compactum, quia materia est homogenea, & omnes ejus particulae uniformes.

74 Deinde eadem necessitas ostenditur etiam in ceteris animalibus, quoniam enim anima sensitiva, & vegetativa sunt formae materiales, & extensae, adhuc tamen tribuere nequeunt viventi illud esse corporeum, quod est de ejus essentia ut sic, quia esse corporeum, quod vivens exigit pro sui constitutione, est dissimulare, & organicum, quoniam igitur ratione suae materialitatis, & extensionis possent hujusmodi formae tribuere ali-quod esse corporeum de genere substantiae, non tamen esse corporeum organicum, sed ad hoc omnino exigitur forma corporeitatis, quae aliud non importat, quam congeriem omnium formarum partialium, carnis, ossis, nervi in animali, corticis ligni, medullae, radices in planta; tam enim diversa esse tribui non possunt a sensitiva, & vegetativa, quae sunt ejusdem rationis secundum omnes suas partes: Nec dicere valet, quod continent illa esse diversa virtualiter, quia cum debeant illa dare in genere causae formalis, deberent esse formaliter tales ut quo, sicut quia formaliter dicuntur vegetativae, & sensitivae, ideo dant formaliter esse sensitivum, & vegetativum.

Hac ratione pressi Suar. loc. cit. d. 15. scilicet 10. n. 31. & Hurt. disp. 2. de Anim. scilicet 5. 6. & 7. faciunt vegetativam, & sensitivam atherogenaes, itant alia pars anima sit, quae in equo oculum informet, alia, quae aures, alia, quae ossa, &c. Sed hoc esse novum inventum a nemine, huculque somnium: nam data hac sententia, & sequitur quodlibet animal non esse unum per se, & in unica specie, sed tantum unum unitate ordinis, & continuationis, & in diversis speciebus. Consequentia patet, quia illa solum faciunt unum per se physicum, & substantiale in una specie, quae se habent, ut actus, & potentia, & hic non adest unica forma, & ejusdem rationis, quae materiam informet, sed determinatis partibus materiae diversae formae specificae correspondent, sed hoc signum ex professo in lib. de Anima rejiciemus.

75 Denique ex dictis probatur altera pars conclusionis, quod necessaria non sit in ceteris corporibus forma corporeitatis distincta a forma specifica, quia esse corporeum ad eorum constitutionem requiritur est homogeneum, simile, & uniformem, non autem atherogenum, ut in viventibus, ergo sola forma specifica sufficit cum materia ad dandum hoc esse corporeum composito, probatur consequentia, nam patet antecedens, quia ad tale esse corporeum sufficit sola extensio, & materialitas partium componentium, at materia in omnibus est extensa, similiter, & omnes formae specificae materiales, ergo praeter illas in compositis inanimatis non est admittenda distincta forma corporeitatis ab eis distincta.

Solvuntur Objectiones.

76 IN oppositum objicitur: Primo, quod sit superflua forma corporeitatis in viventibus distincta ab anima. Tum primo quia forma perfectior continet virtualiter imperfectiorem, ut tetragonum trigonum 2. de Anima 35. ergo anima, quae est nobilissima forma, continet virtualiter hanc formam corporeitatis, ejusque munera poterit obire. Tum 2. non implicat, animam immediate cum quantitate uniri materiae pri-

mae, & certe hoc constitutum esset animal, & consequenter corpus, quia ab inferiori ad superius tenet consequentia affirmativa. Tum 3. quia videmus in genere accidentis, per eandem formam rem constitui in specie, & in genere quocumque superiori, albedo enim dat esse album, coloratum, & quale, ergo pariter forma substantialis, quae est perfectior accidentali, dabit constituto esse specificum, & genericum, ut esse hominem, animal, corpus, &c. Tum 4. quia id manifeste docuit Doctor 4. d. 11. q. 3. Hh. dum ait, animalium dici corpus ab anima, ut corpus est genus in re ipsa linea. Tum 5. quia anima tribuit compositum esse substantiale, praecisa quacumque alia forma, vel ergo corporeum, vel incorporeum, non hoc, ergo illud, quod eo praesertim dicendum est, quia esse corporeum de genere substantiae aliud non est, quam esse compositum ex materia, & forma, & hoc habetur per quantumcumque formam specificam, quod si esse corporeum accipiatur pro esse extenso, habetur per quantitatem, ait Averfa. Tum 6. hoc quidem de anima sensitiva, & vegetativa negari non potest, quia sunt formae extensae; & corporeae, unde de istis non militat ratio, quae afferri solet de anima rationali, quod esse corporeum elargiri non potest, quia in se est incorporea, & spiritualis. Tum denique quia neque hac ratio urget de anima rationali, quia ut forma det aliquid esse, non oportet, imo nec debet esse formaliter talis, unde albedo non dicitur alba, quae tamen dat esse album, & cum ex alio capite ponitur anima rationalis animam vegetativam, & sensitivam virtualiter continere, quae sunt formae materiales, & extensae, cur etiam virtualiter formam corporeitatis continere non poterit?

77 Resp. assumptum esse verum de continentia inferioris in superiori per excessum perfectionis, quo sensu homo continetur in Angelo, at non semper est vera per continentiam effectum inferioris, & ita est in proposito, quod anima nequit dare esse corporeum organicum, quale requiritur ad esse animalis, ut dicitur est in tertia ratione pro conclusione posita. Ad 2. ait Doctor lit. T. casum implicare, quia anima nequit per ullam potentiam informare; quod corpus non est, cum ipsa sit essentialiter actus corporis, & si per impossibile informaret materiam, nulla forma corporis praecedente, animal non esset, quia nullam animalis functionem exercere valeret, quia caretet organo. Ad 3. a forma individua sumuntur omnes gradus praedicamentales, quando contradictio id non prohibet, at in proposito, recedente anima, idem profus corpus remanere videmus, signum evidens non ab anima, sed ab anteriori forma esse corporeum derivari, quod & in casu de albedine fatendum esset, si albedine recedente, adhuc paries coloratus maneret. Ad 4. non ait Doctor, quod vivens habeat esse corpus ab anima, prout corpus est praedicatum directe collocatum in genere, sed tantum ait, Corpus, prout est individuum corporis, quod est genus, sua forma tali esse corpus, ut corpus est genus habens corporeitatem, ubi per ly sua forma tali non intelligit formam physicam specificam illius individui, sed formam totius, & metaphysicam, ut sensus sit, quod sicut corpus in communi metaphysice corporeitate dicitur corpus, tamquam per formam totius, ita hoc vel illud corpus, ut est individuum ejus, tali, & tali corporeitate dicitur corpus, ita hunc locum explicat P. Hiribarn. in 4. tom. 1. disp. 43. sect. 7. & certe si per ly sua forma tali Scotus intelligeret formam ultimam, & specificam cujuscumque individui, itant ab eadem lumeret praedicatum corporis in re ipsa collocatum, sibi statim contradiceret, cum immediate antea in responsione ad tertium admittat D. Thom. antecedens, quod erat gradum generis cum corporis, ponendo plures formas in homine desumi a forma diversa ab anima. Et paulo supra, exponendo auctoritates illas 7. Met. de unitate definitionis adductas pro D. Thoma, semper concedit, gradum genericum corporis ab alia forma desumi, a qua sumitur specificus. Deinde Doct. ibi tenet contra D. Thom. conversionis terminum in Eucharistia non esse compositum ex materia, & anima, ut dat esse corporeum praecise, eo quia anima tale esse dare non potest, & tandem in sententia Scoti non recte dicitur, gradum genericum corporis ab anima desumi, & non a forma corporeitatis, quia ita omnis differentia specifica ultima foret, neque ulla daretur non ultima, cum quolibet desumeretur ab eadem forma, a qua sumitur ratio generis, quod tamen Doctori repugnat, qui non semel differentiam specificam divisit in ultimam, & non ultimam, ut patet in 1. d. 3. quaest. 3. O. & d. 8. q. 3. & 2. d. 3. quaest. 6. L.

78 Ad 5. ex modo allata doctrina dicimus, formam quamcumque dare tale esse substantiale, ut formam lapidis esse lapideum, si contradictio id non impediat, ut in proposito accidit, anima igitur dat animali tale esse substantiale, scilicet animatum, & vivens, & corpus pro altera parte dat esse corporeum, ita quod per formam animam dicitur animal vivens, & per alteram partem corpus, etiam ut corpus dicit praedicatum directe collocatum in genere, nec verum est, in universum formam inferioriorem dare gradum infimum, & superiores, sed vel dat illos, vel praesupponit datos a forma anteriori, ut universaliter dicimus de differentiis, quod inferior non includit superiorem, nec dat gradum illius, sed datum supponit; sic in proposito anima non facit corpus, quod inferior vivificat, & est forma, quae corpus est vivens, non autem quae corpus est, falsum est etiam quod ajebat Averfa, esse corpus de genere substantiae solum importare compositionem ex materia, & forma, & non potius extensionem substantialem, quia quidam faciunt

Cælum corporeum, & non compositum, & quidam Angelos compositos, & non corporeos; & quando etiam id concedatur, tale esse corporeum, non sufficit in animatis, sed esse debet extensum, & organicum, & hoc haberi non potest per sola accidentia, quia esse carneum, & offeum non est esse accidentale, sed substantiale. Ad 6. ait P. Faber Theor. 73. non esse idem iudicium ferendum de sensitiva, & vegetativa, & aliis formis inferioribus, quia etiam de istis verificatur illud commune dictum, quod anima est tota in toto, & tota in qualibet corporis parte, loquendo etiam de totalitate quantitativa, ut alibi fe ostensurum dicit, & hinc esse, quod dare nequeunt esse corporeum. Sed nullus unquam Philosophorum intellexit axioma illud de sensitiva, & vegetativa quoad totalitatem quantitativam, & in hoc sensu passim ab omnibus intelligitur de sola anima rationali, ut etiam ipse Faber fatetur Theor. 82. nam vera sensitiva, & vegetativa in se sunt formæ materiales, & divisibiles de potentia materie educæ, ut cætera. Præstat ergo dicere ex doctrina allata in tertia ratione, quod licet eiusmodi animæ ob suam materialitatem dare possent esse corporeum sic absolute consideratum, ut aliæ formæ materiales, dare tamen nequaquam possunt esse corporeum organice, quale convenit animantibus. Addimus ex dictis, quod anima non facit corpus, sed illud jam factum vivificat, & non dat esse corporeum, sed vivens.

Ad 7. licet non oporteat, formam esse formaliter talem, ut quod, quale esse tribuit, opus tamen est talem esse, ut quo, ut inde effectus formalis sit illi proportionatus, & non ejus naturæ repugnans, ut est in proposito esse corporeum respectu animæ rationalis. Nondum non currit paritas de forma corporeitatis, & vegetativa, aut sensitiva, quia illa secundum se est forma materialis, at gradus sensitivus, & vegetativus abstractum a materiali, & immateriali, & fundant conceptum communem hominibus, brutis, & plantis, qui ad bruta, & plantas contractus efficitur materialis, ad hominem immaterialis; & hinc est, quod anima sensitiva, & vegetativa includuntur eminenter in entitate physica animæ rationalis, non sic forma corporeitatis.

79 Secundo arguitur ex absurdis. Primo enim sequitur ex hac positione, quod homo non sit formaliter quantus, quia forma hæc corporeitatis dat esse extensum formaliter corpori pro altera parte, non homini: sequitur secundo, si etiam homini dat esse corporeum substantialiter hæc forma, quod in quolibet animali duo erunt corpora, corpus pro altera parte, & tertia entitas utique corporea, ex illo, & anima resultatans, unde, & omnia accidentia germinari debebunt, quantitas, qualitas, vulnera, cicatrices in utroque corpore, vel unum certe dabitur sine accidentibus. Tertio, hæc forma esset ingenerabilis, & incorruptibilis, quia agens nihil corrumpit, nisi illud sit impossibile formæ generandæ, sed hæc non repugnat formæ generandæ, sicut anima, sed est necessarius requisita ad esse ipsius, & sic redit opinio Avic. Quarto hinc sequitur, quod quotiescumque forma hæc remanet in materia prima sine anima, toties maneret genus sine specie, tum quia corpus est genus, tum quia forma hæc non dat esse specificum, sed genericum tantum. Quinto sequitur, idem esse corpus vivum, & mortuum, nam eadem forma corporis maneret, cum tamen genere differant.

Resp. hominem dici formaliter corporeum per gradum corporeitatis habitum a corpore pro altera parte, loquendo de gradu corporeitatis substantiali; dicitur vero quantus a quantitate inherenti corpori pro altera parte, sicut etiam dicitur justus, & intelligens ratione justitiæ, & intelligentiæ inherenti animæ, ad has enim denominationes non requiritur necessario inherentiæ accidentis in toto composito, quia harum denominationum sensus non est, compositum secundum se totum has formas subiectare, sed absolute subiectare illas secundum suam entitatem, vel partem, quod explicari potest exemplo totius integralis, nam homo dicitur videns, crispus, & simus: cum tamen visio sit in oculo, simitas in naso, in capillis crispitudo. Ad 2. concedimus, in quolibet animali duo corpora reperiri adinvicem compenetrata, ut pars cum toto, quod nullum est inconveniens, ut notavit Tatar. 1. Phys. q. 2. d. 2. quando unum corpus est pars alterius, neque ex hoc sequitur, geminanda esse eadem accidentia, aut alterum illorum corporum esse sine accidentibus, sed distinguenda sunt accidentia, quæ sequuntur formam corporeitatis, qualia sunt relata in argumento, & quæ sequuntur corpus totum ratione animæ, qualia sunt auditio, visio, motus progressivus animalis, & similia; illa priora inherenti corpori pro altera parte, sed quoque denominant corpus totum, ista vero inherenti corpori toti. Ad 3. negatur confessio, quia hæc forma corporeitatis non est nisi forma mixtionis, quæ est dispositio ad animam, & proinde in adventu animæ non recedit, recedit tamen, ut ex corpore hominis generentur vermes, & nova mixtionis forma producitur, quia ad aliam, & aliam animam specie distinctam, alia, & alia dispositio prærequiritur, ac proinde nequaquam redit opinio Avic. qui volebat, formam corporeitatis semper extare in materia sub utroque generationis termino. Ad 4. negatur consequentia, quia corpus, quod manet post animæ discessum, vel interitum, non est illud, quod ponitur in prædicamento, & habet rationem generis, sed est individuum incompletum in specie incompleta mixti, quod erat pars compositi viventis, unde nec sequitur individuum remanere cum esse generico absque specifico, quia est in specie incompleta corporis mixti, & sub genere

etiam, constituendo genus corpus mixtum in communi ad mixtum completum, & incompletum, & quando dicimus, hæc formam corporeitatis dare esse genericum absque specifico, hoc intelligi debet in ordine ad vivens, non in ordine ad corpus mixtum, quod constituit; hoc enim constituit, & in genere, & in specie imperfecta mixtionis. Neque hæc appellatur forma generica, quia non sit indeterminata species corporis mixti, & individua forma, sed dicitur generica, ut distingatur a cæteris formis mixtionis specificis, quæ dant esse completum compositis, & quia viventi dat esse genericum, & potentiale, per quod cessant omnes objectiones, quas congerit Averf. loc. cit. contra formam corporeitatis, nam faciunt contra hæc formam, ut ponebatur ab Avic. non ut ponitur a Scoto. Ad quintam, corpus vivum, & mortuum in ratione corporis non differunt, sed tantum in ratione viventis, quem gradum superaddit anima corpori, unde differunt specie dispartata, nec ut duæ species completæ, sed ut species, & pars speciei.

80 Tertio objicitur, quod non sit peripatetica hæc nostra opinio; Tum quia Philosophus 7. Met. 35. oculum, & carnem mortuam ait esse æquivoce carnem, & oculum, quod non esset, si forma carnis, & oculi maneret post animalis interitum; idem habet 2. de Generatione Animalium cap. 2. *Non est enim facies*, inquit Philosophus, *nisi animam habeat, neque caro, sed corrupta æquivoce dicitur facies, aut caro, perinde quasi lapidea, aut lignea facta sit*, quam comparationem valde exegerat Vasq. in 3. par. disp. 108. cap. 2. nam si prædicatum carnis æqualiter convenit carni mortuæ, lapidæ, & lignæ, utique non nisi æquivoce illi convenit; Tum deinde quia hæc forma corporeitatis statuitur ad organizandum corpus pro animæ receptione, quia ipsa est actus corporis organici, sed Philosophus secundo de Anima c. 1. inquit animam facere corpus organicum, & non illud supponere, nam inquit tex. 6. *anima est actus primus corporis naturalis potentie vitam habentis, tale autem quod, utique sit instrumentale*, idem habet tex. 7. & tandem tex. 10. concludit, *non est autem quod abiecit animam potentia existens, ut vivat, cum igitur partes corporis non sint organa, & instrumenta seclusa anima, clarissimum est, animam corpus organicum constituturæ, & non supponere*; Tum etiam forma hæc corporeitatis in se considerata non potest tribuere esse specie diversa, carnis, ossis, nervi, &c. cum secundum se sit una specie, forma, ergo non potest illud munus obire, ad quod excogitata est; Tum demum in sententia Philosophi 2. Phys. & alibi, omnis forma naturalis est principium motus, & quietis, quod huic formæ in animali non convenit, nam quilibet motus in animali ab anima ortum ducit, tamquam a principio.

81 Respondetur, partes animalium dupliciter spectari posse, primo in se, ut sunt quædam entia mixta, & hoc modo sunt plane eadem, five sint in corpore vivo, five mortuo. Secundo considerari possunt, ut sunt instrumenta quædam animæ, & hoc modo oculus, & caro mortua sunt æquivoce oculus, & caro, quia oculus in cadavere non est instrumentum animæ ad videndum, caro ad nutriendum; hæc expositionem deducit Raguf. disp. 17. ex 4. Met. cap. ult. ubi ait Philosophus, carnem mortuam esse æquivoce carnem, quia illa proprie dicitur caro, quæ potest facere corpus carnis, idest, quæ nutrimentum sibi appositum in carnem sibi similem convertere potest, quod non potest, nisi caro viva; ecce, quod Arist. loquitur de carne, ut est instrumentum animæ nutritioni deserviens: comparatio autem illa Phil. de carne ad mortuam, & lapideam, non est accipienda de carne mortua in se, sed ad hominem, & ad ejus operationem comparata; non enim minus caret propria operatione, & denominatione hominis caro mortua, quam caro lapidea, licet illa in se univoce dicatur caro, hæc æquivoce, & hic sensus colligitur ibi ex ipso contextu, & quidem si caro mortua non est nisi æquivoce caro, certe potest quisque vigiliis diebus comedere carnes absque periculo transgressionis præcepti. Ad 2. quicquid sit de animæ definitione, an corpus organicum stet pro altera parte compositi, vel pro constituto esse anima, & corpore, de quo Scot. videtur problematicum 4. d. 14. q. 1. corpus organicum dupliciter considerari potest, uno modo in se, & absolute cum illa varietate partium diversæ rationis, secundo ut hæc sunt instrumenta ad exercenda opera vitæ; primo modo negatur, quod constituat organicum per animam, quia cum hæc homogenea sit, & uniformis, non potest tot, tamque diversa esse præbere, carnis, ossis, & nervi; secundo modo constituitur organicum per animam, quia non sunt instrumenta idonea ad proximè exercenda opera vitæ, nisi per animam, & ita loquitur Philosophus ibi. Ad 3. forma corporeitatis non est in se unica forma secundum speciem, sic enim urgeret argumentum, sed potius est congeries illa formarum substantialium partialium, carnis, ossis, & nervi, ut docet Scot. in 3. d. 4. qu. un. & sequitur Ant. And. 7. Met. q. 6. Faber Theor. 75. Tat. 2. de Anim. q. 1. dub. 2. Zab. Raguf. Coninch. & quicunque formam corporeitatis tenent, in hoc sensu eam afferere debent; videmus enim, partes integrales ab animali separari per divisionem, os, pedem, oculum, manum, & eandem formam retinere, quam prius habebant, cum ergo sectio non sit productiva formæ substantialis, nec tam brevi tempore generari possit forma, v. g. ossis, quæ non nisi per multas alterationes, & concoctiones de potentia materie educitur, præstat dicere, singulas partes organicas habere suam formam partialem, & formam totius corporis non importare, nisi congeriem illarum, ut magis explicatur in lib. de Anima. Ad 4. dicimus, in animali animam esse principium motus progressivi, formam vero mixti esse pri-

principium illius motus, qui sit secundum elementum prædominans, unde animal cadens de Turri non movetur deorsum ab anima, sed a forma mixti gravitate affecta; alia argumenta ad hæc materiam spectantia commodius infra adducuntur disp. 5. q. 6. art. 1. & disp. 5. de Gen. q. 3.

Quarto demum objicitur ad probandum dari debere unam corporeitatis formam corporibus omnibus communem, sicut datur una materia, quia videtur par ratio. Resp. nullam profus esse necessitatem ponendi hoc modo formam corporeitatis, non debet poni, ut salvetur transmutatio substantialis, quia ad hoc sufficit sola materia, ut primum, & commune subiectum omnium formarum successive illas recipiens, & amittens: non ut det esse corporeum rebus, quia in simplicibus, & mixtis inanimatis ad hoc sufficit materia cum una forma specifica, ut pater ex dictis; Non ut seminarium aliarum formarum, e quo dicantur educi, quia ad evitandam creationem sufficit, quod sola materia præcedat; Non ut appetat formas, quia inter appetens, & appetibile non exigitur similitudo, sed proportio. Et denique non currit paritas de materia, & forma, quia materia est commune subiectum transmutationum, & ideo debet esse una specie in omnibus transmutabilibus, non sic forma.

QUESTIO V.

De potentia materie erga formas.

82 **M**ateria potentialis est, tam respectu formæ, cujus est subiectum, quam compositi, cujus est pars potentialis; hinc dubitari solet, an sit eadem potentia, qua respicit formam per modum subiecti, & compositum per modum partis potentialis, an potius duplex natura rei distincta, quarum prima dicatur passiva receptiva, altera passiva constitutiva. Pererius lib. 5. cap. 21. videtur has potentias distinguisse; at communis opinio Recentiorum eas non distinguit ex natura rei ullo profus modo; sed ajunt per eandem profus potentiam materiam dici receptivam formæ, & causativam compositi; ita Averf. q. 20. sect. 6. in principio, & Amicus tr. 5. q. 3. dub. 3. art. 2. ubi addit, has potentias esse distinctas ratione ratiocinata, quatenus concipitur eadem potentia inadæquate in ordine ad diversa munera, nam dicitur receptiva in ordine ad formam, & constitutiva in ordine ad compositum. Unicum hujus sententiæ fundamentum est principium quoddam in Philosophia a Recentioribus passim receptum, causalitatem nimirum materialem in ordine ad formam, & compositum, esse eandem, scilicet unionem materiæ ad formam, & solum inadæquate distingui per ordinem ad distinctos terminos inadæquatos; hinc postea consequenter philosophantur de potentia materie, quod sit una, & eadem ex natura rei in ordine ad formam, & compositum, sed cum inferiori disp. de principiis in factio esse simus futuri discordes in eo principio, quod per unionem scilicet materia causat compositum, hic etiam discordare debemus, nam si non est idem actus quo materia recipit formam, & compositum causat, sed sunt actus realiter distincti, ita quoque potentia receptiva formæ, & causativa compositi, falem ex natura rei formaliter fecerunt debent, nam potentia distinguntur per actus; quare si actus his potentiis correspondentes sunt inter se ex natura rei distincti, ut ibi fuisse probamus, hoc idem de istis potentiis hic asserendum est.

Quicquid tamen sit de hac re, parum refert in proposito, quia hic sermo est de potentia materie erga formas, ut pater ex ipso questionis titulo, de qua multa hic disputari solent a Scholasticis. Primo, An potentia passiva materie ad formas sit naturalis, vel neutra. 2. An tam ampla sit, ut extendatur ad omnes profus formas, etiam corruptas. 3. An sit una ad omnes formas, vel multiplex pro multiplicitate formarum. 4. An potentia receptiva formarum distingatur a sustentativa earundem, & an receptiva substantialium distingatur a receptiva accidentalium. 5. demum, An sit de essentia materie, vel ejus proprietates, an potius accidens superadditum; quæ singula dubia pro decisione singulos exposcent articulos.

ARTICULUS I.

An potentia materie ad formas sit naturalis, vel neutra.

Questio præcipue inter Scotistas vertitur, Rada namque 1. p. contr. 1. art. 1. & Cavellus disp. 4. de anima separata sect. 1. cum antiquioribus Scotistis præferunt cum Parisiensibus 1. Phys. q. 9. q. un. 2. collat. tenent, materiam, nedum naturaliter respicere formam in communi, sed etiam in particulari, tam secundum gradum genericum, quam specificum, & individuum. P. Faber ex opposito 1. sent. disp. 2. asserit, potentiam materiam ad formam in communi utique esse naturalem, ad formas vero in particulari esse tantummodo neutram, quam sententiam contra relatos Scotistas mordicose defendit Jordanus Muscatellus in suis considerationibus ad controversias Xantes Mariales consider. 4. per totum, & sequitur P. Sghemma 1. Phys. digress. 5. qu. 6.

83 Pro decisione notandum est ex Scoto quest. 5. Prolog. L. potentiam passivam, qualis est potentia materie, si ad agens comparatur, distingui in naturalem, & supernaturalem, naturalis est in ordine ad agens naturaliter formæ inductivam, supernaturalis in ordine ad agens non naturaliter formæ im-

pressivam; si vero comparatur ad formam, distingui in naturalem, violentam, & neutram; naturalis est, si passum naturaliter inclinatur in formam; violenta, si sit contra inclinationem ejus; neutra, si neque inclinatur in formam, neque ad oppositum. Sed quia inclinatio naturalis duplex est ex eodem Scot. 1. dist. 1. q. 1. in fine, alia determinata, qua passum determinate inclinatur ad unum tantum, ut grave deorsum; alia indeterminata, qua passum indeterminate in plura inclinatur; hinc oritur, duplex potentia naturalis, alia determinata, alia indeterminata; & similiter duplex potentia neutra, altera, quæ opponitur cuicumque inclinationi, tam determinatæ, quam indeterminatæ, quo sensu potentia neutra proprie, & in rigore sumitur, & præferat duplicem negationem, inclinationis scilicet, & repugnantiam, & connotando meram capacitatem in subiecto, altera, quæ opponitur inclinationi determinatæ tantum, quo sensu potentia neutra coincidit cum potentia naturali indeterminata; hoc prænotato.

Dicendum est, potentiam materiam ad omnes, & singulas formas, etiam secundum gradum specificum, & individuum inspectas, esse naturalem indeterminatam, quæ coincidit cum neutra secundo modo. Conclusio inter Scotistas communior est, & recipitur ab omnibus exteris. Quod potentia materiam ad omnes formas sit naturalis, aperte docet Scot. 2. d. 18. qu. un. D. ubi docet, materiam inclinari naturaliter ad quamcumque formam inducendam in ea; Quod vero talis sit indeterminata, colligitur ex 1. d. 1. quest. 1. cit. in fine, ubi ita loquitur. *Materia prima ad nullam formam determinate inclinatur, & ideo sub quacumque quiescit non violenter, sed naturaliter propter indeterminatam inclinationem in quamcumque, idem habet 4. d. 43. q. 4. C. ubi etatenus ait, violentiam non reperiri in primo passo, quatenus ad nullam formam determinate inclinatur. Probatur vero sic: omnis potentia receptiva in ordine ad formam, vel est naturalis, vel violenta, vel neutra, sed potentia materie est receptiva formæ, ergo vel est naturalis, vel violenta, vel neutra, non violenta, ut pater, non proprie neutra, cum forma sit perfectio materie, & unumquodque in suam perfectionem sit naturaliter propensum, restat ergo, ut sit naturalis, sed non est determinata ad hæc formam, quia tunc violenter quiesceret sub opposita, ergo est naturalis indeterminata ad omnes, & singulas.*

84 Resp. P. Faber & Muscat. ex ipso, materiam inclinari naturaliter, etiam in formas in particulari, non tamen secundum gradus específicos, aut individuales earum, sed tantum secundum gradum genericum, quatenus formæ sunt. Sed contra; Tum quia sicut materia recipit hæc formam, non ut actum in universali, sed ut talem actum in tali specie; ita contra forma pericit materiam secundum rationem, non tantum genericam, sed specificam quoque, & individuum. Tum quia materia secundum omnem suum gradum, & formalitatem est perfectibilis, ergo & forma est secundum omnem suum gradum perfectiva, atque ideo in eam materiam inclinatur secundum omnem rationem, etiam individuum, quia forma secundum totum suum esse informat, & pericit materiam. Tum quia, ut arguunt Parisienses, differentia addit perfectionem generi, ergo si subiectum inclinatur in perfectionem genericam, tanto magis inclinabitur in perfectionem specificam, ex quo capite etiam Philosophus 1. Met. ab initio probavit, Metaphysicam maxime inter alias scientias appeti, quia est perfectior cæteris. Tum etiam si aliquid receptivum naturaliter respicit aliquid commune, naturaliter etiam respicit omne contentum sub eo, unde Scot. quest. 1. Prol. ex eo, quod concedit naturalem inclinationem intellectus ad ens in communi, concludit, ipsum naturaliter inclinari ad cognitionem claram Dei. Imo sub littera X, acriter invehitur in Varonem, eo quia concedens, ens in communi esse objectum naturale intellectus, id ipsum postea de suis inferioribus audebat negare. Hoc involvit repugnantiam (ait Doct.) nam in omnibus potentiis respicientibus naturaliter aliquid commune, experimur, quod etiam naturaliter respiciunt omnia sub eo contenta; visus enim, qui colorem in communi habet pro objecto, habet etiam pro naturalibus objectis albedinem, & nigredinem, licet sint objecta inadæquata, ergo pariter dicendum in proposito de materia in ordine ad formam in communi, & formas in particulari.

85 Resp. Muscat. adhuc ex Fab. potentiam naturaliter respicientem aliquid commune, respicere quoque naturaliter species illius generis, sed secundum rationem genericam tantum, & sic etiam ait, visum naturaliter respicere pro objectis albedinem, & nigredinem, in quantum colores visibiles sunt, & non in quantum sunt species. Sed contra: Tum quia ex Scot. 1. d. 1. quest. 1. disputante contra Avic. potentia intellectus non quietatur, nisi ubi est objectum suum perfectissimum, & in summo scilicet in Deo, ubi ens est cum omni perfectione, ergo & entia particularia secundum peculiare rationes etiam cadunt sub objecto naturali intellectus. Tum quia Doct. in 2. d. 3. quest. 11. E. directe docet, albedinem, & nigredinem non tantum secundum rationem genericam coloris, sed etiam secundum rationes específicas, esse objecta visus, & sic universaliter docet, constitui debere objecta prima, & adæquata potentialiarum, non ut commune genus objectum potentie constituantur, ut supponit simpliciter, quia sic potentia tendere non posset in particularia objecta secundum rationes específicas, quod tamen falsum est, quia nos in albedine attingimus, non tantum rationem genericam coloris, sed etiam specificam, per quam a nigredine eam fecerimus, nec constitui debet, ut suppo-

supponit personaliter, quia si supponeret v. g. color pro albedine tantum, non posset visus ferri in nigredinem, quia foret extra latitudinem objecti adequati, si supponit pro omnibus, & singulis coloribus tantum, sic non haberemus unum per se objectum potentia specificativum, & ratio generica coloris foret invidibilis, sed debet constitui, ut supponit absolute pro gradu generico, specifico, & individuo objectorum a potentia attingibilium, ut sicut in lib. de Anima disp. 2. q. 4. ita igitur etiam in proposito forma specificat naturalem potentiam materiam, non ut supponit simpliciter pro sola ratione generica formæ, non personaliter, ut scilicet supponit pro omnibus, & singulis, sed ut supponit absolute pro generico, specifico, & individuo formarum, quia forma secundum omnes gradus est perfectiva materiam; Tum tandem quia si materia perficitur a forma tantum secundum gradum genericum, quando est sub una forma, tunc appetitus ejus foret totaliter fatiatus, nam intrantum ajunt, materiam per nullam formam totaliter fatiari, quia nulla affert sibi illam perfectionem, quam haberet ex alia, at si formæ perficitur materiam secundum gradum genericum tantum, tunc una æque perficit sicut alia, & quantum alia, quia una, & eadem est ratio perficiendi in omnibus, & singulis formis, & una quoad hoc aliam perfectissime contineret, quod argumentum adhuc magis urgebimus qu. seq.

86 Sed contra hanc communem Scotistarum opinionem acriter invehitur pro Fab. Muscat. loc. cit. Primo, quia si potentia materiam naturalis est ad formam in particulari secundum gradum specificum, ut v. g. ad formam ignis, sequitur, quod violenter detineatur sub forma aquæ. Nec Respondere valet, hoc secutum, quando determinate inclinaretur ad formam ignis, ad inclinatur solum indeterminate, ideo non sequitur violentia in materia. Non valet, quia semper vera est illa propositio, quod nulla potentia inclinatur ad opposita, & sumitur ex Arist. 3. Phys. tex. 10. & 11. Met. sum. 4. cap. 1. quibus in loc. ait potentias ad contraria esse diversæ rationis, ut potentia ad ægrotare, & sanari, nam aliqui idem esset ægrotari, & sanari. Nec rursus dicere valet, propositionem illam esse veram de inclinatione determinata, & adæquata, non de indeterminate, & inadæquata, ut est inclinatio materiam ad formas in particulari, quia actus oppositi sunt impossibiles in eodem subiecto: ergo non datur in eo potentia naturalis ad ambos indeterminata. Et si dicatur, hujusmodi potentiam non esse ad ambos conjunctim, sed disjunctim, signum est, quod ad illos non habet eandem inclinationem, sed diversam, & sic in eodem subiecto ponerentur non solum diversæ, sed etiam oppositæ inclinationes.

Resp. materiam naturaliter quiescere sub quacumque forma, propter indeterminatam inclinationem ad quacumque, & ita in terminis solvit hoc argumentum Doct. in 1. d. 2. qu. 1. in fine, & falsum est dari non posse potentiam indeterminatam ad opposita disjunctim, hanc enim Scot. 1. d. 39. E. & omnes admittunt in voluntate ad oppositos actus, velle, & nolle; Arist. vero multi explicant de sola distinctione rationis; Canon. 1. Phys. q. 9. dub. 5. explicat de potentiis proximis, & in ultima dispositione ad actum, non de remota, quæ esse potest una, vel ut melius ex ipso contextu dicitur, Arist. non loqui de potentia passiva secundum se, sed relata ad potentiam objectivam terminorum, ut sensus sit, si posset ægrotare, idest ægrotatio possibilis est idem cum posse sanari, idest sanitate possibili, hinc statim sequitur, sanari, & ægrotare idem esse, quia ens in potentia objectiva est illud idem, quod potest fit in actu 9. Met. tex. 7. ita hunc locum exponit Scot. in 4. d. 11. q. 3. sup. X. Alii dicunt Philosophum ibi velle solum quod posse valere, & ægrotare differunt ex parte terminorum, infert enim, *namque valere, & ægrotare idem esse.*

87 Secundo, dicere, potentiam materiam esse naturalem indeterminatam, aut idem est, quod eam asserere neutram, aut certe implicat in adjecto: Nam ex una parte indifferentia, indeterminatio, & neutralitas idem significant, unde si materia respicit formas indeterminate, jam respicit neutraliter. Ex alia parte naturalitas, inclinatio, & determinatio ad unum idem significant: natura enim dicitur ad unum determinata ex 2. Phys. ergo dicere, materiam naturaliter indeterminate in formas inclinari, vel est repugnantia in adjecto, vel idem est, quod eas respicere neutraliter, quare omnes Scot. veteres vocat Grossipedales, quia distinctionem dederunt de inclinatione determinata, & indeterminata.

Resp. negando assumptum quoad utramque partem, si de neutralitate sumpta in rigore fit sermo, quæ dicit negationem conjunctivam inclinationis, tam determinatæ, quam indeterminatæ, nam de neutralitate secundum quid sumpta, ut nimirum dicit negationem inclinationis determinatæ, gratis admittunt. Et cum dicitur, indifferentiam, indeterminatam, & neutralitatem idem significare, negatur, si neutralitas formatur in rigore, quia neutralitas sic inspecta quacumque inclinationem excludit, non autem indifferentia, vel indeterminatio. Falsum item est, quod naturalitas, & inclinatio idem sint, quod determinatio ad unum, si naturalitas absolute sumatur, & non in toto rigore. Et auctoritas ad hoc allata ex 2. Phys. quod natura est determinata ad unum, non est ad rem, quia, ut explicat Doct. quodl. 2. F. intelligitur de agente naturali, ut a libero fecernitur, quia ubi hoc positus omnibus prærequisitis ad agendum, est indifferens ad utrumlibet, quia potest agere, & non agere, agens naturale est determinatum ad alteram contradictionis partem. Falsum denique est, quod ponere

inclinatorem indeterminatam sit implicita in adjecto, tum quia loquitur Scot. 1. d. 1. q. 1. in fine, dum ait in materiam naturaliter quiescere sub quacumque forma propter indeterminatam inclinationem ad quacumque, tum quia non implicat, dari in re talem inclinationem, & propensionem ad aliquam suam perfectionem, ut si illa careat, dicatur in statu violento, & contra suam inclinationem manere: sic de facto dicitur grave inclinatum ad ubi deorsum, ut si extra illud sit, violenter maneat. Nec etiam implicat, inclinationem sumi pro propensione tali ad aliquam specialem perfectionem, quod si ea privaretur, non propterea violenter existeret, quia aliam consimilem haberet, & æque sibi proportionatam, ut illa; Sic de facto dicimus, intellectum ita naturaliter inclinari in unam intellectionem, quod ea carens, & sub alia existens, non idcirco violenter existit; Imo inclinatio, quam habet homo ad plures actus videndi, quomodo vocari debet; inclinatio neutra, vel potius indeterminata ad hunc & illum actum? si secundum, haberetur intentum, quod datur inclinatio indeterminata: si primum; certe si apud Muscat. non implicat in adjecto inclinatio neutra, minus apud nos implicabit inclinatio indeterminata; quare immerito vocat Scotistas veteres Grossipedales. Et quamvis P. Fabro sit plurimum tribuendum, ut de doctrina Scot. benemerito, non idcirco aliis Scotistis detrudere debet.

88 Tertio arguit; Si materia inclinatur naturaliter inadæquate ad formam ignis, & aquæ, sequitur, quod naturaliter possit simul sub utraque forma quiescere, quia omnis potentia potest actu, & simul esse sub adæquato termino, & sub adæquata forma. Nec respondere valet, quod eas respicit disjunctim, non conjunctim; Tum quia ex hoc, quod singulas respicit, ut terminos inadæquatos, sequitur, quod possit simul esse sub utraque, imo & sub omnibus formis, quia omnes consuntur terminum adæquatum, & non repugnat, potentiam esse simul cum suo termino adæquato; Tum quia si solum divisim eas respicit, sequitur, quod cum unam dimittit, & aliam recipit, inclinatio naturalis ejus mutatur, neque enim eadem naturalitate potest formas oppositas recipere.

Resp. negando consequentiam, nam voluntas etiam respicit velle, & nolle, ut actus inadæquatos, & tamen nequit esse sub utroque, quod & in multis aliis contingit, & ideo falsum est, univrsaliter loquendo, quod potentia possit simul, & semel esse sub actibus inadæquatis, quia multoties isti sunt adinvicem impossibiles, & argumentum urget quoque Muscat. ipsum qui ponit, materiam respicere singulas formas neutraliter, ut terminos inadæquatos; Quare, & ipse rationem teneat assignare, cum singulæ formæ sint actus inadæquati illius potentie neutre, non possint simul actuare illam, nec aliam assignare potest, nisi a nobis allatam. Nec sequitur, materiam, cum unam formam dimittit, & oppositam recipit, mutare naturalitatem, quia ejus inclinatio ad unam non est ita determinata, ut aliam respiciat disjunctim, sicut nec naturalitas voluntatis mutatur, dum de nolente fit volens, aut e contra.

89 Quarto objicit; Tum quia sicut ex hoc, quod terra naturaliter inclinatur ad esse in loco in communi, non sequitur, quod naturaliter inclinetur ad hanc, vel illam speciem loci; ita ex hoc quod materia naturaliter inclinatur ad formam in communi, non recte deducitur, quod naturaliter quoque inclinatur in hanc, & illam formam; Tum 2. quia quæ competunt alicui per se secundo, non competunt illi, nisi ratione illius, cui competunt per se primo, & ablato illo, huic non competunt, ideo enim homo est sensitivus, quia est animal, & si homo non esset animal, non esset sensitivus, ergo sic in proposito, si materia respicit per se primo formam in communi, & formas específicas per se secundo, sequitur, quod licet materia naturaliter inclinatur ad formam in communi, non idcirco debet naturaliter respicere formas específicas, ut sic, sed secundum rationem genericam tantum ut formæ sunt; Tum 3. quia si potentia materiam est ad formas specie distinctas ut sic, & non tantum secundum rationem genericam, sequitur, quod in materia erunt potentie specie distinctæ, sicut, & formæ, quibus specificantur, specie differunt. Tum tandem, quia Scot. 4. d. 48. q. 2. O. ait, quod universaliter, quando subiectum ad neutrum contrariorum determinate inclinatur, neutrum respicit naturaliter, vel violenter, & ex hoc probat ibidem, motum Cæli esse neutrum, ergo simplex indeterminatio constituit naturalitatem in sententia Doctoris.

Resp. ad 1. negando paritatem. Terra namque inclinatur ad locum in communi, sed non ut supponit absolute, descendendo scilicet ad quacumque locum particularem; at materia inclinatur ad formam in communi, ut supponit absolute, quia est perfectibilis a formam secundum omnes gradus ipsius formæ, & argumentum urget quoque ipsum Adversarium, nam sicut ex hoc, quod terra inclinatur ad locum in communi, non recte deducitur, quod sit in potentia neutra ad loca particularia, quia ad locum sursum habet repugnantiam: ita ex hoc quod materia habet inclinationem naturalem ad formam in communi, non licet inferre, quod sit in potentia neutra ad formas in particulari. Ad 2. falsum est quod formæ specificæ competat potentia informativa ea ratione præcisè, qua formæ est, sicut homini competit esse sensitivum, ea ratione præcisè, qua animal est, nam gradus quicumque formæ, tam specificæ, quam individualis est informativus, & perfectivus materiam, & ratio informandi quidditative includitur in quolibet prædicato formæ, quo non convenit cum materia. At non ita sensitivum includitur in quacumque hominis formalitate, quia non in rationalitate, cum differentia inferior non includat superiorem. In

In tantum autem dicimus, materiam per se primo respicere formam in communi, & per se secundo formas in particulari, quatenus universaliter sunt priora singularibus in subsistendi consequentia. Ad 3. consequentia valeret, si forma terminaret appetitum materiam, & ejus potentiam specificaret, ut supponit personaliter, at supradictum est, non ita specificare, sed tantum, ut supponit absolute; hæc enim unitas ex parte formæ sufficit ad constituendam unitatem potentie universalis materiam. Ad 4. Scot. explicari debet ibi juxta ipsius doctrinam traditam 1. d. 1. quæst. 1. quod nimirum quando subiectum ad neutrum contrariorum determinate inclinatur, neutrum respicit neutraliter, loquendo de neutralitate in rigore, sed respicit neutraliter, loquendo de neutralitate secundum quid, ad cujus constitutionem utique sufficit sola indeterminatio, in quo sensu etiam dici potest motus Cæli neuter, ut suo loco dicimus in lib. de Cælo. Rationes, quas ad idem adducit P. Sghem. loc. cit. solvantur ex dictis, & omnes procedunt de neutralitate determinata.

ARTICULUS II.

An potentia naturalis materiam extendatur ad omnes proflus formas, etiam corruptas.

90 **S**enserunt quamplures, materiam non esse capaceam formæ corruptæ, per potentiam sibi innatam, & naturalem, sed tantum per potentiam obedientialem; ita significavit Arg. 4. dist. 43. q. 1. art. 1. Sone. 5. Met. q. 18. art. 1. ad 2. & ex nostris Petrus de Aquila 4. dist. 43. q. 2. ubi negat corruptum naturaliter posse produci, quia non habet eandem potentiam, Compl. q. 8. dist. 3. Arriag. dist. 2. Phys. sect. 4. & alii.

Communior sententia tenet, materiam habere potentiam naturalem ad formas quoque corruptas; quare, quod non possit naturaliter idem effectus redire, non provenit ex defectu, vel immutatione potentie in materia, sed ex aliis capitibus, ita Recentes omnes, Hurt. in Phys. dist. 2. sect. 3. Averla. qu. 20. sect. 6. Ruyus 1. Phys. tract. 1. qu. 7. dub. 4. Amicus 1. Phys. tract. 5. quæst. 6. dub. 2. & alii passim.

Pro decisione quæstionis, notandum est, nos hic disputare nolle, an idem numero effectus possit naturaliter reproduci, quia de hoc agimus in lib. de Gener. sed nos hic cum communiore supponere, quod non possit, quamvis enim de quibusdam potest probabiliter oppositum sustineri cum Scot. 4. d. 43. q. 3. tamen, quia de omnibus in universum id asseri non potest, & quæstio proposita loquitur universaliter de omnibus formis corruptis, ideo superfluo modo quæstionem hanc exagitate, supposita communi opinione. Deinde recolendum est ex art. præcedenti, potentiam passivam in ordine ad agens distingui in naturalem, & supernaturalem, in ordine ad actum distingui in naturalem, violentam, & neutram; & potentiam materiam in ordine ad formam esse naturalem; quibus nunc addendum est pro exacta solutione quæstionis, quod hæc naturalis potentia materiam tribus modis potest respicere formam, proxime, remote, & remotissime. Potentia proxima in materia est capacitas recipiendi formam cum dispositione ad illam recipiendam, sic materia ligni v. gr. quando jam per calorem, & siccitatem est disposita ad recipiendam formam ignis dicitur habere potentiam proximam ad illam. Potentia remota est eadem materiam capacitas nuda abique dispositionibus ad formam, quas tamen habere potest naturaliter, seu ab agente naturali; sic eadem materia ligni antequam exsiccata sit, & calefacta, dicitur habere potentiam remotam ad formam ignis recipiendam. Potentia tandem remotissima est nuda materiam capacitas ad formam sine dispositionibus, quas naturaliter potest habere, & sic materia habere dicitur potentiam naturalem ad formas corruptas, ad quas tamen disponi nequit virtute naturalis agentis: hoc prænotato.

91 Dicimus, materiam habere potentiam naturalem ad omnes proflus formas, etiam corruptas, sensu nunc explicato, naturalem nimirum, si potentia materiam comparetur ad formam, & eam remotissime respiciat; nam si comparetur ad agens, non habet ad formas corruptas potentiam naturalem, sed supernaturalem, & obedientialem. Conclusio est Scoti 4. d. 43. quæst. 3. H. & quoad primam partem probatur; potentia materiam est capacitas recipiendi formas, ergo materia habet capacitatem recipiendi formas, etiam corruptas, quia talis capacitas, vel est de ejus essentia, vel factum ei realiter identificata velut proprietatis, ut postea dicitur; quod si eas non recipit, nec naturaliter recipere possit, non est quia sit defectus capacitatis in materia, sed defectus est ex parte formæ, quæ cum semel destructa est, non potest iterum redire, quia a privatione ad habitum naturaliter non fit regressus, quemadmodum v. g. vas aliquod semper habet capacitatem recipiendi vinum, etiam corruptum, sed non recipit, nec recipere potest, non ob defectum suæ capacitatis, sed quia vinum corruptum non potest iterum redire naturaliter. Confir. ex Scot. loc. cit. quia si Deus reduceret eandem formam in materia, illa faceret per se unum cum materia naturaliter, sicut prius, ergo in materia esset potentia respectu ejus eadem, quæ prius, consequentia patet, quia hæc eadem ratione dici solet, quod si cæco supernaturaliter restitueretur potentia visiva, videbit deinceps naturaliter, sicut prius, quia ad eam habet potentiam passivam naturalem eandem, quam prius habebat. Denique anima separata adhuc in tali statu

retinet potentiam informativam corporis, ut docet Scot. quodl. 13. Mm. & D. August. notavit lib. 12. super Genes. ad litteram cap. 35. ergo, & materia retinebit eandem potentiam informabilem; item potentia activa non definit ad definitionem actus, quem produxit, nec ullo proflus modo imminuitur, ergo neque potentia passiva definit ad definitionem actus, quem recipit, nec ullo modo in se imminuitur.

Resp. Arr. cit. n. 54. appetitum materiam primæ non esse solam materiam, sed ipsam simul cum negatione reali primæ productionis formæ, quare appetitus ille non est denominatio omnino intrinseca materiam; ratio a priori est, quia appetitus materiam est potentia naturalis illius ad formam sibi convenientem, sed potentia naturalis ad illam formam, non est omnino intrinseca materiam, includit enim negationem primæ productionis, ergo nec appetitus erit adæquate intrinseca, sicut in causa creata posse proxime operari non est denominatio omnino intrinseca, quia includit etiam voluntatem Dei concurrenti simul cum creatura; hinc negat post corruptionem formæ manere adæquate totam entitatem appetitus, & potentiam.

Hæc solutio facile rejicitur tum ex dictis in Log. dist. 8. quæst. 3. art. 1. in fine, ubi generaliter damnatur hunc Neotericorum modum explicandi rerum essentias, & formalitates per denominationem partium intrinsecam, partium extrinsecam; tum ex infra dicendis de appetitu materiam, qui cum formaliter, & in recto importet formalitatem positivam, male ponitur includere quidditative aliquam negationem; tum quia eadem ratione falsum est potentiam naturalem materiam ad formam, ut sic, includere negationem primæ productionis ejus, quod si eam aliquo modo concernit, vel constar, hoc ei convenit, non quatenus potentia naturalis, ut sic, sed quatenus proxima, vel remota, ut supra declaratum est, quare destructa forma integer adhuc permanet appetitus, & potentia materiam quantum ad omne id, quod importat formaliter, & in recto, & solam denominationem amittit, quod fit proxima, vel remota, quæ denominationes sunt ei accidentales; videatur dist. 5. de Gen. & Cor. quæst. 7. art. 2. ubi discutimus quæstionem, an semel corruptum possit denuo reparari naturaliter, a quo dependet omnino præsens quæstio, & occurrimus argumentis Arriag., & aliorum.

92 Probatur deinde Conclusio quoad alteram partem; non datur agens naturale potens eundem numero effectum reproducere, & eandem de novo formam in materia reparare; potest tamen id fieri virtute agentis supernaturalis, ut Scotus offendit loc. cit. & nos suo loco probabimus, ergo potentia materiam ad formas corruptas in comparatione ad agens non est naturalis, sed supernaturalis, & obedientialis.

In oppositum objicies primo; Non datur potentia naturalis activa ad formam corruptam reproducendam, ergo nec passiva in materia ad eam recipiendam, patet consequentia, quia omni potentie passivæ naturali correspondet activa naturalis, quod probatur; Tum quia potentia passiva definitur per ordinem ad activam 5. Met. 17. Tum quia virtute hujus propositionis Philosophus 3. de Anim. tex. 17. probat quoque in ea dari intellectum agentem, ipsum possibilem deducendum ad actum, ex eo quod in anima rationali est intellectus possibilis; Tum quia alias illa potentia in natura esset frustra; Tum tandem quia natura non deficit in necessariis, ideo quando alicui rei tribuitur propensionem ad aliquem finem, simul elargitur instrumenta necessaria ad ejus consecutionem, qua de causa Arist. 2. de Cælo cap. 8. concludit, Astra non habere vim progressivam, eo quia natura non dedit eis instrumenta ad motum progressivum peragendum.

Resp. quod Thomista laborant pro hujus argumenti solutione, quia propositionem illam, quod omni potentie passivæ naturaliter correspondet activa naturalis, habent pro axioma irrefragabili, at Scotista nullo negotio solvunt, negantes illam Propositionem esse universaliter veram cum Scoto q. 1. Prol. infra Q. & 4. d. 43. q. 3. ad 1. & d. 49. q. 11. R. Nam anima separata inclinatur naturaliter ad corpus, & in corpore est potentia naturalis passiva ad animam intellectivam, & potentia visiva cæca est in potentia naturali ad visum, & tamen nulla est potentia activa naturalis has potentias passivas potens deducere ad actum. Verum igitur est, cuilibet potentie naturali passivæ correspondere activam, non tamen semper in natura creata, sed in natura, hoc est, in toto ordine entium, etiam secundum Philosophum, & hæc ratione potentia passiva definitur per ordinem ad activam, & per hoc patet ad primam probationem illius propositionis. Ad 2. ex vi illius propositionis Phil. 3. de Anim. probat solum, quod intellectui possibili correspondet facultas agens, non tamen probat virtute ejus, quod sit in eadem numero natura radicata, sed solum quod assignari debeat in toto ordine entium, ut Mercen. colligit tom. 1. dilucid. pag. apud nos 237. unde nonnulli volunt, Deum esse intellectum agentem. Ad 3. non sequitur, illam potentiam esse frustram, tum quia semel est reducta ad actum; tum quia est reducibilis ad actum per alias formas a naturali agente; tum quia, & si ad actum reduci nequeat per illam formam a naturali agente, potest reduci ab agente superiori, quod sufficit, ne frustra dicatur. Ad 4. non ob id natura dici debet in necessariis deficere; tum quia in tota coordinatione entium datur agens naturale, quod eam deducit ad actum, & supernaturale, quod iterum eam reducere potest, tum quia nemo deficere dicitur, quando non dat quod non potest, ut ait Scot. q. 1. Prol. Y. Arist. autem 2. de Cælo loquitur speciatim de potentia ordinata a natura ad motum progressivum, quæ

quæ est organica, de qua utique concedi debet, quod cui datur talis potentia a natura, eadatur & organum, per quod deduci possit ad actum, & ideo inquit Doctor, hinc trahi non posse consequentiam universalem in omnibus potentiis, quia non omnes sunt organicae. Denique probabile est, quod Hurtadus docet cum multis aliis loc. cit. agens naturale non posse effectum corruptum denuo reparare, non ex intrinseco defectu, & impotentia eius, sed per accidens, ex lege ordinaria, qua Deus decrevit, agentibus naturalibus nolle concurrere suum præstare ad reparandos effectus jam corruptos ad constituendam varietatem individuum.

93 Secundo objicies absurda, quæ sequerentur. Primo enim sequeretur, quod inclinatio naturalis esset ad impossibile; deinde quod resurrectio mortuorum supernaturalis non esset. Denique quod materia semper violentiam pateretur, cum non detur in natura agens potens producere actum, quo ille appetitus expleatur.

Resp. negando sequelam primi absurdi; quamvis enim inclinatio naturalis non sit ad impossibile simpliciter, potest tamen esse ad impossibile secundum vires naturæ creatæ, & talis de facto est inclinatio oculi cæci ad visum. Nec sequitur secundum absurdum, quamvis enim resurrectio naturalis sit, comparando materiam in ordine ad animam, non tamen naturalis est, comparando eam in ordine ad agens, ex Scot. cit. in 4. Negatur tandem tertium absurdum sequi, quia, ut diximus articulo præcedenti, materia ad nullam formam determinate inclinatur, & ideo nullius certæ formæ privato eam ponit in statu violento, sed tunc tantum ad talem statum reduceretur, si omnibus simul, & semel privaretur. Nec refert, appetitum ad formam corruptam expleri posse per agens naturale, sufficit enim, ne in statu violento dicatur esse, ut possit ab agente naturali alias formas recipere.

94 Tertio demum objicies, quod materia non sit in potentia ad omnes formas, quia tunc naturaliter posset esse sub omnibus; Et præcipue quod non sit in potentia naturali ad animam rationalem, quia hæc non educitur de potentia illius, materia vero non dicitur habere potentiam naturalem, nisi ad formam ex ejus potentia educibilem.

Resp. negando consequentiam, habet quidem materia simul potentiam ad omnes formas habendas, sed non ad habendas simul, sed successive, & est, quod Logici dicunt, in materia similitas potentia ad omnes formas; non autem potentia similitatis, de qua duplici similitate vide Doctorem 1. d. 39. K. negatur etiam, quod materia non sit in potentia naturali ad animam rationalem, quamvis ex ejus potentia non educatur, falsum enim est, materiam solum ad eas formas naturalem potentiam habere, quæ ex illius potentia sunt educibiles.

ARTICULUS III.

An potentia materia sit una ad omnes formas, vel potius multiplex.

Scotista nonnulli Doctorem faciunt problematicum in hac re ex his, quæ habet in 4. d. 11. q. 3. I.

95 Pro decisione quaestri notanda est ex Canonico nostro 1. Phys. q. 9. dub. 5. & Parisiensibus 1. Phys. q. 9. quaestiuicula 3. collat. distinctio de duplici potentia materiae, altera proxima, & particulari, altera remota, & universali. Potentia proxima, & particularis dicitur esse illa, qua materia per aliquas dispositiones accidentales, verbi gratia, calorem, & siccitatem est determinata, seu potens recipere particularem formam ignis; Remota, & universalis est illa, per quam materia nullis adhuc affecta dispositionibus respicit universaliter omnes formas, & æque omnes recipere potest, cum non sit ab agente determinata per dispositiones accidentales potius ad hanc formam, quam ad illam. Hoc prænotato

Dicendum est, potentiam proximam, & particularem esse in materia multiplicem, juxta formarum multipliciter, at universalem, & remotam esse ad omnes unam. Conclusio est communiter recepta, nedum apud nostros, præsertim vero Canonicum, & Parisienses cit. sed etiam apud externos, Perer. lib. 5. cap. 21. Zabara lib. 1. de Materia cap. 15. Averfam quaest. 20. sect. 7. & alios quamplures.

Quoad 1. partem colligitur ex Scoto 1. dist. 1. qu. 1. ad 4. ubi ait, tot esse appetitus materiae ad formam, quot sunt formæ receptibiles in ea, ubi Vigerius, & Barbius advertunt Doctorem loqui de appetitu materiae, non aptitudinali, hic enim unus est in materia ad omnes formas, sicut una est aptitudo ridendi in homine ad multos actus, sed actuali, qui utique ad multitudinem formarum multiplicatur; Clarus colligitur ex 4. d. 43. quaest. 3. K. ubi docet, quod tot sunt potentia in materia, quot formæ receptibiles in ea, nedum specie, sed numero, imo ad unamquamque formam singularem tot esse potentias in materia, quoties eadem forma de novo possit induci in materiam; & quod loquatur de potentia proxima, & particulari, clare deducitur ex eo, quod loquens ibid. de potentia universali, & remota, quam ibi vocat ordinem aptitudinalem receptivi ad receptum, ipsam ponit unam, immutabilem, & invariabilem, ex quo patet, Averfam decipi, dum ex hoc loco colligit, Doctorem fuisse opposita sententia, & quoad hanc partem facillime suadet conclusio, quia cum hæc potentia particularis, & proxima materiae conveniat, quatenus per accidentia disponitur ad certam formam, sicut

varia, & multiplices sunt dispositiones pro varietate formarum, ita etiam potentia hæc variabitur, & multiplicabitur.

Quoad alteram partem colligitur ex Scoto ejusdem loci, & etiam ex 1. d. 4. quaest. 1. in fine, ubi habet, materiam naturaliter quiescere sub quacumque forma ob ejus indeterminatam inclinationem ad omnes, ex quo patet, Doctorem unam tantum admittere in materia inclinationem universalem ad omnes formas, quia si cujuslibet formæ propria corresponderet inclinatio congenita materiae, jam quacumque inclinatio materiae ad formas esset determinata, unde quamvis in 4. dist. 11. quaest. 3. I. problematicus de hac re videatur, tamen cum ibi de hac materia ex professo non loquatur, ad id standum est, quod inferius determinat dist. 43. quaest. 3. & etiam facile suadet quoad hanc partem: Tum quia una potentia sufficientissima est ad omnes formas recipiendas, una nimirum remota, & universalis. Tum quia, ut ajunt Bargius, & Vigerius, in homine una sufficit inclinatio ad multos actus ridendi, similiter in gravi una tantum propositio ad multos descensus, ergo pariter in materia una sufficit inclinatio ad omnes formas, probatur assumptum, nemo enim sanæ mentis plusquam unam agnoscat risibilitatem in homine, & plusquam unam in lapide gravitatem, & ideo nullus rationabiliter negare potest unam, & eandem esse in homine inclinationem ad varios actus ridendi, & in gravi ad varios descensus. Tum quia in subiecto contrariorum receptivo, una est potentia contrariorum receptiva distinctam 9. Met. tex. 17. & 19. & 4. Met. 20. ergo pariter in materia una tantum erit potentia formarum incompossibilium susceptiva successive. Et hæc ratione materia dicitur potentia contradictoria, quia nimirum per eandem potentiam respicit plures formas, simul impossibiles. Tum quia si alia est potentia ad formam ignis, alia ad formam aquæ, possent simul recipi in materia istæ formæ, cum in ea reciperentur non secundum eandem, sed secundum alias, & alias potentias, sicut pariter eadem materia secundum diversas partes potest recipere diversas formas; Tum quia, tunc tot in actu admitti deberent reales potentia, & aptitudines in materia, quot successive sunt formæ possibiles in ea; Tum tandem, quia cum potentia universalis materiae sit illi essentialis veluti innata proprietates, melius ponitur una, quam infinitæ, & hæc immutabilis, & invariabilis semper.

96 In oppositum objicitur Primo, potentiam materiae ad omnes formas non esse unam; Tum quia actus, & potentia sunt ejusdem generis, & speciei 9. Met. 7. ergo cum formæ sint speciei diversæ, sic etiam erunt potentia in materia; Tum quia relationes, præsertim in Scoti sententia, multiplicatur ad multiplicationem terminorum 3. d. 8. q. unica, ut in patre paternitates ad filiorum multiplicationem; Tum quia si esset una materia habens unam tantum potentiam ad certam formam, v. g. ignis, & esset alia materia unam tantum habens potentiam ad aliam formam, scilicet aquæ, utique specie differrent, ergo nunc etiam in una, & eadem materia erunt potentiae specie differentes; Tum tandem quia 3. Phys. 10. non est una, & eadem potentia ad contraria, scilicet ad sanitatem, & agritudinem, ergo nec est una, & eadem potentia in materia ad formas impossibiles.

Resp. ad 1. ex Scot. 2. dist. 16. qu. unica A. illam auctoritatem intelligi debere de potentia, & actu, prout sunt differentia entis, non de potentia activa, & passiva, & actu eis correspondente, non enim potentia ad quantitatem est quantitas, potentia ad ubi est ubi, & sic de aliis. Ad 2. verum est, quod ait Doctor de relationibus ad terminos totales, & adequatos comparatis, & de his loquitur 3. dist. 8. quaest. unic. nam respectu paternitatis, quilibet filius distributive est terminus adequatus, & sufficiens, ut in patre resultet paternitas, at respectu terminorum inadæquatorum falsum est, quia singuli sunt insufficientes ad positionem relationis in fundamento, & omnes simul constituunt unum terminum adequatum, & sufficientem ad ponendam relationem in fundamento, exemplificat Doctor 4. dist. 1. q. 2. O. de tractu Navis a pluribus, quos simul respicit, & collective in ratione termini adæquati. Potentia universalis materiae in proposito respicit singulas formas, ut terminos inadæquatos, & omnes simul ut adequatum terminum, & totalem. Ad tertium in eo casu utique, & materia illa, & potentia ambarum essent diversæ speciei, quia nimirum formas illas specificas respicerent, ut terminos adequatos, & adequatas specificantes ipsas, at non ita est in proposito, quia potentia materiae est ita ampla, ut nullam formam specificam respiciat pro adequato termino, sed omnes collective, quod declarari potest exemplo sensus communis, & exterorum, peculiaris enim objecta, color, odor, sapor, &c. constituunt diversos specie sensus externos, quia sunt objecta adequata singulorum, & sensum commune non multiplicat; quia cum sit majoris ambitus, quam externi, sunt respectu illius objecta inadæquata. Ad 4. jam art. 1. hujus quaest. dictum est ex Scot. 4. dist. 11. quaest. 3. super X. quod Arist. non intelligitur de potentia receptiva, & actu recepto, sed de potentia, & actu, ut sunt differentia opposita entis, ut apparet de posse sanari, & posse ægrotari, de quibus exemplar; non est autem verum [de potentia subiecti], quia eadem potentia receptiva potest poni in corpore respectu duorum contrariorum, licet actus non sint idem.

97 Secundo objicies absurda, quæ inde sequerentur. Primo enim sequeretur potentiam materiae esse infinitam virtutis in genere causa materialis, hæc enim ratione Deus dicitur infinita virtutis

in genere causa efficientis, quia infinitos effectus sineathegoricè potest producere, nec terminus intrinsecus ei potest assignari, cum igitur eodem modo se habeat potentia materiae ad omnes formas suscipiendas, erit utique infinita virtutis in genere materialis causa. Deinde sequeretur, potentiam materiae esse indeterminatam; quare non magis recipere posset unam formam, quam aliam, & ita de se nullam exigeret formam, quod est contra ejus naturam. Postremo sequeretur, formam non informare materiam, nisi secundum gradum genericum formæ, contra dicta art. 1. hujus qu. Consequentia patet, quia in tantum defenditur unitas potentia materiae ad omnes formas, quatenus nimirum omnes, & singula informant sub ratione actus in universali, quia unum ut unum requirit specificationem a pluribus ut pluribus, sed ut habet unam communem quandam rationem. Si ergo omnes informant materiam, etiam secundum gradus específicos distinguendæ sunt in materia plures potentia ad formas.

98 Resp. eandem urgere difficultatem, etiam si potentia multiplicentur ad multiplicationem formarum, nam ab omnibus illis redditur materia infinita capacitatis; Dicendum ergo ex Scoto in 3. dist. 14. quaest. 2. in calce Q. quod capacitatis materiae ad infinitas formas successive non concludit infinitam virtutem receptivi, quia potentia passiva a toto genere nullam importat perfectionem, ut declarat Licher. 2. d. 3. quaest. 10. potentia autem activa perfectionem dicit, quomodo autem colligenda sit infinitas potentia Dei ex hoc, quod potest plures, & plures effectus in infinitum producere, sicut declaramus infra dist. de infinito quaest. 2. Ad 2. potentia materiae determinatur inadæquate ab agente introducente tales, vel tales dispositiones, & non sequitur ex hoc, materiam ex se nullam formam exigere, sed potius sequitur, exigere omnes, & omnes appetere, nullam tamen determinate, & eadem difficultas urget, & eodem modo solvi debet, si ponatur plures potentia in materia, quia tunc neque posset assignari ratio, cur magis ad actum reduceretur hæc potentia materiae, quam illa, nisi recurratur ad extrinsecum agens. Ad 3. negatur etiam consequentia, quia sufficienter salvatur unitas potentia in materia, si ponatur specificari per formam, ut supponit absolute, nam terminus absolute supponens adhuc retinet significatum per se unum apud logicos; Et quamvis supra dixerimus, formas informare materiam non tantum secundum rationem genericam formæ, sed etiam specificam, & individualement, adhuc tamen assignatur unitas rationis informativæ, secundum quam omnes, & singula informant, dicimus enim omnes formas respiciat materia, ut forma, & actus absolute supponit, ita tamen, ut in singulis gradibus respiciat rationem actus, quia forma secundum omnes gradus, in quibus non convenit cum materia, est actus.

Tertio objicies. Tot sunt potentia in materia, quot privationes, sed hæc multiplicatur ad multiplicationem formarum, ergo & potentia.

Resp. ob hoc aliquos admisisse in materia unam privationem universalem omnium formarum correspondentem potentia universali, at hoc minime necessarium est, nam potentia non dicit formaliter privationem formæ, sed tantum illam connotat, unde pro connotato tantum multiplicabitur, non pro formali.

ARTICULUS IV.

An potentia receptiva formarum distinguatur a sustentativa eandem, & Num receptiva substantialium distinguatur a receptiva accidentalium.

99 Certum est, materiam formas corruptibiles non tantum in se recipere, verum etiam sustentare, per quod minus explicari solet ejus causalitas materialis erga formas, quod non exercet circa animam rationalem, quam utique in se recipit, sed non sustentat; Certum est etiam, materiam aliqua in se recipere accidentia, quod intrinsecum verum est, ut quamplures eam statuant immediatum subiectum omnium accidentium, & apud eos, qui compositum statuant subiectum inhaesionis quantitatis, & qualitatis, materia immediate in se recipit accidentia quædam, saltem relativa, ut generationem, unionem in ordine ad formam, causationem in ordine ad compositum. In prima igitur parte quaestri quaeritur, num actum recipiendi formam, & actum sustentandi exercet materia per unam, & eandem, an potius per distinctas ex natura rei potentias, quarum una dicatur receptiva, altera vero sustentativa formarum. Suarez disp. 13. Met. sect. 9. n. 10. & 11. significat, esse unam, & eandem potentiam, & modum unionis non distinguit a modo sustentationis, quem sequitur Averf. q. 12. sect. 3. & quaest. 20. sect. 6. Amicus tract. 5. quaest. 3. dub. 5. art. 2. distinguit actus, sed non potentias. Fonseca 5. Met. cap. 2. quaest. 3. sect. 2. & quaest. 12. sect. 2. & Conimb. 1. Phys. cap. 9. quaest. 11. art. 3. & actus, & potentia distinguunt ex natura rei.

In altera quaestri parte quaeritur, an materia per eandem potentiam, qua suscipit formas substantiales, recipiat etiam accidentales, quarum est receptiva; Averf. quaest. 11. sect. 6. tenet, esse distinctam ex natura rei, imo exprimit, potentiam receptivam accidentium in materia esse accidens quoddam de genere qualitatis, ubi receptivam substantialium ponit esse de essentia materiae: distinguit etiam ex natura rei hujusmodi potentias Hieron. Pl. 1. Phys. disp. de Principiis q. 3.

dub. 1. Pro opposita sententia fiat Amicus loc. cit. qu. 4. art. 3. citans Suarez in Met. disp. 14. sect. 2. num. 6. & 7. & Hurtadum disp. 6. Phys. sect. 6. §. 59. & Canonicum 1. Phys. quaest. 5. sed Auctores isti loc. cit. negant distinctionem a parte rei inter substantiam, & potentiam accidentium receptivam; non autem expresse loquuntur de distinctione potentia receptivæ formæ substantialis, & accidentalis a se invicem, de qua distinctione hic loquimur: nam de alia loquimur articulo sequenti.

100 Dicimus primo, Potentiam sustentativam in materia esse ex natura rei formaliter distinctam a potentia receptiva. Colligitur ex Scoto 3. d. 1. quaest. 1. art. 1. ubi ex parte accidentis distinguit ex natura rei habitudinem ejus ad subiectum in ratione informantis, & recepti, ad habitudinem ejusdem in ratione sustentati, per quod expresse significavit etiam ex parte subiecti debere inter se ex natura rei distinguere habitudines ejus ad accidens in ratione receptivi, & sustentativi; colligitur etiam ex 4. dist. 13. quaest. 1. H. ubi unionem, & receptionem, quæ est actus correspondens potentia receptivæ, ponit respectum extrinsecus advenientem; eductionem vero, quæ est actus correspondens potentia sustentativæ, ponit intrinsecus advenientem, unde ex tali diversitate actuum colligere debemus formalem ad minus diversitatem potentialium.

Probatur autem, has potentias esse ex natura rei formaliter distinctas: modus sustentationis est ex natura rei distinctus a modo receptionis, ergo & potentia sustentativa a receptiva, consequentia patet, quia distinctio potentialium arguitur ex distinctione specifica actuum, & hoc præsertim verum est, cum actus sunt adæquati, ut in lib. de Anim. dicimus disp. 2. quaest. 4. inadæquati enim etiam si specie distincti, non inducunt sufficienter distinctionem; actus autem sustentationis, & receptionis respiciunt singuli adæquate potentiam sustentativam, & receptivam, ut mox patebit in solutione ad 3. & ex Adversariis quamplures eodem modo loquuntur de distinctione harum potentialium, & actuum illarum, probatur antecedens; Tum quia hi modi inveniuntur separati, materia siquidem animam rationalem recipit, sed non sustentat; Tum quia unio, & receptio est respectus extrinsecus adveniens; sustentatio, & eductio intrinsecus adveniens; Tum quia receptio materiae in ordine ad formam nequit a Deo suppleri in ullo genere causæ, bene tamen sustentatio, ut patet de accidentibus Eucharistia. Confirmatur ex Scoto in 3. loc. cit. potentia receptiva necessario dicit imperfectionem, & potentialitatem, & ideo unum recipit aliud, quia perfectionem expectat ab eo; at potentia sustentativa potius dicit perfectionem in re sustentante, quatenus sustentando perficit aliud, vel saltem non necessario imperfectionem dicit in ratione sustentantis (ait Doctor) ergo non sunt in materia ex natura rei una, & eadem potentia. Denique una potentia reduceretur ad actum, & non altera, ut patet in ordine ad animam rationalem, circa quam exercetur potentia receptiva, non autem sustentativa, ergo non sunt ex natura rei formaliter una, & eadem potentia, nam implicat, unam, & eandem potentiam simul reduci ad actum, & non reduci.

101 Resp. Averf. cum Suar. loc. cit. non separari circa eandem formam, sed tantum circa diversas, & alterius rationis circa animam, & alias formas corruptibiles, ut tunc modus simplicis receptionis, quem materia exercet circa animam, non est ille idem quem in materia assignamus in ordine ad omnes formas, sed est modus quidam specificus ab illo condistinctus, quem exercet circa formas corruptibiles, unde imaginantur isti, quod sicut informatio absolute sumpta præscindit veluti genus ab informatione cum dependentia ad subiectum, & sine dependentia, ista vero sunt species formationis ab invicem distinctæ per dependentiam, & independentiam ad subiectum, & dependentia constituit informationem inhaesivam, independentia vero informationem sine inhaesione; ita ex parte materiae receptio absolute sumpta præscindit, ut genus, a receptione cum dependentia recepti, quæ dicitur sustentatio, & a receptione sine dependentia, qualis est anima receptio, & istæ receptiones sunt inter se specie distinctæ per dependentiam, vel independentiam formæ receptæ. Quare ex his concludunt, nunquam separari modum receptionis, qui se habet veluti genus, a sustentatione, quia in ipso essentialiter includitur, sed separari modum specificum receptionis cum independentia recepti qui retinet nomen generis, quia non habemus nomen impositum huic speciei.

Sed Contra, potest circa eandem formam separari sustentatio, & informatio, & una sine alia existere, ergo non se habent, ut ratio generica, & specifica, quarum una nequit sine alia existere, probatur antecedens; nam si Verbum accidens immediate sibi uniret, accidens non informaret Verbum, adhuc tamen sustentaretur in Verbo, & Verbum e contra sustentaretur accidens, non tamen illud reciperet, ut Doctor significavit in 3. loc. cit. ergo tam ex parte materiae, quam ex parte formæ, disparate se habent rationes illæ recipiendi, & sustentandi, & non subordinate, ut ratio generica, & specifica. Insuper potest Deus ponere formam materialem in materia, denegando materiam concursum ad eam sustentandam, & se ipso supplendo in genere efficientis causæ indigentiam illius formæ, ut modo supplet in accidentibus separatis; & gratis id negat, esse Deo possibile Suarez disp. 34. Met. sect. 1. n. 51. nam causalitas materiae erga formam, etiam secundum Suar. non consistit in simplici receptione, ergo ex vi receptionis in ma-

materia non causatur forma, sed ulterior influxus desideratur materię in formam, quem Deus supplere potest, quia licet sit influxus materialis, tamen ut precise sustentativus imperfectio- nem non dicit, & est extrinsecus in ordine ad formam.

102 Aversa concedit loc. cit. posse Deum conservare formam materialem in materia per modum simplicis receptionis sine sustentatione, & dependentia a materia, sed inquit, quod esset diversus eo casu modus receptionis ab illo, quem de facto habet omnis forma corruptibilis, & esset ejusdem rationis cum eo, quem modo habet anima rationalis. Sed Contra, modus receptionis, quem modo habet anima in materia, est cum positiva independentia, ita quod ab ea nec actu dependet, nec dependere potest, ergo in eo casu formę corruptibilis receptio in materia nec esset ejusdem rationis cum modo receptionis animę in materia, nec ei similis, sed esset receptio cum independentia negativa a materia, quatenus Deus non concurreret cum materia ad ejus sustentationem.

Deinde, quod receptio in communi contrahi nequeat per dependentiam, & independentiam per modum conceptus generici, manifeste demonstratur, præsertim juxta Scot. principia, nam diversorum generum, & non subalternatim positorum, diversę sunt species, & differentię per secundam Regulam antepredicamentalem, sed receptio formę in materia secundum Scot. 4. d. 13. q. 1. est in prædicamento passionis, vel potius in prædicamento habitus, ut inferius dicemus, dependentia vero causati ad causam, & quęcumque causatio, sicut est eductio, ex Scot. ibid. est in prædicamento relationis; ergo talis relatio nequit esse differentia contradiçiva receptionis in communi.

Denique si præter communem receptionem, quam habet materia respectu cujusvis formę, assignantur receptiones specie distinctę per dependentiam, & independentiam, ita etiam præter communem potentiam receptivam, quam materia generaliter exercet circa quancumque formam, assignari debet duplex potentia receptiva, ab invicem specie distincta; imo quando hic quaritur, an potentia receptiva materię a sustentativa distinguatur, non est sermo de potentia receptiva formę in communi, sed in ordine ad omnes formas in particulari, & sensus est, num potentia, quam exercet circa animam rationalem, sit eadem ex natura rei, cum illa, quam exercet circa cęteras formas, & cum Adversarij fateantur, actus receptionis esse specie diversos, fateri tenentur, ipsas quoque potentias receptivas esse specie diversas, non ergo satisfacit dicere, quod potentia receptiva, & sustentativa distinguuntur, ut superius, & inferius, eo quod potentia receptiva dicatur respectu informationis abstrahentis ab inhęntia, & non inhęntia, quia hic loquitur de potentia receptiva, quę condistincta est a sustentativa, & assignatur precise in ordine ad animam.

103 In contrarium objicitur primo cum Suar. Tum quia in accidente non ponuntur duo modi ex natura rei distincti, unus informationis, & alius inhęrentię, quę est dependentia a subiecto, sed per unum, & eundem modum informat, & dependet, ergo pariter ex parte materię distingui non debet modus receptionis, & sustentationis, nec consequenter potentia receptiva, & sustentativa; Tum secundo quia dependentia a causa materiali essentialiter includit unionem, cum sine hac intelligi non possit, ergo dependentia formę in materia non est modus ex natura rei distinctus ab unionem informationis, sed est species quędam unionis informativę, quę dicitur inhęntia, & unio informativa se habet ut genus; Tum præterea tertio, posita unionem materię cum tali forma scilicet corruptibili, præcisio omni alio ex natura rei distincto, satis intelligitur dependentia ex parte formę, & sustentatio ex parte materię, ergo alius modus non requiritur, & ita quoque in proposito dicendum est, quod potentia receptiva est eadem circa omnes formas, dicitur autem sustentativa eo ipso, quod exercetur circa formam corruptibilem; Tum demum dicere solemus, præsertim nos Scotistę, quod si Verbum hypostatice assumet naturam irrationalem, non ideo talis natura diceretur personari, sed tantum suppositari, quia hæc unio denominat naturam juxta modum illius, & ideo cum irrationalis natura personabilis non sit, non diceretur per talem unionem personari; sic etiam in proposito, unio materię cum forma semper est eadem in se, sed variam accipit denominationem juxta varietatem formarum, si sit ad formam corruptibilem, dicitur sustentatio, si ad substantentem, dicitur simplex receptio, ita igitur de potentia dici potest, quod semper est eadem, sed relata ad formas corruptibiles dicitur sustentativa, ad animam dicitur solum receptiva.

104 Resp. ad 1. negando assumptum; alius enim est modus, quo accidens informat subiectum, & est respectus extrinsecus adveniens, & alius, quo dependet ab eo, & est extrinsecus adveniens, qui etiam modi possunt abinvicem separari, ut patet ex dictis in probanda Conclusionem.

Ad 2. item negatur assumptum, actus enim sustentationis est omnino ex natura rei distinctus ab actu informationis, & quavis materialis sustentatio supponat necessarium, vel coexigat unionem formalem inter sustentans, & sustentatum, tamen absolute non implicat, dari sustentationem sine unionem formali, & ita foret, si accidens affumeretur a Verbo. Ad 3. negatur assumptum, quia ex dictis dari potest unio materię ad formam corruptibilem, quę non sit sustentatio. Ad 4. non currit paritas, quia persona ultra suppositum nil dicit formaliter, sed tantum connotat naturam rationalem, unde juxta diversitatem naturę assumptę, eadem hypostatica unio diceretur personatio, &

suppositatio, at in casu sustentatio ultra unionem dicit etiam dependentiam, & causalitatem materię.

Secundo objicis cum Aversa. Materia erga omnem formam exercet potentiam receptivam, hæc autem receptio respectu quarumdam formarum dicit dependentiam earundem, respectu animę rationalis dicit independentiam, ergo circa formam corruptibilem non est distincta receptio a sustentatione, nec per consequens potentia receptiva a sustentativa; Conf. quia hoc posito, quod forma aliqua intelligitur sustentari a materia, omnino intelligitur recipi in materia, & informare materiam, ergo circa formam substantialem potentia receptiva non est distincta a sustentativa, nec receptio a sustentatione.

105 Resp. negando consequentiam; id enim, quod ex antecedente inferri potest, est, quod receptio formę corruptibilis, coexigit dependentiam quoque formę a materia, non autem quod illa receptio formaliter sit ipsa sustentatio. Ad Conf. conceditur antecedens, non quia materialis sustentatio includat formaliter unionem, sed quia illam necessario præsupponit, vel coexigit; At absolute loquendo, dari potest sustentatio sine receptione, ut si accidens affumeretur a Verbo, vel saltem dari potest receptio formę corruptibilis in materia sine sustentatione, ut ipsemet Avers. fateatur, quod sufficit, ut dicamus esse modos ex natura rei distinctos.

Tertio objicis cum Amico. Unitas potentię non tollitur ex qualibet distinctione actuum, & objectorum, sed formalium, & adæquatorum, at receptio cum dependentia, & sine dependentia, licet sint actus specie distincti, tamen sunt inadæquati respectu potentię receptivę, ergo, &c. major patet, quia velle, & nolle sunt actus specie distincti, & tamen non tollunt unitatem potentię, quia sunt inadæquati respectu illius, probatur minor, quia potentia receptiva adæquate respicit utrumque genus formarum, quia omnibus convenit communis ratio informativa, quę specificat potentiam receptivam, unde cum dicitur potentia sustentativa, accipitur potentia receptiva inadæquate; adæquate respicit utrumque actum, informationem, & sustentationem, & cum precise concipitur in ordine ad unum actum, non concipitur adæquate. Confirmatur, quia tunc actus distinguuntur potentias, quando reduci non possunt ad unam rationem communem objectivam, & terminativam, sed actus informationis, & sustentationis, etiam si sint distincti, possunt reduci ad unam rationem formalem termini ex natura rei, nam ambo respiciunt formam ut informativam sic vel sic, ergo isti actus non sunt ita inter se distincti, ut valeant inferre distinctionem ex natura rei potentialium.

106 Respondetur, negando minorem cum sua probatione; quavis enim potentia receptiva, & sustentativa respiciant formam, eam tamen respiciunt sub diversã ratione formali, informativa nimirum, & sustentabili, ac proinde singulę in suo genere sunt potentię completę, & adæquate, & singulę specificantur a diversis rationibus formalibus. Ad Confir. similiter negatur minor cum sua probatione, quia hujusmodi actus utique terminantur ad formam, sed sub diversã ratione specifica, nam receptio terminatur ad formam, ut precise informativam, & sustentatio terminatur ad formam ut sustentabilem, hæc respicit formam, ut indigentem concursu materię quoad suam existentiam, illa respicit formam, ut indigentem concursu materię, non quoad suam existentiam, sed solum quoad unionem, unde materia per concursum sustentativum vere dicitur causa formę, sed per concursum receptivum non vere dicitur causa formę, sed tantum unionis; ex quo patet, actus hujusmodi non posse reduci ad unam communem rationem formalem, & adæquatam specificantem hujusmodi potentias secundum suas rationes formales consideratas; fatemur tamen, oppositam opinionem non carere probabilitate, præsertim prædicando a principiis Scoti.

107 Dicimus 2. in materia potentiam receptivam formę substantialis esse ex natura rei formaliter distinctam a potentia receptiva formę accidentalis. Conclusio est contra Amicum loc. cit. & probatur primo. Quando plura attributa conveniunt rei, sed unum mediante alio, tunc illa censentur inter se distincta attributa ex natura rei, sed ita se habent hujusmodi potentię in materia, quod receptiva accidentium convenit materię ob receptivam substantialium, ergo &c. probatur major, ita enim universaliter evenit, quando subiectum plures habet passiones, & una demonstratur per aliam, sic, quia de quantitate demonstratur divisibilitas per impenetrabilitatem, ideo censentur hujusmodi proprietates ex natura rei abinvicem distinctę; probatur minor, ideo enim materia est receptiva formarum accidentalium disponentium in eorum sententia, qui ponunt, dispositiones immediate in materia recipi, quia est receptiva substantialium, unde sicut dispositio ordinata est ad introductionem formę substantialis, ita potentia receptiva formę accidentalis ordinata est a natura, ut per ejus exercitium reducatur in actum potentia receptiva formę substantialis. Deinde potentia materię respectu formarum substantialium talis est, ut ratione ipsius constituitur cum forma substantiali unum per se, id autem non habet ratione potentię receptivę accidentium, ergo sunt potentię inter se ex natura rei distinctę. Denique potentia receptiva accidentium etiam si ponatur cum materia realiter identificata, non tamen dici potest per se potentia, sicut potentia receptiva formarum substantialium, quia non est ad per se actum simpliciter, ergo &c.

108 Resp. Amic. loc. cit. has, & consimiles rationes inferre tan-

tantum inter hujusmodi potentias distinctionem rationis ratiocinata per diversos conceptus inadæquatos, quatenus cum fundamento in re possunt concipere potentiam receptivam materię in ordine ad formas substantiales, non concipiendo in ordine ad accidentales, sicut eadem ratione etiam eadem potentia materię in ordine ad formas substantiales distingui solet a nobis in receptivam, & sustentativam per diversos conceptus inadæquatos ejusdem potentię, quando nimirum eandem a parte rei potentiam concipimus precise in ordine ad actum receptionis, abstrahendo a sustentatione formę receptę, vel e contra concipimus precise in ordine ad actum sustentationis, abstrahendo ab unionem, quo ad explicitum conceptum; Sed Responso non satisfacit, quia rationes allatę pro distinctione potentię receptivę ad formas substantiales, & accidentales, & pro distinctione receptivę, & sustentativę in ordine ad easdem formas substantiales, majorem nique inferunt distinctionem inter eas, quam per solos conceptus inadæquatos, & rationis ratiocinata; Quod ita demonstratur. Contradiçio semper inferit distinctionem inter ea, de quibus effertur, & enuntiat, & quidem talem, qualis ipsa est, sed rationes allatę offendunt, de hujusmodi potentis contraddiçionem verificari, & quidem a parte rei actualiter nullo considerante intellectu, ergo & talem distinctionem inter eas inferre debet, nimirum distinctionem formalem ex natura rei actualem, & virtuales tantum, cum fundamento in re; major patet, & probatur minor, ponderando singulas rationes allatas, nam singulę concludunt prædicata contraddiçoria a parte rei verificata, secluso quocumque intellectu inadæquate concipiente, nam certe Deus novit, materiam recipere, vel receptivam esse formę accidentalis, quia est receptiva substantialis; novit, ex hac potentia simul cum forma fieri per se unum, non ex illa; novit, hanc esse per se potentiam, non illam, & potest hanc reducere ad actum sine illa, introducendo substantialem formam in materia abique prævisis dispositionibus, videt etiam, materiam recipere animam, & non sustentare; alias vero formas non solum recipere, sed etiam sustentare, ergo hujusmodi potentię in materia non distinguuntur conceptibus inadæquatis tantum, quia hi non admittuntur in intellectu divino, omnia, & singula adæquate concipiente.

In oppositum objicis ex Amico cit. primo, formę subordinatę debent recipi in eodem subiecto, sed accidentia subordinantur formę substantiali, quia sunt dispositiones ad eam, ergo utraque forma debet recipi in eadem potentia: major patet, quia quando duo sunt subordinata respectu tertii, debent recipere idem.

109 Resp. accidentia forte non esse dispositiones ad formam substantialem in genere causę materialis, ita quod in materia supponantur ad eam, ut rationes recipiendi, sed potius concurrunt in genere in causę efficientis expellendo accidentia, quę obstant introductioni novę formę, unde ex tali subordinatione non necessario inferitur, quod recipi debeant in eodem subiecto, sed sufficit, quod recipiantur in eodem supposito, ut ex Scot. colligitur 4. d. 1. q. 5. E. & ex professo dicemus disp. 5. q. 8. art. 1. sed admittit modo opinione statente dispositiones immediate inhęrentes materię primę, veluti rationes recipiendi; ex tali subordinatione formę accidentalis ad substantialem solum inferri potest, quod recipi debent in eodem subiecto, non autem per eandem potentiam receptivam, sed per diversas, quę ita inter se sunt subordinatę, sicut ipsę formę.

Contra hanc Responsum arguit Amicus; Tum quia cum sit subordinatio formarum in eodem informabili, si est idem informabile, erit eadem potentia, quia informabile constituitur per potentiam, quę subiectum est receptivum formę; Tum quia sicut subordinatio potentialium respicit eadem essentiam, in qua potentia radicantur, ita subordinatio actuum debet respicere eandem potentiam, cui proportionari debent.

Resp. negando utrumque assumptum, quia nec diversitas potentialium multiplicat subiecta informabilia, ut patet de intellectu, & voluntate, quę animam non multiplicat, nec si subordinatio potentialium eandem respicit essentiam, necessario subordinatio actuum debet eandem respicere potentiam, quia actus intellectus subordinatur actui voluntatis, nec propterea voluntas, & intellectus sunt eadem potentia.

At contra adhuc instatur, quia potentia passiva materię incepta est ad recipiendas substantiales formas, nisi sit disposita prius per accidentales, & cum hæc dispositio non sit in genere causę efficientis, sed materialis, non potest esse extrinsecus potentię informabili substantialiter, sed debet esse intrinseca, ergo eadem est potentia receptiva formę substantialis, & accidentalis, quę sine accidentibus dicitur potentia remota ad formam substantialem, cum accidentibus dicitur proxima.

Resp. falsum esse assumptum ex modo dictis, quod nimirum dispositiones concurrant in genere formalis, vel materialis causę, & non potius efficientis; sed eo admisso, adhuc negatur consequentia, quia argumentum probat, dispositiones recipi debere in eodem subiecto, in quo recipitur forma substantialis, non autem probat, quod recipi debeant secundum eandem potentiam, & potentia non est id, quod recipit, sed quo subiectum recipit formam. Et potentia ad formam substantialem, quę prius erat remota, sit postea proxima per dispositiones receptas, non in eadem, sed in alia existente in eodem subiecto sibi subordinata, & inserviente, ut reducatur ad actum.

110 Secundo objicis. Tum quia assignari potest una ratio. *Maivii, & Bellui Tom. II, Physica.*

specificativa potentię passivę materię communis tam formis substantialibus, quam accidentalibus, nempe ratio informandi, at ubi est una ratio specificativa potentię, ibi est una potentia, unam in ordine ad formas substantiales, aliam in ordine ad accidentales, etiam geminare debemus duas potentias sustentativas, alteram, quę respiciat substantiales corruptibiles, alteram, quę respiciat accidentales, eo quia sustentabilitas utriusque generis formarum est diversę rationis, cum sustentabilitas accidentium excludat substantentiam quancumque, non sic sustentabilitas formę substantialis; Tum tandem quia eadem est potentia respiciens finem, & media, ut patet de voluntate, quę per intentionem inclinatur in finem, per electionem in media, sed materia inclinatur in formas substantiales, ut in finem per potentiam receptivam illarum, ergo per eandem inclinatur in accidentia, quę sunt media ad hunc finem ordinata.

Resp. ad 1. quidquid sit de assumpto, nos hic non loqui de potentia receptiva in ordine ad formam in communi ad substantialem, & accidentalem, sed in ordine ad eas in particulari, ut exercet actum receptionis, unde quamvis admitteremus, potentiam receptivam in communi sumptam, posse specificari per aliquam rationem communem præcipientem, dicimus tamen, a parte rei potentiam receptivam formę substantialis, & accidentalis esse diversas. Ad 2. negatur paritas; quamvis enim formę substantiales corruptibiles dicantur subsistere, quatenus non sunt in alio per inhęntionem accidentariam, æque tamen carent subsistentia, prout excludit indigentiam sustentantis subiecti, ac ipsę formę accidentales; ac proinde omnes æque conveniunt in ratione communis formę sustentabilis, quę satis sit ad specificandam unam tantum potentiam sustentativam ex parte materię; subsistentia vero in alio sensu, quam habeat formę substantiales, non accidentales, variare non potest hanc communem rationem formalem, sed ad eam prorsus materialiter se habet; at in proposito nostro, esse per se actum, & actum per accidens, sunt rationes, quę formaliter variant potentiam receptivam correspondentem, ita ut potentia per se constituat in ordine ad actum per se, & non in ordine ad actum per accidens; Ad 3. non semper opus est rem inclinari in finem, & media per eandem potentiam, potest tamen inclinari quoque per diversas potentias, dummodo potentia, quę inclinatur in media, subordinetur illi, quę inclinatur in finem, & ex hoc nullum sequitur absurdum.

ARTICULUS V.

An potentia sit de essentia materię, vel saltem ejus proprietates, vel potius accidens superadditum.

111 Quęstio est de Potentia universalis, & remota materię, non de particulari, & proxima, & quia hujusmodi potentiam universalem distinguimus art. præc. in receptivam formarum substantialium, & accidentalium, & hæc quoque distinguimus a sustentativa; de omnibus potest hæc quęstio agitari, de qua re tres extant sententię, duę extremę, & una media. Prima tenet, potentiam esse de essentia materię, ita quod potentia constituat materiam in esse materię, est communissima opinio Recentiorum, Suarez disp. 3. sect. 8. Hurtad. disp. 2. q. 2. Ruvii tract. 1. q. 6. Conimb. c. q. 8. Morisani in Phys. disp. 1. q. 3. Aversa q. 40. sect. 6. Amici tract. 5. qu. 6. dub. 6. & omnium Thomistarum, Compil. Manc. Jo. de S. Th. & aliorum, & inclinare videtur Canon. 1. Phys. q. 9. art. 2. dub. 5. Addunt tamen nonnulli hujus sententię Auctores, id non debere intelligi de quacumque potentia materię, sed tantum de receptiva formarum substantialium, nam sustentativa earundem, & receptiva accidentalium potius sunt passiones consequentes ad illam.

Alteram sententiam extremam tenet, potentiam materię esse accidens prædicamentale, aut de genere relationis, aut qualitatis, pro qua citantur Averr. 1. Phys. com. 60. Them. in digest. ultima ejusdem libri, Tolet. 1. Phys. q. 14. Jand. q. 25. Zabara. lib. de Materia c. 9. Perer. lib. 5. cap. 22. & alii.

Media sententia est Scoti 2. d. 12. q. 1. & 4. d. 11. q. 3. & d. 47. q. 3. & alibi sæpe, & omnium Scotistarum, quę negat, potentiam esse de essentia materię, aut accidens prædicamentale, & asserit, esse connaturalem ejus proprietatem illi realiter identificatam, & essentialem in secundo modo dicendi per se, & tenet Contaren. junior to. 1. qq. peripat. q. de pot. Mat. Hic vero advertendum est ex Scot. 4. d. 43. cit. q. 3. H. potentiam materię tripliciter sumi posse, vel pro eo, quod dicitur fundamentaliter, vel pro eo, quod dicitur formaliter, vel pro eo, quod dicitur concomitantem, potentiam primo modo vocat ibi Scotus principium potentiale, quod semper manet; & est ipsamet essentia materię, unde de potentia materię in hoc sensu non est quęstio, nec minus est de potentia tertio modo sumpta, quia sic dicitur prioritatem durationis ad actum, ait Doctor, vel, ut alii dicunt, connotat negationem formę in materia præcedentem, unde potentia materię in hoc sensu destruitur in adventu formę, & est accidens per accidens. Quęstio igitur est de potentia materię secundo modo sumpta, quo sensu supra entitatem absolutam materię dicit ordinem receptivi ad receptum, qui semper manet in materia: quia consequitur naturam receptivi, quod natum est perfici formę, & aliud non est.

est, quam naturalis aptitudo materiae ad formam suscipiendam; in hoc igitur sensu vertitur quaestio de potentia adaequata, & innata materiae, nimirum formaliter accepta, non fundamentaliter, aut concomitanter, & de potentia materiae in hoc sensu exstant tres relatae sententiae.

112 Dicimus 1. Potentiam non esse de essentia materiae in primo modo dicendi per se. Conclusio est Scoti loc. cit. contra primam opinionem. Probatur 1. quia, ut colligitur ex Themistio 1. Phyl. digressi, materia considerari potest, & spectari in duplici notione, in prima notione consideratur ut substantia, & entitas quaedam absoluta, consideratur secundum se, & quatenus perfecta est in genere suo, quia nihil deest in ratione materiae, eo modo, quo de perfecto loquitur Philosophus 5. Met. c. 16. In 2. notione consideratur in ordine ad generationem, cuius est principium, ad formam, cuius est subiectum, & ad compositum, cuius est pars, quamvis igitur in isto suo secundario conceptu relationem, & habitudinem aliquam transcendentem ad formam, & compositum includat, in primario tamen conceptu nihil tale includit; Tum quia unaquaeque res prius est in se constituta per sua essentialia praedicata, quam aliud respiciat; Tum quia sicut relatio suo conceptu quidditativo non continet absolutum; ita nec ens absolutum, & substantia, qualis est materia, continebit relationem; Tum tandem quia aptitudo in universum supponit rem, cuius est in suo esse quidditativo constituto, & ab ea fluere, & manere dicitur, ergo pariter dicendum erit de aptitudine materiae ad formas recipiendas.

Resp. Recentiores unanimiter, quaedam entia absoluta esse ita perfecta, ut possint concipi in se sine ordine ad aliud, ut calor, homo, & alia huiusmodi, & haec in suo conceptu quidditativo relationem non includunt; Alia sunt entia quidem absoluta, ita tamen imperfecta, & alio a natura ordinata, ut explicari nequeant, nec quidditative concipi sine ordine ad aliud, & dicuntur entia relativa transcendentia, ita se habet scientia, quae dicit ordinem transcendentem ad obiectum, habitus ad actum, & alia huiusmodi, inter quae connumerantur quoque partes effectuales, quarum unaquaeque includit in suo conceptu quidditativo ordinem transcendentem ad aliam partem, & inquirunt, quod licet relatio praedicamentalis nequeat esse de essentia absoluti, esse tamen potest relatio transcendentis; unde etiam ajunt, falsum esse in universum, quod aptitudo rem consequatur in esse, & non constituit, nam in multis aptitudo, & relatio transcendentis est principium constitutum rei.

113 Sed quamvis ostendere universalem veritatem illius principii, quod relatio non intrat conceptum absoluti, ad alium locum pertinet, scilicet ad disp. de Relatione in Log. disp. 8. q. 2. ubi fuit hoc principium probavimus; adhuc tamen liceat inde repetere evertendam responsum, namque plane principium illud est universaliter verum de quacumque relatione, tam praedicamentali, quam transcendentali, ut advertit Baffolius in 2. d. 12. q. 1. art. 2. in fine §. *Contra tertium modum*, &c. ubi hanc adducit responsum, & refellit, ideo enim dicimus, relationem non esse de essentia absoluti, neque contra, quia entitas absoluta, ut praecendit a relatione, est formaliter ad se, & relatio, ut abstractit ab entitate absoluta, est formaliter ad aliud, sed idem simplicissime nequit formaliter esse ad se, & ad aliud, cum sit manifesta contradictio, quia esset simul ad se, & non ad se, ad aliud, & non ad aliud, & parum refert ad tollendam contradictionem, quod sit ad aliud praedicamentali, vel transcendentali, quia utraque relatio est essentialiter habitudo ad aliud, & non minus repugnat, rem per unum, & eundem effectuale conceptum ad aliud referri praedicamentali, & non sic referri, quam per unum, & eundem conceptum referri ad aliud absolute, & non referri.

Resp. aliqui, non sequi contradictionem, quia huiusmodi rationes essendi ad se, & ad aliud, virtualiter distinguuntur; & solum correspondent conceptibus inadequatis mentis nostrae, quae virtualis distinctio sufficit ad salvandam contradictionem, sicut eadem humanitas in adequata concepta, homo convenit cum Asino, & adaequate concepta, differunt ab eo. Sed hae Responso disp. de natura communi in Met. a nobis late refellitur, & praesertim in proposito locum non habet; quando enim admitteremus, convenientiam inter hominem, & brutum; non esse ob aliquam naturam vere ambobus communem per indifferentiam, ut ibi cum Scot. docemus: sed ob solam similitudinem eorum in sensatione, ratione cuius abstrahi potest conceptus inadequatus communis utriusque, tamen in proposito entitas absoluta est formaliter actualiter ad se, & non ad aliud: relatio est formaliter actualiter entitas ad aliud, non ad se; ergo a parte rei de eodem, & eodem modo sequitur contradictio, si non distinguuntur formaliter, res enim dicitur ad se, vel ad aliud a parte rei actualiter, & non per nostrum concipiendi modum.

Deinde falsum omnino est, esse quaedam entia absoluta, imperfecta supra naturam, & ad aliud intrinsece pendencia, ut sine ordine ad aliud quidditative concipi nequeant, namque, ut monet Doct. in 4. d. 12. q. 1. L. aliud est loqui de conceptu quidditativo rei, aliud de quietativo intellectus nostri, utique nulla pars, ait Doct. potest habere conceptum quietativum, nisi intelligatur aliud, cuius est pars, & aliud cuius comparis, definitio enim exprimit conceptum perfectum definiti; & ideo quantumcumque essentialia formae, vel alterius partis exprimerentur sine ordine ad aliud, quamvis quidditas ejus indicaretur, tamen non esset conceptus perfectus quietans intellectum;

igitur ordo transcendentis ad aliud intrat ad summum, conceptum quietativum horum etiam absolutorum, & incompletorum, non autem conceptum pure quidditativum.

Denique aliud quoque principium, quod aptitudo semper posterior est in natura eo, cuius est aptitudo, quia ab ea fluit, & dimanat, est universaliter verum, & quidem ipsimet Adversarii constitunt solent rerum quidditates, non in aptitudinibus sed in principii exigentibus illarum; sic v. g. dicere solent essentiam quantitatis non per impenerabilitatem constitui, sed per principium exigitivum ejus, dicere solent, hominis essentiam non esse risibilitatem, sed principium exigitivum ejus, & sic de aliis, ergo universaliter in se habet, quod aptitudo non constituit essentiam rei, sed eam supponit natura priorem, ut principium, a quo fluit, & dimanat.

114 Secundo principaliter adhuc magis verificatur. Conclusio de potentia receptiva formarum accidentalium, & sustentativa substantialium corruptibilium; Tum quia receptiva accidentalium posterior est receptiva substantialium, & oritur quodammodo ab illa; ideo enim materia est susceptiva accidentalium, quia est susceptiva substantialium, ergo haec consequitur ad illam; quare si illa materiam non constituit in sua quidditate, tanto minus ista; Tum quia praecisa a materia potentia receptiva accidentalium, adhuc materia absolute loquendo, fungi potest munere materiae, recipiendo formas substantiales, & compositum per se constituendo, nam absolute loquendo, potest Deus inducere formam substantialem in materiam nudam, absque praevius dispositionibus; id ipsum similiter ostenditur de potentia sustentativa materiae, quia materia est per se potentia in ordine ad omnes formas; at in ordine ad omnes non est sustentativa, sed receptiva, ergo si per receptivam non constituitur in esse, tanto minus per sustentativam. Rursus praecisa potentia sustentativa a materia adhuc ipsa potest fungi officio materiae, recipiendo in se formam incorruptibilem, & cum ea compositum per se constituit, ergo non constituitur essentialiter per eam.

Respondent; potentiam materiae adaequate conceptam respicere formas accidentales, & substantiales, tam corruptibiles quam incorruptibiles, quia ad has, & illas non diversificatur, nisi per conceptus inadequatos, sed ex natura rei est una, & eadem; Et subordinatio non est inter ipsas potentias, ratione cuius una potentia dicatur aliam praecedere, sed inter terminos potentiarum, scilicet inter formam substantialem, & accidentalem, quatenus haec subordinatur illi; at in quando unius potentiae redditur ratio per aliam, quod nimirum materia est receptiva substantialium, quia est receptiva accidentalium, non accipitur potentia secundum adaequatam rationem, & distinctam, sed secundum confusam, & inadaequatam; At haec resp. explosa manet ex dictis art. praeced. ubi ostendimus huiusmodi potentias esse inter se distinctas ex natura rei, & non tantum per conceptus inadequatos, & quando id etiam concederemus, adhuc tamen habemus, conceptum illam, quo respicit accidentales, aut substantiales incorruptibiles, non esse quidditativum materiae, quia per alium conceptum inadaequatum, quo respicit substantiales, habentur, & explicamus totum id, quo desideratur ad esse materiae, & ad ejus munera obeunda.

115 Contra hanc Concl. argunt, Recentiores 1. auctoritate Arist. q. 2. de An. tex. 2. & 8. Met. 15. lib. 9. text. 26. materiam vocat potentiam, & per se potentiam, sicut e contra formam vocat actum, & per se actum, & hac ratione concludit ex eis fieri unum per se; hic autem loquendi modus, inquit Averfa, plane indicat materiam essentialiter potentiam, & formam essentialiter actum. Tum plane in Philosophi sententia, forma est essentialiter actus in primo modo, unde 2. de An. Animam definit per actum; ergo in sententia ejusdem, materia e contra erit essentialiter potentia, unde 1. Phyl. 82. eam definit per esse subiectum formarum, tum tandem quia 2. Phyl. 26. hac ratione dixit, materiam, & formam esse de genere illorum, quae sunt ad aliquid, quia nimirum essentialiter includunt relationem transcendentem ad se invicem per modum compartium.

Resp. ideo Philosophum materiam vocasse potentiam, & formam actum, ut ostenderet, aptitudinem materiae innatam ad perfecti, & formae ad perficere, esse connaturales earum proprietates, non vero praedicata essentialia. Et ad 1. probationem dicimus; in concretis accidentalibus, tam absolutis, quam respectivis, multa praedicata enunciantur in recto de subiectis, nec tamen praedicaciones conficere primi modi, ut ex Scoto colligitur 1. d. 5. p. 1. B. sic dicimus, quod ignis est causa caloris in recto, & tamen haec praedicatio non est essentialis in primo modo, sic dicitur in 4. Phyl. quod locus est superficies, & tamen haec praedicatio non est quidditativa, ut Scot. monet 2. d. 2. qu. 6. D. sicut igitur sensus harum propositionum in recto est obliquus, id est igitur est subiectum fundans relationem causa: locus est superficies fundans respectum activae continentiae ad locatum; ita sensus harum propositionum, materia est potentia, forma actus, erit iste, materia est subiectum natum fundare relationem potentiae, & forma relationem actus; Accedit, quod si saepe Philosoph. vocat materiam potentiam, & formam actum in recto, saepius etiam usus est modo loquendi in obliquo, appellando materiam ens in potentiam, formam

am ens in actu. Ad 2. addidit semper particulam per se, tum ut indicaret, huiusmodi praedicata non esse accidentalia materiae & formae; sed essentialia, & per se, saltem in secundo modo; tum, ut ea distingueret a subiecto, & accidente, ex quibus non fit unum per se; quia unum est per accidens potentia, aliud per accidens actus. Ad 3. materia, & forma sunt essentialiter actus formaliter in secundo modo; exigive solum, & radicaliter in primo, & hac de causa per actum definitur animam, & materiam per esse subiectum capax formarum, quia nimirum earum entitates absolutae sunt principia exigitiva talium aptitudinum, & quietative non potest anima cognosci, nisi per ordinem ad corpus ex Scoto cit. 4. d. 12. q. 1. I. Ad 4. vocat Philosophus materiam, & formam ad aliquid, quia identificat sibi relationes transcendentales ad invicem.

116 Secundo probatur ex ratione ipsius materiae; Tum quia materia essentialiter est ens incompletum, ergo essentialiter petit compleri, sed non petit compleri, nisi per modum potentiae passivae, ergo est essentialiter potentia passiva; Tum 2. quia pars ex natura sua respicit aliam partem, sed materia prima est essentialiter pars receptiva alterius partis, scilicet formae, ergo eam essentialiter respicit per modum potentiae passivae; Tum 3. si formae essent impossibiles, materia quoque esset impossibilis; quia sublati receptilibus, nullum esset receptivum, ergo essentia materiae pendet a formis, & nequit concipi sine ordine transcendentali ad illas; Tum 4. quia materia in se considerata est entitas partialis, intrinsece ordinata ad componendum totum physicum, sicut & forma, nec una pars potest concipi essentialiter distincta ab alia, nisi unam concipiendo potentialem, & aliam actualem, ergo quemadmodum potentia informativa, vel aptitudo ad informandum est de essentia formae, ut essentialiter distinguitur a materia, ita e contra potentia informabilis erit de essentia materiae; Tum tandem quia non potest intelligi materia in ratione materiae, quin concipiatur, ut potentia passiva formarum, nam non potest intelligi, nisi ut subiectum primum formarum, & circumscripto a materia omni eo, quod est extra. ejus essentiam in primo modo, adhuc esset capax formae, alioquin in nullo signo sequenti posset recipere formam, ergo potentia prorsus est de essentia materiae.

Resp. ad 1. concedendo, materiam esse in gradu entis incompleto, & essentialiter petit compleri per formam, at in primo modo dicendi per se ista incompleto, & intrinseca exigentia perfectionis non importat formaliter potentialitatem ipsam ad formam, sed principium exigitivum illius potentialitatis, sic passim solent Adversarii ipsi explicare essentias rerum per principia exigitiva talium, & talium passionum, sic explicare solent essentiam quantitatis, ut nimirum consistat in principio immediate exigitivo, non quidem impenerationis, sed impenerabilitatis, & sic de aliis, &c. est igitur ens incompletum materia in primo modo, & petit essentialiter compleri, non per modum potentiae passivae formaliter, sed per modum principii exigitivi talis potentiae, & a quo talis potentia nata est pullulare. Ad 2. esse partem etiam potentialiter solum, non est de essentia materiae in primo modo, nec in hoc sensu appellatur in eo signo partialis entitas, sed dicitur partialis entitas, scilicet incompleta in tali gradu, ut fit exigitiva aptitudinis ad constituendum aliud per modum partis potentialis, unde ejus incompleto non est ipsa partialitas, sed principium exigitivum partialitatis potentialis. Ad 3. per id probatur tantum, relationem materiae ad formam esse transcendentem, & sibi realiter identificatam, non autem de essentia, sic si motus esset impossibilis, aut risus, implicarent homo, & corpus naturale, nec ob id dicemus, mobilitatem, aut risibilitatem esse de hominis, aut corporis naturalis essentia. Ad 4. utraque & materia, & forma sunt intrinsece entitates partiales in primo modo, scilicet entitates incompletae in tali gradu entis, ut sint ambae principia exigitiva aptitudinis ad aliud constituendum, una per modum partis potentialis, & alia actualis, & per tales aptitudines distinguuntur in secundo modo, per principia vero talium aptitudinum in primo modo. Ad 5. conceditur assumptum de conceptu quietativo, non autem pure quidditativo, & hac de causa ad habendum talem conceptum penitus quietantem intellectum, definitur materia per esse subiectum capax formarum 1. Phyl. 82. sicut e contra forma per actum; Accedit quod Philosophus 1. Phyl. per eam definitionem descripsit nobis materiam in secunda notione, & ita videtur semper fuisse de materia locutus, scilicet in ordine ad formam, & compositum, adhuc tamen in se cognoscibilis est sine habitudo ad formam, ut Doct. notavit in 2. d. 11. q. 1. K. licet non a nobis per statum isto; in primo demum signo considerata, circumscripto omni eo, quod primo modum non ingreditur, formaliter nec est capax, nec incapax formae, sed tantum radicaliter, & fundamentaliter, quia in eo signo neutrum praedicatum natum est ei formaliter convenire.

117 Tertio, arguit Averfa, destruendo fundamentum praedictarum responsum, quod nimirum non ipsa potentia, sed ratio principii radicalis, & exigitivi talis potentiae sit de essentia materiae; quia si ita foret, potius dici deberet materiam exigere ordinem ad formam, quam essentialiter habere ordinem ad formam, exigere esse subiectum potens, & aptum recipere, quam essentialiter esse subiectum potens, & aptum; exigere posse componere corpus, quam essentialiter posse componere, quae sunt contra communem Philosophorum sensum, & loquendi modum.

Mastrii, & Belluti Tom. II. Physica.

Resp. quod concipiendo materiam, ut ens incompletum, cui debeat potentia, & aptitudo proxima recipiendi formam, sufficienter concipi in sua essentia, non concipiendo interim talem potentiam, & aptitudinem proximam ad formas, & bene explicaretur essentia materiae dicendo, quod est natura quaedam absoluta de genere substantiae incompleta, ac proinde exigitiva potentiae ad formam, & ut constituitur subiectum potens, & aptum recipere; & cum communiter dici solet, materiam dicere essentialiter ordinem ad formam, esse subiectum potens, & aptum, esse essentialiter partem compositivam; vel intelligendum est de potentia radicali, & remota, non de formali, & proxima, vel si de ista sit sermo, intelligendum est, quod sit essentialiter potens, id est, in secundo modo; vel si intelligunt essentialiter in primo modo, ita loquuntur Philosophi, & alii passim, quia omnes materiam considerant in secunda notione, in quo statu, & reductive loquendo, utique dici potest essentialiter potentia, essentialiter pars, essentialiter subiectum &c.

118 Quarto. Arguitur ex absurdis, sequeretur enim primo, quod potentia materiae non esset actui proportionata, quia actus est substantialis, & potentia foret accidentalis. 2. Quod ex eis non fieret unum per se, quia materia uniretur cum forma mediante aliquo accidente, & non immediate, & proxime per suam essentiam partialem. 3. Forma reciperetur non immediate in ipsa nuda materia, sed in ipsa potentia, unde, & aliquid accidens, scilicet ista potentia, esset immediatius unitum materiae, quam ipsa substantialis forma; 4. Quod tunc materia esset in potentia ad hanc potentiam a se distinctam, & tunc quare de illa potentia, qua est potens ad istam, atque ita, vel demum standum est ad potentiam, quae sit de essentia materiae, vel abundum in infinitum. Nec respondere valet, haec, & similia argumenta urgere tantum illos, qui statuunt potentiam accidens realiter a materia distinctam, & ab ea separabile, non illos, qui eam ponunt proprietatem materiae realiter identificatam; Non valet, nam quodlibet accidens, inquit Amicus loc. cit. five physice, five metaphysice distinctum a substantia, excluditur a compositione essentiali substantiae, nam sicut a compositione essentiali hominis excluditur siccitas, calor, & similia, quae distinguuntur realiter ab essentia, ita & potentia intellectiva, & risiva, quae ponuntur, distinguuntur formaliter, & praesertim absurdum ultimum ita urget contra distinctionem formalem potentiae a materia, sicut contra realem, nam circumscripta potentia a materia per intellectum, vel ei repugnat potentia ipsa, vel non; non est dicendum primum, ergo secundum, atque ita adhuc materia erit capax illius potentiae, & habebit potentiam ad potentiam.

Resp. negando, omnia praefata absurda sequi ex concl. nostra, quia licet negemus, potentiam esse de essentia materiae, non proinde eam statuimus accidens praedicamentale, ab ea realiter distinctum, & separabile, sed eam statuimus accidens proprium materiae realiter identificatum. Hinc non sequitur primum absurdum, quia potentia materiae non est accidens physicum, & commune, sed proprium materiae, ac proinde realiter substantia, & in hoc sensu est potentia substantialis, proportionata actui substantiali, quantum sufficit. Non sequitur secundum, quia ut ex eis fiat unum per se, sufficit, ut sint actus, & potentia per se formaliter in secundo modo, radicaliter, & exigitive in primo. Non sequitur tertium, tum quia, cum sit accidens proprium, non est realiter distinctum ab ipsa substantia substantiae; tum quia potentia materiae non est id, cum quo fit unio formae, sed est ratio, cur fiat inter ea talis unio substantialis, unde unio formae immediate fit ad essentiam materiae ratione potentiae. Nec demum sequitur quartum, quia cum potentia sit realiter idem, seu eadem entitas cum materia, non poterit dici materia esse in potentia ad hanc potentiam, quia nihil est in potentia ad seipsum.

Nec impugnatio facta has responsoes evertit; nam ad 1. negatur universaliter assumptum, & non valet paritas de potentia intellectiva hominis, aut risiva, & de potentia materiae, quia haec est potentia receptiva formae ordinata ad compositi constitutionem; at illae potentiae ad alia munera sunt a natura ordinatae. Ad alteram, negatur paritas, urget argumentum contra distinctionem realem potentiae a materia, quia utique in subiecto assignari potest, & debet formalis aptitudo, & capacitas respectu formae ab ipso realiter distinctae, nec sufficit capacitas fundamentalis, at assignari non debet, nec potest respectu ejus, quod est sibi realiter idem, quia nihil dicitur esse in potentia ad seipsum, vel capax sui ipsius; quare in tali statu praefationis potentiae a materia, inferri non valet ex non repugnantia ad formam recipiendam formalem, & positiva capacitas ad eam, bene tamen in statu divisionis, si potentia, ut accidens distinctum realiter potest a materia separari; tum quia datur formalis aptitudo ad id, quod realiter distinguitur a subiecto, & sibi competere natum est; tum etiam quia talis praecisio non esset per intellectum, sed a parte rei, in quo statu subiectum est positive capax cujusdemque attributi sibi naturaliter debiti; Ita colligitur ex Trombeta 4. Met. q. 4. loquente de distinctione passionis a subiecto.

119 Dicimus 2. Potentiam materiae non esse accidens aliquod praedicamentale ei realiter superadditum, sed accidens proprium ei realiter identificatum, ut connaturalem proprietatem, & tantum ex natura rei formaliter distinctum. Conclusio est Scot. 1. c. contra Auctores secunda sententiae; & probatur quoad primam partem; primo de potentia receptiva formarum substantialium. Tum ex absurdis allatis in superiori argumento, quae manifeste sequuntur.

sequuntur ex hac sententia, ut ibi diximus. Tum quia, vel hoc accidens, quod dicitur potentia materiae, recipitur immediate in ipsa entitate materiae, vel media alia potentia; si primum, ergo aequè bene dici potest, quod forma substantialis ipsa immediate recipitur in materiam, cum majorem affinitatem habeat materia cum substantiali forma, quam cum accidentali; si secundum, ergo dabitur processus in infinitum; Nec respondere valet, hanc potentiam esse ita quo, ut non possit esse quod, atque adeo in ipsa standum esse, nam majorem proportionem, & affinitatem habet forma substantialis cum materia, quam accidentalis, ergo si substantialis indiget potentia media, qua recipiatur in materia, tanto magis ea indigebit forma quaecumque accidentalis a toto genere, etiam includendo hanc ipsam potentiam. Tum 3. quia forma substantialis immediate recipitur in quodam accidenti, scilicet in ista potentia. Nec respondere valet, unionem fieri inter materiam, & formam in essentia, quia hac potentia non se habet ut subjectum quod formam substantialis; sed mediatè ut ratio talis unionis; sicut qui ponunt quantitatem, & dispositiones in materia procedere formam substantialem, non proinde coguntur dicere, quod forma substantialis recipiatur in quantitate immediate, vel dispositionibus; Non valet, quia si quantitas, & dispositiones mediant inter materiam, & formam, non utique mediant directe, quasi in ipsis immediate forma recipi debeat, sed mediant indirectè, quatenus materiam præparant, in cuius entitate immediate forma recipitur; at potentia ista, si foret entitas realiter superaddita materiae, directe se haberet, & esset subjectum immediatum formarum substantialium eo modo, quo dicimus, quantitatem mediant inter substantiam, & formas accidentales. Tum denique quia non ponitur hæc potentia accidentalis ex parte formæ ad recipi ab ipsa realiter distincta, ergo neque necessaria erit ex parte materiae ad recipere.

120 Deinde probatur id ipsum de potentia receptiva formarum accidentalium, nam si hæc accidens realiter materiae superadditur, vel materia recipit immediate hoc accidens, quod dicitur potentia, vel mediante alia potentia, si primum, ergo aequè bene poterit immediate recipere alia accidentia, quia quantum ad recipi, & inhære, omnia accidentia sunt ejusdem rationis, præsertim accidentia absoluta; si secundum, ergo dabitur processus in infinitum. Nec respondere valet, esse ita quo, ut non possit esse quod, atque ita standum esse ad hoc accidens, quod non recipiatur, & inhæreat, sed sit medium, quo alia recipiantur. Tum quia cum vere educitur sit de potentia materiae, & ab ea dependeat in fieri, & conservari, & sit ab ea realiter distinctum, debet ipsum quoque in subjecto recipi, & inhære. Tum quia hæc est manifesta petitio principii, nam debet assignari ratio cur materia possit nullo accidente medio hanc potentiam recipere, & non alia accidentia cum hac majorem non habeat affinitatem cum materia ceteris, imò hoc accidens potius esse deberet quantitas, quam potentia aliqua de genere qualitatis; Insuper non datur talis potentia accidentalis ex parte formæ accidentalis, ut apta sit in materia recipi, ergo nec talis potentia accidentalis debet admitti in materia, ut apta sit recipere formas accidentales, sed de hac re fusius agemus disputatione sequenti declarando potentiam, quam habet compositum ad formas accidentales.

Deniq; probatur id ipsum de potentia substantiva materiae rationibus allatis pro potentia receptiva formarum substantialium, & accidentalium, quæ pariter probat, potentiam earundem substantivam non posse poni accidens ab ea realiter distinctum, nam sicut forma substantialis immediate recipi nequit in accidente, velut in subjecto; ita nequit immediate ab eo sustentari, & pariter applicari possunt aliæ rationes ad id probandum.

121 Quoad alteram partem, probatur Conclusio, nam si potentia materiae non est de ejus essentia in primo modo, neque accidens per accidens ab ea realiter distinctum; restat, ut sit accidens proprium & realiter identificatum, & ab ea ex natura rei formaliter distinctum. Tum quia ista potentia naturalis materiae est inclinatio ejus, & aptitudo ad formas; at inclinatio, & aptitudo nihil realiter superaddit naturæ inclinatae, ut Scot. docet in 4. d. 49. q. 10. A. Tum quia posse perficere, & informare, est per se proprietas formæ, ergo posse perfici, & informari erit proprietas materiae. Tum tandem quia ita est in omnibus aliis, quod ejusmodi potentia, & aptitudines ad actus sunt passiones rerum, ergo ita erit in proposito.

Contra hanc Concl. objicitur 1. Tum quia adveniente forma in materia, perit potentia ad eam, nam adveniente actu, perit potentia, ex Av. 1. Phys. 70. & actus, & potentia opponuntur 9. Met. ergo erit accidens per accidens. Tum quia in secunda specie qualitatis posuit Philosoph. potentias naturales agendi, & patiendi, ergo est accidens de prædicamento qualitatis, sicut est mollities cereæ ad recipiendam impressionem sigilli, & durities columnæ ad sustinendam domum. Tum præerea in causis agentibus assignatur potentia activa de genere qualitatis distincta a substantia causæ, ut calor igni, gravitas lapidi ad descendendum, ergo potentia passiva ejusdem rationis causis patientibus, ut est materia, assignari debet. Tum tandem, quia potentiale alicujus generis, nihil est illius generis, at potentia materiae est potentialis respectu totius generis substantiæ, ergo non est aliquid illius generis, sed alterius.

122 Resp. ad 1. ex Bassolio 2. d. 12. q. 1. art. 2. ad 1. negando assumptum, si sermo sit de ipsa potentia in se formaliter, nam actu perficit potentiam, eam denominat, & in ea recipitur; dum actu quis ridet, non dicitur amisisse potentiam ad

risum, similiter dum scribit; quia tamen potentia secundum communem usum connotat privationem, quæ in materia solet præcedere formam, quoad hoc dicitur potentia cessare adveniente actu, & dicitur ei opponi, & ita intelligendus est Averr. loc. cit. Ad 2. ait Scot. 2. d. 16. q. 1. P. quod proprie loquendo, non est potentia activa naturalis vel passiva, quæ ponitur in secunda qualitatis specie, vel facilitas ad utendam illis agendo, vel patièdo, ut colligitur ex ipso contextu, quapropter mollities in cere, ut est in secunda specie qualitatis, non est proprie potentia passiva recipiendi impressionem sigilli, sed facilitas illa, quam habet, ut in ea cujuscumque sigilli imprimatur exemplar, idem dicendum de duritie columnæ. Ad 3. dicimus ex Doct. in eodem loco, substantiam esse immediate activam, quare non indiget ad suas actiones exercendas aliqua potentia media, realiter ab ea distincta, sed de hoc infra disputatione de causâ efficiente. Interim neganda est paritas, tum quia plus requiritur ad agendum, quam ad patiendum, unde si est necessaria potentia activa realiter distincta ipsis agentibus, non indiget passiva erit necessaria patientibus; tum quia potentia eorum instituta est ad obeundas operationes quasdam accidentales, quibus proinde proportionata est potentia illa accidentalis, at potentia passiva materiae instituta est ad constituendum per se unum cum actibus substantialibus, quibus plane proportionata non erit, si ponatur accidens. Ad 4. per idem probari posset, potentiam illam neque esse accidens, quia materia, præsertim in sententia eorum, cum quibus disputamus, est in potentia ad formas substantiales, & accidentales, quare negandum est, materiam esse potentiale ad quemcumque gradum substantiæ, est enim in potentia solum ad formas, & alias species completas, vide Scot. 2. d. 12. q. 1.

Secundo objicitur, probando, quod saltem potentia receptiva formarum accidentalium debeat esse accidens. Tum quia actus, & potentia sunt ejusdem generis 9. Met. 7. Tum quia inter actum, & potentiam habet esse proportio, quare si receptiva, & sustentativa substantiarum ponitur substantialis, quia actus recipiendus est substantialis, eadem ratione in proposito potentia receptiva, & sustentativa accidentalium debet esse accidentalis. Tum 3. ratio cur receptiva substantiarum sit substantialis, & non accidens, est, quia ex materia, & forma debet fieri unum per se, at hæc ratio non militat in forma accidentali, quia hæc non debet constituere unum per se cum materia. Tum 4. quia si potentia receptiva formarum accidentalium est substantialis, & per se in secundo modo identificata, sicut receptiva substantiarum, ita ex accidente, & materia fiet unum per se, sicut ex forma substantiali.

123 Resp. ad 1. sæpius dictum esse ex Scot. 2. d. 16. q. 1. Ad propositionem illam intelligi, & pronuntiarî a Philosopho de actu entitativo, & potentia objectiva, non de potentia subjectiva, & formali. Ad 2. inter actum, & potentiam non est necessaria proportio secundum entitatem, sed proportio receptivæ, & receptibilis; perfectivæ, & perfectibilis; talis autem proportio versatur inter potentiam substantialem, & actum accidentalem, quia hic recipi potest in substantia, & eam secundum quid perficere, at non ita e contra proportionari possunt potentia accidentalis, & actus substantialis, quia forma substantialis nec recipi potest, nec sustentari in accidente, neque illud perficere; & hæc est disparitas, ratione cujus admitti potest in materia potentia substantialis ad formam accidentalem, sed non e contra potentia accidentalis ad formam substantialem. Ad 3. utique si forma substantialis debet cum materia constituere per se unum, non debet illi uniri mediante potentia, quæ sit accidens, at hoc præcisè non sufficit, sed adhuc ulterius requiritur, quod actus sit ejusdem ordinis cum potentia; & quod potentia ordinetur ad eum primario, & ab eo recipiat esse simpliciter, quæ in proposito non conveniunt formæ accidentali, nam ipsa non est ejusdem ordinis cum materia, nec dat materia esse simpliciter, nec materia ordinatur ad eam primario, sed tantum secundario, nimirum propter formam substantialem. Ad 4. similiter ob eandem rationem negamus consequentiam; quamvis enim materia seipsa immediate recipere accidens, & non per accidens medium, adhuc non resularet unum per se ex utroque, quia adhuc ipsa non foret per se potentia, & accidens per se actus in sensu, quo loquitur Philosophus 8. Met. 15. & 16. explicat enim Scot. 3. d. 22. q. unic. F. ita intelligi debere, quod actus sit ejusdem ordinis cum potentia, quod accidenti deest, quod est ordinis inferioris, explicat etiam 4. d. 11. q. 3. Y. quod actus debet esse primarius, & dans esse simpliciter, quod accidenti non convenit, qua ratione docet ibidem, quod si accidens immediate recipiatur in materia prima, adhuc cum ea constituit unum per accidens, sed de hac re locuti sumus initio hujus disputationis, declarando discrimen ex Doct. cit. inter formam substantialem, & accidentalem, & adhuc fusius agemus inferius disputatione de principiis in factio esse, declarando, cur ex materia, & forma fiat unum per se, non ita ex subjecto, & accidente, præsertim cum accidens immediate recipiatur in subjecto, & non media potentia accidentali de genere qualitatis: hic tamen advertendum est, argumentum urgere quoque Adversarios, qui asserunt, hujusmodi potentiam accidentalem immediate recipi in materia prima, alia vero accidentia mediante ipsa, igitur ipsi quoque tenentur assignare rationem, cur ex materia, & sua potentia accidentali realiter distincta non fiat unum per se, cum sit in ea immediate recepta sine accidente medio.

QUESTIO VII.

De appetitu materiae erga formas.

124 Non est quæstio de appetitu elicitò, quia hic reperitur tantum in naturis cognoscensibus, & est actualis inclinatio naturæ cognoscens in bonum præcognitum, sed de appetitu naturali, & innato, qui etiam tribuitur naturis non cognoscensibus, & est habitualis inclinatio naturæ in bonum sibi connaturale, ut docet Scot. 1. dist. 1. quæst. 5. §. Ad argumenta &c. in fine, quo sensu dicimus, grave appetere deorsum, leve sursum, & quidem materiam tali appetitu appetere formam, clarissimis verbis docuit Philosophus Phys. text. 81. ubi ait, materiam appetere formam, sicut turpe pulchrum, & femina marem; idem docuit Scot. 4. dist. 49. quæst. 10. A. ubi adducens dictum Arist. modo relatum, inquit, hoc esse intelligendum de naturali inclinatione materiae ad formam, ranquam in propriam perfectionem, idem denique fuserat ratio; Tum quia unumquodque inclinatur in perfectionem sibi connaturalem, & eam appetit appetitu innato, ergo & materia formam; Tum quia hic appetitus in re nihil aliud est, quam aptitudo illius, vel naturalis potentia ad propriam perfectionem recipiendam, at talem esse potentiam materiae ad formas quæst. præced. demonstratum est, ergo materia vere appetit formam cum omni proprietate; solum igitur manet dubium, quo sensu dicatur materia appetere formam; an scilicet habeat hujusmodi appetitum erga formam absolutam, & in eam tantum, an potius etiam erga formas in particulari. Et rursus, si omnes, & singulas etiam appetit in speciali, dubitandum evenit, quo pacto eas appetat, an scilicet æqualiter omnes, & singulas, vel nobiliores magis, quæ duo dubia duobus articulis absolvemus.

ARTICULUS I.

An appetitus materiae sit solum ad formam in communi, vel potius etiam ad singulas in particulari.

125 Putant quamplures, appetitum materiae tendere tantum ad formam in communi, & ferri in formas in speciali solum, quatenus formæ sunt, non quatenus tales in specie, & individuo, quam sententiam sequitur Ariag. disp. 2. Phys. m. 42. Sghemma 1. Phys. digress. 5. quæst. 6. ea ratione, quia si hanc in particulari appeteret naturaliter, sub alia staret violenter. Alii, ut hoc evitarent absurdum, dixerunt, materiam appetere quidem formas, etiam in speciali secundum varios gradus específicos, & individuales, sed non uno, & eodem appetitu, sed tot, quot sunt formæ appetibiles, unde sub omnibus naturaliter manet, quia varii sunt appetitus, secundum quos naturaliter satiatur ab hac, & illa forma juxta singulorum exigentiam, & quidem quantum ad appetitivam multicitatem sequitur hanc sententiam Fuentes 1. Phys. dist. 3. art. 4. & putat, esse Doctoris in 1. dist. 1. quæst. 1. ad 4. Communis & vera sententia est, materiam appetere omnes, & singulas formas in speciali, uno, & eodem appetitu universali, & indeterminato ad omnes, quam sequitur Averis quæst. 20. sect. 21. Amicus tract. 5. quæst. 7. dub. 2. Ruvius 1. Phys. tract. 1. de materia, q. 7. dub. 1. & alii passim, & præsertim Regent. Parisiens. 1. Phys. quæst. 9. quæst. 2. coll.

Dicimus, materiam appetere omnes, & singulas formas, ne dum secundum communem gradum formæ, sed etiam secundum peculiare específicos, & individuos, uno, eodemque appetitu universali, & indeterminato ad omnes. Conclusio est Scot. 1. dist. 1. quæst. 1. in responsione ad quartum, & quintum, ibi enim significat, formam esse materiam perfectivam secundum omnes suos gradus, & materiam esse ad omnes, & singulas inclinationem, ut in propriam perfectionem, licet indeterminatè; & licet in responsione ad 4. dicat, tot esse appetitus in materia, quot sunt formæ receptibiles in ea, ibi tamen, ut notant Vigerius, & Barginus, non loquitur de appetitu universali, & aptitudinali, ac indeterminato, sed de actuali, particulari, & determinato ad singulas formas; nam paulo infra in responsione ad quintum, loquens postea de aptitudinali, & universali, expresse significat, esse unum indeterminatum ad omnes, & singulas. Explicatur autem, deinde probatur Concl. appetitus materiae ad formas, aliud formaliter non est, quam ejus innata inclinatio, & naturalis potentia aptitudinalis ad omnes, & singulas formas quæst. præc. declarata, ergo de appetitu materiae idem profus hic dicendum est, quod de ejus naturali potentia dictum est; sicut igitur potentia tripliciter considerari potest, ut actuata, ut privata, in quo sensu connotat formam, vel privationem, & secundum se, in quo sensu abstractit a forma, & privatione, & dicitur passio materiae; sic in proposito appetitus materiae potest sumi tripliciter, vel cum privatione boni, scilicet formæ, & dicitur desiderium, vel cum ejus possessione, & dicitur complacentia, ut Tat. 1. Phys. quæst. 7. not. 4. notavit ex Scot. 3. dist. 17. & 4. dist. 49. q. 10. vel secundum se, ut abstractit a privatione, & possessione, & dicit tantum inclinationem in bonum sibi connaturale, sive fuerit præsens, sive absens, & in hoc sensu dicitur materiae proprietates, Rursus sicut ibi distinximus potentiam in universalem, & particularem, remotam, & proximam, diximusque, illam esse unam, & indeterminatam ad omnes formas, hanc vero multiplicatam ad formarum multiplicationem; ita pariter in proposito de appetitu materiae dicendum est, & distinximus

gendum est, quod multi sint appetitus particulares, prout variis dispositionibus afficitur materia, unus autem universalis; quia omnes appetit sub eadem ratione actus, & tendit ad formam absolute supponentem. Denique sicut ibi diximus, potentiam universalem posse sumi dupliciter, primo pro tali inclinatione subjecti in suam perfectionem, quod si illa careat, manere dicitur in statu violento; alio modo pro quacunque inclinatione subjecti ad perfectionem sibi proportionatam, qua si careat, non proinde dicitur esse in statu violento, quia aliam consimilem habet, & primo modo diximus, potentiam materiae esse naturalem ad formam in communi, & absolute sumptam, & non ad ullam formam in speciali, quia si forma vage sumpta careat, dicitur esse in statu violento, non si careat hac, & illa signare, & secundo modo diximus, esse naturalem ad omnes, & singulas in speciali, quia qualibet est sibi proportionata perfectio, & juxta ejus universalem inclinationem, unde si unam dederat, non proinde ponitur in statu violento, dummodo aliam consimilem acquirat, ita & in proposito de appetitu distinguendum est, & dicendum, quod sumendo appetitum in primo sensu, utique solum formam in communi, & vage sumptam appetit, at in secundo sensu appetit etiam hanc, & illam signate.

126 Probatur autem Concl. quod materia scilicet appetat formas, etiam in particulari; Tum ex dictis art. 1. præc. quæst. ubi fusc probavimus, potentiam materiae etiam ad formas in particulari, & individuo, ut sic esse naturalem, quia forma secundum omnes gradus suos est perfectio materiae, illo solo excepto, in quo cum materia convenit; Tum quia, ut ibidem probatum est, forma terminat appetitum materiae; ut supponit absolute, pro forma scilicet in communi, & quacunque forma in particulari, non autem prout supponit simpliciter, vel personatè; nam licet omnes respiciat sub una ratione communi, scilicet actus, tamen ly actus, ut terminat materiae appetitum, continet sub se quemcumque gradum formæ, in quo materia differt, & non significat tantum gradum genericum formæ; Tum præterea in tantum dum materia est sub una forma, retinet adhuc appetitum ad aliam, quia perfectionem, quam posset habere ab alia forma, non habet ab ista, sub qua actu manet, at perfectionem genericam formæ habet actu ab ista, sicut haberet ab illa, ergo dicitur appetere, quam non habet, sub ratione specifica, & ad eam in hoc sensu remanet appetitus in materia; Tum insuper nulla forma satiat appetitum materiae totum, & totaliter, quia nulla forma continet virtualiter perfectionem aliarum formarum, ergo appetitus materiae, ne dum tendit in gradum genericum, sed etiam specificum, & individualem, nam secundum gradum genericum unaqueque forma aliam continet, & cum ea convenit, cum hic gradus sit ejusdem rationis in omnibus; Tum rursus ex materia, & forma fit unum per se, quia hæc est per se actus, & illa potentia, at certe non fit ex eis unum per se tantum unitate generica, sed etiam specifica, & individuali, ergo forma est actus, & perfectio materiae, ne dum secundum gradum genericum, sed etiam secundum specificum, & individualem.

Quod autem non sit necesse appetitus materiae multiplicare, probatur ex dictis art. 3. quæst. præc. Tum quia unus ad omnes sufficientissimus est, indeterminatus, & universalis, sicut in homine est una aptitudo ridendi ad multos actus, in lapide una inclinatio ad multos descensus; Tum quia tot de se sic referentur aptitudines, & appetitus in materia simul, quot formæ possibiles sunt; Tum quia isti appetitus determinari ad hanc, & illam formam, videntur non esse simul in materia compossibiles, sicut neque formæ; Tum tandem quia adhuc cum ista multiplicitate respectum non salvatur naturalis quies materiae sub oppositis formis; nam licet naturaliter quiesceret sub forma aquæ, spectato appetitu determinato ad illam formam, adhuc tamen violenter quiesceret spectato appetitu determinato, quem habet ad formam ignis; quare præstat cum Scot. loc. cit. in fine, salvare quietem naturalem materiae sub omnibus, & singulis formis ob appetitum, & inclinationem indeterminatam ad omnes.

127 In oppositum objicitur 1. Si materia appetit formas, etiam in speciali, vel appetit formam, quam habet, vel quam non habet, neutrum dici potest, ergo non appetit formas in speciali, probatur minor quo ad 1. partem, quia nullus appetit quod possidet, & privatio est causa appetitus, & oppositum manifestè docet Philosophus text. 81. probatur quo ad 2. Tum quia cum eam habere non possit, nisi per expulsiorem ejus, quam habet, appeteret corruptionem compositi, & etiam aliquo modo sui, quo ad illud esse substantiale, quod a forma habita recipit; Tum quia causa appetitus formæ, quam non habet, præsertim existeret ejus privatio, ut docet Philosophus in text. at hoc dici non potest, quia unum contrarium non est causa appetitus alterius; & simplex negatio, vel privatio nequit esse causa entitatis positivæ, qualis est appetitus; & demum si propter privationem materia appetit formam non habitam, non eam appeteret per se, & secundum propriam naturam, sed per accidens, ratione scilicet privationis, quæ sibi mere accidit.

Resp. ex dictis, appetitum materiae, ut est ejus proprietates, tendere in formam, ut perfectionem sibi connaturalem, præcise ab hoc, quod sit præsens, vel absens, juxta vero connotata absentia, vel præsentia, privationis, vel possessionis, vocatur desiderium, vel complacentia, & sicut connotata ista materiae accidentia, ita & appetitus sub his rationibus; formam ergo, quam habet, appetit appetitu complacentia, quatenus naturaliter, & juxta suam inclinationem sub ea quiescit, & privatio non est causa complacentia, sed desiderii; &

de appetitu sub ratione desiderii verum est, non appetere tantum quæ non habemus, & in hoc sensu loquitur Phil. loc. cit. cum ait, materiam non appetere formam, quam habet, appetit vero quam non habet, appetitu desiderii, ex quo negant quamplures, sequi in materia appetitum corruptionis formæ habitæ, & compositi, quia non est absolutum, sed conditionatum, si scilicet præfenti forma destituitur, ac licet distinctio hæc recte quadret appetitum elicitum, appetitui tamen naturali recte accommodari non potest, cum enim hic nulla interveniat cognitio, nulla deliberatio, non videtur, unde prodire possit præfata conditio: præstat igitur dicere cum communi, appetitum formæ absentes in materia esse absolutum, inde tamen non sequi, quod per se appetat corruptionem formæ præfentis, & compositi, sed tantum per accidens, quatenus ad formam habendam consequitur privatio habitæ, id enim, quod appetit, est sola forma habenda, non vero privatio habitæ, quia privatio formæ non est perfectio materiæ eo modo, quo dicere solemus, generans generare per se novam formam, privationem vero præcedentis solum per accidens inducere præter ejus intentum; Ad alteram probationem dicimus, privationem esse eandem appetitum, non secundum se, ut dicit positivam inclinationem materiæ in formam, sed in ratione desiderii præfite, quo sensu nihil positivum dicit, & quamvis unum contrarium, positivum nequeat esse ratio appetendi aliud, id tamen esse potest in privativis; & denique verum est, materiam per accidens, idest ratione privationis connotatæ, appetere formam, appetitu desiderii, ac per se, & secundum propriam naturam, appetit illam, ut appetitus dicit absolutam inclinationem in propriam perfectionem.

Sed inflat Arriag. cit. probans materiam non posse habere appetitum naturaliter loquendo respectu formæ substantialis per modum desiderii, quia naturaliter non potest carere forma, ergo illam non potest recipere ut absentem, ergo nec desiderare. Dices, desiderare, quam non habet, præsertim perfectiorem. Contra inflat, quia nullam formam determinate appetit, sed omnes disjunctive & in universali, quatenus complementum ejus, ergo debet carere omni forma, ut eam desiderare dicatur, quod naturaliter est impossibile.

Resp. hanc difficultatem urgere negantes appetitum in materia ad formas in particulari, nam in hac opinione, ut materia formam desiderare dicatur, non sufficit absentia unius, vel alterius formæ, quia eas non appetit sub particulari ratione, sed omni forma prorsus denudari debet, quod est naturaliter impossibile: unde Arriag. negans appetitum materiæ ad formas in particulari, bene consequenter loquitur; dum negat in ea appetitum desiderii. Verum in sententia opposita, quam nos sequimur, argumentum non urget, quia ad appetitum desiderii dicimus sufficere absentiam unius formæ & quidem talem appetitum in materia dari docuit Arist. cum dixit privationem generare appetitum in materia, cum hoc dictum explicari nequeat, nisi de appetitu desiderii.

128 Secundo obijctur. Tum quia impossibile est, opposita simul esse, ergo non potest appetere formas in particulari, & sub particulari ratione, quia ut sic sunt contrariæ, & incompatibiles. Tum 2. quia ratione contrarietatis formarum, si sub una stat naturaliter, sub alia detineretur violenter. Tum 3. communis illa resp. de appetitu complacentiæ respectu formæ habitæ, & desiderii respectu non habitæ, repugnare videtur, nam desiderium formæ non habitæ incompatibilis habitæ, directe excludit complacentiam habitæ, quia ideo quam non habet, appetit, quia quam habet, fastidit, & renuit. Tum inflat Arriag. materia omnes formas respicit sub eadem ratione, scilicet sub ratione actus, ergo cum habet unam, non est, cur appetat aliam, quia habet jam rationem formalem, cur alie sunt appetibiles, quia hæc in omnibus reperitur. Tum denique, quia etiam si omnes appetat in particulari, cum tota materia sit ejusdem rationis, & actu subisset omnibus formis actu existentibus in Universo, nulla sibi remaneret appenda.

Resp. ad 1. appetitum materiæ esse indeterminatum ad opposita, non quidem simul habenda, sed successive, qualis est indeterminatio voluntatis ad velle, & nolle. Ad 2. sæpe dictum est, indeterminatorem appetitum ad omnes formas tollere violentiam a primo passo ex Scot. 1. d. 1. q. 1. in fine. Ad 3. falsum est, repugnare appetitum desiderii formæ absentes, complacentiæ præfentis, quia vera, ut ait Averfa cit. materiam quiescere, & complacere in forma præfenti, & absentem appetere, aliud in re non est, nisi habere de se potentiam, & aptitudinem ad omnes, & unam habere actu, aliam non habere actu, quod plane nullam involvit repugnantiam, nec ratio cur appetat absentem, est, quia fastidiat præfentem, sed quia non solum ad istam, quam habet, sed etiam ad alias dicit aptitudinem. Ad 4. materia respicit formas, non solum sub ratione actus in communi, sed etiam sub ratione talis actus, sub qua ratione multis carer; dicitur autem omnes respicere sub eadem ratione, quia omnes respicit secundum gradum genericum, specificum, & individualement actualitatis, & hæc est ratio specificativa appetitus materiæ, argumentum urget ponentes, appetitum materiæ terminari ad omnes formas, ut formæ sunt præfite. Ad 5. licet materia sit ejusdem rationis specificæ, tamen diversæ sunt materiæ portiones individuales, singula habentes aliquam formam, & cæteris carentes; hæc igitur, & illa materia desiderant formas in aliis existentes, & non tantum existentes; sed etiam impossibiles existere, quas tamen nunquam habuerant, imo & appetunt formas, quas antea habuerunt, & amiserunt, appetitum nimirum remoto, & ad actum non reducibili per

agens naturale, saltem secundum communem naturæ cursum, ut satis explicatum est art. 2. q. præced.

ARTICULUS II.

An materia equaliter appetat omnes formas in particulari, vel nobiliores magis, & dum est sub nobiliori, an minus nobilem appetat.

129 Circa primam quæsti partem, Recentiores fere omnes asserunt, materiam omnes equaliter appetere formas, & non magis perfectas, quam imperfectas, ita Ruvius tr. 1. q. 7. dub. 2. Averfa q. 20. sect. 11. Amicus tract. 5. q. 7. dub. 3. & ex nostris Fuentes 1. Phys. q. 2. diff. 3. art. 3. qua de causa etiam alteri parti quæsti affirmative respondent: si enim materia equaliter appetit omnes formas, & non magis perfectas, quam imperfectas, sequitur manifeste, quod sub imperfectiori existens, adhuc appetitum retinere debet imperfectioris.

Dicimus primo, materiam non equaliter appetere formas in particulari, sed nobiliores magis, est contra relatos Auctores, & colligitur ex Scot. 4. d. 49. q. 10. B. ubi probat, appetitum naturalem ad majorem perfectionem esse majorem, & ad maximam, qualis est Beatitudo, esse maximum, quod probat ex Philosopho initio 1. Met. sic arguente; si omnes homines natura scire desiderant, ergo maximam scientiam, qualis est Metaphysica, maxime desiderant, ergo tam secundum Scotum, quam Philosophum, appetitus naturalis non est æqualis ad omnes perfectiones sibi consentaneas. Colligitur item ex Scot. 4. d. 50. q. 5. A. ubi docet, quod appetitus naturalis in Beatis ad Beatitudinem non expletur simpliciter per quemcumque beatitudinis gradum, quia non equaliter appetit hunc, vel illum, sed sicut summæ non appetit nisi summum, ita simpliciter non nisi in summo quietari potest; de appetitu igitur materiæ (si principis Scoti volumus inhaerere) est pariter discurrendum, quod non sit æqualis ad omnes formas, sed inæqualis juxta formarum perfectionem inæqualem.

130 Probat autem Conclusio primo ex illo loco Topico, quo usus est Arist. 1. Met. 1. cit. In causis præcis sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maximum ad maximum, 2. Top. sed materia simpliciter appetit formam, quia forma est ejus perfectio simpliciter, ergo magis appetit formam, quæ magis eam perficit, & maxime, quæ est ejus perfectio maxima. Deinde, quod magis intenditur a natura, magis quoque appetitur, ergo cum perfectiores formas intendat magis, quam imperfectas, consequenter etiam eas magis appetet. Confirm. quia hæc ratione adversarii ipsi inquirunt, materiam appetere formas, tam substantiales, quam accidentales, sed illas magis, & primario, quia has appetit propter illas, juxta regulam illam Philosophi 1. Post. c. 2. Propter quod unumquodque tale, & illud magis, ergo etiam erga formas ipsas substantiales admittere debent in materia inæqualitatem appetitus, sicut inæqualitas perfectionis reperitur in ipsis formis, eo præsertim, quia omnes fere difficultates, quas contra nos urgent, contra ipsos retorqueri possunt, dum hanc inæqualitatem admittunt in appetitu materiæ erga formas substantiales, & accidentales, quem plures illorum ponunt unicum ad utraque. Dices hoc non urgere, quia materia non magis appetit formas substantiales, quam accidentales, quia illæ sunt perfectiores istis, sed quia istæ sunt dispositiones ad illas, & finis magis appetitur, quam medium, forma autem imperfectior substantialis non subordinata, de qua est fermo, non appetitur propter formam perfectiorem. Hac instantia rationem allatam non enervat, cujus scopus est ostendere dari posse inæqualitatem, & magis, & minus in appetitu naturali (quod Adversarii negant) undecumque hoc proveniat. Demum probari potest ex proportionæ ad appetitum elicitum, quo magis appetitur majus bonum, ergo servata proportione, idem dicendum erit de appetitu innato, quod per modum ponderis inditi ab Auctore naturæ, magis naturam inclinat in perfectionem majorem.

Respondent, disparem esse rationem de appetitu naturali, & rationali, quia hic sequitur cognitionem, discernitque inter bonum, & malum, ideo appetitu ordinato semper appetit majus bonum; at naturalis cum non sequatur cognitionem, non habet discretionem perfectioris, & imperfectioris formæ.

Sed contra, quia quod gerit cognitio in naturis cognoscensibus, hoc supplet natura ipsa in non cognoscensibus, ergo sicut in cognoscensibus illa discretio majoris, & minoris boni fit a cognitione, ita in non cognoscensibus fieri debet ex ipso naturæ instinctu. Accedit, quod natura in non cognoscensibus discretit inter bonum, & malum, dum indidit illis appetitum erga propriam perfectionem, & aversionem erga contraria, sic aqua refugit calorem, & appetit frigus, ergo discretit etiam inter magis, & minus bonum; & si prima discretio, quamvis propria videatur naturæ cognoscensibus, adhuc tamen suo modo indita est quoque non cognoscensibus etiam & altera. Denique naturalis inclinatio debet esse cum maxima rectitudine, cum immediate sit indita ab Auctore naturæ, at naturalis relictio postulat, ut bonum majus præferatur minori, ergo naturalis appetitus ita est a Deo constitutus, ut per modum ponderis naturam ipsam magis reddat propensam in majus bonum.

Resp. Averfa l. c. quia ex parte ipsarum formarum vere datur inæqualitas, dici posse, materiam inæqualiter appetere formas

terminative solum; idest appetere varia formas, quarum una est perfectior alia. Verum appetitus materiæ in se considerata est prorsus æqualis ad omnes. Sed impugnat eodem modo, quo responsio præcedens, nam si datur inæqualitas in perfectionibus, debet etiam dari in inclinatione naturæ ad illas; Et sicut nullus prudens præferret minus bonum majori, ita Auctor naturæ minus prudenter naturas rerum constituit, si illis indidisset appetitum, æqualem in majorem, & minorem perfectionem, & in hanc, & illas fecisset inclinatæ equaliter.

131 In oppositum obijctur 1. Potentia materiæ indeterminata est, & indifferens ad omnes formas, ita quod non magis unam, quam aliam recipere nata est, ergo etiam appetit omnes, cum ejus appetitus a potentia naturali non differat. Conf. Ab agente naturali solum determinatur materia ad recipiendam hanc potius quam illam formam, etiam si perfectiorem, ergo ex se equaliter omnes respicit; Denique licet figuris intendat ex creta effingere vas pulcherrimum; creta tamen ex se est indifferens, ita in proposito, etiam si agens naturale intendat inducere perfectiorem formam, materia tamen indifferenter se habet.

Resp. potentiam materiæ esse indeterminatam, & indifferenter ad omnes formas, quatenus indifferentia excludit inclinationem determinatam, non quia excludit inclinationem majorem ad unam, dummodo adhuc inclinetur ad alteram, & sic etiam in eodem sensu equaliter appetit omnes, ut ly equaliter excludit inclinationem determinatam; non ut excludit inclinationem majorem. Ad confirm. concedimus pariter, materiam determinari potius ad receptionem istius formæ, quam illius, ab agente naturali, quia equaliter de se respicit omnes, ut æqualitas dicit indeterminatorem, adhuc non impedit, quin de se magis inclinetur in perfectiorem, licet de se determinata non sit ad illam. Ad aliam tenet paritas in hoc tantum, quod sicut materia artificialium ab agente determinatur ad recipiendam hanc potius, quam illam formam, ita, & materia naturalium, alias non tenet, quia materia naturalium est in potentia naturali ad formas naturales, sed materia artificialium ad artificiales est solum in potentia neutra ex Scoto 2. d. 18. q. un. B.

132 Secundo obijctur. Tum quia petere magis majus bonum, quam minus, est appetitivum cum defectu, hoc enim fit prævia cognitione præferente majus bonum minori, ergo non potest convenire materiæ, cujus appetitus nullam sequitur cognitionem, nec ullam habet discretionem majoris, vel minoris perfectionis formarum; Tum quia si ad unam inclinetur magis, quam ad aliam, ergo transeundo a forma perfectiori ad imperfectiorem, aliquam sub ista pateretur violentiam, & non æque naturaliter quiesceret sub omni; Tum tandem quia respicit materia formas, ut faciat unum per se cum illis, at hoc equaliter præstat per omnes formas, ergo &c.

Resp. assumptum non esse universaliter verum, quamvis enim in cognoscensibus ille appetendi modus ortum ducat ex iudicio, majus bonum minori præferente, non idcirco iudicium est præcisa causa sic appetendi, potest enim etiam oriri ex instinctu naturæ, eo magis rem in propriam perfectionem inclinantis, quo major est illa perfectio. Ad 2. negatur consequentia, quia, ut docet Doctor loc. sæpe cit. 1. q. 1. in fine, quies violenta nunquam est, nisi quiescens determinate inclinetur ad oppositum, ideo cum materia non habeat inclinationem, determinatam ad formam perfectiorem, licet habeat majorem, ideo simpliciter, & absolute loquendo, non patitur violentiam sub imperfectiori, declarat id Scotus in simili 4. d. 50. q. 5. A. artificium exemplo, dum ait, non oportere, ut appetitus naturalis naturaliter quiescat, habeat omnem perfectionem, cujus est summe capax, Pater de gravi, inquit Doctor, quod appetit esse summe doctum, scilicet in centro, & tamen non omnes grave potest esse in centro, & si tolleretur impedimentum, esset summe doctum, & tamen non potest esse, sed facit se doctum, quantum potest, & ibi naturaliter quiescit, hæc Doctor, atque ita sicut lapis non quiescit violenter in superficie terræ, sed naturaliter, cum non sit extra Sphæram, & latitudinem suæ naturalis perfectionis, quæ est ubi doctum, nec omnino se junctus ab ea, ita materia non quiescit violenter sub forma imperfectiori, sed naturaliter, & cum sic existens, non sit extra latitudinem suæ naturalis perfectionis, qualis est quilibet forma; an vero æque naturaliter quiescat sub perfectiori, & imperfectiori, dicendum est, quæ naturaliter quiescere, ut naturalitas excludit violentiam, & non æque naturaliter, ut naturalitas dicit majorem, vel minorem inclinationem. Ad 3. negatur minor, absolute loquendo, nam licet per quamcumque formam substantialem construat cum materia per se unum, hoc tamen perfectius constituitur, quo perfectior est forma.

133 Tertio obijctur. Tum quia si materia meliorem formam appeteret, unam tantum appeteret, quia ex omnibus, una est omnium perfectissima. Tum etiam quia si appetere deberet per se interitum formarum ignobilium, quæ sunt cum nobiliori incompatibiles. Tum præterea, si ita esset, nunquam ex nobiliori composito feret ignobilium, contra experientiam, & ob hanc rationem, ait Amicus loc. cit. sibi hanc opinionem placere. Tum denique quia in re indivisibili non est prius, & posterius, nec magis, & minus, quia hæc dicuntur comparationem, quæ est inter plura, sed appetitus materiæ est unicus, & indivisibilis ad omnes formas, incapax intensiois, & remissionis, ergo non potest recipere magis, vel minus.

Resp. negando sequelam, quia cum appetitu majori nobilioris formæ stat quoque appetitus ignobilioris, ut conflabit conclusione sequenti. Ad 2. negatur consequentia, quia ita est in

compossibilis forma ignobilior cum nobiliori, sicut duæ æque nobiles, quare sicut supra diximus, ex hoc, quod materia appetit formam, quam non habet, sequi, quod appetat interitum illius, quam habet, solum per accidens, & indirecte, ita in proposito. Ad 3. item negatur consequentia, quia cum majori appetitu ad perfectiorem formam stat adhuc appetitus ad imperfectiorem, ad quam si ab agente extrinseco determinetur materia, sequitur naturaliter compositum imperfectius; concluderet argumentum, si negaremus in materia inclinationem ad imperfectiorem formam, dum est sub perfectiori. Ad 4. quæ est ratio cæteris efficacior, nec tamen ab Adversariis adhibetur, dicimus, etiam ipsos teneri ad solutionem argumenti, cum quidam eorum asserant, uno, & eodem appetitu materiam appetere formas substantiales, & accidentales, illas tamen magis, & primario, has minus, & secundario; respicit igitur materia quidem indivisibiliter, uno, & eodem respectu appetituali omnes formas, tamquam terminum adæquatam, tamen respectus ille prius ex natura rei refert materiam ad formam perfectiorem, quam ad imperfectiorem, & eodem respectu respicit illas cum tali subordinatione, & in hoc sensu dicimus, magis appetere perfectiorem, quam imperfectiorem, & non quia intensioem aliquam, vel remissionem in ea cogitare velimus in ordine ad diversas formas.

134 Dicimus secundo, materiam, dum est sub nobiliori forma, adhuc appetere minus mobilem, est Scoti 1. d. 1. q. 1. ad quartum, ubi inquit, quod nulla unquam forma, quantumcumque perfecta, satiat totaliter, & extensive appetitum materiæ, nisi in illa una omnes formæ inferiores includeantur, & ideo quia nulla de facto datur talis forma, quæ sic adæquate contineat perfectionem omnium formarum, ideo nunquam desinat appetere imperfectiorem, quantumcumque sit sub perfectiori. Præterea probatur conclusio evidenti ratione; si non appetit materia formam ignobilior, dum est sub nobiliori, ergo non poterit naturaliter nobilior amittere, ac per consequens compositum ex illa resultans v. g. homo ex anima, quæ est omnium nobilissima forma, erit incorruptibile, consequentia patet, quia corruptio formæ præfentis oritur ex appetitu formæ non habitæ. Nec respondere valet, posse hanc corruptionem sequi ex appetitu formæ nobilioris, quia inter formas quoad perfectionem est processus in infinitum. Non valet. Tum quia hoc est adhuc in questione. Tum quia etiam si sit possibilis forma perfectior anima rationali, de facto tamen nulla perfectior reperitur, nec de potentia Dei ordinaria possibilis est perfectior; atque ita de facto homo incurruptibilis erit. Tum demum, quia, ut ait Amicus loc. cit. experientia constat, sequi corruptionem compositi, etiam si fiat compositum imperfectius, ergo ex appetitu formæ imperfectioris de facto sequitur corruptio. Dices adhuc sequi posse corruptionem nobilioris formæ in materia sine appetitu formæ ignobilioris, quia posset agens naturale adhuc introducere dispositiones contrarias illi formæ, & eam expellere, & aliam inducere, sicut potest inducere calorem in aqua, quamvis aqua non appetat illum. Neg. assumptum, quia appetitus materiæ ad alias formas præter habitam, est unica, & præcisa radix corruptibilitatis compositi, unde si daretur materia sub forma perfectissima, quæ totaliter satiare materiam appetitum in ordine ad cæteras formas, compositum illud esset incorruptibile prorsus, ut quidam de cælestibus corporibus philosophantur, imo in ipsam aquam ideo potest agens naturale calorem inducere, qui licet aqua repugnet, materia tamen, quæ est sub forma aquæ, appetit formam substantialem indivisibilem per calorem.

135 Sed contra conclusionem obijctur 1. Tum quia voluntas, quantumvis libera, non eligit minus bonum in comparatione majoris, nec igitur materia appetit naturaliter formam imperfectiorem comparatione perfectioris. Tum quia forma minus nobilis non est bonum, sed malum comparatione nobilioris, ergo nequit appeti a materia sub ista comparatione, quia malum non est appetibile. Tum etiam, quia forma virtualiter continens aliam formam, explet appetitum materiæ respectu illius ex Scot. 2. d. 14. q. 1. B. sed forma perfectior continet virtualiter imperfectiorem, sicut species superior inferiori ex eodem 4. d. 1. q. 1. ergo. Confirm. Quando materia manet perfecta ut octo, expletus utique est appetitus ejus quoad omnes gradus inferiores, ergo cum materia perficitur forma ut octo, non potest appetere formam minus nobilem perficientem ut quatuor, vel sex, quia talis appetitus supponitur expletus per formam perficientem ut octo. Denique potentia intellectiva satiat omnino perfectissimo intelligibili, scilicet Essentia Divina, ergo etiam potentia materiæ perfectissima forma.

Resp. negando assumptum; longe enim probabilius est, posse voluntatem eligere minus bonum relicto majori ob suam libertatem, juxta illud Poetæ, *Vide meliora, proboque, deteriora sequor*, ita quoque poterit materia inclinari in formam imperfectiorem sub perfectiori manens; præsertim quia non exercetur in materia talis inclinatio considerata comparatione majoris, vel minoris perfectionis in forma, sed absolute inclinatur in formam, magis in perfectiorem, minus in imperfectiorem. Ad 2. negatur, minus bonum comparatione majoris esse simpliciter malum, potius enim est simpliciter bonum, & secundum quid malum, & ideo potest appeti etiam comparatione majoris boni; Accedit, in casu in nostro non intervenire, ut dicimus, talem comparationem formæ imperfectioris ad perfectiorem. Ad 3. continentia virtualis unius in alio sumi potest dupliciter, vel simpliciter, & in rigore, & sic dicimus, animam rationalem continere sensitivam, & vegetativam, quia rationalis continet illas, non tantum per excessum perfectionis, sed per æquivalentiam quoque in

numeribus, vel secundum quid, & ita omnis species perfectior continet imperfectiorem, per solum scilicet excessum perfectionis; de continentia virtuali primi generis verificatur maior, de continentia secundi generis tantum verificatur minor. Ad 4. conceditur antecedens de gradibus inferioribus ejusdem rationis, non alterius, & ideo negatur sequela, quia gradus perfectionis, quos alia forma, est minus nobilis sit tribuit, sunt alterius rationis, & ideo non possunt virtualiter contineri in forma superiori, ut sufficit ad explendum materię appetitum in ordine ad eos. Ad 5. negatur paritas, quia satiatur intellectus in Divina essentia, eo quia reperitur in ea in ordine ad alia objecta, nedum primitas perfectionis, sed etiam virtualitatis; forma vero perfectissima habet solam primitatem perfectionis in ordine ad alias, quę sine primitate virtutis non sufficit ad satiandum materię appetitum, ut Scot. docet loc. cit. 1. d. 1. q. 1. ad 4.

136 Quæres, an sicut materia dicitur appetere formam, ita dici queat, forma appetere materiam? Respondemus affirmative. Tum quia sicut quæst. precedenti tribuimus etiam formę potentiam informativam, aptitudinem nimirum ad informandum, ita suo modo quoque hic debemus tribuere appetitum. Tum quia appetitus, ut sumitur hoc loco a nobis, nihil aliud est, quam inclinatio; forma autem naturaliter inclinatur in materiam, ut in sum subiectum perfectibile, ut docet Doctor quol. 13. prope finem; Cui accedit, quod etiam forma in unione ad materiam aliquam acquirit perfectionem, ut docet idem 2. d. 14. q. 1. in fine; absolute tamen appetitus, potius materię, quam formę tribuitur, quia forma est actus perficiens, & determinans materiam, non sic materia formam, & ita esse loquendum, hac de causa docuit Philosoph. 1. Phys. 81.

Q U E S T I O VII.

Quomodo formę substantiales fiant ex materia, & an omnes ex eius potentia sinteductę.

137 DE generatione formarum ex materia tres extant sententię, duę extremę, & una medię; prima extrema tenet, formam ante ejus generationem in materia præexistere actu, sed veluti latentem, & actione postea agentis naturalis in lucem extrahi, & quasi e materia depromi; sed non omnes ita opinantes eodem modo loquuntur: Aliqui enim formam totaliter præexistere dixerunt, ut Anaxagoras cum aliis quibusdam veteribus: Alii vero non totaliter, sed secundum aliquid sui tantum, quod sit veluti inchoatio ejusdem formę, & hi rursus divisi sunt, nam hoc volunt alii præcedere, veluti aliquam sui partem, & ita significavit Soncin. 7. Met. q. 28. licet non assertive teneat: Alii dixerunt, præcedere formam in materia, secundum esse essentię, & fieri de novo secundum esse existentię, ut Albert. tract. 3. Phys. c. 3. Alii id, quod formę præcedit in materia, nihil actuale esse volunt, sed purum esse possibile formę, quod in generatione postea convertatur in esse actuale ejusdem, ut Bacon. 2. d. 18. q. un. art. 2. & quodl. 1. q. 6. art. 2. & isti ab hac prima sententia recedere videntur; quę per inchoationem formę aliquid esse actuale ipsius formę in materia præcedens intelligit.

Secunda sententia extrema asserit, formas ante generationem nullo modo in materia præexistere, nec actu, nec potentia; sed contineri solum in virtute, & potentia activa cuiusdam superioris agentis, a quo producuntur, & ab agente postea immediato unitor materię; ita quod dum generatur ignis ex ligno, forma ejus non præexistebat in materia, nec actu, nec potentia, sed materia ipsa disponit ab alio igne per calorem, & siccitatem, & in materia sic ab igne disposita producit forma ignis a quadam Intelligentia, & sic ab ea producta unitor materię per actionem ignis, & fit generatio novi ignis eo fere modo, quo nos dicimus, contingere in generatione hominis, in qua homo generans per virtutem feminalem disponit materiam, qua sic disposita, fit anima rationalis a solo Deo, & ab agente immediato unitor materię sic dispositę, ita ut anima, nec actu, nec potentia præferat in materia, sed solum in potentia, & virtute Dei eam producens; tribuitur hæc opinio Platoni in Phædone, & eam tenuit Avicenna. lib. 1. suff. c. 2. ubi docuit, formas nullo modo præcedere in materia, sed solum in potentia, & virtute activa illius Intelligentię, a qua producuntur in materia, & ab hac sententia non multum distare videtur Raguseus disp. 16. ut colligitur ex c. 15. 16. & 17. ubi tamen non ab Intelligentia, sed a Cælo omnes formas originem trahere contendit.

Tertia sententia medię, quę communis est in schola Peripatetica, duo asserit contra præfatas opiniones extremas; Primum est, quod forma ante generationem rei naturalis non præcedit actu in materia contra primam; Alterum, quod præcedit in potentia passiva materię, & non solum in virtute activa agentis, contra secundam; per generationem vero educi de potentia materię, & incipere esse actu, sed quid sit formam educi de potentia materię, & quid ad veram educationem rationem requiratur, quot capita, tot sententię, ut postea videbimus.

Circa alteram quęstioni partem vertitur dubitatio inter Receptiones de formis præsertim Cælorum, & Elementorum, an scilicet in prima Mundi creatione fuerint hujusmodi formę de potentia materię educę, an potius ex nihilo factę per partem

les creationes, vel saltem ad creationem compositorum concreate. Negant aliqui fuisse educas cum Fonseca 5. Met. c. 2. quæst. 4. & Conimb. 1. Phys. c. 9. quæst. 12. art. 5. affirmant alii cum Molina, & Valq. 1. p. qu. 45. art. 5. Ruvio 1. Phys. tr. 2. qu. 2. Hurt. disp. 4. sect. 2. Averfa. q. 20. sect. 7. Mediam sententiam tenet Suarez in Met. disp. 15. sect. 2. & 3. dicens, formas Elementorum fuisse educas, non autem formas Cælorum.

A R T I C U L U S I.

Offenditur, formas non fieri in materia per inchoationes actuales præcedentes, nec sola virtute Intelligentię cuiusdam separata in eam induci.

138 DICIMUS primo, formas ante generationem non præexistere actu in materia secundum aliquid sui esse; Conclus. est Scot. 2. d. 18. quæst. un. ubi ex professo has formarum inchoationes refellit, & S. Thomę 1. p. quæst. 45. art. 8. Probatur 1. quia materia in generatione transit de non esse formę ad esse formę, seu de privatione ad formam, ergo forma ante generationem nec secundum se totam, nec secundum aliquid sui, sive essentię, sive existentię, præcedit in materia, quia privatio, & forma se totis opponuntur, tam secundum essentiam, quam existentiam, & sunt incompatibiles in materia secundum quemcumque gradum. Accedit ex Basolio 2. d. 18. quæst. unic. §. Contra primum modum &c. quod non solum forma, & privatio sunt simul incompatibiles in materia, sed etiam formę ipsę ad invicem non se compatiuntur in eodem subiecto, nec secundum se totas, nec secundum aliquas sui partes, nec secundum esse essentię, nec existentię, quia essentię ipsę formarum sunt, quę invicem repugnant, & in qualibet particula formę includitur essentia formę. Insuper infinitę essentię actu formę in materia, quia si omnes præcedunt secundum aliquid sui, cum sint possibles formę infinitę syncategorematicę, erit utique sub infinitis formis imperfectis, & incompletis. Nec ad ista respondere valebit, quod forma, & privatio, & formę ipsę ad invicem sunt incompatibiles secundum esse perfectum, & completum, non vero secundum esse imperfectum, & incompletum; Tum quia forma substantialis est simplex, & non habet partes intentionis, secundum quas modo dicatur incompleta, imperfecta, modo perfecta, & completa; Tum quia, etiam si secundum gradus individuales susciperet magis, & minus; adhuc tamen secundum específicos consistit in divisibili, & penes hos præsertim attenditur incompatibilitas formarum; Tum tandem, quia privatio est proliis incompatibilis cum forma, etiam in esse remisso. Denique refellitur hæc opinio de inchoationibus formarum, etiam ex suomet fundamento, (inquit Doct. cit.) quod erat tale: Si forma non præcedit in materia secundum ullam proliis inchoationem, ergo forma creatur, & fit ex nihilo, quod argumentum ita retorquet Scot. Illa pars formę, quę de novo producit, non præcedit in materia, quia de novo generatur, ergo fit ex nihilo sui, quia pars, seu inchoatio præcedens ab illa distinguitur, ergo illa pars adhuc creatur. Et si dicas, ad hoc, ne tota forma dicatur ex nihilo facta, sufficere, quod aliqua eius pars in materia præferat, præterquamquod id non salvat, quin saltem pars illa, quę de novo fit, creetur, præstabit dicere, ut ait Averfa cit. ad hoc, ne compositum dicatur ex nihilo fieri, sufficere, ut aliqua eius pars nimirum materia, præcedat, licet forma de novo fiat. Adhuc etiam Canon. 2. Phys. q. 1. retorquet hoc fundamentum contra Adversarios, nam vel gradus, & pars formę actualis, quam dicunt in materia præcedere, est producta, vel improducta; non secundum ut patet; si primum, ergo vel producta est ex nihilo sui, vel ex aliquo; si secundum, ergo dabitur processus in infinitum; si primum, ergo non evitant creationem, ad quam evitandam has formarum inchoationes excogitarunt. Quantum vero attinet ad ultimum dicendi modum illius primę sententię, qui pro formarum inchoatione ponit esse quoddam, non actuale, sed mere possibile earum; vel per hoc esse possibile formarum intelligit esse possibile subiectivum, & hoc non est aliquid esse formę, sed esse materię, veluti subiecti præcedentis, ex quo fit forma, & in hoc sensu coincidit cum communi sententia, de qua art. sequenti; vel intelligit esse objectivum formarum, at hoc non potest dici inchoatio formę in materia præcedens; quia tale esse possibile habet formam a potentia activa efficientis causę, quatenus esse potest terminus actionis illius ex Scot. 2. d. 12. qu. 1. & non in potentia passiva materię.

139 In oppositum objicitur 1. Tum quia non admittitur inchoatio formę; ipsa feret ex nihilo; Tum etiam generatio formę non est naturalis, si talis inchoatio non admittatur coagens ad generationem formę, ut principium activum intrinsecum; Tum insuper quia ex quolibet non fit quodlibet, sed ex determinato determinatum, ex 1. Phys. ergo ex materia de se indeterminata fit hæc forma, vel illa per determinationem factam ab hac, vel illa inchoatione; Tum tandem hæc fuit expressa mens Augusti. 3. de Trinit. cap. 7. dicentis, omnium, quę nascuntur, occulta quadam semina in mundi elementis latere, & Aristot. 7. Met. 29. dicentis, in materia esse aliquam partem rei faciendę.

Respondetur ad primum negando consequentiam cum Scot. cit. quia produci ex nihilo proprie non tantum negat præexistentiam partis

partis intrinsecę componentis id, quod fit, sed etiam præexistentiam subiecti per se concurrentis ad productionem formę, quę fit; unde cum formę omnes materiales supponant subiectum, a quo dependentur sunt, non dicuntur ex nihilo fieri, sed de potentia materia educi, & generari. Ad 2. negat item Doctor consequentiam, quia mutatio dicitur naturalis præferat a principio passivo, nec necessarium est, cum passivo conjunctum esse activum, ut dicatur naturalis. Ad 3. dicimus, materiam determinari ab agente per prævias dispositiones, ratione quarum potius introducit una forma, quam alia in materia, alias de se indeterminata. Ad 4. per rationes feminiales occultas intelligit Augustinus facultates, & virtutes naturalium causarum, agentium, & patientium, ex quarum applicatione adinvicem varii oriuntur effectus. Arist. vero ibi nec loquitur de materia, nec de formarum inchoationibus, ut bene ponderat Suarez disp. 15. sect. 2. n. 8. sed loquitur de semine, & per partem coagentem generationi formę intelligit virtutem quandam accidentalem, quo sensu ait Philosophus, quod calor naturalis in agro est vis inchoata productiva fanitatis; Consulatur Scot. in Metaph. super hunc text. & Tromb. 12. Metaph. q. 6. ubi per partem formę vult intelligi, non partem formalem, sed virtutem, quatenus est in materia forma aliqua accidentalis, quę dispositive cogit ad generationem formę, sicut quando calor efficit fanitatem.

140 Secundo objicitur; Si ad hoc, ut forma dicatur educi de potentia materię, non requiritur, quod præexistat actu in ea, sed tantum mere in potentia ejus passiva, sic anima rationalis educitur de potentia materię, quia in ea præexistit, non actu, sed potentia; immo non potest reddi ratio, cur forma potius educi dicatur de potentia passiva materię, quam de activa agentis, cum perfectiori modo sit virtualiter in agente.

Respondeo negando consequentiam, quadam enim formę sunt, quę in suo esse ita pendent, juxta naturalem earum existentiam, a materia, ut nisi ab ea recipiantur, & sustententur in ea, fieri, & conservari nequeant naturaliter; propterea dicuntur non solum esse in virtute agentis, sed ad earum generationem, & conservationem requiri quoque materiam, & tales sunt formę materiales; Anima vero rationalis non pendet a materia in fieri, neque conservari, & sic dicitur esse tota in potestate agentis. Ex quo sequitur, quod formę materiales magis dicantur in potentia materię; quia ubi anima rationalis est in potentia materię receptiva solum, ceterę formę sunt in potentia ejus, etiam sustentativa, & ideo illę dicuntur educi de potentia materię, non anima; dicitur autem forma educi de potentia materię potius, quam de potentia activa agentis, quia educio notat habitudinem causę materialis, ita quod illud, ex quo forma educitur, sit subiectum sustentativum ejusdem formę, non autem causę efficientis; de hac re videndus est Canonius, & Trombeta loc. cit. ubi diffuse hanc materiam tractant.

141 Dicimus 2. formas materiales non fieri sola virtute agentis separati, & ab agente immediato solum uniri materię. Conclusio est contra alteram septentiam extremam, quę omnem præexistentiam formę in materia negat, & probatur. Tum quia juxta hunc dicendi modum, plane omnes formę materiales vere, & proprie non minus dicerentur creati, quam anima rationalis, nam quod formę sint in potentia activa superioris agentis, non tollit creationem earum, nec etiam quod fiant ab eo in materia jam disposita actione immediati agentis, utrumque enim contingit in productione rationalis animę, quę ante generationem est in potentia activa Dei, a quo non fit, quousque materia sit disposita ab agente naturali proximo, quibus non obstantibus, adhuc vere creatur, ergo etiam creantur formę materiales, si nullo modo in materia præcedunt, sed solum in potentia activa agentis. Tum præterea adhuc errat hæc sententia, quia asserit, has formas produci ab aliqua Intelligentia separata, quę non est Deus, quia Angeli nequeunt formam substantialem creare, nec materiam primam substantialiter transmutare, ut late probat Scotus 4. dist. 1. quæst. 1. Tum insuper, quia opinio Avicennę de Colchodea dicitur formarum, olim damnata fuit per articulum Parisiensem, ut refert Trombeta loc. cit. Tum etiam, quando ejusmodi formę dicantur fieri per veram educationem e potentia materię, ut Raguseus loc. cit. velle videtur, adhuc tamen neque ad Cælum, ut ipse facit, nec ad aliquam Intelligentiarum, aut etiam ad primam ut naturę totius Austorem recurrere debemus, ut genitorem, &eductorem formarum assignemus de potentia materię, nam etiam si talis recursus admitti possit ad Deum, ut naturę Auctorem in educatione animę vegetivę, & sensitivę, præsertim in oviparis (nam ad Cælum recurrere non sufficit, cum vivens a toto genere nobilior sit non vivente, & Musica hac ratione nobilior Cælo) attamen ad educationem aliarum formarum inferiorum, sufficientissimum est agens immediatum, sufficientissimum est ignis v. gr. introducto prius calore, & siccitate in ligno, ad educendam tandem ex ejus materia formam ignis, nam virtus hujus agentis est univoca, & æque perfecta, ac forma materię introducenda, & sic de aliis; ergo agens naturale, quod immediate unit, & copulat formam materię, immediate etiam eam educit de potentia ejus.

142 Contra Objicies 1. Forma ante generationem vel erat actu in materia, vel in potentia solum, vel nullo modo; non primum, ut supra probatum est; neque secundum, quia esse in potentia materię ante generationem, nil aliud est, quam esse potentiam materię ante generationem, at hoc non est præxi-

tere illo modo formam, sed solum materiam capaceam formę, ergo concedendum est absolute, quod ante generationem non præexistat ullo modo forma, sed solum materia potens eam recipere, quod de anima rationali etiam verum est, atne cuius productionem datur materia, potens eam recipere.

Resp. quod præsit in potentia, ut jam dicemus, & negatur, quod formam præcedere in potentia materię, sit solum præcedere potentiam materię, sed est præcedere potentiam materię, a qua nata est dependere forma in esse, & fieri, sicut actu dependet, quando actu educitur de potentia ejus, in quo sensu falsum est, animam ante ejus productionem contineri in potentia materię.

Secundo, forma, quę est totaliter in virtute agentis, non educitur de potentia materię, ut patet de anima rationali, at ceterę formę materiales sunt ita in virtute saltem primę intelligentię, ergo nullo modo continentur in potentia materię. Resp. negando minorem, illa enim forma dicitur proprie contineri totaliter in virtute agentis, quę ab eo solo produci potest nullo alio interveniente causę secundę in quocumque genere, quo sensu formę materiales non continentur totaliter in virtute activa Dei; Quamvis enim, & absolute loquendo, produci possit a Deo immediate, sine concursu materiali subiecti, attamen si Deus vult eas producere, & conservare juxta eam naturalem existentiam, admittere debet concursum materialem; de hac re videndus est etiam Tromb. loc. cit. ubi §. Dimissa igitur ista opinione &c. refert totam disputationem Commentatoris 7. Metaph. comment. 31. contra Avic. modo enim de hac materia in scholis nulla est difficultas; nisi de anima vegetante, & sentiente, de quarum origine in lib. de Anima agimus, pro nunc consulti Tromb. cit. Fabrum Theorem. 69. & 7. Met. disp. 18. & Sghemmar 1. Phys. digress. 7. quæst. 4. vide quoque disp. 5. de Gen. & Cor. quæst. 6. ubi rursus de hac re agimus, & specialiter contra Aresium, & Costarenium disputamus.

A R T I C U L U S II.

Offenditur, formas materiales fieri per educationem ex potentia materię, & quid sit ejusmodi educio, declaratur.

143 DECISIO hujus articuli probata manet ex antecedenti; Cum enim formę non fiant per actuales earum inchoationes in materia præcedentes, ut prima opinio asserbat, & cum totaliter non recipiant esse virtute agentis; quia agens creatum in omni sua actione a materia dependet, restat, ut fiant per educationem ex potentia materię; id est, ut dum agens concurrat effective ad formę productionem, materia quoque concurrat subjective, nam educio, etiam ut ipsum nomen ostendit, hos duos concursus significat, dicit enim id, quod formam educit, & id, ex quo educit; scilicet subiectum; sed adhuc res hæc constabit magis, si explicaverimus, quid formaliter importeret, formam educi de potentia materię; Et quidem omnes uno ore fateantur, formam educi de potentia materię, significare formaliter, quod in suo esse, fieri, & conservari a materia dependeat; sed cum hæc explicatio adhuc confusa sit, & exacte non declarat, nam ea ratione dicere quis posset, compositum quoque educi de potentia materię, cum ipsum quoque in suo esse, fieri, & conservari dependet a materia; hinc ad rem explicandam varii excogitati sunt modi.

Gerardus de Odonis, ut refert Can. 2. Phys. quæst. 1. formas educi de potentia materię dixit, aliud non importeret, quam educi de potentia materialium agentium, id est de potentia agentium naturalium, quę semper agunt dependenter a materia, & anima rationalis ideo non dicitur educi de potentia materię, quia non continetur in virtute agentis materialis, & in actione a materia dependentis. At per hunc modum educio deberet attendi penes agens, in agendo necessario a materia dependens, at hoc est falsum, quia Deus educere potest immediate formam de potentia materię, & de facto educit vegetativam, & sensitivam præsertim in oviparis, ergo.

144 Raguseus loc. cit. cap. 15. inquit, formam educi de potentia materię, aliud non esse, quam educi de ejus potentia proxima, & particulari, quam ibi explicat esse qualitatem ultimo disponentem materiam ad receptionem formę; Sed vel ita intelligit, formam educi de potentia proxima materię, ut idem sit, quod ipsam introduci in materiam ultimam dispositam a Cælo, quod ipse putat esse Genitorem omnium formarum inferiorum, & in hoc sensu valde fallitur, quia anima rationalis inducitur in materia ultimam disposita, ita quod dispositiones introducitur per agens naturale petunt ab Auctore naturę talem formam, & tamen adhuc anima creati dicitur, & in hoc sensu loquendo, non differt ab opinione Avicennę, & Platonis, nisi in assignando datore formarum; aut ita intelligit, ut illa qualitas ultimo materiam disponens, vere concurrat materialiter ad productionem substantialis formę, at hoc dici non potest; Tum quia accidens, universaliter loquendo, substantiam non attingit; Tum quia si forma substantialis vere ex tali qualitate educitur, vere quoque in tali qualitate immediate recipitur, & sustentatur, nam forma materialis recipitur immediate, & sustentatur in eo, ex quo educitur.

Suarez disp. 15. Metaph. sect. 2. n. 14. inquit, quam formam fieri eadem actione, qua fit compositum ex præeistente materia, quę per illam actionem non fit; hic est frequentissimus modus explicandi educio-

nem, quem probat Suarez inductione in omnibus formis, quæ educuntur de potentia materia; sunt enim omnes hujusmodi formæ eadem omnino actione, qua fit compositum, unde & earum fieri est proprie confieri ex 7. Metaph. 26. & 27. & docet Scot. ipse 4. dist. 17. quæst. 1. probat etiam ratione, quia educio in hoc consistit, quod fit actio a materia essentialiter dependens, per hanc autem actionem productivam compositi simul forma fit, & unitur materia; ergo educio formæ de potentia materia; optime per illam actionem declaratur. Immo quod magis est, hæc videtur expressa mens Doctoris in 4. dist. 1. quæst. 1. Gg. ubi ait, quod, ut aliqua forma dicatur proprie creari, oportet, ut in aliquo priori, saltem natura, extra materiam sit terminus actionis divinæ, quemadmodum communiter dicitur de anima rationali, quod prius in se producitur, deinde materia unitur, idem habet 2. dist. 17. q. 1. & 4. dist. 43. q. 2. §. *Potest dici &c.* Quare concludit Doctor in his locis, quod illa forma, quæ non alia actione accipit esse ab ea, qua unitur materia; & compositum producitur, non potest dici creari, & quod illa forma quæ creatur, prius naturaliter est a causa efficiente, quam materiam informet; & alia actione producitur, alia unitur, ergo in sententia Scoti, formam educi de potentia materia; aliud non est, quam non produci propria productione, sed tantum per accidens ad productionem totius, & hunc dicendi modum ut de mente Doctoris, amplectitur Fuentes 1. Phys. quæst. 4. dist. 2. art. 1.

145 Verum hæc opinio in primis falso nititur fundamento, nam quilibet forma per se fit, & propria productione producitur, ut Lichetus advertit 2. dist. 17. quæst. 1. & ratio evidens est, quia cum forma sit causa compositi, plane necessarium est, ut prius habeat esse in rerum natura, quam compositum ipsum, & cum sit per se terminus generationis, debet propria acquisitione acquiri, & non tantum per accidens ad productionem compositi. Cum autem Philosophus ait, non fieri, sed confieri, & non per se produci, sed ad productionem compositi, dicimus cum Trombeta 12. Metaph. q. 5. productionem esse duplicem, alteram, qua res accipit esse simpliciter, & primo recedit a non esse, sive illa res accipit esse simpliciter in se existens, sive in alio, altera, qua accipit esse simpliciter, & per se subsistens, quo sensu productio dicitur esse solius compositi, & rerum in se existentium, vel subsistentium; loquendo de productione secundi generis, forma non per se producitur, sed per accidens ad productionem compositi, sicut etiam in hoc sensu non per se existit, sed per accidens ad existentiam totius, ut docet Scot. 2. dist. 17. qu. 1. cit. At loquendo de productione primi generis, per se producitur, & prius terminat productionem, quam compositum ipsum, quod etiam Doctor affirmat 4. dist. 13. quæst. 1. §. *ex dictis*, &c. ubi actionem compositi productivam vocat productionem; illam vero, qua forma accipit esse, vocat educationem; Anima tamen rationalis speciali quodam modo dicitur prius natura produci composito, quam ceteræ formæ, quia ubi alia dicuntur prius natura produci composito, loquendo de productione primi generis tantum, anima, quantum est de se, potest etiam terminare prius productionem secundi generis, sicut etiam nata est in se existere extra corpus, quod ceteris formis non competit. Accedit, quod non eo ipso, quod videmus, formam fieri in materia, iudicium ferre debemus, quod educatur de potentia materia; non enim quodlibet fieri in materia, est educi de potentia eius, sed fieri necessario dependenter ab ea; quare si anima producatur a Deo in corpore, ita quod in nullo signo prius in se terminet productionem, non proinde de materia educi dici debet, vel poterit, quia non ita petit necessario produci. Neque inductio, quam facit Suarez in ceteris formis urget, quamvis enim verum sit, omnes istas eadem actione produci, qua compositum, loquendo de productione secundi generis; non hac de causa dici debent educi, quia anima sic potest produci ad productionem totius, ita quod in nullo unquam priori terminet illam in se, & tamen non diceretur educi. Nec tandem concludit ratio, potest enim esse talis actio, qua producatur compositum, & simul forma fiat, materiaque uniatur, quæ tamen a materia essentialiter non pendeat, si forma talis sit, quæ etiam se sola nata sit fieri extra materiam, ut est de anima, ad cuius productionem, & existentiam, si in primo instanti materia quoque concurrat, solum concurrat, ut conditio sine qua non ex decreto Dei non produceretur, non autem ut causa.

146 Scotus etiam hujus opinionis esse non potest, quia ipse tenet juxta Aristot. mentem, animam non produci propria productione, sed per accidens ad productionem totius, ac proinde non proprie creari, ut clare docet 2. dist. 17. q. 1. & 4. dist. 43. q. 2. M. & cum hoc tenet, non educi de potentia materia; cum de foris adveniat, quia, ait Doctor. Philosophum dicitur, animam produci productione totius, supposito etiam, quod sit immortalis, sed quid est animam esse immortalem, nisi ipsam non educi e potentia materia; quia si de materia educeretur, a materia utique dependeret a priori, ac per consequens per separationem ab ea, corruptibilis foret. Et quamvis in 4. dist. 1. q. 1. dixerit, talem formam, quæ non alia actione accipit esse ab ea, qua unitur materia; & compositum producitur, non proprie creari; non idcirco concessit, proprie educi, sed quandam productionem mediam concessit inter creationem proprie dictam, & educationem, ut docet de productione anima; juxta Arist. sensum loc. cit. quia creatio in rigore sumpta, est productio alicujus in se existentis, & non in alio:

eductio proprie est productio formæ in subiecto cum dependentia ab eo; potest igitur forma produci, ita quod non prius sit in se, quam in eo, & tamen adhuc produci independentem ab eo, quia non necessario simpliciter ita petit produci, & existere, & talis productio nec erit educio, quia est independens a subiecto, veluti a causa, licet non veluti a conditione; nec proprie creatio, quia terminatur ad formam in alio existentem. Et cum ibidem ait, formam, quæ creatur, prius naturaliter esse a causa efficiente, quam materiam informet, sic loquitur; Tum quia, quod proprie creatur, prius debet in se terminare productionem, quam fit in alio; Tum quia forma, quæ non est nata a materia dependente in suo fieri, etiam si in omnino primo instanti fiat in materia, adhuc prius natura dicitur ordinem ad efficiens, quam ad materiam, quia est forma, quæ totaliter continetur in virtute activa agentis, & nullo modo in passiva subiecti, & ita est de anima rationali. Cum denique inquit 4. dist. 43. q. 2. quod anima alia actione producitur, & alia unitur, in quo differt a ceteris, quæ eadem actione producuntur, & uniantur, certe noluit per hoc significare, aut ex parte animæ, quod ipsa in aliquo signo, etiam naturæ, in se existat, & non in corpore, quia hæc asserit nequit, cum existentia rei, & productio non mensuretur per instanti naturæ; aut ex parte aliarum formarum quod educio, & unio sint unus, & idem respectus, & pariter actio unitiva, & educiva eadem actio, oppositum enim manifeste docet in 4. dist. 13. q. 1. §. *ex dictis*, &c. & ipsa ratio suadet, quia educio est respectus intrinsecus adveniens, unio extrinsecus; sed in tantum dicitur, animam alia actione produci, & alia uniri, quia prior actio non necessario simpliciter dependet a secunda ex intrinseca ratione animæ; posset enim in se produci, & non uniri: e contra vero ceteræ formæ, & si diversæ actione producuntur, & uniantur, prior tamen actio profertur a secunda dependet, si producatur juxta earum existentiam, nam ita produci postulant, ut ipsum agens producendo uniat, & uniendo producat, qua ratione dicimus, eadem actione produci, & uniri.

147 Conimb. 1. Phys. cap. 9. q. 12. art. 5. Complut. disp. 4. q. 2. Jo. de S. Thom. q. 4. art. 1. Manc. q. 7. art. 2. & alii postulant ad rationem educationis, ut materia ordine durationis formam præcedat, in quo priori forma contineri dicitur in potentia materia; unde consequenter volunt, educationem fieri per mutationem subiecti de privatione ad formam transeuntis: Et si forma fiat in eodem tempore instanti cum materia, hanc formæ productionem vocant concreationem, ad differentiationem creationis propriæ, quæ terminatur ad rem in se existentem, & educationis, quæ subiectum supponit duratione præcedens; quod probari potest. Tum quia ad formæ productionem requiritur prævia alteratio, quæ non fit in instanti, sed successive; Tum quia educio postulat, formam contineri in potentia materia; sed non potest eadem forma esse simul in potentia materia; & in actu, ergo prius tempore erit in potentia, postea in actu.

Sed neque modus hic congruus est ad explicandam rationem educationis; Tum quia formam educi de potentia materia; est dependere ab ea in esse, & in fieri in genere materialis causæ, sed prioritas causalitatis, ut sic dicit tantum prioritatem naturæ, non temporis, ut Doctor ait ubique, præsertim i. dist. 39. infra E. ergo, ut forma dicatur educi de potentia materia; sufficit, quod materia præcedat formam ordine naturæ, non temporis; Tum quia effectus esse potest a causa efficiente in eodem primo instanti, in quo causa ponitur, ut patet de Sole illuminante aerem, ergo pariter & a causa materiali; nam utique in tali casu aer quoque concurreret ad productionem luminis; Tum etiam, ut ait Averfa q. 20. sect. 7. fieri potest, ut in eodem instanti subiectum creetur a Deo, & forma fiat ab alia causa creata, v. gr. creetur aer a Deo, & illuminetur a Sole, tunc sine dubio lumen dicitur educi a Sole ex potentia subiecti, non a Sole concreari, quia nulla causa secunda dici potest concreare; Tum præterea, licet ita sit de facto; quod forma non introducit in materia, nisi prævia alteratione, id tamen non oritur ex natura educationis, sed formarum ipsarum, quæ contrarias dispositiones in materia requirunt, absolute tamen, si materia disponderetur ad formam a Deo in instanti, posset & Deus, & agens naturale ipsum in eodem instanti formam illis dispositionibus proportionatam de materia educere; Tum insuper certissimum est, accidentia quedam comitari subsistantias, & ab eis dimanare in eodem primo instanti, in quo res illæ prodeunt in lucem, & certum est, talia accidentia non creari, cum inhæreant illis subsistantiis, ut subiecto, ergo vere educuntur in eodem instanti abque ulla mutatione subiecti, de privatione ad formam transeuntis, quia in nullo instanti fuerunt sub privatione illorum accidentium; nec tandem dum dicimus, formam contineri in potentia materia; insinuare volumus, quod potentia necessario dicat ordinem prioritatis ad actum, & negationem formæ; id enim omnino accidit potentia materia; quod scilicet conjunctam habeat formam, vel non habeat, sed sicut universaliter per hoc, quod effectus continetur in potentia causæ, tantum significatur virtus causæ effectum ponendi abstracto ab eo, quod habeat, vel non habeat effectum in actu, sic & in proposito, cum dicimus, formam contineri in potentia materia; solum insinuare volumus potentiam sustentativam formæ in materia, abstracto ab hoc, quod actu sustentet, vel non sustentet.

Averfa quæst. 20. sect. 7. ad rationem educationis postulare videtur, quod fiat ex potentia naturali subiecti ad illam formam,

mam, quod etiam requirit Jo. de S. Thom. cit. Fuentes loc. cit. quod saltem sit in potentia neutra; At neutrum necessarium est, quia materia est in potentia naturali ad animam, dicit enim naturale inclinationem ad illam, & tamen ex ejus potentia non educitur; pariter ex Recentioribus quamplures afferunt, gratiam, & alia dona supernaturalia educi ex potentia animæ, & tamen negant in anima potentiam naturalem ad illa, concedentes tantum obedientialem; & tandem calor educitur de potentia aquæ, & sic etiam alia formæ violentæ de subiectis, in quibus recipiuntur contra eorum inclinationem; nam adhuc sunt in eis per veram inhætionem, & vere sustentantur ab eis.

148 Dicendum igitur, quod, formam educi, vel educiam esse de potentia materia; formaliter nil aliud est, quam suum fieri necessario esse fieri in materia, & quod suum esse necessario est esse in materia, ita quod si sit aliqua forma, quæ utriusque sit, & fiat in materia, tamen absolute fieri possit, quantum est ex se, sine materia, & esse sine materia, ista non dicitur educi, quia de necessitate suum esse non est necessario esse in materia. Ita Canonici 1. Phys. q. 1. & Bassolus 2. dist. 18. quæst. unie. art. 2. §. *Et ita dico*, &c. Et colligitur ex Scoto locis omnibus citatis, sed præsertim in 4. dist. 1. q. 1. ante Hh. ubi sic loquitur, *Formam autem materialem dico esse omnem illam, quæ ex natura sua necessario inclinatur naturaliter, ut sit actus materia; sive sit substantialis, sive accidentalis*. Et sequitur Averfa loc. cit. Amicus tract. 6. qu. 4. dub. 1. art. 3. & alii, & probatur, quia juxta hunc modum optime insinuat, ad rationem educationis non sufficere ex parte materia; concursum receptivum, sed etiam sustentativum, ita quod educio formæ formaliter importat dependentiam formæ ad subiectum, in quo recipitur, & sustentatur, & unum sine alio non sufficit, nam materia in ordine ad animam exercet concursum receptivum, sed quia non etiam sustentativum exercet, ideo non dicitur educi de potentia illius; & Verbum, si accidens immediate affumeret, utique sustentaret illud, sed quia non reciperet, hæc de causa non diceretur educi de potentia Verbi. Per hunc dicendi modum explicatur, concursum materia; non solum attingere debere unionem formæ, sed etiam ipsammet existentiam formæ, & necessarium esse non solum, ut conditionem concomitantem ad connaturalem ejus statum, qualis est modo corpus ad animam rationalem, sed etiam ut veram causam in primo instanti, in quo forma existit. Explicatur ulterius, ad rationem educationis formæ prærequiri existentiam materia; non tempore, sed natura, nam talis prioritas sufficit ad rationem causæ. Denique per hunc dicendi modum talem indicatur esse indigentiam educibilis formæ, ut sine materia suapte natura, nec fieri, nec existere possit, & si a Deo aliter fiat, id esse præter ejus naturam, & per specialem Dei concursum.

149 Sed contra rationem educationis ita explicatam objejes, quod si formam educi de potentia materia; est ipsam necessario fieri in materia, & materiam concurrere, non tantum ad ejus unionem, verum etiam ad existentiam ipsius formæ, jam quoque anima rationalis non crearetur, quia nisi præxisteret corpus organizatum, ipsa non crearetur, quia secundum connaturalem statum non creari exigit extra corpus. Et si dependentia formæ a materia per solam naturæ prioritatem impedit, ne forma dicatur creari, compositum ipsum non poterit a Deo per creationem produci, nam, quantumcumque ejus partes simul in eodem instanti cum ipso producuntur, semper tamen censentur priores natura ipso toto.

Resp. negando sequelam, quia & si anima, ut a Deo producatur, secundum suum connaturalem statum exigit corpus organizatum in eodem instanti, in quo producitur, non exigit illud, ut veram causam suæ existentia; sed tantum, ut conditionem concomitantem ejus connaturalem statum, quæ etiam conditio non est ita simpliciter necessaria, ut ea deficiente, anima sit interitura, nisi a Deo conservetur per specialem concursum, quia post corporis interitum, adhuc ipsa retinet existentiam suam abque novo miraculo, quod de ceteris formis asseri nequit. Concedimus etiam, compositum secundum suam entitatem, quam dicit a partibus distinctam, proprie creari non posse, sed tantum creari dicitur per ipsam creationem partium, & præsertim materia; quæ tunc primo facta est, ut Scotus docet 2. dist. 1. q. 5. infra T. hæc enim ratio, & compositum ipsum dicitur creatum, & forma concreta quatenus est simul facta cum creatione materia; licet revera forma in se considerata sit educi de potentia materia; & compositum ex partibus generatum, quo etiam sensu conversio lapidis in panem transubstantiatio diceretur, non educio.

Rursus objiciunt aliqui, quia anima rationalis naturaliter habet fieri in materia, ita ut miraculum esset, si extra materiam fieret, non secus ac si extra materiam fieret forma materialis, & tamen non educitur ex materia. Tum 2. quia e contra forma materialis habet fieri in materia, & tamen non ita necessario habet fieri in materia, quia quantum est ex natura sua possit fieri, & conservari abque materia. Tum 3. quia quamvis connaturaliter forma materialis petat fieri, & conservari in materia, tamen si actu non dependeret a materia quantum ad fieri, non educeretur, & similiter quamvis anima rationalis possit connaturaliter fieri, & conservari abque dependentia a materia; tamen si dependeret a materia, educeretur, ergo &c. Tum quia habitus supernaturales creantur, & tamen connaturaliter petunt produci, & conservari in subiecto. Tum

tandem quia, ut forma dicatur educi, vel per educationem fieri, non sufficit, ut tali modo dependeat a materia; quod non produceretur, nisi esset materia, in qua fieret, quia sic anima rationalis dependeret a corpore in fieri, quia non produceretur a Deo, nisi adesset corpus organizatum, in quo recipere-tur, ergo aliquid aliud requiritur præter præfatam dependentiam, nimirum influxus aliquis positivus materia; quo communicet ipsi suum esse.

Resp. ex dictis jam patere, quo pacto anima rationalis fiat naturaliter in materia, quia nimirum illam exigit, non ut veram causam suæ existentia; quemadmodum materialis forma, sed ut conditionem concomitantem ejus naturalem statum, quod ex eo arguimus, quia post corporis interitum adhuc anima conservatur abque miraculo, non autem forma materialis; unde majus miraculum esset, si forma materialis extra materiam fieret, quam si fieret anima rationalis, quia hæc non habet tantam materia; necessitatem, sicut illa, ad suam existentiam, cum eam tantum requirat, ut conditionem concomitantem. Ad 2. neg. assumptum quoad secundam partem, cum directe repugnet naturæ materialis formæ fieri, vel conservari extra materiam. Ad 3. si forma materialis non fieret cum dependentia a materia, utriusque non fieret per educationem, adhuc tamen suapte natura peteret sic fieri, nec enim actualem educationem ponimus consistere in tali exigentia, sed in actuali dependentia formæ a materia ex tali exigentia suborta; Ad 4. hæc ratio infra dicemus habitus quoque supernaturales connaturaliter produci per educationem, quam per creationem. Ad ultimum dicimus, ut forma dicatur per educationem fieri, produci debere ita a materia dependenter, ut hæc non concurrat ad ejus fieri, ut conditio omnino concomitans, sed ut vera causa per influxum positivum illi communicans esse, explicatum per habitudinem ex quo aliud, quo pacto non dependet anima a corpore, & si necessario illud requirit ad sui productionem, exigit enim illud, ut meram conditionem concomitantem.

ARTICULUS III.

Offenditur, formas omnes materiales educas esse de potentia materia; etiam formas Cælorum, & Elementorum.

150 Dicimus, omnes formas substantiales, (sola anima rationalis excepta) etiam Cælorum, & Elementorum, educas esse de potentia materia; Conclusio quo ad 2. partem, de qua solum est controversia, colligitur ex Scot. 2. dist. 17. q. 1. sequuntur Auctores citati initio quæstionis, & ex nostris Fuentes cit. art. 3. Probatur primo in universum de omnibus formis materialibus, quia omnis ejusmodi forma in suo esse, est intrinsece dependens a materia, ergo omnis forma materialis educitur de potentia materia; patet consequentia, probatur assumptum; quia si aliqua illarum esset a materia independens, jam non amplius esset forma materialis, sed incorruptibilis, sed spiritualis, non amplius corruptibilis, & extra materiam aliquam exercere posset operationem, nam hæc præcise de causa probatur spiritualitas, & immortalitas de anima rationali, quia nimirum est actus per se subsistens, & a materia independens.

Deinde probatur specialiter de formis Cælorum, & Elementorum, nam ob rationem modo allatam fatentur Adversarii, etiam formas Cælorum, & Elementorum esse ex natura sua a materia dependentes, ac proinde ex potentia ejus educibiles, at ex modo, quo de facto productæ sunt in primava Cælorum, & Elementorum constitutione, potius dici debere creatas, vel concretas, quam educas. Probatur igitur, etiam ex modo, quo productæ sunt, dici debere educas juxta rationem propriam educationis. Ratio propria educationis, per quam formaliter a creatione secernitur, consistit in hoc, quod sit actio productiva formæ dependenter a subiecto, ita quod per talem actionem ipsum subiectum esse non habeat, sed supponatur, & si alia conditiones ab Adversariis desiderantur, sunt profus accidentales, at talis fuit actio, qua Deus ab initio formas Cælorum, & Elementorum produxit, & etiam modo conservat, ergo sunt vere educas, & cum omni proprietate de potentia materia; probatur minor; eadem actione, & ejusdem rationis modo conservat Deus formas Cælorum, & Elementorum, quo eas ab initio produxit, at modo conservat eas dependenter a materia, ita quod materiam subtrahendo, statim ex natura sua desinerent, quia non sunt formæ subsistentes, ut anima rationalis, ergo vere eas educit de potentia materia; & modo educivo produxit.

151 Resp. Conimb. & alii cit. ultra dependentiam a subiecto, ad rationem educationis adhuc requiri, ut materia præcedat duratione formam, in quo priori dicitur privata forma, & postea cum verâ mutatione transire dicatur ad formam, nam educio, & generatio formæ necessario mutationem includit subiecti præjacentis, & in hoc distinguitur a creatione, quare cum nulla ibi intervenerit prioritas durationis materia; ad formam, nullaque mutatio ad illam, sed in eodem omnino instanti, & materia, & forma productæ fuerint, non debet, nec potest forma dici educi de potentia materia; sed potius cum ea concreta.

Sed hæc Resp. ruit ex dictis art. præcedenti, ut diximus, ad educationem formæ sufficere præsuppositionem naturæ, & non necessarii requiri præsuppositionem temporis subiecti ad formam, talis enim in universum est prioritas necessaria in causa ad suum effectum.

sum; Quod vero nunc additur, educationem formæ, & generationem compositi includere essentialiter mutationem, & per hoc a creatione distingui, verum est de generationibus, & educationibus, ut regulariter contingunt; at absolute loquendo generatio, & educatio a mutatione præcendant, & sine mutatione proprie dicta, quæ fit a privatione ad formam, contingere possunt, ut docet Scot. 4. dist. 43. q. 5. H. & I. per dependentiam a subiecto, vel parte, essentialiter a creatione distinguuntur, non vero per mutationem subiecti, nam potest intervenire dependentia actionis a subiecto sine subiecti mutatione, & ita evenit, quando forma producitur in eodem instanti simul cum materia, ratione cuius similitudinem concedimus, formam tunc dici posse cum materia concretam, quatenus educatio formæ comitatur creationem materiæ; sed talis comitantia non excludit a forma veram, & propriam rationem educationis.

Resp. Fonseca loc. cit. quod licet ad rationem educationis non requiratur, quod materia præcedat tempore formam, requiritur tamen, ut præcedat ordine naturæ, & hac de causa formas Cælorum, & Elementorum non fuisse educatas de potentia materiæ, quia simul ordine naturæ cum materia productæ fuerunt; Deus enim sua actione primario creavit totum compositum, & non unam partem prius natura, quam aliam; neque enim putandum est, Deum sua actione solum produxisse materiam cum perfectis dispositionibus ad formam, & sic ex vi dispositionum resultasse formam substantialem, qua solum ratione potuisset materia ordine naturæ præcedere.

152 Sed hæc Resp. falsum assumit, nimirum, ordinem naturæ servatum non fuisse inter materiam, & formam elementarem, ac cælestem, quantumcumque in eodem instanti productæ sint; Tum quia, ut refert Scot. 2. dist. 12. q. 1. sub A. ait D. August. 13. Confess. materiam, quamvis simul tempore fuerit creata cum forma, prius tamen origine fuisse creatam; Tum quia ex Scot. ibidem, materia est causa receptiva formæ, & fundamentum ejus, ergo saltem ordine naturæ semper præcedit in materia formam, nec sufficit prioritas rationis, quia causa realiter præcedit effectum, & fundamentum fundatur; Tum etiam, quia quantumcumque effectus sit coævus causæ, semper tamen causa dicitur natura præcedere effectum ob dependentiam effectus ab ea, nam dependentia unius ab alio semper arguit hunc ordinem naturæ prioris, & posterioris, ergo pariter in proposito, quantumcumque forma sit materia coæva, materia semper est prior natura forma ob hanc dependentiam; Tum denique falsum est, quod ait Fonseca, materiam præcedere debuisse cum præfatis dispositionibus, ut ordine naturæ diceretur antecedere formam, sufficit enim, quod actio divina prius natura intelligatur terminata ad materiam, creando, quam ad formam, educendo.

Resp. demum Suarez, ad rationem educationis requiri, ut per distinctam actionem fiat forma, & materia, nam si per unam actionem fiat totum compositum, vere totum creatur, nec forma de potentia materiæ educitur, & juxta hoc concedit quidem, formas Elementorum fuisse distincta actione productas, atque adeo realiter ex materia educatas, sed ait, formas Cælorum fuisse eadem actione productas cum materia, atque adeo concretas, non educatas, & sic passim Thomistæ loquuntur.

Sed hæc etiam Resp. falsum assumit, materiam nimirum Cæli, cujusque formam fuisse eadem actione productas, siquidem diversitas harum actionum deprehendi potest, tum ex diversitate terminorum, penes quos actiones distinguuntur, tum ex modo tendendi, quia ut terminatur ad materiam, tendit in rem per se subsistentem independentem a subiecto; ut vero terminatur ad formam, tendit in rem in alio existentem, & ab alio, ut a subiecto dependentem, tum demum ex prioritate, qua materia præcedit formam, ut causa receptiva, & fundamentum ejus, unde actio productiva materiæ necessario præsupponitur actioni productivæ formæ.

153 In oppositum objicit; Tum quia Cælum, & Elementa in principio Gen. dicuntur creata, non genita; Tum quia corpora cælestia sunt ingenerabilia, sicut & incorruptibilia; Tum quia in eodem instanti temporis composita ista fuerunt creata cum suis partibus, ita quod creatio primo terminavit ad totum, & consequenter ad partes, ergo ad summum formæ istæ dici possunt concretæ cum suis compositis, & nullo modo educatæ; Tum tandem, quia cum creator Angelus, non educitur substantia de potentia ejus; sed potius concretatur, ergo ita in proposito.

Resp. Cælos, & Elementa dici creata, quia eorum materia tempore non præcessit, sed tunc simul fuit facta cum eis, unde ratione illius concomitantia, illa corpora dicuntur creata, & formæ concretæ, quia ratione etiam homo dicitur a Scriptura creatus, licet vere fuerit formatus de limo terræ. Ad 2. cælestia corpora sunt ingenerabilia, & incorruptibilia respectu agentium naturalium, non autem absolute. Ad 3. nequit totum cum suis partibus una, & eadem actione produci, cum enim totum dependeat in esse a partibus, ita prius natura ipsæ supponuntur productæ antecedenter ad totum, totum vero dicitur terminus primus, primitivæ dignitatis, & adæquationis, non vero originis. Ad 4. supponendo nunc, substantiam naturæ esse modum positivum, difficultas est, an modi proprie dici debeant educi ex suis subiectis. Negat Suarez disp. 15. Metaph. sect. 3. affirmat Averſa quest. 20. sect. 7. in fine, non enim dici possunt creati nec alio nomine eorum productio appellari, & revera saltem substantialiter inharrent, & sunt affixi rebus modificatis. Juxta primum dicendi modum, ne-

ganda foret paritas, quia forma non est modus; juxta secundum, negandum est assumptum.

154 Hic queri solet, an in his corruptibilibus formis educatio sit formaliter earum unio cum materia, & actio educitiva eadem cum unitiva, an potius sint formalitates ab invicem ex natura rei distinctæ. Ex dictis, tum q. 5. art. 4. tum in articulo præcedenti, respondendum est, esse formalitates ex natura rei distinctas, & actiones diversas, important unio, & educio diversos respectus, quia ut docet Scot. 4. dist. 13. q. 1. N. unio est respectus extrinsecus adveniens, educio intrinsecus; sunt etiam diversæ actiones unitiva, & educitiva, quia sunt ad diversos terminos, nam terminus educationis est forma secundum suam entitatem, terminus unionis est ipsa relatio unionis, & quamvis in formis corruptibilibus isti duo respectus, & istæ actiones necessario conjungantur, non propterea dici debent formaliter identificari, quia, absolute loquendo, in anima rationali separata videntur, ibi enim est unio sine educatione, & per potentiam Dei absolutam, etiam in forma corruptibili separari possunt, si Deus produceret formam talem in subiecto, se solo supposito concursu sustentativum subiecti in genere efficientis causæ, quod nullam involvit repugnantiam, immo & ut modo conjunctæ formalitates istæ, ex hoc deprehenduntur distinctæ, quod unio supponit ex natura rei educationem, nam unio supponit res uniendas, & ex vi unionis nihil recipit esse, nec forma, nec subiectum, sed supponuntur esse, at ex vi educationis forma recipit esse in materia, & producitur in materia.

At contra hoc invehitur Suarez disp. 13. Metaph. sect. 9. nu. 10. & tract. de Gratia part. 3. libr. 8. cap. 2. & cæteri Thom. Primo quia si essent distinctæ actiones, tunc productiva, seu educitiva præcederet unitivam, nam unio supponit, quæ uniti debent, atque ita forma corruptibilis prius existeret, quam unitetur materiæ, & ita non educeretur de illa, hac enim ratione dicimus, animam rationalem non educi de potentia materiæ; quia in uno signo naturæ supponitur producta in se, in alio unita materiæ. Deinde educio est productiva formæ materia sustentante, at materia non potest sustentare formam sibi non unitam, ergo educio ex sua ratione formali essentialiter includit unionem. Tandem sustentatio formæ in genere efficientis causæ, quomodo nunc accidentia Altaris sustentantur a Deo, & sustentatio ejusdem in genere materialis causæ, ex hoc differunt, quod sustentatio in genere efficientis causæ est influxus attingens existentiam termini, ex vi cuius terminus ipse non unitur causæ, at sustentatio in genere causæ materialis est influxus, ex vi cuius unitur causæ, ergo educio, quæ est sustentatio formæ in genere causæ materialis, essentialiter includit unionem.

155 Resp. concedendo, esse diversas actiones, & ad diversos terminos, educitivam nimirum ad existentiam formæ, unitivam vero ad unionem ejus cum subiecto, & quia termini harum actionum ita se habent, ut existentia formæ supponatur unioni, concedendum est etiam, actionem educitivam præcedere unitivam, sed non idcirco dici debet in illo priori produci in se, & independentem a materia, quia in illa productione vere cum agente concurrunt etiam materia sustentando, & licet ista dependentia non includat formaliter unionem, includit tamen concomitantem, & exigitive, quia talis productio formæ essentialiter a materia dependens necessario coexistit in eodem instanti unionem ejus ad materiam, in quo forma materialis distinguitur ab anima rationali, cuius productio, cum non sit a materia dependens, non necessario simpliciter coexistit unionem ejusdem animæ cum materia; Et ratione hujus independentiæ dicitur anima prius in se produci, quam uniti, non quia in ullo signo prius in se existat, sed quia independentem producitur a subiecto. Ad 2. non desunt, qui negent minorem, quia per potentiam Dei contingere posset, ut subiectum concurrat cum agente ad formæ sustentationem, & impediri a receptione. At licet concursus sustentativus absolute impræparari possit a receptivo, si v. gr. exercentur in genere efficientis causæ, ut est modo de sustentatione quantitatis in Eucharistia, vel accidens assumeretur a Verbo, tamen concursus sustentativus in genere causæ materialis non putamus separabilem esse a receptivo; immo, ut mox dicemus, in hoc distinguitur a concursu sustentativo in genere efficientis causæ, quod hic necessario non coexistit unionem cum causa, ille vero ex intrinseca sua ratione coexistit talem unionem; quare concedimus minorem, sed negatur consequentia, nam ex hoc non sequitur, sustentationem materialem essentialiter includere unionem, sed potius exigentiam talis unionis concomitantem. Ad 3. pariter negatur consequentia; cum enim dicimus sustentationem materialem in hoc distingui ab efficienti, quod ex vi materialis terminus unitur suæ causæ, non ex vi efficientis, id debet intelligi, non formaliter, quasi essentialiter includat unionem, sed tantum concomitantem, & coexistitive, quatenus ad eam necessario concomitatur unio in eodem prorſus instanti temporis.

156 Secundo objicit; Tum quia, vel illa actio, qua fit forma materialis, est cum materiali concursu subiecti, vel non, si secundum, ergo est Creatio; si primum, ergo ex vi illius formaliter forma unitur subiecto, & fit in subiecto; Tum quia, dependentia, qua forma dependet a materia, formaliter est ipsa unio, ergo si actio, qua fit forma materialis, est essentialiter dependens a subiecto, est quoque essentialiter unio; Tum tandem quia, ut forma subsistens non prius natura fit existens, quam subsistens, ita forma inharrens, non prius natura fit existens, quam inharrens.

Resp.

Resp. illam actionem fieri cum materiali concursu subiecti, & ex vi illius concomitantem tantum uniti subiecto, non formaliter, sic enim præcendit ab unione, & solum respicit existentiam formæ absolute sumptam. Ad 2. negatur assumptum, quia ex vi illius dependentiæ formaliter forma respicit materiam, ut subiectum ex quo, concomitantem, ut in quo. Ad 3. negatur assumptum, cum enim tam subsistentia, quam inharrensia modi sint superadditi existentia accidentis, & subsistentia, prius natura supponitur substantia, & accidens existens; quam illa subsistens, & hoc inharrens, & ita etiam actio prius natura attingit existentiam rei, quam subsistentiam, vel inharrentiam, licet in eodem prorſus instanti temporis, quare argumentum potius nobis favet.

QUESTIO VIII.

De cæteris proprietatibus, & attributis materiæ, & formæ.

DE Unitate materiæ, ejusque potentia, & appetitu, ad formas egimus in præcedentibus, nunc reliquas ejus proprietates, & attributa percurrere oportet, ubi etiam aliqua videbimus convenientiam formæ, & ut distincte, ac ordinate procedamus, in variis articulis quæstionem distribuemus juxta varietatem proprietatum, & attributorum ejus.

ARTICULUS I.

An materia sit per se cognoscibilis sine ordine ad formam.

157 **A**chillinus lib. 1. de Elementis dub. 10. Zimara Theor. 36. aliqui Averroistæ ex Aver. 1. Phys. 63. tenent materiam nullo modo cognoscibilem esse sine ordine actuali ad formam, id est, nisi habeat actum conjunctum, eo quod omnis cognitio fit ab actu; Consentunt omnes illi Thom. qui materiæ negant actum entitativum. Recentiores vero, quia repent, materiam includere essentialiter relationem ad formam, consequenter tenent, materiam non esse distincte cognoscibilem a quocunque intellectu nisi per ordinem ad formam. Scotistæ quia tenent materiam habere actum entitativum, & potentiam non esse de essentia materiæ in primo modo, consequenter asserunt, quod in prima notione; & ut entitas absoluta, est cognoscibilis, etiam distincte, sine ordine ad formam; et in secunda notione, & ut subiectum transmutationum, cognoscitur debere per ordinem, & habitudinem ad formam, ita P. Fabr. Theorem. 25. Sghem. quest. 3. digress. 5. & alii passim. Dicendum est, quod licet pro statu ista materia sit solum cognoscibilis per ordinem ad formam, tamen absolute loquendo, & ex natura potentia, est per se cognoscibilis sine tali ordine. Concl. est Scot. 2. dist. 12. q. 1. in fine. Quoad primam partem ita probatur ex Doctore. forma est magis a nobis cognoscibilis, quam materia, sed forma non cognoscitur, nisi ex operationibus, ergo nec materia cognoscitur potest, nisi per ordinem ad formam, id est per transmutationem de una in aliam formam, ut ait Commentator; videmus enim unam formam posse aliam, quia videmus novam operationem, quæ arguit novam formam, igitur subiectum transmutationis commune manet, & hoc est materia.

158 Quoad alteram partem probatur ex Scot. ibid. Tum quia est entitas absoluta, ergo est per se cognoscibilis distincte sine ordine ad formam, quamvis enim sit entitas absoluta incompleta, hoc tamen non obstat, quia ab Angelo, & intellectu nostro ex natura potentia haberi possit de materia conceptus quidditativus sine ordine ad formam, sed tantum facit, quod haberi non possit conceptus quietativus, quod est commune etiam formæ ratione suæ incompletionis, ut docet Scot. 4. dist. 12. q. 1. L. Tum etiam quia de se habet actum entitativum, & non a forma, ergo etiam de se habebit propriam cognoscibilitatem sine ordine ad formam, quia intelligibilitas sequitur entitatem, cum sit ejus passio, & sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci. Nec obstat, quod materia sit essentialiter potentia receptiva formæ, ideoque cognosci nequeat sine ordine ad formam, quia, ut dictum est quest. 6. art. 5. est essentialiter potentia tantum in secundo modo, & in secunda notione; Tum demum, quando inquirunt Adversarii materiam cognosci non posse sine ordine ad formam, vel loquuntur de ordine actuali, vel aptitudinali, in primo sensu id nequit asseri, quia si Deus materiam denudaret omni forma, ut est possibile, posset adhuc ab Angelo cognosci, cum adhuc retineret suam entitatem, & existentiam; neque in secundo sensu, quia ordo ille aptitudinalis, & transcendentialis ad formas, non est formaliter entitas ipsa materiæ, sed entitas materiæ est radix, & origo talis ordinis, & aptitudinis ad formas, & quia hæc est entitas absoluta, ideo quidditativè cognosci potest, etiam sine isto ordine aptitudinali ad formam.

159 Sed contra hanc Concl. & primo contra primam partem arguunt Mercenarius 2. tomo Dilucidat. & Suarez disp. 13. Met. sect. 3. probando, quod licet pro statu isto non sit per se cognoscibilis materia, methodus tamen eam cognoscendi non est analogia ad formam, ut Scot. videtur deducere ex 1. Phys. text. 60. neque quoad si est, neque quoad quid est; quia Aristot. ibi non loquitur de analogia ad formam, sed ad materiam artefactorum, & hac analogia utitur ad inveniendum quid est materiam naturalium, quia ex hac analogia potest deduci definitionem materiæ primæ, quod sit subiectum

potens ad omnes formas naturales, non vero ad inveniendum si est, ut Scot. velle videtur; methodus namque ad inveniendum si est, est contrarietas existens in transmutatione, unde text. 51. via transmutationis ostendit, dari materiam, primam, & etiam non apparet absolute loquendo, quæ, & qualis sit analogia inter materiam, & formam, quæ ostendat naturam materiæ; Et si dicatur materiam in hoc sensu cognosci per analogiam, & habitudinem ad formam, id est, per transmutationem de una in aliam formam, ut Doctore infinuat, loc. cit. ex Comment. adhuc non satisfacit, quia mutatio substantialis occulta est sicuti forma, & ideo non per ordinem ad mutationem substantialem; sed ad accidentalem cognosci debet, & per ordinem ad subiectum ejusdem, qualis est materia artefactorum.

Resp. posse materiam, & immo debere cognosci pro statu isto ex comparatione, & habitudine ad formam, quia est subiectum ejus, & potentia receptiva illius, sicut æs, & lignum ad formas artificiales, & in hoc sensu explicat Aver. text. 69. unde hæc comparatio materiæ ad formam, sicut potentia ad actum, optime explicat quid est materiæ, tamen cum ait Scotus, materiam cognosci a nobis pro statu isto per ordinem ad formam, intelligit per ordinem ad transmutationem de una forma in aliam, ut ibi se explicat, ex Comment. quæ transmutatio indicat nobis non tantum si est materiæ, quia sit in contraria, & ideo manere debet commune subiectum, ut ait text. 50. sed etiam quid est, nam ex hoc deducimus, esse subiectum commune contrariorum, & ex hac via deducit Philosophus tandem text. 82. esse subiectum primum, & ideo falsum est, analogiam ad materiam artefactorum assumptam esse a Philosopho text. 69. veluti methodum ad inveniendum quid est materiæ, cum potius assumpta sit, ut quedam similitudo, & exemplum sensibile ad manifestandam naturam materiæ primæ. Et quamvis mutatio substantialis sit occulta ratione formarum substantialium, ratione tamen operationis earum arguimus, & novas formas, & novas transmutationes substantiarum circa idem commune subiectum, quare Doctore non loquitur de transmutatione substantiali nude sumpta, sed quatenus ratione quorundam accidentium sub sensum cadit.

160 Secundo arguunt Averroistæ, Achillinus loc. cit. & Piccol. lib. 2. de materia cap. 2. & Recentiores Thomistæ contra secundam partem, probando, quod absolute loquendo, materia non sit cognoscibilis, nisi per ordinem ad formam, aut actualem, aut certe aptitudinalem, primo quia actus est causa cognitionis, & manifestationis, potentia causa ignorantia, & occultationis, materia est per se potentia, forma per se actus, ergo, &c. hinc Philosophus 7. Metaph. 35. materiam dixit de se ignotam. Secundo mens est locus formarum 4. de Anim. text. 6. & 2. de Anima text. 121. sensus recipit species sine materia, ergo tanto magis intellectus; & tandem res materialis, ut intelligatur, debet materia abstrahi. Tertio ait Philosophus 7. Metaph. 8. quod materia secundum se non est quid, nec quale, nec quantum, ergo secundum se nullum habet conceptum positivum, idem habet August. libr. de natura boni, cap. 18. ubi ait, materiam per nullam speciem, sed per privationem omnis speciei vix cogitari posse; & lib. 12. Confess. cap. 5. ait de materia, conari nos cognoscere ignorando, vel ignorare noscendo. Denique materia est essentialiter potentia, & essentialiter relativa ad formam 2. Phys. 26. ergo absolute loquendo, sine ordine ad formam, saltem aptitudinali, nequit intelligi, nec ullo modo explicari potest, quid conciperetur ab Angelo, v. gr. præcisio a materia hujusmodi ordine ad formam.

161 Resp. ad 1. quod actus entis est causa intelligibilitatis, & non præcisio actus formalis, & sic e contra potentia objectiva est causa ignorantia, non subiectiva, & Philosophus 7. Metaph. 25. dixit materiam de se ignotam, tum quia de se est minimæ entitatis, ac proinde minimæ intelligibilitatis; tum quia pro statu isto eam cognoscimus per ordinem ad formam, ut ait Doctore. 3. dist. 22. qu. unic. H. Ad 2. mens est locus formarum, id est specierum, & utique materia si per se intelligeretur, non se ipsa intellectum intraret, sed per suam speciem, ut contingit de quocunque alio intelligibili, præsertim materiali, & in hoc sensu entia materialia debent a materia denudari, ut intelligantur, id est, ab extensione, & materialitate, quod fit per abstractionem specierum, & plane argumentum hoc indignum est Auctore suo. Ad 3. ait Doctore 2. dist. 12. quest. 1. H. quod non solum ait Philosophus, materiam non esse quid, nec quale, nec quantum, sed subdit, esse id, de quo singula horum prædicantur, per quod insinuat, habere suum conceptum positivum, licet nobis ignotum pro statu isto; nec D. August. dixit, per privationem omnis speciei, id est formæ, materiam reddi incognoscibilem, sed ait, in tali statu vix posse cognosci, per quod significavit difficultatem intelligendi materiam sine ordine ad formam, non impossibilitatem; nam ut ait Themistius 1. Phys. digress. magna de materia, materiam absolute cognoscere esse difficile, quia sicut est minimæ, & imperfectissimæ entitatis in genere substantiæ, ita est minimæ, & imperfectissimæ entitatis in hoc sensu quoque explicandus est 12. Confess. cap. 5. Ad 4. falsum est assumptum, loquendo de materia in prima notione, ut patet ex dictis q. 7. & Angelus, præcendendo ab illo ordine aptitudinali recipiendi formas, conciperet materiam, ut entitatem absolutam talis naturæ, ut sit exigitiva talis aptitudinis, veluti propria passionis.

A R.

ARTICULUS II.

An materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis.

162 Communis, & frequens responsio ad hoc quæsitum est, aliquid posse dici generabile, & corruptibile dupliciter, subjective scilicet, & terminative; primo modo dicitur generabile, & corruptibile, quod subicitur generationi, & corruptioni; secundo modo id, quod terminat generationem, & corruptionem, transeundo nimirum de non esse ad esse, per generationem, vel de esse, ad non esse, per corruptionem, & primo modo inquirunt, materiam esse generabilem, & corruptibilem, cum sit subiectum primæ cujusque generationis, & corruptionis; secundo modo non, nam in hoc sensu sola forma, & compositum dicitur generabile, & corruptibile ex 1. Phys. 64. At licet communis ista responsio vere tangat quæstionem, tamen modus loquendi non placet, nam dum inquirunt, materiam esse ingenerabilem, & incorruptibilem terminative, & ita intelligunt Aristot. dictum text. 82. utique loquuntur de generatione, & corruptione in ratione productionis, non mutationis, & in hoc sensu inquirunt, generationem, & corruptionem formæ compositæ convenire, non materiæ primæ; sed hoc non bene dicitur, quia proprium subiectum generationis, & corruptionis in ratione productionis est compositum, est enim id, quod generatur, & corrumpitur 1. Phys. 64. ergo in hoc sensu compositum ipsum est subjective generabile, & corruptibile, non vero materia prima; Nec respondere valebit, quod quando appellant compositum generabile, & corruptibile terminative, non subjective, accipiunt generationem, & corruptionem active, ut sensus sit, compositum esse terminum actionis generativæ, vel corruptivæ. Non valet; Tum quia generabile, & corruptibile ex vi nominis significant passionem, non actionem; Tum quia si accipitur active, cum generatio, & corruptio sint actiones non solum productivæ, vel destructivæ effectus, sed etiam transmutativæ subiecti, poterit etiam materia prima dici generabilis, & corruptibilis terminative, quatenus scilicet terminat actionem agentis in ratione transmutationis activæ; Tum tandem, quia, si generatio, & corruptio sumantur active, & in ratione productionis, vel destructionis præcise, sicut in hoc sensu compositum dicitur generabile, & corruptibile terminative, ita e contra agens ipsum, & non materia prima, dici debet generabile, & corruptibile subjective, quia nimirum in ipso fundantur generatio, corruptio, & actio, & ab eis denominatur, præsertim in via Scoti, unde Scotistæ magis errant, quam alii, utentes hoc modo loquendi. Ut igitur recte respondeatur quæsitio, etiam in modo loquendi, adverti debet, generationem, & corruptionem posse sumi dupliciter; primo modo sive, pro quantum rei corruptione, vel destititione, quomodocumque contingat, & ita comprehendit etiam creationem, & annihilationem; secundo modo presse, & ita accipitur pro inceptione rei ex præsupposita parte, vel subiecto, & destititione rei, remanente adhuc aliqua ipsius parte, scilicet, vel subiecto; & in hoc secundo sensu adhuc potest sumi dupliciter, vel in ratione mutationis, vel in ratione productionis, ex Aristot. 1. Phys. 64. & Scot. 1. dist. 2. q. 7. R. & dist. 5. q. 2. G. cujus distinctionis sapius meminimus disp. 1. de Principiis in communi.

163 Dicendum est, materiam esse generabilem, & corruptibilem, late sumpto vocabulo generationis, & corruptionis, & etiam presse sumpto, si accipitur in ratione mutationis; si vero sumatur in ratione productionis ex præsupposito subiecto, vel destititione opposita, est prorsus ingenerabilis, & incorruptibilis. Conclusio tres habet partes, & facilius quoad omnes probatur; nam in primis, quod sit generabilis, & corruptibilis, late sumpto vocabulo generationis, & corruptionis patet, quia cum sit ens creatum, ac proinde de se indifferens ad esse, & non esse, in hoc enim ens creatum distinguitur a Deo, quod est ens summe necessarium, consequenter est a Deo creabilis, & annihilabilis, hoc enim est commune cuicunque creaturæ; sed quia inter entia creata, quædam sunt talis conditionis, ut cum solo concursu generali Dei non sint in perpetuum duratura, ut homo v. gr. semel productus, sine speciali miraculo in æternum perpetuari non potest; quædam vero talis sunt conditionis, ut semel producta possint deinceps cum solo concursu generali Dei in æternum durare, ut communiter Theologi dicunt de Angelo, & Anima rationali, inter entia secundi generis est materia prima, nam licet simpliciter, & absolute possit a Deo annihilari, quia a Deo libere conservatur, & de se indifferens est ad esse, & non esse; talis tamen est conditionis, ut continuante Deo exhibitionem solius generalis concursus ipsa in æternum duraret. Ratio enim, ob quam secundum communem naturæ cursum entia creata desinunt, est contrarietas, immediata, vel mediata, quam ad invicem habent ratione dispositionum oppositarum, quas formæ substantiales exigunt pro sui conservatione, vel est naturalis quædam sequela, quæ v. gr. ad corruptionem subiecti corrumpuntur accidentia, quæ extant in illo, sed materiæ nihil est contrarium, nec mediate, nec immediate, cum indifferenter appetat omnes formas; & præterea in nullo subiecto est, ad cuius corruptionem ipsa naturaliter corrumpi debeat, & desinere, ergo secundum communem naturæ cursum materia desinere non debet, sed in æternum duratura est cum solo concursu generali Dei.

164 Quoad 2. partem, nimirum materiam adhuc esse generabilem, & corruptibilem, si generatio, & corruptio presse

sumantur, sed in ratione mutationis, facilius probatur, quia est subiectum cujusque mutationis substantialis, tam acquisitivæ, quam deperditivæ, ergo a generatione, & corruptione ita sumptis generabilis, & corruptibilis denominari debet, cum forma denominet subiectum, in quo est, juxta naturam suam; & in hoc sensu vocavit Philosophus ipse materiam generabilem, & corruptibilem 8. Metaph. 4. & 12. Met. 10. & modus hic loquendi propriissimus est, ut notat Bargius 1. dist. 2. quæst. 7. licet non sit in usu, quia mutationes subiectum proprie denominant, & non terminum, id quoque Mancæ conceit 1. Phys. quæst. 4. dub. 6.

Demum quoad tertiam partem, scilicet materiam esse ingenerabilem, & incorruptibilem, si generatio, & corruptio strictè sumantur, & in ratione productionis, vel destititionis oppositæ, non minori facilitate probatur, quia si materia prima in hoc sensu generari posset, vel corrumpi, fieri posset ex præsupposito subiecto, & in illud idem desinere, ergo jam non esset materia prima, quia non esset subiectum primæ cujusque generationis, nec postremum cujusque corruptionis; sed materia prima esset illud primum subiectum, ex quo fieret, & in quod desineret, & illud esse deberet in hoc sensu ingenerabile, & incorruptibile, alioquin daretur processus in infinitum. Et in hoc sensu dixit Philosophus 1. Phys. 82. materiam esse ingenerabilem, & incorruptibilem.

165 In oppositum objicitur 1. ad probandum, materiam jam productam non posse cum solo concursu generali Dei in æternum durare, ut Angelus, & Anima. Materia, ut existat, indiget consortio formæ, saltem ut conditionis necessario requisitæ ad naturaliter existendum, ergo si separaretur ab omni forma, per naturalem sequelam corrumpi deberet, nec ulterius poterit conservari sine speciali miraculo; Anima vero etiam separata a corpore, adhuc naturaliter conservatur sine speciali miraculo.

Resp. ex dictis superius quæst. 3. art. 1. materiam ad naturaliter existendum non indigere forma, ut conditione concomitante simpliciter necessaria, & sine qua ab intrinseco existere non posset; nam talis indigentia potius ortum ducit ex extrinseco Dei decreto, quam ex natura intrinseca materiæ, & talis exigentia formæ in materia, ut existat, potius est naturæ universalis, quam naturæ particularis ipsius materiæ, eo quia materia producta est ad constituendam compositam ab Austro naturæ, & non ad solitarie existendum, unde materia suæ naturæ relicta, etiam si ab omni forma separaretur, adhuc perseveraret in esse cum solo concursu generali Dei, quo prius conservabatur cum forma, nec aliud miraculum interveniret præter illam separationem, & ideo negatur, quod ad separationem omnis formæ materia statim interitura foret ex natura rei, ita quod indigeret adhuc speciali miraculo pro sui conservatione.

166 Secundo objicitur, esse generabilem, & corruptibilem, generatione, & corruptione presse sumpta in ratione productionis, vel oppositæ destructionis; quia materia licet non constet ex partibus essentialibus, constat tamen ex entitativis ad invicem continuatis, ratione cujus continuitatis dicitur una numero, sed hæc unio continuativæ corrumpitur, & generatur, quia partes materiæ possunt dividi, & iterum continuari, ergo & unitas numerica materiæ generatur, & corrumpitur.

Resp. hoc argumentum valde torquere, & Recentiores Thomistas, qui unitatem continuationis asserunt, esse modum quandam substantialem, & veteres Scotistas, qui totum integrale realiter a partibus distinguunt; plane neutri istorum difficultatem effugere omnino possunt, unde Hurradus disp. 6. Phys. sect. 4. §. 41. valde laborat pro solutione, frustra quoque Canonius q. 9. 1. Phys. artic. 2. dub. 1. conatur evadere difficultatem, dicendo, hinc secundum sequi corruptionem materiæ quid, quia resolveretur in suas partes entitativas, omnibus illis adhuc remanentibus, illud vero dicitur simpliciter corrumpi, quod ita resolvitur in partes, ut aliqua illarum desinat esse, sed non satisfaciunt; nam sicut homo dicitur vere corrumpi, dum ejus partes ab invicem separantur, etiam si nulla illarum in se desinat, quia corrumpitur tertia entitas, quæ ex eis unitis resultabat, aut saltem corrumpitur unio substantialis secundum Recentiores, ita in casu nostro, si totum integrale dicitur tertiam entitativam a partibus integrantibus distinctam, ut Canonius insinuare videtur t. Phys. q. 5. aut saltem unitas continuationis dicitur modum substantialem, plane in ipsarum partium dissolutione, & discontinuatione aliquid ipsius materiæ desinere, & corrumpi necesse est, aut ipsam totalitatem, aut saltem unionem; at nos, qui totum integrale non distinguimus a partibus, & unitatem integritatis præter indivisibilia terminantia, nihil dicimus superaddere partibus, nisi meram præcisionem, & negationem continuitatis cum alia parte cum Scotto 4. dist. 12. quæst. 4. K. parum urget difficultas, ut patet, sola restat difficultas de indivisibilibus materiæ, tam continuantibus, quam terminantibus, quomodolibet illa destruantur in divisione materiæ, & ista de novo fiant, de qua agemus inferius disp. de Continuo.

167 Tertio objicitur; Tum quia materia est causa corruptionis compositi, ergo ipsa quoque corruptibilis erit, nam propter unumquodque tale, & illud magis, 1. Post. cap. 2. Tum 2. quia agens naturale potest agere generando, & corrumpendo in perfectius, scilicet in compositum, ergo tanto magis in imperfectius, scilicet in compositum corruptibile sunt principia 1. de Cælo 61. ergo cum materia sit principium mortalium, corruptibilis erit; Tum 4. quia Aristot. ipse text. 82. ubi asseruit ejus ingenerabilitatem, & incorruptibilitatem, falsus est, esse generabilem, & corru-

corruptibilem, saltem per accidens; Tum etiam quinto, si materia non generatur, & corrumpitur, ergo generatio non est mutatio totius in totum contra Philosophum 1. de Gener. 24. Tum tandem ex hoc sequeretur esse nobiliorem formam, & compositum, quæ ambo corruptibilia sunt.

Resp. negando consequentiam, ad probationem diximus dub. 36. Infit. Log. propositionem illam habere veritatem in causis univocis, quando nimirum denominatio convenit utrique, causa scilicet, & effectui, ut si manus est calida propter ignem, ignis est magis calidus; ita dici potest, manus est calida propter Solem, ergo Sol est magis calidus, & ita est in proposito. Ad 2. modus ille arguendi valet de passis contentis intra sphaeram activitatis agentis, quod si potest in perfectius, potest etiam in imperfectius, at si imperfectius sit extra sphaeram, ut in proposito, non valet; potest enim homo v. gr. hominem generare, sed non murem, quia mus est extra sphaeram activitatis ejus. Ad 3. Aristot. ibi non loquitur universaliter, sed indefinite, ad quod sufficit, ut aliqua sint corruptibilia, scilicet forma, & privatio, non omnia. Ad 4. cum Philosophus dixisset, materiam esse per se ingenerabilem, & incorruptibilem; subdit, generari, & corrumpi per accidens, id est, ratione formæ vel privationis, quæ iam materia incipiunt, & desinunt juxta varias expositiones. Ad 5. generatio est mutatio totius in totum capiendò totum categorématique; id est, pro ipsa tertia entitate, seu pro ipsa totalitate, quæ includit unionem, non autem syncategorematicè; id est, pro singulis partibus, ita Canonius cit. ex Scoto in 4. dist. 11. quæst. 1. sub A. Ad 6. negatur consequentia; tum quia nobilitas simpliciter attenditur ex perfectiori gradu naturæ, non ex aliqua peculiari ejus conditione; tum quia major vel minor duratio non infert universaliter in his inferioribus majorem, vel minorem perfectionem; nam ut docet Scotus 2. dist. 1. q. 3. ex Aristoteli 1. Ethicorum cap. 5. non est perfectius, quod durat per decem annos, quam quod durat per diem; Tum denique quoad aliqua duo habent duas perfectiones alterius rationis, illud censetur simpliciter nobilior, quod habet perfectionem superioris ordinis juxta Scoti regulam 1. dist. 8. q. 1. ad 1. In proposito, materia habet incorruptibilitatem; forma, & compositum actualitatem, & hæc est perfectio superioris ordinis illa, atque ideo compositum, & forma sunt simpliciter nobiliores a materia.

ARTICULUS III.

An Materia sit causa corruptionis, vel potius forma.

168 Vicen. 1. suæ suffic. cap. 3. dicit corruptionem a contrario provenire, unde in ejus sententia res dicitur corruptibilis, quia habet contrarium. Canonius 1. Phys. q. 9. art. 2. dub. 2. putat, primam, & præcipuam causam corruptionis esse formam, non materiam, a qua sententia non longe distant quicunque dicunt causam primam, & radicalem corruptionis non esse materiam, sed formam habentem contrarium per quod possit expelli, ut hinc astruunt Cælo incorruptibile. Communis affirmat, materiam esse primam, & intrinsecam causam corruptionis, ita D. Thom. 1. part. q. 66. art. 2. & 2. contra Gentes cap. 55. Scot. 2. dist. 12. qu. 1. sub A. & dist. 14. q. 1. & 3. dist. 22. q. un. §. Rationes quas facimus, &c. cum eorum discipulis.

Pro decisione quæstionis notandum est, hic nos non querere nec causam totalem, nec præcipuam corruptionis compositi, sed radicalem, & originariam, nam si de totali sit sermo, cum corruptio compositi fiat per separationem materiæ a forma, necessario ambas includit, ut integrantes causam totalem corruptionis compositi, ea ratione, quæ sunt abinvicem separabiles, si sit sermo de partiali, utraque in suo genere est causa partialis corruptionis, quatenus materia non satiatur forma ob ejus infinitam capacitatem, & appetitum interminatum, nec forma satiatur materiam ob ejus limitatam perfectionem, nam si satiaret, compositum incorruptibile redderetur, immo si loquamur de causa partiali præcipua, hæc est forma, ut notat Lichetus 2. dist. 12. quæst. 1. in solutione cujusdam contradictionis in Doctore apparentis, quia compositum simpliciter, & absolute dicitur magis non esse per corruptionem formæ, quam per separationem materiæ, quia ipsa forma magis dat esse compositum; loquimur ergo de causa partiali radicali, & originaria, & de ista loquendo, ponitur talis conclusio.

169 Dicimus, materiam esse primam radicem, & originem corruptionis compositi. Ita Scotus loc. cit. & Aristot. pluribus in locis semper reducit causam corruptionis in materiam, ut 1. Cæli 20. 126. & 138. & 1. de Gener. 54. 2. de Gener. 51. & 54. 7. Metaph. 4. & 53. 8. Metaph. 4. & 19. 9. Metaph. 17. de longitudine, & brevitate vitæ cap. 2. ubi præsertim, cum causam corruptionis assignasset contraria, hæc tandem reducit in materiam. Probatur ita conclusio, duplex solet assignari communiter causa corruptionis, extrinseca una, & provenit a contrarietate; intrinseca alia, & provenit a contigenti, & dissolubili connexionione partium intrinsecarum compositi; sed extrinseca reducit ad intrinsecam, intrinseca vero reducit in materiam, ut originem, ergo primaria radix, & origo corruptionis compositi est materia, non forma, aut contrarietas; probatur minor quoad primam partem, causam scilicet extrinsecam pendere ab intrinseca; Tum ex Doctore. cit. in

2. dist. 12. q. 1. ubi ait, non posse, nec debere assignari contrarietatem pro prima radice corruptionis, quia res non habet contrarium, ratione cujus sit corruptibilis, nisi quia habet aliquid intrinsecum, ratione cujus potest recipere contrarium, & formam oppositam illi, quam habet: idem habet 3. dist. 22. qu. un. ubi ait, *quamvis mixtum corrumptur, quia est ex contrariis, non tamen esset mixta actio, nisi quia aliquid in potentia est, quod possit aliam formam recipere, & si etiam corpus simplex agar in simplex ratione contrarietatis, prima tamen radix est materia cum privatione, quæ est in potentia, ut transmutetur ad aliam formam*; Tum ex Aristot. cit. de longit. & brev. vitæ, ubi cum dixisset, *cui non est contrarium, impossibile, utique erit corrumpi*, ne quis cogitaret, contrarietatem esse primam radicem corruptionis, statim subdit, *impossibile esse materiam habenti non existere, alicuique contrarium*, quibus verbis manifeste docuit, causam extrinsecam corruptionis, scilicet contrarietatem, ab intrinseca pendere, ac originem ducere; probatur etiam minor quoad aliam partem, nimirum, quod intrinseca quoque pendeat a materia velut a primaria radice; Tum quia, ut ait Doctor 2. dist. 14. q. 1. sub A. radix dissolubilitatis partium est materia, nam quando ex parte formæ esset necessaria connectio, semper tamen contingens est ex parte materiæ, quæ est potentia contradictionis, quæ res potest esse, & non esse 7. Metaph. 22. & hoc non solum, in quantum est in potentia ad aliam formam incompossibilem, quam habet, sed præcipue in quantum est in potentia ad privationem formæ, quam habet; hinc enim præsertim dicitur potentia contradictionis; Tum etiam quia, ut ait Doctor 4. dist. 12. q. 3. non potest agens naturale formam corrumpere, & consequenter neque compositum, nisi sit in materia capaci oppositæ formæ, aut oppositæ dispositionis; ergo prima radix corruptibilitatis formæ, & compositi est materia.

170 In oppositum arguitur 1. ex Canonico citat. Tum quia materia est per se incorruptibilis, ergo non potest esse causa corruptionis, quia tunc unum oppositorum esset causa alterius; Tum quia necessarium non est causa contingentis, ex 1. Prior. sed materia est ens necessarium, cum sit incorruptibilis, ergo non est causa contingentis, & corruptibilitatis compositi; Tum quia in causis præcis, si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis ex 1. Prior. sed causa præcisa, quæ compositum est ens in actu, est forma, ergo causa præcisa non essendi in actu eidem, erit forma.

Resp. ad 1. negando Consequentiam cum sua probatione, nam non est causa corruptionis compositi, quatenus est incorruptibilis, sed in quantum corruptibiliter umbilicis formæ ratione suæ potentialitatis; sic etiam Sol est incorruptibilis, & tamen est causa generationis, & corruptionis rerum. Ad 2. loquebatur Phil. 1. Prior. de propositionibus in bona consequentia; ita enim ex necessariis non sequitur conclusio contingentis, alioqui absolute falsum est, nam omnia entia contingentia ex Deo pendent, cui accedit, quod nunc dicebamus, materiam non esse causam corruptionis, quatenus in se necessaria est, sed quatenus unio ejus ad formam contingens est. Ad 3. licet forma sit causa præcisa, cum compositum sit ens in actu completo, & specifico, non est tamen causa præcisa, sed sit ens actu absolute, & simpliciter, sive transcendenter, quia etiam materia est causa entitatis compositi, & intrinsece illius constitutiva.

Secundo objicitur ex eodem. Nisi forma esse posset, & non esse objective, materia non esset possibilis subjective, ergo possibilitas subjectiva materiæ pendet ex objectiva formæ, quæ esse potest, & non esse virtute naturalis agentis, & hoc est præcipuum fundamentum Canonici.

Resp. negando assumptum, quia potius e contra res se habet, forma enim est possibilis destrui ab agente naturali, quia est in materia oppositæ formæ capaci, vel privationis; & extra materiam ab eo destrui nequit. Sed dices; si forma implicaret, materia quoque possibilis non esset, ergo possibilitas subjectiva materiæ pendet ex objectiva formæ. Resp. assumptum esse verum ob relationem transcendentalem, quam habet materia ad formam, nam relativa sunt simul natura, & actu, & potentia, quæ etiam ratione verum est dicere, quod nec etiam forma possibilis esset, si materia implicaret, quare ex hoc non magis deduci potest, possibilitatem materiæ pendere a possibilitate formæ, quam e contra.

171 Tertio arguitur; Tum quia possibilitas principii intrinseci, quo res constat, arguit possibilitatem, & corruptionem principii, ergo cum forma sit pars compositi, & de se possibilis destrui, erit etiam causa corruptionis compositi; Tum quia ait Aristot. 1. Phys. 68. formam solam suam præsentiam, & absentiam, sufficere ad generationem, & corruptionem, sicut solus nauta est causa salutis navis, & naufragii per suam absentiam, vel per præsentiam; Tum tandem ait Scaliger Exerc. 17. materia non est activa, ergo nequit esse causa corruptionis, & qualibet forma delectatur, ergo non appetit illam obicere, & per consequens non est causa corruptionis.

Resp. ad 1. probare tantum, quod etiam forma est causa corruptionis, quod utique concedimus; ar non probat, esse primariam radicem, nam hæc est materia, cum ipsa quoque forma destrui nequeat ab agente naturali, nisi in materia. Ad 2. Arist. ibi non excludit materiam, ut patet ex ipso contextu, quare argumentum probat solum, formam quoque esse causam corruptionis, & etiam esse præcipuam, sed non præcisam, aut radicalem. Ad 3. probat solum, materiam non esse

esse causam efficientem corruptionis, quia hoc est agens, contrarium inducens; neque esse causam per se, sed tantum per accidens, quatenus non satiata forma, quam habet, appetit quam non habet, impossibile illi.

Quarto, Aristot. 1. de Caelo text. 20. probat, Caelum esse incorruptibile ea solum ratione, quia non habet contrarium, ergo sola contrarietas, vel sola forma contrarietatem habens sit causa corruptibilitatis; probatur assumptum, quia sic arguit; Omne quod generatur, vel corrumpitur, ex contrario subiecto generatur, & corrumpitur, sed Caelo nihil est contrarium, ergo &c. ecce, quod in minori ex sola carentia contrarii, non vero ex carentia subiecti, aut materiae, arguit, & deducit Caeli incorruptibilitatem.

Resp. imo potius ex modo arguendi, quo utitur Aristot. clare deduci, contrarietatem non esse primam causam corruptionis, sed hanc pendere ex subiecto, & materia, ut docuit de long. & brev. vitæ cap. 2. & contrarietatem non reperiri, nisi ubi est materia; quare dum contrarietatis carentiam in minori assignat in Caelo, consequenter subintelligit carentiam subiecti, [nam sicut subiectum infert contrarietatem, ita carentia subiecti infert carentiam contrarietatis, alioquin contradiceret ei, quod dixit loc. cit. de long. & brev. vitæ, & argumentum foret in quatuor terminis, vel nihil probaret, dum in majori pro causa corruptionis assignat conjunctim contrarium, & subiectum, & in minori pro causa incorruptibilitatis assignat solum carentiam contrarii.

ARTICULUS IV.

An quantitas, saltem interminata, sit materiae proprietas.

127 Celebris est Averroistarum sententia, quantitatem esse materiae coavam, & veluti proprietatem ab ea inseparabilem, quod ex Aver. desumpserunt 1. Phyl. com. 63., & in libr. de substantia orbis, dicitur tamen, quantitatem, ut in materia præcedit formas substantiales, esse interminatam, & variam, determinari vero ab agentibus naturalibus juxta exigentiam formarum, quas inducunt; quod explicant exemplo materiae artefactorum, præcedit enim utique signum cum sua quantitate omnes formas artificiales, sed ante adventum illarum, varia, & indeterminata est, sed ab Artifice postea determinatur, & figuratur juxta exigentiam formæ, quam intendit inducere, sequuntur Averroistæ omnes, Achillius libr. 1. de Elementis, dub. 17. Zab. libr. 2. de Materia cap. 9. Niphus 8. Metaph. disp. 4. Zimara Theor. 46. Contaren. tom. 1. q. 9. peripat. quæst. 9. & quantitatem præcedere formas substantiales in materia, asserit quoque Suarez in Met. disp. 14. sect. 3. Hurtad. in Physica disp. 6. sect. 6. Averfa q. 21. sect. 7. & alii Recentiores, & videtur communis opinio Nominalium.

Opposita sententia communis est Thomistis, quam colligunt ex D. Thom. pluribus in locis, 1. part. quæst. 76. art. 6. sed præsertim quæst. 11. de spiritualibus creaturis art. 3. ad 18. & opusc. 32. & Scotistis, quam colligunt ex Scot. 2. dist. 3. quæst. 4. & distinct. 11. qu. 2. & dist. 15. qu. uninc. ubi sub A. dicit, quantitatem esse proprietatem substantiæ corporeæ, & 4. dist. 11. q. 2. & dist. 12. q. 4. Et sicut subiectum quantitatis statuunt esse corpus, non materiam, ita consequenter affirmant, cætera accidentia corporea immediate inherere composito; hic vero singularitè nobis loquendum est de quantitate, quia de subiecto in universum omnium accidentium materialium differemus initio Disputationis sequentis.

173 Dicimus, quantitatem neque terminatam, neque interminatam esse coavam materiae primæ, & neque illi immediate inherere, sed corpori, & composito. Conclusio communis est Thomistarum, & Scotistarum contra Averroistas, & Nominales, & cæteros Neotericos.

Primo probant hanc conclus. Faber Theor. 30. Fuentes 1. Phyl. quæst. 2. dist. 6. art. 1. Sghemma digress. 5. quæst. 9. plurimis Aristot. testimoniis, nam in prædicamentis cap. de substantia dixit, accidentia primæ substantiæ inesse, & destructis primis substantiis, nihil illorum remanere, & 1. de Gener. 23. & 24. ait, accidentia advenire enti in actu, & penes hoc distinguit generationem ab alteratione, & 7. Metaph. text. 4. docet, substantiam a toto genere præcedere accidens, natura, tempore, & definitione, quam auctoritatem faris urget Doctor loc. cit. 2. dist. 3. q. 2. sed quia hujusmodi testimonia probant in universum de omnibus accidentibus, nam defunctus specialiter de quantitate ab omnibus ponderatam 4. dist. 11. q. 3. Ff. quam si levioris momenti putet esse Fuentes loc. cit. nos tamen arbitramur, esse cæteris urgentiorem, ait Arist. 5. Phyl. text. 8. subiectum generationis, quod est materia prima, non esse in loco, at si materia prima, ut subjacet generationi, haberet quantitatem, iam esset in loco, nam quantitas est ratio essendi in loco, ergo &c.

Resp. Fuentes, ab hac auctoritate facile se Adversarios expedituros, dicentes, materiam primam, ut subjacet generationi, non habere locum determinatum, de quo loquitur Aristoteles, sed indeterminatum, de quo ipse non loquitur, & subdit, hanc solutionem impugnari non posse ex ipso contextu. Sed optime impugnari potest ex ipso contextu, si cum Doctor loc. cit. ponderetur, intendit namque Aristot. ibi, subiectum generationis ut sic, non esse in loco, quia & si haberet quantitatem, ut nos dicimus de corpore pro altera parte compositi, tamen non haberet eam, ut subjicitur generationi, quia quan-

titas non est ratio recipiendi terminum istius mutationis; at Adversarii statuunt quantitatem materiae coavam, ut sit materia idoneum generationis subiectum, & receptivum formarum substantialium, ut infra patebit, adducendo eorum rationes, ergo in sententia Aristot. materia, ut subiectum generationis, quantitatem non possidet, nec illi hac ratione tribui debet, etiam si ex alio capite conveniret, per quod etiam ruit solutio Contar. cit.

174 Secundo arguitur, destruendo fundamentum oppositæ sententiæ; intantum enim ajunt, quantitatem esse materiae coavam, quia ipsam putant esse ingenerabilem, & incorruptibilem, & eandem permanere in genito, & corrupto; at falsum est, quantitatem non generari, & corrumpi; Tum quia in generatione compositi absolute necessarium non est, quod præcedat subiectum actu quantum, & quale, sed potentia solum 7. Metaph. 32. ergo sicut in generatione novi compositi fit nova qualitas, ita etiam nova quantitas; Tum 2. quia si non fit nova quantitas, saltem fit nova terminatio quantitatis prioris, at hac prioris quantitatis terminatio non erit, nisi nova quantitas, ut notat Doctor. 4. dist. 11. qu. 3. Ff. nam terminatio prioris latitudinis erit nova linea, seu delineatio, terminatio profunditatis erit nova superficies, quæ sunt veræ species quantitatis; Tum 3. quia ad quantitatem vere, & proprie datur motus augmentationis, & diminutionis, in quibus nova quantitas producitur, & destruitur, ut innuit Scot. 4. dist. 12. quæst. 4. Nec respondere valet, augmentationem esse proprie motum terminatum, non ad quantitatem de novo productam, sed resultantem ex unione quantitatis alimenti cum quantitate viventis, nam hoc est contra Aristot. 1. de Gener. 41. ubi ait, in nutritione, & augmentatione viventis, quod quantum oportet generari, & carnem, sicut igitur nova caro vere generatur ratione nutritionis, ita & nova quantitas ratione augmentationis: est etiam contra rationem augmentationis, quia augmentatio viventis si fit per solum continuationem quantitatis materiae alimenti cum quantitate viventis, non erit vera, & propria augmentatio, sed potius quedam juxta positio unius quantitatis ad aliam, quo sensu etiam ignis augetur per juxta positionem lignorum, quæ tamen non est vera, & propria augmentatio secundum omnes Philosophos, qui ajunt unanimiter esse in solis viventibus, & fieri per veram actionem vitalem, quæ productiva fit majoris quantitatis in vivente, & non tantum unitiva, vel continuativa unius quantitatis cum priori, quia hoc fieri potest per solum juxta positionem non vitalem, etiam secundum omnes, & singulas illius, quod dicitur augeri, partes, ut magis in libr. de Gen. explicabitur; Tum tandem, quia etiam si quantitas corrupti nequeat per se, quia nullum habet contrarium, a quo destruat, adhuc tamen corruptibilis est per accidens ad corruptionem subiecti, quomodo etiam corruptibilia sunt cætera accidentia, nullum habentia contrarium.

175 Tertio quantitas est immediatum subiectum qualitatum materialium, qua mediante insunt substantiæ, sed accidentia quedam materialia necessario insunt composito, ut subiecto inhaesionis, ergo in omnibus compositis quantitas non necessario inhaeret materiae primæ, alioquin & cætera accidentia materialia quoque necessario materiae inhaerent; Major est communis omnium sensu, paucis discrepantibus, probatur minor, quia actus vitales materiales necessario insunt toti composito, non soli materiae, vel animæ, ut docet Scot. quodl. 9. sub G. & nos dicemus postea.

Denique nulla est necessitas ponendi quantitatem materiae coavam. Nam vel ponitur, quia ipsa est ingenerabilis, & incorruptibilis, sicut materia ipsa, & hoc est falsum, ut supra dictum est; Vel ut extendat materiam ad hoc, ut secundum diversas sui partes, diversas quoque partes formæ subiectæ, & hoc superfluum est, nam materia extensionem habet partium, seclusa quantitate, entitativam, & substantialem, quantum sufficit ad subiectandas diversas partes formæ, ut Scot. docet 2. dist. 12. quæst. 2. D. & nos late probabimus disp. de Continuo quæst. 1. art. 1. Vel, ut sit idoneum subiectum actionis agentis naturalis, quod non agit nisi in quantum, & attingere nequit essentiam nudam materiae, ut etiam Scotus significat 2. dist. q. 2. sub F. & neque id urget, nam & si agens naturale per actionem alterativam agat in quantum, scilicet in compositum corrupendum, & attingere nequeat essentiam nudam materiae, per actionem tamen substantialem, & generativam attingit nudam materiae essentiam, & ita explicat Lichetus Doctorem loc. cit. nam sicut materia est immediate receptiva formæ substantialis, ita quoque est immediate receptiva actionis substantialis ejusdem, ergo nulla potest afferri ratio cogens ad ponendam quantitatem materiae coavam.

176 In oppositum objicit; Tum quia Arist. 3. Phyl. ait, infinitatem quantitatis provenire ex materia, ejus autem determinationem a forma, & 4. Phyl. ipsam materiam appellat indefinitum, & intervallum, & 7. Met. 8. infirmare videtur, quantitatem primo inesse materiae, eamque definiti, & determinari a forma; Tum quia commune est axioma, quantitatem se tenere ex parte materiae, qualitatem vero ex parte formæ; Tum quia qualitates præcedunt in materia substantialem formam, ut prævis dispositiones materiam proxime disponentes ad eam, ergo & quantitas præcedere debet, cum hac non minus necessaria sit ad informationem, quam qualitas.

Resp. ad 1. Arist. per illum loquendi modum solum insinuate voluisse, quod sicut forma est ratio determinata composito reci-

piendi hoc, vel illud accidens, materia vero indifferenter est ratio omnia recipiendi, ita quoque materia est ratio recipiendi; composito quantitatem indeterminatam, sed forma ratio est recipiendi tantam, vel tantam, quia determinatio est a forma. Ad 2. commune illud axioma intelligendum est appropriate, & non proprie, alioquin etiam in Caelo materia foret, quod est contra Averroistas, & hoc ob similitudinem, quam habet quantitas cum materia, qualitas cum forma, ut notat Doctor 4. dist. 12. quæst. 2. D. sicut enim materia est proximum, & immediatum subiectum omnium formarum substantialium, sic quantitas est subiectum accidentalium, sicut materia non est de genere activorum, sed mere passiva, sic & quantitas e contra vero sicut formæ est agere, sic & qualitates ponuntur activæ; sicut formæ est perficere, ita & qualitates, & hoc fuit in causa, ut inde dictum sit, quantitatem se tenere ex parte materiae, qualitatem ex parte formæ; quantitatem consequi materiam, qualitatem formam; hanc esse affectionem formæ, illam materiae; non quod vera quantitas sit materiae proprietates. Ad 3. absolute negatur assumptum, & si quantitas ita requiritur, ut proxima dispositio in materia ad recipiendam formam, veluti qualitas; plane sequitur; quod præcedere debeat terminata, & illi formæ accommodata, non autem indeterminata, & varia, quia hæc non determinat materiam magis ad hanc formam recipiendam, quam ad illam, concomitanter ergo tantum se habet quantitas ad receptionem formæ substantialis.

177 Secundo objicitur; Tum quia quantitas nequit a forma generari, quia ipsa non est quanta, non a quantitate, ergo ingenerabilis est, & coæva materia. Tum quia compositum est quantum, ergo materia præexistit quanta, quia quantum ex non quanto fieri nequit 6. Phyl. 2. Tum denique in homine manifeste patet, quantitatem non posse composito inherere, quia accidens, quod est in composito, attingit simul unione sua formam, & materiam per modum unius, at quantitas nullo modo attingere potest animam rationalem ob ejus spiritualitatem, ergo erit in sola materia.

Resp. quod sicut quantitas per se non corrumpitur, sed ad corruptionem subiecti, ita neque per se generatur, sed ad generationem subiecti, scilicet corporis, vel compositi, dimanat ab eo, sicut cætera accidentia composito connaturalia, vel ratione principiorum physice constituentium, scilicet materiae, & formæ, vel ratione realitatis corporeitatis de genere substantiæ, ratione cujus totum constituitur capax triæ dimensionis. Ad 2. negatur sequela, sufficit enim, ut partes præexistant extensæ entitativæ, & substantialiter, ut ex eis compositum actu quantum constituatur. Arist. vero loc. cit. intelligitur de quanto ex additione partium integralium, lineam namque, ait, non componi ex punctis, nec superficiem ex lineis, at non loquitur de quanto ex constitutione partium essentialium. Ad 3. dicimus, in animatis quantitatem formam mixtionis consequi, non animam, & consequenter non in materia nuda, sed in composito ex materia, & forma mixtionis subiectari; argumentum valde torquet negantes pluralitatem formarum in composito, & nobiscum convenientes in sententia de subiecto accidentium.

178 Tertio, ut aliquid sit idoneum subiectum actionis materialis agentis, non sufficit, quod sit quomodocumque extensum, sed debet esse extensum impenetrabiliter, ergo ut materia constituatur idoneum subiectum actionis agentis materialis etiam substantialis, qua substantialis forma introducit, debet esse antecedenter extensa per quantitatem. Resp. concedendo assumptum in ordine ad sustinendam actionem alterativam, negando in ordine ad sustinendam actionem agente materiali forma substantialis ita in materiam debeat introduci, ut cum ea compenretur, sufficit in materia ad suscipiendam formam substantialem, & sustinendam actionem agentis sola extensio entitativa, & substantialis. Bassol. etiam hoster in 2. dist. 12. quæst. 3. art. 1. defendit quantitatem interminatam in materia, & melius alius rem explicat, ac rationes solvit communitè adductas, quas, ut futiles, nos omisimus; sed cum ipse ponat, quantitatem in materia præcedere, ut dispositionem ad formam, cogitur eam admittere etiam ut terminatam, nam sicut eo, quia potentia receptiva materiae est universalis, & indeterminata ad omnes formas, determinari debet ad hanc, & illam per has, vel illas qualitates, ita quia ejus quantitas est indeterminata ad omnes formas, limitari, & determinari debet ante adventum formæ; rationes vero, quas pro sua opinione adducit, cum relatis coincidunt, vide disp. 5. de Gen. & Cor. quæst. 3. art. 2. ubi rursum de hac re disputamus contra Contaren. & Zabar.

ARTICULUS V.

An materia ita se proprium pati, ut nullo modo sit activa, & forma ita agere, ut nullo modo sit passiva.

179 Quidam absolute intelligentes Arist. dictum 2. de Gen. 53. *Materia est passiva, & movetur, movere autem, & facere alterius potentia, materiam proferunt prorsus passivam, omnem activitatem ab ea excludentes, & formam prorsus a Materia, & Bellui Tom. II. Physica.*

divam, & nullo modo passivam; ita Vasquez part. 1. disput. 196. numer. 13. Hurtad. disput. 2. Phyl. sect. 10. de Materia locuti sunt, licet Hurtad. non assertive penitus; Suarez ex altera parte disput. 13. Met. sect. 4. num. 57. Averfa qu. 20. sect. 11. Morfan. dist. 1. Phyl. quæst. 8. & alii, licet materiae denegent actionem transeuntem, & omnem illam, quæ cum vera efficientia contingit, & mutatione physica; concedunt tamen actionem, quæ fit per simplicem emanationem, & resultantiam in ordine ad proprias passiones, & modos, quæ omnia Auctores primæ sententiæ ponunt materiae concreata.

Dicendum est, nec materia esse ita proprium pati, ut nulla prorsus activitas sibi competere possit, nec formæ ita proprium agere, ut omnis activitas sit ei tribuenda, & omnis passivitas deneganda. Conclusio est Scoti loc. infra citand. nam in primis, ut ex ipso colligitur 2. dist. 12. quæst. 1. & 2. materia talem habet activitatem, qualem habet quodcumque subiectum, vel quæcumque essentia in ordine ad proprietates suas, & modos in ordine ad relationes, quas nata est fundere, habet etiam activitatem, vel habere potest in ordine ad propriam cognitionem, causando, & imprimendo sui speciem, ut notat Lichet. ibi; quando igitur materia dicitur non esse de numero activorum, debet intelligi, ait Lichetus, de activis, & passivis, quæ mutuo corrumpuntur, & generantur, & de qualitatibus consequentibus hujusmodi activa, & passiva, certum enim est, quod materia prima non potest producere aliquam formam substantialem effective, nec aliquam accidentialem per verum motum, & mutationem physicam, & realem, & denique materia dicitur passiva, quia ordinata est ad recipiendas omnes prorsus formas substantiales, & caret quocumque actione physica, & reali, non vero intentionali, qualis est productio specierum, & metaphysica, qualis est dimanatio accidentium connaturalium a proprio subiecto, abstrahens a motu, & mutatione.

180 De forma vero, licet verum sit præsertim de substantiali, quod unaquæque est principium alicujus operationis, nam omne ens in rerum natura productum, & præcipue completum, videtur ad aliquam operationem a natura destinatum, nec manet otiosum in hoc universo, per propriam formam, ut colligitur 1. Cæli 32. & 2. Cæli 50. & 59. & 3. Cæli text. ult. & 3. de Anim. text. 60. qua ratione ait Doctor 2. d. 12. q. 1. in fine ex Comment. quod operatio semper arguit formam; id tamen non ita intelligendum est, ut omnis forma habeat virtutem activam suæ speciei communicativam, nam, ut notat Scot. 1. d. 7. qu. un. V. aliqua formæ mixtorum perfectiorum sunt communicativæ sui, & aliqua perfectiores illis non ita, sicut formæ corporum cælestium, & formæ angelicæ cujus rei reddere rationem facile non est, ait Doctor; neque in eo sensu intelligendum est, ut ita præcisè sit ratio agendi, quod nullo modo sit ratio patiendi, & recipiendi, cum non solum materia, sed forma quoque sit composita ratio recipiendi accidentia ei consentanea, cæteraque affectiones connaturales ex Scot. 2. d. 10. q. un. F. & d. 18. q. un. C. ubi ait; quod per eandem formam, per quam res est hæc, per eandem quoque est susceptiva passionis consequentis naturam illius rei.

181 In oppositum objicit 1. materiam nullo modo esse activam, quia materia dicitur pura potentia passiva, ergo nulla prorsus potest ei tribui activitas, & 2. Phyl. materia, & efficiens non coincidunt, & sola forma dici solet ratio agendi, & operatio arguit formam. Confir. quia si materia esset activa, non esset necessarium agens extrinsecum ad productionem formæ, & materia producta fuit in rerum natura, ut esset subiectum omnis mutationis, ergo ex sua conditione solum convenit ei potentia passiva, non activa. Denique omne agens est determinatum ad talem, vel talem operationem, at materia de se est prorsus indeterminata.

Resp. quod sicut dicitur pura potentia per exclusionem solum actus formalis, & specifiçi, non vero per exclusionem actus entis, ita excludit omnem operationem, cujus principium est forma physica, omnem nimirum actionem generativam, & corruptivam, omnem actionem physicam, & realem, sed non omnem operationem, quæ esse potest ab essentia rei, qualis est dimanatio metaphysica suarum proprietatum, & actio intentionalis per impressionem speciei in potentia; nam neque hujusmodi actiones quantitativæ denegantur, licet communiter removeatur a numero activorum, & dum ait Arist. materiam, & efficiens non coincidere, ait Doctor 2. d. 25. quæst. un. K. id debere intelligi de actione propria, ut distinguitur ab emanatione, & satis supra explicatum est, in quo sensu forma sit ratio agendi, & quænam sit operatio, quæ arguit formam physicam, cui addimus, quod cum communiter dicitur, formam esse rationem agendi, id non tam intelligitur de forma partis, & physica, quam de forma totius, & metaphysica, sumpta pro quidditate, & natura rei. Ad confirm. valeret consequentia, si materia poneretur talem habere activitatem, qualem habet generans, & efficiens, at talem ei non tribuimus, & ideo ad rerum generationem se habet materia solum, ut subiectum, & præter materiam requiritur extrinsecum agens. Ad aliam dicimus indeterminatam, at in genere principii activi determinata est in ordine suæ activitatis, nam ab ea v. r. dimanant, nisi tales passiones, nec est impressiva nisi specierum ipsam repræsentantium.

182 Secundo objicit, formam non posse esse passivam, quia

forma est agere, materia pati, forma est actus, materia est potentia, & hæc partes physice in ratione actus, & potentie sunt ita alterius rationis, ut sint primo diversæ in genere physico ex Scot. 2. d. 12. qu. 1. E. Accedit, quod si materia ponatur quomodocumque ratio agendi, & forma ratio patiendi, eo ipso confundimus munera materiae, & formæ.

Resp. neque pati esse ita proprium materiae, neque agere formæ, ut hoc materiae profusus repugnet, & illud formæ, nam, & materia est suarum proprietatum effectiva, & anima suorum actuum receptiva; sed quia materia universalis est ratio patiendi, quam agendi, forma vero e contra, hinc factum est, ut absolute dictum sit, formæ esse agere, materia vero pati; dicuntur etiam absolute forma actus, materia potentia, quia considerantur, ut partes concurrentes ad constitutionem compositi physici, & in hoc concursu materia se habet passive, forma active, seu perfecte; neque enim activitas, quam habet materia, qualiscumque sit, data est ei in

ordine ad constitutionem physici compositi, sic enim solum in ea consideratur passivitas; sed data est ei, vel in ordine ad proprias passiones, vel ad suam cognitionem producendam; Neque ob id confunduntur munera physica materiae & formæ; Tum quia in constitutione physici compositi materia semper se habet, ut potentia, forma ut actus; Tum quia munus materiae primæ est esse primum subiectum omnium formarum, & munus formæ est, ita esse actum, ut non possit esse primum subiectum, in quo sensu profusus repugnat, munus unius alteri convenire, & in hoc sensu debet intelligi Doct. loc. cit. dum in ratione actus, & potentie vocat materiam, & formam primo diversæ; & hinc esse sensum Doctoris colligitur ex eius verbis, dum inquit, quod si materia includeret aliquid actualitatis formæ, iam ipsa non esset primum receptivum, & si forma includeret aliquid passivitatis materiae, iam ipsa non esset primum receptum.


DISPUTATIO TERTIA.

De principio materiali, & formali mutationis accidentalis.

1 **P**ost disputationem de principiis materiali, & formali mutationis substantialis, hic eadem principia inquirimus mutationis accidentalis; & sane mirandum est, quare Expositores in his Physic. libris tam sint exacti in declarandis principiis mutationis substantialis, de principiis vero mutationis accidentalis nec verbum quidem faciant, quam tamen fatentur esse præcipuam passionem corporis naturalis, & naturam esse præsertim principium eius, & in hoc sensu ab Arist. definitur 2. Phys. Hæc igitur de causa disputationem præsentem instituimus, declarato namque subiecto adæquato motus, seu mutationis accidentalis, statim innoscit quoque adæquatum Philosophiæ subiectum; supponimus autem ex dictis ab initio præcedentis Disputationis; declarando naturam formæ substantialis, accidentalem formam esse actum secundum quid, & secundarium alteri inherens, veluti subiecto; cum quo unum per accidens constituit; supponimus etiam ex dicendis disputatione ultima harum librorum, hanc formam esse terminum ad quem motus, seu mutationis accidentalis, hac enim ratione motus dicitur mutatio accidentalis, quia nimirum ad accidens terminatur.

QUESTIO PRIMA.

Quodnam sit proprium, & adæquatum subiectum accidentium, ut inde cognoscamus proprium, & adæquatum subiectum motus.



2 **D**ix extant celebres sententiæ, quarum singula: pro tutricibus habent celeberrimas Scholas Averroistæ, & Nominales, quibus Neoterici subscribunt Suar. disp. 14. Met. sect. 3. Hurt. disp. 6. Phys. num. 8. Ariag. disp. 5. Phys. sect. 2. & alii asserunt subiectum proprium, & adæquatum quantitatis, & ceterorum accidentium, esse materiam primam. Thomistæ, & Scotistæ defendunt, esse corpus, sive simplex, sive ex materia, & forma compositum, quarum Scholarum, vel plurimum dissentientium, in hac controversia unio concursus maximum inditium esse debet huius veritatis. Auctores tamen primæ sententiæ non eodem modo eam intelligunt, & defendunt; quidam enim eorum absolute teneant, materiam nudam se sola esse sufficientem accidentium subiectum absque consortio formæ, & mere concomitanter formam se habere in materia ad receptionem accidentium, unde cum nullo modo receptio accidentium pendeat ex unione materiae cum forma, asserunt consequenter, forma veteri abeunte, eadem accidentia remanere in genito, quæ fuerant in corrupto; & hic est frequens modus, & ingenius magis tuendi hanc sententiam. Alii vero ad evitandas difficultates, sed præsertim manifestas Arist. auctoritates, testantes, subiectum motus, & accidentium esse ens simpliciter, & in actu, dixerunt materiam esse quidem subiectum inhaesionis accidentium, non tamen nudam, sed ut prius unitam formæ, itaut in recipiendo, & sustinendo accidentia probeantur a forma substantiali, vel tanquam a causa formali extrinseca, quasi illius extensionem fulciant ad illa sustentanda, ut Conimb. 1. de Gen. cap. 4. quæst. 4. art. 1. vel saltem tanquam a conditione, sine qua forma accidentalis non reciperetur in materia, nam talis est ordo ex natura rei inter formam substantialem, & accidentalem, ut in eodem proximo, & immediato subiecto inhaesionis omnes quidem recipiantur, sed prius substantialis, deinde accidentalis, ita quod illa mediat non veluti subiectum recipiens formam accidentalem, sed veluti conditio disponens materiam ad eam recipendam, ita Zabarel. de communium rerum gen. & interitu cap. 1. novo, quem sequitur Burgius 1. de Gener. questione sexta, asserens (quod peius est) hanc fuisse Scoti mentem, Aref. & Contar.

3 Pro intelligentia quæstionis notandum est, hic sermonem non

esse de accidentibus quibusdam imperfectis, & incompletis, quæ non sunt, nisi via quædam in terminum, nam hæc in materia recipi nulli dubium est, ut de generatione substantiali patet, & unione, quæ accidentia sunt relativa, sed sermo est de accidentibus completis, & perfectis, ut sunt quantitas, albedo, frigiditas, & cetera accidentia materialia, præsertim absoluta, ita notavit Trombetta 2. Met. quæst. 5. art. 2. in fine; & Canonicus 1. Phys. quæst. 9. art. 2. dub. 1. ad 1. Rursus cum duplex sit subiectum inhaesionis, cui nimirum proxime forma inhaeret, ac denominationis, quod scilicet non formam immediate in se recipit, sed tantum illius denominationem, quo sensu totum denominatur ab accidente parti inhaerente, aut essentiali, aut integrali, nam homo dicitur formaliter intelligens per intellectionem animæ inhaerentem, & simus, vel crispus ob similitudinem, & crispitudinem naso, & capillis inhaerentem; hic non est quæstio de subiecto denominationis, farentur enim omnes hoc esse compositum, sed de subiecto inhaesionis; Quod iterum cum sit duplex, proximum, & adæquatum, cui scilicet, proxime, & adæquate accidentia inhaerent; remotum, & inadæquatum, cui scilicet, inhaerent ratione proximi, & adæquati, quæstio vertitur de subiecto proximo, & adæquato.

4 Dicimus subiectum accidentium materialium Quod, proximum, & adæquatum esse corpus substantiale, sive simplex, ut multi probabiliter putant, esse Cælum in sententia Arist. sive ex materia, & forma compositum. Materia vero, & forma dici possunt singula subiectum Quo, inadæquatum, & remotum, materia quidem subiectum Quo indeterminatum, forma vero determinatum. Conclusio est D. Thomæ, & Scoti locis citatis quæst. ultima, disp. præc. art. 4. cum suis assensibus, quam ex antiquis Regent. Parisiens. 1. de Gen. & Cor. quæst. p. quæstionum. collat. 4. ex Recentioribus egregie teneantur Ruvius 1. de Gen. cap. 4. tract. 3. quæst. 8. & Ragul. disput. peripat. 18. Fab. theor. 75. cap. 5. & rursus 5. Met. disp. 3. cap. 2. Cavellus disp. 1. de Anim. sect. 17. & alii; explicatur prius Conclusio, deinde probabitur: cum ergo dicimus, compositum esse subiectum accidentium, non utique accipimus totum syncategorematicè, ut bene advertit Ragul. quasi singula partes totius accidentium partem in se recipiant, sed accipimus totum categoricè, pro tertia nimirum entitate ex materia, & forma constituta; cum autem quicquid habet totum, id habeat ratione partium originaliter, & principiative, consequenter etiam partes erunt ei rationes recipiendi accidentia, materia erit ratio recipiendi universalis, & indeterminata in ordine ad accidentia omnia, forma vero erit ratio determinata recipiendi hæc accidentia, & non illa, ut ex Scoto colligitur 2. diff. 18. q. un. sub C, & in hoc sensu dicuntur subiecta quibus, inadæquata, & remota.

Solet hæc Conclusio probari variis Arist. auctoritatibus, & rationibus;

tionibus; Tum quia prima substantia primo subsistat accidentibus, & ea corrupta, nihil remanet ex cap. de substantia; Tum quia Arist. 1. Gen. tex. 23. distinguit generationem ab alteratione, quia subiectum alterationis est compositum, generationis materia prima; Tum quia substantia a toto genere est prior accidente 7. Met. tex. 4. Tum etiam quia totum per se supponitur toti per accidens; Tum denique quia maiorem affinitatem habet, & proportionem cum materia prima forma substantialis, quam accidentalis, atque adeo immediate uniri debet; At quia rationes huiusmodi, & auctoritates facillime evaduntur ab eis, qui asserunt, receptionem accidentium in materia dependere ab unione eius cum forma, unde farentur, in materia prius recipi substantialem formam, & deinde accidentalem, aut ex indigentia materiae, quam habet substantialis forma ad existendum, aut ex ordine naturali illarum formarum in informando idem commune subiectum; hinc rationes adducere conabimur, quæ contra omnes Adversarios urgeant.

5 Prima. Subiectum proximum, & adæquatum motus, est subiectum proximum, & adæquatum accidentium, sed corpus, & compositum est subiectum proximum, & adæquatum motus, non vero materia prima, ergo &c. probatur major, nam idem est subiectum motus, & termini motus, ut idem est subiectum calefactionis, & caloris, quia subiectum moveri propter terminum acquiruntur, terminus autem motus, ut a mutatione substantiali distinguitur, est forma accidentalis ex 5. Phys. 8. Probatur quoque minor ex eodem 5. Phys. 3. ubi Arist. explicans subiectum proprium, & adæquatum motus cum suis terminis, ita loquitur, alterum est, quod primum movetur, & in quod movetur, & ex quo, ut lignum, calidum, & frigidum, & volens explicare, quodnam ex dictis sit subiectum motus, ait, motus manifestum est, quod in ligno est. Nec respondere valet subiectum motus esse compositum, non ratione totius, sed ratione partis, scilicet materiae; Non valet, quia totum ratione partis est subiectum solum denominationis, non inhaesionis, at Arist. ibi loquitur de subiecto inhaesionis, quia loquitur de subiecto, quod transit a termino quo ad terminum ad quem, hoc autem est subiectum inhaesionis, & ipsa verba Arist. id aperte demonstrant, ait enim, motus manifestum est, quod in ligno est, accidens autem non dicitur inesse subiecto denominationis, sed inhaesionis.

6 Secunda ratio deducitur ex Scoto in 2. d. 18. q. un. sub D. quam ceteris solidiore existimamus, & veluti fundamentum nostræ sententiæ statuimus, nec ab ullo Auctore adducitur, quem viderimus. Si materia prima est proprium subiectum inhaesionis omnium accidentium, ergo nullus erit motus violentus in rerum natura, quod est contra omnem Philosophiam, probatur consequentia, quia ex dictis disp. præc. materia nullam formam recipit violentè, sed vel naturaliter, vel saltem neutraliter, ergo cum motus dicatur neutralis vel violentus iuxta inclinationem, vel repugnantiam subiecti ad formam recipiendam, si materia ad nullam formam habet violentiam, sequitur manifeste, quemlibet motum futurum naturalem, vel saltem neutrum, & sic dum aqua calefit, motus ille naturalis erit, vel saltem neuter. Si dicatur, motum illum in ordine ad materiam utique esse naturalem, dici tamen violentum in ordine ad aquam, quæ est subiectum denominationis. Contra, ergo motus ille simpliciter, & per se naturalis erit, vel neuter, secundum quid tantum, & per accidens violentus, quia violentia, & naturalitas in motibus, simpliciter, & per se attenditur in ordine ad id, quod per se movetur, non in ordine ad id, quod movetur per accidens, & ratione alterius, si enim mobile per se habet inclinationem ad illam formam, motus est naturalis simpliciter, si repugnantiam, est violentus, sed mobile per se per adversarios est materia, non aqua, quia caliditas recipitur immediate in materia, ut in proprio, & adæquato inhaesionis subiecto, ergo motus iste simpliciter, & per se naturalis erit, non violentus.

Si dicatur, quod est violentus etiam in ordine ad materiam, non quidem nude consideratam, sed quatenus formæ aquæ subiacet, & ejus qualitatis, quia calor formam incompossibilem in materia reperit, nempe frigus, ac proinde materiae frigus sustinenti est quodammodo violentus. Contra; Tum quia id est profusus per accidens, ut monet Doct. loc. cit. naturalitas autem, & violentia per se, & simpliciter attendi debet ex eo, quod est per se materia, non ex eo, quod ei accidit, ut est esse sub hac, & illa forma, sub his, & illis dispositionibus; Tum quia sic dicere posses eodem modo, dum ex aqua generatur ignis, materiam violentè transmutari ad formam ignis, quia hæc forma sibi repugnat, ut est sub illa, quod tamen a nemine dicitur, quia forma aquæ accidit ei, inquantum est susceptiva formæ ignis; Tum quia materia non est subiectum capax unius formæ, quatenus est sub alia, sed absolute, ut ab ea præcindit, ergo si est subiectum inhaesionis, omnium accidentium capax, non debet dici violentè calorem recipere modo, quia prius erat sub frigore, quia accidit ei calor, vel frigus in ratione receptivi; Tum tandem motus dicitur violentus ob repugnantiam intrinsecam mobilis, seu subiecti ad formam, non ob extrinsecam, & accidentalem, at repugnantiam, quam habet materia aquæ ad calorem, est solum extrinseca, & accidentalis, proveniens nimirum a frigore, sub quo actualiter manet, ergo non sufficit ad hoc, ut motus dicitur ei simpliciter, & absolute violentus.

7 Tertia ratio sumitur ex Scot. quodl. 9. G. ubi docet ex Arist. Met. 1. & Bellati Tom. II. Physicæ.

in principio de sensu, & sensato, quamlibet operationem sensitivam esse primo compositi ex materia, & forma, sicut, proprii receptivi, non enim ipsa anima est immediate receptiva visionis, sed ipsum organum, quod est compositum ex anima, & determinata parte corporis, est proximum susceptivum visionis, idque docuit Arist. 1. de Anim. tex. 66. Respondent, has operationes esse totius conjuncti, ut principii operativi, non vero subiecti receptivi, ita enim sunt solius materiae. Contra, huiusmodi operationes sensitivæ sunt immanentes, ergo si sunt totius conjuncti, ut principii agentis, erunt etiam ejusdem, ut subiecti recipientis; probatur Consequentia, quia actio immanens per hoc a transeunte differt, quod recipitur in passo ab agente diverso, at illa recipitur in eodem agente, a quo producit. Respondent, ad hoc, ut dicantur immanentes, non esse necessarium, quod in eodem organo adæquate recipiantur, sed satis esse, quod in materia recipiantur, quæ est illius pars intrinseca, nam sic dicuntur manere in operante, & non in passo extra illud existens transire, qui transitus proprie facit actionem transeuntem. Contra; Tum quia, si ita foret, operationes sensitivæ non dicerentur immanentes cum omni proprietate; quia, & si non recipiuntur in passo ab operante diviso, recipiuntur tamen in passo realiter distincto, scilicet in materia, quæ singillatim sumpta realiter distinguitur a toto conjuncto. Tum quia in eodem subiecto recipitur species impressa, & expressa, at species sensibilis impressa recipitur in toto conjuncto, ut species intelligibilis immediate recipitur in intellectu, ergo & species expressa, sive sensatio; Tum tandem quia oculus ipse totus dicitur videns, non autem materia oculi, ergo visio non immediate recipitur in materia oculi, sed in oculo toto, alioquin, & materia ipsa oculi diceretur videns, nam forma necessario denominatur subiectum, in quo existit, talis, qualis ipsa est. Respondent, oculum solum denominari videntem, quia totum conjunctum est subiectum denominationis, & materia oculi est subiectum dumtaxat inhaesionis. Contra, per hoc, quod aliquid sit subiectum inhaesionis alicujus formæ, non excluditur, quin etiam esse possit subiectum denominationis, etiam alicui toti, cujus est pars, possit eandem derivare denominationem, anima v. g. est subiectum inhaesionis ipsius intellectionis, a qua etiam totus homo dicitur intelligens, sed adhuc, & ipsa anima immediate dicitur intelligens; natus est subiectum similitatis, a qua totus homo etiam denominatur simus, sed adhuc, & ipse natus dicitur immediate simus, ergo esse subiectum inhaesionis alicujus formæ, non excludit ab ea esse subiectum denominationis, quia impossibile est formam esse in aliquo subiecto, & illi effectum suum formalem non communicare.

8 Auctores tuentes oppositam sententiam in 2. sensu, ad tres rationes allatas occurrunt, dicendo, quod ideo compositum, & non materia prima, dicitur subiectum motus, ideo visio dicitur recipi in oculo, & non in materia oculi, quia materia prima non recipit formas accidentales, nisi sit prius informata forma substantiali, & hac eadem ratione calefactio dicitur materia aquæ violenta, quia non prius recipit calorem, quam receperit formam aquæ, cui opponitur calor, at hinc inferre non licet, ideo accidentia recipi in toto composito, veluti in subiecto inhaesionis, quia forma substantialis non præcedit in materia, ut subiectum recipiens, sed potius, ut conditio recipientis. Sed hæc responsio ex dictis impugnata manet. Tum quia rationes allatæ nedum probant, formas substantiales in materia præcedere accidentales, sed absolute probant, compositum esse subiectum inhaesionis. Tum quia etiam si forma substantialis præcedens in materia accidentali non esset subiectum capax accidentium, satis tamen subiectum capax, & idoneum illorum est compositum ex materia, & forma substantiali præcedente coalescens, nam licet sit ens in actu ultimo substantiali, nec sit ulterius substantialiter perfectibile, & simpliciter, est tamen adhuc perfectibile accidentaliter. Tum denique conditio præcedens in subiecto receptionem formæ, non impedit denominationem ejus circa tale subiectum, nec efficit, quod denominatio debeatur aggregato per accidens ex subiecto recipiente, & conditione recipientis, ut inductione in omnibus potest deduci, sed per rationes allatas denominationis formæ accidentalis ita debetur composito, ut quandoque soli materiae repugnet, ut patet de actibus sensitivis, & motus aquæ ad calorem dicitur simpliciter violentus, ergo signum est, compositum esse subiectum inhaesionis, & non materiam primam.

Quarta ratio specialiter urget auctores oppositam sententiam tuentes in secundo sensu, materia per eos non recipit formam accidentalem, nisi substantiali sit informata prius, sed flatim, ac forma substantialis est in materia, componitur ex eis substantiale compositum, quod est subiectum capax accidentium, ergo in ipso immediate recipiuntur, veluti in proprio, & adæquato subiecto, non autem in materia, nisi mediate, concomitanter, & inadæquate, major patet; probatur minor, totum enim, quod ex partibus coalescit, vel est capax perfectionis accidentalis, vel incapax, si primum, habetur intentum, quod accidentaliter perfectio in eo recipitur immediate, si secundum, oportet assignare rationem istius incapax perfectionis substantialis, eo quia est subsistens, & in actu ultimato, adhuc tamen est ulterius perfectibile accidentaliter.

9 Quinta demum ratio urget specialiter Avetroistas passim negantes.

gantes in Cælo materiam in Arist. sententia, quia asserendo postea, materiam primam esse propriam, & adequatum subjectum accidentium materialium, non videntur consequenter loqui, nam in Cælo cernitur quantitas, lux, densitas, motus, & alia accidentia corporea, ubi tamen nulla reperitur materia in sententia istorum; & voluntarium esset dicere, accidentia illa posse subsistere in corpore, non ita hæc sublunaria, cum illa ejusdem prorsus sint rationis cum istis, ut dicimus in lib. de Cælo.

In oppositum objicitur 1. Si accidentia subsistantur in toto composito, ad quamcumque mutationem substantialem per destructionem subjecti omnia accidentia mutarentur, & fieret resolutio usque ad materiam primam, quia nequeunt accidentia migrare de subjecto in subjectum, sed hoc est contra Arist. qui 1. de Gen. 24. & 27. ait, multoties remanere eadem accidentia in genito, quæ erant in corrupto, ut quando ex aere fit aqua, permanet eadem diaphaneitas; & 2. de Gen. 25. ait, in elementis symbolis esse faciliorem generationem, quam in dissymbolis, quia cum elementum symbolum generatur ex symbolo, ut aer ex aqua, non est necessarium, quod omnes qualitates corrumpantur, sed illa tantum, quæ dissimilis est, ubi quando generatio fit ex dissymbolo, omnes corrumpi necesse est. Est etiam contra rationem, quia si in instanti generationis remanet materia nuda, ergo remanet indifferens ad omnem formam, quare non erit major ratio, cur hæc forma potius, quam illa inducatur in eo instanti, & falsum erit commune proloquium ex Arist. sumptum, quod *actus ætheriorum non recipiuntur nisi in bene disposita*. Et denique contra experientiam ipsam, quia videmus, in homine mortuo remanere eandem quantitatem, figuram, colorem, cicatricem, &c.

10 Resp. concessa majori in compositis inanimatis, negando minorem. Ad primam probationem dicimus, Arist. in primo loco non se explicare, de qua identitate loquatur, an scilicet cum generatur symbolum ex symbolo, maneat eadem symboli qualitas specie, vel numero, & ideo dicimus, manere non eandem numero, sed specie; in altero loco, cum ait, faciliorem esse generationem symboli ex symbolo, quam ex dissymbolo, quia in ea non omnes qualitates intereunt, id intelligendum est de corruptione per se, quæ fit a contrario, non de corruptione per accidens, quæ fit ad corruptionem subjecti, hoc enim modo potius intereunt qualitates in una, sicut in alia generatione, quia igitur facilitas, vel difficultas generationis attenditur ex qualitatibus per se corrumpendis, utpote ratione quarum inter se elementa pugnant, & non ex corrumpendis per accidens, quarum ratione non pugnant, sed conveniunt, ideo facilius dicimus, aquam ex aere generari, quam ex igne, quia in priori generatione una solum qualitas corrumpitur per se, id est a suo contrario, nempe calor aeris a frigore aquæ, nam in humiditate conveniunt, in posteriori vero utraque qualitas ignis per se corrumpitur, quia in nulla qualitate conveniunt, & aqua; & absolute tamen loquendo, sive uno, sive altero modo, tot corrumpuntur qualitates in una generatione, sicut in altera, ita significat Trombeta 8. Met. q. 2. art. ult. ad p. vide disp. 5. de Gen. & Cor. q. 3. art. 2. n. 93.

Ad 2. probationem ejusdem minoris ex professo dicimus disp. 5. q. 8. art. 1. pro nunc dicimus, materiam sufficienter disponi pro receptione formæ, cum per prævias dispositiones expelluntur opposita accidentia, unde dispositiones per accidens concurrunt ad generationem novæ formæ, removendo nimirum impedimenta, quia si generans reperiret materiam nudam, æque bene generaret sine dispositionibus præviis, & diceretur inducere formam in passio bene disposito, ita colligitur ex Scot. 2. dist. 3. q. 4. & tenet P. Cavellus cit. n. 4. determinatur vero materia ad hanc potius, quam illam formam recipiendam ex concursu determinati agentis, cujus actioni subest, ut colligitur etiam ex Scot. 2. dist. 12. q. 2. F. ubi postquam docuit, quod nullæ formæ circa materiam primam sunt simpliciter immediate; causam deinde inquirens, quare materia de se capax cujuscumque formæ, potius hanc, quam aliam formam recipiat, ipsam assignat ex parte agentis naturalis. Ad 3. probationem laborant negantes pluralitatem formarum in composito; nos eam admittentes, concedimus, eadem numero accidentia remanere, quæ formam mixti sequebantur, qualia sunt recensita in argumento, ex quo tamen sequitur subjectum horum accidentium esse materiam primam, sed totum ex materia, & forma mixtionis constitutum.

11 Secundo. Nisi accidentia in materia prima proxime inhaerent, sed in composito, sequitur, idem sui ipsius destructionem querere, & moliri, quod est contra naturam institutum, probatur consequentia exemplo caloris in aqua; Tum quia si calor est in composito aquæ, ergo aqua in se recipit, sustinet, & conservat id, quod tendit ad suam destructionem, atque ita proprie neci consentire videtur; Tum quia calor non est id proprie, quod agit, sed aqua, cui inhaeret, & calor est ejus instrumentum, ergo si calor est in aqua, ut in proprio subjecto, sequitur, aquam sui ipsius interitum procurare medio calore, ut instrumento; Tum tandem quia calor ipse sui ipsius destructionem procuraret, dum interitum sui subjecti, scilicet aquæ procurat, eo modo, quo si quis parietem demolitur, cui innititur, sibi quoque interitum parat.

Resp. negando consequentiam; ad primam probationem concedimus, aquam, dum calefit, recipere, & sustinere id, quod tendit ad suum interitum, hac enim de causa dicitur calor esse violenter in aqua, & hoc non solum non est absurdum,

sed est prorsus necessarium, ne cogamur dicere, formam quamcumque in quocumque subjecto naturaliter quiescere, vel neutraliter; negatur tamen, aquam, sicut recipit, & sustinet, ita conservare calorem; etenim experientia docet, non tam cito calorem in aqua excitari, quod statim aqua renititur, & calorem a se depellere conatur. Ad 2. negamus, calorem in aqua esse instrumentum illius, & aquam illo calore agere in se ipsam, nam ignis est ille, qui agit in aquam, & utitur calore, veluti instrumento ad aquæ destructionem. Ad 3. negatur assumptum, vel enim calor consideratur in ordine ad alterationem, in qua est agens principale, vel in ordine ad corruptionem aquæ, in aqua est solum instrumentum ipsius ignis, veluti agentis principalis, & neutro modo sui procurat interitum, nam primo modo potius se conservare intendit, se diffundendo per varias aquæ partes, & per hanc actionem non potest corruptionem sui subjecti, scilicet aquæ attingere, quia accidens nequit corrumpere substantiam, ut fufe docet Doctor 4. d. 12. q. 3. neque secundo modo est causa corruptionis aquæ, nam licet in actione corruptiva concurrat, veluti instrumentum, actio tamen etiam ipsius instrumenti proprie attribuitur agenti principali, quod in proposito est ignis, & ideo ignis proprie, & non calor aquæ inhaerens, dicitur causa corruptionis aquæ.

12 Tertio arguit Zab. Illud est subjectum inhaerentia omnium accidentium, de cujus potentia educantur; cum educi aliud non sit, quam fieri dependenter a subjecto, ad accidentia omnia, quæ generantur, de solius potestate materia educuntur, ergo illi soli inhaerent, probatur minor, ignis calefacit aquam, ac proinde calorem educit de potestate ad actum, vel igitur educit ipsum de potentia aquæ; ut aqua est, vel de potentia materia; quæ est in aqua, non primum, quia aqua, ut aqua est, non solum non habet potentiam ad calorem, sed potius repugnantiam, ergo secundum.

Resp. concessa majori, negando minorem, ad prob. dicimus, quod per potentiam aquæ ad calorem, intelligendo meram ejus capacitatem, concedendum est, calorem educi de potentia aquæ, ut aqua est, & falsum est, aquam non habere potentiam in hoc sensu ad calorem, & talis potentia sufficit in subjecto ad educationem formæ, ut patet ex dictis disp. præc. q. 7. art. 2.

Sed urges. Calorem educi posse de potentia aquæ, est aquam posse materialiter causare calorem, sed aqua, ut aqua, non potest causare calorem, ergo calor de potentia aquæ educi non potest, ut aqua est, probatur minor, quia causa qualibet continet virtualiter effectum, ut illum in genere suo causare possit, sed aqua, ut aqua, calorem virtualiter continere non potest, cum potius oppositum contineat, nempe frigus, ergo &c.

Resp. concedendo minorem de causalitate in genere causæ efficientis, negando in genere causæ materialis, & in hoc genere causæ aqua, ut aqua, continet calorem, quia tamen ad frigus, nedum habet potentiam pro mera capacitate, sed etiam inclinationem, nedum illud continet in genere causæ materialis, sed etiam in genere causæ efficientis, unde remoto calefaciente, videmus, aquam redire ad pristinam frigiditatem. Verum tamen est, formam non dici virtualiter contineri in subjecto, ut effectum in causa, sed tantum potentialiter, quia continentia virtualis proprie spectat ad causam efficientem.

13 Quarto, si accidens in composito residet, tamquam in subjecto, vel idem accidens est in materia, & forma secundum eandem sui partem, vel secundum diversas; si primum, ergo idem accidens secundum eandem partem est in duobus subjectis re diversis; si posterius, jam illa pars accidentis, quæ est in materia, non sustentatur a forma, sed a sola materia, quæ proinde sufficiens erit ad sustentandum se sola accidens.

Resp. cum dicimus, totum compositum esse subjectum accidentium, non accipimus totum syncategorematicè, id est pro qualibet ejus parte, quasi qualibet pars totius accidentium partem in se recipiat, vel utraque eandem, sed accipimus categorematicè pro tertia entitate ex materia, & forma conflata, dicimusque, quod cum accidens unum primum exposulet subjectum, cui primo inhaeret, & adæquate, ita in multis inhaerere primo, & adæquate repugnet, hoc subjectum, cui primo inhaeret, est totum ex materia, & forma constitutum, & ab eis realiter distinctum; argumentum igitur visget, non distinguentes realiter totum a partibus, & etiam nos urgeret, si cum dicimus, totum esse subjectum accidentium, loqueremur de toto syncategorematicè sumpto.

14 Quinto, ut aliquid sustineat aliud, veluti ejus subjectum, sufficit, ut habeat entitatem realem extra causam cum actuali existentia, & subsistentia, sed hæc omnia habet ex se materia, & non a forma, vel composito, ut in superioribus habitum est, ergo sufficiens de se est ad sustinenda accidentia; Quod adhuc ex formis substantialibus confirmari potest, quas materia sustentat, tanquam proprium subjectum earum, & hoc ratione propriæ existentie, & subsistentie, ergo hæc eadem sufficiens erit fulcimentum omnium accidentium.

Resp. majorem deficere, ut enim unum recipiat aliud, veluti ejus subjectum, & sustentet, præter existentiam, & subsistentiam ejus, ulterius exigitur, quod tale existens, & subsistens sit idoneum receptivum illius, quale non est materia respectu accidentium, ut probatur est, alioquin dicere possemus, animam esse subjectum caliditatis, vel albedinis, quia est existens, & subsistens. Ad Confirm. negant aliqui paritatem ea ratione, quia universaliter forma quo plus habet inhaerentia, eo est minoris consistentia, & ideo

& ideo plus requirit subsistentia in subjecto ad sui fulcimentum, quare cum accidentia minore habeant consistentiam formis substantialibus, non sequitur, quod si existentia, & subsistentia materiae sufficiens est fulcimentum ipsarum, etiam, & accidentium esse debeat, & possit, & Raguseus loc. cit. putavit, hoc argumentum validissimum esse pro nostra sententia, cum enim accidentia validè dependant a subjecto, quam formæ substantiales, consequenter exposcunt subjectum majoris existentie, & subsistentie quam formæ substantiales, & hoc erit compositum ipsum. Verum hæc ratio nullius est momenti, cum in materia subsistentur multa accidentia incompleta, multique respectus, qui sunt magis dependentes a subjecto, quam cætera accidentia perfecta, & absoluta, de quibus hic loquimur. Dicendum igitur est etiam ad Confirm. materiam esse idoneum subjectum formarum substantialium, non accidentalium, non quidem ob defectum existentie, & subsistentie, sed ob rationes allatas in decisione quaest. 1.

15 Sexto tandem objicitur; Tum quia in mortalibus quidquid est prius origine, est ignobilius, cum natura tendat ab imperfecto ad perfectum, ergo forma accidentalis in materia præcedit substantialem. Tum quia si caliditas toti aquæ inhaeret, tunc idem esset agens, & patiens, nam eadem aqua in se reciperet calorem, & a se repelleret, ad pristinam frigiditatem redeundo. Tum denique, si canis ex turri decidat, & in itineris medio moriatur, motus ille usque ad terram unus est, & continuus, atque ideo unum, & idem subjectum habet, a quo numerici sumit unitatem, sed hoc esse nequit totum compositum, quia canis vivus est unum compositum, ejusdem cadaver est aliud, ergo subjectum istius motus, a quo dicitur unus, & idem, a summitate turris ad terram usque, erit materia prima.

Resp. ad 1. assumptum esse verum de formis ejusdem generis, ut Scotus docet quodlibet. 13. sub R, in illo extra, unde videmus in animatis, semina mixta, quæ est ignobilior, animam præcedere, at falsum est in formis diversi generis, quales sunt in proposito forma accidentalis, & substantialis, quin potius res opposito modo se habet, nam substantia secundum totam suam coordinationem præcedit accidens, ut Scotus docet in 2. dist. 3. q. 4. ex Arist. 7. Met. tex. 4. Ad 2. non est inconveniens, idem esse agens, & patiens, sed non secundum eandem rationem, neque eodem modo inspectum, & ita est in proposito, nam aqua partitur recipiendo caliditatem ratione materia; agit vero, dum conatur eam a se repellere ratione propriæ formæ, & qualitatis ipsam consequentis. Ad 3. Thomista laborant in solutione, quia negant pluralitatem formarum in composito animato; sed nos facili negotio respondemus, motum illum esse unum, & eundem numero propter mobilis unitatem, quod quidem non est materia prima, sed corpus pro altera parte compositi ex materia, & forma mixtionis constitutum, cum enim corpus mixtum moveatur motu elementi predominantis ut 1. de Cælo Arist. docet, motus eorundem convenit animalium ratione corporis pro altera parte compositi, quod idem numero manet, & ante, & post obitum animalis, motus vero progressivus convenit ei, ut animal est; alia ad hoc quaestum spectantia vide disp. 5. de Gen. & Cor. q. 3. art. 2.

Q U Æ S T I O II.

An potentia substantia corporea ad formas accidentales sit de ejus essentia, vel passio, an potius accidens ei realiter superadditum.

16 **M**Ovetur quaestum præfens, eo quia non videtur penitus decidi posse juxta decisionem ejusdem quaestum de potentia materia ad formas, nam materia respicit formas substantiales, ut per se actus, & in universum respicit omnes, tam substantiales, quam accidentales naturaliter, quia universaliter ad omnes inclinatur, quod de potentia passiva substantia corporea in ordine ad formas accidentales dici nequaquam potest, quia nec eas respicit, ut per se actus, cum quibus faciat unum per se, nec ad omnes est in potentia naturali, imo quamplurimum respicit violentem, ut patet de aqua respectu caloris, unde etiam iuxta decisionem quaestum de potentia materia, nunc diceremus, potentiam substantia corporea ad formas accidentales sibi convenientes esse illius connaturalem proprietatem, tamen id omnino non videtur asseri posse de potentia ejus in ordine ad formas sibi disconvenientes.

Tres sunt sententia in hac quaest. duæ extremæ, & una media. Prima opinio extrema est Thomistarum asserentium, nullum accidens accipi in substantia, nisi media potentia accidentali realiter distincta a substantia recipiente, ac proinde voluit, esse accidens realiter superadditum, ita Sone. 12. Met. q. 20. Javellus eodem lib. qu. 8. Cajet. 1. p. qu. 77. art. 1. Suseffans 1. Phys. cap. 9. Matus ibid. q. 7. nuper Aversa 1. sect. 6. concl. 2. ubi declarat, hanc potentiam esse de secunda specie qualitatibus.

Secunda sententia extrema, huic opposita, est Nominalium asserentium, substantiam immediate secundum suam absolutam entitatem esse accidentium receptivum, nihilque omnino mediare inter substantiam recipientem, & accidentia recepta ab ipsa substantia, aut realiter, aut saltem ex natura rei formaliter diversum, quam sententiam sequitur Suar. in Met. disp. 14. sect. 2. & fiver Ruvius 1. de Gen. cap. 4. tract. 13. quaest. 10. & Moris. in Phys. disp. 1. qu. 3. & alii.

Mastrii, & Belluti Tom. II. Physicæ.

Tertia demum sententia media est Scotistarum, qui contra Nominales negant, substantiam immediate penitus per se ipsam recipere accidentia, & constituit potentiam mediam, non tamen a substantia realiter distinctam, ut sa. 2. Thomista, sed tantum ex natura rei formaliter, quæ se respectu colligitur ex Doctore pluribus in locis, sed præferim in 2. d. 16. q. un.

17 Dicendum est substantiam corpoream media potentia recipere accidentia, quæ non est accidens ei realiter superadditum, sed naturalis aptitudo ad ea recipienda, si sunt ejus naturæ consentanea, vel potentia neutra, aut violenta, si talia non sunt, ex natura rei formaliter ab ipsa substantia recipiente distincta, ut ejus naturalis proprietates. Conclusio est Scoti cit. & quod non sit hujusmodi potentia accidens realiter distinctum a substantia, probat Doctor sub lit. A. Tum quia si necessaria foret talis potentia realiter distincta, daretur processus in infinitum, deberet enim adhuc ad hanc potentiam recipiendam alia constitui potentia, & sic in infinitum; Tum quia comparando substantiam ad totam collectionem accidentium, non potest illi uniri media aliqua re, realiter ab ipsa distincta, nam hæc vel esset substantia, vel accidens; si primum haberet intentum, quia saltem illa substantia media immediate uniretur accidenti; secundum vero dici non potest, quia loquimur de substantia in ordine ad totam collectionem accidentium.

Resp. Aversa loc. cit. concedendo, quod comparando substantiam ad totam collectionem accidentium, oportet, ut aliquod illorum immediate suscipiat, & ait, hoc accidens ita substantia immediate esse hujusmodi potentiam accidentium receptivam, neque idcirco cætera accidentia eodem modo ad substantiam se habitura dicendum est, aut concedi debere aliam potentiam ad istam potentiam, etsi realiter distinctam, quia ipsa secundum se proxime est proportionata, ut inquit substantia, & substantia, ut ipsam recipiat. Sed hæc responsio non solvit. Tum quia si hoc accidens recipi potest immediate in substantia, & ita proportionatum proxime, ut inquit substantia, quod non indiget alia media potentia realiter distincta, idem quoque dici poterit, & debet de aliis accidentibus, vel saltem de quantitate, quæ proximior est substantia, quam potentia ista, quæ est de genere qualitatis; Tum quia reddi nequit ratio tantæ proportionis, & affinitatis hujus accidentis cum substantia, & cur hac proportione careant cætera accidentia; Tum tandem, quia quando etiam admittimus hujusmodi potentiam, quantitas valde aprior est, & magis idonea ad alia accidentia immediate, & proxime recipienda, quam hujusmodi potentia, ut constabit ex dicendis quæ seq.

18 Resp. Aversa, rationem discriminis inter hanc potentiam, & cætera accidentia esse, quia hæc potentia est accidens quoddam per se primo a natura institutum ad recipiendum, non ad inhaerendum, & ideo potest, ac debet inhaerere immediate, & est ita ex suo munere medium, quo cætera inhaerent, ut non possit esse extremum, quod inhaerere alio modo; quæ Responsio est Cajetani loc. cit. ubi rationem discriminis inter hanc potentiam, & reliqua accidentia ex eo explicat, quia talis potentia est ratio congenita, & est essentialiter potentia, ad hoc principaliter ordinata, ut actum recipiat; quod vero sit actus substantia, solum habet ex communi ratione accidentis, & ideo non requirit aliam potentiam, qua mediante inhaeret substantia; alia vero accidentia primo, & per se sunt actus, & ideo proprias requirunt potentias, quibus mediantibus substantia inhaerant.

Sed hæc Resp. non satisfacit; Tum quia in ea committitur manifesta petitio principii, hoc enim est, quod in proposito queritur, an detur accidens quoddam a substantia realiter diversum, per se primo a natura institutum ad recipiendum, non ad inhaerendum, ita ut ipsum immediate inhaeret substantia, cætera vero mediante ipso, & ita sit quo, ut non possit esse quod; Tum quia ex hac ipsa doctrina colligitur, accidens ut sic non per se requirere potentiam mediatam realiter distinctam, sed substantiam per se ipsam esse sufficiens receptivum accidentis, ut sic, nam recipit illam potentiam, quæ est essentialiter accidens absque ullo prorsus medio. Tum etiam falsum est, quod hujusmodi potentia sit actus substantia solum secundum communem rationem accidentis, & secundum talem rationem generalem dumtaxat inhaerere, quia forma est actus subjecti, secundum omnem suam realitatem, excepta illa, per quam convenit cum subjecto, & forma accidentalis secundum omnem suam rationem etiam specificam, & individuum petit inhaerere subjecto, & ideo indiget potentia alia media, sicut cætera accidentia, qua inhaerere substantia; Tum tandem si relatio predicamentalis a fundamento realiter distinguitur, cum talis potentia realiter inhaerere substantia, saltem secundum communem rationem accidentis, utique talis inhaerentia erit ab ea realiter distincta, vel igitur hæc ipsa inhaerentia potentia ab ea realiter distincta, immediate recipitur in substantia, vel mediate; non secundum, quia nulla prorsus præsupponit potentia; si primum, ergo aliud quoque accidens, præter hujusmodi potentiam, immediate recipitur in substantia, quare idem admitti poterit de quibuscumque aliis. Nec dici potest, modum inhaerentia recipi in ipsa potentia, quia immediate inest subjecto, ut ait Aversa qu. 21. sect. 3.

Quod vero ista potentia poni debeat saltem ex natura rei formaliter distincta a substantia recipiente, probatur ex dictis de poten-

ria materię disp. præc. quia five hujusmodi potentia susceptiva accidentium sumatur pro naturali aptitudine ad accidentia naturæ rei consentanea, five pro mera dumtaxat capacitate, semper in sua formalitate dicit relationem transcendentalem ad id, cuius est capacitas, ac proinde ex natura rei formaliter distinguitur à substantia, quæ secundum se est essentialiter entitas absoluta; Denique probari potest Conclusio quo ad hanc utramque partem ex dictis loc. cit. de potentia materię.

19 Quoad tertiam partem etiam faciliter probatur, nam si potentia substantiæ consideretur in ordine ad accidentia sibi connaturalia, erit utique potentia naturalis, sed potentia naturalis passiva coincidit cum inclinatione, & aptitudine rei ad propriam perfectionem recipiendam, ergo &c. & plane quis negabit, aquam calidam appetere naturaliter suam proximam frigiditatem, & in eam semper manere naturaliter propensam, etiam si nunquam eam denuo resumeretur? imo & Arist. ipse talem appetitum in nobis posuit ad scientias acquirendas 1. Met. ab initio, quando dixit, quod omnis homo natura scire desiderat.

Si vero consideretur substantia in ordine ad accidentia, vel ei contraria vel neutra, tunc ejus potentia, seu capacitas, naturalis dici non debet; nec potest, sed erit potentia violenta, vel neutra, & hujusmodi potentia adhuc dici poterit naturalis proprietas hujus, vel illius substantiæ corporeæ, non minus, quam ipsamet potentia naturalis, & ratio hujus est, quia sicut potentia naturalis aquæ ad frigus recipiendum dicitur connaturalis ejus proprietas, quia ratione propriæ formæ substantia aquæ petit, & exigit talem qualitatem sui conservativam, ita quia ratione ejusdem formæ habet repugnantiam ad calorem, ut sui destructivum, ideo potentia violenta ad illum poterit dici connaturalis proprietas ejus, & idem dicatur de potentia neutra ad accidentia sibi indifferentia.

20 In oppositum objicitur 1. ad probandum, hanc potentiam esse realiter distinctam; Tum auctoritate Arist. 12. Met. 25. dicentis, eadem esse principia omnium generum, atque ideo sicut in genere substantiæ est forma propria, & propria privatio, & potentia ejusdem generis, idest substantialis ad illas, sic erit quoque in aliis generibus; & 9. Met. text. 7. inquit, actum, & potentiam esse ejusdem generis, & 2. de Anim. ait, potentiam specificari per actum, unde si actus est accidentalis, potentia quoque ad illum accidentalis erit; Tum etiam ratione, quia si ad agendum requiritur potentia activa distincta ab agente realiter, etiam ad patiendum distincta potentia necessaria erit. Hinc videmus in cera molliorem, quæ est potentia ad recipiendam impressionem sigilli, & in columna duritiem, quæ est potentia ad sustentandam domum, quæ ponuntur in secunda specie qualitatis; Et denique actus semper est nobilior potentia ipsum respiciente, ergo si actus est accidens, multo magis potentia.

Resp. ad 1. Arist. auctoritatem non esse in eo sensu intelligendam, sed secundum proportionem, & analogiam, ut ex ipso contextu colligitur, non enim dicit ibi Philosophus, illa omnia principia in eodem prædicamento collocari, imo ponens exempla, ait, in coloribus, album esse principium, ut formam, nigrum, ut privationem, superficiem, ut materiam; in illuminatione, lumen esse formam, tenebras privationem, aerem subjectum; & in sanatione, sanitatem esse formam, morbum privationem, corpus subjectum; non est igitur necessarium tria hæc principia esse ejusdem generis, & prædicamenti secundum entitatem, sed solum hoc habet veritatem in substantia, quia ipsa est primum genus, ut docet Scotus 2. dist. 12. qu. 1. infra C. in cæteris vero prædicamentis dicitur potentia ad formam esse ejusdem generis secundum aliquam tantum denominationem; ut nimirum superficies ad genus qualitatis pertinet, quatenus est illius susceptiva, non quia actu fit in illo. Ad 2. ait Doctor sup. cit. Philosophum ibi loqui de potentia objectiva, & actu entitativo, non vero de subjectiva, & actu formali, nam nec substantia est quantitas, licet sit ejus susceptiva, nec quantitas est qualitas, est illius receptiva. Ad 3. ait Doctor quodl. 13. & alibi sæpe, dictum Philosophi intelligi extrinsece, non intrinsece, sicut in universum omnes relationes per suos terminos extrinsece distinguuntur, nec tamen sequitur, relationem poni in eo prædicamento semper, in quo est ejus terminus.

21 Ad rationem, Scotus loc. cit. sub A, nedum negat in substantia potentiam passivam realiter distinctam accidentium recipivam, verum etiam potentiam activam ex verbis expressis Arist. 7. Met. 32. & quando etiam admitteretur potentia activa realiter distincta, non sequitur, pariter admitti debere passivam, quia a toto genere plus requiritur ad agendum, quam ad patiendum. Ad illud de mollietate ceræ, & duritie columnæ, inquit Doctor sub litt. P, quod potentia naturalis activa, vel passiva non ponuntur in secunda specie qualitatis, sed facultas indita a natura ad utendum illis, agendo, vel patiundo, & in hoc sensu mollietatis ceræ, & durities columnæ sunt de secunda specie qualitatis, quatenus illa est facultas ceræ innata ad recipiendum sigilli exemplar, &c. Denique cum dicitur, actum esse nobiliorem potentia, verum est de potentia respiciente actum essentialem, & primarium, non autem actum accidentalem, & secundarium, nisi secundum quid, nempe si unum consideretur, quatenus actus, & perfectio, aliud quatenus potentia, & perfectibile, quo sensu accidens potest esse nobilior substantia.

22 Secundo objicitur. Tum quia secundum communem po-

nitur quantitas accidens intermedium à substantia realiter distinctum, quo cætera accidentia corporea recipiuntur in substantia, ergo a pari poterit admitti ejusmodi potentia de genere qualitatis ad idem munus obeundum. Tum quia rationale est, ut accidentia mutabilia, & variabilia debeant recipi in substantia mediante aliquo accidente, quod sit immutabile, & invariabile, & ejusmodi accidens invariabile rationabilius aliud esse non potest, quam potentia ista substantiæ congenita. Tum tandem quia potentia, qua formaliter substantia denominatur potens recipere accidentia, vel est potentia substantialis, vel accidentalis, non substantialis, quia hæc respicit actum substantialem, ergo erit accidentalis.

Resp. ad 1. poni utique communiter quantitatem accidens intermedium inter substantiam, & cætera accidentia corporea, non tamen eo modo, quo ponitur ab Adversariis hæc potentia accidentium susceptiva, quantitas enim non ponitur per se primo potentia receptiva, sed naturaliter instituta est per se primo ad extendendas partes substantiæ materialis impetrabiliter, & ad constituendam hanc corpoream molem, merito cujus apta sit occupare locum, inde vero consequenter habet, ut sit medium ad recipiendum cætera accidentia, & ideo non sequitur, quod eadem facilitate admitti possit ejusmodi potentia ab Adversariis excogitata, qua ponitur quantitas. Ad 2. ait Doctor sub B, argumentum nil penitus concludere, nam cum substantia sit ita invariabilis, sicut ista potentia, ipsa poterit immediate recipere actus variabiles. Ad 3. dicimus, quod potentia, qua substantia denominatur potens formaliter recipere accidentia, est substantialis realiter, & entitativa, quia non est aliquid realiter a substantia diversum, extrinsece tamen, & terminative denominatur accidentalis, eo quia per eam substantia ordinatur ad formam accidentialem: quomodo autem possit substantia per potentiam substantialem in hoc sensu ordinari ad actum accidentalem, constabit ex solutione sequentis.

23 Tertio objicitur. Tum quia potentia substantialis exigit actum substantialem, ergo potentia substantiæ ad accidentia non est substantialis. Tum quia si hæc potentia convenit substantiæ per se in secundo modo, ergo ex substantia, & accidente fit unum per se, nam ex se actu, & per se potentia fit per se unum ex Arist. 8. Met. 15. & 16. Tum tandem quia, ut docet D. Thom. 1. p. q. 67. art. 1. ad 2. ideo potentia materię ponitur communiter indistincta realiter ab ipsa, potentia vero compositi ad formas accidentales realiter distincta, quia potentia materię instituta est a natura ad faciendum per se unum cum formis substantialibus, non ita potentia compositi cum accidentalibus.

Resp. ad 1. potentiam substantialem posse sumi dupliciter, vel pro ordine alicujus substantiæ ad formam, a qua petit perfici secundum quid, vel pro ordine substantiæ incompletæ ad formam, a qua petit essentialiter compleri, & substantialiter perfici, verum est assumptum de potentia substantiali secundo modo, non autem primo, alioquin inclinatio rei in propriam perfectionem accidentalem poni deberet accidens realiter distinctum a substantia. Ad 2. quando inquit Philosophus, ex materia, & forma fieri unum per se, quia hoc est per se actus, illud per se potentia, intelligit, illa duo esse debere res ejusdem generis, & prædicamenti, ut explicat Scot. 3. d. 22. quæst. unic. F. & illam formam vocat per se actum, quæ nata est dare esse per se simpliciter, & primarium, & illam vocat actum per accidens, quæ nata est dare esse secundum quid, & secundarium, & illud subjectum vocat per se potentiam, vel potentiam per accidens, quod natum est hoc, vel illud esse a forma recipere, in quo sensu patet, substantiam non habere per se potentiam ad accidens, quantumcumque hæc potentia sit ei realiter identificata; potest etiam dici, quod cum Philosophus inquit, ex materia, & forma fieri unum per se, quia hoc est per se potentia, illud per se actus; ly per se potentia, non accipitur pro aliquo ordine ad formam, nec ly per se actus, pro aliquo ordine ad materiam, sed pro gradu determinato entis, materia enim prima, & forma substantialis sunt entitates in tali gradu, quod possunt unum per se constituere, non ita materia secunda, seu compositum, & forma accidentalis. Ad 3. patet ex modo dictis, ex materia, & forma fieri unum per se, non ita ex composito, & accidente, non quia potentia materię ad formam sit realiter indistincta ab ipsa, potentia vero compositi ad formas accidentales sit realiter distincta, sed quia potentia materię ad formam substantialem est per se, potentia vero compositi ad accidentalem est per accidens potentia, modo jam explicato, etiam si in secundo modo dicendi per se illi conveniat.

24 Quarto objicitur; ad probandum, quod potentia substantiæ nullo prorsus modo sit ex natura rei distincta ab illa; Tum quia præcisio a substantia corporea omni eo, quod est extra ejus essentiam, adhuc in tali statu est accidentium capax; Tum quia si mediaret potentia aliquo modo distincta, ad hanc potentiam alia foret ponenda potentia.

Resp. quod in tali statu foret capax fundamentaliter, non formaliter, nec ad potentiam istam formaliter a substantia distinctam est necessaria alia potentia, quia potentia non datur, nisi ad recipiendum aliquod realiter distinctum, cætera vero ad hanc partem conclusionis spectantia videantur disp. præc. qu. 5. art. 5. Argumenta vero, quæ contra hanc partem congerit Ruvius, concludunt contra opinionem realiter distinguentem hanc potentiam a substantia, non contra distinguentem formaliter tantum. Quin-

Quinto tandem objicitur contra tertiam Concl. partem ratio dubitandi initio quæst. allata, quamvis enim potentia substantiæ ad recipiendam accidentia sibi connaturalia possit poni proprietas ejus, id tamen non videtur affertur posse de potentia ejusdem in ordine ad accidentia ei disconveniente, vel saltem indifferentia; nam tunc natura non solum esset principium motus naturalis, sed etiam violenti, & neutrius, probatur consequentia, quia natura est principium omnium passionum rebus convenientium, ergo si capacitas omnium accidentium in substantia, etiam disconvenientium, vel neutrorum, est passio consequens ipsam substantiam, natura erit principium omnium passionum talis cujuscumque capacitatis, ergo erit etiam principium motuum, quibus talis capacitas exercetur, & actuatur, nam ita est in omnibus, quod si natura est principium passionis, est quoque principium motus, quo talis passio exercetur.

25 Resp. capacitatem accidentium materialium esse passionem consequentem corpora ea ratione, qua corpora sunt, ex ratione autem specifica eorum oritur, ut quorundam accidentium capacia sint cum inclinatione, quorundam vero cum repugnancia, aut indifferentia: itaque hujusmodi potentia, scilicet naturalis, violenta, & neutra indita sunt rebus a natura, cum hoc tamen discrimine, quod naturalis indita est per se, & primo, violenta vero, vel neutra secundario, concomitanter, & per accidens, nam natura directe querit, & per se conservationem rei, ideo per se, & directe dat ei potentiam ad recipiendas qualitates conservativas ejus, & quia concomitanter etiam, & secundario querit expulsionem eorum, qua conservationi rei obesse possunt, ita concomitanter, & secundario dat repugnantiam rei, & renitentiam ad recipiendas hujusmodi qualitates obnoxias, vel indifferentiam ad recipiendas indifferentes, & in hoc sensu etiam dici potest principium actuum, vel motuum, quibus exercetur hujusmodi potentia: ut nimirum sit principium motus naturalis per se, & primo, motus vero violenti secundario, & concomitanter; nam illa eadem natura, quæ facit aquam inclinam ad frigus recipiendum, facit eandem repugnantem, & renitentem ad recipiendum calorem, nam licet aqua, ut corpus, sit capax caloris, tamen ut tale corpus, est capax cum repugnancia, unde capacitas oritur ex ratione generica corporis, repugnancia vero, & inclinatio, vel indifferentia ex ratione specifica. Sed quia natura 2. Phyl. definitur esse principium motus primo, & per se, ideo proprie loquendo, dicitur tantum principium motus naturalis, quia est principium ejus primo, & per se, non autem motus violenti, vel neutrius, quia est principium eorum concomitanter tantum, & per accidens.

Sed dices, Motus violentus est contra naturam rei, ut motus sursum lapidis, ergo nullo modo dici potest a natura oriri. Resp. in motu violento considerari debere principium ejus activum, & passivum, & licet in remota assignari nequeat principium activum, quia nulla res habet in se principium activum motus sibi violenti, postquam tamen assignare passivum, quia motus est in mobili, & forma, quæ acquiritur per motum non quidem passivum cum inclinatione, sed cum repugnancia, & renitentia, quæ a natura rei oritur, sic ut inclinatio ad accidentia connaturalia; dicitur ergo motus violentus esse contra naturam rei, quia est contra ejus inclinationem, & quia natura talis denominatur per ordinem ad motum, cujus est principium per se, & primo, qualis est tantum motus naturalis.

QUESTIO III.

An corpori omnia accidentia proxime inhereant, vel quadam non nisi mediis aliis.

26 **H**IC non quaritur, an substantia corporea ita sit subjectum immediatum accidentium, ut omnia sibi inhereant nullo prorsus inter se ordine servato; perspicuum est enim, quod licet accidentia omnia ordinentur ad substantiam, hoc tamen non fit sine aliqua subordinatione accidentium inter se, ita quod unum respiciat substantiam mediante alio, quemadmodum qui ponunt materiam primam subjectum immediatum omnium formarum, tam substantialium, quam accidentalium, adhuc tamen dicunt, talem inter eas servari ordinem, quod prius substantialia, accidentales deinceps in ea recipiantur. Conflitio igitur, quod accidentia insunt substantiæ corporeæ ordine quodam, & uno mediante alio, ut verbi gratia qualitas mediante quantitate, similitudo mediante qualitate, & sic de aliis, in dubium vertitur, an accidens medians inter substantiam, & aliud accidens ita recipiat posterius accidens, ut dici possit illi proprie inherere, veluti subjecto, an potius mediet tantum ut dispositio ad recipiendum, & mera conditio subjecti recipientis (quæ ab aliquibus subjectum Quo appellari consuevit) nullatenus autem, ut subjectum recipiens, & Quod eo modo, quo Adversarij dicunt, formam substantialem recipi in materia, media quantitate, & qualitate disponente. Sicut autem quæsitum celebre de subjecto accidentium nuper excitavimus, ut inde subjectum primum, & adæquatam motus pateret, qui est prima passio physica, vel saltem actus illius, ita in præsentia hoc aliud excitamus dubium, an substantia corporea sit immediatum subjectum totius collectionis accidentium corporalium, an potius Maffrii, & Bellari Tom. II. Physicæ.

unum accidens possit esse proximum, & immediatum per se subjectum alterius, ut quantitas qualitatis, si enim ita est, sicut substantia corporea potest esse per se subjectum motus accretionis, quia quantitatem per se, & in se immediate recipit, ita quantitas potest esse per se subjectum alterationis, quia qualitatem in se recipit immediate, & sic non solum corpus de genere substantiæ, sed etiam corpus de genere quantitatis per se mobile foret, ac proinde illud nec subjectum adæquatam foret motus, nec Philosophiæ naturalis contra sancta superius in questione præmissa ad universam Philosophiam, ut igitur hic nodus maneat undequaque explicatus, movetur quæsitum præsens.

In quo sunt duæ sententiæ oppositæ, quarum prima asserit, substantiam solam esse subjectum omnium accidentium, ita quod, licet unum accidens possit inter substantiam, & aliud accidens mediare per modum dispositionis, vel necessariæ conditionis ad recipiendum, omnia tamen proxime, & immediate inhereant substantiæ, ut vero, & proprio subjecto, ita Gregorius 1. d. 12. q. 1. art. 2. Major in 4. d. 12. quæst. 2. Marfilus 4. d. 9. art. 2. Rubion. 4. d. 12. qu. 3. 4. 5. & 6. & est communis Nominalium sententia, quos citat Suar. 3. p. tom. 3. d. 16. sect. 3. & seq. Hurt. disp. 6. Phyl. sec. 6. Arriag. disp. 5. num. 37.

Alter sententia affirmat, unum accidens posse esse verum, & proprium subjectum alterius, ita Scholastici Antiquiores, Alensis, Henricus, D. Bonav. Egidius, D. Th. 3. part. q. 67. art. 1. & Scotus in 4. d. 12. q. 2. Sed Auctores hujus sententiæ non concordant in assignando hoc primo accidente, quo mediante, veluti subjecto proximo, & immediato, cætera substantiæ inhereant, nam aliqui Thomistarum, & præsertim Averfa ex Recentioribus loco supra citi contendunt, hoc primum accidens esse potentiam quamdam de genere qualitatis ex natura sua ad hoc institutam, ut sit commune subjectum aliorum accidentium, quo mediante, cætera omnia substantiæ inhereant.

Scotistæ vero, & alii communiter affirmant, hoc primum accidens esse quantitatem, & ipsa media, cætera accidentia inherere substantiæ, ita Scotistæ omnes in 4. circa dist. 12. Aretinus ibi quæst. 2. art. 4. Bannes disp. 48. sect. 3. Faber disp. 48. & 8. Met. disp. 3. Rada 4. p. contr. 10. Canonici 1. Phyl. qu. 4. art. 4. dub. 4. & alii passim.

ARTICULUS I.

Ostenditur, unum accidens posse esse subjectum alterius, quo mediante insit substantiæ.

27 **P**RO decisione hujus articuli, Notandum est ex Scoto loc. cit. §. Ad quætionem, &c. duplex esse posse subjectum accidentis, unum ultimare terminans dependentiam illius, alterum proxime, & non ultimate terminans ipsam, qua distinctione præmissa.

Dicimus unum accidens posse naturaliter esse subjectum alterius, licet non ultimate terminans dependentiam illius, hoc est, unum accidens posse esse subjectum, in quantum sustentatum ab alio, scilicet a substantia, non autem tamquam per se sustentans illud independentem ab alio. Conclusio est communis omnium sensus contra Nominales; Et quod nequeat unum accidens esse subjectum alterius ultimate terminans dependentiam illius, probatur evidenter ex ratione intrinseca tam substantiæ, quam accidentis; nam sola substantia est ens per se tertio modo, & ei soli debetur existentia, & subsistentia per se, ratione cujus ei soli convenit subsistere cæteris, hoc est, in se cætera sustentare. Accidens etiam ab intrinseco habet esse in alio, & ideo in rerum natura esse non potest, nisi alteri inherendo, & ab eo sustentatum, naturaliter loquendo; ergo nullum accidens potest esse subjectum per se primo sustentans aliud accidens, sed hoc soli substantiæ convenit. Et confirmatur, nam quod non habet esse per se, sed in alio, non potest sustentare aliud, nisi ipsummet ab alio sustentetur; sed nullum accidens habet esse per se, sed inhereat substantiæ, ergo non potest sustentare aliud per se primo, nec proinde esse subjectum ejus, nisi ab ea sustentatum, quod est sustentare non per se, & ultimate, sed per aliud, & dependentem ab alio.

Potest tamen accidens esse subjectum alterius non ultimate terminans dependentiam illius, quia hoc nec repugnat ex parte ipsius substantiæ; neque ipsum accidentium; non ex parte substantiæ, quia ex parte ejus sufficit, quod principaliter, & ultimate dependentia accidentis ad illam terminetur: hinc enim dicitur subsistere proprie, principaliter, & maxime neque ex parte accidentis assignari potest repugnancia, non enim est contra naturam accidentis sustentare aliud ex quo ipsum prius sustentatur ab alio. Probatur id ipsum a posteriori, nam velocitas, & tarditas subjectantur in motu, æqualitas in quantitate, similitudo in qualitate, quæ omnia sunt accidentia accidentibus innixa, ita argumentatur Scot. loc. cit. Rursus actus vitales, habitus, species intentionales debent inesse immediate potentiis, quæ secundum communione, licet minas probabilem, sunt accidentia. Demum probatur ex Mysterio Eucharistiæ, ubi concedere oportet unum primum accidens, quod sit subjectum, in quo cætera uniantur, nisi enim qualitates sacramentales in uno tertio unirentur subjecto, sed quælibet per se existeret, sequeretur, quod ad motum unius qualitatis F 4

alia qualitas non moveretur, ut puta ad motum coloris in vino non moveretur dulcedo, cuius tamen oppositum experitur. Nec est dicendum, hoc provenire, quia inter se habeat aliquod vinculum, quoniam qualitates immediate inter se non habent aliquam connexionem, neque enim una est actus, & altera potentia; remanet ergo, ut uniantur in aliquo tertio accidente, quod sit earum commune subiectum.

28 In oppositum objicitur 1. plures Arist. auctoritates, quibus insinuare videtur accidens subiectum accidentis esse non posse, nam 7. Met. cap. 3. definit substantiam, quod sit primum omnium accidentium subiectum; & c. 4. vult, substantiam ingredi definitionem accidentis, velut additum in ratione subiecti, & 4. Met. ait, accidens non accidere accidenti, sed utrumque accidere tertio, quod explicat exemplo albedinis, & Musica, quorum unum non accidit alteri, sed utrumque homini, & in prædicamento substantiæ docuit, esse maxime proprium solum substantiæ posse contraria recipere. Nec respondere juvat, Arist. per hoc voluisse, solum substantiam esse subiectum primum accidentium, sed non propterea negasse, accidens esse subiectum proximum, & secundarium; Nam si talis esset mens Philosophi, ad objectionem, quam ibi facit de oratione modo vera, modo falsa, potuisset faciliter respondere, orationem esse tantum secundarium, & minus principale subiectum veritatis, & falsitatis, primum vero, & principale esse substantiam, hanc tamen responsionem Philosophus non adhibuit, quin potius ibi absolute negavit, orationem esse contrarium susceptivam.

Resp. primum Arist. locum secum asserere responsionem, nimirum substantiam esse subiectum primum, & principale cuiuscumque accidentis, nec unum accidens esse posse ita subiectum alterius. Ad 2. locum ait Scot. cit. sensum Arist. esse, omne accidens per substantiam defini debere tamquam per subiectum primum, & principale. Ad 3. locum ait idem Scot. vel Arist. fuisse locutum de accidentibus tantum concomitantibus se habentibus, sive disparatis, ut patet ex ejus exemplis, non vero subordinatis, qualia sunt quantitas, & qualitas. Vel Arist. negasse, unum accidens alteri accidere, tamquam subiecto primo, & principali, nam hoc modo ambo accidunt tertio scilicet substantiæ: Vel tandem dici potest cum alijs, Philosophum non tam locutum fuisse de inhesionem, quam de modo prædicandi omnino per accidens unius accidentis de alio, ut cum Medicus dicitur abbas, & hunc modum prædicandi ait non procedere ex eo, quod unum accidens alteri accidat, sed potius ex eo, quod casu conjungantur in aliquo tertio, ut in homine, ob id tamen non vult negare, quod unum accidens substantiæ inherens medio alio possit de illo prædicari, dicitur enim, in superficie esse albam, calidam, &c. Ad 4. locum substantiæ esse in se ipsum esse contrarium susceptivam, ut primum, & principale subiectum, quod accidenti convenire non potest, hanc vero responsionem non dedit ibi Philosophus ad difficultatem allatam de oratione, quia denominationes veritatis, & falsitatis secundum commune loquendi modum, non attribuantur substantiæ, quæ est subiectum orationis, & opinionis, sicut alia accidentia, quæ insunt quantitati, substantiam denominant, ut recte notavit Averfa in explicatione hujus proprietatis in sua logica.

29 Secundo, Arguitur ratione. Tam quia nihil potest esse subiectum alterius, nisi sit per se subsistens, quia posse alijs subsistere provenit ex eo, quod res in se, & per se existit, quod solum substantiæ convenit, ergo &c. Tum quia sicut substantia convenit esse per se, & alijs subsistere, ita accidenti convenit inherere, ergo sicut repugnat substantiæ inherere, ita accidenti repugnat per se esse, & alteri subsistere. Tum deinde, quod terminat dependentiam aliquam unius generis, non dependet a dependentia illius generis, alioquin dependens, & independens esset eodem modo, sed accidens quodlibet dependet a substantia, ut a subiecto, ergo nullum potest hanc dependentiam terminare. Tum denique omne accidens est forma, inquit Greg. ergo non potest esse subiectum receptivum alterius accidentis, nam sicut materia esse nequit principium informandi, sive forma perfectiva alterius subiecti, sic neque forma esse potest principium patiendi, sive subiectum passivum, alioquin confunderentur munera materiæ, & formæ.

Resp. ad 1. assumptum esse verum de subiecto primo, & omnino independente ab alio, sicut est substantia, & de subsistere eodem modo, hoc tamen non impedit, quin accidens aliquod possit esse subiectum alterius, ut sustentatum a substantia, & dependenter ab ea. Ad 2. per se esse, & alijs subsistere, veluti subiectum primum, est ita substantiæ proprium, ut nequeat accidenti ullo modo convenire, sed subsistere alijs proxime, & dependenter ab alio potest accidenti convenire, quia non excludit inhesionem accidentis aliud in se recipientis, in subiecto primo, & remoto. Ad 3. ait Doctor, majorem non esse universaliter veram. Sol enim dependet a Deo in genere causæ efficientis, & tamen Sol terminat dependentiam multorum effectuum in eodem genere. Filius dependet a Patre per inhesionem, & tamen esse potest Pater alterius Filii, & ejus dependentiam terminare; vel concessa majori, dicatur ad minorem, accidens quodlibet a substantia dependere, ut a subiecto primo, & basi omnium, & utique nullum accidens potest hujusmodi dependentiam terminare, ex quo inferi Doct. diversam, & alterius quodammodo rationis esse dependentiam subiecti prioris accidentis a substantia, & posterioris accidentis a priori, illa enim est a substantia, ut a subiecto primo, hæc

vero est ab accidente, ut a subiecto non primo, & independenti, sed proximo, & sustentato in alio. Ad 4. negatur consequentia, ab probationem dicimus, munus proprium materiæ primæ esse, quod sit primum principium patiendi, sive primum subiectum, & hoc non potest competere formæ, nihil tamen impedit, quin forma aliqua possit esse forma sui subiecti primi, & ipsa deinde secundaria alterius formæ subiectum, sic dicimus evenire de forma corporeitatis in viventibus in ordine ad animam in serie formarum substantialium, & idem dicimus de quantitate respectu qualitarum in serie accidentalium art. seq.

30 Tertio, si unum accidens esset subiectum alterius, ergo sustentaret illi, sustentare vero alteri non est aliud, quam sustentare illud, ergo si ita esset, unum accidens sustentaret aliud, quod dici non potest, quia nullum accidens potest sustentare se ipsum, sed necesse habet sustentari ab alio, sed aliud sustentare non potest, quod non valet sustentare seipsum.

Resp. ex hoc probari solum, unum accidens esse non posse subiectum primum, & independens alterius, quod est verum, non enim potest quantitas sustentare qualitatem, nisi ipsa prius substantiæ innixa maneat, ut basi fundamentali, & qualitatis, & sui ipsius, & ideo unum accidens non sustentat aliud per se, idest quasi virtute propria ab alio penitus independenti, sed per accidens, idest, ut sustentatur ab alio, & virtute aliunde sibi communicata, vel virtute propria, sed ab alio sustulata, quod ita verum est, ut quantitas etiam separata dicatur in virtute alterius sustentare qualitates, quia nimirum ipsa prius sustentatur a Deo in genere causæ efficientis. Et in hoc sensu bene loquuntur aliqui, dum ajunt, accidentia accidentibus innixa ab his dependere tantum instrumentaliter, quasi ista in sustentando sint instrumenta substantiæ; recte loquuntur, si per hoc tantum insinuare velint, accidens sustentare non posse per virtutem propriam independenter a substantia, sicut nec instrumentum operari potest independenter ab agente principali; at non bene loquuntur, si præter hoc velint, substantiam solum concurrere per modum causæ materialis principalis in educatione accidentis immediate illi inherens, & accidens immediate inherens per modum dumtaxat meri instrumenti; hoc enim falsum est, ut patebit ex solutione seq. argumenti.

31 Quarto, si unum accidens recipi potest in alio, ut in proximo subiecto, v. g. albedo in quantitate, vel sola quantitas exercet genus causæ materialis circa illam, vel sola substantia, vel utrumque simul; si primum, ergo cætera accidentia educuntur de potentia solum accidentis, quo medio substantiæ inherens, imo vere, & proprie illi immediato accidenti inherere, & non substantiæ, quod videtur falsum; si secundum, ergo sola substantia est vere, & proprie subiectum omnium accidentium, & accidens prius se habebit ad posterius, ut prævia dispositio tantum, vel conditio recipientis, non ut subiectum; si tertium, ergo non solum accidens prius erit subiectum proximum posterioris; sed etiam substantia, cumque immediate concurrant ad ejusmodi causalitatem susceptivam.

Resp. accidens posterioris immediate dependere ex concursu materiali prioris accidentis, non autem ex concursu substantiæ, nisi mediate, & præsuppositivè, quatenus nimirum substantia concursum materiale exercet circa accidens immediate, & hoc manifeste deducitur ex Scot. dist. illa 12. q. dum inquit, accidens posterioris in suo esse, fieri, & conservari immediate dependere a priori, & non dependere a substantia, nisi mediate priori; ex quo aperte dedit Doct. intelligere, concursum materiale substantiæ non attingere immediate, nisi accidens prius, hoc idem significavit Doct. dum q. 6. in alterationibus circa species consecratas contingebat inquit, nova accidentia educi de potentia quantitatibus, nullo interveniente novo miraculo præter illud primum transsubstantiationis, & conservationis quantitatibus sine subiecto, sed etiam expresse tenet Bassol. 4. d. 12. q. 1. art. 3. §. *Aliter videtur*, &c. in sine; imo hoc fateri debent omnes, qui in Eucharistia nihil nisi accidere tenent, nisi circa quantitatem, neque Deum supplere concursum materiale substantiæ, nisi in ordine ad illam, nam si immediate attingebantur accidentia illa omnia a concursu materiali substantiæ, oportebit in destinatione substantiæ, Deum supplere concursum, nedum in ordine ad quantitatem, sed etiam in ordine ad qualitates; Et gratis concedimus talia accidentia substantiæ, proprie loquendo, non inherere; nisi remota quadam ratione, in quantum ei inheret tamquam proximo subiecto illud accidens prius, quod est subiectum proximum cæterorum.

32 Quinto tandem objicitur difficultas initio quæst. facta, ex hac enim nostra determinatione videtur sequi, corpus de genere quantitatibus esse per se mobile motu, tum alterationis, tum lationis, cum possit esse, imo de facto sit subiect. proximum, & immediatum termini utriusque, quod destruit subiectum Philosophiæ naturalis jam a nobis statutum. Et ex doctrina jam tradita in præcedenti responsione augetur difficultas, si enim qualitates proprie non inherant substantiæ, neque de illa educuntur, sed quantitati, & de ejus potentia proprie educuntur, consequens est, ut subiectum motus ad qualitates proprie sit corpus de genere quantitatibus, & non substantia.

Resp. negando consequ. imo ex hac nostra determinatione difficultas illa remanet omnino soluta, cum enim accidenti non conveniat esse subiectum alterius, nisi dependenter a substantia, & in virtute substantiæ, veluti in genere causæ materialis, & quasi instrumentaliter, consequenter dicendum est, corpus de genere quan-

quantitatis nullo modo per se subiectum alterationis esse posse, atque lationis, sed potius per accidens, & ratione alterius, modo jam explicato, & quod sicut actio non tribuitur instrumento, sed principali agenti, in cuius virtute agit, sic etiam motus alterationis, & lationis quantitati non erit adscribendus, tamquam subiecto in se recipienti terminum ejus, sed substantiæ potius, in cuius virtute recipit illum atque sustentat; Et per hoc etiam diluitur, quod ex præcedenti responsione adducebatur, licet enim accidentia alia corporea propria quantitati inhæreant, & substantiæ solum remote, in quantum scilicet ei inhæret tamquam proximo subiecto illud accidens, quod est proximum subiectum eorum, & ab ea sustentatur, hoc solum sufficit, ut dicatur substantia primum, & per se subiectum omnium accidentium, & motuum, per quos acquiruntur, & ut eorum prædicationes, & denominationes suscipiat potius, quam accidens immediate illi inherens, eo vel maxime quia accidentia hæc per motum acquiruntur per se directe debentur substantiæ, & propter substantiam in alijs accidentibus intermedijs recipiuntur, & sola denique substantia corporea est nobilis, ut quod, ac per se subsistens.

ARTICULUS II.

Quantitatem esse subiectum immediatum aliorum accidentium, per quod substantiæ inherens, demonstratur.

33 Dicimus, quantitatem esse primum accidens immediate substantiæ inherens, per quod reliqua accidentia corporea dicuntur deinceps inherere substantiæ. Conclusio est Scoti, & Scot. l. c. & est communis sententia omnium veterum Theologorum, quos refert, & sequitur Suar. d. 14. Met. sect. 4. Ruvius l. de Gen. cap. 4. tract. 3. q. 10. & alij passim, & probatur primo, quia non est necesse, ut diximus art. præc. omnia accidentia immediate inherere substantiæ, sed & cætera uno mediante in ratione subiecti convenire possunt substantiæ, aut igitur hoc accidens immediate substantiæ inherens generis subiecti munus erga cætera, est potentia illa accidentalis aliorum susceptiva, quam invehit Averfa, aut quantitas, aliud enim hujusmodi non ponitur a Doctoribus tale proximum subiectum admittentibus, sed potentia illa non potest constitui tale subiectum, ergo erit quantitas, probatur minor; Tum quia potentia illa passiva a natura ad hoc instituta, ut cætera accidentia recipiat, & per eam inherens substantiæ, admitti non potest, ut diximus art. præc. Tum quia si daretur, longe minus idonea foret ad tale munus obeundum ipsa quantitate, eo quia quantitas magis participat conditionem materiæ, quam qualitas, de cuius genere ponitur ista potentia; Tum quia quantitas est propinquo substantiæ, quam qualitas in ratione substantiæ, ut docet Scot. 4. d. 12. q. 2. & constat ex ordine ipso prædicamentorum ab Arist. constituto; Tum tandem quia hujusmodi potentia non ita manifeste cadit sub sensum, sicut quantitas, ergo rationabilis quantitas aliorum accidentium sensibilibus statuitur subiectum.

34 Secundo principaliter probatur experientia, nam albedo in superficie extenditur, & calor similiter, cum distendant per corpus in quantitate ejus extenditur, ergo qualitates hujusmodi in quantitate recipiuntur immediate.

Resp. Adversarii hinc solum sequi, quantitatem esse dispositionem necessariam in substantiæ, ut alia accidentia corporea in ipso recipiantur, non tamen esse proximum subiectum, cui alia accidentia vere inherere, recipiuntur enim solum in materia, vel in composito quanto; & hinc extensa denominantur, unde sicut nos hujusmodi qualitates contendimus extendi per inhesionem in materia, vel composito quanto.

Sed Resp. hæc refellitur 1. per dictum Philosophi in prædicamentis cap. de quantitate dicentis, *quantitas fuerit superficies, tantum album fore dices*, ex Scot. l. c. colligit, albedinem esse quantum per inhesionem in quantitate præcise, non autem in corpore quanto, quia superficies non est pars corporis quantum. Deinde quando aliquid mediat inter subiectum, & formam recipiendam, an istud mediet in ratione subiecti recipientis, vel tantum conditionis, aut dispositionis ad recipiendum, colligitur, & dignoscitur ex effectu formali formæ receptæ, nam si ejus formalis effectus non communicatur illi medio, sed tantum extremo, signum est, illud mediare tantum in ratione conditionis, & dispositionis; si vero ei quoque communicatur, signum est, illud mediare ratione subiecti, sic quia in sententia ponentium quantitatem coævam materiæ, formæ substantialis v. g. ligni, ligneam denominat materiam, quam informat, non autem quantitatem intermediam, hinc deducunt, quantitatem mediare inter formam substantialem, & materiam, in ratione dispositionis tantum, & conditionis, non in ratione subiecti; sed propositio albedo inheret substantiæ media superficie, & nedum substantiæ, sed etiam ipsi superficiæ communicat effectum suum formalem, nam, & substantia dicitur alba, & superficies alba cum omni proprietate, ergo qualitates inherant substantiæ media quantitate, ut subiecto, & non tantum, ut conditione, vel dispositione ad recipiendum.

Respondent Alii in hac probatione perit principium, dum supponimus quantitatem dici albam, quia subiectat albedinem, sicut enim albedo dicitur quanta, licet quantitatem non subiectet, sic & quantitas poterit dici alba, etiam si illam non sustineat, ex sola concomitantia albedinis in eodem subiecto. Hæc non est instantia nova, sed antiquum Marfilii argumen-

tum, cui mox occurremus, & ostendemus solum concomitantiam formarum non sufficere, ut se in eodem subiecto denomiuet.

35 Tertio probatur ex Mysterio Eucharistiæ, nam albedo existens in Hostia est ita extensa in loco, quod non potest penetrari ab alio corpore, ut experientia docet, vel igitur hoc evenit, quia sunt realiter idem quantitas, & qualitas, vel quia quantitas est in qualitate, ut in subiecto, vel e contra qualitas in quantitate, cui deinceps coextenditur; non primum, ut suse probamus disp. de Continuo q. 1. neque secundum, quia quantitas se tenet ex parte materiæ, & qualitas ex parte formæ, & in ratione substantiæ quantitas est proximior substantiæ, ergo tertium. Neque ad hoc respondere valet cum Marfilio, & Averfa cit. sufficere concomitantiam formarum, nam albedo eorum in eodem communi subiecto, sic enim unitæ se invicem denominant; Nam præterquam quod hoc falsum est, quia albedo, & frigiditas uniantur in nive, nec ob id se invicem denominant, non enim dicimus, albedinem in nive esse frigidam, nec frigiditatem albam, & sic de alijs; Adhuc tenetur Austore: isti ostendere hoc commune subiectum, in quo qualitates Eucharistiæ uniantur, hoc enim esse non potest, nisi vel potentia illa accidentaliter, quam ab hoc munere jam exclusimus, ut prorsus ineptam, vel quantitas, ut contendimus.

In oppositum objicitur 1. ex Averfa; Tum quia ex natura ipsarum rerum non apparet ratio, cur cætera accidentia debeant inherere quantitati, nam omnia sunt per se ordinata ad perficiendum idem commune subiectum ex æquo cum quantitate, nam idem subiectum æque dicitur extensum per quantitatem, calidum per calorem, album per albedinem, & sic de alijs accidentibus; Tum 2. cætera accidentia dici non debent inherere quantitati, eo quia non recipiuntur, nisi in substantia quanta, nam ex hoc tantum inferri potest, quod quantitas mediet, ut conditio ad recipiendum, non ut vere subiectum, sicut forma substantialis non recipitur, nisi in materia quanta, nec ideo dicitur subiectari in quantitate; Tum 3. non oportet, quantitatem ponere aliorum accidentium subiectum, ut per ipsam dicantur extensa, ad hoc enim sufficit concomitantia, sive conjunctio quantitatibus, & aliorum accidentium in uno communi subiecto, etenim si ad hunc effectum necessaria esset inhesionem, potius inferri deberet, qualitatem subiectari in ipsis accidentibus, quam e converso, quia extendi est effectus formalis quantitatibus, & forma substantialis extenditur utique per quantitatem, & tamen nec forma subiectatur in quantitate, nec quantitas in forma, Tum denique neque propter mysterium Eucharistiæ oportet alia accidentia in quantitate subiectari, nam quantumque munus dicimus in hoc Mysterio quantitate exerceri, magis commode exerceri possunt a potentia accidentium susceptiva, quæ est qualitas de secunda specie, quod eo vel maxime dicendum est, quia in speciebus sacramentalibus sunt mutationes etiam quantitatibus, nempe per condensationem, & rarefactionem, & plerique volunt hanc mutationem fieri per veram productionem, & deperditionem quantitatibus, ergo quantitas non est ibi primum subiectum, sed potius invenendum est aliquid aliud accidens, quantitate prius, in quo & ipsa quantitas, & reliqua accidentia subiectentur, hoc autem non est, nisi præfata potentia.

36 Resp. ad 1. negando assumptum, quamvis enim accidentia omnia per se ordinantur ad perficiendum idem commune subiectum, hoc non impedit, quin unum possit illud perficere mediante alio, tamquam subiecto, imo videtur hoc satis naturæ legibus consentaneum, ne cogamur dicere omnia accidentia consule, nullo prorsus inter se ordine servato, substantiam perficere. Ad 2. debemus arguere, alia accidentia recipi in quantitate, veluti in subiecto, quia nedum substantiæ, sed etiam quantitati effectum suum formalem communicant, ut deductum est in secunda ratione: forma vero substantialis, est recipere in materia quanta, non ideo dici deberet recipi in quantitate, ut in subiecto, quia non communicat illi effectum suum formalem substantialem, unde argumentum potest contra ipsam Averfa retorqueri. Ad 3. negatur item assumptum, non enim ad salvandam extensionem aliorum accidentium quantitativam sufficit concomitantia quantitatibus, & aliorum accidentium in uno communi subiecto; Tum quia oppositum videmus in frigiditate, & albedine nivis, quæ se invicem non denominant, quamvis unita in eodem communi subiecto; Tum quia præsertim in Eucharistia mysterio difficile assignari potest hoc commune subiectum, in quo cætera accidentia cum quantitate uniantur; Neque ad hoc necessarium est, ut potius quantitas subiectetur in cæteris accidentibus, quam e converso, ut postea dicemus solvendo argumentum Marfilii: Nam quantitas æque bene extendit, & accidentia sibi supervenientia, & compositum substantiale, cui ipsa supervenit, ratione cuius nedum compositum, sed etiam materia, & forma dicuntur extendi, & fallum est, quantitatem non recipi in materia, & forma, velut in subiectis inadæquatis, & quibus, licet subiectum adæquatum, & quod sit ipsum compositum, ut constat ex q. 1. hujus disp. Ad 4. negatur assumptum, nam sententia nostra magis accommodata est ad Mysterium Eucharistiæ explicandum, imo hæc de causa præsertim testatur Cominch. de Sacram. q. 77. art. 2. se illam sequi, neque munera, quæ a quantitate exercerentur in Eucharistia, ita connaturaliter, & apte exerceri possent a potentia illa, si daretur, sicut a quantitate, quæ munera illa sunt fere omnia causæ materialis, cuius causæ conditionem magis participat quantitas, quam hujusmodi potentia. Quod vero rarefactio, & condensatio fiunt per acquisitionem, vel destinationem quan-

quantitatis, non est ita certum, ut assumitur, imo in sententia Scoti præsertim probabilis oppositum putamus, ut dicimus in lib. de Gen. pro nunc videatur Doctor 4. d. 12. q. 4.

37 Secundo obijcit argumentum Marsilii, quod multos vexavit, quia nulla potest assignari ratio sufficiens, ob quam quantitas sit subiectum aliorum accidentium, si enim assignetur illa frequentior omnibus, quia videmus, superficiem esse album, cum igitur esse album sit effectus albedinis in genere causæ formalis, oportebit fieri per inhærentiam ipsius in superficie; Contra arguit Marsilius, nam ex opposito videmus quoque albedinem esse quantam, & ideo pari ratione possumus dicere, quantitatem inhærentem qualitati, nam extendi est effectus formalis quantitatis, & sic, vel mutuo sibi inhærent, quod est absurdum, vel neutrum inhæret alteri, sed ambo tertio, in quo unita se mutuo denominant propter talem unionem.

Resp. Suarez disp. 14. sec. 3. ex eo, quod albedinem videmus esse quantam, non debere inferri, quod quantitas inhæret qualitati, quia quantificatio formarum, vel qualitatum corporalium non pertinet ad effectum formalem quantitatis, interdem enim resultat effectus hic ex quantitate, non ut ex forma, sed ut ex subiecto, quantitas autem non dat suum effectum formalem, ut exercet munus subiecti, sed ut est forma inhærens, quare, quod albedo quantitati inhærens extendatur, non est per informationem, seu formalem causalitatem quantitatis, sed est conditio, & denominatio, quam participat a subiecto suo, in quod inhærendo ei coextenditur.

Sed difficultatem Suarez non sedat, sed potius auget, & principium perit, hoc enim est, quod quaerit argumentum, quomodo scilicet sit possibile, quod denominatio quanti proveniat a quantitate gerente munus subiecti, & non formæ, nam si ita se habet esse quantum ad quantitatem, sicut esse quale ad qualitatem, cur igitur esse quale a qualitate derivari non potest, nisi tamquam a forma, bene tamen esse quantum a quantitate. Ratio igitur, quare ut qualitas dicatur extensa, non est necessarium, ut quantitas subijciatur in ea, sed potius e contra est, quia duo sunt genera denominationum, ut insinuat Scot. quol. 18. inf. C. & sequitur Hurtad. in Phys. disp. 2. sec. 2. §. 6. quædam formales, quæ scilicet a formis in sua subiecta derivantur, quædam vero materiales, quæ a subiectis in suas formas redundant, videmus enim, dum forma est in materia, varias denominationes sibi invicem communicare, ubi enim albedo corpus informans illud denominat quale, coloratum, & album, & corpus e contra illam formam denominat subiectatam, corpoream, & materialem, albedo quidem informando, inhærendo, & actuando, corpus vero subijciendo, & recipiendo, talis enim est natura formæ, & subiecti. Cum igitur duo inter se unita se invicem denominant, attendere oportet, quodnam eorum sit aptius ad gerendum munus subiecti erga alterum, quodnam scilicet sit magis potentiale, & materiale, quod magis aptum ad gerendum munus formæ, id est quodnam sit actualius, & formalis, & inde licet inferre, quod hoc insit illi, illudque denominet informando, & inhærendo, denominetur autem ab illo per inhærentiam, & receptionem in ipso, & sic in proposito, dum dicimus, albedinem esse quantam, non hinc iudicare debemus, ita denominari, quia qualitas informetur a quantitate, sed potius quia informat eam, quia qualitas a toto genere est actualior quantitate, & habet rationem formæ, quantitas vero est potentialior, & habet rationem materiæ, & ideo cum e contra dicimus albedinem esse quantam, denominationem hanc debemus iudicare materialem, hoc est a quantitate tamquam a subiecto procedentem. Possumus etiam, ut notat Faber in 4. disp. 48. cap. 2. n. 14. exinde arguere, superficiem esse subiectum albedinis, & non e contra, & pariter etiam aliarum qualitatum, quia videmus, in eadem quantitate qualitates mutari, accidere, & recedere, non e contra, quæ est vera methodus, & via investigandi subiectum formarum.

38 Tertio arguit Hurtadus disp. 6. sec. 6. subsec. 2. ubi, & si aperte non ponat potentiam aliquam accidentalem subiectum proximum aliorum accidentium, aperte tamen negat, quantitatem esse tale subiectum; Tum quia quantitatis munus est materiam disponere ad recipiendam formam, & extendere ad impenetrabilitatem, & ad actionem materialis agentis, ergo eius munus non est qualitates recipere. Patet consequentia, quia sine tali receptione primum munus exercet, ut patet respectu formæ substantialis, ad quam disponit, & tamen eam non recipit; Tum quia qualitates primæ disponunt materiam ad formam substantialem, & sunt causa secundarum qualitatum, & tamen secundæ non recipiuntur in primis, cur ergo omnes recipientur in quantitate? Tum demum dispositio debet esse in eodem subiecto, quod disponit ad formam, & in quo est ipsa forma, nam si non est in subiecto illo, non videtur, quod modo cum veritate dici possit illud disponere, præsertim cum talis dispositio fiat per informationem, sed qualitates sunt dispositiones materiæ recipientis formam, & non quantitatis, ergo sunt in sola materia, & non in quantitate.

Resp. ad 1. negando assumptum, quia, ut vidimus, quantitas immediate inhæret composito, & illud per se primo extendit, partes vero eiusdem concomitantur tantum, & per se secundo, sed dato etiam antecedente, adhuc negatur consequentia, quia licet munus, ad quod per se primo quantitas instituta fuit, sit substantiam extendere, hoc tamen non obstat, quin secundario, & ex consequenti exercere possit munus subiecti recipientis in ordine ad formas, quæ sunt aliquam ha-

bent proportionem, ut sunt alia accidentia; quare autem etiam in materia præexistere quantitas, non ita formas substantiales recipere possit, sicut recipit accidentales, docet Scot. 4. d. 12. q. 6. A. quia nimirum actus præsupponit potentiam, saltem prioritate originis, actus autem generis prioris, ut est forma substantialis, nec origine nec perfectione aliquid præsupponit de genere posteriori, & demum accidens non est aptum suscipere substantiam, sed potius e contra. Ad 2. ex eo, quod secundæ qualitates non recipiantur in primis, a quibus originem ducunt, non bene deducitur, qualitates similes in quantitate non fore recipiendas, quia una qualitas respectu alterius non habet rationem potentie, sicut quantitas respectu qualitatis. Ad 3. distinguimus cum Scoto in 4. dist. 1. q. 5. E. de duplici dispositione ad formam, alia enim est, quæ disponit in genere causæ materialis, veluti ratio recipiendi, sicut est organizatio in corpore respectu animæ, & alia, quæ disponit in genere causæ efficientis, auferendo impedimenta, quæ obstant introductioni novæ formæ, & licet major concedi possit de dispositione primi generis, de dispositione tamen secundi generis nullatenus est admitenda, inquit Doctor, sufficit enim, quod dispositio huius generis, & forma sint in eodem supposito; tales autem dispositiones sunt qualitates respectu materiæ, disponunt namque in genere causæ efficientis, auferendo impedimenta, quæ obstant introductioni novæ formæ, & quando etiam admitteremus, qualitates esse dispositiones in genere causæ materialis, adhuc non sufficerent probat Hur. qualitates non disponere materiam, quantum sufficit ad recipiendam formam substantialem, per receptionem earum in materia media quantitate.

Q U E S T I O I V.

An substantia possit a quolibet accidenti communi separari, & e contra: & quid necesse foret, ut ita separata conservaretur.

39 **Q**uestio est de quacunque forma accidentali, tam absoluta, quam respectiva a suo subiecto realiter distincta, ut excludamus relationes transcendentales suis subiectis realiter identificatis, & circa primam partem quæstionis tenent quædam, posse substantiam a quocumque accidente communi, nedum absolute sed etiam respectivo separari per potentiam Dei absolutam, & eam sequuntur Scotista plurimi, ut Scoti sententiam, qui in 2. d. 12. q. 2. §. Respondeo &c. inquit materiam posse esse sine forma quacumque substantiali, & accidentali, ita Bassolus 4. d. 12. c. 1. art. 1. Fuentes 1. Phys. difficul. 4. art. 7. Alii vero tenent, posse Deum separare a subiecto formam accidentalem, & illud expoliare quocumque accidente absolute, non tamen respectivo, ita Recentiores quædam, qui nolunt, posse substantiam expoliari ubi, seu præsentia locali quacumque, licet distributive possit esse sine hac, vel illa, & in hoc sensu defendit hanc sententiam Trombeta 7. Met. q. 3. art. 2.

De separatione vero accidentis a subiecto, dimissa opinione Philosophorum, qui nullum accidens agnoverunt posse a substantia separatam existere, ut constat ex Art. 7. Met. tex. 3. ex Theologis, & Catholicis Philosophis quidam dixerunt, omnia accidentia, tum absoluta, tum respectiva posse per Dei potentiam sine subiecto existere, & conservari, ita ex nostris Canon. 1. Phys. q. 4. art. 5. Alii e contra negantur, nedum omnia accidentia respectiva, sed etiam absoluta posse conservari sine subiecto, ita Egidius Theorem. 56. Hervæus quol. 11. q. 29. negantes, posse qualitates per se existere sine subiecto, & solum id concedentes de qualitate. Recentiores distinguunt de accidentibus, quædam enim sunt res, & quædam sunt modi rerum, quia nimirum ex natura sua instituta sunt, non ut per se sint, sed semper alii affixa sint, res illas determinando, & specificando, ut sunt ubi, figura, unio, & alia huiusmodi; accidentia primi generis realiter distinguuntur a subiecto, ut rem a re, & ideo inquirunt, posse ab illo separata conservari, accidentia vero secundi generis distinguunt modaliter, ut rem, & modum rei, & inquirunt, accidentia huiusmodi nullatenus esse posse sine subiecto suo. Scot. tandem 4. d. 12. q. 2. & seq. resolute determinat omne accidens absolutum posse esse, & conservari sine subiecto, nullum autem respectivum, & ita Scotista ibidem, præsertim Bassol. art. 2.

Circa alteram quæstionem partem, & si fateantur omnes, substantiam novo concursu, aut novo perfectitatis modo non indigere, ut separata conservetur; de accidentibus tamen controversia est non levis. Aliqui enim volunt, in tali casu novum perfectitatis modum accidenti separatim fore concedendum loco actualis inhærentiæ, & ei oppositum, cuius virtute per se existeret sine subiecto. Alii concedunt quidem, Deum talem formam conservaturam absque additione alterius modi positivæ, non tamen eadem actione, qua prius eandem conservabat in materia, sed influxu alterius omnino rationis; Alii utrumque asserunt, in tali scilicet casu accidens fore a Deo conservandum, tum per novum modum positivum, tum per novam actionem; Alii demum utrumque negant, ut Scot. cit.

ARTICULUS PRIMUS.

Offenditur, a quo accidente substantia quant, & nequeat separari.

40 **D**icimus 1. quod licet substantia non possit naturaliter separari a quocumque accidente, tamen supernaturaliter potest separari a quocumque absolute, licet non a quocumque respectivo. Conclusio est Scoti in 2. d. 12. q. 2. §. Respondeo ad Quæst. &c. ubi quando ait, subiectum esse posse sine quacumque forma accidentali per Dei potentiam, loquitur de forma absoluta, ut ejus rationes indicant, & præsertim prima, quæ est illa; Absolutum distinctum, & prius alio absolute, &c. & juxta hunc sensum intelligit Doctorem Trombeta loc. cit. Et in primis, quod substantia non possit naturaliter expoliari quocumque accidente probatur. Tum quia Agens naturale invertitur non potest ordinem ab Actore naturæ institutum, ut docet Scot. in 2. d. 2. q. 2. T. & ideo dum substantia ita sit ab Actore naturæ constituta, ut semper sic accidentibus associari, non poterit agens naturale illam omnibus, & singulis expoliare. Tum quia omnes substantiæ suapte natura, ita sunt quorundam accidentium exigivæ, ut eo ipso, quod in lucem prodeunt, accidentia illa ab eis pernaturalem resultantiam dimanent, unde per naturalem dimensionem lux egreditur a Sole, calor ab igne, &c. & ita necessario huiusmodi accidentia perent, ut illis deficientibus, corrumpantur secundum communem naturæ cursum, unde necessaria connexio harum substantiarum cum talibus accidentibus secundum communem naturæ cursum, non tam ex constitutione, & ordine univèrsis est intendenda, ut superior dicebamus de connexione materiæ cum forma substantiali, quam ex interna indigentia substantiarum huiusmodi, ac naturali existentia tum accidentium, quæ tamen indigentia tanta non est, ut suppleri nequeat ab Actore naturæ, absolute loquendo.

Quod vero supernaturaliter possit esse sine quocumque accidente absolute probatur ex Scoto loc. cit. Tum quia omne absolute prius alio absolute, & realiter ab eo distinctum, potest per potentiam Dei absolute ab eo separari, cum ex nullo capite deprehendi possit necessaria connexio illius cum isto, quam rationem fuisse declaravimus disp. 2. q. 3. art. 2. Tum quia potest subiectum separatam existere ab omni forma, a qua distinguitur, & est independens, tam a priori, quam a posteriori, veluti a conditione concomitanti, sed substantia distinguitur realiter a quocumque accidente, & licet dependere possit ab aliquo respectu, tanquam a conditione prævia, vel concomitanti, ut docet Scot. de composito substantiali respectu unionis 3. d. 2. q. 2. F. tamen a nullo absolute sic dependere potest simpliciter, & absolute loquendo, ita quod ejus indigentiam saltem Deus supplere nequeat. Tum tandem quia plus dependet posterior a priori, quam prius a posteriori, & majori ratione potest prius existere sine posteriori, quam e contra, sed substantia est prior quocumque accidente, saltem absolute, tempore, natura, & definitione 7. Metaph. text. 4. & accidens absolute conservari potest, imo de facto conservatur a Deo sine substantia in Eucharistia, ergo tanto magis poterit substantia conservari sine omni tali accidente.

41 Postremo quod nequeat separari substantia, & separata conservari sine quocumque respectu, etiam ab ea realiter distincto, hoc est, non ei realiter identificato, (ut vitemus quæstionem de nomine cum Recentioribus, qui talem non identitatem nolunt appellare distinct. realem; sed tantum modalem, de quo inferius) probatur. Tum quia substantia composita necessario coexistit, vel præexistit unionem partium, & ita ab ea dependet, veluti a conditione prævia, ut sine ea prorsus implicet compositum conservari, ut docet Doctor cit. 3. d. 2. q. 2. F. & quamvis Recentiores velint, hunc unionis modum esse substantiam, & non accidens, tamen inferius demonstrabimus, quod formaliter, & entitative est accidens, & tantum denominative est substantialis, quo sensu etiam mutationem ad substantiam vocare solemus substantialem.

Bassol. cit. in solut. principalium fatetur hoc esse argum. difficultum, conatur tamen respondere, dicendo, quod licet compositum esse nequeat sine unione, tamen materia, quæ est subiectum unionis suæ ad formam, potest esse sine tali unione, & forma similiter sine sua, compositum vero non est subiectum talis unionis. Sed illa responsio non valet; Tum quia sic dicendo, non absolute defenditur, posse substantiam sine quocumque accidente existere, in quo sensu motum est quæsitum, sed tantum posse esse sine quocumque accidente, cuius ipsa sit subiectum; Tum quia dum quaeritur, an homo possit existere sine quantitate, certum est apud omnes, quantitatem in toto homine non subijciari, cum quantitas animam non attingat; Tum tandem quia etiam in hoc sensu non potest substantia a quocumque accidente separari, ideo Bassol. subdit ibid. posse Deum conservare compositum de potentia absoluta sine unione, quæ certe responsio prorsus incapabilis est, & suo Actore indigna.

Rubion. in 2. d. 1. qu. 10. art. 3. ait, unionem non esse accidens distinctum a partibus unitis, & eodem modo solvit aliud argumentum pro concl. nostra non minus efficax, quod Deus non potest facere totum sine majoritate, & partem sine minoritate, negat enim majoritatem, & minoritatem esse relationes extremis superadditis juxta communem Nominalium, negantium, relationes esse entitates extremis superadditas. Sed relationes admitti debere, nedum transcendentales, sed etiam prædicamentales, fuisse probavimus in Log. disp. de Relatione, & unionem aliquid superaddere extremis unitis, ex professo probabimus infra contra Nominales disp. 5. qu. 8. art. 2.

42 Deinde etiam substantia corporea essentialiter differt a spiritali per compositionem partium integralium, & impossibile est, substantiam corpoream conservari sine unione illarum partium ad invicem, & sine tali ordine earum inter se, ut qualibet certa pars

immediate uniarur alteri certæ parti, & non immediate omnibus, ut v. g. homo conservari non potest sine tali ordine, quo caput sit immediate unitum collo, & mediatè pectori, & non potest substantia corporea habere pluralitatem partium integralium, quæ est de ejus essentia, sine distinct. reali illarum partium ad invicem, sed talis partium unio, ordo, & distinctio important respectus realiter diff. a partibus substantiæ corporeæ, quia una pars potest ab alia dividi, & ita sine unione ad illam manere, & una potest annihilari, altera remanente, in quo casu distinctio, quæ inter illas versabatur, periret manente fundamento, & hoc insinuavit Scot. ipse 2. d. 12. d. 2. D ubi loquens de materia spoliata quacumque forma, a qua separari potest, & extra universum posita, inquit, quod adhuc haberet partes substantiales, quod utique esse non potest sine unione, ordine, & distinct. earum ad invicem. Denique quamvis possit substantia corporea separari a quolibet ubi, & præsentia in ordine ad locum, ut ait Scot. loc. nunc cit. tamen probabile est non posse expoliari quacumque præsentia in ordine ad spatium, etenim semper erit verum dicere, substantiam illam esse alicubi, si non localiter, saltem præsentialiter, quatenus diffusa non foret per totum spatium imaginarium, ut est divina substantia, ut fuisse dicimus disp. 11. num. 58.

43 In oppositum obijcies 1. probando, substantiam posse naturaliter esse sine quocumque accidente. Tum quia in genere artificialium potest substantia esse sine quacumque forma artificiali naturaliter, ergo & in genere naturalium; Tum quia explicari non potest, ex quo cap. oritur necessaria connexio inter substantiam, & accidens, saltem absolute, ergo saltem sine omni tali esse poterit. Tum tandem quia virtute propria existentia, & substantia potest anima separari, & separata existere a corpore, & naturaliter, licet sit in corpus naturaliter propensa, ergo tanto magis substantia corporea ab accidentibus poterit seungi, licet illorum naturalem habeat exigentiam, cum majori gaudeat subsistentia.

Resp. ad 1. negando paritatem, nam ad conservationem substantiæ naturalis, parum, aut nihil facit forma artificialis, qua de causa negat Doct. 2. d. 18. q. un. B. substantiam habere potentiam naturalem ad formas artificiales. Ad 2. negatur assumptum, nam natura substantiæ taliter est constituta, ut suapte natura petat pro ejus conservatione accidentia quædam absoluta, ut quantitatem, & qualitatem, quibus deficientibus, secundum communem naturæ cursum statim corrueret, quod genus dependentiæ vocant a posteriori, quæ melius, & aptius naturalis coexistentiæ diceretur. Ad 3. negatur paritas, quamvis enim substantia corporea sit magis subsistens, quam anima, non tamen eadem necessitate appetit animam unionem ad corpus, & substantia corporea unionem ad accidentia; non appetit anima uniri corpori, quia corpus sit conditio ad naturalem existendi modum simpliciter, & absolute requisita, sicut substantia corporea appetit uniri accidentibus, sed appetit unionem ad corpus, vel ob solam cognitionem sensitivam, quam extra illud habere non potest, vel ob solam perfectionem totius ex ipsa cum corpore consistentis, ut Scot. in 4. d. 45. q. 2. ad 1.

44 Secundo obijcies e contra ad probandum, nec etiam supernaturaliter posse substantiam a quocumque accidente absolute, separari; Tum quia explicari non potest, imo nec concipi, qualis foret itatus substantiæ corporeæ in ordine præsertim ad locum, ablata quantitate, num flueret in punctum, an potius esset adhuc in toto loco, ubi prius erat, non tamen amplius divisibiliter, sed modo spiritali ad modum Angeli, tota in toto, & tota in qualibet parte, vel adhuc remanere in loco indivisibiliter ut prius, quod non videtur esse possibile sine quantitate. Tum quia homo est essentialiter corpus organicum, sed corpus organicum esse nequit sine quantitate, & qualitate, nam illa facit partes extensas, & hæc alterius rationis. Tum denique corpus, & humanum præsertim, esse nequit sine figura, sed figura est de prædicamento qualitatis, ergo &c.

Resp. ad 1. quod substantia spoliata quantitate, remaneret extensa in loco adhuc divisibiliter, ut prius, non tamen impenetrabiliter, nam hic est formalis effectus quantitatis, ut infra dicemus disp. de Continuo qu. 1. ubi n. 23. fuisse explicatur status substantiæ corporeæ ablata quantitate. Ad 3. ait Trom. cit. & Bassol. corpus organicum, quod ponitur in definitione animæ, non dicere quantitatem, & qualitatem, sed totum habens plures partes eterogeneas inter se specificè distinctas per partiales formas corporeitatis, nec quantitas facit partes corporis absolute extensas, sed tantum extensas ad impenetrabilitatem; nec qualitas facit partes corporis, ut os, nervum, & carnem essentialiter alterius rationis, sed tantum accidentaliter. Ad 3. ait idem, figuram dupliciter accipi posse, positive nimirum, & privative, primo modo, dicit determinationem quandam extrinsecam corporis, ut esse triangulatum, vel quadrangulatum, & hæc figura est in prædicamento qualitatis; secundo modo dicit determinationem quandam intrinsecam, quæ nihil positivum addit ultra corpus de genere substantiæ, sed tantum privationem ad posteriores partes, & quamvis corpus separari nequeat a figura sic inspecta, separari tamen potest a figura positive sumpta; sed ut in Log. notavimus disp. 7. q. 3. art. 2. figura proprie non importat quid absolute, nec est in prædicamento qualitatis, ut monet Doctor 4. d. 12. q. 4. F.

45 Tertio obijcit contra 3. partem, probando, posse substantiam a quocumque accidente, etiam respectivo separari. Tum quia prius in quantum prius esse potest sine posteriori realiter distincto, a quo essentialiter non dependet, sed a toto genere substantia est prior accidente 7. Metaph. tex. 4. ergo esse potest sine quocumque accidente, etiam respectivo. Tum quia accidens respectivum magis accedit substantiæ, quam absolute, sicut inter respectus magis accedit extrinsecus, quam intrinsecus adveniens

ex Scot. 4. dist. 10. q. 2. §. *Dico ergo* &c. ergo si per potentiam Dei potest esse substantia sine quocumque absoluto, tanto magis esse poterit sine respectivo. Tum denique Scot. 2. d. 12. q. 2. D. cum ait, materiam esse non posse sine quocumque respectu, quia saltem esse nequit sine dependentia ad Deum, respondet ita esse, quia respectus hic est ei realiter idem, per quod inhiat, substantiam separari posse a quacumque forma accidentali, dummodo realiter distincta, & talis videtur etiam esse ejus intentio 2. dist. 3. q. 4. D. ubi ex hoc, quod substantia est prior natura, & tempore omni accidente, arguit, posse substantiam, quantum est de se, ab omni accidente separari.

Resp. ad 1. quicquid sit de majori, quæ non est universaliter vera, ut notat Licher. 2. dist. 1. q. 5. ad 3. Ocham d. 12. q. 2. ad instantias Cajet. & 3. dist. 2. q. 2. & quodl. 11. solvendo objectiones contra tertium dictum ad 6. in proposito dicimus ad minorem; quod cum Arist. inquit substantiam esse priorem accidente, tempore, natura, & definitione 7. Met. 4. non debet in quacumque substantia intelligi copulative respectu cujuslibet accidentis, sed disjunctive, ut sensus sit, substantiam semper præcedere accidens, vel tempore, ut cum in aliquo temporis momento existit sine aliquo accidente, vel natura, quia si non existit sine eo, potest tamen, quantum est de se existere, ut Sol sine luce, etsi in nullo unquam temporis instanti fuerit sine illa, vel saltem definitione, quia universaliter verum est, substantiam ingredi definitionem accidentis, non e contra, unde hac saltem prioritate substantia semper accidens præcedit, non tamen semper prioritate natura, vel temporis, nam compositum, nec tempore, nec natura præcedit unionem suarum partium, sed potius e contra unio partium præcedit compositum, ut conditio necessario prærequiritur ex Scot. cit. 3. d. 2. q. 2. F. Ad 2. si per magis accendere intelligatur esse minus necessarium ad constitutionem substantiæ, saltem ut conditionem præexactam, vel coexactam, negatur assumptum ex Scot. modo cit. si per magis accendere intelligatur esse magis extraneum a ratione formali substantiæ, ita omne accidens equaliter videtur accendere substantiam, quia nullum ingreditur ejus definitionem. Doct. autem in 4. l. c. specialiter loquitur de ubi, quod inquit importare respectum forte cæteris accidentaliorum. Ad 3. utique declarat ibi Doct., non posse esse substantiam sine respectu realiter ei identificato, at non declarat esse posse sine quocumque distincto; & in 2. d. 3. qu. 4. dum ait, substantiam secundum totam suam coordinationem præcedere accidens, loquitur de substantia in ordine ad accidentia perfecta, & completa, & præsertim de quantitate, quam ibi contendit non esse individuationis principium, non autem de accidentibus imperfectis, & incompletis, quæ sunt via ad substantiam, ut generatio, & unio, nam sine his constituere compositum substantiale in prædicamento substantiæ profus repugnat; verum tamen est, substantiam etiam his accidentibus esse priorem, saltem definitione, quia nullum accidens ingreditur definitionem substantiæ, sed potius e contra, ut modo dictum est; ex his quoque soluta manent argumenta, quibus Bassol. citat. contendit probare, substantiam posse a Deo separari a quocumque accidente, etiam respectivo.

46 Dicimus 2. Omne accidens absolutum per absolutam Dei potentiam esse potest sine subiecto, nullum respectivum. Ita Scot. 4. d. 12. q. 1. §. *Ad quæst. &c.* quamvis hæc conclusio quoad primam partem ratione naturali demonstrari non possit, quia, ut docet Sco. quol. 7. per totum, & 1. d. 43. ex puris naturalibus demonstrari non potest, neque a priori, neque a posteriori, Deum esse omnipotentem, ut Theologi ponunt, ut I. immediate se solo efficere possit quicquid efficit cum causis secundis, unde & inquit axioma illud: *Quicquid Deus efficere potest cum causa secunda, potest etiam sine secunda se solo efficere*, non esse ex terminis notum, sed tantum lumine fidei, quo docemur, ordinem essentialium causarum non esse simpliciter necessarium, unde Philosophi quia putabant, hunc ordinem esse simpliciter necessarium, unanimiter negarunt, accidens esse posse sine subiecto, etiam si ex alia parte cognoscerent, subiectum non esse de essentia accidentis, quia videbant ex eis non fieri unum per se, ut notat Doct. 4. d. 12. q. 1. sub E. & subiectum esse causam illius materialem, non intrinsecam, sed extrinsecam tantum. Adhuc tamen suaderi potest aliqua probabilis ratio ex natura accidentis absoluti deducta, nam accidens absolutum, ut absolutum, non requirit terminum, alioquin absolutum non esset, si igitur requirit subiectum, sit esse ob dependentiam ab eo alterius rationis, quam ut a termino, sed nulla est dependentia simpliciter necessaria alicujus absoluti ad aliud, quod non est de ejus essentia, sed tantum causa extrinsecæ, nisi ad causam extrinsecam simpliciter primam; subiectum autem non est de essentia accidentis, quia tunc ex eis fieret per se unum, & quamvis sit causa materialis accidentis, tamen non est causa materialis intrinsecæ, sed extrinsecæ, & licet sit causa extrinsecæ, non tamen est causa simpliciter prima, quia hæc est solus Deus, ergo a primo ad ultimum non est tanta dependentia accidentis absoluti a subiecto, quin a Deo suppleri possit, ita dicitur Doct. loc. cit.

Deinde supposito Eucharistiæ Sacramento, validissime probari potest conclusio quoad hanc partem, ubi constat, inhiatentiam actualem ab accidentibus panis, & vini separari, & hæc existere sine subiecto, quia nec ibi sunt in corpore Christi, cum non sit capax hujusmodi accidentium præsertim in

eo statu, nec etiam in aere circumfuso, cum nec ipse sit illorum accidentium idoneum susceptivum. Nec respondere valet, ex hoc Eucharistiæ mysterio tantum haberi, quod quantitas specierum sit sine subiecto, & sine actuali inhiatentia, non autem qualitates, quia hæc adhærent quantitati, & ab ea sustentantur, tanquam a proximo suæ inhiatentis subiecto. Non valet, nam licet ex hoc mysterio actualis existentia sine subiecto de sola quantitate concludi possit, tamen existentia possibilis sine subiecto pariter de qualitatibus concludi potest; Tum quia qualitas non est minus absolutum ens quantitate; Tum quia, ut arguit Doct. cit. q. 2. loquendo de accidentibus absolutis, semper dependentia ad prius est essentialior, quam dependentia ad posterius, sed qualitas habet dependentiam ad substantiam, tamquam ad 1. subiectum, ad quantitatem tanquam ad posterius, ergo essentialior est dependentia, quæ dependet a substantia, quam ea, quæ dependet ad quantitatem, sed ex hoc mysterio docemur, qualitates in Sacramento remanentes esse sine actuali dependentia ad substantiam, ergo docemur ex eodem mysterio posse saltem esse sine dependentia ad quantitatem, quamvis non docemur, esse actu sine illa.

47 Quoad alteram partem de impossibilitate separationis accidentis respectivi, probatur a Scoto l. c. in hunc modum; Respectus est essentialiter habitudo inter duo extrema, ergo sicut tollere terminum, ad quem est respectus, est tollere, vel destrueret respectum, ita tollere illud, cujus est respectus, nempe subiectum, vel fundamentum, est tollere respectum, & destrueret rationem respectus; non igitur quia accidens respectivum est accidens, ideo requirit subiectum, vel fundamentum, sed quia respectus est respectus, ideo requirit cujus sit, & ad quod sit etiam in Divinis, ita Doct. loc. cit.

In oppositum arguitur 1. absolute probando, in universum nullum accidens posse a subiecto separari; Tum quia sicut substantiæ convenit esse per se, ita esse in alio accidenti, at impossibile est, substantiam esse in alio, & non per se, ergo, & accidens esse per se, & non in alio. Tum 2. quia posterius essentialiter non potest esse sine priori essentialiter 5. Met. cap. de priori, sed accidens est posterius essentialiter ipsa substantia, 7. Met. Tum 3. impossibile est, definitum esse sine definitione, & quacumque parte illius, at substantia ingreditur definitionem accidentis ex 7. Met. tex. 4. quia inhiatentia actualis est de essentia accidentis, nam ex Philosopho accidentis esse est esse, & accidentia dicuntur entia, quia entis 7. Met. tex. 2. per quod insinuatur, rationem formalem entitatis accidentium esse inhiatentiam actualem ad substantiam. Tum 5. si actualis inhiatentia non identificaretur accidenti, tunc alia inhiatentia media inhiaret illi, & tunc de ista inhiatentia inhiatentiam quærendum est, quomodo se habeat ad primam inhiatentiam, & sic daretur processus in infinitum. Tum tandem, ait Averis cit. neque omnis quantitas esse potest sine subiecto, nam nec tempus potest esse sine motu, cum tempus sit quantitas successiva, nec numerus esse potest sine rebus numeratis, cum tamen sit quantitas discreta.

48 Resp. ad hæc omnia ex Scoto l. c. Ad 1. tenet paritas, ut per se esse, & esse in alio dicunt aptitudinem, sic enim unum ita convenit uni, ut profus alteri repugnet, at non omnino tenet, ut dicunt actum nisi quoad hoc, quod substantia cavere potest actuali subsistentia in proprio supposito, & esse in alio, sicut pater de natura in Verbo, & accidens actualis inhiatentia, ut patet de accidentibus Eucharistiæ. Ad 2. ait Doct., substantiam esse accidente priorem aptitudinaliter, sed non semper actualiter, & in proposito accidentia panis in Eucharistiâ adhuc talem retinent posterioritatem aptitudinalem in ordine ad substantiam panis, licet actualem non retineant ob definitionem panis, & ita verum est semper, accidens, ut posterius, non posse esse sine respectu ad substantiam, ut aptitudine priorem. Ad 3. valet assumptum de illo, quod ingreditur definitionem, ut genus, vel differentia, non ut additum, quo modo substantia ingreditur definitionem accidentis; & si dicas, etiam correlativum ingredi definitionem relativi tantum, ut additum, & tamen adhuc relativum sine correlativo esse non posse subdit Doct., hoc ideo evenire, quia relativum est, & non quia accidens præcise. Ad 4. negatur assumptum, accidentis esse dicitur inesse non quidem actualiter, sed aptitudinaliter solum, quatenus per hanc aptitudinem essentiam accidentis solemus circumscribere, & cum accidentia dicuntur ab Arist. entia, quia entis, inquit Doct. ly, *quia non semper dicere notam causæ formalis, sed quandoque efficientis tantum, vel causæ materialis extrinsecæ, ut in proposito*. Ad 5., inquit Doct. albedinem inhiatere inhiatentia realiter distincta, id est uniri subiecto media unione accidentalit, quæ dicitur inhiatio, at hæc non inhiat alia inhiatentia realiter distincta, sed se sola uniri albedini, quia, quod alicui est ratio essendi tale, illud seipso est tale, & ideo sicut actionis non datur alia actio, qua producatur, ita nec unionis datur alia unio, qua uniat subiecto. Ad 6. nec tempus re vera est proprie species quantitatis, nec si esset, a motu realiter distincta poni deberet, idem dicendum de numero, quod non est vera species quantitatis, nec si esset, a rebus numeratis realiter distincta poni deberet, ut suo loco diximus in Log. disp. 7. q. 2. art. 1.

49 Secundo probatur specialiter de qualitatibus, non posse separatas existere a quocumque subiecto. Tum quia si albedo esset separata a quantitate, esset sensibilis, & insensibilis, corporea, & spiritualis; sensibilis esset, quia adhuc foret qualitas tertiæ speciei, esset spiritualis, quia quod non est quantum, non est sensibilis, esset

esset spiritualis, quia in tali statu esset indivisibilis, esset corporea, quia est qualitas de tertia specie. Tum quia etiam Canonici ipse, qui omnium accidentium separabilitatem a subiecto conatus est tueri, l. c. 1. concl. 1. fatetur, esse quædam accidentia absoluta ex innata eorum conditione ita subiecto alligata, ut nec Deus ipse supplere posset eorum exigentiam, faintiam asserit pro exemplo, quæ est æquatio humorum ita corpori animalis alligata, ut a corpore separatam existere, repugnet profus. Tum denique hujus quoque generis videntur in universum omnes actus vitales, quorum tanta est dependentia a principio vitali, ut ab eo petant necessario produci, & in eodem recipi, alioquin nec vitales actiones forent, nec immanentes.

Resp. ad 1. ex Sco. 4. d. 12. q. 2. negando sequelam, nam albedo separata a subiecto adhuc in se foret sensibilis, quia apta movere sensum, & corporea, ac divisibilis, quia haberet adhuc pluralitatem partium integralium, quia tamen non esset sub modo quantitativo, qui est necessaria conditio ad exercitium sensationis, & divisionis, subdit Doct., quod in tali statu ob quantitatis defectum non foret sensibilis, & divisibilis potentia proxima, ita sub B. Ad 2. ait Sco. quodl. 18. sub l. sanum, & pulchrum, cæterisque qualitates de quarta specie non esse proprie qualitates, & accidentia absoluta, sed potius relativa, poni tamen in prædicamento qualitatibus, quia habent modum denominandi, & prædicandi qualitates, quatenus prædicant de subiecto modo quodam absoluto, non referendo illud expresse ad aliud, sicut esse partem, vel esse simile. Ad 3. possunt etiam actus vitales secundum absolutas eorum entitates a potentis vitalibus separari, & conservari, & adhuc actus vitales dici debent, ac immanentes, quatenus ex natura sua adhuc exigent produci a principio vitali, & in eodem recipi ex vi talis productionis, ut fufus in lib. de Anim.

50 Tertio arguit specialiter Canonici pro separabilitate accidentis respectivi; Quæcumque essentialiter distinguuntur, sunt mutuo separabilia, relatio prædicamentalis, & fundamentum sunt hujusmodi, ergo &c. minor patet, probatur major, quia sicut ad identitatem essentialem sequitur necessario impossibilitas separationis, ita ad distinctionem essentialem separabilitas.

Resp. valere majorem cum sua probatione, quando unum ab altero essentialiter non dependet, at in proposito relatio dependet essentialiter a fundamento, & termino, cum sit essentialiter habitudo inter duo extrema. Contra urget Can. Tum quia dependentia relationis ab extremis intrinsecæ, & essentialis esse nequit, qualis est totius a partibus, quia nec fundamentum, nec terminus sunt de intrinsecæ ratione, & essentia relationis, cum sint entia absoluta. Tum quia primum simpliciter independens, ut est Deus, potest terminare omnem dependentiam, & supplere vicem cujuslibet terminantis eam.

Resp. quod licet extrema non sint de essentia accidentis relativi, tamen habitu inter illa est de essentia, vel potius ipsamet essentia illius, & falsum est, primum simpliciter independens posse omnem dependentiam immediate terminare, nec eam propositionem simpliciter, & absolute concedit Scot. 3. d. 1. qu. 1. & quodl. 19. imo nec ipse Canon. qui fatetur art. 1. propositionem illam, quicquid Deus potest cum causa secunda, potest sine illa, intelligi tantum in genere causæ efficientis. Contra urget Canon. vel fundamentum in ordine ad relationem se habet, ut causa efficiens, vel finalis, vel formalis, vel materialis, si ut efficiens, & finis, ergo potest Deus supplere causalitatem ejus, cum supplere possit causalitatem extrinsecam præsertim efficientis, & finis; si ut materialis, (quia in genere causæ formalis non videtur concurrere posse) vel concurrat, ut materia ex qua, vel in qua; si primum, quia materia non est pars intrinsecæ relationis; si secundum, jam in hoc convenit cum accidente absoluto, quare sicut in absoluto potest supplere Deus eorum dependentiam talem a subiecto, cum sit causalitas materialis extrinsecæ, ita etiam poterit in respectivis.

Resp. relationem prædicamentalem pendere a fundamento in genere causæ efficientis, & materialis in qua, alia tamen ratione, ac accidens absolutum; nam accidens absolutum pendet a suo subiecto præcise in ratione subiecti, sed respectivum pendet ab eo etiam in ratione fundamenti; unde quamvis cum fundamento in ratione subiecti non habeat majorem connexionem accidens respectivum, quam absolutum, quia sic est causa materialis extrinsecæ utriusque, quæ a Deo suppleri potest, tamen cum fundamento in ratione fundamenti majorem habet connexionem accidens respectivum, quam absolutum, & hoc ex sua specifica differentia, quatenus respectus est, quia etiam relatio divina, quamvis non sit accidens, nec esse potest, nec concipi sine fundamento, quia est essentialiter habitudo inter duo extrema, unius, ut fundamenti, alterius, ut termini, ita colligitur ex Scot. cit. 4. d. 12. q. 1. ad tertium principale, & q. 2. ad 4.

51 Sed contra, adhuc instat Can. Tum quia dependentia relationis a fundamento etiam in ratione fundamenti adhuc est in genere causæ extrinsecæ, quam Deus supplere potest. Tum quia relatio in ratione relationis non videtur indigere fundamento, nisi ut sustentetur, sed causalitas materialis, licet in ratione recipientis suppleri a Deo nequeat ob imperfectiorem annexam, potest tamen suppleri in ratione sustentantis. Tum tandem quia relatio potest esse sine tali dependentia, cum hæc sit respectus extrinsecus adveniens, & alterius prædicamenti, ac proinde ab ea separabilis.

Resp. negando, quod dependentia relationis a fundamento in ratione fundamenti, etiam si sit in genere causæ extrinsecæ

potest suppleri a Deo, & cum communiter dicitur, omnem talem posse a Deo suppleri, & nullam talem esse simpliciter necessariam, nisi sit ad causam simpliciter primam, ait Doct. 4. d. 12. q. 1. & supra E. & sub S. id intelligi debere in hoc Jutis, non in respectivis, quia accidens respectivum in hoc distinguitur ab absoluto, quod ubi absolutum esse potest sine quocumque; quod non est de illius essentia, & ideo dicitur absolutum; accidens respectivum pendet essentialiter etiam ab eo, quod non est de ejus essentia, & sine ipso profus esse nequit, & ideo dicitur respectivum, id est, necessario aliud a se essentialiter respiciens. Ad 2. negatur assumptum, quia relatio divina nulla indiget sustentatione, cum sit per se subsistens, & tamen indiget fundamento, ista igitur indigentia oritur ex intrinsecæ ratione relationis, quatenus relatio est. Ad 3. falsum est, dependentiam relationis a fundamento esse alterius generis a relatione, cum potius sit differentia constitutiva ejus, ut distinguitur ab absoluto, cum esse in fundamento, ita sit de essentia relationis, ut esse ad, velut ad terminum sicut in prædicamento relationis distinctum est.

52 Quarto arguit ad idem Rubion 4. d. 12. q. 3. Tum quia per hoc solum ostendi potest separabilitas accidentis absoluti, quia est realiter a subiecto distinctum, ergo pariter dicendum erit de respectivo, si a subiecto ponatur realiter distinctum. Tum 2. quia oppositorum causæ debent assignari oppositæ, ergo si causa inseparabilitatis duorum est realis eorum indistinctio, causa inseparabilitatis erit realis distinctio; Quod si dicatur accidens absolutum non ideo præcise esse a subiecto separabile, quia est realiter distinctum, sed etiam, quia est accidens absolutum, respectivum vero esse inseparabile, non quia realiter indistinctum, sed potius quia respectivum; Tum objicit Rubion, se dicturum e contra, quod accidens respectivum est separabile, quia respectivum, non autem absolutum, quia absolutum. Tum 3. quicquid Deus potest se solo facere, potest etiam se solo conservare, sed potest se solo facere respectum sine extremorum concursu, ergo & se solo conservare: probatur minor, quia Deus continet virtualiter causalitatem cujuscumque causæ secundæ, & ejus effectum perfectio modo, sed non perfectio modo contineret, si tantum virtualiter partialiter contineret. Item Deus dicitur causa prima, quia in nullius effectus productione pendet essentialiter a concursu causæ secundæ, ergo respectu omnium est causa totalis quantum est de se, & potest quemcumque effectum se solo producere immediate, si placet, & si non potest quemcumque effectum se solo immediate producere, respectu alicujus effectus erit causa partialis necessario, quod maximam dicit imperfectiorem. Tum 4. quia relatio Scoti superius adducta ad probandam separabilitatem accidentis absoluti a subiecto, vel nihil concludit, vel æque concludit etiam de respectivo; ratio erat, quia nullus effectus dicit dependentiam essentialem a causa extrinsecæ, nisi simpliciter prima, & ideo cum accidens absolutum habeat subiectum pro causa extrinsecæ, quia subiectum non est de essentia ejus, & non sit causa prima, consequenter dependentia accidentis ab eo non erit essentialis simpliciter; plane tota hæc ratio currit pari passu de accidente respectivo, ut per eam discutendo patebit.

53 Resp. ad 1. Neoterici, negando, quod accidens respectivum realiter a subiecto distinguatur, quia nequit ab eo separatum existere, quod inquit necessario requirit, ut aliqua duo dicantur realiter distinguuntur, sed præterquam quod sic respondendo videtur committi manifesta petitio principii, quia hæc est lis de nomine, & per distinct. realem hic aliud non intelligimus, quam solam negationem realis identitatis, sive ita realiter distinctum ab aliquo possit se solo existere, sive non, ideo concedimus, accidens respectivum esse aliquid extremis realiter superadditum, & ab eis realiter distinctum, sed negamus, inde posse deduci realem separabilitatem, neque accidens absoluti separabilitas a subiecto præcise deducitur ex ejus distinct. reali ab eo, sed etiam ex independentia essentiali ipsius ab eo, quia absolutum est. Ad 2. valet assumptum in causis præcisis, sed negant, realem indistinctiorem esse causam præciscam inseparabilitatis duorum, est utique causa sufficiens, sed non præcisa, potest enim aliunde provenire, ut ex dependentia essentiali unius ab alio, vel necessaria coexistentia, & cum inquit Rubion, si nos dicimus, accidens absolutum esse posse tali subiecto, quia absolutum e contra dicturum de respectivo; profus irrationabiliter loquitur, nam in hoc distinguuntur ens absolutum, & respectivum, quod absolutum esse potest, & concipi sine omni eo, quod non est de ejus essentia, at non respectivum, quod hæc ratione præsertim respectivum dicitur, quia secundum suam quidditatem non solum respicit sua prædicata intrinsecæ, sed etiam aliqua, quæ sunt extra ejus essentiam. Ad 3. dicendum est ex Licher. 3. d. 1. q. 1. paulo supra. §. *Ad arg. principalia &c.* quod aliud est loqui de accidente absoluto, aliud de respectivo, quia etsi Deus possit immediate causare utrumque (maxime loquendo de respectu extrinsecus adveniente, qui propria factio fieri potest) non concurrente aliqua causa in secunda genere efficientis causæ, est tamen differentia, quia accidens absolutum non de necessitate determinat sibi aliquid subiectum, a quo actu dependeat, sed respectivum quodcumque determinat sibi de necessitate aliud quod subiectum a quo actu dependeat, velut a fundamento esse sua intrinsecæ ratione, nec propterea dicitur Deus imperfecte continere, & per modum causæ partialis effectum causæ secundæ; Tum quia per allatam responsum ponitur Deus causa

causa totalis respectus, & extrema intervenire dicuntur solum in ratione recipientis, vel terminantis; Tum quia etiam ponatur aliquis effectus ex sua peculiari ratione necessario simpliciter exigere concursum causae secundae, ut est de composito, quod necessario petit concursum materiae, & formae, nec sine tali concursu potest a Deo fieri, & de actibus vitalibus in sententia multorum, qui postulant necessario concursum potentiae vitalis, non idcirco Deus dici debet causa partialis, & sufficiens respectu horum effectuum, neque id arguit in Deo defectum virtutis, quia huiusmodi effectus non sunt alio modo factibiles, sicut eo quia Deus facere nequit, quod implicat, non ideo dicimus, eum impotentem, quia potentia est solum respectu possibilis, non impossibilis. Ad 4. negatur, rationem Scoti aequae concludere de accidente respectivo, sicut de absoluto, nec verum est Doctorem absolute dixisse, nullum effectum dicere dependentiam essentialiam a causa extrinseca, nisi simpliciter prima, sed dixit; nullus effectus absoluti dari dependentiam essentialiam ab aliqua causa extrinseca, nisi simpliciter prima, neque ita arguendo committit petitionem principii, ut inter Rubion, quia non gratis assumit Doctor ibi hanc propositionem, sed pluribus eam ibi probat.

54 Quinto demum arguitur; Tum quia in omnibus dependentiis magis est necessaria dependentia a primo, quam a secundo, sed accidens relativum dependet a substantia, ut a subiecto priori, ab accidente vero, ut a subiecto posteriori, ut patet de similitudine, & aequalitate, ergo si potest esse sine dependentia priori, quae est magis necessaria, ut de facto contingit in Eucharistia, tanto magis esse poterit sine posteriori; Tum etiam quia si accidenti respectivo repugnat esse sine subiecto, vel hoc repugnat sibi quatenus accidens, vel quatenus relatio; non primum, quia tunc repugnaret omni accidenti, neque secundum, quia tunc non repugnaret relationi divinae inherere.

Resp. Scot. ad 1. sub M, quod dependentia relationis a fundamento est essentialissima, ita quod sine ea non potest consistere ratio relationis, quare si substantia nequeat esse fundamentum immediatum relationis (quod tamen falsum est) sed tantum accidens, necesse erit, relationem magis dependere ab accidente, quam a substantia, & hoc non quia relatio est accidens, sed quia relatio. Ad 2. ait ibidem, quod si subiectum accipitur in ratione subiecti, haec repugnantia oritur in relatione creata, non quia sit accidens, nec quia relatio, sed quia relatio, nimirum accidentalis; quod si subiectum accipitur in ratione fundamenti, haec repugnantia oritur ex natura relationis, ut relatio est, & ita etiam relationi divinae repugnat esse sine subiecto, hoc est sine fundamento.

ARTICULUS II.

Quomodo accidens separatim conservetur.

55 Dicendum est 1. accidens separatim non indigere novo perfectiatis modo positivo ad sui conservationem. Concl. est Sc. in 4. d. 12. qu. 1. & 6. *Sd. argum. etc.* ubi accidenti separato nullum concedit novum perfectiatis modum positivum pro eius conservatione, & ut per se existere dicatur, sed tantum negativum, quatenus scilicet, prosequitur Deus conservationem accidentis secundum suam entitatem, & subtrahit concursum, quo conservabat subiectum, & inhaerentiam accidentis in subiecto, & sequuntur Scoti: omnes illo in loco, Aret. Faber, Iribarnes, & alii. Constat magna ex parte haec conclusio ex dictis superius de forma substantiali disp. 2. q. 3. art. 3. nunc addenda sunt, quae propria videntur formae accidentalis. Prob. itaque Concl. Primo, quia huiusmodi modus non videtur possibilis, nam vel esset substantialis, vel accidentalis; non primum, quia accidens non est capax modi substantialis; neque secundum; Tum quia cum sit accidens, non minus erit dependens, quam illud, cuius est modus, & sic non poterit facere ipsum per se esse. Tum quia cum sit imperfectior accidente, cui additur, erit magis dependens illo. Tum tandem quia omnino repugnare videtur accidenti, vel modo accidentali facere rem per se existentem, & a subiecto independentem, nam accidentis esse, est inesse, & a subiecto semper aliquo modo dependere, & quidem implicat, modum accidentalem, qui est minoris entitatis, & maioris dependentiae, quam accidens, cui additur, reddere illud per se existens.

Deinde etiam si talis modus possibilis foret, attamen nullo modo videtur necessarius, nam quidquid petitur ab hoc modo, salvari potest per actionem extrinsecam Dei, ut patebit dicendo per singula. Cajet. 3. p. q. 78. art. 1. iudicavit necessarium huiusmodi modum in quantitate specierum Eucharistiae, ut redderet quantitatem aptam ad suscipiendam cetera accidentia, ut faciebat substantia, & ideo appellavit hunc modum superadditum quantitati vice substantialiam, vicematerialem. Sed frustra ad hoc munus obeundum excogitavit Cajet. hunc modum, nam vel ipsum ponit vel ut subiectum ultimate sustentans quantitatem, ut quantitas deinceps in virtute ipsius cetera suscipiat accidentia, & haec non est defendere accidens sine subiecto, sed potius esset tribuere illi aliud subiectum loco prioris, ut bene arguit Averfa q. 21. sect. 4. Si vero non ut subiectum quantitatis, sed potius, ut modus per se existendi, quantitatem coadiuvans ad suscipiendum aliorum accidentium ponatur, hoc totum haberi potest per actionem Dei conservantem, & sustentantem, unde quantitas diceretur alia acciden-

tia sustinere, quia ipsa sustentatur a Deo in genere efficientis causae, ergo potest haberi effectivè per actionem Dei, quidquid habetur formaliter per intrinsecum modum per se existendi.

Cajet. ibid. videtur iudicare, hunc modum esse necessarium in quantitate specierum, ne dicere cogamur quantitatem ibi existere violentè, & omnes actiones, & mutationes, quae ibi interveniunt, esse miraculosas, quod tamen dicendum esset, negato huiusmodi modo, nam quamvis quantitas sufficiat ad salvandum, quod naturaliter fiant alterationes in Eucharistia contingenter, attamen sine tali modo, qui sit velut virtus substantiae, non possemus salvare, illa accidentia posse nutrire, substantiam producere, & corrumpere, sicut poterant conjuncta.

56 Sed neque ob id necessarius est hic per se existendi modus; Tum quia accidentia ex sua natura nata sunt inherere, & dependere a subiecto, ergo talis modus, quia ea reddit independentia, videtur ea constituere in statu magis violento, quam modus existendi per se negativus, unde, ut non dicantur violentè accidentia separata existere, sufficit, quod Deus in genere efficientis causa illa sustentet, ita enim supplet eorum indigentiam, ut non dicantur violentè simpliciter pati. Tum quia sicut accidentia, dum sunt conjuncta substantiae, nec virtute propria, nec in virtute substantiae possunt producere, vel corrumpere substantiam, ita neque id poterunt separata in virtute istius modi, praesertim si ponatur accidentalis, & si quid tale evenit in Eucharistia, id evenit virtute divina, & hoc est rationabilius, quam tribuere accidentibus actionem eis repugnantem. Tum tandem falsum est, ablato tali modo, omnes actiones, quae sunt circa accidentia, fore miraculosas, & adhuc melius esset actiones illas ponere miraculosas, quam constituere illud maximum miraculum, quod accidens habeat modum substantiae, vult Cajet. & adhuc maneat accidens, ergo si conceditur actio, quae quantitas, per se existit independentè a subiecto; jam superfluum est alius modus per se existendi; unde Suar. Tom. 3. p. disp. 56. sec. 2. & Vasq. disp. 19. 4. cap. 2. minus consequenter loqui videntur, dum praeter novam actionem divinam, ex vi cuius quantitas existat independentè a subiecto, expolunt novum per se existendi modum. Neque satisfactum, quod ait Becanus de Sacram. c. 20. q. 1. in fine actionem novam, & a subiecto independentem sufficere quidem ad hoc, ut quantitas non indigeat subiecto, non tamen ad hoc, ut separaretur ab eo, sed praeter actionem requiri modum per se existendi actuali inhaerentiae repugnantem; Non sufficit, nam per hoc solum, quod Deus prosequatur accidentis conservationem secundum entitatem suam, & cesset a conservatione subiecti, vel inhaerentiae accidentis in eo, sufficienter intelligitur accidens sine subiecto existere absque productione alicujus novi modi, quia ut notavit Bassol. 4. dist. 12. q. 1. art. 2. in fine, separatio non est actio positiva termini alicujus, sed destructio inhaerentiae.

57 Coninchius de Sacram. qu. 77. ar. 1. d. 2. ex alio cap. deducit necessitatem huius novi modi, inquit enim impossibile esse, rem aliquam existere, nisi in suo genere sit ultimo determinata, impossibile enim est, animal existere, nisi contractum ad certam speciem, & certum individuum; item impossibile est, quantitatem existere extensam, nisi habeat certam figuram, & sic de aliis, ergo similiter accidens nequit conservari sine inhaerentia, nisi accipiat alium modum, quo eius existentia terminetur, sicut per inhaerentiam terminatur prius, alioquin haec ult. maneret indeterminata, & quasi vaga, ac incerta.

Sed neq; ob id necessarius est novus per se existendi modus in accidente separato; verum utique est, omnem rem necessario debere habere suum modum essendi, veluti terminum existentiae; sed falsum est, hunc terminum necessario importare entitatem positivam, subsistentiam enim, quae est terminus ultimatus substantiae, probabiliter in negatione consistit, ut docet Scot. 3. d. 1. q. 1. & id ipsum confirm. exemplo quantitatis adducto a Conincho: nam quantitas secundum longitudinem terminatur puncto, secundum latitudinem lineam, secundum profunditatem superficie, & tamen huiusmodi termini in multorum sententia non prorsus improbabilis, non dicunt aliquid positivum.

Averfa q. 21. sec. 4. ait, accidens separatim necessario conservari debere per aliquid positivum superadditum. Tum quia conceptus essendi per se, est conceptus positivus, & non mere negativus. Tum quia sicut datur positivus modus essendi in alio, ita possibilis erit positivus modus essendi per se illi oppositus. Tum demum, quia natura substantialis non potest existere absque modo positivo essendi, vel per propriam subsistentiam, vel per unionem ad alienam, ergo tanto magis id necessarium erit in natura accidentali, quia natura substantialis non indiget suo modo subsistentiae per modum dependentiae, sed tantum per modum terminationis, at forma accidentalis vere indiget inhaerentia per modum dependentiae. Sed neque Averfa sufficienter ostendit huiusmodi necessitatem, nam quamvis conceptus essendi per se independentè ab alio, tam actualiter, quam aptitudinaliter diceret conceptum positivum, & non mere negativum, quod tamen non est omnino certum, tamen conceptus essendi per se cum independentia actuali a subiecto non est conceptus necessario positivus. Et quamvis datur modus positivus essendi per se, oppositum modo positivo essendi in alio, non ob id concluditur, hunc modum debere accidenti convenire, cum potius substantiae pra-

prius videatur. Et denique ex hoc, quod natura substantialis, ablata propria subsistentia debeat existere necessario per unionem ad alienam, quod tamen non est omnino certum, non bene inferitur, accidens e contra, ablata inhaerentia actuali, non posse per se existere absque positivo modo superaddito, nam naturam esse in alieno supposito formalissime dicit respectum positivum unionis, at accidens esse per se, id est sine subiecto, non praesertim necessario conceptum positivum, sed salvari potest per negativum. Et quamvis forma accidentalis indigeat inhaerentia per modum dependentiae, non probat sufficienter Averfa, hanc indigentiam suppleri debere necessario in genere causae formalis, per intrinsecum modum per se existendi, nam nos dicimus, suppleri posse in genere causae efficientis per actionem Dei conservantem, & sustentantem accidens extra subiectum.

58 Denique quando hic etiam existendi modus possibilis esset, & necessarius, adhuc ex eo, c. difficultatem ingerit, quia nec ipsi Adversarii explicare sciunt, in quo consistat talis modus, quidve formaliter dicat, nam hoc positivum esse non potest nova res, aut virtus substantialis, in sensu, quo loquebatur Cajet. ut sup. probatum est; nec poni potest nova accidentis existentia, quasi prius existeret existentia subiecti, nam sicut accidens, dum est in subiecto, habet propriam entitatem a subiecto realiter distinctam, ita habet propriam existentiam licet ab eo dependentem. Neque potest poni modus absolutus per se existendi repugnans inhaerentiae actuali; Tum quia hic repugnare videtur naturae accidentis, sicut caliditas naturae aquae. Tum quia non melius devenire possumus in cognitionem huius modi necessarii ad conservationem accidentis, quam ex Mysterio Euchar. ubi separatim conservatur; at ex hoc mysterio non colligitur talis modus absolutus positivus per se existendi, ut ipsemet Averfa fatetur l. c. unde tandem elegit Averfa fateri, hunc modum, quo quantitas separata existit in Eucharistia, esse modum quandam unionis ipsius quantitatis ad corpus Christi diversum omnino ab inhaerentia. Sed adhuc difficultas est explicare hunc modum unionis accidentis peculiariter ad substantiam, quia non sit inhaerentia, nam accidens intrinsece uniri substantiae aliud non videtur esse, quam illi inherere; unde Averfa declarat ignotum per ignotius.

In oppositum praeter objecta disp. 2. qu. 3. art. 3. objicies iterum ex Suar. Tum quia modi positivi communiter resulant in rebus, quando modus positivus destruitur, nam in naturalibus non auferitur talis situs a corpore, nisi detur alius; non auferitur a linea recta relictum, nisi detur obliquitas vel similis alius modus; In supernaturalibus non auferitur a corpore Christi modus circumscriptivus essendi in loco in Euchar. nisi detur modus sacramentalis; ab humanitate ejusdem non auferitur modus subsistentiae, nisi posita unione ad Verbum, ergo etiam in proposito, non auferitur inhaerentia ab accidente, quin detur modus oppositus. Tum etiam quia modus essendi, qui est ultimus terminus rei, non potest auferri, quin alius modus essendi resulet loco illius, divisa enim linea, & ablato puncto continuante, resultant alia puncta terminantia, ergo ablata inhaerentia ab accidente, quae est terminus existentiae illius, necessario resultabit alius modus positivus.

59 Resp. negando paritatem assumptam a Suar. quia modi, quos recenset Suar. vel sunt absoluti, & connaturales, ut relictum, & obliquitas in linea, atque ideo necessario pullulant a rebus, vel sunt respectus extrinsecos advenientes, qui possunt fundamento, & termino, & conditione, regulariter necessario resulant, ut sunt unio hypostatice, ubi, situs, &c. Modus vero existendi per se positivus vel repugnat accidenti, vel falsè ei connaturalis non est, ut inde ad ablationem inhaerentiae ex natura rei solum haberi potest in accidente pura negativo existendi in alio, quae a Scoto appellatur modus per se essendi negativus, & plane paritas in argumento assumpta, si valeret, plus probat, quam velit Suar. probat enim, & unionem in humanitate Christi ad Verbum ablata propria subsistentia oriri ex natura rei in ipsa, & modum sacramentalem oriri ex natura rei in corpore Christi ad ablationem modi quantitativi, quod falsum est, etiam in sententia ipsius in Met. disp. 40. sect. 4. Ad aliud patet ex jam dictis, non esse de ratione termini existentiae rei, quod semper consistat in aliquo positivo; & in sententia Nominalium praesertim punctum terminans in linea dicit solam carentiam ulterioris longitudinis.

Secundo objicies ex Coninch. Sicut figura ultimo terminat extensionem quantitatis, ita inhaerentia, & subsistentia ultimo terminant existentiam accidentis, & substantiae, ergo sicut impossibile est conservare quantitatem extensam, & tollere ab ea suam figuram, quin ei detur alia, ita videtur impossibile tollere ab accidente inhaerentiam, nisi detur modus oppositus illi. Accedit, quod sicut quantitas sine figura foret indeterminata, ita accidentis existentia sine inhaerentia, nisi habeat alium modum, quo terminetur.

60 Resp. negando paritatem assumptam, quia figura est modus connaturalis quantitatis, & relatio quaedam necessario resultans in re quanta ex varia dispositione, & terminatione partium ejus, ut docet Scot. in 4. d. 12. q. 4. F. at modus per se subsistentis positivus non solum non est connaturalis accidenti, verum ipsi directe repugnat, sicut modus inhaerendi manebit, si ei non tribuatur modus hic existendi positivus, sed modo negativo terminabitur: Possimus etiam cum Tromb.

7. Met. q. 3. distinguere de duplici figura quantitatis, positiva, quae dicit determinationem extrinsecam, & reponitur in praedicatione qualitatis ab Arist. & privativa, quae dicit determinationem intrinsecam, nihil positivum addens ultra corpus de genere quantitatis, sed tantum privationem ad ultraiores partes, & licet quantitas esse nequeat sine figura privativa, potest tamen esse sine positiva, ex quo concluditur solum, data paritate non posse ab accidente auferri inhaerentiam, quin ei tribuatur subsistentia negativa.

61 Dicimus 2. accidens separatim non indigere ad conservationem suae entitatis novo concursu diverso a priori secundum rem, quo conservabatur in subiecto. Concl. satis probata manet disp. 2. q. 3. art. 3. ubi ostendimus, esse de mente Scoti 4. d. 12. q. 1. R. & iterum modo probatur, ostendendo, nullam urgere necessitatem novi concursus; nam vel ponendus esset ad suppleendam causalitatem subiecti, ut contendit Coninch, quia prius influebat Deus, ut causa partialis, & conservabat accidens cum subiecto; & modo influit, ut causa totalis, & conservat sine subiecto; concursus prior erat de se insufficientis ad conservandum accidens, posterior est sufficientis, prior erat concursus generalis, posterior est specialis. Sed haec ratio non urget ad ponendum novum influxum a priori diversum secundum rem, quia ut diximus l. c. disp. 2. n. 52. & fule probat Vulpes tom. 1. p. 2. disp. 7. art. 6. concursus Dei, quem causis secundis exhibet, est de se sufficientissimus ad ponendum se solo effectum secundum rem, & solum secundum modum dicitur partialis, & insufficientis, ut ibi declaratum est, quia si esset insufficientis, & partialis secundum rem, licet in actu primo esset independens a concursu causarum secundarum, tamen ut hic, & nunc exhibetur in actu contra rationem influxus causae primae. Accedit ex ibi dictis, quod quando modo Deus producit aliquem effectum cum causa secunda, & deinde illum conservat sine concursu causae secundae, fatetur etiam ipsi Adversarii, influxum conservativum Dei non esse secundum rem diversum a priori, ergo concursus ille, quo effectum producit cum causa secunda, sufficit se solo ad illum ponendum. Neque conuersus, quo se solo conservat accidens sine subiecto, dicitur specialis, quia sit diversus secundum rem ab eo, quo conservabat illud in subiecto, & dicebatur generalis, sed tantum quia est diversus ab eo secundum modum, prior concursus dicebatur generalis, quia debitus erat de communi lege; posterior dicitur specialis, quia a Deo exhibetur in tali rerum ordine, in quo illum exhibere non tenetur de communi lege.

62 Vel necessarius esset novus concursus, & alterius rationis a priori, quia ex vi prioris concursus conservatur accidens in subiecto, ita quod terminus adequatus ejus est accidens inhaerens ex vi posterioris conservatur sine subiecto, ita quod terminus adequatus ejus est sola entitas accidentis, ut dicebat Becanus sup. cit. Sed neque id urget ad ponendum novum concursum a priori diversum secundum rem, quia falsum est, per eandem actionem conservari entitatem accidentis, & inhaerentiam ejus, nam unio accidentis est entitas diversa ab entitate accidentis, & prorsus diversa est productio accidentis, & unionis, & manere potest entitas invariata, variato modo unionis, atque ideo cum actio, quae attingit praecise entitatem ipsius accidentis, distincta sit ab actione, quae attingit unionem, cessante ista, perseverante illa conservabitur accidens extra subiectum eodem concursu, quo prius secundum rem, licet diverso secundum modum.

Vel denique concursus iste, quo conservat accidens sine subiecto, diceretur alterius rationis a priori, quia prior erat eductivus, nam erat cum dependentia a subiecto, posterior est creativus, quia a subiecto independens; eductio autem, & creatio sunt actiones alterius rationis, ita dicebant Suar. & Vasq. suprac. Sed neque hac ratione ponendus est novus concursus alterius rationis a priori; Tum quia generatio, & creatio essentialiter non differunt, sed tantum ratione connotati, quatenus generatio connotat subiectum, ex quo fit forma, non autem creatio, sicut e contra eodem modo ratione connotati differunt annihilatio, & corruptio, ut P. Vulpes disp. 8. de Angelis art. 10. n. 1. notavit ex Scoto 4. d. 11. q. 4. & quodl. 10. Tum quia, ut notavit Averfa q. 21. sect. 4. in fine, in formis, quae fieri possunt per eductionem, & creationem, huiusmodi actiones possunt differre tantum per concomitantiam illius actionis, quae terminatur ad inhaerentiam, etiam si semper una, & eadem sit illa actio, quae attingit praecise entitatem ipsius formae.

In oppositum arguit Coninch. necessarium esse novum concursum diversum a priori. Tum quia in universo loquendo, alius est influxus primae causae, quo cum secunda influit in effectum, & alius, quo se solo illum producit, alius v. g. influxus Sole, solus illud deinceps conservaret, quia tunc influeret modo quodam determinato ad hunc effectum in particulari, ita ut spectato praecise modo, quo Deus hic, & nunc influit; necessario producat hoc lumen, ubi antea influebat concursu indeterminato, ita ut spectato praecise modo, quo prius influebat, non magis esset natus, sive determinatus producere lumen, quam calorem, vel frigus; nam Deus quantum est ex parte sua eodem modo concurret cum aqua frigefaciente, igne calefaciente, & Sole illuminante, sicut qui inflat organa, eodem modo concurret ad omnes sonos, quos organa diversimode pulsata edunt. Tum quia nihil potest in conservari ab aliquo pendere, sine quo aequè facile conservatur, sed ponere Deum eodem concu-

concurfu accidens separatim conservare, quo prius quando erat in subiecto, est dicere, æque facile illud conservare sine subiecto, ac cum subiecto, ergo prius non dependebat a subiecto in conservari; Tum tandem quia quando conservat independenter a subiecto, supplere debet causalitatem ejus, sed hoc fieri nequit, nisi adhibendo majorem concursum, sicut quando duo homines levant aliquid pondus, si unus postea se sololevat illud, nequit supplere causalitatem alterius, nisi adhibendo majorem concursum.

63 Resp. negando assumptum, fore scilicet alium influxum secundum rem, quando lumen conservaret sine Sole, ab eo quo conservabatur cum Sole, nam etiam de facto plurimi sunt effectus, qui cum causa secunda efficiente produntur a Deo, & deinceps sine ea conservantur, & tamen Adversarii fatentur, hujusmodi influxum Dei conservativum non esse a productivo diversum, & negatur concursus Dei esse indeterminatum, genericum, & quasi confusum, ac determinabilem ad hunc, vel illum effectum speciei; Tum quia hoc repugnat perfectioni concursus primæ causæ, quod satis ex Coninch. exemplo convincitur, nam qui pullat organa, utique perfectiori modo concurrat ad sonum edendam, quam qui tantummodo inflat; Tum quia in communi sententia Adversariorum individualio effectus pendet a Deo, & a Deo determinatur, ergo si concursus divinus est determinatus ad hunc effectum in individuo, tanto magis determinatus erit ad effectum in specie; Tum tandem quia utique concursus Dei materialiter sumptus est illimitatus, ac virtualiter multiplex, tum specie, tum numero, nunquam tamen dici potest, vel debet determinabilis, indifferens, & confusus, quia hæc repugnant perfectioni ejus, ut fatis probat Vulpes cit. disp. 7. art. 5. Ad 2. concedimus, nihil essentialiter simpliciter ab aliquo pendere in conservari, sine quo æque facile conservatur, potest tamen pendere essentialiter secundum quid, & adhuc absque eo æque facile conservari ab agente infinitæ virtutis, qui proinde æquali facilitate omnia producit, & conservat sine ullo omnino labore, vel conatu; jam vero, ut docet Scot. 4. d. 12. q. 1. nullus effectus creatus essentialiter simpliciter dependet in esse a causa secunda, sed tantum a prima, & dependentia illius ad eam talis est, ut ipsa sola continuata sufficiat ad esse, & conservari talis effectus, & ideo æque facile potest a Deo conservari forma in subiecto, ac sine subiecto. Ad 3. dicimus, Deum se solo operantem, vel conservantem supplere concursum causæ secundæ, non secundum rem, sed tantum secundum modum, non finendo causas secundas secum agere, neque supplere adhibendo majorem concursum, quia divinus concursus non potest recipere intensionem, vel remissionem, & paritas assumpta de duobus levantibus pondus est prolixo dispar, quia concursus eorum est limitatus, & finitus, qui proinde intendi debet ad ponendum majorem effectum; vide, quæ diximus disp. 2. q. 3. art. 3. nu. 52.

64 Sed querit Coninch. loc. c. n. 11. hanc respons. evertit, dicendo, quod cum ipse inquit, Deum majori influxu uti debere, dum effectum se solo producit, vel conservat, non vult dicere, Deum debere magis laborare, & in agendo fatigari, & difficilius effectum producere; Sed tantum inquit, se velle influare, effectum in tali casu potentiam influxum, sive causæ conatum requirere, & virtutem ipsius agentis magis applicari debere ad agendum, sive hoc faciat cum majori, sive cum æquali difficultate, nam potest causa majori conatu influere in effectum, & si non labore magis; quod etiam in Deo locum habet, nam si ponatur se solo ex tribus lignis unum calefacere, ut duo, secundum, ut sex, tertium omnino non calefacere, utique ex parte Dei debet huius rei reddi aliqua causa, nec alia reddi potest, nisi quia diversimode Deus se habet circa hæc ligna, quatenus nimirum suam vim agendi erga unum applicat, ut duo, erga secundum, ut sex, & erga tertium nullo modo, & in hoc sensu majorem dicitur adhibere concursum calefaciendo lignum, ut sex, quam calefaciendo, ut duo.

Verum ita explicando majoritatem, vel minoritatem divini concursus bene loquitur Coninch. nempe in hoc sensu illam negamus, nam utique major influxus ex parte Dei requiritur ad producendum totum universum, quam ad unum tantum accidens, neque hæc majoritas, aut minoritas explicari debet per aliquam intensionem, vel remissionem in velle divino conceptam, aut per majorem, vel minorem difficultatem ad agendum, sed dicitur major, vel minor, quatenus ipsum velle divinum, quamvis sit formaliter semper unum, & idem actus, est tamen ob suam illimitationem virtualiter multiplex, atque ideo æquivalens majori, & minori actioni. At tamen ex hoc non probat Coninch. debere Deum majorem adhibere conatum, & concursum, quando conservat accidens separatim, quia tunc tantum argui potest ex parte Dei major influxus, quando major est effectus, sed quando effectus est idem, arguit idem, quia non variatur actio circa eundem terminum absque ulla variatione ipsius termini; in casu autem nostro terminus divini actionis est entitas ipsius accidentis, quæ intrinsicè invariata manet, & proinde eandem semper actionem terminabit; quod autem variatur extrinsece ob defectum subiecti, non intert, in actione conservativa ejus diversitatem secundum rem, sed tantum secundum modum, unde sicut est eadem entitas accidentis nunc, & prius, & tantum diverso modo se habent, ita est eadem actio divina secundum rem, & tantum diversa secundum modum.

65 Secundo arguit idem. Formam materialem extra subiectum existere, est omnino supernaturalæ, sed hoc esse falsum, si adhuc ei sufficeret omnino concursus divinus, qui sufficit, ut existat in subiecto, ergo hic non sufficit, sed novus est necessarius, major patet, probatur minor, quia nihil est supernaturalæ, quod a causa naturali cum concursu ei debito fieri potest; per hoc enim differt præsertim effectus naturalis a supernaturali quod ille a causa naturali cum concursu ei debito fieri possit, hic non possit, atqui secundum sententiam nostram (inquit Coninch.) causa naturalis, Sol v. g. potest cum solo concursu generali naturaliter sibi debito lumen in aere producere (annihilato aere) conservare extra subiectum, ergo talis conservatio, sive existentiæ luminis, non esset supernaturalis.

Resp. neg. minorem, ad cujus probat. iterum neg. minor, utpote in qua assumitur casus impossibilis, posse nempe Deum (annihilato aere) adhuc adfistere Soli ad conservandum lumen in posterum sine subiecto, quia talis conservatio esset actio creativa, quæ creaturæ convenire non potest, ut fise probat Doct. 4. d. 1. q. 1. Potest igitur se solo Deus conservare lumen in aere jam a Sole productum, aere annihilato, eo concursu, quo prius secundum rem; concursus tamen iste conservativus, est foret idem qui prius secundum rem, non tamen diceretur luminis connaturalis, quia influxus conservativus non est luminis debitus, nisi in subiecto, eo modo, quo Adversarii supernaturalem ponunt concursum, quo Deus materiam sine forma conservaret, etiam si idem foret concursus, quo prius conservabatur cum forma secundum rem.

Sed contra hanc Resp. instat Coninch. Tum quia si ut aliquid dicatur existere supernaturaliter, sufficeret, ipsum existere alio modo ab eo, ad quem natura sua ordinatur, sequere, lapidem supernaturaliter in sublimi loco detineri, quod est falsum, sicut igitur eo quia lapis eodem concursu potest in eo statu conservari, quo in suo statu naturali, hic concursus dicitur ei debitus, & connaturalis, nec dicitur ulla ratione in tali statu supernaturaliter existere; idem erit dicendum de accidente extra subiectum, si potest ibi eodem concursu conservari, quo in subiecto conservabatur; Tum quia nulla unquam res in quocumque statu ponatur, postulat sibi subtrahi concursum divinum, ergo falsum est, accidens extra subiectum concursum hunc non exigere; Probatur antecedens, quia nihil postulat sui ipsius destructionem, sed conservationem, ad quam inter omnia concursus divinus est summe necessarius. Alias instantias facit Coninch. contra allatam respons. quæ quia illi falso supposito innotuit, quod Deus possit cum Sole concurrere ad conservandum lumen, aere annihilato, consulto dimittimus, velut nullius momenti.

66 Resp. hujusmodi instantias urgere etiam contra conservationem materialem sine forma, ut discurrunt patet, unde etiam Adversarii tenentur illas solvere; Ad 1. igitur dicimus, ut aliquid dicatur existere supernaturaliter, utique non sufficere, ipsum existere alio modo ab eo, ad quem natura sua ordinatur, ita enim monstra producerentur supernaturaliter, aqua supernaturaliter ascenderet sursum ad replendum vacuum, & lapis denique supernaturaliter existeret sursum; Ut igitur aliquid modo supernaturali existat, debet existere alio modo ab eo, ad quem natura sua ordinavit, quam natura universi, si enim existat alio modo ab eo, ad quem natura sua particularis ordinavit, existat tamen eo, ad quem ordinavit natura universalis, utique non dicitur existere supernaturaliter, quia concursus Dei generalis adhuc est debitus, unde si daretur Vacuum, aquæ sursum ascendent ad illud, replendum teneretur Deus concurrere de communi lege, & talis ascensus naturalis foret, non supernaturalis; Non igitur dicitur lapis sursum naturaliter existere eo præcise, quia eodem concursu a Deo ibi conservatur, quo prius in centro, sed quia ille idem concursus adhuc in tali statu est ei debitus ob indigentiam naturæ universalis. Ad 2. tota vis argumenti consistit in verbis, quando enim dicimus, accidens extra subiectum non exigere concursum Dei conservativum, sed potius petere subtractionem, non simpliciter, & absolute hoc pronunciamus; sed dicimus, illum non exigere secundum communem naturæ cursum, & ita non est natura particularis rei, quæ subtractionem petat divini concursus, sed potius natura universi. Accedit, quod dum dicimus, res in tali statu, vel tali non exigere influxum divini continuationem, aliud insinuare nolumus, nisi Deum de communi lege non teneri illis adfistere per suum illaplum generalem.

Tertio objicit Beccan. ci. A. Actiones distinguuntur essentialiter a terminis formalibus, sed productio rei ex nihilo, vel conservatio ejus sine subiecto, tamquam terminum adæquatum respicit rem ipsam solam, non autem inhærentiam ejus in subiecto; productio vero, vel conservatio rei dependens a subiecto, non solum respicit rem ipsam, sed etiam inhærentiam, ut terminum adæquatum, sicut ergo inter terminos adæquatos est formalis distinctio, ita etiam inter actiones concipienda est. Confirmari potest, quia eadem actione videretur conservari forma in subiecto, qua conservatur inhærentia illius: Deum enim conservare formam in subiecto, non est, nisi conservare inhærentiam illius in eo, ergo cessante inhærentia formæ, cessat illa actio, qua forma conservabatur in subiecto, & ita forma deinceps per novam actionem extra subiectum conservabitur.

67 Resp. neg. minorem quo ad 2. partem, quia ut sæpius dictum est, distincta est actio, qua producit, & conservatur entitas formæ, ab ea, qua producit, & conservatur inhærentiam.

inhærentia ejus, sicut enim respectus extrinsecus adveniens, qualis est inhærentia formæ, alia actione producit ab ea, qua producit extrema, ut Scot. docet in 3. d. 1. q. 1. ita etiam alia actione conservatur, licet dependet ab eis. Ad Conf. negatur assumptum; ad Probat. dicimus, committi fallaciam secundum plures interrogationes, ut unam; dum enim dicimus, formam conservari in subiecto, duo re vera dicimus; pronunciamus enim formam conservari in rerum natura, & explicamus insuper modum, quo conservatur, quæ duo diversas actiones important, unam, qua explicatur conservatio accidentis in rerum natura, aliam, qua explicatur modus conservationis ejus, scilicet inhærentia.

Recentior quidam Scotista in doctrina Neoticorum enutritus præsertim vero in materia de divino concursu cum causis secundis, quod sit re vera de se insufficientis, & partialis, proinde dependens essentialiter ab actione causæ secundæ in productione effectus, non minus quam ipsam actio causæ secundæ vice versa ab actione primæ dependeat, capere non potest sententiam nostram de conservatione formæ materialis a Deo extra subiectum eodem influxu secundum rem, quo prius conservabatur, dum erat in subiecto, & solum secundum modum variato, & contra eam sic argumentatur, quia si concursus ille, quo eam in subiecto conservat, est se solo sufficiens ad conservandam formam absque subiecto, esset etiam sufficiens se solo ad conservandam formam in subiecto, sed hoc est falsum, quia tunc forma materialis nullo modo a subiecto dependeret, nec in fieri, nec in conservari; Tum quia optime colligitur effectum non dependere ab aliqua causa, qua ablata adhuc poneretur effectus, immo hinc colligitur animam rationalem non fieri dependenter a materia, licet producat materia, quia concursus, quo ponitur a Deo, est se solo sufficiens, & eo posito poneretur anima, quamvis non esset materia. Denique concursus Dei cum materia ad conservandam formam est volitio, qua vult conservare formam dependenter a subiecto; concursus, quo conservat eam extra materiam, est volitio conservandi eam independenter a subiecto, ergo non est idem concursus. Nec sufficit dicere concursum, quo producit formam in materia, sufficientem esse secundum rem, sed insufficientem quoad modum; Quia materia actu concurrat ad substantiam formæ producendam, ergo non sufficit concursus Dei quoad substantiam; tum quia ostendi non potest ad quem modum formæ requiritur concursus materiae. Nec rursus valet dicere, quod quamvis concursus Dei sit sufficiens concursus, tamen creaturæ non sit superfluous, licet non sit necessarius; Nam illud est superfluum ad ponendum rem, sine quo res de facto poneretur, & quidem æque facile; sed si concursus Dei sit sufficiens, eo solo posito necessario poneretur forma, & æque facile, ergo concursus materiae esset superfluous.

Hæc argumenta coincidunt cum relatis ex Coninch. nec novam ingerunt difficultatem; ad 1. jam diximus omnino distinguendam esse actionem, qua conservatur entitas ipsa formæ a Deo, & qua conservatur ejus unio ad subiectum; ex vi prioris conservatur entitas formæ absolute præscindendo a subiecto, & solum ex vi posterioris conservatur in subiecto; & ex vi prioris actionis dumtaxat continuata dicimus formam etiam extra subiectum conservari posse, non ex vi posterioris, quia tunc utique sequeretur formam materialem nullo modo a subiecto dependere; & gratis concedimus ex vi prioris influxus conservari non posse formam in subiecto, quia influxus ille terminatur ad solam entitatem formæ, & indifferens est ad conservandam formam, dum est in subiecto, vel extra subiectum, sed præcise conservatur ex vi posterioris, qui terminatur ad unionem, per quam formalissime dicitur forma inhærentia subiecto. Ad secundum anima rationalis non dicitur conservari dependenter a materia, quia ejus unio cum materia non est sustentatio, at unio aliarum formarum est sustentatio, & ideo dependenter ab illa conservatur; & hac sustentatione ablata, licet deinceps conservaretur forma a Deo extra subiectum, non inde bene deducitur, formam a materia non dependere, quando illi inhærebat, quia licet ista ablata, adhuc remaneat forma, non tamen eo modo, quo prius, quia non in subiecto sustentata, quod habebat beneficio materialis influxus. Ad 3. utique non est idem concursus ille, quo conservatur entitas absoluta formæ præcise, & ille, quo conservatur ejus unio cum subiecto, sed sunt diversi, sicut diversa sunt entitates formæ, & unionis; ceterum est idem concursus ille prior, qui terminatur ad solam entitatem formæ, tam dum est in subiecto, quam dum est extra subiectum. Replicæ autem illæ, quas afferit hic Auctor contra illam distinctionem nostram de sufficientia, vel insufficientia divini concursus secundum rem, vel modum, manifeste ostendit ipsum non percepisse sententiam nostram de natura divini concursus; sed legat quæ de divino concursu dicimus infra disp. 8. qu. 3. art. 2. in fine; breviter enim inde illam capere poterit, si ei non sufficit explicatio in hac ipsa questione allata; falsum etiam est, quod ait, si forma eodem divino concursu extra materiam conservari potest, ostendi non posse ad quem modum formæ requiritur concursus materiae; requiritur enim ad hoc, non ut conservetur quoad substantiam, & suam absolutam entitatem, quia æque bene conservari sic potest per solum divinum concursum; sed ut conservetur modo materiali, & sustentativo; Neque hinc sequitur, concursum causæ secundæ esse superfluum ad ponendum effectum, quia alias a Deo poni potest per eundem concursum; nam esset idem secundum rem, non tamen

secundum modum; quatenus licet sit idem, non tamen eodem modo applicatur, dum causas secundas assumit ad agendum, & cum agit sine ipsis, quod infra disp. 8. in fine bene explicatur; immo per illam replicam posset probari, causas secundas superfluere, quia absolute loquendo, & æque bene potest Deus facere se solo, quod facit cum eis.

QUESTIO V.

An omnes formæ accidentales educantur de potentia subiecti.

68 Quæsitum vertitur de formis naturalibus, & artificialibus, sed quia Philosophia nostra ad Theologiam est ordinata, ideo ad formas quoque ordinis supernaturalis illud extendemus. Circa formas naturales omnes conveniunt, illas, quæ per propriam actionem, subiectique transmutationem fiunt, educi de potentia subiecti; at quæ non fiunt per propriam actionem, aut subiecti transmutationem, a pluribus negantur educi; hæc de causa negatur Alenf. 8. Metaph. 13. Sonc. 7. Met. quæst. 8. Regid. in 2. diff. 13. quæst. 2. & quidam alii, lumen, & species intentionales educi de potentia subiecti, eo quod fiunt in instanti sine resistentiæ, & abiectione contrarii, atque ideo sine transmutatione subiecti. Rursus hæc de causa negant Alii relationes omnes, & formas etiam absolutas, quæ vocantur modales, quarum ratio consistit in afficiendo actu entitatem aliquam, sine qua nullo modo esse possunt, cujus generis ponunt unionem, figuram, & alia hujusmodi educi de potentia subiecti, quia per se resultant absque propria actione, unde sicut non dicuntur produci, sed comproduci, ita nec dici debent educi, sed educi, ita Coninch. 1. Phys. cap. 9. quæst. 12. art. 6. & art. 7. & Alii quamplures, quod etiam affirmant de potentiis animæ, & ceteris qualitatibus a suis subiectis naturaliter manantibus.

Circa formas artificiales Coninch. modo cit. art. 7. negant, educi de potentia subiecti, quia subiectum ad eas habet potentiam obedientialem potius, quam naturalem. Alii idem asserunt quod Coninch. sed alia ratione, quia nimirum formæ artificiales potius per se resultant, quam propria actione fiant. Alii tandem id asserunt, quia formæ artificiales, ut sic supra naturalitatem non addunt, nisi denominationem quandam extrinsecam sumptam ab arte, quæ est in artifice, denominatio autem extrinseca non educitur ex subiecto denominato.

Circa formas supernaturales Alii in universum affirmant, illas creari, ut Scholastici omnes Antiquiores ob earum eminentiam, Alii asserunt in universum educi de potentia, ut Scholastici Recentiores ob earum accidentalitatem, ita Suarez. disp. 15. Metaph. sect. 2. & 3. Thom. in 3. part. disp. 9. sect. 1. Vafq. 1. part. disp. 174. & alii passim, & declarant educi gratiam, & cetera dona supernaturalia ex potentia Animæ, non quidem naturali, sed obedientiali, & etiam hoc modo loquitur Jo. de S. Thom. quæst. 4. art. 2. cum tamen art. 1. asseruisset ad educationem formæ requiri, quod forma sit connaturalis, & proportionata subiecto, & subiectum in potentia naturalis ad illam. Averfa concedit, gratiam, & virtutes infusas fieri dependenter a subiecto, cum sint accidentia, attamen inquit, ad differentiam qualitarum naturalium melius dici infundi, quam educi, ita q. 20. sect. 7. Scotista distinguunt de formis supernaturalibus, & actus supernaturales concedunt educi de potentia subiecti; nam id docet Scot. expresse 1. diff. 17. quæst. 4. §. Ad argumenta, &c. ad 3. habitus vero supernaturales negant educi de potentia subiecti, & asserunt, produci per veram creationem, ita enim videtur loqui Scot. cit. q. 6. collat. in fine, & in 4. diff. 1. q. 5. §. Contra istam opinionem, &c. & §. Ad primam ergo questionem, &c. Et alibi sepe, ita Fuentes 1. Phys. q. 4. diff. 2. art. 4. Vulpes tom. 1. par. 2. disp. 3. art. 1. Faber in 2. disp. 6. cap. univ. & in 4. disp. 2. cap. 3. & ceteri Scotista passim circa illum locum.

ARTICULUS I.

Resolutio quæstii de formis naturalibus, & artificialibus.

69 Pro decisione Quæstii Notandum est, varietatem opinionum in hac re oriri ex vario modo declarandi, quid sit, formam educi de potentia materiae, nam Auctores plurimi ad libitum condiciones confingunt, & multiplicantes ad veram educationem requisitas, ut ab educatione has, vel illas formas excludant arbitratu suo, quod faciendum non est, alioquin quilibet posset confingere condiciones pro libito ad educationem requisitas, & ab educatione, quas vult, formas excludere. Standum igitur est ad id, quod de educatione determinavimus disp. 2. q. 7. art. 2. quod nimirum ratio formalis constitutiva educationis consistat in dependentia a creatione, unde si præter dependentiam a subiecto, alia postulantur condiciones ab Auctoribus, sunt penitus superflue, & ab eis consistæ, sicut etiam si ad creationem alias condiciones requirerent præter independentiam a concursu subiecti; hoc prænotato

Dicimus, omnes formas accidentales tam naturales, quam artificiales in universum educi de potentia subiecti. Concl. sequitur ex dictis loc. supra cit. de natura educationis, tenet Ruvius 1. Phys. tract. 2. quæst. 3. Averfa loc. cit. in fine, & Prob. 1. univ.

universum de omnibus ratione ex natura educationis deducta. Formam educi de potentia materiz nil aliud est, nisi quod fiat dependenter a materia illam sustentante, & formz illz dicuntur educibiles, quz sunt talis naturz, ut non possint per se existere separate, sed debeant a materia dependere, & sustentari, & debeat produci dependenter a subiecto, sed omnes formz accidentales sunt hujusmodi, ergo omnes sunt educibiles, & educuntur de potentia subiecti. Major probatur; Tum quia educio formz est fieri ejus cum dependentia a subiecto, & per hoc distinguitur a creatione; Tum quia inter omnes formas, sola anima rationalis dicitur creari, quia suapte natura subsistens est, neque ex indigentia intrinseca petit fieri in subiecto, & in subiecto conservari, nam juxta ejus naturam potest etiam fieri extra subiectum, & conservari; & ex hoc arguimus ejus independentiam a corpore etiam in corpore ita producat, ut in nullo profus instanti sit extra illud; Probatur minor, quia accidentis esse, est inesse, unde ex intrinseca indigentia petit suapte natura fieri in subiecto, & in eo conservari, unde si aliter fiat, & conservetur, hoc est miraculum, & prater naturam.

Deinde Prob. specialiter de illis formis, quz ab Auctoribus excludebantur de educatione, quia in earum productione carebant aliqua conditione, quam isti postulabant ad educationem, nam in primis formz intentionales educuntur de potentia subiecti, quia non producuntur ex nihilo, quod autem fiant in instanti, & producuntur sine transmutatione subiecti cum abiectione contrarii, non obstat, quin vere educantur, quia itz sunt conditiones profus impertinentes ad educationem, nam educio non consistit in hoc, quod fiat in tempore, vel cum habitudine ad alterationem precedentem, sed consistit in dependentia actionis, quia fit forma a subiecto, immo ad veram & physicam mutationem non requiritur abiectione contrarii, sed sufficit sola privatio precedens in materia formz subsequens.

70 Neque in his formis, quz non sunt per propriam actionem, sed potius ad productionem subiecti per se resultare dicuntur, impedit talis resultantia, quin a suo subiecto educi dicantur; Tum quia tales formz adhuc essentialiter pendunt in esse, & fieri a subiecto, ita ut neque per Dei potentiam fieri possint extra subiectum, quod præsertim verificatur de formis relativis, & modalibus, quz ita petunt in Adversariorum sententia esse subiectis affixz, ut sine illis fieri, & conservari profus repugnet; Tum quia licet propter hanc resultantiam dicantur produci, attamen ob hunc loquendi modum non intelligitur excludi qualiscunque activitatis subiecti, quia subiectum re vera aliquo modo active se habet ad illas, sed quia talis actio consequitur necessario priorem, per quam subiectum producebatur, ideo non censetur propria, & per se actio, sicut ergo productio harum formarum non est sine aliqua activitate subiecti, ita non est sine aliqua educatione earum ex illo. Quod si ob necessariam sequelam hujus actionis educitivz ad productivam subiecti velit quis dicere, hujusmodi formas non educi, sed coeduci, non inficiamur, quia hoc magis spectat ad modum loquendi, quam ad rem; & nobis sufficit, ut fiant cum vera dependentia a subiecto; Tum etiam, quia ex supradictis de natura educationis, ad causalitatem materialem sufficit prioritas naturz subiecti ad formam, nec necessario requiritur prioritas temporis, sed quantumcumque effectus dicatur suz cause coævus, semper tamen causa censetur illum precedere natura, ergo quantumcumque necessario resultent formz quzdam accidentales ad productionem suorum subiectorum, semper tamen posteriores illis natura erunt, quod sufficit, ut ex eorum potentia dicantur educz; Tum tandem, quia etiam si relationes intrinsece advenientes fieri, & resultare necessario dicantur ad productionem extremorum, ut docet Scot. 1. dist. 17. quzst. 2. P. relationes tamen extrinsece advenientes non ita necessario resultant, sed actione propria produci possunt, imo & aliqua motum terminare, ut docet Scot. 3. dist. 1. quzst. & quodl. 11. vide disp. 7. quzst. 2.

71 Ex his denique sequitur, omnes formas artificiales educi de potentia suorum subiectorum, quia formz artificiales, ut Scot. in 4. dist. 1. quzst. 1. sub S. non sunt, nisi quzdam relationes, & figurz resultant in materia artificis ex tali iniectione, vel compositione partium, unde de ipsis idem debemus ferre iudicium, quod de ceteris formis relativis, & parum refert, quod subiectum harum formarum non sit in potentia naturali ad illas, sed obediuntali respectu artis humanz, nam quidquid sit de hoc, de quo Doctor videri potest 2. dist. 18. quzst. unic. C. jam ex doctrina superius tradita de natura educationis habetur, quod necesse non est, subiectum esse in potentia naturali ad formam, quz de ipso educi debet.

In oppositum objicies 1. formas intentionales non fieri per educationem, quia educio est actio transmutativa subiecti, & per hoc a creatione distinguitur, sed species intentionales fiant in subiecto sine abiectione contrarii, & lumen in medio, ergo &c. Acced.: hujusmodi qualitates non solum fieri in corporibus elementaribus, sed etiam in celestibus, at nulla forma educi potest de potentia Cœli, alias Cœlum alterabile foret, & reciperet peregrinas impressiones. Demum plures formz educz nequeunt esse in eodem subiecto, at plures formz intentionales esse possunt, ergo &c.

72 Resp. neg. assumptum, nam transmutatio impertinens est ad educationem, ut docet Bassol. 2. dist. 13. quzst. unic. art. 2. ad 3. & potest fieri vera actio, & passio etiam sine motu, ut

Scot. docet in 4. dist. 43. q. 5. L. & falsum est, educationem distingui a creatione essentialiter per mutationem, distinguuntur enim per dependentiam, vel independentiam a subiecto, & denique falsum est, productionem formarum intentionalem fieri sine transmutatione, etiam si non interveniat abiectione contrarii. Ad 2. non est inconveniens, Cœlum esse alterabile alteratione, ut ajunt, perfectiva, talis autem est alteratio, quz fit per hujusmodi qualitates. Ad 3. assumptum non est universaliter verum.

Secundo Objicitur, quod qualitates connaturales, relationes, & aliæ formz modales non fiant per educationem, quia de ratione educationis est, ut forma fiat per actionem distinctam ab illa, qua fit subiectum, terminet nempe propriam productionem pendentem necessario a concursu materiali subiecti, sed qualitates connaturales, quz in subiectis fiant per meram resultantiam ad productionem subiectorum, non sunt per actionem distinctam ab ea, qua fit subiectum, ergo &c. Deinde relationes, præsertim intrinsece advenientes, eadem actione producuntur, qua extrema, itaut non habeant aliam causam efficientem a causa efficienti extremor. ex Scot. 1. dist. 17. q. 2. ergo a fundamento non educuntur. Tandem si formz modales educerentur, etiam ipsa educio deberet educi, & esset proprie effectus materiz, quod tamen falsum est, ut dicemus disp. de principiis in facto esse.

73 Resp. posse dupliciter intelligi, quod hujusmodi qualitates non habeant propriam actionem, & productionem diverfam a productione subiecti, primo in hoc sensu, quod nullam omnino terminent actionem, sed secundo producuntur per actionem substantialem, qua fit subiectum, & ex vi ejusdem actionis in eo resultat, & ita falsum est, quia ex vi actionis substantialis nunquam haberi potest terminus accidentalis, ut Scot. docet in 4. dist. 10. q. 1. B. quia secundum veram Philosophiam, substantia, & accidens diversas semper terminant actiones, nec eadem actione fieri possunt, & ideo nec primario, nec secundario haberi potest accidens per actionem substantialem; vel ita intelligi potest, quod habeant quidem propriam actionem distinctam ab actione productiva subiecti, propria tamen, & per se actio non censetur, quia natura sua consequitur, & resultat a termino alterius actionis, unde nec propriam habet novitatem, nec ut terminus potest acquiri per motum, sed tamen per naturalem resultantiam, & ita verum est, quod non habent propriam actionem, nec propriam terminant productionem, sed ex hoc non bene inferitur, quod non educantur de potentia subiecti, quia ad veram educationem sufficit, quod forma fiat per propriam actionem in hoc secundo sensu, sic enim intelligitur intervenire concursus materialis subiecti. Ad 2. patet per idem, namque relationes etiam habent propriam productionem in hoc secundo sensu, neque Scot. cit. hanc denegavit extremis, sed tantum illam, quz sufficit ad motum, ut dicitur Disp. de Relat. Ad 3. sicut actio, & productio se ipsa dicitur ab agente dimanare, & non media alia actione, ita educio eodem modo debet pendere a subiecto, unde sicut productio dicitur fieri, ut Quo, ab agente, ita & educio, ut Quo dicitur fieri ex subiecto, unde & ipsa suo modo a materia pendebit, licet non proprie, ut ejus effectus, sed tantum ut ejus causalitas.

ARTICULUS II.

Resolutio Quzst. de formis supernaturalibus.

74 **D**icimus, probabile esse, non solum actus supernaturales, sed etiam habitus educi de potentia sui subiecti. Hac concl. probari potest 1. ex dictis in Concl. preced. Tum quia omnis forma accidentalis, cum sit apta inherere subiecto, nata quoque est fieri, & conservari dependenter ab eo, & ideo cum omnes formz supernaturales in ratione accidentis conveniant cum formis naturalibus, poterunt, & ipsz, ac debent educi de potentia suorum subiectorum, sicut & naturales, cum hoc discrimine tantum, quod habitus supernaturales immediate educuntur a Deo; Tum quia ideo anima rationalis dicitur creari, & non educi de corpore, licet in nullo instanti etiam naturz prius sit in se, quam in corpore, cum existentia rei non menureret per instans naturz, quia de se nata est subsistere, unde quantumcumque in corpore producat, semper independenter ab eo producat, & illud respicit, ut subiectum mere in quo, non ex quo, ergo cum habitus supernaturales non sint formz natz per se subsistere, si in primo instanti, quo fiunt, fiunt in subiecto, plane ex eo educuntur, nam hoc est, formam educi de potentia materiz, non prius in se produci, quam in subiecto, si est forma nata inherere; Tum etiam si gratia poneretur in uno instanti creata, deinde anima infusa, etiam si in fieri subiecto non dependeret, adhuc tamen dependeret in conservari, quia non est forma subsistens, ut anima, atque ita consequenter ejus desitio erit corruptio, & non annihilatio, quia desinit in subiecto, a quo dependebat in conservari, ex quo postea sequitur, quod etiam per educationem incipere debeat, si desinit per corruptionem; Tum deinde, quia Scot. ipse 4. dist. 1. qu. 1. fh. omnem illam formam vocat materialem; idest ex materia educam, vel educibilem, quz ex natura sua necessario inclinatur naturaliter, ut fit actus materiz, ita quod suapte natura aliter nequeat existere, sed per hoc excluditur sola anima rationalis, quz non cum tali necessitate inclinatur, ut fit actus materiz, quia suapte natura, & secluso miraculo potest extra illam existere; Tum denique actus supernaturales educuntur de potentia subiecti ex Scot. 1. dist. 17. quzst. 2. Pp. ergo idem dici poterit, & de-

& debet, etiam de habitibus, nam nulla ratio potest adduci de habitibus, quz non elidatur in actibus.

Deinde Prob. post Conclusionem, eo quia nulla suppetit ratio convincens ad oppositum, ut patebit discurrendo per singulas rationes, & capita, ex quibus solent Scotistz probare, gratiam, & ceteros habitus supernaturales creari. Vel enim probaretur ex existentia, & excellentia horum habituum, ut probant Fuentes, & Faber, non ita excellentes sunt habitus isti in ordine gratiz, & gloriæ, sicut anima rationalis in serie naturz, ergo petunt a Deo creari sicut anima. Item habitus isti elevant animam, & ejus potentias supra totum esse naturz, & præsertim, gratia est participatio quzdam divinæ naturz, ergo non possunt hujusmodi formz tam excellentes virtualiter contineri in causis naturalibus, cum principium naturale habere nequeant, qua de causa dicitur in Psalm. 83. gratiam, & gloriam dabit Dominus, &c.

75 Sed ratio hæc non vincit, & refunditur in actibus, nam etiam actus sunt ordinis superioris, & gratuiti, immo sunt formz excellentiores ipsis habitibus, ut omnes fateatur & nos suo loco dicimus in lib. de Anim. & apud omnes certum est, visionem beatificam esse gratia excellentiorem, & etiam ipsi actus elevant animam supra totum esse naturz, ergo sicuti actus educuntur, ita dici poterit de habitibus, & quando ait Pfales, gratiam, & gloriam dari a Domino, utique negare non intelligit concursum materialem ex parte creaturaz; per gloriam enim intelligit visionem, & fruitionem, ad quas secundum omnes concurrunt intellectus, & voluntas Beatorum, nedum in genere causz materialis, sed etiam efficientis. Sic etiam quando communiter dicitur, formam supernaturalem non contineri in causa naturali, id totum intelligitur in genere causz efficientis, quatenus homo non potest ex suis viribus attingere aliquem actum supernaturalem sine speciali auxilio Dei, non autem per hoc excluditur concursus creaturaz in genere causz materialis. Immo majori ratione videntur Scotistz posse, ac debere defendere hanc Concl. quam Thomistz, quia gratia secundum Thomistas est forma ex natura rei hominem justificans, & Deo gratum reddens, & tantaz excellentiaz, ut negent in creatura potentiam etiam passivam naturalem in ordine ad illam, sed Scotistz inquirunt, hoc minus non competere gratiz ex natura rei, sed tantum ex divino decreto, & ponunt animam in potentia passiva naturali ad eam, sicut et cetera dona supernaturalia, ergo potiori ratione possunt hanc concl. asserere Scotistz, quam Thomistz. Paritas tandem assumpta a Fuentes de anima rationali in serie naturz, & de gratia, & ceteris habitibus in ordine gratiz, & gloriæ, non tenet, quia anima rationalis est forma substantialis, & spiritalis, & ideo attingi nequit a potentia generativa in genere causz efficientis, & est forma per se subsistens, & hac de causa concursum in genere causz materialis etiam excludens, at habitus supernaturales, licet ob eorum excellentiam excluderent omnem causam secundam efficientem, quia tamen sunt formz accidentariæ, causam materialem non excludunt.

76 Vel oppositum Concl. nostraz probaretur ex supernaturalitate habituum, ut idem Fuentes supra cit. infnuat, quia nimirum habitus isti ab intrinseco, & substantialiter dicuntur supernaturales, atque ideo petunt ab intrinseco a solo Deo produci, & creari. Sed hæc etiam ratio non valet, nam praterquam quod non est omnino certum, an gratia sit supernaturalis ab intrinseco, & secundum substantiam, cum effectus supernaturalis ejus reddendi hominem Deo gratum attendatur a Scotistis penes extrinsecum Dei decretum, non autem ejus naturam; adhuc refunditur in actibus, quia etiam actus sunt supernaturales, & aliqui communiter asserunt supernaturales secundum substantiam, ut visio, & fructio beata, qui tamen adhuc ponuntur educi de potentia subiecti, ergo supernaturalitas non impedit educationem habituum supernaturalium ex suis subiectis.

Vel probaretur oppositum Concl. ex spiritualitate habituum supernaturalium, ut facit Pater Vulpes loc. cit. disp. 3. art. 1. nu. 8. quia si gratia educeretur de potentia subiecti, & alii habitus supernaturales, non amplius essent formz spirituales, sed materiales; Tum quia omnis forma educta de potentia materiz dicitur materialis; Tum quia hac præcise de causa anima intellectiva est spiritalis, quia non educitur de potentia sui subiecti, quod si ex eo educeretur, statim evaderet forma materialis. Accedit, quod si gratia, & cetera dona supernaturalia educuntur de potentia subiecti, poterit agens naturale, naturaliter, & immediate sua virtute attingere prædictas formas, cum limitatio suz potentiz solum prohibeat

aliquid simpliciter de nihilo producere, seu independenter ab omni subiecto.

Sed neque hæc ratio urget, quia falsum est, qualecumque educationem de potentia subiecti facere formam materialem, nam species intelligibiles, & actus intelligendi, & volendi educuntur de potentia animæ, & tamen materiales non sunt, hoc est formz corporeæ, & extensæ; & in sententia ipsius Vulpes actus supernaturales educuntur de potentia subiecti, & tamen adhuc sunt spirituales; solum ergo educio formz de potentia subiecti corporei, & extensæ facit formam materialem corpoream, & extensam, & hac de causa rationalis anima extensa, & corporea diceretur, si de subiecto educeretur, quia ejus subiectum est corporeum, & extensum. At educio formz de subiecto incorporeo non reddit ipsam materialem in hoc sensu, idest corpoream, & extensam, sed materialem eo sensu, quo Scot. loquitur 4. d. 1. q. 1. fh. ubi illam formam appellat materialem, quz nata est a materia dependere, & non in se subsistere. Falsum item est, quod subdit Vulpes, posse agens naturale attingere immediate omnem formam educibilem de potentia materiz naturaliter, & ex suis viribus, nam anima sensitiva, & vegetativa formz sunt materiales, & ex materia educibiles, & tamen a multis ponuntur immediate a Deo educi; & actus supernaturales in sententia etiam istius Auctoris educuntur, & tamen naturaliter attingi nequeunt.

77 Denique quod Scot. inclinaverit in oppositam partem, nos deterere non debet a Concl. posita, nam ubiqueque ponit, gratiam, & cetera dona creari, vel loquitur conditionate, ut in 1. dist. 17. q. 2. Pp. vel textus signatur pro extra, ut eadem distinctio prope finem, vel loquitur ad hominem, ut in quarta dist. 1. q. 5. §. contra istam opinionem, &c. & §. Ad primam ergo quzst. &c. ubi enim ex eo præsertim probare contendit contra Div. Thom. Sacramenta non esse causas physicas gratiz, nec principales, nec instrumentales, quia gratia in sententia D. Thom. creatur, & creatura nequit creare, nec principaliter, nec instrumentaliter, & quod loquitur ad hominem, patet præsertim ex §. Contra istam opinionem, &c. ubi arguendo contra Div. Thom. inquit, animam esse in potentia obediuntali ad formas supernaturales, cum tamen in sententia Doctoris sit in potentia naturali passiva, unum dumtaxat locum invenimus non ab aliis citatum, quod viderimus in 3. dist. 11. q. 1. §. Cui ista opinio, &c. ubi ait, Angelum, animam, & gratiam proprie creari, quia de nihilo producuntur, & ita loquitur, ne recederet a communi modo loquendi Scripturarum, & Patrum, qui dicunt, gratiam in nobis a Deo creari, vel concreari, quz tamen auctoritates possent explicari, ut D. Thom. explicat 1. 2. quzst. 110. art. 2. ad 3. ubi ita loquitur: gratia dicitur creari ex eo quod homines secundum ipsam concaveant, idest in novo esse constituuntur ex nihilo, idest non ex materiis, secundum illud ad Eph. 2. creati in Christo Jesu in operibus bonis: itaque sensus Scripturarum, & Patrum est, gratiam creari, & de nihilo produci secundum esse morale, non autem secundum esse naturale illius, ut notavit Vasq. supra cit. Qui igitur vult sustinere cum communiori, & non minus probabili, gratiam, & cetera dona supernaturalia creari, id tenere debet ob auctoritates Sanctorum, Scripturarum, & Scholasticorum antiquorum, quorum auctoritati maxime est tribuendum, non autem ob aliquam rationem cogentem, quia re vera nulla talis adeit, immo potius urget in oppositum.

78 In contrarium objicies, quod sustinendo, gratiam educi cum Recentioribus, cogimur etiam cum eisdem ponere, Sacramenta physice gratiam causare, & non moraliter, nam ideo ipsi dicunt, gratiam educi, ut destruant præcipuum fundamentum nostræ sententiz de morali causalitate Sacramentorum, quia scilicet gratia creatur, & ideo nequit physice a creatura attingi.

Resp. negando assumptum, non enim desunt solidæ rationes ad probandum adhuc Sacramenta physice gratiam non causare, quia nimirum nequeunt res corporeæ, & materiales, ut sunt Sacramenta, elevari ad producendam gratiam, quz est spiritalis, & etiam quia, excepta Eucharistia, Sacramenta quando producant gratiam, physice loquendo, non sunt, sed id, quod physice non est, physice operari non potest, quia operari supponit esse, quz ratio validissima est, nec etiam desunt aliæ rationes ad idem, etiam si gratia ponatur educi de potentia animæ, & quando Scot. utitur illa ratione, Sacramenta scilicet non posse physice gratiam causare, quia gratia creatur, loquitur ad hominem, ut diximus, & ex communiter concessis.

DISPUTATIO QUARTA.

De privatione.

1 Privatio potest sumi dupliciter, proprie, & communiter; proprie dicit negationem formæ, quam res aliqua nata est habere secundum se, seu secundum propriam naturam, sic homo cæcus dicitur privatus visu, quia secundum quod homo natus est videre, quod si addatur, subiectum esse privatum formæ, cujus secundum naturam suam est capax, appositis conditionibus quando, & ut oportet talem formam habere, adhuc magis proprie subiectum dicitur privatum, nam in hoc sensu catulus ante nonum diem non dicitur cæcus, vel visu privatus, etiam si secundum quod canis sit capax visionis. Communiter vero sumpta privatio dicit negationem formæ, quam res nata est habere, non secundum rationem propriam, & specificam, sed secundum rationem genericam, proximam, vel remotam, quo sensu talpa dicitur cæca, quia visus est capax secundum quod animal: & quo communiter erit ratio generica, ratione cujus subiectum dicitur forma privatum, communiter etiam erit privationis acceptio; ita notavit Scot. 1. dist. 23. quest. unic. II. & fusius dist. 28. quest. 1. sub B. ex Aristot. 5. Met. cap. 22. Disputatio itaque presens erit de privatione proprie dicta, hæc enim est, quæ ponitur tertium principium rerum naturalium in feri.

QUESTIO I.

De natura privationis.



UT Privationis naturam attingamus, tria sunt videnda, An sit, Quid sit, & An a subiecto, in quo est, realiter distinguatur. Circa 1. quæsitum dixerunt Aliqui, privationem non esse a parte rei in rebus, sed tantum ab intellectu nostro fingi, ita Soncin. 10. Metaph. quest. 15. ubi docet privationem secundum id, quod dicit in recto, & ut negatio est, esse formaliter ens rationis, & solum fundamentaliter ens reale, quem dicendi modum multi sequunt in Disput. de Ente rationis. Alii distinguunt ens reale in positivum, & privativum, & inquit, quod licet non detur privatio a parte rei, ut ens reale positivum, est tamen ens reale privativum, & est valde frequens dicendi modus inter Recentiores, quem sequitur ex nostris Fuentes 1. Phys. qu. 3. difficult. un. Manca 1. Phys. qu. 8. dub. 1. & alii.

Circa secundum quæsitum communis est opinio, privationem in recto, ac de principali significato importare negationem formæ, in obliquo, & de connotato subiectum aptum ad formam, cujus est privatio, ita Tatar. 1. Phys. de Privatione notab. 1. Parisiensis ibid. Canonici 1. Phys. qu. 10. art. 2. Trombet. 12. Metaph. quest. 6. §. Ex his conclusionibus, & c. propositione 3. Bassolus 2. dist. 34. q. unic. art. 1. & sequuntur Recentiores omnes. Non desuere tamen qui putaverint, privationem etiam in recto dicere quid positivum, per quod sibi determinat subiectum, ita tenuit Thomas Angl. apud Canonic. ubi supra, & tueri conatur ex Recentioribus P. Sghemma 1. Phys. digress. 6. q. 2. & Arriaga disp. 2. Phys. nu. 177.

Circa 3. Burlaus 1. Phys. super text. 79. inquit, fuisse opinionem Platonis in Timæo, Plot. in 2. Enead. lib. 4. cap. 13. & 14. quod privatio non sit realiter a materia distincta, sed ipsamet substantie materia, quam ex Latinis videtur secutus Osham 1. Phys. cap. 10. & 11. & Scotus 1. Phys. qu. ultim. Cæterum communis opinio distinguit realiter privationem a materia, non quidem distinctione positiva, quæ non nisi inter extrema positiva versatur, sed privativa, qualis versatur inter ens, & non ens.

ARTICULUS I.

Ostenditur, privationem dari a parte rei.

2 Dicendum est, privationem quatenus est negatio formæ, non esse ens rationis, sed dari a parte rei in subiecto, nullo cogitante intellectu, at ob id nec posse, nec debere dici ens reale privativum. Concl. colligitur ex Scoto 1. dist. 23. q. unic. distinguit enim ibi duplex negationum genus, quædam sunt negationes reales, quædam rationis; negationes rationis competunt rebus per solum intellectum, & ita negatio subiecti in homine posita a parte prædicati, cum dicimus, Petrus est homo, competit ei per solum intellectum; negationes vero reales nullo cogitante intellectu adhuc in rebus reperiuntur, ut negatio aſinitatis in homine, quia homo est, non aſinus ex natura rei, & non quia ita cogiter intellectus, ita Doctor loc. cit. D. & E. Sed sic est, quod privatio importat negationem primi generis, quia seclufa omni operatione intellectus, vere a parte rei homo est cæcus, aer est tenebrosus, ergo privatio est in rebus independentem omnino ab intellectu, & tota hæc doctrina tradita fuit ab Arist. 4. Metaph. 2. ut inter entia realia recenſet etiam negationes, & privationes, quia nimirum sine ulla ſiſtione intellectus *ipſum non ens* (inquit ipſe) *eſſe non ens dicimus*, ergo per Aristot. privatio, quatenus est negatio, & non ens, datur a parte rei, & est a parte rei, non quidem ſumendo eſſe proprie, ut ſignificat eſſentiam rei positivam, ſed abuſive tantum, quatenus licet non exiſtat realiter positive, tamen nullo cogitante intellectu apta eſt verificari propoſitiones, nam quando dicimus, Petrum eſſe cæcum, aerem tenebroſum, propoſitiones

iſte ſunt veræ, quia vere a parte rei res ita ſe habet, & non quia ita fingit intellectus.

Reſpondere ſolent, propoſitiones huiusmodi a parte rei verificari fundamentaliter ſolum, non formaliter, ut de aliis enunciacionibus entium rationis dicere ſolemus. Sed contra; Tum quia falſum eſt, dari tantum fundamentum a parte rei, ut homo non ſit aſinus, quia formaliter, & actualiter ita eſt a parte rei, quod homo non eſt aſinus; Tum quia ex duobus contradictonis realibus altera tantum debet eſſe vera a parte rei formaliter, ſed hæc ſunt contradictonia, hic paries eſt albus, hic paries non eſt albus, quod eſt eſſe privatum albedine, & ambæ intelliguntur formaliter, ergo &c. Tum tandem quia dicere, aerem eſſe tenebroſum, non eſt aliud, quam dicere, aerem non habere lucem, ſed hoc ſecundum omnino verum eſt a parte rei formaliter, ergo & primum.

Hoc itaque modo dicimus, dari, & reperiri privationem a parte rei, non quidem quaſi ſit, & ponat aliquid in ſubjecto, ſed quia removetur, & tollitur aliquid, nempe forma, idque poſſeſt explicari, tam modo negativo, dicendo, ſubjectum non habere formam, vel formam non eſſe in ſubjecto, quam modo affirmativo, dicendo, ſubjectum eſſe forma privatum, carere forma, habere privationem formæ, & in hoc eodem ſenſu dici ſolet, privationem eſſe a parte rei in ſubjecto, hoc eſt a parte rei non eſſe in eo formam; hoc modo declarat Tatar. loc. cit. dari privationem in materia ſeclufa quacunq; operatione intellectus; & in hoc ſenſu eandem concl. defendunt Parisienſ. Trombet. & Canon. loc. cit. ubi præſertim probant, privationem, nec poſſe, nec debere dici ens rationis; Tum quia termini mutationis realis ſunt reales, privatio autem eſt terminus a quo phyſicæ mutationis; Tum quia oppoſitio privativa eſt realis, & extra animam, ergo debet habere extrema realia, & extra animam; Tum tandem quia forma phyſica non removetur a ſubjecto, niſi per aliquod positivum, vel negativum extra animam ſibi incompoſibile.

Sed neque idcirco debet dici privatio ens reale ullo proſus modo, nec etiam negativum, aut privativum; Tum quia hoc implicat in adjecto, nam ens reale dicit entitatem positivam in ſuo conceptu formali, per quem primo diſtinguitur a non ente, & ab ente rationis; Tum quia, ut bene ait Hurt. diſp. 3. ſect. 1. eadem ratione aggruodo poſſet dici valetudo privativa, & peccatum iuſtitia privativa; Tum quia ſi datur vere hoc eſſe in ſubjecto privato, jam privatio aliquid ponit reale in ſubjecto, quod tamen nequit admitti, nam privatio ſolum negat, & tollit; Tum tandem quia Philoſophus ſemper appellavit privationem non ens, ut conſtat 1. Phys. 75. non autem ens reale privativum.

Reſp. neg. quod ens reale ut ſic, dicat entitatem positivam, hoc enim ens eſt reale positivum, & concedendo, quod privatio ponat aliquid reale in ſubjecto, ſed reale privativum, & quod Arist. vocavit privationem non ens, id eſt non ens positivum. Sed Contra. Ideo hoc eſſe privationis in ſubjecto eſſe reale privativum appellatur, quia tollit formam oppoſitam, ſed hoc non obitat, quin intrinſece ſit eſſe positivum, ergo privatio in hac ſententia diceret in re quid reale positivum. Probatur minor, quia etiam calor v. gr. tollit frigus, & tamen, quia ſecundum ſe habet ſuum eſſe, eſt verum ens reale positivum, ergo ſimiliter privatio, quamvis ea ratione, qua tollit formam, eſſet ens positivum, ea tamen ratione, qua aliquid eſſe ponit reale, eſſet ens positivum. Deinde dum dividitur ens reale in positivum, & privativum, vel hæc ſubdiviſio univoci in ſua univocata, vel æquivoci in æquivocata; ſi primum ergo privativo, & positivo ens eſt univocum, quod communiter, & recta ratione negatur; ſi ſecundum, ergo privatio non eſt vere ens, ſed tantum abuſive, & metaphorice, ſicut homo piſtus dicitur homo, & potius vere non ens eſt, nec quid reale, ſed privatio cuiuscuq; talis, & ita non melius privatio dicitur ens, quam homo mortuus, homo.

Ex hoc igitur, quod privatio eſt a parte rei ante operationem intellectus, & nihil eſt positivum, inferre non debemus, eſſe ens reale privativum, ſed tantum eſſe privationem realem, eſſe negationem realem, & non rationis, nam quando dicimus, pri-

privatio eſt, homo eſt cæcus, nihil reale affirmatur, ſed potius negatur modo compoſitivo, nam ſupra diximus, remotionem formæ a ſubjecto utroque modo explicari poſſe, & ly eſt adjunctum privationi, vel cæcitati nullam ſignificat eſſentiam, ſed potius formæ realis abſentiam eo modo, quod dicere ſolemus, nihil eſſe extra mundum, cujus ſenſus eſt, extra mundum aliquid non exiſtere.

In oppoſitum objicitur 1. ad probandum, quod privatio formaliter ſit ens rationis; Tum quia inter ens reale, & rationis non datur medium, ergo cum privatio non ſit ens reale, erit ens rationis; Tum quia ſi privatio eſt a parte rei circa operationem intellectus, ergo eſt aliquid reale; Tum quoque ſi negationes eſſent a parte rei circa opus intellectus, ſequeretur, negationem eſſe de eſſentia entis, quod eſt falſum, quia non ens nequit eſſe prædicatum eſſentiale entis, probatur conſequentia, quia in conceptu v. gr. hominis eſſentiali involveretur negatio lapidis, negatio bruti, nam cum oppoſitæ affirmaciones repugnent ſibi in primo modo, conſequenter negationes iſtæ convenient ei in primo modo, ſi ſunt reales, & a parte rei formaliter; Tum tandem, quia experimur, nos non concepire privationem, niſi per modum entis positivum, ut v. gr. tenebram ad modum tenebroſitatis qualitatis, per aerem extenſæ, ergo formaliter eſt ens rationis, & nullo modo a parte rei formaliter.

Reſp. ad 1. concedimus, nullum ens dari medium inter ens reale, & rationis, ex hoc tamen non ſequitur, negationem realem mediare non poſſe, quæ formaliter nec ſit ens reale, nec ens rationis. Ad 2. negari etiam debet conſeq. quia privatio dicitur eſſe, ſeu dari a parte rei, non quaſi habeat aliquid eſſe, ſed quia a parte rei, & realiter non eſt forma negata in ſubjecto, & in hoc ſenſu verbum eſſendi ſumi poſſe docuit Arist. ipſe 4. Metaph. 2. dum ait, ipſum non ens eſſe quodammodo dicimus, quod eſt eſſe abuſive. Ad 3. Canon. & Tromb. cit. diſtingunt de duplici negatione, alia eſt remotione formæ realis a ſubjecto, quæ illi inſuit, vel ſaltem in eſſe poſſeſt, alia eſt remotione formæ, quæ nec inſuit, nec in eſſe poſſeſt, ut negatio lapidis in homine, quia oppoſita affirmatio omnino homini in eſſe nequit; & negationem primi generis tantum inquit eſſe negationem realem, & talem eſſe negationem, quam importat privatio, negationem vero ſecundi generis dicunt eſſe negationem rationis, unde inquit Tromb. propoſitionem iſtam, homo eſt non lapis, eſſe tantum fundamentaliter veram, quia eſt res, cui non competit eſſe lapidem. Sed doctrinam horum Scotistarum libenter non recipimus, utpote alienam a Scot. & a veritate, nam Scotus pluribus in locis diſtinguit de duplici negatione, una, quæ rei convenit contingenter, altera quæ rei convenit neceſſario, quatenus affirmatio eidem ſimpliciter, & absolute repugnat, & inquit, negationem huius ſecundi generis rei convenire per aliquam affirmationem, ita eſt videre in 2. diſt. 3. q. 2. & 3. diſt. 1. q. 1. G. & quodl. 19. Y. & in 1. diſt. 23. q. unic. E. inquit quod ſicut Sortes eſt homo ex natura rei, ita eſt non aſinus ex natura rei; ſed Sortes eſt homo a parte rei, non tantum fundamentaliter, ſed formaliter, ergo & formaliter erit non aſinus, & quidem falſum eſt dicere, hominem non eſſe aſinum a parte rei, niſi fundamentaliter, nam ſicut ſubjectum eſſe formaliter tale, eſt habere talem formam, ſic formaliter non eſſe tale, eſt non habere talem formam, non minus verum eſt a parte rei formaliter parietem nigrum non eſſe album, quam hominem non eſſe aſinum. Quare potius dicendum eſt, negationes etiam ſecundi generis vere, & formaliter a parte rei rebus in eſſe, & ex natura rei conſequi ad illas entitates, cum quibus incompoſibilis eſt oppoſita affirmatio, & quamvis huiusmodi negationes ſint a rebus inſeparabiles, & illas neceſſario conſequantur, inde non ſequitur, eſſentias rerum ex his negacionibus fore conſtituendas, & eſſe illarum prædicata eſſentialia, cum proſus implicet, ens conſtitui per non ens, ſed tantum eſſe aliquid neceſſario conſequens eſſentias rerum jam conſtitutas, ex eo enim quod Sortes eſt homo, conſequitur ex natura rei, ut non ſit lapis, vel brutum, & cum ſint aliquid conſequens rerum eſſentias, ſequitur, quod poſſunt concepi prædicata positiva, per quæ conſtituuntur rerum eſſentia, non conceptis huiusmodi negacionibus, unde huiusmodi negationes erunt de eſſentiali conceptu rei, non conſtitutive, ſed conſecutive, tradit hanc doctrinam Scot. quodl. 4. infra E. Ad 4. verum eſt, negationes, & privationes, cum non concipiuntur a nobis, niſi per modum aliquid positivum, quoad hoc positivum, quod ab intellectu illis tribuitur, eſſe entia rationis formaliter, ſed licet in hoc ſenſu ens rationis dici poſſint, & debeant, ſumendo tamen privationem præſicte, quatenus ſubjectum non habet talem formam, aer non habet lucem, oculus viſum, id certe non ſit ab intellectu cogitante, ſed circa quodcuq; opus intellectus, vere e parte rei, aer non habet lucem, oculus caret viſu, quare privatio ſecundum ſe conſiderata ens rationis materialiter tantum dici poſſeſt, quatenus per opus intellectus poſſeſt acquirere eſſe rationis formaliter, cum ſcilicet eam apprehendit ad modum formæ realis, ut dictum eſt in Log. diſp. de Ente rationis.

Secundo objicitur ad probandum privationem eſſe ens reale privativum; Tum quia eſt a parte rei ante opus intellectus, & de ipſa prædicatur verbum eſt ſecundum adiacens, ut patet ex Geneti, quod tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, ergo eſt ens reale, ſaltem privativum; Tum deinde, quia multa attributa privacioni conveniunt, quæ neceſſario aliquam entitatem prædicant, & Belluti Tom. II. Phyſicæ,

tem in ea videntur arguere, dicitur enim fieri de novo, atque deleri, dicitur operari maleficium in materia, dicitur principium omnium mutationum, neque ad hoc ſufficit dicere quod habeat eſſe a parte rei abuſive tantum, ſic enim fundare non poſſet relationem principii, cum hæc ſit relatio realis; Tum tertio cæcitas, & quæcuq; alia privatio concipiuntur ab intellectu, & explicantur per definitiones, immo & aliquæ percipiuntur ſenſu, unde 2. de Anim. 138. docuit Arist. viſum diſcernere lumen, & tenebras, ſed quod ſenſu percipitur, habet aliquod eſſe a parte rei, item quod intellectu concipitur, nam 1. de Interpretatione cap. 1. conceptus eſt imago, & ſimilitudo rei; Tum tandem, quia bene ſequitur, paries eſt realiter albus, ergo albedo, ſeu eſſe album dicit aliquid eſſe reale in eo, ſic igitur a ſimili, bene ſequitur, paries eſt realiter albedine privatus, ergo privatio albedinis ponit aliquid reale in ipſo, realiter enim utrunque diſjunctim convenit parieti.

Reſp. hæc, & ſimilia argumenta, nedom probate, privationem eſſe ens privativum, ſed etiam positivum, unde ad 1. dicimus ex hoc, quod privatio ſit a parte rei, inferri non debere, eſſe ens reale privativum, ſed ſolum eſſe privationem realem, & negationem non ſiſtam, & cum verbum eſt, tribuitur privacionibus, id ſit abuſive, non proprie, eo modo, quo dicimus, extra mundum eſſe vacuum, & inane, & ſenſus eſt, non eſſe ibi aliquid; Addit Tatar. & Tromb. loc. cit. terminos privativos ſemper eſſe connotativos, ſive in concreto, ſive in abstracto ſumantur, & ideo cum illis tribuitur verbum eſt ſecundum adiacens, ſupponunt pro ſubjecto privato, & ſic cum dicimus, cæcitas eſt, cæcitas ſupponit pro oculis viſum non habentibus. Ad 2. neg. aſſumptum, non enim dicitur fieri a cauſa eſſectiva per verum influxum, ſed tantum per ſubtractionem formæ, quæ erat in ſubjecto, nec ſimiliter dicitur deleri, quaſi per ablationem alicuius influxus in eam, ſed tantum per introductionem formæ, quæ non erat; Pariter dicitur malefica formæ, quatenus materia per privationem alias formas appetit, quod vergit in damnum formæ in materia eſſentia, ad hoc autem non eſt neceſſe, quod dicat privatio entitatem realem, ſed ſufficit, quod dicat remotionem formæ realis. Demum eſt principium generationis per modum termini a quo, ad quem modum principiandi non exigitur vera entitas realis nec realis influxus, ut dicimus quaſi ſeq. ſed ſufficit, quod ſit vera negatio realis. Ad 3. ſicut privationes proprias eſſentias non habent, ita nec habent proprie diſtinctiones eſſentiales, ſed ſolum aliquos conceptus, quibus manifeſtatur, cujus ſint privationes, & conceptus dicuntur rerum imagines, non recipiendo in rigore, ut venit a ratus rata ratum, ſe communiter, prout etiam convenit negacionibus præter intellectum eſſentibus; Nec Aristot. 2. de Anim. privationem ſenſu percipi per ſe, & positive, quaſi actus videndi feratur in tenebras ipſas, ſed negative, & per accidens, non videndo, ſcilicet, lumen in aere; nam cum ibi diſſider, viſu diſcerni lumen a tenebris, ſubdit, ſed non ſimiliter, quia, ſcilicet, lumen diſcernimus positive, tenebras veras vero negative. Ad 4. Reſpond. ex Scot. 1. diſt. 30. q. 2. ad ultim. princip. ubi docet, quod realitas aliquando determinat prædicatum, ſeu inhaerens, aliquando inhaerentiam tantum, ſeu compositionem prædicati cum ſubjecto, & quidem in primo ſenſu denotat, prædicatum importare eſſe reale in ſubjecto, ſed in ſecundo ſenſu nil aliud dicit, quam, quod illud vere eſt, ſicut cum dicimus, hæc propoſitio, homo eſt aſinus, eſt realiter falſa, hoc eſt, eſt vere falſa, quando ergo dicimus, quod paries eſt realiter albus, tunc ly realiter determinat utrumque, & inhaerens, & inhaerentiam, ſed quando dicimus, quod paries eſt albedine realiter privatus, ly realiter determinat inhaerentiam tantum, & nil aliud denotat, quam quod in pariete vere non reperitur albedo.

ARTICULUS II.

Formalitas Privationis declaratur.

6 Dicendum eſt, privationem in recto, & pro formali importare negationem, pro connotato vero, & in obliquo aptitudinem in ſubjecto, ita Scorist. ſupracitati, & colligitur manifeſte ex Scot. 2. diſt. 37. & quodl. 18. ubi ex eo, quia ſtatuit, peccatum eſſe privationem reſtitudinis debitæ actui ſecundo, deducit, peccatum nihil positivum in ſua formalitate includere. Prob. 1. ex Arist. 5. Metaph. text. 27. ubi ait, idem eſſe negationem contradictoniam, & privativam, & ſolum diſſerre in ſubjecto, & 10. Metaph. text. 15. inquit, privationem eſſe ipſamet negationem contradictoniam positivam in ſubjecto 1. Phys. 65. & 69. dicit privationem eſſe per ſe non ens.

Deinde Prob. ratione; Tum quia in diſtinctione eius tradita a Philoſopho 5. Metaph. 27. non ens, ſeu negatio ponitur in recto, & ſubjectum aptum in obliquo, diſtinitur enim, quod ſit negatio formæ in ſubjecto apto; Tum quia recta ratione dicimus, quod cæcitas eſt negatio potentie viſivæ, & non recte dicimus, quod cæcitas ſit capacitas potentie viſivæ, ſed ſolum in obliquo, quod eſt negatio potentie viſivæ in ſubjecto habente capaciatem illius potentie, ergo in recto dicitur negationem formæ, in obliquo capaciatem eſt incompoſibile; Tum 3. quia privatio formaliter ſumpta eſt incompoſibilis cum forma, & per eam expellitur a ſubjecto, aptitudo vero non eſt incompoſibilis cum forma, nec expellitur a ſubjecto; ergo privatio formaliter, & in recto non eſt aptitudo: G 3 Et

Et proflus falsum est, quod ad hoc ait Sghemma, cit. ad p. quod præsentia forma est aptitudo, non quæ est privatio, & causatur a privatione, sed quæ est proprietas materiæ, & quod præsentia forma manet aptitudo ad bonum præsens, sed non aptitudo boni absentis, quam dicit privatio; Nam aptitudo, quam petit privatio in subiecto, est aptitudo, & proprietas ipsius subiecti, quæ etiam remanet ad formam præsentem recedente privatione, licet non sub ratione desiderii; Tum 4. quia, ut inquit Tromb. & Canon. *cullibet entitati positivæ*, quæ potest recipi in aliquo subiecto, est privatio opposita, sed privationi non est privatio opposita; Et omnis entitas positiva noviter acquisita est terminus alicujus actionis positivæ, sed privatio est terminus solius corruptionis; Et omne positivum dicit quendam habitum, sed privatio non dicit habitum, immo potius habitui opponitur; Nec respondere valet ad ista, privationem non includere in sua formalitate solum positivum, sed ipsam quoque negationem formæ, quia nulla entitas (ait Canonicus) simul constituitur ex duobus extremis contradictoriis, ergo privatio statui nequit talis entitas, quæ simul constituitur ex positive, & negative; Tum tandem quia peccatum, stante hac doctrina de privatione, includeret in sua ratione formali aliquid positivum; nec refert, quod sit privatio moralis, & non physica, quia in ratione communi privationis carentia moralis, & physica non differunt, & proflus falsum est, quod ait ad hoc Sghemma cit. peccatum esse aliquid positivum pro substrato, & materialis, & in entibus connotativis connotatum, & materiale esse de eorum quidditate; Plane est implicancia in terminis, substratum, & materiale esse de formali conceptu entis connotativi, quia ideo appellatur substratum, & materiale, quia excluditur a formali, & principali significato.

7 In oppositum objicitur 1. Ratio formalis distinctiva rei est etiam constitutiva ejusdem, sed privatio distinguit essentialiter a simplici negatione per aptitudinem subiecti, ergo hæc erit ei intrinseca, & essentialis. Resp. Canonicus, & Tromb. privationem non distingui per intrinseca a negatione simplici, sed solum penes connotata, & inquant majorem illam valere in positivis, non in negativis, sed nos hanc regulam ampliamus, & dicimus, majorem illam valere tantum in absolutis, non autem in connotativis; nam ista essentialiter, & in principali significato non differunt, sed tantum penes connotata, sic dicimus, generationem formæ, & ejus creationem in principali significato non differre, non utraque est productio formæ, sed tantum penes subiectum connotatum a generatione, non a creatione. Posset etiam dici, privationem ter hoc differre a negatione simplici, & extra genus, quia dicit intrinsecum ordinem ad aptitudinem subiecti, vel potius terminat ordinem ejus ad ipsam, subiectum enim dicit ordinem, tam ad formam, cujus est susceptivum, quam ad negationem formæ, negatio autem extra genus, nec ordinem dicit ad subiectum, nec terminat ordinem ejus ad ipsam.

Sed Ariag. cit. nu. 177. acerrimus connotatorum hostis aliam rejicit solutionem, quia si capacitas subiecti est sola conditio, vel extrinsecum privationis connotatum, ergo tota privationis essentia consistit in carentia ipsius formæ, ergo si per impossibile cætera mancant, solaque capacitas subiecti auferretur, adhuc remanebit tota essentia privationis, quia nulla ipsius essentia pars intrinseca est ablata, sed solum extrinsecum connotatum, quo argumento utitur ubicunque in connotata impingit. Resp. hanc non esse peculiarem difficultatem contra privationem, sed communem omnibus connotativis, jam vero disp. 8. Log. quæst. 3. art. 1. in fine declarando naturam connotativorum diximus, hæc nomina talis esse conditionis, ut ex eorum impositione plura simul significant; quæ quidem quia sunt diversæ naturæ, nec apta facere conceptum per se unum; ideo non æque primo importantur, sed unum primario, illud nimirum, quod datur intelligi ex institutione imponentis illud nomen, alterum vero secundario, quod nimirum datur intelligi ex modo significandi principalis significationi, unde quia totale eorum significatum ex principali, & minus principali constat, ideo cessante connotato, statim variatur significatum illius nominis, & sic in proposito ablata capacitate subiecti auferretur essentia privationis, non quidem directe, sed indirecte, & in obliquo, quia principale significatum in exercitio suæ significationis ex minus principali dependet; quod quidem commune est omnibus nominibus connotativis; vide infra disp. 7. qu. 3. art. 3. in fine.

Secundo objicit Anglicus, tum quia quod nihil est, nihil sibi determinat, ergo cum privatio sibi determinet subiectum, formaliter erit aliquid; Tum quia oppositio contradictoria, & privativa sunt species oppositionis distinctæ formaliter, cum ergo ex parte habitus non differant, distinctio earum penes privationem, & negationem attendi debet, distinctio earum penes privationem aliquid plus includitur, quam in simplici negatione; Tum tandem quia de privatione prædicatur extremum contradictionis positivum, scilicet ipsum esse, dicimus enim, cæcitas est, tenebræ sunt, &c. Resp. ad 1. valere assumptum de nihilo proflus, tam in recto, quam in obliquo, sicut est negatio extra genus, privatio autem est aliquid in obliquo. Ad 2. concedimus, opposita contradictorie, & privative, non distingui, nisi ratione unius extremi, quod in contradictoriis est negatio simpliciter, in privativis est negatio subiectum connotans, ob quam differentiam inter privativa datur medium, non inter contradictoria ex 4. Metaph. 27. Ad 3. patet ex dictis artic. præcedent.

8 Tertio arguit Sghemma; Tum quia privatio est terminus mutationis realis, scilicet corruptionis, & est principium generationis; Tum quia generat appetitum in materia, qui est aliquid positivum in ea; Tum quia privationis esse essentialiter est in esse subiecto, nam proflus implicat, privationem esse, & in subiecto non esse, ergo coexistentia subiecti erit de intrinseca ratione privationis; Tum tandem quia essentia privationis est private subiectum forma, ergo essentialiter, & intrinsece respicit subiectum, quod privat. Resp. ad 1. negando consequentiam, quia est terminus corruptionis, quæ est mutatio deperditiva, non acquisitiva, & est principium generationis, quæ est acquisitiva, per modum termini a quo, ex quibus deduci potest solum, privationem esse negationem realem, non autem entitatem realem, & positivam. Ad 2. privatio generat appetitum, non per se directe, sed per accidens, indirecte, & occasionaliter, & ipsum generat non in ratione appetitus, & aptitudinis, in quo sensu importat positivum, sed tantum in ratione desiderii, in quo sensu nil positivum dicit, sed solum connotat absentiam formæ, ut fufus dictum est disp. 2. q. 6. Ad 3. ex hoc quod privatio essentialiter exigit subiectum aptum, non recte inferitur, subiectum, vel aptitudinem subiecti esse de essentia privationis, sicut ex hoc, quod relatio essentialiter coexistit extrema, non bene deduci debet, extrema esse de essentia relationis, potius ergo deduci debet, intrinsecum ordinem ad subiectum aptum esse de essentia privationis, qui ordo est negativus, & explicari debet per hoc, quod privatio est talis negatio, quæ nata est terminare ordinem subiecti ad ipsam. Et per hoc etiam patet, quid sit dicendum ad quartum.

ARTICULUS III.

Realis distinctio privationis a subiecto declaratur.

9 Dicendum est, privationem realiter a subiecto distingui distinctioe reali privativa. Concl. est communiter recepta, quam tenet, & probat Canon. loc. cit. art. 4. Quæcumque ita se habent, quod uno manente, reliquum non manet, illa realiter distinguuntur, vel saltem non sunt idem realiter, sed subiectum manet, privatio recedit, ergo subiectum, & privatio realiter distinguuntur, non quidem distinctioe reali positiva, quæ inter extrema positiva versatur, sed negativa, qualis est inter ens, & non ens; Minor patet, prob. major, nam quæ ita se habent, ut unum existat sine alio, realiter distincta censentur, si enim essent idem realiter, unum non esset absque alio a parte rei, nec ad distinctionem realem semper necesse est, ut mutuo possint separata existere extrema, inter quæ versatur realis distinctio, alioquin creatura realiter non distingueretur a Deo, ut fufus suo loco dicitur contra Neotericos.

In oppositum objicitur 1. Quod inest materiæ circumscriptæ ab ea omni eo, quod non est cum ea realiter idem, realiter identificatur cum ea: sed privatio est hujusmodi, ergo &c. Major patet, probatur minor, nam circumscripto a materia omni eo, quod non est ipsa, nec in primo, nec in secundo modo, materia non habet formam, & est capax illius, ergo est formaliter privata. Nec respondere valet cum Canonicis, negando minorem, quia data hypothesi, tunc materia, nec esset privata, nec non privata formaliter, sed tantum fundamentaliter, id est esset fundamentum, quod denominari potest a privatione formaliter sumpta. Non valet, quia in tali statu materia formaliter non habet formam, & est formaliter capax formæ, ergo est formaliter privata forma, nam privatio formaliter est negatio formæ in subiecto apto. Resp. solutionem Canonicis esse sufficientem, si recte intelligatur, fit enim in argumento transitus a propositione negativa de prædicato finito ad affirmativam de prædicato infinito, quæ est manifesta fallacia, ut si dicatur, homo essentialiter non est albus, ergo essentialiter est non albus, non valet consequentia, quia nec albedo, nec negatio albedinis est de essentia hominis, alioquin nunquam homo posset esse albus, vel sine albedine, sic arguitur in proposito, materia secundum se, secluso quocumque; realiter distincto, non habet formam, seu non est informata, & est capax ejus, ergo secundum se est privata forma, seu non informata, non valet, quia nec informatio, aut forma, nec negatio informationis, aut formæ convenit illi in primo, vel secundo modo, sed omnino contingenter inest.

to Sed urges. Privatio convenit materiæ ex se, forma vero per agens extrinsecum illam introducens, ut docet Scot. 3. d. 3. q. 1. §. Si autem, &c. ergo est secundum se privata, & necessario, non contingenter. Resp. neg. conseq. ex eo enim tantum inferri potest prioritas naturæ privationis ad formam in ordine ad commune subiectum: non autem identitas, & quidem prioritas naturæ, non positiva, quia potuisset ab æterno materia creari cum forma, in quo casu privatio non præcessisset formam; sed privativa, quatenus privatio, quantum est ex se, semper inest materiæ, nisi adesset extrinsecum impediens, nimirum agens formam oppositam introducens, & in hoc sensu loc. cit. ait, materiam esse ex se privatam, non autem in sensu, quem intendit argumentum.

Secundo objicitur. Si privatio distinguitur, ita quod accederet, & recederet a subiecto, non secus quam forma, sequitur, quod sicut formæ est privatio, sic etiam ipsius privationis esset privatio, & ita subiectum dum emittit aliquam privationem, acquireret privationem ejus. Confirm. quia si privatio, quatenus est negatio, distincta est a subiecto, daretur processus in infinitum in negativis, nam una negatio non est alia; ergo dicit negationem illius

illius, & rursus hæc secunda negatio non est alia, ergo dicit negationem ejus, & rursus hæc negatio non est alia, ergo dicit negationem alterius, & sic in infinitum.

11 Resp. ex Simplicio negando consequentiam, quia sicut absentia non est absentia, nec præsentia præsentia, ita neque privationis est privatio, sed privationis privatio est formaliter, & immediate illa forma, quam negat, & in hoc sensu dicere, materiam recedente privatione acquirere privationem privationis, est idem, ac dicere materiam acquirere formam oppositam, quod est verissimum. Ad Conf. negatur sequela, hoc enim interest inter negationes, & res positivas, quod negatio se ipsa negatur formaliter, & non per aliam negationem, quæ ipsam consequatur, at res positiva se ipsa dicitur non alia fundamentaliter, sed formaliter dicitur non alia per negationem, quæ ad ipsam consequitur ex natura rei, sic homo de se ipso fundamentaliter non est animus, sed formaliter dicitur non est animus per negationem animatis, quæ humanitatem consequitur.

Tertio objicitur; Tum quia materia non potest per absolutam Dei potentiam a privatione separari, nam materia aquæ v. gr. est privata infinitis formis, quæ non possunt simul, & semel in materia induci, cum sint impossibiles, ergo privationem sibi realiter identificat; Tum quia distinctio realis cadit inter rem, & rem, sed privatio non est res; Tum etiam quia Philosoph. 1. Phys. tex. 79. ait, privationem esse unum numero cum materia; Tum tandem quia si privatio esset a materia distincta, darentur actu infinitæ privationes in materia, sicut sunt infinitæ formæ possibiles.

12 Resp. ad 1. neg. sequelam, quamvis enim non possit materia omnibus privationibus simul denudari collectivè, potest tamen omnibus denudari distributive, id est modo hac; modo illa, quod sufficit ad inferendam distinctionem realem privationis a materia; repugnantia vero, ob quam non possunt omnes privationes simul a materia auferri, non est petenda ex impossibilitate formarum, nam plures formas disparatas potest Deus ponere in materia, ut postea dicemus; sed petenda est ex hoc, quod multitudo formarum possibilis est syncategorematica, & indeterminata, ac proinde non tota simul producibilis. Ad 2. valet assumptum de dist. reali positiva, non negativa, quod si contentas restringere nomen distinctionis realis ad extrema realia, rem, & rem importantia, licebit uti in proposito nomine non identificatis, dicendo, quod privatio, & subiectum sunt non idem realiter; & ita loquitur Canonicus loc. cit. Per quod solvitur aliud argumentum, quod fieri solet, quia nimirum realis distinctio importat realem relationem, hoc enim proprie verum est de dist. reali proprie sumpta, non autem sumpta pro non identitate; dici etiam potest, quod realis distinctio talem importat relationem realem, qualis est realitas ipsius distincti. unde cum in proposito distinctio privationis a materia non fit realis in rigore, sic neque relatio per ipsam importata. Ad 3. aliqua possunt dici unum numero dupliciter, unitate nimirum intrinseca, vel subiectiva; primo modo dicuntur unum numero, quæ una hæcitate individuuntur, secundo modo dicuntur unum numero, quæ sunt in eodem subiecto, quo sensu albedo, & dulcedo in lacte dicuntur unum numero, quia sunt in eodem subiecto 6. Top. cap. 1. materia, & privatio dicuntur a Philosopho loc. cit. unum numero, non primo, sed secundo modo, ut ibi. Expositores notant; sed dicuntur unum numero negative, quatenus privatio non superaddit materiæ entitatem positivam. Ad 4. Resp. cum Canonicis, non esse inconveniens, tot privationes actu admittere in materia, quot sunt formæ possibiles in ea, quia cum istæ non sint infinitæ, sed finitæ in infinitum, ita & illæ; absurdum autem est admittere infinitum actu, & categorematicum, non autem infinitum syncategorematicum, seu finitum in infinitum, ut disp. de infinito dicemus.

QUESTIO II.

De Oppositione privationis cum forma.

13 Privationem opponi formæ, & tolli per formam, fatentur omnes, verum de modo sunt quedam dubitationes. Primo enim dubitatur, an immediate opponatur formæ, multi enim Theologi, & præsertim ex nostratibus, ut defendant Scoti sententiam de essentia peccati, quod in privatione consistat, admittunt privationem privationis, quam eadem de causa etiam admittit Salas part. 2. tract. 13. disp. 2. n. 3. & consequenter inquant, privationem non immediate opponi formæ, sed suæ privationi, ut cæcitas non immediate opponitur visui, sed privationi cæcitas. Deinde dubitatur, an privatio ita immediate opponatur formæ, ut per positionem illius in subiecto solummodo tolli possit non aliter, nec alio modo, & Hurtad. in Phys. disp. 3. sect. 1. §. 12. tenet, privationem nedum tolli posse per formam positive oppositam, verum etiam per negationem ipsius privationis, quando, scilicet, subiectum redditur ineptum ad formam suscipiendam, & sequitur Ariaga disp. 2. Phys. n. 176.

Dubitatur demum, an privatio ita opponatur formæ, ut una sit privatio in materia omnium formarum, vel ejusdem formæ multæ privationes, an potius tandem ad numerationem formarum numerandæ sint privationes; & tot præcise ponendæ, quot formæ possibiles haberi in materia, & aliqui absolute dicunt, in materia esse unam privationem omnium formarum, sicut est una potentia, & quod adveniente forma, non corrumpitur privatio secundum se, sed solum secundum denominationem respectu illius formæ. Alii vero distinguunt de privatione, sicut distinguunt de potentia, *Maffrii, & Belluti Tom. II. Physica.*

quod nimirum sicut potentia materiæ est duplex, una remota, & universalis, alia proxima, & particularis, quæ, scilicet, connotat proximam dispositionem ad hanc, vel illam formam, ita duplex est privatio, una remota, & universalis omnium formarum, alia proxima, & particularis hujus, & illius; prima est una respectu omnium, altera multiplicatur ad multiplicationem formarum, & inquant, quod sicut in materia non dantur simul duæ potentia proxima, & particularis ad duas formas, sed tantum successive una post aliam, quia dispositiones ad formas specie diversa sunt impossibiles, ita in materia non dantur simul plures proxima privationes, sed tantum successive una post aliam juxta successionem variarum dispositionum, ita sentire viderur Ruvius 1. Phys. tract. 3. q. 2. Sghemma 1. Phys. digress. 6. q. 4. eadem utitur doctrina, & solum in hoc differit, quod etiam privationem universalem, & remotam multiplicat ad multiplicationem formarum.

Alii e contra negant hujusmodi privationem ad omnes formas, & volunt, privationes non solum ad multitudinem formarum multiplicari debere, verum etiam respectu ejusdem formæ plures dari posse privationes, ita multi Theologi loquuntur part. 2. in materia de peccatis, ut declarent malitiam vitiorum extremorum. Alii vero adæquate multiplicunt privationes, & distinguunt specie, & numero juxta multitudinem, & distinctionem numericam, & specificam habitum oppositorum, quæ est verior, & communior sententia. Ad hæc tres dubitationes breviter respondemus per tres Concl. sequentes.

14 Dicimus 1. Privatio immediate opponitur formæ, non autem suæ privationi, ut cæcitas immediate opponitur visui, non autem privationi cæcitaris. Concl. colligitur ex Scot. 2. dist. 2. quæst. 1. §. Hic dicitur, &c. Ver. Et confirmatur ista ratio, &c. quæst. 9. paulo supr. M. & seq. multi Theologi in materia de peccatis, & Prob. Quia, ut ait D. cit. universaliter loquendo, negatio negationis est affirmatio positionis, ut negatio negationis entitatis est ipsa entitas, negatio negationis humanitatis est ipsamet humanitas; Tum quia adhuc id evidentius est in privationibus, nam privatio cæcitaris est visus, privatio tenebræ est lux, & universaliter nihil privat privationem, nisi sit formaliter positivum; Tum etiam experientia docet, privationem immediate non tolli a subiecto, nisi per formam oppositam, tenebra immediate excluditur ab ære per lucem, cæcitas ab oculo per visum; Tum etiam Arist. cap. de Opposis clarè docet inter privative opposita, sicut est forma, & privatio, non dari medium, ergo privatio immediate opponitur formæ, non autem suæ privationi; Tum denique, esse, & non esse immediate opponuntur, ergo etiam immediate opponitur lux tenebræ, cæcitas visui, nam lux est esse lucis, & tenebra non esse lucis, visus est esse visus, & cæcitas non esse visus; Tum præterea privatio v. gr. cæcitas erit non esse cæcum, at in subiecto capaci visus, esse non cæcum, formalissime est esse videntem, ergo nullus conceptus mediat inter cæcum, & videntem in subiecto capaci; Tum tandem, quæ non opponuntur immediate, possunt per absolutam Dei potentiam esse simul in eodem subiecto, ut suo loco dicemus de contrariis, sed proflus repugnat, privationem, & formam esse simul, ergo &c.

15 Sed contra hanc Concl. objicies 1. Si non datur privatio privationis, sed privatio immediate opponitur formæ, ergo peccatum commissionis in positivo consistit, quod est contra Scot. Prob. sequela, quia peccatum commissionis solum opponitur præcepto negativo, unde relictio debita, in cuius carentia consistit malitia commissionis, est carentia furti, vel homicidii, hæc enim est relictio præcepta per præceptum non furandi, & non occidendi, ergo si privatio privationis est quid positivum, peccatum commissionis in positivo consistit, scilicet, & in actu ipso furandi, vel occidendi, quia per ipsum furtum, & homicidium affertur carentia illius relictionis, quam habet, qui non furatur, vel occidit, ut ergo sententiam Scoti defendamus de essentia peccati, privationem privationis admittere debemus.

Resp. neg. sequelam, ad probat. negatur assumptum, universaliter enim in violatione præcepti negativi relictio debita non est carentia furti, vel homicidii, sed conformitas ad præceptum negativum, quæ super has negationes fundatur, sicut e contra relictio debita in violatione præcepti affirmativi, v. gr. audiendi Missam non est auditus Missæ, nisi materialiter, sed conformitas ad præceptum affirmativum nata super hunc actum fundari: concedimus igitur, quod carentia negationis furti, homicidii, &c. quid positivum est, ipsa scilicet positiva entitas furti, & homicidii; sed hinc non sequitur, malitiam horum actuum pro formali in positivo consistere, quia sicut illæ negationes furti, & homicidii non sunt bonitates, & relictiones formales, sed tantum materiales, ita quæ illis opponuntur, sunt tantum materialiter malitiae morales, & ita adhuc bene salvatur, quod peccatum commissionis formaliter in privativo consistit.

Secundo. Cæcum immediate opponitur in cæco, sed non cæcum, & non videns non dicunt formaliter conceptum eundem, ergo cæcum non opponitur immediate videnti, sed non cæco, major patet, & minor probatur, quia lapis non est videns, & tamen est non cæcus. Respond. in subiecto capaci visus, & cæcitas non cæcum, videns dicere eundem conceptum, quia privatio, & forma sunt circa idem subiectum, at in subiecto incapaci, sicut est lapis, non

non sunt idem, quia ibi non est privatio visus, sed negatio, visus autem, & eius carentia, non opponitur privative in subiecto incapaci, quia cæcitas non est sola negatio visus, sed privatio, & hic de privativa oppositione est sermo, non de negativa, igitur in lapide cæcum, & non cæcum non opponitur privative, sed negative tantum, & ita sequitur solum, quod in ipso datur negatio privationis pro connotato, id est negatio aptitudinis, qua de causa dicitur non cæcus, nullo autem modo privatio privationis.

Tertio, cæcitas est privatio, & qui habet visum, dicitur carere cæcitate, ergo cæcitas potest esse carentia, & privatio simplex. Resp. quod sicut negationem per positivum sapientia explicamus, ut patet de tenebra, & cæcitate, sic e contra positivum sapientia per negationem explicamus, & ita fit, cum dicimus habentem visum cæcitate carere, sed revera hæc carentia quid positivum dicit, scilicet visum.

16 Dicimus 2. Privatio per solam formam illi oppositam positive, vel per aliam superiorem virtualiter illam continentem tollitur a subiecto. Concl. est Scot. 2. dist. 14. qu. 1. B. & dist. 32. q. unic. & 4. dist. 49. q. 13. sub B. & Prob. Quia, ut diximus, privatio privationis formalissime non est, nisi forma positive opposita, vel formaliter, vel virtualiter, ergo non tollitur a subiecto, nisi per positionem illius in eodem. Conf. ex definitione privationis, privatio est carentia formæ in subiecto apto, ergo quando ponitur forma, tollitur privatio, nec alio modo videtur tolli posse, & a subiecto deleri, nisi per positivum proprium oppositum, vel per aliam virtualiter continens illud oppositum, ut ait Doctor cit. 2. dist. 32. q. unic. F.

Sed contra hanc concl. instat Hurtad. cit. concedens, privationem posse a subiecto tolli, non tantum per formam positive oppositam, verum etiam per negationem, quando scilicet subiectum redditur ineptum, quod probat ex definitione privationis, nam privatio est carentia formæ in subiecto apto, ergo quando ponitur forma positiva, vel subiectum redditur ineptum ad eam formam, tollitur privatio, sed aliquando subiectum recipit formam oppositam, aliquando redditur ineptum ad eam recipiendam, ergo privatio tollitur, vel per formam positivam, vel per negationem. Probat minorem, quoad secundam partem, quia nisi Deus pactum inisset de conferenda in pueris iustitia originali, eius carentia, qua modo est privatio, esset in pueris mera negatio, sed validius probari potest ex Scot. loc. proxime cit. ubi ait, in Baptismo per infusionem gratiæ peccatum originale auferri, quod consistit in privatione iustitiæ originalis debitæ, non per hoc, quod gratia virtualiter continet effectum formalem iustitiæ originalis, sed per hoc præcise, quod solvitur debitum habendi donum gratiæ, unde licet maneat carentia iustitiæ originalis, tamen non est amplius culpa, quia non remanet debitum in puero; debitum vero in mortalibus æquivaleret aptitudini in naturalibus, & ideo sicut in mortalibus tollitur privatio per hoc solum, quod auferuntur debitum habendi formam oppositam, ita in naturalibus tolli per hoc poterit, quod subiectum reddatur ineptum.

Resp. neg. minorem subillatam, quoad secundam partem, quod scilicet subiectum possit ineptum reddi in naturalibus ad formam suscipiendam, quia aptitudo suscipiendi formam non potest tolli a subiecto manente natura susceptivi, cum talis aptitudo sit ei realiter identificata. Ad Prob. dicimus, debitum in mortalibus utique æquivalere aptitudini in naturalibus, at tamen non valet paritas in omnibus, quia in mortalibus potest per legislatorem induci, & auferri, non sic aptitudo in naturalibus, quia est realiter rebus identificata; hic autem quæritur præsertim naturam privationis physice. Accedit, quod Doct. in fine illius dist. ad arg. illud quæst. 4. aliam responsionem infiruat.

Sed contra instat Hurtad. probans, etiam in naturalibus posse subiectum reddi ineptum, & hoc modo posse tolli privationem ab eo, nam Catulus Canis ante nonum diem sui ortus habet negationem visus, qui ante illum diem est incapax videndi, si postea vero illi eruantur oculi, erit utique privatus visu, quia ex natura sua illum poterat habere post nonum diem, ergo idem subiectum potest effici de incapaci capax, aut incapax de capaci alicuius formæ.

Resp. Catellum etiam ante nonum diem esse absolute capacem visus, unde non deficit ei intrinseca capacitas, sed tantum conditio quadam, ut proxime reducat ad actum, scilicet determinatum tempus a natura, unde post nonum diem non dicitur fieri de incapaci capax; sed de incapaci remore, fieri capax proxime, & eius capacitate reduci ad actum, & similiter si postea in oculo oriatur humor noxius, visum tollens, non reddit oculum absolute incapax visus, sed tantum in sensu composito, stante nimirum humore illo in oculo, sicut materia per hoc, quod habet unam formam, non redditur incapax alterius.

17 Dicimus 3. In eodem subiecto nec sunt plures privationes ejusdem formæ, nec una privatio omnium formarum, sed tot privationes præcise, & adæquate, quot formæ possibiles haberi in illo subiecto. Concl. colligitur ex Scot. quodl. 18. §. Ex isto sequuntur, &c. ubi docet privationes distingui, & multiplicari, sicut formæ, quibus opponuntur, sive specie, sive numero; privationes enim distinguuntur, sicut habitus nati essent distinguuntur, puta surditas, & cæcitas suo modo differunt specie privativa; sicut auditus, & visus specie positiva, & hæc cæcitas, & illa numero privative sicut hic visus, & illa differunt numero positive, hæc Doctor, & sequuntur Hurtad. loc. cit. §. 8. & Amicus tract. 7. de Privatione q. 1. dub. 5. art. 3.

& alii communiter, & Prob. quoad omnes partes, & r. quoad primam, non posse scilicet esse in eodem subiecto plures privationes unius formæ, probatur; Tum quia dum forma advenit, una privatio recedit, & nulla alia remanet, ergo unius formæ tantum specie, est una specie privatio, & unius formæ numero una privatio numero; Tum quia, si essent plures, una recedente per adventum formæ, non videretur, cur alia debeant necessario recedere, & si alia necessario recedunt, tunc ejusdem mutationis specie, & numero plura erunt principia specie, & numero per modum termini a quo; Tum tandem quia, si privationes non aliam agnoscerent distinctionem specificam quam illam, quæ sumitur ab habitibus, ut docet Doctor loc. cit. & 2. dist. 37. quæst. 1. §. Ex hoc patet, &c. non videretur quomodo ejusdem formæ specie, & numero esse possint plures privationes specie, & numero distinctæ; Nec valet dicere cum quibusdam Theologis in materia de peccatis, ad distinguendas plures privationes specie, & numero ejusdem habitus, sufficere diversum privandi modum, & ita prodigalitas est diversa specie privatio ab avaritia, quia licet privent eadem rectitudine liberalitatis, tamen diverso modo privant, prodigalitas nimirum per excessum, avaritia per defectum. Non valet, quia illi modi non diversificant alias privationes cæcitas, surditatis, &c. eadem enim specie est cæcitas, sive per excessum, sive per defectum humorum deficit virtus videndi, & de distinctione vitiorum extremorum postea dicemus.

18 Deinde prob. quoad secundam partem, nimirum in materia non esse unam privationem omnium formarum; Tum quia si privationem distinctio, & multiplicitas solum attendi debet penes distinctionem, & multipliciter formarum, quibus privant, ergo cum non detur una forma universalis nata pro omnibus informare, sed sint multæ numero, & specie, non poterit dari una privatio in materia pro omnibus formis; Tum quia ex hoc sequeretur, privationem manere simul cum forma, sicut manet potentia, nam adveniente forma aliqua, non propterea definit secundum se in materia hæc universalis, & remota privatio, sed solum secundum denominationem respectu illius, sicut relatio paternitatis manet secundum Thomistas secundum se corrupto uno filio, & aliis remanentibus, & solum corrumpitur secundum denominationem respectu filii mortui, hoc enim exemplo declarare solent Adversarii hanc privationem universalem in materia respectu omnium formarum. Quod si dicant, ut alii insinuant videntur, privationem illam universalem in adventu particularis formæ etiam secundum se definire, & vere minui, in quo distinguitur a potentia, quæ in adventu formæ non minuitur. Neque hoc satisficit, quia explicari non potest hoc augmentum, & decrementum privationis in materia, accedentibus, & recedentibus formis, unde præstabit dicere, quod adveniente una forma tollitur privatio particularis illi correspondens, & remanent privationes aliarum, nec præter istas datur aliqua universalis omnium formarum privatio; Tum tandem, quia privatio admittitur in materia, ut sit principium per modum termini a quo, & per modum abiectionis, sed privatio, quæ ita ad generationem concurrat, est privatio particularis, nam hæc in adventu formæ recedit, in recessu formæ accedit, privatio vero universalis secundum Adversarios perpetuo in materia manet, ergo solum privationes particulares ponendæ sunt in materia, & nulla universalis.

Si vero singulas hujusmodi privationes singulis formis correspondentes velimus appellare remotas, quousque materia proxime disponatur ad hæc, vel illam formam, & in hoc sensu dicere, non esse in materia simul plures privationes proximas & distinctas secundum speciem, sed unam tantum, quia non potest simul materia esse disposita ad plures formas, & hæc privationem proximam esse, quæ in generatione concurrat per modum termini a quo, modus hic loquendi potest admitti, sed necessarius non est; Tum quia non in omnibus mutationibus est necessaria prævia alteratio disponens subiectum, ut patet in illuminatione; Tum etiam quia quando necessaria est prævia alteratio, & proxima privatio dicitur principium mutationis, non per hoc excluditur remota, immo est illa eadem, quæ recedit, & dicitur proxima, quia ob dispositiones introductas proxime expelli debet per formam.

In oppositum objicitur 1. probando, quod plurium formarum possit esse una privatio in subiecto; Tum quia in materia est una tantum potentia ad omnes formas, ergo & una privatio; Tum quia eadem relatio esse potest ad plures terminos, si sint inadæquati, ergo & eadem privatio plurium formarum; Tum etiam genus est unum indeterminate respiciens hæc, vel illam differentiam, & indeterminate dicens negat. hujus, & illius, ergo etiam materia erit subiectum commune omnium formarum indeterminate dicens negat. omnium; Tum tandem, quia hæc ratione videtur dixisse Philosophus 1. Phys. 79. privationem esse unam numero cum materia, ita quod sicut materia est unum indeterminatum subiectum respectu omnium formarum, ita quoque hæc habeat unam indeterminatam privationem.

19 Resp. ad 1. neg. paritatem de potentia, & privatione; Tum quia potentia materiam formaliter dicit aptitudinem, quæ una esse potest ad omnes formas, privatio vero dicit formaliter non esse formæ, quod necessario multiplicari debet ad multiplicationem formarum; Tum etiam quia adveniente forma, non tollitur potentia materiam respectu illius, sed statim illa, at perit utique privatio, quia nunquam privatio potest simul consistere cum forma,

Quo sensu privatio dicatur principium generationis.

ma, cujus est privatio. Ad 2. negatur paritas de privatione, & relatione ad plures terminos inadæquatos, relatio enim non tollitur per terminum inadæquatum, quando deficit, nisi secundum denominationem, sed privatio vere tollitur. Ad 3. Respon. genus continere utique confuse, & indeterminate differentias continentia potentiali, sed distincte, & determinate continent negationes earum continentia actuali, & singulæ negationes excluduntur a genere per determinatas differentias, & non per quamlibet promiscue, & sic etiam in proposito materia confuse, & indeterminate continet omnes formas, continentia potentiali, sed distincte, & determinate negationes earum continentia actuali, & privatio excluditur ab ea, non per quamlibet formam, sed per formam determinatam. Ad 4. patet ex dictis quæst. præced. num. 12. quo sensu Philosophus dixerit, privationem esse unum numero cum materia.

Secundo objicitur, probando, ejusdem formæ posse plures esse privationes. Tum quia in naturalibus tenebra est una privatio, & tamen privat multiplici lumine, quo tolli potest, tenebræ enim quavis luce pelluntur, sive Solis, sive candelæ. Tum quia in moralibus omnia vitia extrema, ut prodigalitas, & avaritia, pusillanimitas, & temeritas habent diversam specie malitiam, & tamen opponuntur eidem habitui virtutis, ergo ejusdem formæ specie, & numero possunt esse diversæ specie, & numero privationes.

Resp. ad 1. negan. antec. tenebræ enim non sunt una sola privatio, hujus, & illius lucis, sed aggregatum privationum cujuscumque lucis, & Solis, & ignis, ut bene advertit Hurtad. §. 9. unde sublata una sola privatione per unam lucem, statim pelluntur tenebræ, & si alia privationes remaneant, quia tenebræ consistunt in illo aggregato omnium privationum cujuscumque lucis. Ad 2. neg. assumptum, nam probabilius est, vitia extrema eidem virtuti opposita non distingui specie in genere moris, sed tantum in esse naturæ, ut olim dicebamus in materia de peccatis, & concedendo, specie distingui, tunc negandum est, virtutem inter vitia extrema consistentem esse formaliter unam, licet enim liberalitas sit unica tantum virtus materialiter una scilicet physica qualitas, est tamen duplex virtus formaliter, cum hæc unica qualitas duplicem habeat coexistentiam ad duplicem regulam rationis specie diversam, propter diversitatem objectorum formalium, unam quidem prohibentem superfluos sumptus, alteram vero necessarios, & honestos præcipientem, cum ergo habitus formalizetur in ratione virtutis per prædictam coexistentiam ex Scoto 1. d. 17. q. 2. sequitur, quod ad ejus multiplicationem multiplicetur etiam ratio formalis virtutis moralis in eadem physica qualitate; cumque ex alietate regulæ attendatur alietas virtutum ex Scoto 3. d. 36. q. un. & 4. d. 45. q. 2. sequitur, quod cum hic duplex habeatur regula, geminetur etiam virtus super idem absolutum, & ideo non sequitur prodigaliter, & avaritiam esse privationes specie diversæ ejusdem formaliter habitus virtutis.

20 Tertio objicitur, quod non sint actus tot privationes in materia, quot formæ possibiles in ea. Tum quia privationes inter se opponuntur sicuti formæ, quod saltem negari nequit de privationibus contrariorum immediatoorum, & formarum circa idem se necessario sequentium, ut privationes sanitatis, & ægritudinis. Tum quia in materia jam a Deo creata extant omnes formæ substantiales in universo productæ, & quæ sunt de integritate universi, specie, & genere differentes, ergo saltem privationes omnium harum formarum non sunt in materia. Tum tandem quia si loquamur de privationibus formarum possibilem, nec ipsæ videntur actu admittendæ in materia quia essent infinitæ actu, & categorematice, sicut formæ, possibiles sunt infinitæ in potentia syncategorematicæ.

Resp. ad 1. ex Scoto in 2. d. 12. q. 3. F. quod licet respectu agentis naturalis aliquæ formæ se immediate sequantur in materia, quia agens naturale non potest tollere unum oppositum, nisi ponendo reliquum, absolute tamen nullæ formæ ita se habent immediate circa materiam, quod necessario se consequantur, & ideo nullæ privationes in materia sunt oppositæ, absolute loquendo. Ad 2. licet in tota materia non sint privationes genere, & specie distinctæ, sunt tamen in una portione materię ut in materia, quæ substat formæ lapidis, adnatæ sunt privationes omnium aliarum formarum substantiarum in aliis materiis portionibus existentium præc. art. 3. ex hoc non sequi, privationes omnium formarum possibilem actu existentes in materia fore categorematice infinitas, sed tantum syncategorematicæ, seu finitas in infinito, si non datur status in speciebus possibilem, de quo disp. de Infinita.

Quæres. An privatio suscipiat magis, & minus. Resp. ex Scot. cit. 2. d. 37. q. un. & quodl. 18. privationem formæ substantialis non suscipere magis, & minus, quia nec ipsa forma suscipit, intensive loquendo, & ideo sicut substantialis forma consistit in indivisibili, & eo posito, tota forma habetur, ita privatio ejus consistit in indivisibili, & eo sublato, tota privatio tollitur. Privatio vero formæ accidentalis suscipit magis, & minus, sicut ipsa forma, & ideo sicuti introducto in aqua uno caloris gradu, non habetur tota forma, intensive loquendo, ita non est ablata ab aqua per illum gradum omnis privatio caloris, unde sicut totus gradus unum integrum efficiunt calorem, & quilibet gradus est partialis calor, ita privationes omnium graduum constituunt integram privationem totius caloris, & privatio partialis singulorum graduum constituit privationem partialem.

21 Dicitur est in disp. de Principiis incommuni q. 3. & 4. privationem esse principium generationis per modum termini a quo, quatenus est illa, a qua agens naturale progreditur ad formam, verum quia generatio accidentaliter fieri potest ab agente creato eodem instanti, quo fit subiectum, nam Sol producit in se lucem eodem instanti, quo fuit ipse productus, in quo casu privatio non præcedit formam in subiecto, & eodem modo fuerunt ab initio mundi producta a Deo corpora cælestia, & elementa, tam quoad formam, quam quoad materiam, hinc dubitatur, quomodo privatio fuerit harum generationum principium per modum termini a quo, cum nunquam præcesserit in subiecto.

Quidam, ut referunt Hurt. disp. 3. de Privatione sect. 2. & Aver. q. 10. sect. 3. dixerunt, in his casibus privationem fuisse generationis principium, quia materia est prior natura, quam forma, & Sol, quam lux, & hæc proprietatem sufficere ad rationem privationis, quem dicendi modum acriter impugnant relati Auctores.

Aversa ibidem inquit, quod quamvis ante formam in his casibus non præcesserit privatio in subiecto, tamen absolute verum erat, quod antea non dabatur forma, itaque præcessit etiam in his casibus non esse formæ, & non esse totius compositi postea simul producti, & ab hoc non esse, sive ab hac negatione formæ, tamquam termino a quo, factæ sunt generationes illæ. Sed quia ulterius dubitari potest de generatione facta ab æterno, quia tunc non esset verum dicere, quod antea præcessisset non esse formæ, & non esse totius compositi, subdit Aversa; non esse per se de ratione generationis, ut ante ipsam re vera præcedat privatio, aut non esse rei ordine naturæ positivo, sed sufficere prioritatem naturæ negativam, quatenus nimirum privatio præcessisset formam in materia, quantum est de se, si ab agente extrinseco impedita non fuisset introducentem formam in materia in eo instanti, quo debebat inesse privatio, & eodem modo verum est dicere de creatura ab æterno producta, de non esse ad esse transisse, & in hoc sensu inquit Aversa, privationem esse principium necessarium per modum termini a quo in omni profus generatione, & trahit in hanc sententiam Scotum in 2. d. 1. q. 2. §. Respondeo, &c. & q. 3. §. Tenentes autem, &c. quia in his locis, & etiam in 3. q. 1. G. talem admittit prioritatem inter non esse, & esse creaturæ ab æterno productæ, & inter privationem, & formam productam cum materia in eodem instanti.

22 Dicendum tamen est, ut privatio dicatur principium generationis per modum termini a quo, sicut locutus est Philosophus 1. Phys. non sufficere prioritatem naturæ negativam privationis ad formam, imo neque positivam per modum negationis extra subiectum, neque sufficere prioritatem naturalem materię ad ipsam formam. Concl. sequitur ex dictis disp. de Principiis in communi, & est contra relatos dicendi modos, & primo contra Aversam; quoad 1. partem probatur, quia Arist. in 1. Phys. & cum illo tota peripatetica schola assignant principia generationis, prout a creatione fecerunt, sed principium per modum termini a quo sensu, quo loquitur Aversa, quod nimirum non esse rei præcedat esse rei extra subiectum ordine naturæ positivo, vel privatio, etiam in creatione reperitur, per quam res totaliter transit de non esse, tamquam ex termino a quo, ad esse, tamquam ad terminum ad quem, ergo privatio non potest assignari principium generationis rerum naturalium per modum termini a quo in hoc sensu; Nec valet, si dicat Aversa, creationem, & generationem differre ex principio concurrente per modum subiecti, non per modum termini a quo, vel ad quem, nam ut docet Scot. 4. d. 1. q. 4. & quodl. 10. generatio, & creatio differunt etiam ex termino a quo, quia terminus a quo generationis est negatio in genere, & in subiecto, terminus a quo creationis est negatio extra genus, ergo non eodem modo assignari debet terminus a quo hic, & ibi, ut facit Aversa.

Accedit, quod secundum hunc dicendi modum non salvatur, privationem in illis casibus concurrere per modum termini a quo, sed tantum meram negationem, quia, est negatio formæ præcedat, non tamen præcedit in subiecto, ergo non salvatur, quod concurrat privatio. Resp. Aversa, quod cum privatio principietur ratione negationis, & non ratione aptitudinis, si ratione illius præcedat, sufficit ad hoc, ut concurrere dicatur per modum termini a quo. Contra, quia est privatio concurrat ad generationem ratione negationis; necessario tamen, & intrinsece, quatenus principium generationis est a creatione distinctæ, perit subiectum in quo fit, ita ut isto deficiente, nec amplius dicatur privatio, neque principium generationis, sed creationis, ergo sine subiecto non salvatur vera privatio, nec terminus a quo generationis, ut a creatione distinguitur.

23 Resp. Aversa, salvari, rationem privationis etiam in his casibus, vel nempe quatenus ea negatio præcedens connotat subiectum, & aptitudinem materię, saltem possibilem, vel quatenus prius quidem dabatur negatio, postea in eo instanti in priori naturæ datur realiter materia cum aptitudine. Contra, privatio est negatio in genere 5. Met. 27. sed negatio dicitur in genere, quia ente existente, & raro reperitur, non vero solum possi-

possibilis, ergo ex hoc, quod illa negatio præcedens connotat subiectum possibile, non sibi vere vindicat rationem privationis, imo hoc modo creatio alicujus formæ materialis posset vere dici generatio, quatenus connotat etiam ipsa subiectum possibile, ex quo educi posset. Neque etiam quod subdit Averſa, falsificat, nimirum postea dari materiam cum aptitudine in priori signo naturæ, quia vel intelligit Averſa, quod in eo instanti, in quo creatur materia cum forma, in priori signo naturæ sibi copulet negationem formæ, quæ prius in nullo subiecto reperiebatur, & ita vera privatio evadat, vel intelligit, quod utrumque reperitur disparate, aptitudo quidem in materia tunc producta, negatio autem adhuc extra subiectum, si primo modo, jam sibi contradicit, quia etiam ipse fatetur, in eodem instanti durationis dari non posse formam, & privationem in materia pro diversis naturæ signis: si vero intelligit secundo modo, hoc nihil facit ad id, quod illa negatio evadat vera privatio, quia nunquam fuit, nec est in subiecto, imo in eodem instanti quod subiectum cum forma creatum fuit, ipsa evanuit.

24 Quoad 2. partem, quod nimirum prioritas naturæ materiae ad formam non sufficit ad rationem privationis, Prob. ex Scoto in 3. d. 1. q. 1. E. ubi dicit, quod quando opposita comparantur ad idem secundum ordinem naturæ, non simul ambo instant, quia tunc contradictoria simul inessent, nam instanti naturæ in eodem temporis instanti includuntur, sed tantum alterum inest, reliquum autem, quod dicitur prius natura, non inest, quia in eodem instanti oppositum inest, sed dicitur prius natura, quia tunc inest, quantum ex parte subiecti, nisi aliquid extrinsecum impeditur; adest exemplum de materia comparata ad formam, & privationem, prius enim naturaliter est materia non habens formam, quam habens, non quod in illo instanti, in quo habet formam, realiter non habeat eam, quia tunc contradictoria essent simul, sed quia tunc materia quantum est ex se dimissa sibi, non haberet formam, si agens extrinsecum non daret. Similiter subiectum est prius naturaliter utroque opposito, & ita materia prius est aliquid in se, quam privata, vel formata, sed sicut ex hoc non sequitur, quod aliquando sit in se, ita quod nec sub privatione, nec sub forma reperitur, ita licet materia prius naturaliter sit privata, quam formata, non tamen sequitur, quod aliquando sit non sub forma, quia hoc modo non est aliud esse prius, nisi quod secundum propriam rationem ejus, quod dicitur prius, neutrum includit, & unum oppositum esse prius alio natura, non positive, sed privative. Materia ergo in illis casibus utique dicitur natura præcedere formam, non tamen ob hoc dicitur non habere formam, vel esse forma privatam, quia contradictoria referuntur ad idem omnino instans, ita ut unum dicatur in esse pro eo signo, pro quo inest alterum, & non inest; cum ergo in illo primo signo forma non sit nata illi competere, sic etiam neque privatio competere potest, loquendo enim de illo omnino primo instanti naturæ, subiectum ita naturaliter præcedit ipsam privationem, sicut formam ipsam, unde ex hoc inferri tantum potest, quod in ratione subiecti non includitur nec forma, nec privatio.

Et si dicas, in illo primo signo naturæ materia vere intelligitur non formata, seu non habere formam; ergo vere intelligitur privata. Negat Doctor assumptum, nam potius dici debet, quod pro eo signo materia non intelligitur formata, & hoc est verum, quia abstractivum non est mendacium, intelligere autem illam non formatam, non est præcendere, sed dividere, ex quo deducitur, quod licet in illo priori possimus concipere materiam non concepta forma, eam tamen non possumus concipere cum privatione formæ, quia revera nunquam est materia cum privatione.

Præstat ergo dicere cum communi, sermonem hic esse de principiis generationis physicae, quæ sit interveniente mutatione, ita enim principia investigavit Aristot. 1. Phys. supponens, privationem præcessisse formam in materia, ut patet ex text. 43. & 44. si enim privatio ita in materia formam non præcederet, generatio fieret, sed non cum mutatione, quoniam non intervenit generatio in ratione mutationis, nisi privatio insusceptivo præcedat duratione formam, ut sæpius docet Scot. 2. d. 5. q. 2. I. 3. d. 2. q. 3. E. & d. 7. q. 2. E. & clarissime in 4. d. 43. q. 5. H. Hinc gratis admittimus, in illis casibus privationem non esse principium generationis, quia ibi non intervenit generatio in ratione mutationis. Verum tamen est, quod si privationem assignare velimus principium generationis in quacumque productione formæ de subiecto, in eo sensu assignari debet, quem docet Averſa, & Scotus significavit ab ipso relatus, sed sensus hic, nec fuit ab Aristot. intentus, neque ab aliis Philosophis, dum privationem statuerunt principium in fieri rerum naturalium.

25 In oppositum objicit 1. Averſa loc. cit. Tum quia sic dicendo, admittitur, privationem non esse principium absolute necessarium, ad naturalem generationem corporis, seu formæ, nam præsertim cum forma produceretur ab agente naturali, ea esset vera generatio naturalis, sicut est, quæcumque alia generatio. Tum deinde, si semel sic salvatur generatio sine privatione, jam de ratione generationis tantum erit, ut detur materia in eo instanti, & omnino per accidens erit, quod materia tempore præcesserit, neque hoc quicquam confert ad ipsam generationem. Tum præterea ejusdem proferunt speciem est illuminatio, qua aer illuminatus fuit in primo instanti suæ existentie, ac quando postea illuminatur, & similiter generatio, qua ignis induceret formam in materia de novo creatam, ac quando materia præfuit, imo posset eadem nu-

mero generatio fieri utroque modo, sed generationis, ad quam materia non præcessit, privatio non est principium, nec pertinet ad rationem ejus, ergo neque cuiusquam generationis, quam materia, cum privatione præcedebat.

Resp. ex doctrina jam tradita loc. cit. de Principiis in communi, quod generatio rei naturalis potest considerari in ratione mutationis, & productionis, & quod quando Aristot. assignat principia generationis, loquitur de illa in ratione mutationis, & ideo argumenta Averſa ex falso fundamento procedunt, quod habet, & sæpius repetit in illa q. 10. de rerum principiis, Aristot. nempe assignare principia generationis, ut sic prout a quacumque acceptione particulari præcindit, non autem in ratione mutationis tantum. Unde Ad 1. gratis admittimus privationem non esse principium generationis sub ratione productionis, qualis tantum interveniret, si materia non præcederet duratione formam, & quamvis forma in illo casu ab agente naturali produceretur, generatio illa diceretur naturalis ratione agentis, & ratione subiecti intervenientis, sed non diceretur naturalis ratione modi, quia non fit naturalis, & ordinario modo, qui est cum intervenit mutationis, materia præcedente formam duratione. Ad 2. pariter dicimus, privationem nullatenus esse de ratione generationis in ratione productionis, sed tantum in ratione mutationis. Ad 3. concedimus, ejusdem rationis esse illas duas illuminationes in ratione productionis, & generationem numero eandem fieri posse, materia præcedente formam duratione, & non præcedente in ratione productionis, sed in hoc sensu non constituimus privationem principium intrinsecum ejus, sed in ratione mutationis dumtaxat, quo sensu duæ illæ illuminationes, & ignis generationes sunt alterius rationis.

26 Secundo objicitur, quod nec etiam in generatione per modum mutationis concurrere possit privatio, ut principium per modum termini a quo, quia privatio principiat generationem per seum non esse, ergo principiat per modum termini ad quem, non a quo. Consequentia patet, quia non esse privationis acquiritur per generationem, non amittitur, nam vel est ipsamet esse formæ, vel saltem illud necessario comitatur. Probatur assumptum, quia privatio per seum esse impedit prius generationem, ne fiat, nam quando privatio est in materia, forma non fit in ea, nec in eam introducit, alioquin contradictoria verificarentur de eodem, quod sit, & non sit, sed cum forma non fit in materia, non fit generatio, quia generationem fieri, est formam fieri in materia. Accedit, quod privatio cum quo dicitur, negationem formæ, scilicet, & aptitudinem subiecti, in quo est, concurrat consequenter in principiando non tantum ratione generationis importata, sed etiam ratione aptitudinis connotata, sed in adventu formæ aptitudo subiecti non tollitur, ergo concursus privationis ad generationem non est præcisè per modum termini a quo, & per modum abiectionis. Demum in actuali exercitio generationis terminus a quo recedit, ergo privatio non potest esse ejus principium per modum termini a quo, quia, ut docet Aristot. 1. Phys. text. 51. de ratione principii est, quod maneat semper in generatione.

Resp. ad 1. negando assumptum, nam privatio principiat generationem per seum esse, per illud enim habet privatio rationem principiandi per modum termini a quo, per quod opponitur formæ, & excludit terminum ad quem, hoc autem facit per seum esse, non vero per seum non esse, ad probat, dicendum est, privationem principiare generatione per seum esse, non quomodocumque, sed per seum esse recedens, & quatenus aufertur, ac tollitur, impedit vero generationem per seum esse permanentem, sed per seum esse recedens confert ad generationem, & est principium ejus per modum termini a quo. Ad 2. neg. assumptum quo ad 2. partem, quia privatio, quantum est ex parte sua, concurrat ad generationem ratione negationis tantum, ratione enim negationis opponitur formæ, & est illi impossibilis, non vero ratione aptitudinis, quæ per adventum formæ non tollitur a subiecto, & subiectum non transit ex aptitudine ad formam, sed ex non esse formæ ad formam, imo aptitudo subiecti in generatione se tenet potius ex parte principii materialis.

Sed dices. Cur igitur hoc principium concurrans per modum termini a quo, assignatur potius sub nomine privationis, quam negationis? Resp. id optima ratione factum fuisse, quia cum ex una parte hic fermo sit de principio per modum termini a quo generationis naturalis per modum mutationis, & ex alia negationis nomen communiter sumatur pro pura negatione distincta a privatione, non prout communis ad omnem carentiam etiam privativam, ne daretur ambigendi locus, convenienter assignatum est hoc principium per modum termini a quo sub nomine privationis, quia cum re vera hæc negatio formæ, a qua progreditur agens naturale ad formam, in subiecto reperitur, & formam duratione præveniat, plane nomen privationis sibi vindicat, quamvis non formaliter, reduplicative, quatenus privatio sit principium per modum termini a quo. Ad 3. concessio antecedente, negat, consequ. ad probat. dicimus, Aristot. dixisse, principia semper manere, non quia sint æterna, vel in re genita singula remanere debeant, sed quia ad quamlibet generationem in ratione mutationis omnia concurrunt, ut ibi exponunt gravissimi Expositores, præsertim Parisienses nostri, in quo sensu dici potest, & debet privatio in omni generatione permanere.

27 Tertio objicitur, probando absolute, privationem principium

principium generationis nullo modo constitui posse. Tum quia privatio intrinsece est non ens, & generatio est ens, sed ens non potest a non ente dependere, ergo &c. Nec respondere juvat, posse dependere, tamquam a principio in fieri, & per modum termini a quo, quia principium, quatenus principium, est nobilior principio, & relationem dicit ad illud sed relatio, quæ est ens, non potest fundari in non ente, nec potest esse nobilior mutatione. Tum quia terminus a quo nequit esse intrinsecus mutationi, nam mutationes non specificantur ex termino a quo, quia diversi motus, & mutationes secundum speciem possunt habere eundem terminum a quo, ut ab eodem loco potest incipere motus deorsum terræ, & motus sursum ignis. Tum tandem quia Aristot. 1. Phys. duo docet de privatione, quæ omnino eam videnter excludere a numero principiorum generationis, ait enim privationem machinari rei naturalis interitum, & text. 66. specificat, non esse principium, nisi per accidens.

Resp. ad 1. generationem posse pendere a privatione, & non ente, tamquam a termino a quo formaliter quidem extrinsecus, ad quem tamen dicitur ordinem essentialium, quomodo in simili cognitione, quæ habetur de negationibus, terminative dependet a non ente, & cum dicitur, ens non posse a non ente dependere, hoc sensu verum est, quia non potest intrinsece ex non ente componi, neque ab illo recipere esse per verum, & positivum influxum, & concedimus, principium, quatenus principium, dicere relationem ad principiatum, sed negatur, hanc semper importare entitatem aliquam realem, quia ut diximus disp. de Principiis in communi, non est de ratione principii, ut distinguitur a causa, quod insinuat in rem, cuius principium constituitur, realiter, & positive, sed satis est, ut ad ipsum habeat principiatum necessarium, & per se habitudinem, talem autem habet utrique habitudinem generatio ad privationem, quia intrinsece respicit illam, ut terminum, a quo necessario procedit, unde a parte rei secluso opere intellectus nullus ordo principii fundatur in privatione, sed tantum mera terminatio ordinis, quem fundat generatio ad ipsam, & hæc terminatio sufficit, ut vere dicatur principium generatiois a parte rei nullo intellectu considerante. Concedimus etiam, principium esse nobilior principio, reduplicative loquendo in ratione principii, quia in hoc sensu terminat habitudinem principii, & in hoc sensu potest dici privatio nobilior generatione, sed non est semper verum specificative, alioquin materia, quæ est principium compositi, deberet esse nobilior composito, & universaliter pars toto.

28 Ad 2. terminus a quo est intrinsecus mutationi, sicut terminus ad quem, & subiectum, non quidem, ut quid componens illam, aut pars intrinseca constituens per modum generis, vel differentie, sed ut id, ad quod ordinem dicit essentialium ipsa mutatio, sicut universaliter extrema relationis non sunt ei formaliter intrinseca, nec de ejus conceptu quidditative per modum generis, vel differentie, sed sunt sibi intrinseca solum, quatenus relatio est necessaria, & per se ordo inter illa, & quamvis species mutationis sumi formaliter debeat ex intrinsecis principii ejus, principiative tamen potest sumi etiam ab extrinsecis, qualia in relationibus sunt extrema, & in proposito terminus a quo, & ad quem, & ita de facto sumitur suo modo species mutationis a termino a quo, seu, ut alii dicunt, ex termino ad quem cum respectu ad terminum a quo, unde falsum est, duas mutationes posse habere eundem terminum a quo privativum, licet possint habere positivum, ut probat exemplum illud de motu ignis sursum, & terræ deorsum ab eodem loco. Nec mireris, nos hic appellare privationem, & terminum a quo extrinsecum generationi, quia in hoc sensu etiam terminus ad quem, & subiectum sunt illi extrinseca, quatenus nec terminus a quo, nec ad quem illam intrinsece componunt, aut conceptum ejus ingrediuntur per modum generis, vel differentie, licet uterque sit intrinsecus, quatenus intrinsece, & per se generatio inter utrumque reperitur, & ab uno in alterum progreditur.

29 Ad 2. neg. assumptum, cum enim inquit Philosoph. privationem machinari rei naturalis, & formæ interitum, loquitur de forma actu existente in materia, cuius utique destructionem movit, generando appetitum in materia alterius formæ illi incompossibilis, sed non negat esse principium rei naturalis generandæ, & formæ educendæ, respectu cuius sane non operatur interitum, qua re hoc Aristot. dictum probat solum, privationem non esse principium rei naturalis in facto esse, in quo sensu etiam intelligi debet aliud Aristot. dictum, cum inquit, esse principium per accidens, id enim intelligi debet respectu compositi, & rei genitæ, non autem generationis, ut Scot. exponit 2. d. 12. q. 1. I.

Quomodo autem sit principium per accidens rei genitæ, communiter responderi solet, ita dici, quatenus materia, quæ subest formæ, & cum illa componit totum, accidit habere in se privationem aliarum formarum. Sed Canon. 1. Phys. q. 10. art. 3. inflat, non posse privationem dici principium per accidens rei genitæ, ex eo quia conjuncta est illi, quod est principium per se, quoniam hujusmodi sunt multa, quæ tamen non habent rationem principii, sicut privatio, sed tantummodo debere dici principium per accidens ex eo, quia ad generationem requiritur necessario, & per se, non tamen tanquam aliquid remanens in re genita; ita etiam exponunt Regent. Parisienses 1. Phys. q. un. r. collat. §. deo primo.

Concludimus itaque privationem respectu generationis in ratione mutationis esse per se principium, & cum omni proprietate, adeo ut definitio principii tradita ab Aristot. 1. Phys. 42.

competat ei univoce non minus, quam materię, & formæ, ut docuimus disp. 1. q. 1. conclusione secunda, servata tamen analogia. Sed contra illud assertum postea urserunt aliqui, quia vel illa ratio communis per principium importata, esset ens, & tunc sequeretur quod non ens sicut est privatio, cui ponitur univoce convenire, esset ens, aut esset non ens, & tunc sequeretur quod ens, sicut est materia, & forma, quibus itidem univoce convenit, esset non ens, quod est absurdum, & ajunt argumentum sic positum non posse elidi, & declinari. Confirmatur, quia vel illa ratio communis univoce principii a nobis posita aliquid importat, vel non, & tunc quodcumque dicatur, sequitur idem, quod prius.

Resp. tamen facile, si advertatur, quod nuper dicebamus, non esse de ratione principii, ut causa distinguitur quod importet relationem proprie realem, & positivum influxum, sed satis est, ut ad ipsum habeat principiatum necessarium, & per se habitudinem; cum ergo quaeritur, num ratio illa communis principii sit realis, & importet aliquid reale, dicimus, ut ait Doctor ad simile argumentum 1. d. 30. q. 2. in fine, quod si realitas, ac entitas accipiantur, ut importent positivum quid, & vere ens, ratio communis principii quid reale non importat; si vero accipiantur, ut excludunt fictionem intellectus, & quicquid habet esse per solam ejus negationem, sic importat reale quid, & est conceptus realis, quatenus non habet esse per solam intellectus operationem, sed vere exprimit id, quod est a parte rei, quo sensu dicere solemus (ait Doctor cit.) hæc propositio, homo est asinus, est realiter falsa, non quod ly realiter importet in falsitate formalitatem realem, & positivam, sed quatenus idem sonat, quod vere falsa.

QUÆSTIO IV.

Quando Privatio mutationem principiare dicatur.

30 PRIMA sententia est, Privationem esse principium, seu actum principiandi exercere, quando ipsa est, pro qua sententia stat Baconus in d. 3. q. 2. art. 3. sed non eodem modo defenditur ab omnibus. Aliqui enim dicunt, ita principiare mutationem, ut coexistat cum ipsa mutatione, & sit simul in eodem temporis instanti cum ipsa forma in subiecto, licet pro diversis naturæ signis, ut evitetur contradictio, ita Trombet. tract. Formal. p. 4. art. 4. agens de prioritate naturæ. Alii in eo sensu explicant privationem principiare, dum ipsa est, ut tamen tunc temporis mutatio non eïstiat, quia quando est mutatio, est forma in fieri, cum igitur privatio non sit compossibilis cum forma, plane mutationem principiare non poterit coexistendo illi, sed tantum immediate ante illam procedendo, in quo sensu hanc sententiam tunc probabiliter Amicus tract. 7. q. dub. 3. art. 2. pro qua ait esse Ocham p. 1. Phys. c. 13. & Sax quæst. 13. ad §. & Fer. q. 10. Concl. 1.

Alter sententia adest absolute, privationem principiare, cum mutatio est, & ipsa non est, ita Hurtad. disp. 3. Phys. sect. 2. Averſa q. 10. sect. 6. & probabiliorum judicat Amic. loc. cit. & modo communis est.

31 Dicendum est cum communi; Privationem principiare mutationem, quando ipsa privatio non est. Concl. colligitur ex Scoto in 2. d. 1. q. 5. T. ubi inquit mutationem esse respectum subiecti ad formam, ut novum, & in 4. d. 11. q. 1. E. ubi ait, esse respectum informationis ad non informationem immediate præcedentem, seu successionem termini ad quem posterioris, post terminum a quo priorem, per quod satis aperte significat, mutationem habere pro principio privationem, quatenus in materia præcessit immediate antea, & non quia tunc in materia existat, & probatur, quia privatio tunc principiat mutationem, quando actu est ipsa mutatio, sed quando est actu mutatio, non est privatio, ergo privatio principiat, quando non est. Major patet, quia actu principiare, & actu principiari sunt correlativa, nec unum esse potest sine alio. Probatur minor, quando est mutatio, est etiam forma, quæ acquiritur, nam subiectum mutari est aliter se habere nunc, quam prius, per novam formam, sed quando est forma, non est ejus privatio, alioquin eadem res esset simul, & non esset, quod implicat.

Resp. aliqui, formam, & privationem non posse esse simul in eodem subiecto permanentem, & in esse quieto, posse simul transire, hoc est, formam in fieri posse esse simul cum privatione in corrumpi; Sed facile refellitur hæc responsio. Tum quia esse in fieri dicit esse, & esse in corrumpi dicit esse, ergo forma in fieri, & ejus privatio in destitui, seu in recedere non possunt esse simul, quia adhuc verificaretur contradictio, eandem scilicet formam simul esse, & non esse, cum sit idem esse privationis, & non esse formæ: Tum quia hæc ratio Aristot. 8. Phys. text. 66. habet pro manifesta contradictione, quod idem simul sit, & non sit in eodem tunc temporis, ad quam contradictionem evitandam invenere Philosophi duos modos incipiendi, & desinendi in rebus, nempe intrinsece, & extrinsece, & nunquam admittere voluerunt, rem simul in eodem instanti intrinsece generari, & corrumpi, ne cogentur admittere contradictoria, ergo contradictoria nullo propterea modo possunt consistere simul, nec in tempore, nec in instanti, nec permanenter, nec in transitu, & veritas primi principii: De quolibet verum est affirmare, vel negare, de nullo utrumque simul, semper inconcussa manet, & nullam propterea patitur exceptionem. Tum tandem quia eadem ratione dici posset, in eadem anima simul esse gratiam, & privationem gratiæ, seu peccatum, & sub speciebus panis simul esse substantiam panis,

panis, & corpus Christi, & alia inconuenientia in rebus theologicis sequerentur ex hac sententia, ut probat Auerſa loc. cit. 32 Alii proinde ad evitandam contradictionem recurrunt cum Trombeta ad diuerſa ſigna naturæ in eodem inſtanti temporis incluſa, & privationem dari in priori ſigno naturæ, & in poſteriori formam, & hæc duo ſigna ſalvare, quin contradicſio ſequatur.

Sed præterquamquod prioritas naturæ non ſufficit ad rationem privationis, ut ex Scoto probavimus quaſt. præc. unde in hoc videtur Tromb. a Doctore deviaſſe, adhuc hæc diuerſa ſigna naturæ contradictionem non tollunt, & ſemper ſequitur in eodem inſtanti temporis eandem formam ſimul eſſe, & non eſſe, hæc enim talis eſt contradicſio, quæ ad inſtans durationis referitur, non ad inſtans naturæ, & ratio huius eſt id, quod do- quimus in Logica diſp. 9. quaſt. 2. art. 1. nullius ſcilicet rei exiſtentiam menſurari per inſtans naturæ, ſic quod pro aliquo inſtanti exiſtat id, quod dicitur natura prius, in quo exiſtat, quod eſt natura poſterior, unde licet homo ſit prior natura riſibilitate, & univerſaliter quocumque ſubjectum ſua paſſione, non tamen eſt in aliquo inſtanti in quo non ſit, vel exiſtat riſibilitas, licet verum ſit, quod in aliquo inſtanti intelligitur homo, in quo non intelligitur riſibilitas, cum ergo exiſtentia rei per naturæ inſtantiam non menſuretur, nec prioritas naturæ exponatur cum verbo eſt, & in quo, ſed per verbum poſeſt eſſe, & in quo, ſi eſt prioritas naturæ eſſendi, vel per verbum intelligitur, & in quo, ſi eſt prioritas naturæ intelligendi, neceſſario dicendum eſt, eſſe, & non eſſe rei reſpicere inſtans temporis, & illo menſurari, ac proinde contradicſionem de eſſe, & non eſſe ejuſdem rei diuerſa ſigna naturæ vitari non poſſe, licet alia quedam contradicſionem vitari poſſint per diuerſa ſigna naturæ. Accedit etiam, per hunc dicendi modum non vitari inconuenientia theologica jam allata, quod idem homo ſimul, & ſemel in eodem temporis inſtanti eſſet in gratia, & in peccato.

33 Hinc Amicus cit. ad evitandam contradicſionem ait, privationem utique principiari, dum ipſa eſt, ſed tunc non dari mutationem, quia adhuc ſubjectum eſt privatum forma, quam immediate poſt habebit, unde hæc proſopio de præſenti, *privatio eſt principium*, æquivalere huic de futuro, *principium immediate poſt erit ex vi privationis*, juxta quem dicendi modum evitantur contradicſionem, quia tunc non datur forma ſimul cum privatione.

Sed neque in hoc ſenſu hæc ſententia defendi poſſe. Tum quia omnia principia, etiam privatio, tunc principiari, quando generatur compoſitum, ſive id, quod fit ex ipſis principiis, & concipi nequit principium principiari, & aliquid tunc non principiari, nam tunc principium proprie dicitur exercere actum principiandi, quando aliquid fit ex ipſo, & quamvis omne principium ſit prius natura ipſo principio, etiam dum eſt ſub actuali ratione principiandi, nulla tamen intercedit prioritas durationis, ergo non bene dicitur privatio eſſe actu principium, quia immediate poſt erit principium, ſed in eodem inſtanti ſimul eſſe debent principium, & principium, in hoc enim ſenſu cauſa in actu, & effectus in actu ſimul eſſe dicuntur. Tum etiam privatio principiari mutationem, ut terminus a quo, ſed principiari, ut terminus a quo, eſt principiari, ut a quo deſtructo, ergo principiari, quando non eſt, non autem quando eſt. Tum tandem quia hæc ſententia omnes fere difficultates incurrit, quibus oppoſita ſubjacet, nam ſicut tota noſtra ſententia difficultas conſiſtit in explicando, quomodo aliquid poſſit eſſe principium, ſi non eſt, quia omnis principium ſupponit, principium eſſe, ita explicare tenentur, quomodo aliquid poſſit eſſe principium, & nihil actu principiari; quod ſi ipſi dicant, proſopio de præſenti *privatio eſt principium* æquivalere proſopio de futuro, *principium immediate poſt erit, ex vi privationis*, ſane præſtat dicere, & erit magis propria locutio, principium actualiter exerceri a privatione immediate poſt ſuum eſſe, & non quando actu erat in ſubjecto.

34 In oppoſitum objicitur 1. Si privatio poſſit principiari mutationem, quando ipſa privatio non eſt, ſequeretur pari ratione mutationem poſſe principiari a privatione, quando ipſa mutatio non eſt, cum non ſit major ratio de uno, quam de altero; ſed quando mutatio non eſt, non poſſe a privatione principiari, ergo nec privatio principiari, quando ipſa non eſt. Reſp. negando ſequelam, & diſparitas de privatione, & mutatione eſt, quia privatio, ut diximus, principiari mutationem, ut terminus a quo, de cujus ratione eſt, ut præxiterit immediate ante mutationem, mutatio vero principiatur, non ut terminus a quo, ſed ut realis tranſitus a termino a quo ad terminum ad quem, principiari autem tranſitum, nihil aliud eſt, quam tranſitum incipere eſſe, & conſequenter niſi ſit mutatio, principiari non poſſe.

Secundo objicies cum Tromb. Mutatio inſtantanea non eſt ſine ſuis terminis, cum ſit habitudo inter terminum a quo, & terminum ad quem, & habitudo, ſeu ratio non eſt ſine extremis, ergo in eodem inſtanti temporis erit terminus a quo ipſius mutationis, & terminus ad quem, licet non pro eodem ſigno naturæ. Conſirm. quia ſi Deus crearet ſubjectum ultimate diſpoſitum ad ignem, & igni eſſet explicatum, utique ignis produceret in eo formam ſubſtantialem in inſtanti, at non poſſet produci ſine privatione exiſtente in materia, ergo in eodem inſtanti eſſet privatio, & forma ignis; per quem calum excluſit Tromb. reſponſionem, quæ dari poſſet privationem nimirum dari in toto tempore præcedente mutationem inſtantaneam, ſeu generationem, & formam dari in inſtanti ultimo totius temporis menſurantis alterationem præcedentem.

Reſp. argumentum etiam urgere Trombetam, probat enim terminum a quo, & terminum ad quem debere eſſe ſimul, non ſolum in eodem temporis inſtanti, ſed etiam in eodem ſigno naturæ; relativa enim ſunt ſimul natura, & naturali intelligentia, quatenus relativa, & extrema relationis ſunt proſus ſimul natura, nam ſi unum extremum ſub illa habitudine conceptum præcedit aliud, vel tunc concipitur in illo priori terminatum ad aliud, vel non; ſi primum, ergo non eſt prius natura, ſed ſimul cum eo; ſi non, ergo non concipitur ut relativum, & relationis extremum, quare argumentum probat plus, quam ipſe velit, & ideo dicendum, mutationem utique reſpicere privationem, ut terminum a quo, ſed non ut actu exiſtentem, ſed ut immediate antea præcedentem, eo modo, quo dicimus, ipſum non eſſe rei, ut immediate præcedens, eſſe terminum creationis, qua ratione ait Scot. cit. mutationem eſſe reſpectum informationis ad non informationem non quomodocumque, ſed ut immediate præcedentem. Ad Conſirm. negatur, in eo caſu privationem in materia præire formam prioritate naturæ poſitiva, quia re vera nunquam materia fuit ſine forma, ut patet ex præcedenti quaſtione.

35 Tertio objicitur. Tum quia nullum principium principiari poſſe, quando non eſt, & nulla principiatio eſſe poſſe, ſi principium non eſt. Tum quia effectus in actu, præſertim cujus eſſe in fieri conſiſtit, ſupponit cauſam, & principium in actu, ſed generatio eſt effectus, cujus eſt conſiſtit in fieri, ergo ſuum principium ſupponit eſſe in actu. Tum demum, quia principiari majorem connexionem dicit cum principiante, quam cum principio, ſed non poſſe eſſe ſine principio, ergo multo magis ſine principiante. Reſp. ad 1. aſſumptum valere de principio, quod poſitive inſiſtit in principio, non de eo, quod tantum negative concurrir, & eſt terminus a quo, imo de ratione huius principii eſt, quod tunc auferatur, & primo non ſit, quia aliam rationem principiandi non habet, quam ut præcedat immediate mutationem, & ideo non principiari coexiſtendo cum re principiata, ſed immediate antea præcedendo. Ad 2. & 3. ait Auerſa, quantum ad exiſtentiam majorem connexionem habere hunc modum principiandi cum principio, quam cum principiante. Sed hæc Reſponſ. non videtur, ut par eſt, ſalvare ſimultatem relativorum naturalem, dum admittit, rem actu principiari, & actu non eſſe principium; ad quod referatur. Præſtat ergo dicere, aliud eſſe loqui de privatione ſecundum eſſe privationis, & aliud ſecundum eſſe principii, utique quando generatio eſt, privatio non eſt, ſecundum eſſe privationis, immediate enim ante inſtans generationis evanuit, bene tamen eſt privatio in ratione principii; nec valet dicere, privatio tunc non eſt, ergo non poſſe eſſe principium; valet enim argumentum, ſi ipſa principiaret per ſuum eſſe, quatenus permanet, & ſuper illud, quatenus tale fundaretur relatio principii, at non eſt ita, quia non principiari per ſuum eſſe permanens, ſed per ſuum eſſe immediate recedens, principiari enim per modum termini a quo, id eſt a quo deſtructo, & talis ratio principiandi non poſſe concipi actu fundari ſuper privationem, niſi quando primo non eſt, & antea immediate abiit.

36 Quarto objicitur. Tum quia privatio principiari per ſuum eſſe, non vero per ſuum non eſſe ex quaſt. præc. ergo principiari, quando eſt, non quando non eſt. Tum quia principiari, quando expellitur a forma, ſed expellens, & expulſum debent exiſtere ſimul in pugna, & expulſum debet eſſe, dum expellitur. Tum etiam, quia privatio principiari, dum recedit, & dum ab ea tranſit ſubjectum ad formam, ſed id, quod recedit, debet eſſe, & terminus, a quo quis recedit, non enim bene quis diceretur recedere ab urbe, quæ non eſt. Tum tandem, ſi fieri poſſet tranſitus a termino non exiſtente, ergo poſſet ſemper cum veritate dici, poſt abiectionem privationis ſubjectum tranſire ab ipſa ad formam, & ita ſemper mutari, quod eſt falſum.

Reſp. ad 1. negando ſequelam, aliud enim eſt querere, per quid privatio principiari, & quando; principiari utique per ſuum eſſe, ſed quia principiari per illud, quatenus tollitur, ideo principiari dicitur, ut immediate præcedens, & quatenus primo non eſt. Ad ſecundum dicimus, formam non expellere privationem per aliquam actionem, quamvis exerceat in illam, vel per aliquem contactum, ſicut quando clavus clavum trudit, nam in hoc ſenſu utique oporteret eſſe ſimul; ſed illam expellit per formalem ſui poſitionem in ſubjecto, forma enim collocando ſe in ſubjecto, expellit privationem in eodem inſtanti; ita ut cum primo ponitur forma, tunc primo tollatur privatio, hoc autem bene intelligitur, ſi dicatur, poſt ipſam privationem ſequi immediate formam in ſubjecto; nec eſt neceſſe, utrumque eſſe ſimul. Ad 3. neg. minor, quia recedere non eſt eſſe, ſed fuiſſe, quare cum privatio recedat, quando principiatur mutatio, conſequenter privatio tunc non eſt, ſed immediate antea fuit, ita quod idem inſtans menſurans primum eſſe generationis, menſurat etiam primum non eſſe privationis, & generationi eſt intrinſecum, privationi extrinſecum, & ſic cum primo eſt mutatio, primo non eſt privatio, & in hoc ſenſu fieri poſſe tranſitus a termino non exiſtente, tunc ſcilicet quando primo non exiſtit: & vere qui diceretur ab urbe aliqua diſcedere, ſi urbs antea immediate fuiſſet. Ad 4. neg. ſequela, tunc enim tantum verum eſt dicere, ſubjectum tranſire, atque mutari, cum privatio primo non eſt, quia mutatio eſt reſpectus ſubjecti ad formam, ut novus, ſeu reſpectus informationis ad non informationem immediate præcedentem.

37 Quinto objicitur, quia tunc privatio principiari, quando eſt ter-

eſt terminus a quo, ſed eſt actu terminus a quo, quando ultimo eſt, ergo principiari mutationem, quando ultimo eſt: Probatur minor, nam de ratione terminia quo eſt, ut ſit immediate ante viam, ergo tunc privatio eſt actu terminus a quo, cum eſt immediate ante mutationem, quæ eſt quadam via, ſeu tranſitus a privatione ad formam, ſed privatio eſt immediate ante mutationem, dum ultimo eſt, ergo privatio eſt actu terminus a quo, cum ultimo eſt. Conſirm. privatio principiari mutationem, quando ſit ipſa mutatio, ſed in eo inſtanti, in quo primo privatio non eſt, mutatio non ſit, ſed facta eſt, quia tunc adeſt forma, qua præſente ceſſat omnis motus, & mutatio 1. de Gener. 55. ergo privatio principiari mutationem ante illud inſtans, ſed ante illud inſtans privatio ultimo eſt, ergo non principiari, quando primo non eſt.

Reſp. privationem principiari mutationem, cum eſt terminus a quo, non in actu ſignato, ſed in actu exercito, eſt autem ita terminus a quo, non quando ultimo eſt, ſed quando primo non eſt, tunc enim exercet rationem termini a quo; quia tunc recedit, & abiit, & recedere privationis non eſt ultimum eſſe illius, ſed potius primum non eſſe, & in hoc ſenſu dicitur terminus a quo eſſe ante viam, quatenus immediate antea præſuit. Ad Conſ. neg. minor, quia cum primo eſt forma, tunc primo intelligitur ſubjectum mutari, & poſtea tempore immediate ſequenti facta dicitur, & completa mutatio, & ſic intelligitur dictum Philoſophi 1. de Gen.

Sed Dices. Non magis intelligitur privatio recedere, & abiici, & rationem termini a quo exercere, cum primo non eſt, quam cum ultimo eſt, ſic enim adhuc ſalvatur, quod ſit terminus a quo mutationis immediate præcedens, & non coexiſtens cum re principiata, quatenus mutatio tunc non eſt,

ſed immediate poſtea. Ad hoc patet ex reſp. ad 1. quare privatio cum ultimo eſt, non poſſit adhuc dici terminus a quo in actu exercito, quia tunc non eſt mutatio, cum forma non adſit, non poſſe autem intelligi privatio actu principiari, niſi mutatio intelligatur etiam tunc principiari.

38 Sexto Ariſt. 5. Phyſ. 13. videtur docere, id, quod ſit, nondum eſſe, dum ſit, & text. 14. eſſe oportere id, quod corrumpitur, nec poſſe corrumpi prius, vel poſtea, & 4. Metaph. 22. ait: *abiciens habet aliquid ejus, quod abiecit*, ergo privatio principiari, quando eſt, Reſp. vel Ariſt. in illis text. 5. Phyſ. loquitur de eo, quod ſit, vel corrumpitur ſubſeque, ut voluit Averr. Burl. Vicecom. Simpl. vel loquitur de eo, quod ſit, vel corrumpitur terminative, ut alii; ſi de 1. loquatur, intelligendus eſt Philoſophus quod non ſit id, quod ſit, in eſſe perfecto, & completo, quatenus in illo omnino primo inſtanti adhuc eſt ſubſeque, & ſub actuali mutatione, & quod ſit quod corrumpitur, quia in omni corruptione materia remanet; ſi de 2. loquatur, intelligendus eſt Philoſophus, quod non ſit, quod ſit, non quidem ſimpliciter, ſed quod non ſit in tali eſſe, quale requirit, ut dicatur terminus, & finis motus, quia forma in illo primo inſtanti vere non complet motum, nec eſt finis motus, nec mutationis, cum potius tunc incipiat, ſed tantum in tempore ſequenti, & intelligendum eſt, quod ſit, quod corrumpitur, in eodem ſenſu, quo eſſe dicebatur illud, quod ſit, dum ſit, non quidem, quod ſit ſimpliciter, ſed quod ſit, quatenus in illo inſtanti non adhuc intelligitur habere eſſe deperditum in eſſe quieto, ſed tunc primo non eſt, 4. autem M. 22. loquitur Ariſt. de mutatione ſucceſſiva, in qua ſubjectum abiecit aliquam formam per partes poſt partes, durante enim mutatione ſemper habet aliquid formæ, ut bene notat Auerſa loc. cit.

DISPUTATIO QUINTA.

De Principiis intrinſecis in facto eſſe.

Item hucusque de Principiis corporis naturalis in fieri cum Ariſt. 1. Phyſ. Nunc de Principiis ejuſdem in facto eſſe cum eodem in 2. agendum eſt; quemadmodum autem principia generationis in communi indicavit, conſiderando principia quarumcumque mutationum, & præſertim accidentalium, quæ magis obvix ſunt ſenſibus, hinc inductione probando ternarium numerum principiorum generationis in communi, ita in hoc 2. naturam aſſignat, ut principium unicum, corpus naturale conſtituens intrinſece in eſſe naturali, & præſertim hoc oſtendit conſiderando naturam corporum ſubſtantiarum, quæ magis ſub ſenſum cadunt, & conſtant materia, & forma, ut hinc inſinuet, in omni corpore naturali rem ita ſe habere, quod natura eſt principium ejuſ intrinſece conſtitutum in tali eſſe; ſic igitur & nos, Philoſophi veſtigia ſeſcantes, principia corporis naturalis in facto eſſe inveſtigabimus, & præſertim ex his caducis rebus deducemus, tale principium eſſe naturam, ut hinc intelligatur, ita etiam de cæleſtibus corporibus eſſe loquendum, quæ, certum eſt apud omnes, natura conſtare, non tamen materia, & forma in ſententia Philoſophi.

QUESTIO I.

Quenam ſint principia in facto eſſe corporis naturalis in communi, & duarum ſpecierum ejus, cæleſtis, & ſubſtantiarum.



QUI componunt cæleſtia corpora ex materia, & forma, hæc pariter ſtatuntur principia eſſendi, ſeu in facto eſſe corporis naturalis in communi. Qui hanc compoſitionem remouent a corporibus illis, remouent quoque a corpore naturali in communi principia eſſendi, & tribuunt tantum principia cognofcendi, ita Zab. libr. de conſt. Philoſophiæ naturalis cap. 11. & Faber in ſua Philoſ. Theor. Nos alia via incedentes, remouemus in ſententia Philoſophi a cæleſtibus corporibus materiam, & formam cum Doctore in 2. diſt. 14. quaſt. 1. adhuc tamen agnoſcimus in eis principia eſſendi ſeu in facto eſſe.

Dicimus 1. principium in facto eſſe, & conſtitutum corporis naturalis in communi eſſe naturam. Prob. Tum auctoritate Ariſt. qui in calce 1. Phyſ. poſtquam dixit, ſe demonſtraſſe in illo 1. quot ſint principia corporis naturalis in fieri, & quæ, promittens ſe in 2. acturum de principis in facto eſſe, ait, *Rurſus autem aliud principium capientes dicamus*, principium nimirum corporis naturalis in facto eſſe, & immediate poſtea incipiens 2. Phyſ. loquitur de natura, ut de tali principio, ergo natura eſt unicum principium corporis naturalis in communi; Tum quia ibi definit text. 4. quod corpus naturale ſit illud, quod habet naturam, ſeu natura conſtat, ergo natura in communi eſt principium conſtitutum corporis naturalis in communi; Tum quia, ut conſtat ex definitione naturæ ibidem text. 3. tradita, natura non ſolum eſt principium operationum corporis naturalis, verum etiam principium conſtitutum corporis naturalis in eſſe tali, ſive conſtituat per modum partis, & per veram compoſitionem, ut eſt in ſubſtantiarum, ſeu ut quidditas conſtituitur eſſe id, cujus eſt quidditas, ut eſt in ſuperioribus, ergo principium eſſendi corporis naturalis in communi, illudque conſtituens in eſſe tali formaliffime, eſt natura in communi 2. Phyſ. definita. Prob. aſſumptum, quia natura deſinitur, quod ſit principium motus, & quietis ejus, in quo eſt, &c. ubi per principium motus, & quietis unum in-

naturæ munus, principiandi nimirum operationes, & motus connaturales corporis naturalis: per alteram vero particulam ejus in qua eſt alterum indicatur munus naturæ, conſtituendi ſcilicet id, in quo eſt, in eſſe tali, ſive in eo ſit, ut quidditas, & eſſentia in eo, cujus eſt, ſive, ut pars conſtitutiva ipſius eſſentia; Tum tandem, quia natura 2. Phyſ. definita conſideratur ibi, ut per illam, tamquam per medium competunt corpori naturali mobilitas, & aliæ phyſicæ paſſiones, ſed non poſſumus cognofcere aliquid eſſe medium ad concludendam paſſionem de aliquo ſubjecto, niſi cognofcamus, eſſe quidditatem, vel de quidditate illius ſubjecti, atque ita principium conſtitutum ejus, ergo conſideratur natura in 2. Phyſ. ut principium eſſendi, & conſtitutum eſſentialiter corporis naturalis.

3 Contra hanc Concl. objicies, quod ſi corpus naturale in communi habet principia in facto eſſe, conſtat ex materia, & forma, quia hæc ſunt principia in facto eſſe rerum naturalium; Et quod natura dividitur in materiam, & formam 2. Phyſ. 10. Et ideo ſi principium eſſendi corporis naturalis in communi eſt natura, jam hæc principia erunt materia, & forma.

Reſp. neg. utramque ſequelam, quia hic per principia eſſendi, & in facto eſſe, non intelligimus principia vere componentia per modum partis, ſed principium conſtitutum rei in tali eſſe, ſive hoc fiat mediante phyſica compoſitione, ſive non, & hoc modo admittere principia eſſendi, etiam in Cælo, ita neceſſarium eſt, quemadmodum in ipſo admittere naturam. Nec ſequitur, materiam, & formam eſſe principia in facto eſſe corporis naturalis, ſi eſt natura, quia illa non ſunt membra adequate dividenda naturam in communi, ſed debet addi tertium, eſſentia nimirum, & quidditas, in eo, cujus eſt, quod tertium membrum ſatis clare inſinuat ibi Philoſophus, dum ait text. 10. *una igitur modo natura dicitur prima univariæ ſubjecta materia, alio autem modo forma, & ſpecies, quæ ſecundum rationem, & ſtatim text. 11. explicans, quid intelligat per ſpeciem, quæ ſecundum rationem, ſubdit, quam definiuntur dicimus, quid eſt caro, aut os. Quid vero ſignificat quidditatem, & eſſentiam rei. Quod ſi quis dicere vellet, text. 10. & ſequentibus Ariſt. verba facere de natura mortalium, illamque dividere præciſe in materiam, & formam, hoc etiam admitti poſſe, cum enim textibus ſuperioribus de natura in communi verba feciſſet, illamque deſcripiſſet; ut in his, quæ magis ſenſui ſubjacent, illam deſcriberet, aſſumpſit pro exemplo naturam*

corruptibilem, sicut etiam in 1. Phyl. licet de principis mutationis in communi ad substantialem, & accidentalem ageret, frequenter tamen mutationis substantialis principia tantum comminiscitur, quandoque accidentalis tantum, ut ex his exemplis minus a sensu remotis a posteriori demum in cognitionem deveniremus principiorum mutationis in communi, sic igitur fecit, etiam in 2. Phyl. dum principia corporis naturalis in facto esse voluit edocere.

4 Deinde contra eandem Conclusionem instant Recentiores quidam apud Arriaga, disp. 5. Phyl. sect. 3. probantes implicare dari tale corpus completum simplex, quale nos ponimus Cælum in se tenet. Aristor. quia tale corpus non posset esse vegetativum, quia vegetatio fit in subiecto contrariis affecto; neque sensitivum, nam sensatio fit medio calore, & aliis primis qualitibus, quarum esset capax illud corpus; nec posset esse non vivens, nam esset actus completus subsistens, & esset perfectus animo rationali, quod est impossibile; Tum 2. quia nulla substantia materialis potest produci, quæ non sit capax formæ accidentalis, ergo, & quæ non sit capax formæ substantialis; Tum tandem quia illud corpus non constaret ex materia, ergo materiale non esset.

Resp. de hoc nobis disputandum esse disp. 2. de Cælo quæst. 2. quicquid ergo sit, num tale corpus possit esse vivens, de quo Arriaga cit. dicimus esse posse non vivens, quale modo ponimus Cælum, nec sequitur perfectus fore animo rationali, quia non esset cognitivum, qui conceptus absolute perfectior est, quam non dicere ordinem ad partem. Ad 2. neg. confeg. Angelus enim capax est accidentalis formæ, non tamen substantialis. Ad 3. licet materiale non esset ex eo capite, adhuc tamen esset materiale, quatenus haberet pluralitatem partium integralium, quibus caret spiritus, quo sensu corpus etiam de genere quantitatis materiale dicitur, quamvis non constet ex materia, & forma, de quo plura loc. cit.

Dicimus 2. Principium in facto esse corporis sublunaris esse naturam, ut dividitur in materiam, & formam, cœlestis vero, ut dicitur essentialis, & quidditatem in eo, cuius est. Concl. quoad primam partem communis est, & Scot. 2. dist. 12. quæst. 1. Probat. Tum quia principia in facto esse corporum sublunarium ea dicuntur, ex quibus ipsa constant, & a quibus interne dependent per realem influxum, in hoc enim distinguuntur a principis in fieri, talia vero sunt materia, & forma, quia hæc duo tantum illa intrinsece constituunt, & in eis permanent, privatio autem recedit; Tum quia si consideremus alias causas, quæ etiam influunt per positivum influxum in esse compositi, ut est efficiens, & etiam finis secundum communitorem, nequeunt dici principia in facto esse intrinseca corporis naturalis, quia ab extrinseco influunt, & derivant esse in compositum; Tum quia sicut natura in communi est principium efficiendi corporis naturalis in communi, ita hæc, vel illa natura principium erit in facto esse huius, vel illius corporis, atque ita natura caduca erit principium efficiendi corporis sublunaris, hæc vero dividitur in materiam, & formam; Tum tandem, quia etiam in compositis artificialibus, veluti principia in facto esse non inveniuntur, nisi materia, & forma, ut in statu lignum, & figura, ergo idem erit etiam in compositis naturalibus. Altera vero pars de corporibus cœlestibus probatur ex eo, quod si ponamus Cælum corpus simplex, carens materia, & forma ut tenent Peripatetici graviore, & in Aristor. magis verari, cum aliqui fit corpus naturale, nullum aliud principium efficiendi eidem assignare valeamus, nisi naturam in eo sensu, quod dicitur de quidditate, & essentia rei. Sed quia natura horum corporum inferiorum nobis est familiarior, ut sensibus propinquior, de illa in hac disputatione plura dicemus, ut proportione servata, hinc manu ducamur in cognitionem, & naturæ cœlestis, & naturæ in communi ad omnia corpora, quæ est intentio, & scopus Philosophi in 2. Phyl.

5 Contra hanc concl. objicitur ex una parte, quod materia, & forma non sint principia in facto esse, seu essentialiter constitutiva corporis, seu compositi naturalis, quia compositum naturale, sicut est per se unum, ita unum tantum principium illius constitutum habere debet, & non plura, & præsertim tam diversa, sicut est materia, & forma. Ex altera, quod sint plura duobus, quia præter materiam, & formam, etiam unio pertinet ad intrinsecam compositi naturalis constitutionem, & manet in composito, ergo sunt tria, non duo principia in facto esse.

Resp. ad 1. ex Scot. 1. dist. 2. quæst. 7. Hic multos esse gradus unitatis in entibus. Primus gradus, qui est minimus, dicitur aggregatio. Secundus, ordinis, quæ unitas addit aliquid supra unitatem aggregationis. Tertius est unitas per accidens, ubi ultra ordinem, est informatio, licet accidentalis, unitas ab alio, eorum, quæ sunt sic unum. Quartus est unitas per se compositi ex principis essentialibus, ex per se actu, & per se potentia. Quintus est unitas simpliciter, quæ est vere identitas. Nunc dicimus, compositi essentialiter esse unam, non unitate simpliciter, sed totalitatis, & compositionis in quarto gradu, cui unitatis non repugnat pluralitas, & distinctio partium, immo hoc genus unitatis per se resultat ex partibus distinctis, atque diversis, proportionem tamen inter se habentibus, actus, & potentia, ut coire possint ad constituendam unam per se essentialiter. Ad alterum dicimus, unionem partium in composito non posse poni tertium principium in facto esse, quia unio non est pars intrinseca compositi, non enim dicimus, compositum constare ex unione, sed tantum ex partibus uni-

tis; & veluti in causis extrinsecis; approximatio agentis ad passum non dicitur esse distincta causalitas a causalitate efficiens, sed tantum applicatio illius, ita in causis intrinsecis, unio, quæ se habet veluti approximatio in extrinsecis, non est distincta causalitas, seu distinctum principium a causis intrinsecis, quas unio, sed tantum applicatio causalitatis illarum, atque ita ad summum concurrat ut prærequisita conditio ad causalitatem principiorum in facto esse; ita Doctor in 3. dist. 2. quæst. 2. F. Sed urges, hæc respons. salvare solum, unionem non posse poni principium compositi in facto esse, non tamen salvat, quod non sit principium illius saltem in fieri, sicut de privatione etiam dicimus, non esse principium compositi in facto esse, sed tantum conditionem sine qua non, & tamen postea ponitur principium in fieri. Resp. alia ratione adhuc excludi a numero principiorum in fieri, quia nimirum unio non habet diversum principiandi modum a materia, & forma, veluti privatio, nam unio, quæ se tenet ex parte formæ, pertinet ad ipsam formam, quia unio forma non quomodocunque dicitur terminus ad quem, sed ut unita, & pariter unio, quæ se tenet ex parte materiæ, pertinet ad ipsam materiam, non enim materia dicitur principiari per modum subiecti, nisi ut est sub forma de novo, per quam dicitur aliter se habere quam prius, ut supra distinctum est disp. 1. quæst. 4.

Q U Æ S T I O II.

Ubi num principia in facto esse habeant rationem causæ; occasione cuius declaratur, quid sit causa in communi, & quid causalitas ejus.

6 R ESTE determinari non potest, in quibus corporibus principia in facto esse rationem causæ exercent, nisi prius videamus, quid sit causa physica in communi, & quid causalitas ejus. In assignanda formalitate causæ non est magna difficultas inter Doctores, quamvis enim varii varias assignent definitiones, omnes tamen recidunt in unam, & explicant naturam physice causæ, si recte intelligantur, de quo vide Fabr. 5. Met. disp. 1. At major est difficultas in declarando, quid sit causalitas, seu actualis influxus ipsius causæ, per quem dicitur formaliter causans. Negant aliqui, causalitatem addere aliquid supra entitatem causæ, vel effectus, & asserunt, formaliter dicere virtutem causativam causæ, & connotare effectus existentiam, ita Nominales omnes. Alii vident, ut ipsa experientia docet, multoties manere entitatem causæ, ac entitatem effectus producti, postquam causa desinit influere, & communicare esse effectui, non tamen dici amplius causantem, dixerunt, causalitatem connotare effectum, vel potius esse ipsum effectum, ut est via, seu ut pendens actus a causa; quam sententiam tenet, loquendo tamen de causalitate solum fundamentaliter inspecta, Fuentes lib. 2. Phyl. q. 4. dist. 4. art. 2. Ceteri communiter contendunt, causalitatem esse modum quandam realem absolutum, solum transcendentaliter relativum, ex natura rei modaliter a causa distinctum, natura proprio ipso effectu, utpote qui per illum accipit esse; volunt itaque, hunc influxum esse re vera quid medium inter effectum, & causam, causa posteriorem, quatenus illi advenit, ut actus secundus actui primo, at effectu priorem, quia per illum accipit esse; ita Conimb. 2. Phyl. cap. 7. q. 6. Suar. disp. 12. Metaph. sect. 2. Aversa q. 21. sect. 2. & alii passim Thomistæ. Scotiæ communiter statuunt formalitatem causalitatis in relatione prædicamentali, quæ inter causam, & effectum de novo resultat, unde & fatentur, causalitatem pro formali sequi absolutum effectus, & non præcedere. Solus Pater Sghemma 2. Phyl. digress. 10. quæst. 5. conatur defendere, in sententia Doctoris influxum causæ efficientis (de hac enim ibi loquitur) non consistere formaliter in solo respectu prædicamentali causæ ad effectum, quem dicendi modum inferius examinabimus, cum de causa efficiendi verba fient; & quidam alii quamvis concedant in prædicamentali respectu consistere, adhuc asserunt, hunc respectum natura præcedere effectum, quia est respectus quidam per modum actus secundi, & per modum influxus, ita Nolanus in sua Pinacotheca quæst. 18. quæ fuit opinio Canonici 3. Phyl. q. 2. art. 1. ad 1. secundæ opinionis, & Bassol. 1. dist. 7. quæst. 4. Rursus Faber 1. Metaph. disp. 2. cap. 3. ait, causalitatem importare relationem extrinsecam advenientem.

7 Dicimus primo, sufficienter explicari naturam causæ physice in communi, si dicamus esse principium per se positivum influens esse in aliud, cum dependentia huius ab illo. Concl. ab omnibus recipitur, & Prob. explicando singulas particulas Principium ponitur loco generis, quia latius patet quam causa, ut enim aliquid cum omni proprietate dicatur alterius principium, sufficit, ut ad illud hoc habeat intrinsecam aliquam habitudinem, adeo ut dici possit per se oriri ab eo, sive hoc fit per se positivum influxum, sive non: & per influere hic intelligitur idem, quod causare, dare, tribuere, & communicare esse, quod est commune causis omnibus physicis, alioqui in sensu quodam peculiari appropriari solet causalitati efficientis. Additur particula, per se, non solum, ut excludatur causæ per accidens, quæ improprie dicuntur influere, ratione scilicet cuiusdam connexionis accidentalis, quam habent cum causa per se, ut monet Doctor 1. dist. 2. q. 2. I. fed etiam conditiones causandi, quæ utique facere possunt ad facilius, vel citius operandum, vel etiam necessarias possunt esse ad simpliciter operandum, & tunc dicuntur conditiones sine quibus, non ut appropi-

proximatio causæ efficientis ad passum, intellectio respectu actus voluntatis; adhuc tamen valde differunt a vera ratione causæ, quia causa per se, & directe exercet actum causandi, conditio autem tantum concomitanter requiritur, ut nimirum causa suum exercent actum causandi, ita in calefactione, ignis per propriam virtutem exercet actum calefaciendi, non autem propinquitas, quæ potius se habet veluti conditio requisita. Additur, positive, ad excludendam privationem, quæ cum nil importet positivum, positive influere nequit, neq; in generationem, neq; in rem genitam. Additur in aliud, quia quidditas in re, cuius est, utique dicitur principium efficiendi illius, influens, & communicans illi reitale esse, ut humanitas esse humanum homini, at quia non distinguitur realiter ab illa, non potest vere dici illius causa physica, quia nihil est causa sui ipsius. Demum ponitur, dependentia huius ab illo, ad excludendas divinas personas, in quibus licet Filius dicatur generatus a Patre, Spiritus sanctus ab utroque productus, non propterea Pater dici potest causa Filii, nec Filius cum Patre causa Spiritus sancti, quia non illis communicatur esse distinctum, & diversum in natura, sed eadem prorsus, ac indivisa natura, unde & illud esse non dicitur causatum, sed communicatum tantum. Nam, ut docet Scot. in 1. d. 2. q. 7. ad 2. princ. q. 6. influxus cum dependentia producti, qui dicitur causalitas, exigit, ut esse, quod causa influit, sit saltem numerice diversum ab esse, quod est in causa, hæc enim ratio. Deus dicitur independens, quia ut sit, non indiget influxu alterius; a se essentialiter sive specificè, sive numerice distincto, dependentia enim semper infert aliquam naturæ alietatem specificam, vel numericam; quod si ly aliud positum in definitione capiatur in rigore, ut dicit alietatem saltem numericam in natura producti a producente, quem accipiendi modum docuit Scot. 1. d. 4. q. 1. & ita accipiunt, Compl. 2. Phyl. disp. 8. quæst. 1. tunc addere non oportebit cum dependentia huius ab illo, nisi ad majorem explicationem, quia ex vi illius particulæ rigorose sumpta sufficienter exprimitur alietas in natura producti a producente, & modus proprius influendi causæ, qui secum asserit dependentiam rei causatæ a sua causa.

Quæres, quid dicat essentialis conceptus causæ in actu primo? Resp. dicere entitatem ipsam causæ, quatenus potentem causare effectum, quæ idem potentia in causa dicit relationem transcendentaliter ad effectum, ut possibilem ab ea, unde colligitur conceptum causæ, ut sic, non includere solum entitatem absolutam causæ, sed etiam involvere relationem transcendentaliter ei realiter identificatam; idque docuit nedum Aristor. 5. Met. 20. dicens relationes secundi modi, quæ sunt causæ, & effectus, fundari super potentiam activam, & passivam, sed etiam Scotus 1. d. 7. quæst. 1. ubi significat, quod virtus absoluta in causa non est ei ratio agendi, nec eam constituit in actu primo, seu potentem agere, nisi includendo respectum transcendentaliter ad effectum, & hoc ipsum suadet quoque manifesta ratio, nam causa in actu primo idem sonat, quod causa potens agere, at potentia, & virtus causandi importat directè relationem transcendentaliter ad effectum possibilem, ergo, &c. in hoc puncto nullum est inter Auctores dissidium de causa factem creata.

Sed non levis est difficultas, nam hic respectus transcendentalis sit ad effectum dumtaxat in communi, vel potius ad omnes, & singulos in particulari a causa producibiles, itaut si unus ex his esset impossibilis, causa quoque impossibilis esset. Hæc difficultas communis est potentis animæ respectu suorum actuum, & objectorum, in quo sensu in lib. de An. discutitur, nunc de potentis physicis discutienda est: Hinc disp. 8. Phyl. sect. 3. & Arriaga, disp. 7. sect. 3. secundum affirmant. Alii vero ab eisdem citati opinantur respectum causæ esse solum ad effectum in communi, quod idem asserunt de potentis animæ respectu actuum, & objectorum, & ad singularia terminantur, non ad rationes communes, ergo. Item singuli effectus sunt partes termini adæquati potentis productivæ, ergo mutato uno solo, mutatur ordo potentis ad illum, sicut in actuali cognitione representante tria objecta, si alterum deficiat, perit tota cognitio, licet cetera maneat, ergo causa physica æque respicit singulos effectus in particulari, ac in communi. Demum a parte rei causa amitteret respectum ad unum effectum, si talis effectus esset impossibilis, sed ordo ad alios effectus est a parte rei idem cum ordine ad hunc effectum, quia omnes, & singulos respicit per propriam virtutem, & non per aliquid superadditum, ergo cum ordine ad hunc effectum singularem periret ordo ad alios.

8 Pro huius dubii resolutione notandum est, quod Scotus docet ad 3. q. 11. E. abedinem, & nigredinem non tantum secundum rationem genericam coloris, fed etiam secundum rationes específicas esse objecta visus unde insinuat objecta prima, & adæquata potentiarum ita constitui debere, non ut commune genus objectum potentia constituitur, ut supponit simpliciter, quia tunc potentia tendere non posset in particularia objecta secundum rationes específicas, neque ut supponit personaliter pro omnibus, & singulis, quia tunc non haberetur unum per se objectum poten-

tia specificativum, & ratio generica coloris v. g. a visu non esset perceptibilis, sed ut supponit absolute pro gradu generico; & specificò, & individuo objectorum a potentia attingibilem, ut supra diximus disp. 2. n. 85. & fufus in lib. de anim. sic in proposito de causa ad suos effectus relata philosophari debemus, quod non dicat respectum ad effectum dumtaxat in communi, ut v. g. ignis ad calorem a singulis caloribus abstractum, quemadmodum dicebat opinio secunda, quia calor est ab igne producibilis nedum secundum rationem genericam coloris, sed specificam quoque, ac individualem; sed neque ita poni debet effectus suos respicere, ut omnes, & singulos respiciat in particulari, & collective, quasi omnes collectim, & indivisibiliter sint adæquatus terminus potentis causativæ, ut assererat altera opinio, adeo ut si hic calor v. g. esset impossibilis, esset etiam impossibilis ignis, licet enim causa non respiciat tantum effectum in communi, sed etiam singulos in particulari ab ea producibiles, non tamen respicit hunc, & illum determinate, sed indeterminate omnes, & vage, quod quidem exemplo satis obvio manifestari potest, navis v. g. est necessaria ad conscendendum iter ad insulam, non tamen hæc, & illa determinate: sed indeterminate omnes, & vage, quæ de causa una navi existente impossibili, non idcirco sit impossibile iter ad insulam, nec perit ordo exigentia, quem dicebat ad illas, quamvis enim singulæ essent partes termini adæquati illius ordinis, quia tamen non constituabant terminum illum adæquatum collectim sumptæ, sed disjunctim, & vage, ideo una navi deficiente, non propterea perit ordo ille, nec iter ad insulam redditur impossibile, sic igitur in proposito causa physica respicere transcendentaliter omnes suos effectus, non tantum in universali sub communi ratione effectus, sed singulos quoque in particulari, sed sub disjunctione, unde supposita impossibilitate unius effectus, non bene deducitur impossibilitas causæ, dummodo alii sint possibiles; & sic etiam pariter dicendum de potentia materiæ ad omnes formas, quas respicit tam in universali, quam in particulari, quod supposita impossibilitate unius formæ, non propterea perit potentia ejus, quia singulas respicit sub disjunctione, & non collectim sumptas.

Hinc facile occurrit argumentis pro 2. sent. adductis. Ad 1. falsum est non dari naturas communes, & præcisiones objectivas a singularibus, ut diximus disp. 4. Log. q. 1. art. 1. & ex professo in Met. ostendimus, nec nos asserimus causam respicere tantum effectum in communi. Ad 2. inquit Doctor 3. d. 22. q. un. G. rationes quoque communes esse generales, & corruptibiles, non quidem proxime, sed remote, quatenus exiunt in singularibus. Ad 3. singuli effectus sunt partes termini adæquati potentis productivæ, non collectim sumpti, sed sub disjunctione, idcirco variato uno solo non variatur potentia in causa intrinsece, & realiter, sed extrinsece solum, & per accidens, nec est ad rem exemplum in argumento allatum de cognitione tria objecta representante, quia talis actus attingit tria illa objecta collectim sumpta, & non sub disjunctione, & ideo uno ex illis partialibus objectis mutato perit tota cognitio. Ad ultimum, unus utique, idemque ordo est causæ ad omnes, & singulos effectus ab ea producibiles, sed illos non attingit hic ordo nisi sub disjunctione, & ideo deficiente uno effectu possibili non perit ordo ille intrinsece, & realiter, quia manet adhuc eadem virtus productiva in causa, sed extrinsece solum, & per accidens. Dices causam recipere singulos effectus suos etiam cum copulatione sumptos, de singulis enim copulative sumptis verificari potest quod hic est producibilis a causa, & hic rursus, & ille, & sic de aliis, quod idem argumentum de potentia materiæ ad formas confici potest, ergo singuli effectus etiam cum copulatione sumpti constituunt terminum adæquatum potentis productivæ suæ causæ. Resp. forte ob hoc argumentum secundam sententiam esse probabilem, quia tunc collectio omnium effectuum a causa producibilium esset indivisibilis, & adæquatus terminus potentis causativæ, unde uno solo mutato, totus mutaretur ordo ad illos, verum cum illorum effectuum collectio non sit certa, ac determinata, quia est synchegorematica infinita, sed indeterminate, & confusa, probabilis videtur causam effectus suos in particulari, respicere vage, & sub disjunctione, & pariter materiam formas, licet oppositum quoque sua non careat probabilitate ob rationem allatam, quod proinde, ut probabile admittimus de potentis animæ respectu objectorum disp. 2. de An. q. 4. n. 54.

Dicimus 2. causalitatem formaliter sumptam necessario aliquid superaddere entitatibus absolutis causæ, & effectus, hoc autem non est aliquid præcedens naturæ ordine entitatem effectus, & re vera medians inter effectum, & causam, sed est sola relatio causæ ad effectum, ubi talis pullulare nata est, ac proinde natura posterior ipso. Concl. est Scot. in 2. dist. 1. q. 2. F. ubi ait, quod fallit nos imaginatio, dum putamus, relationem causalitatis mediare, veluti viam inter causam, & effectum, quia re vera sequitur, sicut universaliter nulla relatio ponitur, nisi positis extremis, & etiam in 4. d. 13. q. 1. D. ubi simili modo loquitur de respectibus actionis, & productionis, quem Scotiæ omnes sequuntur, Licher. 2. d. 1. q. 1. & q. 4. & 5. ad argumenta Ocham, Fuentes loc. cit. Vulpes tom. 1. par. 2. disp. 1. art. 1. & alii passim; Prob. quoad omnes partes, & quidem in primis, quod causalitas formaliter sumpta ex natura rei distincta sit ab entitate causæ, & effectus. Probat, quia etiam loquendo de causalitate fundamentaliter sumpta, id est de principio, & ratione producendi effectum, hoc utique non distinguatur ab ipsa entitate causæ, quia hæc est

est virtus absoluta causantis, & dici solet ratio causandi; loquendo tamen de causalitate formaliter sumpta, qua causa constituitur formaliter in actu secundo, & denominatur actu formaliter causans, omnino distingui debet a causa, quia ista causalitas accidit causae, ut actus secundus actui primo, & causa reperiri potest, & saepe reperitur sine actuali causalitate.

9 Nec respondere valet, causalitatem importare entitatem causae, ut connotantem effectum; quia multoties extat causa, & ejus effectus in rerum natura, fluxa causalitate, & actu causandi transeunte, ut patet de calore permanente in aqua, vel manu post remotionem ab igne. Nec juvat dicere, causalitatem connotare existentiam effectus, non quomodocumque, sed in fieri, & conservari, nam hoc est quod quarimus; fieri enim ita ex parte effectus permanentis transit, sicut facere, & causare ex parte causae, ergo neutrum est omnino idem cum entitatis causae, & effectus, quae permanere supponuntur sine actuali dependentia hujus ab illo. Neque adhuc satisfacit responsio Rubion in 2. d. 1. q. 1. art. 3. ad 2. tolli posse denominationem, quod effectus fiat, & causa causet abque destructione alicujus positivae, entitatis causae, & effectus superadditi; Nec enim Deus modo dicitur creare mundum, nec mundus creari, & tamen nec in ipso, nec in Deo praexistens aliquid positivum esse definit, ratione cujus mundus nunc creari non dicitur, nec Deus creare, sed haec denominatio per hoc solum ponitur, quod mundus sit noviter productus, & tollitur sublati talis novitate, quae nihil reale dicebat, nec in Deo nec in mundo. Non satisfacit, quia dependentia creaturae a Deo est illi realiter identificata quantum ad omne id, quod involvit reale, & ratione illius continuatae dependentiae potest etiam mundus dici modo creari, ut ipse Rubion concedit, at non est realis dependentia cujuscumque effectus creari a sua causa, potest enim ab ea pendere in fieri, & non in conservari, quo casu in primo instanti utriusque dicitur effectus existere ex vi causae, at non in tempore sequenti, ergo paritas a Rubione assumpta non valet, imo retorqueri potest ex hoc capite, quod sicut ex hoc, quod dependentia essentialis creaturae a Deo est prorsus a creatura inseparabilis, arguimus identitatem realem ejus cum creatura, ita contra, quia videmus dependentiam effectus a causa creata ab eo separari, existente adhuc effectu, concludere debemus, & hujusmodi dependentiam passivam in effectu, & activam in causa aliquid reale superaddere entitatibus illorum, quod additum, sive dici debeat realiter distinctum, sive modaliter tantum, & ut res a modo quia nequit per se existere separata, ut Recentiores loquuntur, parum curamus, quia haec est quaestio de nomine, ut diximus in Log. disp. 8. q. 3. art. 1. prope finem ex Scot. 2. d. 1. q. 5. sub D. an ad distinctionem realem inter aliqua duo requiratur, ut unum possit esse sine alio mutue, vel potius talis mutuitas necessaria non sit, quod probabilius putamus, quia sufficiens signum realis distinctionis est, quod unum possit esse sine alio quomodocumque.

10 Imo, quod magis est, nec fundamentaliter etiam causalitas constituitur causam actu causantem potest poni effectus in fieri, ut tendit in factum esse, ut aiebat Fuentes loc. cit. citans Doct. 4. d. 13. q. 1. §. Ex dictis &c. ubi formam in fieri actionem pro materiali vocat. Tum quia causalitatem fundamentalem etiam in actu secundo statuit Scot. in 2. d. 1. q. 2. E. illud idem absolutum, quod constituebat causam potentem agere in actu primo, ait enim ibi, quod secundum illud absolutum, secundum quod prius fuit causativa, est nunc causans, & ita etiam loquitur 1. d. 7. q. un. ad 1. & quol. 1. & alibi saepe. Tum quia Et si Doct. loc. cit. in 4. formam, & effectum in fieri actionem vocet, ibi se declarat actionem in hoc sensu extendi aequivoce ad significandam rem actam, quatenus includit respectum effectus ab alio, at res acta, nec etiam fundamentalis actio dici potest, sed potius id, quod habet esse per eam, id est per virtutem absolutam causae, ad quam sequitur immediate. Tum tandem, quia effectus in fieri est potius terminus ipsius causalitatis fundamentalis, per quam accipit esse, ergo non est causalitas ipsa etiam fundamentaliter sumpta, sed haec est eadem virtus absoluta causae, solum transcendentia relativa, quatenus dicit ordinem ad effectum possibilem, quae sicut in actu primo est ratio, cur causa dicatur potens agere, ita in actu secundo est ratio fundamentalis, vel formalis remota, ut loquitur Doct. 4. d. 13. q. 1. ad 1. P. cur dicatur actualiter causans. Quod autem non consistat formalitas causalitatis in modo illo a Recentioribus invento, medio inter causam, & effectum veluti viam, ac proinde ordine naturae effectum precedente, ita evidenter probatur. Si influxus praecederet effectum saltem natura, & effectus medium, & via inter absolutum causam, & absolutum effectum, vel hoc medium esset substantia, vel accidens; non primum, ut omnes concedunt, non accidens, quia vel absolutum, vel respectivum; non secundum, quia foret natura posterius fundamento, & termino, & sic posterius absoluto effectus; non absolutum in causa, quia fatentur omnes, hunc modum tenere ex parte effectus, cum Deus vere causa rerum dicatur sine tali modo; non absolutum in effectu, quia implicat, quod fit accidens inexistentis absoluto effectus, & quod natura praecedat ipsum absolutum effectum, cum omne accidens sit natura posterius suo subjecto, & modus posterior re modificata.

Respondent, hunc modum in effectu residere, & esse priorem eo, ac posteriorem in diverso causandi genere, priorem in genere causae quasi efficientis, quatenus est via ad illum, & acquisitio ejus posteriorem in genere causae materialis, quatenus ei inhæret; Sed haec responsio implicat. Tum quia in-

fluxus, & modus iste, cum sit accidens, in nullo instanti potest poni sine subjecto etiam sub ea ratione, quae est via, quia adhuc in hoc sensu est accidens; ergo nullo modo esse potest, quin prius subjectum existat, cum omne accidens a subjecto dependeat. Tum quia si modus iste est prior effectu in genere causae efficientis, ergo in illo priori existit, quia existentia est conditio praesertim causae efficientis, & assignari nequit, in quo existat veluti in subjecto.

11 Respondent Scotista, qui concedunt, causalitatem esse purum respectum, ajunt tamen, adhuc mediare veluti viam inter causam, & effectum, quod duplex est respectus, quidam per modum actus primi, ac in esse quieto, ut filiatio, aequalitas, & id genus alia, alter per modum actus secundi, & fluxus, ut productio, actio, & similia, & quod quamvis omnis respectus primi generis sit naturaliter posterior termino, & fundamento, respectus tamen secundi generis, licet sit posterior fundamento, est tamen ordine naturae prior ipso termino, quem producit, seu ad quem est via.

Sed doctrina haec omnino aliena est a Scoti doctrina, & a veritate; est aliena a Scoti doctrina, siquidem ipse etiam ubi loquitur de respectibus secundi generis, scilicet de actione, productione, causatione, & similibus, dicit, absolutum in effectu immediate sequi ad absolutum in causa, respectum autem causationis sequi postea, ita loquitur in 2. dist. 1. quaest. 2. E. ubi etiam ait, quod fallit nos imaginatio, dum putamus, relationem causalitatis mediare veluti viam inter causam, & effectum, quia sequitur positus extremis, & etiam in 4. dist. 13. q. 1. D. ubi similiter loquens de respectibus actionis, & productionis, ait, quod relatio actualis sequitur extrema in actu posita. Est etiam aliena a veritate haec responsio, quia destruit naturam relationis, natura siquidem ejus est, ut sit habitudo inter duo extrema, ergo nisi sint extrema, non erit haec habitudo, sicut non potest esse unio nisi sint partes unitae, & uno extremorum deficiente, unio evanescit. Deinde repugnat, dari relationem, quae non terminetur ad aliquid, cum esse ejus sit aliud esse, repugnat, dari relativum abque correlativo, ergo non est exco-gitabilis relatio, quae natura terminum praecedat in fundamento, quia tunc in eo signo relatio intelligitur esse, nec tamen intelligitur terminus ejus, qui non nisi in posteriori signo intelligitur esse, & fundamentum in eodem signo intelligitur in esse relativo abque correlativo, quod non nisi in posteriori signo esse concipitur, cum tamen relativa sint simul natura, & naturali intelligentia. Dixerunt aliqui, relationem causationis etiam in eo signo terminari ad effectum, non quidem productum, sed quem actu producit. Contra, quia vel effectus etiam in fieri sequitur causationem ipsam, vel praecedat: si secundum, haberetur intentum; si primum ergo in aliquo signo intelligi debet causatio, in quo effectus non intelligitur habere esse, quare in eo ad effectum terminata non intelligitur neque in facto esse, neque in fieri, quia in utroque sensu ponitur.

12 Ex his demum concluditur, causalitatem formaliter importare respectum causae ad effectum, ubi talis pullulare nata est. Tum quia causa, ut causa formaliter est concrescens relativum respiciens effectum pro termino, ergo constitui debet in tali esse per relationem causalitatis. Tum quia effectus formaliter sumptus nil aliud dicit, nisi relationem effectus ad causam, quae est dependentia passiva, quia formaliter effici aliud non est, quam ab alio dependere in esse, ergo causa formaliter relationem oppositam dependentiae importabit. Tum quia aliud est inquirere, per quid causa causet, aliud vero, per quid denominetur formaliter causa, quamvis ergo non causet per relationem, ut per rationem agendi, quia relatio non est de genere activorum, adhuc tamen potest, ac debet per eam denominari formaliter causans, & influens. Tum tandem quia Deus dicitur causa rerum omnium ad extra formaliter per terminationem essentialis dependentiae rerum omnium ad ipsum, ut Scot. docet 4. d. 12. q. 1. ad 2. principale, eo quia non est capax mutuae relationis correspondentis, ergo in causis creatis relationum capacibus causalitas earum formaliter in alio consistere nequit, quam in respectu opposito dependentiae passivae effectus; lupponit autem tota haec quaestio, dari in rerum natura relationes praedicamentales, quod fufe in Log. probavimus disp. 8. q. 3. Verum haec relatio, quam importat causalitas, non est extrinsecus adveniens, ut perperam putavit Faber 5. Met. disp. 2. c. 3. sed intrinsecus adveniens, ut Scot. saepe docet, & praesertim 4. d. 13. q. 1. G. & H. ubi respectus productionis, & educationis, qui important causalitatem efficientem, & materialem, vocat intrinsecus advenientes, quia necessario consequuntur fundamentum posito termino, & quidem paternitatem, & filiationem, quae sunt relationes causalitatis, omnes in schola nostra agnoscunt velut intrinsecus advenientes, & ad quartum praedicamentum spectantes, atque ita nos jam notavimus in Log. disp. 8. q. 8. & quol. 10. art. 2. declarando secundum modum relativorum, & quaest. 12. art. 2. & rursus infra dicemus disp. 7. q. 3. art. 1. & ratio a priori est, quia causalitas importat dependentiam activam, vel passivam causae, & effectus, per quam causa dat esse, & effectus respicit esse, quae quidem dependentia sequitur necessario extrema in esse posita, & ideo est intrinsecus adveniens.

Sed contra hanc Concl. primo obijciunt Nominales, praesertim Rubion loc. cit. probando, causalitatem formaliter sumptam, nihil reale superaddere entitatibus absolutis causae, & effectus. Tum quia id esse vel absolutum, vel relativum; non primum, quia causalitas non potest concipi sine ordine ad causatum; non relativum, quia omnis relatio actualis sequitur extrema posita in esse, at causae

itas praecedat effectum. Tum 2. quia si est quid reale noviter adveniens, utriusque indiget alia nova causalitate distincta, vel certe si causalitas seipsa immediate pendet a causa, idem etiam de effectu dici poterit, cum effectus in sua ratione includat esse a causa. Tum 3. quia causa est immediate virtualiter contentiva suorum effectuum, ergo nulla indiget actione media ad eos elicendos. Tum 4. quia ita omnis creatura procreavit a Deo, nulla causalitate media inter Deum, & creaturam ab entitatibus eorum realiter distincta, ergo similiter dicendum de causis creatis.

13 Resp. causalitatem pro formali esse relationem causae ad effectum, nec talis causalitas praecedat effectum, sed tantum causalitas fundamentalis. Ad 2. non indiget nova causalitate, ut sit in rerum natura, quia non dependet a causa ut quod, seu ut effectus, quia ab ipsa fit, sed ut quo, id est tamquam actualis ipse influxus, quo effectus intelligitur fieri: non enim intelligi potest, effectum actu pendere a causa sine aliquo influxu illius causae, unde causa dicitur causare causalitate, & non causalitatem, nec est eadem ratio de causalitate causae, & ejus effectu, quia est tria regula in scholis, quod rationes formales non sunt tales per aliam rationem superadditam, sed se ipsas, sic quantitas non dicitur extensa per aliam quantitatem, sed de ipsa, unio se ipsa unita, non per aliam unionem, & sic de aliis. Ad 3. causa dicitur immediate continere virtualiter suum effectum, quatenus non requirit aliam formam mediantem in ratione principii productivi, sed non ob hoc excludit actualem influxum, quo dicitur actu causare effectum. Ad 4. non valet paritas assumpta de causa creata, & increata, quia enim illa est incapax relationis, ideo non dicitur causa realis formaliter, nisi per extrinsecam terminationem dependentiae essentialis creaturae, & quia dependentia creaturae a Deo est illi realiter identificata, ideo non dicimus, a Deo pendere per causalitatem realiter distinctam, neutrum reperitur in causa, & effectu creato, quia illa est capax relationis, cum sit finita entitas, & dependentia effectus ab ipsa est ab eo separabilis, cum existere queat ex vi solius causae primae, a qua solum essentialiter simpliciter dependet, ut ait Doct. 4. d. 12. q. 1. ad 2. principale.

Secundo arguunt Recentiores unanimiter probantes, influxum, in quo consistit formaliter causalitas, praecedere effectum, & esse quod medium inter ipsum, & causam, & nullatenus in illa relatione consistere posse. Tum quia causalitas actualis est via, qua effectus acquiritur, & ipsa media dicitur effectus causari etiam secundum Scot. ult. Prol. §. Contra istud, &c. ubi inquit, voluntatem elicere praxim media elicitioe, & 2. dist. 3. q. 6. Y. & quol. 13. ar. 3. ait actionem causativam esse sui termini, at relatio non est de genere activorum, nec prior effectu, ergo non consistit causalitas in tali relatione. Tum 2. quia influxus actualis causae est ratio fundandi relationem illam praedicamentalem, quae resultare dicitur posito effectu, siquidem causa ideo refertur ad effectum, quia in ipsum insuit esse, ergo in ea relatione consistere nequit, sed in influxu praevio. Tum 3. quia sicut se habet causalitas causae efficientis ad relationem causae efficientis in ordine ad suum effectum, ita res habere se debet in unumverum in omnibus causis, sed in genere causae efficientis causalitas est actio, super quam deinde fundatur relatio causae efficientis ad suum effectum, 5. Met. tex. 20. ergo universaliter in omni genere causalitas erit ratio fundandi, vel fundamentum relationis causae ad effectum. Tum 4. quia Deus realiter insuit in creaturas, vero, & reali influxu, & tamen non refertur ad creaturas relatione reali, ergo causalitas formaliter in relatione non consistit. Tum 5. quia secundum actualem influxum causa est prior natura suo effectu, cum tamen secundum relationem sint simul natura.

14 Resp. ex dictis causalitatem sumi posse fundamentaliter, vel formaliter, quando dicimus, causam media causalitate influere esse in effectum, intelligendum est de causalitate fundamentalis, quia re vera causa non causet, nisi mediante virtute absoluta, quae sibi est ratio agendi, & talis virtus praecedit naturae effectum, etiam in instanti, quo causet, at si formaliter sumatur, non est verum, nisi in ratione formae denominantis, non autem formae productivae, quia relatio non est activa, ut docet Scot. 4. d. 13. q. 1. P. quatenus entitas causae nunquam intelligitur formaliter talis, nisi habita relatione, & in hoc sensu dici potest via ad effectum, & etiam prior effectu, sicut albedo dicitur prior pariete albo, ut sic. Via etiam est duplex ex Doctore cit. altera medium quo, & est acquisitio ipsa, qua habetur forma, vel effectus, & haec non praecedit; altera est per quam, vel in quam, & est id, ad quod mobile primo pervenit, vel per quod primo pertransit, antequam ad extremum perveniat, & haec praecedit, sed talis via non est causalitas, licet nostra falsa imaginatio eam ita concipiat in ratione viae. Ad 2. fallum est, influxum esse rationem proximam fundandi relationem causae ad effectum, cum enim dicimus, causam referri ad effectum, quia in ipsum insuit, ly quia est nota causa formalis, & sic sensus est, causa dicitur formaliter causans ipso influxu formaliter sumpto, quod si notet causam materialem, sensus erit, causa est formaliter causans, id est fundans relationem causae, quia insuit, id est quia habet virtutem causativam. Ad 3. relatio causae efficientis non fundatur super actionem, sed super potentiam activam, & passivam, & talis est mens Philof. in eo tex. ut ibi Doct. exponit, & in 4. dist. 13. q. 1. V. *activa enim, & passiva* (inquit Philof.) *secundum potentiam activam, & passivam sunt*, addit tamen, & *secundum actiones earum*, quia relationes intrinsecus advenientes hujus secundi modi relativorum supponunt actionem, & passivam, & Bellui Tom. II. *Physicae*.

nem veluti dispositiones pravias, & conditiones praerequisitas, ut insurgant, ex Scoto quodlibet 12. C. nequit enim agens naturale producere formam in materia, & ex utraque compositum, nisi praecesserit actio alterativa, & transmutativa subiecti. Ad 4. non currit paritas de Deo, & aliis causis, & ratio disparitatis assignata est in praecedentis argumenti solutione, quia Deus dicitur causa tantum per denominationem extrinsecam, formaliter loquendo, hic autem loquimur de causis formaliter talibus per intrinsecam denominationem. Ad 5. secundum actualem influxum fundamentaliter sumptum, causa est prior natura suo effectu, non secundum formalem.

Tertio antecedenter ad relationem praedicamentalem istam, quae causam denominat formaliter causantem, ad absolutum in causa sequitur absolutum effectum, ita causa fit de non operante operans, & transit de actu primo ad secundum, sed hic transitus fieri nequit sine aliqua mutatione ex parte causae, & non potest fieri sine aliquo de novo, per quod causa aliter se habere dicatur nunc, quam prius, quia universaliter transitus de contradictorio in contradictorio praesertim realis, & physicus, non fit sine aliqua mutatione reali, at istud novum, per quod de causa fit de non causante causans, nequit esse relatio, quia loquimur de causalitate fundamentalis, ergo erit modus de novo se ipso a causa dimanans, per quem ponitur in actu secundo. Conf. quia causa in actu secundo aliquid superaddit sibi in actu primo, hoc additum in illo priori signo antecedenter ad relationem nequit esse relatio, ut patet, neque esse potest effectus, quia effectus non est actualis operatio causae, aut exercitium, sed potius terminus talis operationis, ergo erit influxus ille medius inter causam, & effectum, veluti actus secundus, & exercitium causae. Postremo manet relatio causae ad effectum, & quia transit influxus, causa non denominatur amplius actualiter causans, ergo causalitas actualis in illa relatione non consistit. Probatur antecedens, quia cum sic relatio intrinsecus adveniens, manet quamdiu extrema manent, ut patet de paternitate, & filiatione, haec namque sunt relationes secundi modi, & relationes causae ad effectum, quia hinc fecit, & ille factus est, ut loquitur Philof. 5. Met. 20. & tamen patet non amplius dicitur actualis causa filii, quia non amplius actualiter illi communicat esse, ergo causalitas actualis non consistit in illa relatione praedicamentali, sed in actuali influxu, quo causa actu communicat esse effectui.

15 Resp. operationem causae non attendi, vel mensurari per instans naturae, sed per instans temporis, si est momentanea; vel per tempus, si est temporanea, & ad absolutum in causa non prius prioritate temporis, sequitur absolutum effectus, quem relationes mutuae hinc inde, sed haec omnia habentur in eodem temporis instanti, quare non potest praecindi relatio ab eo temporis instanti, in quo causa ponitur in exercitio, & in actu secundo, atque ita bene per relationem novam dicitur mutari, & aliter se habere modo, quam prius, imo & in ipso natura signo, quo ab absolutum in causa ponitur immediate sequi absolutum in effectu, potest notari in causa aliqua varietate, quia ubi in toto tempore antecedenti erat in potentia tantum remota ad hunc peculiarem effectum ob aliquod impedimentum, vel absentiam passivae, ut ait Doct. 1. dist. 1. q. 2. ad 2. principale in eo signo dicitur esse in potentia proxima, & veluti proxime determinata ad hunc effectum, quae proxima determinatio in causa habetur ex concursu omnium necessario requisitorum, quod praesertim locum habet in causis naturalibus; & potentia activa in tali statu est proxima ratio fundandi relationem praedicamentalem, quae sequitur deinceps in alio natura signo. Ad Confirmat. dicimus pariter causam in actu secundo involvere etiam relationem ipsius ad effectum, quia ponitur in actu secundo per instans temporis, non per instans naturae, sicut & ejus operatio non potest minus durare, quam per instans, & ideo additum illud, per quod dicitur esse in actu secundo, est actualis relatio causae ad effectum. Ad aliam, negatur assumptum, si enim effectus permanere potest post causalitatem, transeunte ipso actu causandi, quamvis adhuc causa remaneat, non amplius inter hanc, & illam intercedit vera relatio dependentiae, spectans ad secundum modum relativorum, sed tantum mera denominatio extrinsecus remanet ex actu causandi praeterito, quod id fecit, & illud factum est, quia ratione negamus in Log. disp. 8. q. 10. paternitatem, & filiationem dicere veras relationes dependentiae post actum generationis praeteritum, id enim tantum in divinis veritatem habet, ubi actus generandi, & paternus influxus in Filium perpetuo manet, quando vero effectus etiam in conservari a causa pendet, ut lumen a Sole, tunc utriusque manet semper mutua relatio causalitatis, & dependentiae.

16 Dicimus tandem, secundum rem ipsam naturam esse principium in facto esse per modum causae physicae in omnibus corporibus, at in sententia Philosophi exercere munus causae solum in corporibus sublunariis. Concl. est Scoti 2. dist. 14. q. 1. ubi ait, secundum veritatem corpora omnia, etiam caelestia consistere ex materia, & forma. at in sententia Philosophi solum corpora sublunaria, quod si verum est, ut suo loco probabitur, Concl. de se patet quo ad utramque partem, si enim secundum veritatem etiam natura in Caelo dividitur in materiam, & formam, cum ista sunt principia in facto esse corporis compositi per modum verae causae physicae materialis, & formalis, etiam natura in Caelo erit principium in facto esse per modum causae physicae, at si Caelum est corpus simplex, carens materia, & forma, & habens naturam, ut quidditatem, & essentiam,

manifeste sequitur, naturam in eo non esse principium essendi, & in facto esse per modum causae physicae, quia ubi causa est realiter causa, hoc est, realiter causat effectum, omnino debet esse effectus aliquid praeter causam & aliud a causa, hac enim ratione causa dicitur insinere in aliud: at constat, naturam sumptam pro essentia, & quidditate rei, non ita distingui posse a re, cuius est quidditas, & ideo cum in hoc tantum sensu natura sit in Caelo secundum Philosophum, non potest asseri in eius sententia, esse principium in facto esse illius per modum causae intrinsecae, poterit solum cogitari quidam modus causalitatis per rationem, eo modo, quo inter ea, quae a parte rei idem sunt, unum concipimus sequi ex alio, & unum communicare esse alteri, sic dicere solemus, humanitatem communicare homini esse humanum, & humanitatem esse principium essendi, & constitutum ipsius hominis. At in sublimaribus, ubi natura vere habet rationem partis materialis, & formalis, quia in eis feceruntur in materiam, & formam, habebit rationem vere causae, & exercendo veram causalitatem physicam, isthaec corpora constituet, & quia hac praesertim praesentibus habemus, de principiis in facto esse istorum, quae habent rationem causarum intrinsecarum, deinceps disputabimus, de causis enim agere spectat etiam ad physicum, quatenus concurrunt ad constitutionem corporum naturalium.

Q U E S T I O III.

Quid causent materia, & forma, & per quid.

27 **S**ensus est, quinam, & quot sint effectus materialis, & formalis causae, & per quid causent huiusmodi effectus, an se ipsi, nam potius per aliquid ipsi superadditum. Circa primam qu. partem Albert. 2. Phys. tract. 2. & Major 2. dist. 12. q. 1. quos sequitur Fuentes 2. Phys. q. 3. diff. 2. & Faber 5. Met. disp. 2. cap. 3. asserunt, materiam, & formam proprie esse causas solius compositi, cuius sunt partes intrinsecae, & principia in facto esse. Suar. in Met. disp. 13. sect. 6. ponit effectus materiae, compositum, formam materialem, unionem formae cum materia, & generationem compositi. Conimbr. 2. Phys. cap. 7. qu. 8. art. 1. addunt, etiam animam rationalem esse effectum materiae, quia licet non educatur de potentia eius, in informatione tamen pendet a materia. Sghemma digress. 12. q. 1. Aversa q. 12. sect. 2. negant, unionem, & generationem esse proprie effectus materiae, concedunt alii. Formae vero ibidem praeter compositum assignat Aversa pro effectibus propriis denominationem subjecti a forma, qui dicitur effectus primarius, & positivus eius, ac expulsionem alterius formae ab eodem subjecto, qui dicitur effectus secundarius, & negativus. Circa alteram quaestio partem Thomistae passim ajunt, materiam, & formam praefatos causare effectus per suas proprias entitates; Scotistae vero asserunt causare proximè per aliquid superadditum, saltem ex natura rei distinctum, quod in materia sit potentia eius passiva ad formas, & in forma aliquid insitit potentiae actuandi. Et Averroistae facientes quantitatem coevarum materiae, ut sic idonea ad recipiendas formas, consequenter dicunt proximam rationem causandi in materia esse quantitatem.

A R T I C U L U S I.

Recessentur effectus causae materialis.

28 **D**icimus, quatuor esse, quae a materia causari possunt proprie generationem compositi, unionem eius cum forma, formam materialem, & compositum ipsum. De generatione, & unione videtur concedere Doctor in 2. d. 1. q. 5. S. & plane negari non potest. Tum quia materia est principium generationis in ratione mutationis per modum subjecti, & etiam est subjectum propriae unionis, qua nascitur forma, & in ipsa, veluti in subjecto, sustentantur, ac in esse dependent huiusmodi formae relatiuae, itaut ex natura sua existere, & conservari non possint, nisi dependent ab ea, ergo proprie a materia causantur, quia causalitas materialis consistit in tali dependentia formae ab ea, ut sine ea naturaliter fieri, & conservari non possit, ut postea dicemus; Tum quia omnes formae accidentales, tam absolutae, quam relatiuae perunt subjectum, a quo educantur, & pendent in suo esse, fieri, & conservari, ergo similiter generatio, & unio. Tum quia generatio ita fit in materia, ut non possit fieri, nisi in illa. Tum quia, ut Sghemma ipse concedit, generatio, & unio non sunt ex nihilo, & ideo sunt in materia, & eius causalitatem participant, & quamvis non admittant materiam, ex qua componantur, exigunt tamen necessarium materiam, in qua recipiantur, & ex qua educantur. Tum tandem quia si materia est principium, & causa compositi in fieri, jam quoque fatendum est, esse principium, & causam generationis eius; notanter vero diximus, esse causam materialem propriae unionis, qua nascitur forma, quia duplicem nos astruimus unionem, alteram ex parte materiae, alteram ex parte formae, & ambas putamus necessarias, ut materia, & forma intrinsece unita dicantur; si enim una tantum asseratur unio sufficere, & hac se tenere ex parte formae, & ad materiam terminari cum suae sane defendi non potest, huiusmodi unionem a materia pendere in genere causae materialis, cum in ipsa nec recipiatur, nec sustentetur, sed in forma; quod vero ad materiam terminetur, hoc non facit ipsam a materia pendente, ut a subjecto in quo, sed ut a termino ad quem, quae habitudo omnino impertinet esse ad causalitatem materialem.

19 Quod vero materia exerceat adhuc magis proprie causalitatem suam respectu formae materialis, & compositi, tam in fieri, quam in facto esse, manifeste docuit Philosoph. 1. & 2. Phys. & Doct. 1. d. 12. q. 1. C. & d. 1. q. 5. S. & 4. d. 13. q. 1. sub B. & alibi saepe, & Prob. Tum quia utrumque fit ex materia suo modo, in qua habitudine, ex quo aliud, consistit formaliter, ut postea dicemus, causalitas materialis, forma quidem tamquam ex subjecto, compositum tamquam ex parte intrinsecae potentiali, & nedum pendet ab ea in fieri, sed etiam in conservari, quia & forma materialis sustentatur cum continua dependentia a materia, velut a subjecto, & compositum conservatur cum continua dependentia essentiali a materia, velut ab altera comparte. Tum quia vere materia insinuit in esse formae, & compositi, in illam, veluti subjectum ex quo, in istud, velut pars ex qua, & si necessario non insinueret, posset agens naturale & formam creare, & totum sine partibus constituitur. Tum tandem, quia formae materiales omnes, ut superius dictum est, educuntur de potentia subjecti, & materia est pars etiam quidditatis ipsius compositi materialis; dici etiam debent haec duo effectus distincti ipsius materiae. Tum quia sunt entia diversa, forma & compositum; Tum quia diverso modo fiunt, seu causantur a materia, forma enim a materia, ut a subjecto, ex quo educitur, & compositum tamquam a parte potentiali, ex qua constituitur; Conclusio autem restringitur ad formas materiales, quia ipsae solae educuntur de potentia materiae, & ab ea pendunt in fieri, & conservari, quo sensu non pendet anima rationalis a corpore.

Nec valet dicere cum Conimbr. saltem a materia pendere, ut a termino sui esse, ad quem essentialem habitudinem habet, unde naturaliter non debetur illi esse, nisi in materia; Tum quia hoc est absolute falsum; cum naturaliter etiam extra corpus existat ut in lib. de An. dicimus disp. ult. Tum quia si id etiam concedatur, haec dependentia a corpore non erit a priori, veluti a causa, sed a posteriori, veluti a conditione necessaria pro suo esse naturaliter perfecto, quod tamen non infert veram causalitatem materialem respectu eius, sed solum connexionem necessariam naturalis exigentiae, ad hoc, ut ipsa habeat esse omnino perfectum naturale, quemadmodum dicimus etiam naturalem compositum ab aliquibus formis accidentalibus pendere sibi necessariis pro ejus naturali conservatione. Nec minus potest ex hoc inferri, animam, saltem quoad informationem, a materia pendere in genere materialis causae, quod enim unio animae sit ad materiam, non sufficit ad inferendam materialem causalitatem respectu eius, quia respicit materiam, ut terminum ad quem, non ut subjectum ex quo, & est ad materiam, non est in materia; quare materia respectu illius ad summum eam causalitatem exercere potest, quam habent ceteri termini respectu relationis.

20 Sed contra objicies; Tum quia generatio, & unio sunt relationes, relatio autem non pendet ab extremis in genere causae materialis, sed vel efficientis, vel formalis. Tum 2. quia causalitas est respectu eius, quod proprie fit, generatio autem est via, ut aliquid fiat, & unio est medium, quo aliquid factum est, & constitutum ex partibus. Tum 3. quia unio respicit materiam, ut ad quam copulari formam, non ut ex qua, vel in qua, cum tamen in hac habitudine, non in illa materialis causalitas consistat, & est causalitas ipsa materiae, qua causat formam, & compositum. Nec etiam forma videtur esse posse effectus materiae. Tum primo, quia materia est causa intrinseca, est enim id, ex quo aliquid fit, cum insit, at non ita se habet respectu formae, sed tantum compositi. Tum 2. quia materia est una causa, ergo unus tantum effectus sibi correspondebit in tali genere, & hic erit compositum. Tum tandem, quia quamvis haec omnia a materia causarentur, hoc totum fit in ordine ad compositum, & propter compositum, & ideo non debet augeri simpliciter numerus effectuum materiae, quia ubi est unum propter aliud, ibi est unum tantum. Nec tandem videtur esse causa compositi, quia materia est causa per modum subjecti, at respectu compositi nequit esse subjectum. Insuper causa distinguitur realiter ab effectu suo, at materia non distinguitur realiter a composito, si ponitur ejus pars essentialis.

Resp. relationes praedicamentales esse in fundamento, etiam tamquam in subjecto, cui inhaerent, & ex cuius potentia educuntur, quare pendet ab eo, etiam in genere causa materialis. Ad 2. licet generatio, & unio viae sint, & media ordinata ad compositum constituendum, non proinde subterfugunt rationem effectus materiae, sicut etiam dicimus de forma, quae fit ut terminus partialis, & quo; Ad 3. nec generatio, nec unio sunt causalitas materiae, qua compositum causat, ut sequi videbimus (nisi forte per generationem intelligatur habitudo, quia aliquid ex alio componitur) neque qua causat formam & quando enumeramus unionem inter effectus materiae, non loquimur de unione, quae formae insidet, sed quae insidet materiae, & haec utique respicit materiam ut subjectum, in quo est, & ex quo educitur.

21 Ad id de forma dicimus, ipsam quoque esse effectum materiae, ut bene Zerb. notat 7. Met. q. 3. §. propter tertium, quia respicit eam ut subjectum, ex quo fit, dicitur vero materia causa intrinseca respectu compositi, & gratia compositi additur in definitione materiae ly, cum insit, quia etiam formam respicit propter compositum. Ad 2. ad hoc, ut unitas materialis causae salvetur, sufficit, ut tam respectu formae, quam respectu compositi consimilem habeat habitudinem causandi, ex quo aliud tamquam ex subjecto, vel educitur, vel constituitur. Ad 3. quamvis generatio, unio, & forma sint ad constitutionem com-

compositi ordinata, non propterea dici debent unus effectus, quia sunt effectus ex natura rei inter se distincti, sed solum inferri potest unitas ordinis, & quod compositum sit primarius effectus materiae prioritare intentionis, & dignitatis, licet prioritare executionis prius intendatur causari, quae ordinantur ad ipsum; verum tamen est, quod sicut Recentioribus concederemur generationem, & unionem esse ipsam materiae causalitatem in ordine ad formam, & compositum, proprie loquendo, duo tantum forent effectus materiae, scilicet forma, & compositum, causalitas enim non dicitur effectus comparatione illius, cuius est causalitas, ut actio non dicitur effectus agentis, sed actus ipse, quo agens producit effectum.

Ad ultimum de composito dicimus, ipsum etiam esse effectum materiae, quia licet materia respectu eius non sit subjectum sustentans, est tamen subjectum, ex quo aliquid fit, cum sit per modum partis potentialis; & realiter distinguitur a suo effectu, nimirum composito, licet maneat in ipso per modum causae intrinsecae, ut fuit infra contra Recentiores. Arriag. disp. 8. sect. 1. inquit, difficile probari posse causalitatem materiae in formam, hanc enim suspicamur ex eo, quod aliqua forma naturaliter nequeant sine subjecto conservari, quod non convincit subjectum illud debere causare materialiter praedictas formas, anima enim rationalis in primo instanti suae creationis, naturaliter loquendo, nequit esse extra materiam, & tamen nec in illo instanti causatur a materia. Sed jam disp. 2. qu. 7. ar. 2. fuisse ostendimus adeo necessariam esse dependentiam formae materialis a materia, & a priori, ut nedum ab ea pendeat, velut a conditione concomitante, sicut anima rationalis a corpore, sed velut a vera causa per modum praesentis subjecti, adeo ut ejus necessaria a materia dependentia, optime arguatur causalitas materiae in formam; vide dicta ibi.

A R T I C U L U S II.

Recessentur effectus causae formalis.

22 **D**icimus, varios, ac diversos effectus formales formae assignari solere, inter quos primus primitate intentionis, ac dignitatis est compositum substantiale; nam si ponebatur effectus materiae, eo quia concurrat per modum partis potentialis ad ejus constitutionem, tanto magis effectus formae iudicari debet, quo illi tribuitur esse specificum, & completum intrinsece, veluti pars dignior, & principalior quidditatis ejus, ut docet Scot. 3. d. 22. q. un. Sed quia illud idem esse specificum, & determinatum, quod habet intrinsece, & essentialiter compositum a forma, ut homo esse animatum ab anima, habet etiam materia extrinsece, & denominative, quia etiam corpus pro altera parte hoc modo dicitur animatum, qua ratione dicitur actuari, & compleri per formam, ut docet Scot. 2. dist. 8. q. 4. X. & 4. dist. 13. qu. 1. F. Alter effectus tribui solet formae, & quidem prior composito prioritare executionis, & est esse formatum, & completum ipsius materiae, qua actuatio, & completio necessario praecedunt constitutionem compositi, vel ut causalitas ejus, vel certe ut quid necessario praerogatum, & quidem materiam in hoc sensu esse effectum formae, negari non potest; quamvis enim subjectum, universaliter loquendo, formae praesupponatur, & ideo suam existentiam simpliciter ab ea non recipiat, qua ratione superius probatum est, materiam suam existentiam non mendicare a forma contra Thomistas; tamen quatenus affectum, & informatum tali forma pendet a tali forma, & ab ea esse tale, vel tale cognoscit, & ut sic causatur a tali forma, & a tali forma constituitur in esse; communicat autem hoc esse materiae media informatione, seu unione sui ad subjectum; quare cum ista unio, & informatio sit causalitas ipsa, qua causat materiam in esse tali, non est recensenda inter effectus formales formae, sicut nec actio recensetur inter effectus formales agentis, & ad hunc effectum revocari debet limitatio illa, seu determinatio, quam forma materiae praebet per informationem, & alique enumerant, velut effectum distinctum ab actuato. Solet autem hac denominatione subjecti a forma appellari effectus formalis primarius, & positivus, ad differentiam alterius effectus ejusdem formae secundarii, & negativi, qualis est expulsio unius formae ab alia ab eodem subjecto; quando enim una forma expellit aliam a subjecto sibi impossibilem, haec expulsio fit in genere causae formalis, ut docet Doctor 4. d. 1. q. 5. sub F. & sequuntur Recentiores omnes, non autem in genere causae efficientis, ut putavit Scotus 2. Phys. q. 4. haec enim forma expellit illam ab eodem subjecto, media sua informatione; sed quod fit a forma media sua formatione, dicitur ab ea pendere in genere causae formalis; expulsio autem activa velut effectus in genere causae efficientis spectat ad agentia introductentia formas impossibiles in subjecto; generationem denique etiam a forma pendere in genere causae formalis, ut a termino, ad quem concedunt omnes.

23 Sed objicies in oppositum, quod non bene assignentur effectus causae formalis, nam in primis negatur existentia materiae a forma pendere in genere causae formalis, cum tamen verissimum sit, materiam talis esse naturae, ut nequeat esse in rerum natura, nisi sub forma, ex alio cap. esse completum, & formatum ipsius materiae assignatur pro effectu formali, cum tamen hoc esse formatum, & actuatum aliud non sit, quam ipsa forma communicata materiae, at nihil potest esse causa sui ipsius, ergo denominatio subjecti a forma proprie effectus formalis dici non poterit. Imo neque compositum videtur recte assignari effectus ejus, quia effectus non est nobilior sua causa, *Mastrii, & Belli's 1. q. II. Physicae.*

sed compositum est nobilior forma, cum eam contineat, & aliquid aliud.

Resp. quod licet materia nequeat naturaliter esse sine forma, adhuc tamen haec indigentia salvari potest sine causalitate, nimirum, ut sit dependentia a posteriori, tamquam ab aliqua conditione, quam naturaliter coexistit, ut cum ea veluti comparte, compositum constituitur, ad quod est naturaliter ordinata juxta dicta, disp. 2. qu. 3. art. 1. Quomodo autem effectus formalis denominationis in subjecto derivata a forma distinguitur, non est spernenda difficultas; ut aliquam distinctionem inter illum & formam astrueret Vasq. tom. 1. in 3. p. disp. 19. n. 26. dicit, ex forma substantiali derivari in materiam quoddam esse substantiale distinctum a forma, & a motu, seu unione, qua forma est in materia, quia unio est quid relatum, at effectus formalis debet esse quid absolutum simili formae, alioqui forma daret formaliter esse sibi oppositum; & hac ratione humanitas (ait Vasquez) non est forma Verbi, nec e contra, quia licet sit unio substantialis inter ea, non tamen dat hoc esse distinctum a forma, sed tantum unit unum cum alio sine informatione.

At haec opinio singularis est, quam bene refellit Scot. 8. Met. q. 4. & Arriag. disp. 5. Phys. n. 8. contra compunen, quae hunc effectum quoddam esse substantiale distinctum a forma, & a motu, seu unione, qua forma est in materia, quia unio est quid relatum, at effectus formalis debet esse quid absolutum simili formae, alioqui forma daret formaliter esse sibi oppositum; & hac ratione humanitas (ait Vasquez) non est forma Verbi, nec e contra, quia licet sit unio substantialis inter ea, non tamen dat hoc esse distinctum a forma, sed tantum unit unum cum alio sine informatione. At haec opinio singularis est, quam bene refellit Scot. 8. Met. q. 4. & Arriag. disp. 5. Phys. n. 8. contra compunen, quae hunc effectum quoddam esse substantiale distinctum a forma, & a motu, seu unione, qua forma est in materia, quia unio est quid relatum, at effectus formalis debet esse quid absolutum simili formae, alioqui forma daret formaliter esse sibi oppositum; & hac ratione humanitas (ait Vasquez) non est forma Verbi, nec e contra, quia licet sit unio substantialis inter ea, non tamen dat hoc esse distinctum a forma, sed tantum unit unum cum alio sine informatione. At haec opinio singularis est, quam bene refellit Scot. 8. Met. q. 4. & Arriag. disp. 5. Phys. n. 8. contra compunen, quae hunc effectum quoddam esse substantiale distinctum a forma, & a motu, seu unione, qua forma est in materia, quia unio est quid relatum, at effectus formalis debet esse quid absolutum simili formae, alioqui forma daret formaliter esse sibi oppositum; & hac ratione humanitas (ait Vasquez) non est forma Verbi, nec e contra, quia licet sit unio substantialis inter ea, non tamen dat hoc esse distinctum a forma, sed tantum unit unum cum alio sine informatione.

24 Secundo objicitur, quod expulsio unius formae ab alia in eodem subjecto non sit effectus ejus formalis, cum potius ab ea procedat in genere causae efficientis; Tum quia haec expulsio fit a forma causando negationem oppositae formae in subjecto, at haec causatio negationis videtur effectiva. Tum 2. quia expulsio hac potest a Deo impediri, at non effectus formalis. Tum 3. quia ita duae qualitates se ab eodem subjecto expellunt, sicut duae quantitates ab eodem spatio, ut ait Doctor 4. d. 1. q. 5. F. at unum corpus aliud expellit a spatio in genere causae efficientis, producendo in eo motum impulsivum. Tum 4. quia si forma expellit aliam solum se ipsam collocando in subjecto, & sic se ipsa immediate oppositam excludendo abque productione alterius effectus distincti, calor v. gr. frigus, vel expellit illud, quando est in subjecto, vel quando non est in eo; si primum, ergo simul sunt in eodem subjecto frigus, & calor; si secundum, ergo nihil erit in subjecto expellendum, ergo praestat dicere, quod calor expellat frigus per aliquem effectum a seipso distinctum, & frigori impressum ad instar impulsivum, quem corpus expellens imprimit corpori expellendo. Tum tandem quia nulla reddi potest convincens ratio, cur expulsio hac dici potius debeat effectus formalis, quam effectivus.

Resp. negationem formae oppositae oriri in subjecto ex sola positione formae novae, & ideo ab ea solum in genere causae formalis prodire. Ad 2. quando dicitur effectus formalis a Deo impedibilis, hoc intelligi debet de effectu formali primario, & positivo, qualis est denominatio subjecti a forma sibi unita, non de effectu negativo, & secundario, qualis est ista expulsio. Ad 3. exclusio unius corporis ab eodem spatio facta ab alio est formalis, non effectiva, cum fiat ratione quantitatis, quae non est forma activa, & quamvis in expulsionem corporum quandoque efficientia interveniat, & motus ille impulsivus, id certe non oritur ex ipsis quantitativis, aut occupatione loci, & abiectione, sed ex virtute motiva innata corpori, vel aliunde impressa.

Alia difficultas petit solutionem illius quaestio: An sit prior introductio novae formae, vel expulsio antiquae; de quo licet ex professo agamus disp. 5. de Gen. & Cor. q. 4. num. 106. ut in proprio loco, adhuc tamen liber hic nos illa cursum tangere pro argumenti solutione; dici solet, utramque esse priorem secundum diversas rationes, & in diverso genere causae, utrumque enim dicimus, & formam priorem expelli, quia nova avenit, & novam advenire, quia prior recedit; quare ut amba istae causalitates verificentur, oportet dicere, introductionem formae novae esse

priorem in genere causæ formalis, & expulsiōnem antiquæ esse priorem in genere causæ materialis, & dispositive, quod declarant exemplo venti fenestram aperientis, & aulam ingreditis, nam in genere causæ efficientis prior est ingressus venti, quam aperitio fenestæ, sed in genere causæ veluti materialis prior est aperitio fenestæ.

25 Sed absolute dicendum est, introductionem formæ novæ priorem esse naturæ expulsiōne antiquæ. Tum quia absolute hæc causalitas est vera; ideo antiqua forma expellitur, quia nova advenit, non e contra. Tum quia cum hæc expulsiō fiat a forma in genere causæ formalis ex Doct. l. c. & quælibet forma in causando debeat præsupponi existens, utique forma nova in subiecto præexistens supponi debet. Tum tandem quia cum hæc expulsiō dicatur effectus secundarius formæ, debet necessario præsupponere primarium, nempe introductionem formæ in subiecto, & implicabit intelligere effectum hunc secundarium, etiam in genere causæ, antepriorem, quia hic effectus, absolute loquendo, supponit primarium, & a primario procedit, & quando causæ comparantur non ad invicem, sed ad communem effectum, simul natura causant, & non una prior altera, ut docet Scot. 2. dist. 37. V. & plane intelligi nequit, expulsiōnem esse dispositionem præviā ad formæ introductionem, a qua ipsa procedit; & denique exemplum illud venti fenestram aperientis, & aulam intrantis, ostendit illius modi dicendi vanitatem, distingui enim debet, ut notat Averſa q. 10. sect. 5. in fine impulsus venti in fenestram, & ingressus in aulam, sic enim videbimus non ingressum aperire fenestram, sed impulsus, & ingressum postea sequi fenestram aperitionem, alioqui intelligi non potest, quomodo idem omnino ingressus venti præcedat, & sequatur fenestram aperitionem.

Quamvis igitur introductio novæ formæ, & veteris expulsiō fiat in eodem temporis instanti, cum hoc tamen fiat, quod introductio novæ sit prior expulsiōne prioritate naturæ, & causalitatis formalis, nec sequitur, materiam habere simul duplicem formam, quia in eodem instanti temporis incipit una forma, & alia definit; neque per instans naturæ mensuratur existentia formæ, nam per ordinem & prioritatem naturæ explicatur solum dependentia posterioris a priori; vel talis præsuppositio unius ab alio, ut illud concipi possit, isto non concepto, ut diximus in Log. disp. 9. q. 2. art. 1. atque ita est in proposito, quod expulsiō veteris formæ dependet ab introductione novæ; & introductio istius concipi potest, non expresse concipiendo expulsiōnem illius; at non e contra, & Adversarii ipsi hoc fatentur coguntur, quia cum secundum eos expulsiō præcedat introductionem formæ in genere causæ materialis, in illo priori naturæ urgere possumus, quod materia sit denudata omni forma, sicut contra nos urgetur, quod in illo priori introductionis formæ duplex forma sit in subiecto: Hanc resp. amplectitur quoque Fuentes 2. Phys. diff. 2. art. 4. cui addidit, quod simul esse nequeunt duæ formæ in facto esse, & completo, bene tamen una in fieri, scilicet quæ producitur, & alia in facto esse, scilicet quæ expellitur; quod additum est falsissimum, & contra omnem Philosophiam ut disp. 4. n. 31. ostensum est, quia privatio nequit stare cum forma, nec in fieri nec in facto esse, at una forma secum desert privationem alterius.

Postremo falsum est, quod ultimo addebatur in argumento principali, nimirum assignari non posse rationem, cur hæc expulsiō dicatur potius formalis effectus, quam effectivus, nam illa causa dicitur expellere formam a subiecto effective, quæ producit formam in subiecto cum ea impossibile, quia ex vi causalitatis effectivæ sit aliquid distinctum; sic calor existens in igne est causa expulsiōnis frigoris in aqua mediante calore, quem in ea producit; at forma, quæ non per productionem alterius effectus distincti, sed immediate per se ipsam in subiecto collocatam, excludit aliam, dicitur expellere formaliter, & ita calor existens in aqua dicitur ab ea frigus expellere, & talis expulsiō dicitur effectus eius formalis. Et per hoc solvuntur, quæ objicit Rubion 2. d. 12. q. 4. art. 2. contra ordinem a nobis statutum inter introductionem novæ formæ, & expulsiōnem antiquæ, ex hoc enim duo sequerentur absurda (ait ipse) unum est, quod forma proposita, & opposita in aliquo instanti essent simul, si illa prius introduceretur, quam ista expelleretur, alterum est, quod numquam unum, & idem agens esset generans, & corruptens, quia si ignis agit in aquam, & forma aquæ expellitur a forma ignis introducta in passio, non esse formæ aquæ, sequitur immediate, non ad actionem ignis generantis, sed formæ in eodem passio introductæ. Hæc argumenta procedunt ex falsa imaginatione Rubion. quod idem instans, in quo una forma incipit, & alia definit, sit utriusque formæ intrinsecum, & quod una forma aliam expellat ab eodem subiecto in genere causæ efficientis per aliquam actionem, quam exerceat in eam, eo modo, quo clavus clavum trudit, quod est prorsus falsum, ut constat ex dictis disp. 4. q. 4. n. 32.

26 Tertio objicitur, quia non bene negari videtur, unionem formæ ad subiectum esse effectum ejus formalem; nam si unio, quæ se tenet ex parte materiæ, est effectus materialis illius, ut dictum est, cur illa, quæ se tenet ex parte formæ, non erit pariter effectus ejus formalis? Et quando non ponatur effectus ejus in genere causæ formalis, debet saltem admitti in genere causæ efficientis, casu, quo applicaretur materiæ sufficienter pro ea dispositæ, unde inquitur Conimb. quod si Deus per miraculum corpus jam extinctum iterum disponderet ad animæ receptionem, anima se ipsa, & propria virtute se illi uniret, quod probatur; Tum quia anima inclinatur naturaliter ad

tale corpus perficiendum, ultimo dispositum, ergo necessario, præcisa omni alia virtute, sequitur informatio illius corporis, nam ad totalem, & ultimam dispositionem sequitur informatio illud, ad quod facta fuit dispositio. Tum 2. quia anima separata agit, & principium agendi esse potest, ergo & sibi informationem. Tum 3. quia poterit propria virtute facere se presentem intime corpori sic disposito, sed anima sic præsens non videtur impediri posse ab actu propria inclinationis. Tum 4. quia circa materiæ dispositam, præcisa omni extrinseci agentis actione, non est minus potens causa formalis ad præstandum suum concursum, quam causa effectiva ad suum, ergo sicut hæc præcisa omni alio circa illam materiæ præstat suum concursum, ita causa formalis, & majori ratione, quia in genere causæ formalis non potest reperiri virtus suspendendi concursum, ut reperiri potest in genere causæ efficientis. Tum 5. quia non minus necessario effectus, & causalitas formalis a sua causa fluit, quam passiones ab essentia. Tum tandem quia si aliqua actio ex parte agentis extrinseci desideratur, videtur in tali casu sufficere actio dispositiva. His rationibus moti Henr. Riccard. Varro, Conimb. & alii, tenent unionem posse esse effectum formæ in genere causæ efficientis, addunt tamen, hinc non sequi, naturaliter fieri posse hominum resurrectionem, quia non potest naturaliter idem corpus redire cum eisdem dispositionibus.

27 Resp. unionem, quæ se tenet ex parte materiæ, poni effectum ejus, quia non est ejus causalitas nec in ordine ad formam, nec compositum, at unio ex parte formæ, seu informatio est causalitas formæ in ordine ad materiæ, ut quæst. seq. Et cum dicitur, saltem debere poni effectum ejus in genere causæ efficientis.

Resp. hæc difficultatem petere solutionem illius quæstio, Num forma propria virtute uniri possit materiæ pro ea dispositæ, cui Doctor negative respondet 4. dist. 12. q. 1. sub Q. & ex professo probat 4. dist. 42. q. 3. O. Tum quia 2. Phys. 71. forma, & efficiens, licet coincidere possint in eadem specie, non tamen in eodem numero. Tum quia causa totalis, præsertim æquivoca, est nobilior suo effectui, compositum vero nobilior est, tum corpore, tum anima, ergo non potest ab anima provenire, propria virtute se uniente ad corpus, quia non videtur, a quo possit sumi excessus compositi super animam, & corpus. Tum quia licet causa quælibet naturalis sit naturaliter inclinata ad proprium effectum præstandum in proprio genere, ita ut in eo nullo alio indigeat ad eundem in actum, nihilominus indiget aliis causis in diverso genere, ut patet de igne, qui quantumvis dispositus sit ad proprium effectum producendum, non tamen illum ponit in esse, nisi addit concursus materiæ, approximatio, & cætera requisita. Tum quia diversæ sunt aptitudines ad informandum, & ad efficiendum, neque una inferitur ex alia, sicut etiam materia est ad unionem propensa in suo genere, & tamen illam in se efficere non potest. Tum quia sicut natura ordinavit formam, ut causam intrinsecam compositi, non extrinsecam, ita dedit ei virtutem informativam, non activam. Tum quia si anima posset in resurrectione sibi unionem efficere, posset, & de facto illam sibi efficere modo in productione prima compositi, quod tamen communiter negatur. Tum tandem, quia hoc præsertim formis corruptibilibus nequit convenire, quia per eandem actionem, & ab eodem agente simul, & semel e materia educuntur, & eidem uniuntur, quæ Scoti sententia his suffulta rationibus, communiter recipitur a Suar. Rav. 2. Phys. tr. 3. Amico tr. 2. qu. 7. dub. 5. Sghemma 2. Phys. digress. 13. q. 4. & alii.

28 Nec rationes pro parte opposita urgent; Ad 1. dicimus, quod sicut anima inclinatur ad informationem per virtutem informativam, ita præcisa alia virtute ejusdem generis informativam sequi in genere causæ formalis, sed non efficientis, quia non habet a natura virtutem ad hoc activam; & illa dicitur ultima dispositio, quatenus ab ea necessitatur agens ad introductionem formæ, & necessario sequitur informatio ab unaquaque causa in proprio genere. Ad 2. anima separata est principium agendi in ordine ad operationes in genere causæ efficientis ab ea procedentes, non in genere causæ formalis, qualis est informatio. Ad 3. potest utique anima facere se intime præsentem localiter corpori disposito per virtutem activam, quam habet ad Ubi; at inde virtute sola ejusdem animæ sequi nequit unio informativa, quia ad hanc unionem non habet virtutem activam, sed solum informativam, quæ non reducit ad actum, nisi virtute efficientis extrinseci. Ad 4. inde probatur solum, formam, præcisa quocumque alio, habere sufficientem virtutem informativam in suo genere, at sine concursu efficientis extrinseci non potest forma suam exercere causalitatem, sicut etiam causa naturalis efficiens non potest exire in actum sine aliis necessario requisitis, & his positis, utique impediri nequit concursus formalis. Ad 5. non currit paritas de efficientia passionum, quæ sunt per resultantiam ab essentia, & de informatione formæ, ibi enim passionibus dimanant, quia adiuncto necessario requisita, non autem hic, præciso agente extrinseci, & subiectum habet virtutem effectivam sibi inditam a natura in ordine ad proprias passiones, at forma in ordine ad informationem non habet, nisi virtutem informativam. Ad ultimum, falsum est, productionem substantialis formæ, & unionis illius ad materiæ ab actione dispositivæ non distingui, cum hæc actio prorsus sit accidentalis, & illa substantialis, & ideo actio dispositiva præcise non sufficit pro introductione formæ.

AR-

ARTICULUS III.

Declaratur ratio proxima, & immediata causandi materialis, & formalis cause.

29 Dicimus, materiæ, & formam causare præfatos effectus, tamquam per rationem proximam, & immediatam, non per aliquid realiter superadditum entitati earum, nec per suam entitatem absolutam præcise sumptam, sed per suam entitatem includentem respectum transcendentalem potentia; vel actus, ita ut materia causet formam, & compositum, quatenus ens per se in potentia, & forma exerceat causalitatem suam in ordine ad materiæ; & compositum, quatenus ens per se in actu. Concl. sumitur ex Arist. 2. de Anim. tex. 7. & 8. Met. 15. & Scoto 2. dist. 12. q. 1. D. & 4. dist. 11. qu. 3. Gg. & quol. 9. B. & ubicumque dicunt, ens materia, & forma fieri per se unum, quia hoc est per se actus, & illud per se potentia, sic enim satis aperte significant rationes formales causandi in his causis esse entitates absolutas earum, includentes respectus transcendentales actus, & potentia; & probatur discurrendo per omnes partes. Non enim exercere possunt causalitates suas per entitatem aliquam eis superadditam, sicut est calor igni, quia sunt causæ intrinsecæ compositi, ergo si per entitatem ei superadditam in hoc sensu causarent, jam compositum foret aggregatum per accidens, quia illud superadditum includeretur in essentia compositi, veluti per se, & proxima ratio causandi illud. Sed neque exercere possunt suas causalitates per suam entitatem absolutam præcise sumptam, respectum transcendentalem actus, & potentia; excludendo; Tum quia tunc non intelligerent concurrere ad compositi constitutionem, ut potentia, & actus. Tum quia ut sibi invicem causæ, & compositi se invicem respiciunt ut comparates, non vero ut entitates absolutas, sic enim desiderantur tantum in prima notione, & secundum prædicata primi modi. Tum quia essentia materiæ, in eo quod ens, non dicit per se ordinem ad actum, sed absoluta est in se, & non ad aliud pariter, & forma in eo, quod ens, non dicit per se ordinem ad potentiam, ut in superioribus probatum est.

30 Remanet igitur, ut suas exerceant causalitates, tamquam per rationes proximas, & immediatas agendi, per suas entitates, includentes respectus transcendentales actus, & potentia; Tum quia ita semper explicuit Philosophus rationes causandi materiæ, & formæ, quia nimirum hæc est per se actus, illa per se potentia. Tum quia 5. Met. tex. 20. dixit, relationes secundæ modi in universonum fundari super potentiam activam, & passivam, quas utriusque significavit esse relationes transcendentales, rebus a natura inditis. Tum quia in universonum virtus absoluta causæ non est ei ratio agendi, nisi includendo respectum transcendentalem ad effectum, ut notavit Doctor l. d. 7. q. unic. sub L. & plane in hoc nulla est distinctio inter Thomistas, & Scotistas, dum enim illi negant, materiæ, & formam causare per aliquam entitatem superadditam, quæ sit illis veluti proxima ratio causandi, per hoc excludere intendunt aliquid accidens superadditum materiæ, veluti est calor igni, quasi scilicet radicale, & primum principium causandi esset ipsa entitas materiæ, & formæ, immediatum vero, & proximum, illa entitas superaddita, ita colligitur ex D. Tho. 1. Phys. tex. 79. & l. p. q. 5. art. 3. ad 3. idque solum probant rationes, quibus excludere conantur hanc entitatem superadditam, quæcumque ista ponatur. Dum vero ex alia parte dicunt, materiæ, & formam causare per proprias essentias, ac entitates, veluti per proximas, & immediatas rationes causandi, utique non excludunt ab eis rationem actus, & potentia; sed ita loquuntur, quia putant, respectum transcendentalem potentia; constituere essentiam materiæ, & actum constituere formam, quare in decisione quæstio hujus convenimus, & solum in hoc differimus, quod rationes veluti specificantes concursum materiæ, & formæ, ipsi censent esse differentias intrinsecas earum, nos autem proprietates ab entitatibus absolutis earum dimanantes.

Sed in oppositum objicitur 1. Tum quia materiæ, & forma per se immediate, & non per aptitudines superadditas constituunt compositum per exhibitionem suarum entitarum. Tum 2. quia reddens rationem Philosophus, cur ex materiæ, & forma fiat per se unum, inquit, quia hæc est per se actus, idest essentialiter actus, & illa per se potentia, idest essentialiter potentia, ut Scot. explicat 2. dist. 12. q. 1. D. ergo ab earum essentia attendenda est ratio proxima, & præcisa causandi. Tum tandem, quia cum Doctor. in 2. d. 1. q. 2. E. ait, ad absolutum in causa sequi immediate absolutum in effectu, utique pro ratione causandi, & virtute causativa assignavit absolutam virtutem causæ, secludens quemcumque respectum, ergo ita etiam modo loquendum est de rationibus causandi materiæ, & formæ.

31 Resp. materiæ, & formam dici se ipsas, & immediate causare compositum, ut excludatur aliquid accidens medium realiter distinctum, quod illis sit ratio agendi, non autem ad excludendas earum passiones, potentiam, & actum. Ad 2. quando ait Philof. ex materiæ, & forma fieri per se unum, quia hæc est per se actus, & illa per se potentia, idest essentialiter, ut explicat Doctor, debet intelligi de per seitate, & essentialitate in secundo modo dicendi per se, & quod ita intelligendus sit Doctor, patet ex eo, quod docet 3. dist. 2. q. 2. E. & 4. dist. 11. qu. 3. Gg. & alibi sæpe, reddens enim rationem, cur ex materiæ, & forma fiat per se unum, ait cum Philosopho, quia hæc est per se actus, & illa per se potentia; quærens iterum, *Maffri, & Belluti Tom. II. Physica.*

cur hæc sit per se actus, & illa per se potentia, veniens ad immediata, inquit, quia hoc est hoc, & illud est illud, signum evidens, quod quando assignat rationem potentia; & actus pro rationibus causandi materiæ, & formæ, utique non loquitur de earum essentia præcise sumptis. Ad 3. quando l. c. inquit, ad absolutum in causa sequi immediate absolutum in effectu, excludit realitatem novam, sive absolutam, sive respectivam de novo advenientem causæ, quando actu causat, quæ vere mediet veluti via inter causam, & effectum, at non excludit respectum transcendentalem virtutis, seu potentia; causativa.

Secundo objicitur. Tum quia materiæ per potentiam receptivam respicit tantummodo formam, non compositum, quod tamen est effectus principalis ejus, & pariter forma in ratione actus respicit materiæ, non compositum. Tum 2. quia per potentiam receptivam non respicit formas, ut causabiles in ratione effectus, sed tantum ut receptibiles; imo per hanc potentiam respicit etiam animam rationalem, quam tamen non causat. Tum 3. quia intelligi potest potentia esse causa formæ, absque eo, quod sit potentia ejus receptiva, vel eam recipiat, & hoc eveniret, si per potentiam Dei absolutam forma aliqua sustentaretur in materia tantum, non tamen illam actuaret per receptionem, nec faceret cum illa unum totum, ut de facto contingit in natura humana sustentata in Verbo, non tamen illud informante.

32 Resp. ad 1. & 2. materiæ per potentiam receptivam non causare formam, neque compositum, id enim causat per potentiam constitutivam, ut diximus in disp. 2. quæst. 5. in principio, illam vero per potentiam sustentativam, ut diximus eadem quæst. art. 4. & art. 3. q. 7. in fine. Ad 3. ibi etiam negavimus, casum illum contingere posse, quod forma sustentetur in materia, & eam non informet, quia sustentatio in genere causæ materialis, licet sit modus ex natura rei distinctus ab unione, vel receptione, tamen necessario illum coexistit, & in hoc distinguitur a sustentatione in genere causæ efficientis. Et quando hic dicimus, materiæ causare formam, & compositum, ut per se potentiam veluti per rationem proximam causandi, & specificativam causalitatis ejus, plane loqui non intendimus de potentia receptiva, sed de sustentativa in ordine ad formam, & constitutiva in ordine ad compositum, quas potentias esse ex natura rei ab invicem distinctas, ostendimus locis c.

Tertio objicitur, quia licet in multis ratio prima, & proxima agendi distincta sit, ut in his, quæ agunt potentia media, tamen sæpe ratio proxima agendi est eadem cum essentia, ut in igne ratio proxima ignitionis est sua essentia, ergo multo magis id asserendum in proposito, cum istæ sint causæ intrinsecæ, & non extrinsecæ. Accedit, quod illa est proxima ratio causandi, per quam responderetur interrogationi factæ, propter quid causa causat, sed huic interrogationi in proposito responderetur, quia materiæ est talis natura, & forma talis, ergo, &c. Denique relatio non potest esse proxima ratio causandi ens absolutum, & substantiale, sicut est compositum.

Resp. nihil realiter distinctum esse rationem causandi in materia, & forma, sed sicut quando in igne dicimus, essentiam suam esse illi rationem proximam agendi, non ob id excludimus respectum transcendentalem imbitum realiter in ea, veluti in potentia activa, ita in proposito dicimus, essentiam materiæ, & formæ esse illis rationem proximam agendi, seu causandi, includendo respectus transcendentales actus, & potentia; Ad 2. ita etiam intelligimus, dum illi interrogationi respondemus, & de materia, & forma fieri per se unum, quia materiæ est talis natura, & forma talis, idest quia materiæ est talis entitas, cujus proprietates est potentia, & forma talis entitas, cujus proprietates est actus, seu aptitudo informativa. Ad 3. utique quando dicimus, rationem potentia; specificare concursum materiæ, & rationem actus concursum formæ, non intelligimus relationem illam solum esse rationem proximam, & integram causandi, sed involvimus entitatem absolutam cum relatione, hoc enim totum est illud, quod dicitur potentia activa, vel passiva, vel informativa, juxta diversitatem causarum.

QUESTIO IV.

De causalitatibus materiæ, & formæ, & conditionibus causandi.

33 Difficultas præsertim est de causalitate materiæ circa formam, utriusque causa compositum, nam pauci agnoscunt unionem, & generationem pro effectibus materiæ, aut quia potius putant esse causalitates materiæ, quam effectus, aut si ponunt effectus, non tamen ita proprie, ut sunt forma, & compositum, & communiter modus dicendi Recentiorum, quibus prævit Suar. in Met. disp. 15. sect. 4. n. 3. & sect. 6. n. 9. & disp. 13. sect. 9. est, quod causalitas materiæ circa formam, quæ de eius potentia educitur, sit unio ad formam per modum receptionis, & passivæ informationis, & causalitas formæ circa materiæ sit unio ejus ad materiæ per modum activæ informationis, & pariter communis utriusque causalitas circa compositum sit earum unio ad invicem, & mutua communicatio, ex parte quidem materiæ per modum receptionis, ex parte vero formæ per modum informationis, ita Ruvius 2. Phys. cap. 7.

H 3

cap. 7.

cap. 7. tract. de causa materiali, & formali, Averſa q. 12. ſect. 3. & 4. & alii paſſim; Hurtad, vero diſp. 5. Phyl. ſect. 3. & Amicus tr. 10. de causa materiali qu. 4. dub. 1. art. 3. eſt cum ceteris conveniant quantum ad communem cauſalitate materię, & formę circa compositum, quod ſit earum unio ad invicem, & mutua communicatio, negant tamen, cauſalitate materię circa formam conſiſtere in unione, & informatione paſſiva, & aſſerunt, conſiſtere in receptione actionis agentis, qua eſſective producit formam ex materia, & eſt paſſio, idem ſentit Jo. de S. Thom. q. 1. art. 1. Fuentes 2. Phyl. diſt. 2. art. 1. concedit, formalem cauſalitate materię, & formę circa compositum conſiſtere in aliqua relatione, qua reſpiciant effectum ſuum, at non exprimit, quę, & qualis ſit iſta relatio, quod præſertim hic quaeritur, & circa cauſalitate fundamentalem ſibi manifeſte contradicit, inquit enim n. 7. cauſalitate materię, fundamentaliter loquendo, nihil eſt præter entitatem ipſius materię actualiter recipientis formam, & nu. 8. ait, cauſalitates materię, & formę, fundamentaliter loquendo, nihil eſſe præter influxum, ſeu formam in fieri totius. Sghemma ſimiliter 2. Phyl. digreſſ. 12. qu. 2. & digreſſ. 13. qu. 2. poſtquam multos rejectit dicendi modos, & præſertim communem, aſſerentem, quod unio ſit cauſalitas formalis, qua materia cauſat formam, & e contra, & utraque compositum, tandem concludit, cauſalitate materię in hoc conſiſtere, quod ſit ſubjectum, ex quo forma, & compositum ſuo modo pender, & in fieri, & in factio eſſe, quod nemo negat, at non explicat formalitate cauſalitate materię circa formam, & utriuſque circa compositum; ſubdit poſtea, cauſalitate formę circa materiam, & compositum non eſſe unionem, ſed potius informare, & componere, in quo conſequenter non loquitur, nam activa informatio formę formalitate nil aliud eſt, quam ejus unio ſubſtantialis ad materiam.

24. Eſt etiam diſſenſio inter relatos Auſtores, an ſit eadem cauſalitas materię erga formam, & compositum, & an una, & eadem circa eadem formam, & tandem an eadem circa compositum in fieri, & in factio eſſe, Gab. 2. d. 1. qu. 5. ſecutus Ocham qu. 3. diſtinguit duplicem cauſalitate materię, alteram extrinſecam circa formam, alteram intrinſecam circa compositum, & multi ſequuntur. Fonſeca 4. Met. c. 2. q. 3. ſec. 2. q. 12. ſec. 2. adhuc circa ipſam formam duplicem diſtinguit materię cauſalitate, unam univerſalem per modum ſimplicis receptionis, & paſſivę informationis, quam gerit materia erga quamlibet formam etiam animam rationalem, alteram particularem circa formas ex ejus potentia eduſtas, & vocatur ſuſtentatio, id eſt dependentia a materia in fieri, & conſervari. Suar. l. c. vult potius, eandem eſſe cauſalitate materię erga formam, & compositum, quę diverſas denominationes ſubeat, per eandem enim unionem cauſat formam, & compositum, illam extrinſecę, hoc intrinſecę; vult etiam, cauſalitate materię circa eadem formam geminari non debere, ſed circa formam corruptibilem unicam eſſe cauſalitate, quę ſimul dicatur receptio, & ſuſtentatio, in quo diſſert a cauſalitate circa animam rationalem, quę dicitur tantum receptio, & non ſuſtentatio; ex quo nu. 16. concludit in materia non diſtingui ex natura rei, niſi duas tantum cauſalitates, unam reſpectu rei in fieri, quę eſt generatio, alteram reſpectu rei in factio, quę eſt unio. Aver. l. c. convenit cum Suar. in duobus primis dictis, in tertio diſcrepat, contendit enim eandem eſſe cauſalitate materię circa formam in fieri, & factio eſſe, utriuſque circa compositum, hujusmodi enim cauſalitas eſt unio, quę conſiderari poteſt quo ad primum omnino eſſe ſuum, & ita dicitur cauſalitas in fieri, & in tempore ſequenti, & ita dicitur cauſalitas in factio eſſe, & quaſi continuata.

Circa conditiones etiam utriuſque cauſę diſputatio, quę, & quot ſint; Alii enim requirunt exiſtentiam veluti univerſalem conditionem cuiuſcuſque cauſę, finali excepta. Alii quantitatem, quam proinde ponunt materię coævam, aut certe illi immediate inhaerentem. Alii ſigillationem quamdam materię commiſcuntur ad particularem effectum, id eſt ad particularem formam, & particularem compositum. Alii inſtantiam localem exigunt inter materiam, & formam, ita neceſſariam, ut neque a Deo ſuppleri poſſit. Alii proportionem inter ſubjectum, & formam, cuius defectu non poteſt intellectio recipi in lapide. Alii demum conditiones alias aſſignant, aut ſuperfluas, aut ſolum ex communi curſu naturę neceſſarias, & a ratione cauſandi non diſtinctas.

ARTICULUS I.

Declarantur cauſalitates materię, & formę in ordine ad ſe invicem.

35. **D**icimus. Et ſi cauſalitas formę erga materiam conſiſtat in unione ejus ad materiam, ſeu activa informatione, & aſſervatione, cauſalitas tamen materię erga formam corruptibilem, quę ſolum cauſatur ab ea, in unione ad eam, aut illius ſimplici receptione, conſiſtere nequit neque in receptione actionis agentis, qua producit formam, ſed in concuſſu eductivo explicato per habitudinem ex quo aliud, ſcilicet forma, tamquam ex ſubjecto educitur. Concl. eſt contra præcitatõs Auſtores, & colligitur ex Doctore in 2. d. 1. qu. 5. litt. S. & 4. d. 13. q. 1. infra B. quibus in locis multos enumerat reſpectus ad mutationem naturalem, & compositi conſtitutionem concurrentes, & ex illis multis, hunc ſolum reſpectum eductionis inhi inſecus advenientem ſignificat eſſe cauſalitate materię erga formam; reſpectu vero informationis activę inſinuat eſſe cauſalitate formę erga materiam, quantum ad illud eſſe ſpecificum, & completum, quod extrinſecę ab ea recipit. Prob. vero Concluſio quo ad omnes ejus partes, & in pri-

mis, quod cauſalitas formę erga materiam quantum ad illud eſſe formatum, & ſpecificum conſiſtat in activa informatione, ſeu unione ejus ad materiam, conceditur ab omnibus, & plane negari non poteſt, quia illa eſt formalis cauſalitas alicujus cauſę, qua poſita, ponitur effectus, & cauſa denominatur formaliter, & actualiter cauſa, at talis eſt informatio activa ex parte formę in ordine ad materiam, quatenus actuata ab ea, ſeu quantum ad eſſe illud formatum, & completum, quod ab ea recipit, ergo in hac conſiſtit formalis ejus cauſalitas, major patet, & probatur minor, quia poſita hac unione formę ad materiam per modum formę in ſubjecto, ſtatim habetur denominatio illa in ſubjecto, a forma procedens juxta ejus naturam, quocumque alio ſecluſo, & ipſa ſecluſa, quocumque alio poſito, non habetur. Quod autem cauſalitas materię erga formam corruptibilem nequeat conſiſtere in unione ejus ad illam per modum ſimplicis receptionis, & paſſivę informationis, probatur. Tum quia cauſalitas, per quam materia cauſat formam, eſt vera cauſalitas, & forma verus effectus ejus, ac proinde importat juxta Scoti principia reſpectum intrinſecus advenientem, at unio materię ad formam eſt reſpectus extrinſecus adveniens ſpectans ad prædicamentum habitus, vel ad prædicamentum paſſionis, ut infra dicemus. Tum quia ex vi cauſalitate effectus dicitur recipere eſſe ſaltem in ratione formę dominantis, at ex vi unionis nullum extremorum dicitur produci, & recipere eſſe, ſed potius ſupponuntur ante unionem exiſtentia, & per unionem intelliguntur recipere eſſe unitum. Tum quia recipiens in eo, quod recipiens, non dat eſſe recepto, ſed potius ex vi talis receptionis aliquid eſſe extrinſecum recipit ab eo, ergo ex vi ſimplicis receptionis formę in materia non poteſt dici forma effectus ejus. Tum quia etiam anima rationalis vere in materia recipitur, vere materia illi unitur, & ab ea informatur, nec propterea ab ea vere cauſatur per talem receptionem, & per talem unionem.

36. Reſp. Suar. l. c. & alii cum ipſo, cauſalitate materię circa formam corruptibilem conſiſtere non in quocumque unione, ſed in unione ſuſtentativa, quę eſt diverſę rationis ab unione cum anima rationali, putat enim in formis corruptibilibus receptionem earum in materia eſſe formaliter ipſam ſuſtentationem, & potentiam receptivam earum in materia non diſtingui ex natura rei a ſuſtentativa.

Sed hoc principium Suar. fuſe conſutavimus diſp. 2. q. 5. art. 4. ubi oſtendimus, potentiam receptivam materię in ordine ad formas corruptibiles eſſe ex natura rei diſtinctam a ſuſtentativa, & priter modum receptionis a modo ſuſtentationis, & iterum qu. 7. ejuſdem diſp. art. 3. in fine, & quando etiam concederemus, modum unionis non eſſe ſpecificę diſtinctum a ſuſtentatione, ſed tantum ſe habere ut rationem genericam, ex qua cum dependentia conſtituatur ſpecies quędam unionis informativę, quę dicitur ſubſtantialis inhaerentia, vel ſuſtentatio, & cum independentia conſtituatur ſimplex receptio, qualis eſt formatio animę, ut Suarez contendit; adhuc non recte explicatur cauſalitas materię erga formam per receptionem, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem, quia unio, & receptio ſecundum ſuam rationem formalem a cauſalitate præcudit; quare melius loquuntur, qui cauſalitate materię erga formam explicant per ſuſtentationem. Quamvis nec iſti absolute bene loquantur: Tum quia ſuſtentatio absolute ſumpta eſt communis tam cauſę materialis, quam efficientis, & unionem,

compositio non esse causalitatem earum in ordine ad illud, sed tantum conditionem sine qua non, quod vero in præfatis relationibus constat, docet 9. Met. q. 4. §. *Sciendum*, &c. & Theor. 22. & non obscure colligitur ex eodem l. c. & in 2. d. 12. q. 1. & in primis, quod in unione consistere nequeat earum causalitas in ordine ad compositum, Prob. 1. quia est materia, & forma non causantur compositum, nisi unirentur, tamen prius nostro naturali modo intelligendi concipiuntur illas unitas, quam causantes, ergo in earum unione non consistit earum causalitas. Prob. assumptum. Tum quia compositum dicitur præfatur ex partibus unitis; Tum quia, ut notat Doctor l. c. ita se habet unio ad causas intrinsecas, ut approximatio ad extrinsecas, sicut enim illæ per approximationem præparantur ad agendum ita illæ per unionem, at approximatio in extrinsecis non est earum causalitas, sed tantum conditio sine qua non, ergo sic etiam unio se habebit in causis intrinsecis. Secundo, si unio est earum causalitas, & non potius effectus, nil remanet Recentioribus assignandum pro termino hujus causalitatis, quia non causant unionem, cum potius hæc sit causalitas, & via ad effectum, materia non causat formam mediante hac unione, ut probatum est conclusionem præcedentem, & concedant Amicus, & Hurtadus; nec forma causat materiam, nec ambæ causant se ipsas, ut unitas, quia hoc est dicere, quod causant unionem in se ipsis, at unio non est effectus, sed causalitas per ipsos. Tertio causalitas se ipsa pendere debet a causa, quam denominat causantem, & si non pendet ab ea, nequit dici causalitas ejus, at unio ista communiter a Recentioribus una statuitur inter materiam, & formam, aliqui in materia eam reponunt, aliqui in forma, sed quocumque modo dicatur, illa pars, quæ non fundat unionem, non fundabit causalitatem in ordine ad compositum, & parum refert, quod eam terminet, quia hinc non inferitur dependentia unionis a tali parte velut a causa, sed tantum velut a conditione, quia, ut supra diximus, relatio non pendet a termino, ut a vera causa sui ipsius. Quarto, iste modus unionis, ut patet ex prædictis, & magis etiam constabit ex dicendis, est respectus extrinsecus, & adveniens, & refert materiam, & formam ad invicem, non ad compositum, & eas denominat unitas, non causantes, ergo non erit causalitas earum in ordine ad compositum, quia talis causalitas, cum sit propriissima, importat relationem secundi modi fundatam super potentiam causativam ex 5. Met. 20. & refert materiam, & formam, ut causas ad compositum, ut ad effectum, & eas denominat formaliter causantes.

43 Remanet igitur, ut materia, & formæ causalitas explicetur per habitudines, ex quibus aliud, nempe compositum constituitur, ex hac quidem tamquam ex parte actuali, ex illa vero tamquam ex parte potentiali; Tum quia per has habitudines explicuit earum causalitates Doct. in 4. d. 1. q. 1. §. *Alia modo*, &c. ubi Landulphi discursum in hoc approbat. Tum quia ubique eas appellavit Philosophus principia in facto esse compositi, addens hujus rei rationem, inquit, quia compositum ex his est. Tum quia id manifeste colligitur ex definitionibus earum, quas ad finem hujus articuli explicabimus, & colligitur etiam ex definitione elementi tradita ab Arist. 5. Met. c. 3. ubi ait, elementum esse, ex quo res componitur primo inexistente, at materia, & forma sunt compositi elementa. Tum quia per hujusmodi habitudines præcise materia, & forma denominantur causantes, & referuntur ad compositum, ut ad effectum, & in universum omnia habent accommodata, ut sunt causalitates compositi. Tum tandem quia intantum constituitur materia, & forma causa compositi, in quantum ejus partes evadunt, ut constituuntur partes compositi per habitudines illas, non per unionem, ergo in illis, non autem in unione consistit earum causalitas. Probatur minor, quia per unionem ad summum dicuntur unitas, & materia simul esse cum forma, non vero aliquid ex his cujus sint partes, nisi per illas habitudines, dici fieri.

Contra hanc Concl. arguitur primo. Causalitas est ea, per quam causa denominatur actualiter causans; sed ab unione partes denominantur actualiter causantes, ergo. Major patet, probatur minor; Tum quia hæc causæ constituunt compositum, communicando se ipsas composito, at hæc communicatio non consistit in alio, quam in unione mutua, nam dum forma se communicat materia, & hæc formæ, constituitur compositum; Tum quia forma constituit compositum, informando materiam, & hæc recipiendo formam, qua ratione dixit Scot. 4. dist. 1. q. 1. sub B. formam esse in materia, est compositum habere esse, at informatio, & receptio, non est nisi ipsamet unio, quæ ex parte materiae dicitur receptio, & ex parte formæ informatio.

44 Resp. negan. minorem, quia per unionem partes denominantur unitas, & ad invicem referuntur, non ad compositum, ad quod solum referuntur in ratione causarum per illas habitudines, ex quibus aliud, tamquam ex partibus; Ad primam prob. neg. minor, quia per unionem una communicatur alteri, non ambæ composito, verum tamen est, ex hac mutua communicatione adinvicem sequi postea communicationem eorumdem composito per illas habitudines, & dum forma communicat materiam, & hæc formæ, per hanc communicationem non constituitur formaliter compositum; sed præsuppositivè tantum, quatenus hæc communicatio necessario præsupponit constitutioni compositi. Ad alteram prob. respondemus similiter, majorem esse veram præsuppositivè, quatenus scilicet materia, & forma compositum non causarent, nisi ista informaretur, & illa informaret, non vero formaliter; falsa est

etiam minor, quod per informationem activam, & passivam significetur idem respectus unionis, cum importent duos respectus, unum in forma, alterum in materia alterius, & alterius rationis, quod postea patebit; Doct. autem l. c. ideo dixit, formam esse in materia, est, compositum habere esse, ut significaret non prius tempore partes esse unitas, quam compositum existat, non autem, quia putaret, unionem esse causalitatem compositi.

Dices, potissimum colligimus causalitatem efficientis esse realiter distinctam ab applicatione ad passum, & unionem formæ, ac materiae esse distinctam realiter ab indistantia, ac dispositionibus, quia saltem per Dei potentiam potest esse causa efficiens applicata abque causalitate, & materia indistans a forma, ac disposita ad ipsam abque unione, ergo cum unio neque per Dei potentiam possit esse abque causalitate materia, & formæ circa compositum, non debet dici, quod causalitas earum circa compositum sit distincta ab unione. Respond. negand. seq. nam eadem ratione possemus inferre totum esse idem realiter cum partibus unitis, quia non possunt dari sine toto, sicuti ergo ex hoc non recte inferitur identitas istorum, ut constabit ex dicendis quæst. ult. hujus disp. ita nec in præfatis rite inferitur realis identitas unionis, & causalitatis compositi. Ratio autem, quare unio materiae, & formæ, quæ est applicatio earum ad causandum compositum, separari nequeat a causalitate ipsa compositi, sicut separatur, vel separari potest applicatio causæ efficientis, est, quia materia, & forma sunt causæ intrinsecæ necessario, & indispensabiliter suum causantes effectum, ut ibidem dicemus, secus est de causa efficiente, quæ est causa extrinsecæ.

Secundo. Posita unione formæ cum materia, & præcisè omnibus aliis, intelliguntur forma, & materia suas exercere causalitates, & sine hac unione, omnibus aliis remanentibus, non possunt intelligi exercere suas causalitates, ergo earum causalitas in hac unione consistit. Antecedens patet in anima rationali, quæ licet sit intrinsecæ præfens corpori, non tamen constituitur hominem, nisi mediante unione substantiali, eaque posita, non potest non constituitur hominem. Confir. quia causalitas partium in compositione consistit, sunt enim causæ totius, in quantum illud constituunt per modum partium, at hæc compositio formaliter aliud non est, quam partium unio, seu partium simul positio, & implicat intelligere materiam formæ unitam, & non compositionem. Demum non alia ratione materia, & forma compositum causant, nisi quia constituuntur partes illius, at non constituuntur partes ejus, nisi per unionem, ergo unio est earum causalitas.

45 Resp. neg. assumptum, quia intellecta unione materiae, & formæ, præcisè habitudinibus ex quibus aliud, nulla intelligitur causalitas, nulla earum communicatio alteri, sed tantum ad se invicem, intelligitur, materiam esse cum forma, non tertium aliquid ex his: verum tamen est, posita unione partium, necessario sequi earum causalitatem, quia tunc intelliguntur in ultima dispositione causandi omnino inimpediibili, eo quia sunt causæ intrinsecæ compositi. Ad Concl. dicimus, compositionem posse sumi dupliciter, vel grammaticaliter, ut sonat nominis etymologia, vel philosophice, ut significat causalitatem partium in ordine ad totum; in primo sensu est vera minor, at falsa in secundo, quia compositio ita inspecta non versatur inter partes, ut unio; sed inter partes, & totum, & ubi compositio in primo sensu est tantum respectus extrinsecus adveniens, in secundo est respectus intrinsecus adveniens. Ad alterum dicimus, materiam, & formam constitui partes totius per unionem solum præsuppositivè, & veluti per conditionem præviam, & necessariam, non vero formaliter, nisi per illas habitudines, ex quibus aliud. Esse enim partem physicam est, esse id, ex quo aliud, non vero id, cum quo aliud, at per unionem materia, & forma constituuntur, id cum quo aliud est conjunctum præcise, non ex quo aliud.

Tertio causalitas principiorum intrinsecorum non consistit in productione alicujus rei causis distinctæ, talis namque causalitas est principiorum extrinsecorum, sed tantum consistit in quadam exhibitione interna, quia secundum suas entitates intime exhibentur suo effectui, scilicet composito, ergo nihil aliud a suis entitatibus unitis causantur realiter distinctum, & per consequens non poterit earum causalitas consistere in tali habitudine ex quo aliud, distincta ab unione partium ad invicem, sed in ipsamet unione præcise.

Resp. neg. assumptum quoad 1. partem, non distinguuntur causæ intrinsecæ ab extrinsecis per hoc, quod istæ causant quid distinctum a suis entitatibus causativis, non illæ, quia de ratione causæ in universum est, quod influat esse in aliud in quantum aliud, & ad proinde quod realiter distinguatur ab effectu causato, sed consistit in hoc, quod ubi extrinsecæ causantes effectum remanent contra illum intrinsecæ causantes effectum, exhibent illi suas entitates, manendo in illo, quare sicut causalitas extrinsecarum consistit in habitudine illa formaliter, quia respiciunt effectum, non vero alias concultas, sic causalitas intrinsecarum in consimili habitudine consistit.

46 Quarto, causalitas præcedit effectum, ut via ad ipsum, saltem prioritate naturæ, at illa duplex habitudo materiae, & formæ, ex quibus aliud subsequitur, velut relatio extrema; ergo: item ante istas habitudines jam compositum præsupponitur causatum. Nec respondere valet, ante illas intelligi causatum fundamentaliter tantum, non formaliter, quia hoc gratis dicitur, habet enim tunc effectus quicquid necessarium est,

ut dicatur esse extra suas causas existens. Demum causalitas compositi debet esse substantialis, at hæc relatio ex quo aliud, est accidens, ergo non potest esse causalitas compositi, sed potius erit unio, quæ est modus substantialis.

Resp. ex prædictis de causalitate in communi, assumptum valere de causalitate fundamentaliter, non formaliter, & ante illas habitudines intelligitur totum fundamentaliter causatum, non formaliter, sicut duæ albedines intelliguntur similes ante res similitudinis, & substantia subsistens ante modum subsistentiæ, & si conceditur modus subsistentiæ, cujus munus sit reddere substantiam formaliter subsistentem, debent etiam pari ratione concedi relationes prædicamentales, quæ res absolutas faciunt formaliter relatas, non enim magis obvia sensibus est subsistentia, quam relatio, ut dictum est in Log. disp. 8. quæst. 3. art. 2. & quælibet causalitas entitative est accidens, & solum terminative dicitur substantialis, quatenus est ad substantiam, sicut eadem ratione mutatio dicitur substantialis, quamvis in se sit accidens. Et denique etiam ipsamet unio materiae, & formæ hæc ratione dicitur substantialis, quia nimirum unit substantias sub ratione substantiali, licet in se sit accidens, ut infra dicemus.

47 Dicimus secundo unam, & eandem esse causalitatem materiam in formam, & utriusque in compositum in fieri, & in facto esse, & sola connotatione, seu habitudine rationis diversam, & solum ex natura rei geminari debere causalitatem materiam erga formam, & compositum, & formam pariter erga materiam, & compositum. Concl. est conformis doctrinæ, quam tradidit Doctor quodl. 12. de Creatione, & conservatioe, & quoad primam partem Probatur; Tum quia creatio, & conservatio non sunt diversæ realiter actiones, & in universum prima rei productio, & ejusdem conservatio; quando res ab eodem causatur, & conservatur, sunt una, & eadem actio, ut Adversarii ipsi fatentur, ergo causalitas materiam erga formam, & utriusque in compositum in fieri, & in facto esse, est causalitas una, & eadem realiter, quia ita contingit in proposito, quod forma pendet ab eadem materia, & compositum ab eisdem partibus in fieri, & conservari; Tum quia hæc ratione dicimus, eadem actione Solem illuminare hunc aërem, cum ei primo applicatur, & deinceps, ergo sic in proposito; Tum quia si istæ sunt duæ causalitates ex natura rei, prima in fieri transiens, & solum durans per instantes, altera permanens, & durans tempore sequenti, hæc inciperet per ultimum sui non esse immediate post illud instantes, quod est contra naturam permanentium; Tum tandem quia relatio realis, qualis est hæc causalitas, non multiplicatur realiter, nisi multiplicatis, aut termino, aut fundamento, sed cum forma fit ex materia, & cum in materia facta est, cum compositum fit ex partibus, & cum ex ipsis factum est, nec fundamentum multiplicatur, nec terminus, ergo neque relatio causalitatis. Quia tamen diverso modo loquimur de forma, & composito in fieri, & in facto esse, hinc deducimus distinctionem per connotata rationis, quæ distinctio oritur ex hoc, quia cum forma primo educitur de potentia materiae, & compositum primo coalescit ex partibus, nedum est respectus materiae ad formam, ut causæ ad effectum, & contra, item respectus amborum ad compositum, ut ad effectum, & e contra, sed etiam respectus alii illorum respectuum ad non esse ipsorum immediate præcedens, ex Scot. in 1. dist. 2. quæst. 5. S. qui cum sint ad non esse, dicuntur rationis, quia non sunt simpliciter reales, & quorum respectuum ad junctionem causalitatis materiae in formam, & utriusque in compositum, dicitur in fieri, & eorumdem cessatione, & aliorum inceptioe ad esse idem præhabitu, eadem causalitas dicitur in facto esse.

48 Deinde debere ex natura rei distinguí causalitatem materiam in formam, & compositum, & formam pariter erga materiam, & compositum probatur; Tum quia forma, & compositum sunt effectus ex natura rei diversi, ergo terminant diversas causalitates, quia ad multiplicationem relationum sufficit multiplicatio terminorum; Tum quia causalitas materiae erga formam est extrinsecæ, ergo compositum intrinsecæ; est causa formæ, ut subjectum, ex quo educitur, est causa compositi, ut subjectum, ex quo inexistente res fit; Tum quia forma prius prioritate naturæ fit, quam compositum, & forma vere causat compositum intrinsecè, non ita causat materiam; Neque hæc inferunt diversas tantum denominationes, sed diversas causalitates ad diversos effectus terminatas, quarum una est alteri prævia.

49 Sed contra hanc Concl. obijcies primo, quod alia sit causalitas materiae in formam in fieri, & utriusque in compositum, alia in facto esse; quia illa causalitas est instantanea, hæc vero coexistit temporis. Deinde quod sit eadem causalitas materiae erga formam, & compositum, quia nec esse, nec intelligi potest, materiam recipere formam, & non componere totum, aut e contra, ergo idem ipse actus recipiendi formam est actus componendi totum, & e contra; Tum quia unus est terminus adæquatus causalitatis materiae, & formæ, nimirum compositum, in quo includitur forma, ut terminus inadæquatus, ergo & una est causalitas adæquata ad compositum terminata, in qua includitur causalitas materiae erga formam.

Resp. ad primum universaliter argere argumentum, quod prima rei productio, & conservatio sint diversæ actiones, & ideo solvi debet juxta communem, quod tantum inferat distinctionem penes connotata rationis, quatenus prima formæ, & compositi causatio ex materia connotat negationem esse prius

non habiti, conservatio vero eorumdem connotat affirmationem esse prius habiti, & coexistit temporis, de quo plura inferius suo loco. Ad secundum licet distincte intelligi nequeat, materiam recipere formam, & non componere totum, præcise tamen intelligi potest, possunt enim concipi partes unitas, & veluti in ultima dispositione constituta ad causandum totum, & licet actus recipiendi formam præsupponatur necessario in materia ad actum componendi totum, idem tamen actus formaliter non sunt. Ad aliud gratis concedimus, causalitatem materiae in formam claudi in causalitate totius, sicuti forma includitur in toto, ut termino adæquato, neque enim volumus, has duas materiae causalitates esse inter se adæquate distinctas, quasi una ad aliam non pertineat; sed talem intendimus inter eas ponere distinctionem, qualis reperitur inter eorum terminos, penes quos distinguuntur.

Ex dictis faciliter colligi potest, quid fit causa materialis, quid formalis, & quæ harum causarum rationem participare possunt. *Causa materialis est principium, ex quo, tanquam ex subjecto, aliquid fit principium*, ponitur loco generis, ex quo ut ex subjecto, significat modum proprium causandi materiae, & ab aliis causis seceratur, res enim dicitur fieri ab efficiente, & propter finem, & quamvis compositum dicatur ex forma constitutum, non tamen tanquam ex subjecto; additur *fit aliquid*, quod dupliciter contingere potest, vel per educationem, & sic explicatur causalitas materiae respectu formæ, vel per compositionem, & sic explicatur respectu compositi; unde rationem causæ materialis sic explicatam non solum participat materia prima respectu formæ substantialis, & compositi, sed etiam subiectum receptivum formarum, accidentalium, qualescumque sint, sive materiales, sive immateriales, nam & formæ accidentales de potentia educuntur suorum subiectorum, & cum eis compositum accidentale suo modo constituunt; & ad hoc genus causæ materialis, licet minus proprie, spectare dicimus partes integrantes respectu totius, elementa respectu mixtorum, litteras respectu sillabarum, terminos respectu propositionum, & propositiones ipsas respectu syllogismi. *Causa vero formalis est principium, per quod materia determinatur, & constituitur compositum in certa specie; principium* ponitur loco generis; per quod, explicat proprium modum causandi formam, non efficiens dicitur a quo, finis dicitur propter quod, materia principium ex quo, forma proprie per quam; per ipsam si quidem & materia perficitur, & compositum in esse completo, & specifico constituitur, qui duo effectus formæ per sequentes particulas indicantur; & rationem formalis causæ sic explicatam nedum participat substantialis forma respectu materiae primæ, & substantialis compositi, verum etiam forma accidentalis respectu sui subiecti, quod suo modo afficit, & determinat ad certam speciem accidentalem, & cum eo constituit compositum per accidens in certa specie accidentali, & ad hoc genus causæ formalis minus proprie reduci solent continuativa respectu partium in toto integrali, copula in propositione, forma extrinsecæ denominans subiectum per simplicem terminationem, ut visio denominans parietem visum; & demum ad hæc duo genera causæ materialis, & formalis reduci solent genus, & differentia, illud enim in compositione metaphysica appellatur pars materialis, ista formalis, minus tamen proprie, & per similitudinem quamdam, quia sicut nec genus realiter distinguitur a differentia, nec rotum metaphysicum a suis partibus, ita vera causalitas inter ea adinveniri non potest.

ARTICULUS III.

Explicantur conditiones utriusque causæ, tam in ordine ad se invicem, quam ad compositum.

50 Supponimus ad causandum, præter rationem proximam causandi, quasdam etiam condiciones intervenire solere, quæ non includuntur in ratione proxima causandi, necessario tamen prærequiruntur, ut causa per rationem proximam causandi exeat in actum; sed hic advertendum est, discrimen esse inter conditionem causantis, & conditionem ad causandum prærequiritam, nam conditio causantis, est non includatur in ratione causandi, est tamen aliquid ipsius causæ, sine quo non causaret, & talis est singularitas, qua proinde a Doctore sæpe sæpius vocatur conditio causantis; quia licet non includatur in ratione proxima causandi, constituit tamen eam in esse singularis, cujus tantum sunt actiones, conditio vero ad causandum necessario prærequiritur, nedum includi non debet in ratione proxima causandi, sed omnino nihil debet esse ipsius causæ, necessaria tamen, ut causa in ordine suo completa in actu exeat; ex quo colligitur, ad conditionem causandi duo requiri, unum, quod nec includatur in ratione proxima causandi, nec sit aliquid causæ, pertinet ad complementum ejus in ordine suo, alterum, quod non sit aliquid posterius ipso effectu, aut sine quo effectus esse possit, sed necessaria sit ad exercitum causæ; si ejus necessitas est absoluta, nec etiam a Deo supplebilis, erit conditio sine qua non absolute necessaria ad exercitum causæ, si non est absolute necessaria, sed tantum regulariter, & secundum communem naturæ cursum, erit conditio sine qua non, secundum quid, & non simpliciter; hoc prænotato.

51 Dicimus, quod existentia materiae, & formæ, licet necessario prærequiratur ad earum causalitatem, tam in ordine ad se invicem, quam in ordine ad compositum, si enim materia non

actu realiter existat, non potest realiter recipere formam; si forma non actu existat, non potest informare materiam, nec utraque simul possunt compositum constituere; si existentes non supponantur, adhuc tamen conditio causandi earum appellanda non est, quia deficit ei primum requisitum ad conditionem, quod scilicet sit extra rationem proximam causandi, cum enim ratio causandi in utraque sit earum entitas, ut per se actus, & potentia extra causas existens, jam patet, existentiam pertinere ad rationem causandi, & ita res se habet univ ersaliter in omni causa physica, quia existentia non est realiter distincta ab entitate rei, sed eius modus intrinsecus. Quantitas vero e contra, neque etiam appellari potest conditio causandi earum, quia deficit ei alteram requisitum, est enim in composito, & sequitur formam cum ceteris accidentibus, ut determinatum est in superioribus; & quando etiam in materia resideret, posset adhuc Deum materiam quantitate expoliare, & formam ex ea educere; & denique si quantitas in materia praexistat, id non est ex indigentia materiae, quasi ea indiget ad recipiendam, vel sustinendam formam, cum ad hoc sufficit extensio eius entitativa, sed potius ex indigentia agentis creati, quod cum quantum sit, nequit disponere non quantum, unde potius erit conditio in materia pro causalitate efficientis, quam ipsius materiae.

Insuper quamvis intima praesentia, & indistantia localis praerogatur inter materiam, & formam, ut forma materiam informet, & utraque compositum constituat, non enim anima a corpore loco dista animat corpus, neque cum eo distanti hominem constituit, at tamen non praerogatur ad causalitatem, quam materia exercet erga formam; Tum quia antequam materia, & forma sint intime praesentes, necesse est, formam esse, intima enim praesentia supponit esse eorum, quae praesentia dicuntur; Tum quia antequam forma fundat intimam praesentiam cum materia, praetelligitur existere, siquidem fundamentum natura praecedat relationem fundatam; Tum tandem quia nulla causa antequam causet, potest dici intime praesens suo effectui, & prius intelligi debet influere esse in illum, & postea illi coexistere in eodem loco, ergo huiusmodi praesentia nequit esse conditio in materia praerogata ad causandam formam; immo neque dici potest conditio formae, quae illam constituat in ultima dispositione ad exercendam causalitatem suam erga materiam, nec conditio utriusque in hoc sensu ad exercendam causalitatem erga compositum, quia potest forma esse intime praesens materiae, ut anima corpori, & tamen non animabit illud, neque cum eo hominem constituit, quia deficit unio substantialis, quae est conditio constituens partes in ultima dispositione ad constitutionem totius.

Illam vero sigillatim materiae ad peculiarem formam aliud non est, quam praeparatio eius per praevisas dispositiones ad hanc, vel illam formam, non enim omnes formae eandem petunt dispositionem, unde videtur haec necessaria conditio, non solum ex parte materiae ad recipiendam formam, sed etiam ex parte formae ad formandum; verum quia huiusmodi dispositiones praevisae potius in genere causae efficientis concurrunt, ut infra dicemus, quam materialis, & si etiam concurrerent in genere causae materialis, potest Deus introducere formam in materia sine praevisis dispositionibus, ideo aut non est censenda conditio causae materialis huiusmodi materiae sigillatim, aut certe non simpliciter necessaria, sed tantum secundum quid, & secundum communem naturae cursum. Nec demum proportio illa, quam alii exigebant inter subiectum, & formam ita necessariam, ut nec a Deo suppleri possit, qua ratione subiectum spirituale formam corpoream recipere nequit, nec e contra, bene appellatur conditio causae materialis, & formalis, cum potius pertineat ad rationem causandi utriusque, ideo enim in lapide nequit intellectio recipi, aut albedo in Angelo, quia nec Angelus virtutem habet, aut potentiam passivam recipiendi albedinem, nec albedo virtutem informativam Angeli; unde patet, huiusmodi proportionem non esse meram conditionem harum causarum, sed quid intimius illis.

52 Remanet igitur, quod materia, & forma duas habeant conditiones ad exercitium earum necessarias, unam communem omnibus causis, tam intrinsecis, quam extrinsecis, alteram peculiarem; prior est ordo, dispositio, & applicatio materiae cum aliis concausis pro necessitate effectus, ita Scotus lib. de primo principio cap. 2. cum enim materia causare nequeat formam, vel compositum, nec formae educi de potentia materiae, & illi uniri, nisi per actionem extrinseci agentis, recte indigent praedicta dispositione, & applicatione cum ceteris concausis, prout postulat existentia effectus; & cum huiusmodi applicatio sit prior effectui, nec includatur in ratione causandi, optima ratione conditio huiusmodi causarum appellabitur. Altera conditio causis intrinsecis peculiaris est unio, hac enim indiget utraque ad causandum compositum, ita ut sine unione partium implicet compositum fieri, & conservari, & cum ex alio capite, nec sit causalitas partium, nec ad rationem causandi earum pertineat, ut constat ex dictis, optima ratione conditio causarum intrinsecarum sine qua non appellabitur, & ita significavit Doctor 3. dist. 2. quaest. 2. F. ubi ait, ita se habere unione in causis intrinsecis, sicut se habet approximatio in extrinsecis, & sicut approximatio ponit extrinsecas in ultima dispositione ad causandum, in eodem statu ponit intrinsecas unio, hinc facillime solvantur rationes, quae pro aliis conditionibus solent adduci a Recentioribus.

Q U E S T I O V.

An Deus suppleve possit causalitatem materialem, & formalem, & in quo genere cause.

53 Supponimus ex dictis, materiam, & formam, duplicem exercere causalitatem, alteram intrinsecam respectu compositi, cuius sunt partes, alteram quasi extrinsecam in ordine ad se invicem modo jam declarato, causalitas earum in ordine ad compositum dicitur intrinseca, quia semetipsas illi communicant per exhibitionem suarum entitatum, se constituendo partes eius intrinsecas; causalitas earum in ordine ad se invicem dicitur quasi extrinseca, quia materia causando formam, non semetipsam illi praebet, sicut dum causet compositum, sed quasi ad modum causae efficientis ab extra influat esse, & quamvis forma materiam suo modo causet, seipsam illi communicando, & exhibendo, non tamen se intime illi communicat, sicut quando constituit compositum, quia non constituitur pars eius; sed tantum in ipsa subiectatur, & extrinsece suum esse formale ei communicat, esse & illud esse per formam materiae communicatum dicitur esse extrinsecum sibi, & adventitium, hoc praenotato.

Dicimus primo in nullo genere causae posse Deum supplere causalitatem intrinsecam, quam materia, & forma exercent erga compositum. Concl. est communis, & colligitur ex Scot. 1. dist. 5. quaest. 2. C. & dist. 8. quaest. 4. X. & alibi, ubi docet causalitatem materialem, & formalem dicere imperfectionem, & praesertim eam, quam circa compositum exercet, illam enim exercent per modum partis, at habere rationem partis imperfectionem dicit, ergo non potest Deus supplere causalitatem intrinsecam materiae, & formae; haec est ratio, qua communiter Doctores utuntur ad huius Concl. probationem. Verum haec ratio non probat universaliter, Deum huiusmodi causalitatem supplere non posse, sed probat solum, supplere non posse in eodem genere causae materialis, & formalis, quia hoc imperfectionem involvit. At non probat, quin supplere possit in eminentiori genere, causae nimirum efficientis, posset enim quis dicere, posse Deum hanc causalitatem supplere in genere causae efficientis sublati imperfectionibus, quemadmodum Concl. sequenti dicemus, posse hoc modo supplere causalitatem extrinsecam materiae in formam, & de facto supplet in Sacramento Eucharistiae sustentando accidentia, & gerens vicem materiae in genere efficientis causae. Addendum igitur est, neque in genere causae efficientis posse a Deo hanc causalitatem suppleri, eo quia materia simul cum forma includuntur in composito quidditative, & sunt de essentia illius, qua de causa nec efficere potest Deus, nec conservare compositum sine partibus: unde non solum ratione imperfectionis, sed etiam ratione implicationis hoc denegatur omnipotentiae Dei.

Sed obijcies, omnis causa secunda pendet a Deo in essendo, & causando, ergo cum quacumque concurrat iuxta speciale modum causandi illius, atque ideo cum materiali, & formali, in genere causae materialis, at quicquid agit cum causa secunda, potest se solo facere, ergo, &c. Resp. negando consequentiam, concurrat utriusque cum quacumque causa secunda, sed non semper in eodem genere causae, praesertim quando imperfectionem involvit, tunc enim concurrat modo eminentiori, nimirum effectivo; & verum est, Deum se solo facere posse, quicquid agit media causa secunda generis efficientis, & etiam alterius generis, ubi tamen non intervenit specialis repugnantia, sicut est in proposito de causalitate intrinseca materiae, & formae. Sed urgebis Scot. in 1. dist. 5. quaest. 2. loc. cit. dicentem, totum genus causae materialis reduci in Divina Omnipotentia ad genus causae efficientis, & in 4. dist. 12. quaest. 1. E. inquit, Deum continere eminenter effectus aliarum causarum, & posse causare perfectiori modo scilicet effectivo, quod ipsae causant modo imperfecto, & loquitur praesertim de effectui in genere causae materialis. Respondetur, Doctorem loqui loc. cit. de causalitate extrinseca materiae in ordine ad formam, non autem de intrinseca in ordine ad compositum, quia in hac intervenit specialis repugnantia, unde cogitari nequit modus, quo a Deo suppleri possit in genere causae efficientis, sicut cogitur de causalitate extrinseca.

54 Dicimus secundo in nullo genere causae, posse Deum supplere causalitatem extrinsecam formae in materiam. Est communiter recepta, & colligitur ex Doctore loc. cit. praesertim 1. dist. 8. quaest. 4. X. ubi inquit, imperfectionis esse, quod forma in creaturis sit forma informans aliquid; cuius ratio est, quia esse causam formalem alicuius subiecti hoc sensu, formaliter importat esse actum, & perfectionem ordinatam ad periciendum aliud realiter distinctum, quae etiam perfectio non potest a forma communicari subiecto a se realiter distincto, nisi medio unionis modo in ipsa recepto, sed utrumque istorum importat imperfectionem, ut patet, ergo non potest Deus hanc formalem causalitatem extrinsecam erga materiam supplere. Sed haec ratio, si bene ponderetur, probat solum, non posse Deum supplere hanc formae causalitatem in eodem genere causae, & ideo addenda est alia ratio, quae etiam convincat, id fieri non posse in genere causae efficientis; Effectus istius causalitatis, non est quid entitative distinctum ab ipsa forma existente in subiecto, & pariter esse album, nil aliud est, formalissime loquendo, quam habere in se albedinem, nec alius modus

aus excogitabilis est, quo subiectum tale denominetur per intrinsecam denominationem, nisi recipiendo in se formam, sed talis effectus praestari non potest a Deo suppleri; probatur minor, quia modus causandi causae efficientis fit per productionem effectus ab ea realiter distincti, & non per communicationem suam entitatis subiecto, in quod agit. Hinc etiam est quod repugnat separari causam formalem a suo effectui formali primario, quia implicat, dari calorem in aqua, & aquam non esse calidam, & e contra aquam esse calidam, & non habere calorem, hoc enim est esse calidum, quod habere calorem.

Sed contra obijcies; Tum quia secundum communem, formam unitur materiae per unionem ipsam, quae est in materia, ergo poterit Deus semetipsum unire subiecto absque ulla mutatione, & imperfectione receptionis per solam extrinsecam terminationem unionis materiae in existentis; Tum secundo, quia licet de essentia substantiae creatae sit aliqua imperfectio, scilicet ratio modi, potest tamen Deus seclusis imperfectionibus supplere vices illius etiam in eodem genere, & de facto supplet Verbum divinum in natura assumpta, ergo a simili licet sit aliqua imperfectio involuta in essentia formalis causae, poterit tamen Deus sublati imperfectionibus eam supplere; Tum tandem quia in forma, quod ipsa sit, quo aliquid est tale, non est imperfectionis, sed potius perfectionis, ut docet Doctor loc. cit. unde per sapientiam dicitur sapiens, per iustitiam iustus, ergo potest Deus supplere causalitatem formae, cum haec nullam involvat imperfectionem, quantum attinet ad denominandum subiectum tale.

55 Resp. neg. assumptum, ut enim infra patebit, non potest forma uniri subiecto sine aliqua mutatione sui, & haec mutatio non fit, nisi per receptionem unionis, qua intrinsece virtute agenti dicitur formaliter unita subiecto, quod informare debet; & sane si per solam terminationem potest forma uniri subiecto, & illud informare absque ulla prorsus sui mutatione, non apparet aliunde ratio convincens, cur Deus non possit seipsum unire subiecto per modum formae informantis. Ad secundum negatur paritas de substantia, & causa formali, si enim substantia aliquam involvit imperfectionem, hoc habet ea ratione, qua creata est, non qua substantia est, & ideo potest a Verbo suppleri in ratione substantiae, at causa formalis in suo conceptu essentiali, quatenus talis, imperfectionem involvit nimirum esse actum ad alterius perfectionem ordinatum, cui uniri debeat ad talem perfectionem elargiendam. Ad tertium ex Scot. loc. cit. respond. causam formalem, seu formam informantem duo habere; & quod sit informans, id est pars componibilis cum subiecto, quod informat, ut cum eo faciat compositum per se, vel per accidens; & quod sit id, quo aliquid formaliter est tale, & licet hoc non sit imperfectionis, illud tamen primum imperfectionem importat, & hinc est, cur Deus nequit dici causa formalis, nec eius causalitatem subire.

Dicimus tertio neque posse Deum supplere causalitatem extrinsecam materiae in formam in proprio genere, bene tamen in alio genere, scilicet efficientis causae. Colligitur ex Doctore loc. cit. & est communis. Quod suppleri nequeat in genere causae materialis etiam extrinsece, probatur. Quia haec causalitas est educio, & sustentatio formae, quae omnino exerceri non potest, nisi per subiectionem rei sustentantis ad rem, quam sustinet, si enim exerceret sustentantia subiecti respectu accidentis, quod subiectum habet in se accidens, & accidens illi inhaeret, & hoc se habet ut potentia, illud ut actus, hoc ut receptivum, illud ut receptibile, hoc ut perfectibile, & illud ut perfectivum, ut Deum hoc modo in seipso formam recipere, & sustinere, est prorsus impossibile, ergo non potest causalitatem hanc materialem in eodem genere supplere.

Resp. Fonseca, qui oppositum sustinet 5. Met. cap. 2. qu. 8. sect. 4. & quaest. 12. sect. 2. posse causalitatem materialem, quae dicitur sustentantia, etiam ab ipsa materia exerceri erga formam distantem, vel saltem non in se receptam, & in hoc sensu concursum materialem sustentativum nullam dicere imperfectionem, atque ideo posse a Deo suppleri, etiam in eodem genere causae. Sed certe responsio haec implicatoria est, nulla enim, ut nunc dicebamus, esse potest sustentantia materiae erga formam, nisi in se recipiat illam, & illi subijciatur, nam si forma est ab ea loco dista, quem influxum, quae, potest materia in eam exercere in genere causae materialis, & sustentantia ex parte subiecti ita se habet, quod ei correspondet inherencia actualis ex parte formae, at haec dari nequit sine unione intima formae ad subiectum, ergo nec illa.

Quod autem supplere possit Deus hanc causalitatem in genere causae efficientis, probatur; Tum ex venerabili Sacramento, ubi quantitas existit, licet non subiectionem in materia, quae ibi non est; Tum ostendendo modum, quo potest a Deo fieri tale supplementum in genere efficientis causae; potest enim fieri conservando formam sine unione ad materiam per solam actionem conservativam, qua formam illam in subiecto antea conservabat, & cessando ab influxu conservativo subiecti, vel unionis, haec enim sola actio continuata sufficit, ut forma substantialis, vel accidentalis etiam sine subiecto existat in rerum natura.

56 Sed contra obijcies, quod possit Deus, & debeat supplere causalitatem materialem extrinsecam in eodem genere causae; Tum quia causalitas efficientis causae, nec formaliter, nec eminenter continet causalitatem materialem, ergo si hanc

supplet Deus, supplere debet in proprio genere; Tum secundo, quia causa materialis est essentialiter subordinata a Deo, non minus, quam efficiens, ergo sicut ratione istius subordinationis causalitas efficiens suppleri potest a Deo in proprio genere, ita causalitas materialis; Tum tandem quia sustentantia formae exerceri potest absque ulla prorsus imperfectione receptionis; Verbum namque Divinum naturam humanam sibi unitam dicitur sustinere absque ulla prorsus imperfectione inde contracta.

Resp. negan. assumptum ex Scoto 4. dist. 12. quaest. 1. E. & jam insinuavimus modum eminentiorem, quo potest a Deo suppleri materiae causalitas in formam, ita nimirum, ut forma, quae prius a Deo conservabatur in subiecto, incipiat deinceps sine concursu subiecti sustentantis a sola causa efficiente dependere, & sola eius virtute in rerum natura existere. Ad secundum satis censetur essentialiter subordinata Deo haec materialis causalitas, dum possit a Deo suppleri in eminentiori genere causae. Ad tertium manifesta est disparitas, quia Verbum longe diverso modo sustinet humanam naturam, ac materia sustinet formam, & alterius omnino rationis est unio, quae reperitur inter naturam, & Verbum, ab ea, quae reperitur inter materiam, & formam; concurrunt enim subiectum ad formam recipiendo, & subiectando illam, Verbum vero tantum terminat unionem naturae ad seipsum, & unio naturae ad Verbum dicitur hypostatica, unio subiecti ad formam dicitur materialis, scilicet potentialis ad actum, perfectibilis ad perfectivum.

Sed urgebis, causalitas materiae in formam est extrinseca, sicut causalitas efficientis, ergo si hanc supplere potest in proprio genere, etiam & illam. Resp. non valere paritatem, quamvis enim haec materiae causalitas assimiletur efficienti in hoc, quod utraque causa est suo effectui extrinseca, quatenus cum intrinsece non componunt; causa tamen efficiens quodam peculiari modo dicitur etiam extrinseca effectui, quod non indiget unione naturali cum ipso, quod materiae convenire non potest, quae potius suapte natura unionem efflagitat cum suo effectui, scilicet forma, eam in se recipiendo, & sustinendo.

Q U E S T I O VI.

An possit eadem materia simul informari pluribus formis substantialibus.

57 Movetur quaestio de formis substantialibus tam subordinatis, quam disparatis; duobus enim modis cogitari possunt plures formae se habere in eodem subiecto, vel ita ut unaquaeque immediate unita sit materiae primae, vel una mediante alia, veluti praevisis dispositione, quo sensu docuimus supra disp. 2. quaest. 4. art. 2. formam corporeitatis in quolibet vivente praecedere animam; primo modo, quia nullum inter se ordinem servant, dicuntur formae disparatae in ordine ad idem subiectum; secundo modo, quia ordinem servant perfectioris, & imperfectioris formae dicuntur subordinatae.

Recentiores fere omnes, quibus praevit Suarez in Metaph. disp. 13. sect. 3. & disp. 15. sect. 10. tenent, non posse dari in materia plures formas ita inter se ordinatas, ut una sit dispositio ad aliam, quia repugnat formae substantiali esse dispositionem ad susceptionem alterius, unde insinuant, neque hoc possibile esse per absolutam Dei potentiam; de formis vero disparatis ajunt, quod licet naturaliter sit impossibile, quod simul informant eandem numero materiam, supernaturaliter tamen concedunt esse possibile, ita Hurtad. disp. 4. Phys. sect. 3. Ruvius tract. 2. de forma quaest. 7. Averis quaest. 20. sect. 3. Amicus tract. 6. de forma quaest. 6. dub. 5. Complut. 1. Phys. disp. 4. sect. 6. Arriaga. disp. 3. Phys. sect. 6. & alii quamplures. Opposita sententia de formis subordinatis est Scot. in 4. dist. 11. quaest. 3. art. 2. ubi tenet, non solum impossibile non esse, plures formas subordinatas in eadem materia reperiri, sed de facto ita esse in omnibus viventibus, in quibus praeter animam necessario est admittenda forma mixta, & haec esse dispositionem in genere causae materialis, veluti ratio recipiendi in ordine ad animam, specificat Doctor in 4. dist. 1. quaest. 5. E. & dist. 11. quaest. 3. sub HH. De formis vero disparatis Thomistae passim docent esse prorsus impossibile, quod plures simul eandem informant materiam; ita Compl. cit. Jo. de S. Thom. quaest. 10. Phys. art. 5. Manca 2. Phys. quaest. 8. dub. 5. & alii; sed in schola nostra est contentio inter Scotistas de mente Doctoris, alii liquidem volunt, id esse possibile de potentia Dei absoluta, ita Sghemma 1. Phys. digress. 7. quaest. 14. concl. 2. & videtur consentire Tromb. 8. Met. quaest. 2. §. Dico ergo aliter quaest. &c. ubi dum ait, impossibiles esse plures formas specificas, & ultimas in materia, specificat, id esse intelligendum naturaliter. Alii negant, id esse possibile, etiam supernaturaliter, ita Fuentes 1. Phys. quaest. 4. dist. 3. art. 1. citans Aretinum 1. Phys. quaest. 24. & ait, esse communem inter Recentiores Scotistas Arriag. e contra disp. 3. Phys. numer. 112. ait non videre rationem efficacem, cur id repugnet naturaliter.

Resolutio Quæstionis de formis subordinatis.

88 **D**icendum est, plures formas substantiales subordinatas posse simul informare eandem numero materiam, & ita de facto contingere naturaliter in compositis animatis. Concl. est Scot. loc. cit. quem sequuntur omnes Auctores citati disp. 2. qu. 4. art. 2. & est ita evidens, ut quamvis omnes Patres Societatis unanimiter oppositum defendere solerent, hac tempestate incipiunt nostram sequi sententiam, quam egregie defendit Pater Coninch. de Sacram. quæst. 76. art. 2. & Pater Dandinus 2. de Anim. tex. 11. digress. 8. part. 3. testatur, esse peripateticam sententiam, & quia ibi satis fuisse probata est, hic solum ostendemus, formis substantiis talem subordinationem non repugnare, immo de facto in ipsis reperiri, & primo probari potest hæc subordinatio formæ mixti ad animam ex definitione ipsius radia ab Arist. 2. de Anim. tex. 6. Anima est actus corporis physici, organici, ex quo deducitur, animam esse perfectionem corporis, & non immediate materiam primam, & materiam primam per formam mixti præcedentem disponi, & præparari ad animæ receptionem.

Deinde probatur, Nam priusquam anima corpori infundatur, ipsum debet esse organizarum, ut omnes concedunt, at illa organizatio non est in pura materia prima, sed in composito, quod dicitur Embrio, in quo postea tamquam in proprio, & adæquato perfectibili anima infusa recipitur, ergo forma Embriensis subordinatur animæ veluti prævia dispositio, quia materiam primam disponit, & proportionatum perfectibile constituit.

Respondent, formam Embriensis expelli formaliter per animam introductam, cui formaliter repugnat. Sed contra, quia forma una non expellit aliam, nisi quia ei contrariatur, ut patet in formis accidentalibus, sed formæ substantiales non contrariantur sibi mutuo, nisi ratione dispositionum, quas requirunt, & qualitarum, quas secum deferunt, ergo si anima expellit formam embriensis, hoc erit ratione dispositionum, quas ad sui introductionem requirit, sed hoc esse non potest, quia eadem penitus qualitates embriensem conservant, & perscivunt, ac materiam disponunt ad animæ introductionem. Deinde etiam si forma embriensis in adventu animæ expelleretur, quamvis non foret tunc dispositio ad animæ introductionem in ratione receptivi, esset tamen prævia dispositio in eo sensu, quo nos ponere solemus qualitates prævias dispositiones ad introductionem formæ, etiam si ponamus illas corrumpi in adventu formæ substantialis, ergo saltem evitare nequeunt, quod in hoc sensu una forma substantialis non sit de facto prævia dispositio ad aliam formam substantialem. Denique hanc concl. tenent, quicumque afferunt, tres animas in homine formaliter reperiri, dicunt enim unam esse alteri subordinatam, ut rationem recipiendi aliam, non enim rationalis reciperet in corpore, nisi prius actuato per sensitivam, nec sensitiva reciperet in eo, nisi prius actuato per vegetativam.

59 **C**ontra hanc Concl. præter rationes, quæ directe faciunt contra formam corporeitatis, relatas disp. 2. cit. sunt alia, quæ directe faciunt contra hanc subordinationem formarum in eadem materia, ac proinde sunt hic solvenda. Primo igitur obijciunt, quod unus entis est unicam esse, ergo unica forma, quia forma dat esse, ergo in eodem composito non sunt plures formæ subordinatæ.

Resp. Scotus loc. cit. pluralitatem formarum subordinatarum non obstat unitati compositi, sufficit enim ad hanc unitatem, ut tantum una sit forma ultima, & completa, quæ solutio est Philosphi 4. Meteor. in fine ubi dicit, solam ultimam formam esse absolute formam, & actum; intermedias autem esse etiam materias. Contra obijciunt 7. Metaph. cap. de unitate definitionis ait Philosph. quod in substantiis non est ordo, ergo una forma substantialis non ordinatur ad aliam. Resp. negam. conseq. solum enim ibi ait Philosph. ut notat Bassol. 2. dist. 17. quæst. 1. ad 3. quod addere priorem differentiam posteriori, ut dicendo, homo est animal, rationale, sensitivum, in definitione substantiali non est ordo, sed potius negatio, & deordinatio. Contra respon. Scot. obijciunt Cajet. part. 1. quæst. 76. art. 4. hinc sequi, quod una res absoluta, & simpliciter sit, & adhuc fiat, sit per primam formam, quæ substantialis est, ac proinde dat esse simpliciter, & fiat simpliciter etiam per adventientem, nam & hæc est forma substantialis. Resp. non esse inconveniens, eandem rem esse simpliciter, sed incomplete per formam præcedentem, & fieri, simpliciter complete per ultimam, & si per esse absolute, & simpliciter intelligit ultimam esse non amplius substantialem perfectibile, negatur, quod res sit simpliciter, & absolute per formam præcedentem. Contra, replicat Cajet. quod Scotus abutitur terminis, quia apud Philosophos ly simpliciter significat sine addito, unde quod simpliciter est apud Philosophos, habet suum complementum substantiale. Resp. Doctor ipse, etiam apud Arist. 1. de Gener. 12. sumi ens simpliciter, & pro omni entitate, cuius oppositum, scilicet non esse simpliciter, est purum nihil, & prout opponitur enti secundum quid, quo sensu omnis forma substantialis est ens simpliciter, & in hoc sensu plura esse simpliciter in eodem composito esse possunt.

60 **S**ecundo, sequeretur, quod forma substantialis daret esse accidentale, quia adveniret enti in actu, & ita a forma ac-

cidentaliter non distingueretur. Resp. Scot. cit. esse, quod adveniret enti in actu completo per ultimam formam, est esse accidentale, quia iam tota rei essentia constituta est, unde aliud essentialiter ad ipsam pertinens addi non potest; sed quod adveniret enti in actu incompleto quod adhuc substantialiter perfici potest, non est accidens, sed ultima forma. Contra 5. Phys. tex. 8. quod movetur, est, quod generatur, non est, sed educio ultimæ formæ est generatio, ergo id, ex quo educitur, vel in quod inducitur, non est simpliciter, alioquin haberet esse, sicut & illud, quod movetur. Resp. Doctor, sensum illius propositionis assumptæ a Philosopho esse, quod subjectum generationis necessario caret esse simpliciter completo, eo quod substantialiter perfici potest, quo non caret necessario id, quod movetur, vel alteratur, cum non petat substantialiter perfici, quatenus est subjectum motus, vel alterationis.

Sed iterum contra allatam resp. obijciunt Hurt. §. 30. materia cum illa forma est ens completum, ergo forma subsequens dat esse accidentale, & constituit ens per accidens, Probat. antecedens, quia quævis forma, cum sit individua, pertinet ad physicam speciem athonam, ergo constituit speciem completam; Tum quia est materia, & actus ejusdem generis; Tum quia neque lapis, neque inanimata essent species completa; Tum tandem quia nihil deficit illi formæ, ut non sit actus speciei completa, sicut est forma lapidis, præsertim cum sit nobilior, & perfectior illa. Resp. neg. assumptum. Ad prob. negatur conseq. cum suis probationibus, quia materia, & actus ejusdem generis reductive non constituunt speciem completam, nisi sit actus ultimus, & completus; lapis vero, & inanimata sunt species completa, quia eorum forma sunt ultima, & completa, non ordinabiles ad ulteriorem actum in eodem genere; & hæc ultimitas est illa, quæ deficit formæ embriensis, v. gr. ut non sit actus speciei completa, sicut est forma lapidis, nec oportet, ait Bassol. cit. ad secundam formam perfectiorem dare esse magis completum nisi in formis ultimis, sed tantum esse perfectius.

61 **T**ertio repugnat, unam formam substantialem esse dispositionem ad susceptionem alterius, & aptam esse ad aliam suscipiendam; Tum quia tunc forma esset materia, & materia posset informare aliam materiam, quod est confundere munera actus, & potentie substantialis; Tum secundo, quia hoc modo præcluditur via refellendi opinionem ponentem formam corporeitatis materiam coævam, & tres animas formaliter in homine, dicunt enim isti, formam corporeitatis subordinari omnibus formis, & unam animam alteri; Tum tandem quia de ratione formæ substantialis est, ut constituat rem in esse certo, & determinato, perfecto, & completo, & propterea dicitur quodquid est rei, ergo repugnat sibi esse alteri subordinatam, quia tunc daret esse imperfectum, & incompletum.

Resp. negando assumptum, videmus enim formam embriensis disponere materiam ad susceptionem animæ. Ad primam probat. dicimus, non esse inconveniens, eandem formam substantialem esse formam sui subjecti, & recipere aliam formam sicut in accidentalibus, quantitas est forma substantialis, & subjectum qualitates; neque ob id confundunt munera materiam, & formam; munus enim materiam primæ est, ut sit principium primum patiendi, sive primum subjectum, quod munus nunquam potest competere formæ, & munus ultimæ formæ in aliquo ordine est, ut non sit subjectum alterius formæ in eodem ordine, quod materiam primam convenire nequit, materia enim prima non potest esse forma alterius subjecti, bene tamen dari potest forma veluti media, quod sit subjectum alterius formæ, & simul sit forma sui subjecti prioris juxta doctrinam Philosphi relatum 4. Meteor. in fine. Ad secundum negatur, præcludi viam refellendi illas opin. licet enim ex hoc capite non præcludatur, præcluditur tamen ex aliis, quia scilicet forma corporeitatis in non viventibus supervacanea est, ut fuisse probatum est disp. 2. cit. & vegetativa, ac sensitiva superflua ponuntur in homine; cum virtualiter contineantur in intellectu, ut dicitur in lib. de Anima, quod dici nequit de forma mixti respectu animæ. Ad tertium negatur, esse de ratione formæ substantialis in communi, quod constituat rem statim in esse perfecto, & ultimo, sed de ratione illius est, quod det constituto esse simpliciter, ut esse simpliciter contradistinguitur ab esse secundum quid, quod a forma accidentali tribuitur, ut Scot. docet 4. dist. 11. quæst. 3. Dd. quando vero communiter dicitur, formam esse quodquid est rei, & illam complete constituit, & specificæ ab aliâ distinguit, hoc intelligi debet de forma ultima, quæ sola absolute est forma, & forma nuncupatur, intermedie enim, & subordinatæ dicuntur potius materiam ex Arist. cit. 4. Meteor. & definitio formæ, quod sit quodquid est rei, licet per se primo conveniat formæ ultimæ, quæ absolute dicitur forma, potest tamen commode applicari etiam istis formis subordinatis, quæ etiam dant esse simpliciter, & per se, licet non ultimam, & perfectam, vide dicta disp. 2. quæst. 1. art. 3.

62 **Q**uarto arguitur; Tum quia materia, & forma sic adinvicem ordinantur, & unica materia ad unicam ordinatur formam, ergo plures recipere non potest; Tum secundo, quia forma mixti non facit cum materia, si in ea præcedit animam unum ens completum, alioquin non posset materia rursus actuari per animam, ergo abeunte anima non potest materia manere naturaliter cum sola illa forma, sicut non potest manere sine ulla prioris forma, ratione suæ incompletionis; Tum tandem quia quando a diversis formis sumitur prædicatio, vel est prædicatio per accidens, ut potest

si formæ non sunt per se ordinatæ, ut homo est albus, vel si formæ sint per se ordinatæ, est prædicatio per se secundo modo, ut superficium est coloratum, ergo si genus accipitur ab una forma, & species ab alia, quod oportet dicere, ponendo plures formas in homine, sequitur, quod prædicatio generis de homine non erit prædicatio per se primo modo.

Resp. ad primum unicam materiam immediate recipere formam, quæ si incompleta sit ad perfectionem ordinari potest, & sic ipsa non dimissa; sed retenta quasi prævia dispositione, potest materia aliam suscipere formam. Ad secundum licet forma corporeitatis non faciat cum materia ens completum, & in actu formaliter ultimato, perficit tamen illam substantialiter, quia ultra actum entitativum, quem de se habet, constituit eam in actu formali, & ideo abeunte anima, bene potest manere materia naturaliter cum sola illa forma, quia non remanet in rerum natura materia pura, sed constitutum ex materia, & mixtionis forma, & quidem longe diversa est conditio materiæ nudæ, & constituti ex materia, & forma mixtionis, materia enim nuda est pura potentia omnino subiectiva, excludens quæcumque actum formalem, & ideo naturæ viribus per se consistere non potest, cum ordinata sit, ut semper sit cum forma: illud vero, quod ex materia, & forma mixtionis constitutum est, quamvis dum ordinatur ad animam, habeat rationem materiæ, re tamen vera non est materia sola, sed compositum, & ideo recedente anima per se consistere potest. Ex qua doctrina solvitur instantia, quæ a quibusdam fieri solet contra id, quod diximus de necessitate naturali connexionis materiæ cum forma disp. 2. quæst. 3. art. 1. quod nempe aliquo modo oriatur ex incomplete materiæ; hoc enim deducunt eadem ratione, neque corpus pro alia parte animata compositi posse naturaliter anima exui, vel si hoc fieri potest, etiam & illud, nempe materia sine forma, non est enim par ratio de materia, & corpore pro altera compositi parte, ut ratio dicimus in lib. de Gener. disp. 5. q. 3. art. 1. n. 81. Ad tertium ait Doctor, per hoc non probari, nisi quod prædicatum acceptum a forma posteriori non dicitur per se de prædicato sumpto a forma priori, sicut hæc non est per se, homo est albus, & animal est homo, quia una harum formarum non includit aliam; non sequitur tamen, quod genus per se non prædicetur de specie, quia hæc, est importet prædicatum sumptum a posteriori forma idem differentiam, non tamen præcise illud, sed etiam genus includit.

63 **Q**uinto tandem obijciunt quædam axiomata philosophica, quibus præsertim Suarez, & alii induci sunt ad negandum pluralitatem formarum in composito, 1. de Gen. cap. 3. inquit Philosph. quod generatio unius est corruptio alterius, & contra, ergo in adventu animæ corrumpitur forma embriensis, & cum corrumpitur animal, statim generatur cadaver, & 1. de Gener. tex. 23. ait, quod generatio est mutatio totius in totum nullo sensibili manente ut subjecto eodem, in quo differt ab alteratione, ergo cum generatur animatum, nullum sensibile, quod præstat, manet, & idem dicitur, quando corrumpitur.

Resp. primum axioma Arist. esse verum, vel mediate, vel immediate, ut notat Tatar. 1. de Gener. tract. 2. quæst. 1. not. 4. in inanimatis verum est immediate, in animatis mediate, ut enim notat Cavellus disp. 1. de Anim. sect. 4. Arist. hanc maximam inducit ad probandum æternitatem generationis sine infinita materia, unde sufficit sibi, quod ad quamcumque corruptionem sequatur saltem mediate generatio, & ad quamcumque generationem præcedat saltem mediate corruptio, & utrumque habetur sine generatione cadaveris in interitu animalis, & sine corruptione embriensis in ejusdem ortu, sic enim nunquam cessabit generatio, & sufficit finita materia, quod solum intendit Philosph. Vel 2. dicitur cum Tromb. 8. Met. quæst. 2. art. ultim. ad 5. & Bassol. cit. ad 1. principale, valere Arist. dictum de corruptione, & generatione totali, non partiali; vel quod corruptio unius est generatio alterius, aut in fieri, aut in facto esse, & ita nihil corrumpitur quæcumque corruptione, sive partiali, sive totali, nisi aliquid generetur, vel in fieri, vel in facto esse, quæ responsio colligitur ex Scoto 4. dist. 2. quæst. 3. sub Hh. Vel 3. dicitur cum Mercenario, & Zab. in generatione animalis embriem corrumpi secundum quid, & in ejusdem interitu generari cadaver secundum quid, quatenus scilicet a veniente anima, forma embriensis non amplius fungitur officio formæ, sed potius materiam, & anima recedente, incipit denuo fungi officio formæ, & in hoc sensu solum verificatur hæc propositio in animatis. Vel demum cum Ragus. Resp. Arist. illud dixisse, ut ostenderet, materiam nunquam reperiri nudam, quare generatio subsequens semper est necessaria, quotiescumque imminet periculum, ne materia maneat sine forma, quod periculum non adest in animalis interitu, cum remaneat materia sub forma mixti. Quod autem non sit vera universaliter illa propositio, patet in accidentibus multis, quorum generationem nulla comitatur corruptio, nec corruptionem generatio, ejusmodi sunt lumen in aere, species in medio &c. de quo agimus disp. 5. de Gen. & Corrupt. n. 103.

Ad aliud axioma, generatio est mutatio totius in totum &c. dicitur cum Tatar. cit. dub. 1. Philosph. ibi loqui de sensibili completo, aut de generatione inanimatorum, quorum tantum exempla ibi afferunt. Vel dicendum est, Philosophum intelligere velle, quod in nulla substantiali generatione potest idem remanere commune subjectum utriusque formæ, scilicet recedentis, & subsequens aut remanentis, nisi sola materia pri-

ma, quæ sensibilibus non est, & ita contingit etiam in ortu, & interitu animalis, quod idem sensibile non maneat subjectum utriusque termini, hoc est, formæ corporis, & animæ, adveniente enim anima, corpus est subjectum, sed recedente, fit totum, & sola materia remanet subjectum formæ mixti, ita respondet Zab. Vel tandem dicitur, Philosophum loqui de generatione totali compositi animati, sed hoc axioma in libr. de Gen. & Corrupt. ex professo exponimus disp. 5. cit. n. 32. vide ibi & Bassol. 2. dist. 17. quæst. 1. ubi non tantum solvit rationes allatas, sed etiam subtilissime retorquet ex compositione Metaph.

Postremo Arriag. cit. disp. 3. Phys. sect. 6. nedum hanc nostram sententiam impugnat, verum etiam irridet, contra quem serio agimus disp. cit. de Gen. & Corrupt. qu. 3. art. 1. ubi fufe ejus dicacitati, & argumentis occurrimus, quæ non oportet hic repetere.

ARTICULUS II.

Resolutio quæstionis de formis disparatis.

Dicendum est, quod licet naturaliter nequeant plures formæ substantiales disparatæ specie, vel numero diversæ in eadem materia conjungi, possunt tamen de potentia Dei absoluta; Conclusio quoad primam partem colligitur ex Scot. 2. dist. 15. qu. un. infra A. & licet probatione non egeat, suaderi tamen potest, quia naturaliter formæ diversæ, & disparatæ diversas requirunt dispositiones, ac impossibiles, ergo naturaliter simul conjungi nequeunt, sicut neque earum dispositionum prærequisitæ, & in ejusmodi formis naturaliter verum est generationem unius semper esse corruptionem alterius; Ceterum Arriag. cit. disp. 3. Phys. n. 98. & 112. inquit hanc rationem non valere, quia opus non est, ut formæ disparatæ petant oppositas dispositiones, sufficit enim si disparatas, quæ invicem non repugnant: immo probabile putat in ferro candente de facto reperiri simul formam ignis, & ferri, quod pleribus ibi probat, quod si hoc non admittatur, ait saltem non repugnare in rerum natura duas formas substantiales, quæ non petant contrarias dispositiones, & impossibiles, posset enim esse forma substantialis media inter formam ignis, & ferri, quæ cum forma ferri sit compossibilis, & sicut in aqua ferventi constituit cum ejus forma calor intensus, cur non posset consistere alia forma substantialis eum calorem exigens pro dispositione? quare n. 113. concludit rationem hujus impossibilitatis esse contrarietate dispositionum non esse desumendam, sed ex incapacitate materiæ ratione suæ virtutis limitatæ, quæ non potest duas formas substantiales, quæ maximam dicunt perfectionem, simul sustinere; potest autem plures accidentales, quia hæc non requirunt tantam virtutem, ut sustententur, quantam substantiales.

Verum hæc sua ratio omnino vana est; tum quia falsum est, ut mox dicemus, potentiam materiæ esse ad hanc, vel illam formam limitatam cum potius quantum est de se, sit ad omnes prorsus illimitata, unde cum unam recipit, adhuc retinet capacitatem ad aliam; tum quia falsum est formas substantiales majorem virtutem requirere in materia, ut sustententur, quam accidentales, quia universaliter forma quo plus habet inbærentiæ, eo est minoris consistentiæ, & ideo majorem requirit in subjecto virtutem, ut sustentetur: cum igitur accidentia minus, quam formæ substantiales consistant, majorem in materia requirunt virtutem sustentativam, & formæ substantiales minorem, unde argumentum potius est ad oppositum; retinenda itaque est ratio a nobis allata ex impossibilitate dispositionum deducta, quamvis enim non omnes formæ contrarias petant dispositiones, eo tamen ipso quod sunt disparatæ, adeo diversas petunt dispositiones, ut ea diversitas ad istam possibilitatem sufficiat, etiam si directe non repugnent, & ita docemur ex naturali rerum cursu, juxta quem generatio unius est corruptio alterius; & omnino falsum est in ferro candente reperiri simul formam ignis, & ferri, ut ostendimus contra Arriag. disp. 4. de Cælo quæst. 4. art. 3. ex quo loco dissolvi possunt quæcumque hic afferunt Arriag. ad probandum oppositum; an vero dari possit forma illa media inter ignem, & ferrum, quæ cum forma ferri sit compossibilis parum ad rem attinet; sufficit nobis secundum communem naturam formam non dari, quæ sit cum alia compossibilis.

Quo ad alteram partem, in qua est tota difficultas, colligitur ex Scoto in 4. dist. 10. quæst. 2. sub P. ubi concedit, id fieri posse a Deo, quidquid ibi dicat Tataricus, neque in 2. responsione ad idem argumentum revocat, quod dixerat in prima, sed inquit solum ex casu ibi posito non sequi, eandem materiam informari duabus formis disparatis. Hæc est communior opinio, & probabilior; & probatur evidenti ratione, quia ut visum est disp. 2. quæst. 5. art. 3. licet sit unica potentia materiæ, non tamen est limitata ad hanc, vel illam formam, sed indeterminata, & illimitata ad omnes, unde cum unam recipit, adhuc retinet capacitatem ad aliam, non tamen potest aliam simul, & semel recipere, quia naturaliter una forma disparata aliam expellit, ergo impedimentum, cur materia non possit informari simul, & semel duabus formis disparatis, non oritur ex natura illius ab intrinseco, sed provenit ex parte formarum, quarum sicut effectus primarius est informare materiam, ita effectus secundarius est, unam expellere aliam, sive impedire naturaliter, ne alia informet simul cum ipsa, sed sic est, quod hic effectus secundarius impediri potest a Deo,

Deo, sicut impeditur potest in genere quantitatis, ponendo duas quantitates in eodem loco, & in genere qualitatis, ponendo duo contraria in eodem subiecto, quia utrumque fieri potest a Deo, ut suo loco dicemus, ergo poterat æque bene poni in materia duæ formæ disparatæ.

Respondent aliqui, non quemcumque effectum secundarium formæ posse divinitus impeditur, nam ad positivam entitatem lapidis sequitur necessario negatio cuiuscumque alterius formæ disparatæ, sicut ad entitatem hominis sequitur necessario negatio aſinitatis, atque ideo poſita forma lapidis in materia, non poterit simul poni forma panis, cum forma lapidis secum deferat necessario in eodem subiecto negationem formæ panis. Negant etiam paritatem assumptam de duobus contrariis in eodem subiecto, & duobus corporibus in eodem loco, nam cum contrariæ sint formæ accidentales, & non dent esse simpliciter, sed secundum quid, non est inconveniens, quod simul informant idem subiectum, ex hoc enim solum sequitur, quod idem sit in pluribus speciebus accidentalibus, quod nec etiam naturaliter inconvenit, si sint accidentia disparata, & non opposita, at poſitis in materia duabus formis substantialibus disparatis, idem esset simul, & semel in duplici specie essentiali, quod implicat.

65 Hæc responſio nihil profus valet, alioquin etiam probaret, duas formas accidentales disparatas, ut albedinem, & dulcedinem in eodem subiecto esse non posse, nam albedo secum deferat negationem cuiuscumque alterius formæ, atque ita cum ipsa nulla alia forma consistere posset in eodem subiecto. Aliud igitur est loqui de negatione effendi aliud, & de negatione effendi cum alio, quælibet forma in subiecto secum deferat necessario, & inseparabiliter primam negationem, quia hæc sequitur suam entitatem, per quam est talis forma, & non alia, & cum subiecto constituit tale compositum; & non aliud; Sed non deferat secum necessario negationem effendi cum alio, alioquin quæcumque forma in quocumque subiecto esset incompossibilis cum alia forma, quod patet esse falsum. Ita igitur in proposito forma lapidis in materia duplicem modo dicitur negationem formæ panis, nimirum negationem effendi illam, & negationem effendi cum illa, prima negatio a Deo impeditur non potest, nam fieri nequit ut entitas formæ lapidis non sit distincta, & alia ab entitate formæ panis, altera tamen negatio bene potest a Deo impeditur, quia consistit in expulſione, & actuali incompossibilitate unius formæ cum alia.

Paritas etiam in argumento assumpta de duobus contrariis in eodem subiecto, & corporibus in eodem loco omnino negari non potest, nam sicut expulſio contrariorum ab eodem subiecto, & quantitatum ab eodem spatio est effectus secundarius illarum formarum, & ideo a Deo impeditur, ita etiam expulſio, & actualis incompossibilitas formarum substantialium disparatarum in eadem materia est effectus secundarius illarum, & a Deo impeditur. Nec sequitur, idem esse in duplici specie essentiali, nam si eadem materia sit simul sub forma panis, & lapidis, ipsa semper foret in una dumtaxat specie sibi intrinseca, & essentiali, scilicet sub specie incompleta materiæ, & reductivæ tantum, ac extrinsece esset sub pluribus disparatis, scilicet lapidis, & auri, sicut substantia lactis est reductivæ sub specie albedinis, & dulcedinis; si vero loquamur de suppositis ex ipsa constitutis, unumquodque esset in sua propria specie lapis sub specie lapidis intrinsece, & essentialiter, & panis sub specie panis.

66 In oppositum conatur Adversarii ostendere, id implicare, sed non omnes ex eodem capite implicantiam deducunt. Primo communiter ex eo capite deduci solet implicantia, quia ex tali conjunctione compositum inde resultans esset simul, & semel unum, & plura, specie, & numero, nam propter identitatem materiæ, unum iudicari deberet, specie, & numero, specie quidem, quia materia non est minus pars essentialis compositi, quam forma, numero vero, quia 5. Met. cap. 9. ea sunt unum numero, quorum materia est una; propter diversitatem vero formarum deberet dici plura numero, quare compositum istud esset veluti Chimera, & Hircocervus, quia nec proprie posset dici plura, nec proprie unum, quia duæ formæ completæ non possunt per se unum constituere.

Resp. nullam ex hoc sequi implicantiam, ex tali enim conjunctione constituerentur simpliciter plura composita, & supposita inter se simpliciter distincta, ut colligitur ex Scoto cit. 2. dist. 15. quæst. unic. sub A. quia sicut de facto, quamvis materia panis, & lapidis sit eadem specie, non propterea lapis, & panis dicuntur eadem specie, quia identitas specifica attenditur solum penes integritatem rei essentialiam, non penes partem illius, aut si etiam penes partem attenditur, non penes partes determinabiles, & potentiales, qualis est materia, sed determinantem, & actuantem, qualis est forma, huius enim proprie est constituere in specie, & specie distinguere unum constitutum ab alio, & sicut etiam de facto, quamvis eadem numero materia transeat a forma aque ad formam aeris, non idcirco aer, & aqua dicuntur idem compositum numero ob identitatem materiæ, sed adhuc dicuntur numero, & specie diversa ob solius formæ diversitatem, ita etiam in casu nostro, quamvis eadem foret materia utriusque compositi, scilicet panis, & lapidis, composita tamen forent inter se simpliciter diversa specie, & numero, & solum secundum quid eadem dici posset ob identitatem materiæ; quando vero Philosoph. ait, illa esse eadem numero simpliciter, quorum materia est una, non loquitur

de materia partis, sed de materia sumpta pro differentia individuali; ut docet Scot. 2. dist. 3. q. 6. Q. R. quæ in proposito essent diversæ, nam unitas materiæ partis non infert unitatem materiæ totius, alioquin genitum deberet dici idem numero cum corrupto, cum habeat eandem numero materiam.

Hinc patet, Sghemmam loco citato minus recte dicere, quod tale constitutum esset simpliciter unum; Tum quia implicat, lignum, & aurum, hominem, & leonem esse simpliciter idem numero suppositum; Tum quia Scot. 2. dist. 15. inquit, quod si essent plures formæ elementares in eadem materia mixti, cum hæc sint suapte natura completæ, quælibet constitueret proprium suppositum, & sic in mixto essent plura supposita; Tum quia ex Scoto 3. dist. 8. qu. unic. & quol. 11. sub Ff. & alibi sæpe, multiplicatio formæ, & suppositi necessario multiplicat concreta, ergo cum hic adit multiplicatio formæ, & suppositi, debentur necessario multiplicari concreta, & licet adit unitas subiecti, hoc non refert, quia concreta substantialia sunt absoluta a subiecto, & solum connotativa respectu suppositi. Nec materia sic informata esset Chimera, vel Hircocervus, hæc enim sunt res impossibiles, quia cogitantur velut composita per se resultantia ex duabus naturis completis, ut Hirci, & Cervi, quod implicat omnino, at in casu nostro composita, quæ fierent, coalescerent ex naturis incompletis, scilicet materia, & forma, ex materia enim cum hac forma resultaret unum per se compositum, & ex eadem cum alia disparata aliud quoque compositum disparatum.

67 Secundo, alii ex alio cap. implicantiam ostendunt, quia ex tali conjunctione sequeretur, duo supposita posse de se invicem dici, nam ideo dicitur, hoc album est dulce, quia duo accidentia sunt in eodem subiecto, scilicet in lacte, ergo si duæ formæ substantiales sunt in eadem materia, supposita inde resultantia, dicerentur de se invicem, ut quod lapis est panis, & e contra, homo est aſinus, &c. supposito, quod huiusmodi formæ disparatæ sint in eadem materia, sed hoc implicat, quia de ratione suppositi est, esse incommunicabile ut quo, & ut quod.

Resp. negando conseq. ad cuius probat. dicimus, diversam esse rationem de duabus formis accidentalibus in eodem subiecto, & duabus substantialibus in eadem materia, cum eam formæ accidentales in subiecto eodem explicentur nominibus connotativis, ut patet de albedine, & dulcedine in lacte, consequenter in eis potest fieri mutua prædicatio, ut quod album est dulce, cum enim utroque nomine idem connotetur subiectum, consequenter etiam verum est dicere, quod album est dulce, at forma substantialis in materia non explicatur nomine connotativo, & adjectivæ tento, sed absoluto, & substantive tento, dicimus enim lapis, panis, aſinus, &c. quare si plures invenirentur in eadem materia, non posset fieri mutua prædicatio, quod si nominibus connotativis, & adjectivæ tentis ipsa quoque explicarentur, ut dicendo, equinatum, impanatum, humanatum, &c. in hoc sensu fieri potest mutua prædicatio, dicendo, humanatum est aſinatum, sensus enim est, quod subiectum informatum forma humana, est etiam informatum aſinina, sicut e contra, si composita accidentalia nominibus absolutis possent appellari, non posset utique fieri mutua prædicatio, quia licet sit idem subiectum, quod afficitur albedine, & dulcedine, non tamen est idem compositum accidentale, quod resultat ex lacte cum albedine, & ex eodem cum dulcedine.

Sed urges: Dens, & homo sunt nomina absoluta, & tamen quia sunt unitæ ista duæ naturæ in eodem supposito, dicuntur de se invicem, ut patet in Christo, ergo pariter in proposito. Resp. negan. sequelam, quia hæc nomina significancia naturas integras substantiales sunt absoluta subiecto, & connotativa respectu suppositi, unde cum in Christo sit unum, & idem suppositum utriusque naturæ, valet mutua prædicatio, at in casu nostro duo supposita forent, & ideo fieri non posset mutua prædicatio, quia ut duæ naturæ essentialiter diversæ prædicentur de se invicem etiam in concreto, non sufficit habere eandem materiam, sed oportet, esse in eodem supposito.

Sed adhuc instat Fuentes cit. art. 1. in fine, ex hoc sequi, unum suppositum alteri supposito communicari, quia pars essentialis, & numerica unius, scilicet materia, est actualis pars alterius. Resp. negando, hinc sequi communicationem suppositi, nam etiam modo de facto materia unius suppositi est alteri communicabilis distinctum, nec propterea suppositum, cuius actu est pars, dicitur communicabile, quia aliud est loqui de supposito, aliud de partibus eius; suppositum enim est id, quod dicitur alteri incommunicabile, non vero partes eius.

68 Tertio, Ex alio cap. alii huius conjunctionis repugnantiam ostendunt; nam si idem corpus humanum duabus animabus rationalibus informaretur, vel operante uno supposito aliud quoque operaretur, vel non, primum dici non potest; tum quia forma est ratio, & principium actionis, cum igitur sint diversæ formæ, poterit forma unius suppositi esse principium actionis in suo supposito, & non alia in suo, nec videtur unde peti debeat hæc necessaria connexio operationum; tum quia si operante uno supposito, etiam necessario operaretur & aliud, neutrum erit agens liberum, & alterum sæpe sæpius ager invitum, quod repugnat rationali supposito. Sed neque potest dici secundum, cum enim major pars actionum humanarum sint organica, operante uno supposito, operabitur etiam & aliud, cum organum, per quod exercetur actio, sit commune utriusque ex hypothesi.

Deinde

Deinde adhuc major repugnantia apparet, si ponatur idem corpus informati anima ovis, & canis, nam viſo lupo, non potest determinate dici, quid ageret, nam perfequeretur, vel fugeret; immo si idem corpus informaretur anima ovis, & lupi, explicari non potest, quomodo se haberent hæc duo supposita in agendo; & adhuc incredibilia magis sequerentur, si idem corpus informaretur anima rationali, & brutali.

Resp. ex doctrina, quam tradit Scotus in 4. dist. 10. qu. 2. infra R. loquens de corpore eodem in pluribus locis existente, quomodo se haberet in operando, & patiando, quod cum homo duo actionum genera exerceat, organicas, ut videre, audire, dormire, &c. & inorganicas, ut intelligere, & velle, dicendum est, quod si idem corpus informaretur duobus formis humanis, ut v. gr. anima Francisci, & Antonii, quoad actiones inorganicas uno operante, non necessario operaretur & alter, quare Franciscus considerante aliquod objectum posset Antonius non illud considerare, sed aliud, præsertim in secunda motione, in qua non indiget anima phantasmatis tanta necessitate, ut in prima, quia ad considerationem requiritur attentio ex parte animæ, quæ attentio ut plurimum pendet a voluntatis imperio; similiter posset Franciscus aliquod objectum velle, & Antonius non velle, immo illud odire, & sic posset unus mereri, alter demereri, unus esse doctus, alter ignarus. Quo autem ad operationes organicas, dicendum est, quod vel illæ duæ animæ sunt æqualis virtutis, vel inæqualis in movendo potentias exteriores per voluntatis imperium; si sunt inæqualis virtutis, itaut anima Francisci vincat in movendo potentias exteriores animam Antonii, tunc ambulante Francisco, etiam Antonius ambulabit, licet invitus, ob resistantiam tamen factam a voluntate Antonii, Franciscus tardius ambulabit, & in hoc ostendit Antonius propriam libertatem, nec ulum est inconveniens, quod violentiam patiat in actibus externis, [quo enim ad huiusmodi actus imperatos concedunt omnes, voluntatem posse vim pati; si vero anima Francisci, & Antonii sunt æqualis virtutis, & unus ambulare velit, alter non, unus huc ambulare, alter illuc, tunc, ut ait Scot. cit. in simili, vel unus impedit alterum, vel ambo agent ad quemdam effectum medium, & quod dicitur de ambulatione, etiam de aliis operationibus externis, & organicis dici debet.

Ad Confir. quando dicimus, eandem materiam posse pluribus formis specie disparatis informari, loquimur de formis inanimatarum, quibus omnibus commune est idem specie subiectum, & perfectibile, & sæpe sæpius idem numero successive eadem nempe materia prima; non loquimur autem de animalibus specie diversis, quæ corpora, & perfectibilia specie diversa exposcunt, neque enim corpus, quod est aptum perfectibile pro anima hominis, est aptum perfectibile pro anima bruti, nec corpus perfectibile pro anima agni est aptum pro anima lupi, quia huiusmodi perfectibilia inter se specie distinguuntur, ut dicimus in libr. de Anim. unde repugnantia, cur corpus lupi non possit informari simul, & semel anima ovis, non solum ortum ducit ex repugnantia formarum adinvicem, quam Deus posset impedire in actu secundo, sed etiam ex incapacitate materiæ, quæ suapte natura determinata est ad illam formam specie. Sed si daretur hoc etiam fieri posse, ut concedunt Amicus, & Sghemma loc. cit. tunc considerandum esset, quænam anima esset majoris virtutis in agendo, & dicendum, servata proportione, quod nuper dicebamus de actionibus organicis Francisci, & Antonii, si informarent eorum animæ eandem materiam.

69 Quarto ex alio cap. conatur Fuentes cit. num. 36. ostendere repugnantiam, pro qua ostendenda adducit doctrinam Scot. in 3. dist. 1. quæst. 2. §. Ad questionem, &c. ubi docet implicare; quod eadem natura humana triplici divina personalitate dependeat, quia in dependentibus essentialiter implicat, unum dependens a pluribus dependere, alioquin a singulis dependeret essentialiter, & totaliter, & non dependeret; cum igitur una personalitas adæquate terminet dependentiam naturæ in ratione communicabilis, non potest eadem natura simul alia personalitate personari; cum igitur in casu nostro (substantia Fuentes) quævis forma sit completum principium, & totale informativum materiæ, appetitum ejus satians, & adæquate actualis implicabit, eandem materiam alia adæquata forma simul actuari, alias materia in informatione totaliter dependeret, & non dependeret.

Resp. negando paritatem, nam natura vere dependet ad suppositum in ratione communicabilis, sed materia non dependet a forma, cum forma non det esse materiæ, sed composito, unde poſitis in materia pluribus formis, non sequitur, idem dependere a pluribus causis totalibus, cum materia secundum suam entitatem non sit effectus formæ, ut patet ex superioribus; Et profus falsum est, quamcumque formam satiare appetitum materiæ, & esse actum adæquatam ejus, cum omnes oppositum doceant, præsertim Doctor 1. dist. 1. quæst. 1. prope finem, & 2. dist. 14. qu. 1. B. & alibi sæpe.

Sed instat Fuentes num. 37. non obſtare, quod forma non det esse naturæ, sed composito, quia neque substantia dat esse naturæ, sed supposito, & tamen secundum Doctorem nequeunt tres substantia eandem numero naturam terminare. Rursus materia existit complete ratione formæ, nam quamvis habeat suum primum actum, complete tamen non existit sine forma, ergo saltem quantum ad hunc effectum existendi complete, & formaliter, dependeret totaliter ab una forma, & non dependeret totaliter, quod implicat.

Resp. hunc Auctorem secum pugnare, nam paritatem de forma respectu materiæ, & substantia respectu naturæ, quam tenere contendit num. 37. negat postea num. 42. ubi docet ex Doctore, suppositum se habere ut causam respectu naturarum, & ideo tres substantias eandem naturam terminare non posse, sed non ita se habere formam respectu materiæ, & si natura nullo modo dependet a supposito; jam argumentum Doctoris vanum profus est. Et ex eo quod materia existat complete, & formaliter ratione formæ, non sequitur ob id, unum, & eundem effectum a pluribus causis totalibus dependere, si pluribus formis simul informaretur, quia tunc materia non haberet unam tantum existentiam formalem, sed tot, quot formas haberet, & unaquæque formalis existentia, quæ est materiæ extrinseca, penderet totaliter a sua propria forma.

70 Quinto objicitur; Tum quia si materia posset suscipere duas formas disparatas simul; vel talis potentia esset naturalis, vel obedientialis; non primum, quia tunc naturaliter posset plures recipere formas; neque secundum, quia potentia dicitur obedientialis in ordine ad agens, non in ordine ad formam; Tum secundo, quia si potest simul duas recipere formas, ergo pari ratione tres, quatuor, & infinitas, quod infinitum argueret perfectionem in materia; Tum tertio, quia ex duobus entibus in actu completo non fit unum per se, ergo materia informata duabus formis disparatis non constituit cum eis duo entia per se, nec unum per se, sed tantum unum per accidens; Tum denique quia non potest eadem forma simul informare plures materias, ut dicemus qu. seq. ergo nec eadem materia pluribus formis.

Resp. ad primum, potentiam materiæ in ordine ad formas disparatas esse naturalem, quia ab illis etiam simul suapte natura nata est perfici, & quod simul non perficiatur, non est ex materiæ incapacitate, sed ex formarum incompossibilitate; in ordine vero ad agens est obedientialis, quia talis potentia simultatis non potest ad actum reduci, nisi ab agente supernaturali, quod solum vincere potest actualem repugnantiam unius formæ cum alia. Ad secundum conceditur sequela de infinitis formis in potentia, hoc est, non tot, quin pluribus, & negatur, hoc arguere infinitam perfectionem in materia, quia potentia passiva a toto genere nullam dicit perfectionem, ut Scot. docet in 3. dist. 14. quæst. 2. in fine. Ad tertium concessio antecedente, negatur consequentia, quia in casu nullo ens completum alteri unitur, ut ab illo perficiatur, quia neutra forma recipit aliam, sed unaquæque recipitur immediate in materia, & cum ea constituit unum ens completum, unde resultant duo entia completa per se, nec ullum hic intervenit ens per accidens, sed ad summum erunt duæ formæ per accidens unitæ, seu conjunctæ in eadem materia. Ad quartum negatur paritas, & rationem disparitatis assignamus quæst. seq.

71 Postremo Compl. cit. cum aliis Thomistis sic arguunt: effectus formæ secundarius est a Deo indispensabilis, sicut primarius; nam habet cum primario tam intimam connexionem, ut non foret primarius, nisi subsequatur secundarius, non enim ob aliud privatio vitæ intime, & indispensabiliter sequitur ad formam cadaveris, nisi quia si semel non sequeretur, non daret primarium effectum, scilicet esse cadaveris; implicat enim idem esse vivum, & vita privatum. Confr. quia de ratione formæ substantialis, ut actus primus, est quod componat unum per se, & det primum esse, seu esse simpliciter, sed nisi subsequatur effectus secundarius, scilicet expulſio præexistentis formæ, non posset forma duo illa præstare, quæ præstant ad effectum primarium, ergo effectus secundarius est cum primo indispensabiliter connexus. Probatur minor, quia enim materia per primam formam est in actu, non potest cum sequenti unum per se constituere, nisi prior expellatur; quod enim advenit enti in actu completo, non facit unum per se cum eo, & cum per illam formam habeat jam materia esse simpliciter, & primum, non potest aliud esse simpliciter a sequenti recipere, nisi prior expellatur, illud enim unicum est, cum illius rei unicum sit esse simpliciter, & completum.

Resp. negando assumptum. Ad prob. dicimus, in viventis intentu nullam formam cadaveris de novo gigni animæ incompossibilem, sed solum corporeitatis formam remanere sine anima; quod si daretur hæc forma cadaveris, tunc negandum esset, quod non sit compossibilis cum anima in eadem materia de potentia Dei absoluta, nec sequitur, idem tunc futurum simul vivum, & mortuum, quia, ut diximus, ex talibus formis disparatis cum materia coalescerent diversa simpliciter composita, non unum; & quando etiam concederetur, hæc duas esse profus impossibiles ob specialem oppositionem inter eas versantem, non idcirco idem quoque de cæteris asserendum est, quia in eis non talis oppositio reperitur. Ad Confir. neg. minor. Ad probat. dicimus, etiam formam posteriorem constituere cum materia, in qua manet adhuc prior, unum per se, quia forma posterior non recipitur in toto constituto ex priori cum materia, sed in eadem materia immediate, unde resultat novum ens completum a priori diversum, & quamvis unius rei unicum sit esse simpliciter, & completum, quando hoc est ei intrinsecum, & essentialiter, non tamen quando est extrinsecum, & adventivum, sicut est esse simpliciter, & substantiale, quod forma materiæ tribuit.

QUE.

An una, & eadem forma substantialis possit informare simul plures materias.

72 **L**oquimur de una, & eadem forma, sive hæc sit divisibilis, ut sunt omnes formæ substantiales educæ de potentia materiæ; sive indivisibilis, qualis est anima rationalis, & non dubitatur de pluribus materiis inadæquatis, & partialibus conjunctis, clarum enim est, quod sic unitæ constitunt unam adæquatam perfectibilem unius numero formæ, & ita de facto in animantibus eadem numero anima informat plures materias inadæquatas, & partiales, carnem, ossa, nervos, &c. unam totalem, & adæquatam constituentes. Dubium igitur est de pluribus materiis, quarum singulæ sunt adæquate uni animæ, an v. gr. una, & eadem anima possit informare plura corpora, quorum quodlibet est adæquatam perfectibilem ipsius; & potest esse etiam dubitatio de pluribus inadæquatis, si forent ab invicem divisæ, & distinctæ, an scilicet una, & eadem anima informare possit simul plures ejusdem corporis partes ab invicem distinctas, & loco distinctas. Partem affirmantem sustinent de potentia Dei absoluta Ruvius loc. cit. quest. præc. & Amicus ibidem, & iterum tract. 11. de causa formali quest. 7. dub. 2. ubi pro hac sententia refert Fonseca in Met. Suar. in 3. part. Murcia 2. Phys. & alios, & sequitur ex nostris Sghemiam cit. Negantem sustinent quamplures Thomistæ, Compl. Jo. de S. Thom. Manca, sed cæteris accuratius Mafius 1. Phys. disp. de principiis sect. 3. quest. 4. & etiam communiter Scotistæ cum Scoto in 3. dist. 2. quest. 2. §. Contra hoc obicitur, &c. ubi tenet de quacumque forma in universum tam substantiali, quam accidentali, plures materias adæquatas simul informare non posse, ubi etiam sequitur Licher, & Fuentes loc. supra cit. art. 3.

ARTICULUS I.

Resolutio questus quo ad potentiam naturalem.

73 **D**icendum est, naturaliter unam, & eandem formam, nedum non posse simul informare plures materias adæquatas, & totales, verum nec etiam partiales, & inadæquatas, si sunt ab invicem divisæ, & separatae. Concl. quo ad utramque partem communis est assertoribus utriusque sententiæ, & quo ad primam partem Prob. Tum quia informatio non potest fieri sine existentia in loco, sed una forma non potest existere naturaliter in pluribus locis adæquatis, ergo nec informare simul plures materias adæquatas; Tum, quia major est dependentia formæ a materia, quam corporis a loco, ergo si idem corpus nequit esse naturaliter in pluribus locis, minus eadem forma in pluribus subjectis adæquatis esse poterit; Tum etiam quia naturaliter potest corrupti in una materia, & non in alia, si v. gr. in uno loco adsit agens contrarium dispositiones corruptens, & non in alio; Tum tandem quia id non est supernaturaliter possibile, ergo nec naturaliter.

Potes, an saltem successive hoc sit naturaliter possibile, idest an possit naturaliter contingere, quod eadem numero forma successive plures materias informet, ut art. præc. dicebamus de materia, quod eadem numero successive informatur pluribus formis. Negative etiam ad hoc respondendum est, immo talis transmigration non solum est naturaliter impossibilis in formis omnino a materia pendentibus, quæ proinde eo ipso, quod a materia divelluntur, corrumpuntur 2. Phys. 12. sed etiam impossibilis est in formis a materia independentibus, quales sunt animæ rationales, unde dogma illud, vel potius paradoxon pythagoricum de transmigratione animarum, non solum ab Ecclesia damnatum est in Concilio Later. sub Leone X. sed etiam in vera Philopha ab Arist. 1. de Anim. tex. 53. Nec est eadem ratio de materia, & forma, materia enim potest successive plures habere formas, quia ad id munus instituta est a natura, ut scilicet sit idem commune subjectum omnium formarum, at formæ institutæ sunt ad varietatem compositorum constituendam, unde & variæ sunt, & pro eorum varietate variæ etiam postulant dispositiones in materia, a qua ita pendent in sua existentia, si ab illa educatæ fuerint, ut illas divellere a subjecto sit eas destruere. Verum est, in nutritione diversarum materiæ portiones successive eadem anima informat, at hæc non sunt plures materie totales, & adæquate, de quibus hic loquimur, nec informantur ut plures; sed ut cæcitates, & integrantes, cum aliis unam numero totalem, & adæquatam.

74 Quoad secundam partem etiam Prob. nostra Concl. nam continuatio partium materiæ est peculiaris quædam dispositio necessaria ad informationem, unde in animalibus perfectis videmus, quod membrum abscissum eo ipso, quod separatur a toto, cessat informari ab anima, in insectis vero, aliisque naturalibus compositis, quorum formæ sunt prorsus divisibiles, si materia dividatur, dividitur etiam & forma, unde non amplius remanet eadem numero forma, quæ prius, sed per talem divisionem, sicut fiunt plures numero materiæ, ita fiunt plures numero formæ, unde in tali casu dici nequit, quod eadem numero forma informet plures materias inadæquatas ab invicem divisas, sed potius, quod quælibet numero particula formæ totalis prioris jam divisæ, informat suam particulam materiæ sibi adæquatam.

In oppositum obicitur primo, quod possit eadem forma naturaliter informare plures materias adæquatas, & totales; Tum quia quælibet forma habet naturalem aptitudinem ad informandam quamlibet materiam: sicut e contra quælibet materia distincta ab alia, est ex se capax cujuscumque formæ, etiam earum, quæ sunt in alia materia; ergo sicut per agens naturale hæc aptitudo formæ in ordine ad hanc materiam totalem reducitur ad actum, ita poterit reduci simul in ordine ad aliam; Tum secundo, quia de facto anima rationalis informat corpus pueri, ut perfectibile adæquatam, & quando pervenit ad ætatem virilem, informat corpus duplo majus, ergo tuac informat plures materias adæquatas, & totales; Tum tandem, quia quo causa est perfectior, eo se pluribus communicare potest, sed forma est perfectior materia, ergo si materia naturaliter potest successive communicari pluribus formis, poterit naturaliter forma eadem pluribus materiis totalibus se communicare.

Resp. ad primum formam habere illam aptitudinem disjunctam, sicut etiam e contra habet materia capacitatem plurimum formarum disjunctam, & ideo ab agente naturali non potest nisi disjunctim forma applicari ad hanc, vel illam materiam informandam. Ad secundum negatur assumptum quoad primam partem, quia anima rationalis determinat sibi naturaliter materiam quo ad maximum, quem terminat non attingit homo in pueritia, & ideo quamvis corpus pueri dicatur adæquatam perfectibile animæ illius, ut contradistinguitur a suis partibus integralibus, non tamen dici potest adæquatam perfectibile, quasi sit terminus, circa quem tota, & totaliter exhauritur virtus informativa illius animæ. Ad tertium resp. majorem esse veram cæteris paribus, sed in proposito est omnino disparatio de materia, & forma, ut supra dictum est, potest enim materia plures habere formas successive naturaliter, quia a natura instituta est, ut sit idem commune subjectum omnium formarum, at formæ institutæ sunt pro varietate compositorum, unde nec simul, nec successive potest naturaliter eadem forma plures informare materias.

75 Deinde obicitur, quod possit eadem forma naturaliter informare plures materias inadæquatas divisas, & discontinuas; Tum quia dum homini caput amputatur, experientia docet, caput illud nedum moveri sed sæpe sapius loqui, sed hujusmodi operationes nequeunt esse nisi ab anima, ergo naturaliter pars abscissa informatur ab anima; Tum secundo, quia potest Angelus naturaliter esse in pluribus locis discontinuis inadæquatis, ergo etiam anima rationalis in pluribus materiis inadæquatis, etiam si divisæ sint, & separatae; Tum tandem experientia docet, quasdam partes animalis abscissas, ut nasum, & auriculas, denuo animari, si iterum toti conglutinentur, ergo, &c.

Resp. ad primum neg. conf. fatentur enim omnes, in his casibus motum illum, & locutionem non ab anima provenire, quæ caput abscissum adhuc informet, sed a spiritibus animalibus, qui cum adhuc calidi sint, & impetus de recenti sibi ab anima impressum retineant, motum illum efficiunt, & alias actiones, quæ videntur vitales, licet vere tales non sint, ut sifus in lib. de Anim. Ad secundum neg. etiam cæciter, unio enim partium materiæ est dispositio quædam naturaliter necessaria, ut exerceatur informatio cujuscumque formæ, non autem unio partium loci, ad hoc ut Angelus sit in loco, præterquam quod assumptum non est omnino certum; præsertim vero ad informationem animæ naturaliter exercendam præter unitatem partium materiæ requiritur integritas organorum, quia est actus corporis organici, at in casu præter defectum unitatis, adest enim defectus integritatis organice necessario requiritur ad informationem animæ, quæ naturaliter non est apta informare corpus sine capite, nec e contra. Ad tertium dicimus, potius oppositum probare, quia ostendit, nasum, & auriculam debere corpori conjungi, ut iterum animetur, signum evidens, continuationem partium materiæ esse necessariam dispositionem naturaliter pro animæ informatione.

ARTICULUS II.

Resolutio questus quoad potentiam supernaturalem.

76 **D**icendum est, quod licet per divinam potentiam possit una numero forma plures informare materias divisas, & discontinuas, nequaquam tamen informare potest plures adæquatas, sive divisas, sive unitas. Concl. quoad primam partem est fere communis Auctoribus utriusque sententiæ, & Prob. 1. ex illa miraculo D. Dionysii, cujus corpus sine capite vivens ambulavit per aliquot miliaria, gestans illud propriis manibus, in hoc enim casu verisimile est, divina virtute fuisse factum, quod anima informaret corpus, & caput inter se divisa, nec enim motus ille tandem durans rationabiliter referri potest in virtutem spirituum adhuc retinentium calorem, & motum, non enim tamdiu durare solet impetus in illis receptus, vel illis impressus ab anima, quæ de recenti rececit a corpore, nec etiam rationabiliter referri potest in extrinsecam virtutem alienius Angeli tunc illum motum causantis, cum nulla ostendi possit implicancia, cur non potuerit causari ab anima adhuc informante illas partes divisas. Accedit etiam ratio, quia continuatio partium corporis, & materiæ pro informatione est tantum quædam dispositio necessaria ex naturali rerum constitutione, neque alio modo concurrit ad informationem, quam ut prævia dispositio, sed Deus de potentia absoluta facere potest, quod

quod forma materiam informet nulla præcedente dispositione in materia, dummodo illa sit capax formæ, & in proposito materia supponitur capax, licet sit inadæquata, ergo, &c.

77 Quo vero alteram partem, in qua sita est tota difficultas, Prob. 1. universaliter de quacumque forma tam materiali, quam immateriali, ratione a Scoto loc. cit. allata. Quanto aliqua forma est illimitata ad perficiendum plura perfectibilia, tanto in se est perfectior, hinc est, quod arguimus animam intellectivam inter omnes formas perfectiores, quia una, & eadem simul perficit omnes partes compositi, & si eadem anima possit simul plura corpora perficere, adhuc perfectior judicaretur, ergo si eadem forma numero possit plures & plures materias adæquatas in infinitum (quod dicendum est, si semel dicamus posse tres, vel quatuor simul informare, quia non esset major ratio de tribus, vel quatuor, ac pluribus in infinitum) informare, jam illa forma esset perfectioris infinite, sed virtus infinita, vel infinita perfectio creaturae communicari non potest, ergo, &c. Consequentia prima de se patet, & adhuc probari potest per illam maximam Scoti in 2. dist. 3. qu. 10. A qua sæpius utitur, ubi pluralitas numeralis requirit majorem perfectionem, ubi infinita pluralitas requirit infinitam perfectionem, ut si possit portare simul sex pondera, requirit majorem virtutem, quam posse portare quatuor, utique possit portare non tot pondera, quin adhuc plura, requirit infinitam virtutem; sic in proposito, quod hæc anima det hæc corpori esse humanum, dicit perfectionem, quod det hæc, & alteri simul idem esse arguit in ea majorem perfectionem, & ita supputando, quod det pluribus in infinitum, vel dare possit, arguit in ipsa infinitam perfectionem, & virtutem informativam.

Confirm. Continens virtualiter, vel eminenter infinitas perfectiones, vel non tot, quin plures, est formaliter infinitum, sed si daretur anima, quæ simul, & semel informare possit infinita corpora, seu non tot, quin plura, virtualiter contineret perfectionem infinitarum animarum, quia quodlibet corpus natum est perfici præcise per unam animam. Quod adhuc magis declaratur, quia forma suam materiam adæquatam informans, & etiam alteram natam informari per aliam formam, tunc suppleret vicem illius, si ergo potest informare plures, & plures materias in infinitum, jam virtualiter contineret perfectionem infinitarum formarum, quia suppleret perfecte vicem illarum. Demum virtus informativa cujuscumque formæ creata est finita, & limitata, ergo nulla elevari potest ad informandas simul plures materias adæquatas in infinitum, quia tunc esset illimitata.

78 Resp. Ruvius, quod posse informare plures, & plures materias adæquatas spectat ad virtutem extensivam, non terminatam termino intrinseco, non vero ad intensivam, quæ completur per informationem unius materiæ, unde vult, quod in tali casu utique forma non elevaretur quoad substantiam informationis, nec virtus informativa illius ullo modo augetur, sed solum quod elevaretur formæ aptitudo quoad similitudinem illam plurium informationum, quas poterat habere divisam, & successive, sicut a pari materia, dum per potentiam Dei reciperet simul plures formas disparatas, utique non augetur ejus potentia receptiva, vel sustentativa, sed solum elevaretur quoad illam similitudinem recipiendi simul formas, quas potest naturaliter recipere divisam. Huc recedit responsio aliorum, qui ajunt, non requiri novam virtutem in forma, ut aliam informet materiam, sed solum sufficere replicationem ejusdem in pluribus materiis adæquatis, sicut supposita replicatione corporis, non requiritur alia virtus, ut alia loca occupet. Et potest confirmari hæc responsio, quia in isto casu non exerceret forma diversas causalitates, nec diversas numero informationes, quia idem specie, & numero compositum cum omnibus materiis constitueret secundum commune opinionem Auctorum prima sententiæ, quod non esset necessaria nova virtus informativa. Accedit, quod si etiam hoc faceret per diversas numero informationes, non ideo arguere debemus virtutem informativam infinitam in forma, quia tunc tantum hoc sequitur, quando quodlibet producibilem requirit aliam, & aliam perfectionem in causa pro eorum productione, ut notat Licherus 2. dist. 3. quest. 10. quod non contingit in proposito, quia per eandem virtutem informativam potest forma exercere plures numero informationes, unde non indiget elevatione, nisi quoad similitudinem informandi, non vero quoad substantiam informationis.

Sed hæc resp. falsa est. Tum quia omnino requiritur nova virtus in forma, ut plures informet materias, quia hic intercedit aliqua causalitas, & exercitium virtutis in genere causæ formalis, ut bene notat Amicus 1. loc. cit. num. 7. Tum quia eadem forma numero apta informare materiam trium palmorum, perfectio censetur illa, quæ sola apta est informare unum palmum, qua ratione anima cæteris formis perfectior judicaretur, quia plures partes materiæ eadem numero informat, ergo major virtus requiritur in forma etiam intensive. Tum quia elevatio quoad similitudinem informationum in casu posito fieri nequit sine elevatione quoad substantiam informationis, & virtutem informativam, ex hoc enim, quod eadem forma simul informet plures materias, statim arguimus in ea majorem virtutem informativam, sicut Scotus in 1. d. 2. quest. 1. Z. ex similitudine intellectuum plurium, & plurium etiam ejusdem rationis in infinitum arguit in eo intellectu infinitam virtutem intellectivam. Tum denique non valet paritas assumpta de materia simul plures formas recipien-

Mafius, & Belluti Tom. II. Physica.

te, & de corpore in pluribus locis replicato, quia potentia materiæ ad recipiendum simul plures formas, & corporis ad eundem in pluribus locis, est mere passiva, nullam dicens perfectionem, at non est talis potentia, seu virtus informativa. Dices, eatenus corpus mere passive se haberet ad plura loca, quia haberet esse in illis formaliter a pluribus Ubi productis a solo Deo in genere causæ efficientis, sed etiam forma in pluribus materiis haberet esse per plures uniones a solo Deo productas, ergo mere passive se haberet, sicut corpus in pluribus locis, sed si majoris est perfectionis in forma plures informare materias, sic etiam majoris erit virtutis in materia informari pluribus formis, & sicut illud fieri nequit sine exercitio novæ virtutis informativæ, ita neque illud sine exercitio novæ virtutis sustentativæ, quæ etiam ad potentiam passivam pertineat, adhuc tamen non mere passive exercetur per simplicem receptionem, sed per verum influxum positivum in formam sustentatam. Contra, quia licet forma in tali casu replicaretur a Deo in pluribus materiis, non tamen informaret ex vi simplicis illius replicationis in pluribus materiis, ut est corpus in pluribus locis, sed per verum exercitium virtutis suæ informativæ; Nec etiam valet paritas de virtute informativæ formæ, & sustentativæ materiæ, quia ista semper passivitate dicit, atque ideo imperfectionem dicit, non perfectionem, ut notat Doctor 3. distinct. 14. quæstione secunda in fine, & 2. distinct. 28. quæstione tertia H.

79 Ex hoc refellitur confirmatio allata pro responsione. Tum quia nec ipsi Adversarii dicunt, in casu intervenire unam tantum numero informationem sæpius replicatam, nec ullo modo potest dici, quia licet sit idem numero fundamentum informationis activæ, termini tamen sunt diversi pro diversitate materiarum, & certum est apud omnes relationes multiplicari ad multiplicationem terminorum adæquatorum quales ponuntur in casu illarum plures materiæ. Tum etiam falsum est, quod in hoc sit per diversas numero informationes, adhuc non sequatur illimitatio in virtute informativæ, quia etiam quando quodlibet producibilem non requirit aliam, & aliam perfectionem in causa productivam, sed eadem sufficit ad quodlibet producendum divisum, tamen ex simultanea productione illorum sufficienter arguitur major, & major virtus in causa, ut v. gr. quamvis eadem virtus sufficiat ad importandum pondus unius libræ, & aliud pondus simile, & aliud in infinitum, disjunctim tamen non sufficit eadem ad portandum illa, vel aliqua illorum simul, sed ex hac similitudine arguitur major virtus, & tanto major, quanto plura simul portare potest, & si plura simul possit portare in infinitum, argueretur infinita virtus, si ratione Scot. cit. 1. d. 2. q. 1. Z. ex simultanea intellectione plurium objectorum in infinitum etiam ejusdem rationis, arguit infinitam virtutem intellectivam.

Quod vero compositum resultans ex illa forma in pluribus materiis sit unum numero, vel multiplex, parum refert, quia etiam ponatur unum numero, attamen debet poni causatum per plures numero causalitates, sicut sunt plures numero informationes, præsertim in sententia Adversariorum, qui volunt, causalitatem formæ in ordine ad compositum consistere in informatione, & unione ad materiam, ad exercendum vero plures numero causalitates simul, major virtus requiritur in causa, quam ad exercendam unam tantum. Accedit, non esse ita evidens, an compositum illud esset idem numero, vel diversum, imo quamplures ex Auctoribus oppositæ sententiæ dicunt esse numero diversum, saltem inadæquate, propter diversitatem materiæ, ut Fonseca, Murcia, Amicus, & alii, & ipsa ratio suadet, quia eadem anima numero informat plures materias inadæquatas, ut plures partes carnis, quæ tamen sunt diversa numero composita, præsertim si ab invicem dividantur, & eadem anima adhuc sic divisa informatur, quod est possibile saltem supernaturaliter, quia sunt materiæ inadæquate, ut dicimus in prima conclusionis parte.

Respondent proinde alii, in tali casu formam elevari a Deo, nedum quo ad similitudinem plurimum informationum, verum etiam quo ad substantiam ipsam informationis, seu virtutem informativam, ita Amicus loc. cit. num. 7. unde inquit, quod sicut anima, esto naturaliter sibi determinet materiam quo ad maximum, tamen supernaturaliter elevari potest, ut majorem, & majorem informet in infinitum, ita in proposito quamvis naturaliter determinet sibi unam materiam adæquatam, tamen supernaturaliter elevari potest, ut plures materias adæquatas informet.

80 Sed contra hanc resp. arguitur 1. quia explicari non potest, qualiter elevari possit virtus informativa animæ, aut enim hoc fieret in genere causæ formalis, vel per qualitatem, scilicet, superadditam, qua augetur ejus virtus informativa. vel in genere efficientis causæ, ut nimirum Deus speciali influxu influat ad informationem ejusdem formæ, his enim duobus modis excogitari potest talis elevatio, ut ait Amic. sed primo modo elevari non potest; Tum quia virtus informativa formæ substantialis non est qualitas, ergo per qualitatem superadditam nequit augeri; Tum quia tunc forma substantialis media hac qualitate substantialiter informaret, quod est impossibile; Tum tandem quia si addita hac qualitate, ubi prius forma poterat tres palmos materiæ informare, & non plures, potest ex hac additione informare alios tres, jam non informabit duas materias adæquatas, sed unam sex palmorum sibi adæquatam in tali statu constituet. Sed neque etiam secundo modo videtur posse elevari, quia causalitas formæ exercetur per actualem exhibitio-

nam ejus ipsi materia, informando ipsam, & actuando, sed non videtur posse Deus suppleri in genere causae efficientis, sicut suppleri nequit causalitatem materiae, & formae in ordine ad compositum ob eandem rationem.

Secundo, dato, quod possit communicari forma haec nova virtus, vel ista sufficiens est ad informandam materiam sex palmorum tantum, ubi prius forma informare non poterat sine tali addito, nisi tres palmos, vel sufficiens est ad informandas plures, & plures in infinitum: si primum, ergo materia sex palmorum erit adaequata formae sic elevatae, & materia trium inadaequata, quia non informat materiam sex palmorum per eandem virtutem, quae prius informabat materiam trium, sed per majorem, quare, ut dicatur informare duas materias sibi adaequatas, debere poni informare per eandem virtutem informativam, quae prius informabat, & non aliam secundum substantiam; si secundum, ergo haec virtus informativa erit infinita, ut est deductum contra Ruvium.

Tertio, exemplum, quod affertur de anima facit contra Adversarios, quia anima in informando catenus potest excedere maximum, quod sibi nunc determinat, quatenus potest syncategorematice produci perfectior, & perfectior anima, quae una, & eadem numero informare possit majus, & majus corpus in infinitum, velut adaequatum perfectibile, ergo per potentiam divinam solum fieri potest, quod ubi anima nunc informare potest solum materiam tantae molis, ut sibi adaequata, perfectior producatur, quae possit informare majorem in duplo, ut perfectibile sibi adaequatum.

87 Resp. alii, rationem Scoti non ostendere infinitatem in forma elevata, nisi in casu, quod elevaretur ad informandas plures, & plures materias in infinitum, & ideo non probat, quod non possit elevari ad tres, vel quatuor tantum materias adaequatas informandas, & non plures. Sed contra: Tum quia multi ex Adversariis concedunt, & ita omnes fatentur tenentur, quod qua ratione forma elevata possit informare duas, eadem ratione possit informare quatuor, quinque, centum, & sic in infinitum. Tum etiam facit contra alios, quia si elevatio fiat modo illo determinato, qui insinuat in superiori responsione, jam sequitur, quod forma sic elevata determinat sibi quatuor illas materias, velut unam adaequatam, & sic non debetur, quod elevaretur ad informandas plures adaequatas.

Respon. demum alii, non sequi infinitatem in forma data hypothese, quia tunc non actuaret plures materias ex sua innata perfectione, sed hoc haberet omnino ab extrinseco, sicut a pari nulla sequitur immensitas in corpore ex hoc, quod ponatur in pluribus locis, quia hoc non habet ex sua naturali perfectione, sed omnino ab extrinseco, ut docet Scotus in 4. dist. 10. q. 2. Contra, nulla sequitur immensitas in corpore posito in pluribus locis, quia respectu illorum mere passive se habet, nullumque habet exercitium virtutis in eorum acquisitione, sed forma, informando materiam, exercet suam virtutem informativam, nec concipi potest, quomodo fieri possit talis informatio sine exercitio virtutis alicujus, & cum informatio fiat per actualem exhibitionem formae ipsi materiae, non videtur, quomodo hoc fieri possit per solum concursum Dei extrinsecum absque exercitio virtutis ipsius formae, ergo diversa est omnino ratio de corpore in pluribus locis, & forma in pluribus materiis, ut advertit Lichetus loc. cit.

82 Secundo principaliter ex eodem Scoto loc. citat. Probando specialiter conclusionem de formis a materia dependentibus in esse, & fieri, ea ratione, qua probari solet, eandem effectus plures causas totales esse non posse, nequeunt enim in eodem reperiri plures hujusmodi dependentiae, sed si eadem forma materialis possit informare plures materias adaequatas, tunc a singulis dependeret totaliter in genere causae materialis, ergo, &c. Major probatur, quia dependentia essentialis non datur in aliquo ad aliud nisi essentialiter indigeat illo. Tum quia si eo non indigeret, non dependeret essentialiter ab eo, alioquin posset quis pro libito dicere quodlibet a quolibet dependere. Tum quia haec est differentia inter dependentiam essentialem, & accidentalem, quod sine illa nequit res esse, bene tamen sine ista, si ergo hoc dependet totaliter ab illo, ita ab eo dependebit, ut in tali genere alio non indigeat, alioquin ab isto non totaliter dependeret. Probatur minor, quia dependentia formae materialis ad subiectum est essentialis causati ad causam, ut supra in hac disputat. ostensum est, ergo si plures simul informaret materias adaequatas, a pluribus causis totalibus, & adaequatis in genere causae materialis dependeret, idem argumentum fieri potest de composito, quod ex illa forma cum illis pluribus materiis adaequatis resultaret, si enim hoc esset idem numero, ut quamplures concedunt, & ratio suadet, quia identitas numerica compositi, & specifica, aut a sola forma, aut ab ea praecipue sumitur, jam idem numero effectus essentialiter dependeret a pluribus materiis, quarum singulae sufficerent divini pro eius constitutione. Negant Adversarii majorem illam absolute, quod idem effectus dependere nequeat a pluribus causis totalibus. Sed jam solide probata est, & falsus probabitur infra disput. 8. q. 3. art. 2.

Respondent quidam ex nostris oppositum tenentibus concedendo majorem, sed negando minorem, quia forma ita posset poni in pluribus materiis, ut dependeret totaliter ab una, aliis

autem unita esset per modum simpliciter unionis, qui non haberet rationem sustentationis, vel sicut neq ab una, nec ab alia dependeret, si nempe tali modo utriusque uniretur, sicut enim, potest Deus formam materialem producere extra materiam, sic etiam possit illam in materiam inducere per modum simplicis unionis, & non sustentationis, vel denique ita possit poni in pluribus materiis, ut dependeret ab omnibus, sed partialiter, & a nulla adaequate. Haec responsio in sententia asserente modum unionis formae materialis cum materia non posse a sustentatione praescindi, & postea unione materia cum tali forma, statim intelligi dependentiam ex parte formae, & sustentationem ex parte materiae, nullatenus subsistere potest; verum, quia nos oppositum docuimus disput. 2. quaest. 5. artic. 4. fateamur dato casu, quod hoc modo poneretur a Deo in pluribus materiis, evitari inconveniens allatum in argumento, verum cum Doctor loc. cit. sic arguit, supponit, quod forma recipiatur in pluribus materiis contra connaturalium modum suae dependentiae a materia, & in hoc sensu argumentum non solvitur per allatam responsionem, & quod cum hoc dicitur in tali casu posse ab omnibus partialiter dependere, est intelligibile, quia explicari nequit, quo pacto concursus materialis illorum subsectorum obtemperaretur, ut singula non nisi partialiter concurrant.

Tertio, si est idem numero compositum, quod forma cum hac materia constituit (ut est communior opinio) & rursus cum alia, & alia, sequitur, quod eadem res existens, & potest iterum substantialiter produci, quod est omnino absurdum, quia generatio substantialis est transitus de non esse simpliciter ad esse simpliciter, ita ut res, quae substantialiter producitur, supponitur antea non existere. Probatur sequela, si enim anima haec cum hoc corpore hunc hominem constituit, scilicet Petrum, si per potentiam Dei eadem anima informat simul aliud corpus, tunc cum illo confluet ex hypothese eundem hominem, & ita ille idem homo, qui jam existit, adhuc existens reproducitur, quod licet aliqui concedere non vereantur, tamen nullatenus est concedendum.

83 In oppositum objicitur 1. ex Amico, & Fonseca. Tum ex miraculo jam relato D. Dionysii, nam si ibi anima informabat duas partes materiae ineptas ad recipiendam informationem ob carentiam debitae integritatis, multo magis poterit informare duas materias, quarum singulae sunt aptae informari, cum sint integre. Tum quia finitas, & limitatio formae, licet impediatur eam informationem fieri naturaliter, non tamen fieri per elevationem, sicut virtus activa finita potest elevari ad plures effectus eius, quos naturaliter posset, ut virtus intellectiva Petri determinata ad intelligendum decem, potest elevari ad viginti, imo ad intelligendum Deum, & potentia visiva determinata ad videndum per viginti miliaria, potest elevari ad videndum idem objectum per triginta.

Responderetur primam rationem nihil urgere, si cum multis negetur, motum illarum partium fuisse factum ab anima, & asseratur fuisse immediate factum a Deo, vel mediante Angelorum ministerio; tenendo tamen, fuisse factum ab anima, ut supra diximus, neganda est paritas, quia in primo casu intervenit sola carentia dispositionis naturaliter necessaria, qualis est integritas qui defectus bene potest a Deo suppleri, at in secundo casu intervenit carentia virtutis informativae, quae limitata est ad unam materiam, & a Deo suppleri nequit, ut probatum est, & dato, quod suppleretur per augmentum ejus, jam tota materia illa, ad quam redditur apta informandam, per tale supplementum esset una sibi adaequata, & non plures adaequatae. Ad 2. negatur assumptum, nec valet paritas adducta pro eius probatione de virtute activa, virtus enim activa potest utique elevari a Deo ad aliquid efficiendum supra vires suas, potest enim extrinsece adjuvari per auxilium speciale, vel alio modo, ut suo loco dicemus; verum forma ad informandum supra vires suas non videtur, quomodo possit elevari, ut patet ex disput. nuper habita cum Ruvio, & Amico; & dato, quod elevaretur per augmentum virtutis informativae, jam materia, quae prius sibi erat adaequata, modo esset sibi inadaequata, & cum alia unam adaequatam constitueret.

84 Secundo objicitur ex Murcia. Tum quia potentia passiva materiae potest elevari ad plures formas simul recipiendas, ergo, & potentia informativa ad plures materias informandas. Tum 2. quia idem corpus elevari potest ad plura loca occupanda sibi adaequata, & idem numero effectus pendere potest per potentiam Dei a pluribus causis totalibus, ergo, &c. Tum tandem quia idem accidens potest esse in duobus subiectis adaequatis, nam casu quo duo corpora essent in eodem loco, haberent idem ubi.

Respond. ad 1. jam ex dictis patere, quod non valet paritas de potentia passiva materiae, & informativa formae, quia haec dicit perfectionem, non illa. Ad 2. negatur, eundem effectum posse a pluribus causis totalibus pendere; conceditur, idem corpus esse posse in pluribus locis, sed inde nihil sequitur, quia non currit paritas de corpore in pluribus locis, & forma in pluribus materiis. Ad 3. resp. Doct. ipse cit. 3. d. 1. quaest. 2. D. quod sunt duo ubi in illis corporibus, quibus correspondent ex parte loci duae circumscriptiones activae, dicuntur vero illa duo corpora in eodem loco, quia eadem superficie ambiuntur, super quam duae locationes activae fundantur, quare dicuntur in eodem loco ratione materialis loci, non ratione formalis.

Tertio

Tertio tandem objicitur ex Ruvio. Tum quia forma habet proportionem cum qualibet materia, quam non informat, ergo ex parte ejus non repugnat, quin possit successive informare plures materias, si a Deo conservaretur, sed solum ex parte simulatis, at potest Deus hanc suppleri, & in hoc nulla apparet repugnantia, ergo &c. Tum etiam quia major in infinitum est virtus agentis supernaturalis, quam naturalis, sed virtute agentis naturalis forma applicatur ad unam materiam, ergo virtute supernaturalis potest simul, & semel pluribus applicari, sed eo ipso, quod forma est applicata materiae per modum actus, illam informat, ergo &c.

85 Resp. ad 1. negan. subilatau minorem, posse scilicet Deum elevare formam ad illam similitatem; tum quia ex illa similitate contradictoria sequuntur, tum quia talis elevatio quo ad similitatem fieri nequit sine elevatione quo ad substantiam informationis, quam etiam Ruvius ipse inficiatur. Ad 2. concedimus posse ab agente supernaturali eandem formam localiter applicari diversis materiis adaequatis, ita ut singulis sit intime praesens, negatur tamen, ex ista simplici applicatione simultanea sequi, quod omnes illas informet, quia ex ista replicatione non acquiritur forma majorem virtutem informativam, sicut igitur Scotus docet in 4. d. 10. quaest. 2. infra Q. quod si idem numero ignis applicetur, vel replicetur in pluribus silvae partibus, non totam silvam comburet, quia non habet majorem virtutem replicatus, sicut etiam idem homo millicies replicatus non habet majorem virtutem uno homine folo, sic a pari dicendum est in proposito, quod illa eadem numero forma in pluribus materiis replicata non omnes informabit, sed unam tantum, quam scilicet Deus voluerit, caeteris vero erit solum intime praesens.

Sed inflabit, non valere paritatem, quia in allatis casibus de particula ignis replicata, replicatio non infert effectum majorem, vel plures effectus, quia pluralitas effectuum non pendet ex illa simplici replicatione, sed ex majori, & majori virtute activa agentis, at in proposito pluralitas effectuum formalium pendet ex simplici replicatione formae in pluribus materiis, causalitas enim formae non fit, nisi per actualem ipsius communicationem materiae, ergo &c.

Resp. negan. minorem, quia causalitas formalis fit etiam suo modo per exercitium majoris, vel minoris virtutis informativae, qua ratione videmus, quod idem numero calor, quanto majori materiae communicatur, minus perfecte illam informat, & si per communicationem intelligatur unio substantialis per modum actus ad potentiam, concedimus, causalitatem formae in tali communicatione consistere, sed haec non oritur ex illa simplici replicatione in pluribus materiis, sed oritur ex virtute informativa ejus, quae in una tantum materia exercetur, & non in aliis, licet eis supponatur intime praesens; si vero per communicationem intelligitur simplex indistantia localis, tunc absolute negatur, quod in tali communicatione consistat causalitas formae.

Q U A E S T I O VIII.

An materia, & forma substantialis immediate uniantur, an vero mediate.

86 TRipliciter potest intelligi quaesitum, sicut triplex medium inter materiam, & formam excogitari potest, primum in ratione subiecti recipientis formam, secundum in ratione disponentis subiectum ad formam recipiendam, tertium in ratione vinculi, seu nexus unientis materiam, & formam, in primo sensu quaestio non habet difficultatem, fatentur enim omnes, formam substantialem recipi immediate in ipsa essentia materiae, & etiam ita loquuntur, qui volunt, quantitatem, & qualitates disponentes praecedere in materia formam substantialem, non enim volunt, hujusmodi accidentia ita intercedere inter materiam, & formam, quasi directe in se formam recipientem, sed tantum quaerant preparari ipsam materiam, quae immediate in se suscipit formam. In secundo sensu est magna controversia inter Thomistas, & Scotistas ex una parte, Nominales, & Averroistas ex alia; isti enim asserunt, necessarium esse duplicem dispositionem intermediam, quantitatem, scilicet, & qualitatem, quantitatem quidem ad extendendam materiam, ut fiat subiectum idoneum, & formae materialis, & agentis naturalis, quod non agit nisi inquantum, qualitatem vero, ut materiam de se indifferentem ad omnes formas recipiendas disponat, ac determinet ad hanc, vel illam formam recipiendam, quam sententiam sequitur Suar. in Met. disput. 14. lect. 3. Morfan. disput. 1. de Gen. dub. 6. in fine, & omnes fere Recentiores. Illi vero negant utrumque, quantitatem enim ponunt immediate inherere composito, & similiter dispositiones necessarias pro productione novae formae recipi in toto composito praecedente, & nequaquam permanere in instanti, in quo introducitur forma, sed ad interitum compositi praecedentis interire, quia tales dispositiones non judicant esse necessarias pro informatione novae formae, sed tantum pro expulsiōne veteris; Verum tamen est adhuc inter Scotistas, & Thomistas esse discrimen. Thomista namque omnes, formas substantiales asserunt immediate uniti materiae primae, excludendo non solum media accidentia, sed etiam substantiales formas, quod non concedunt Scotista in animatis, ubi volunt, formam mixti praecedere animam in ratio-

ne dispositionis materialis, ut patet ex dictis quaest. 6. hujus disp. art. 1.

In tertio demum sensu non est minor controversia inter Nominales, & caeteras scholas, an unio substantialis, qua uniri dicuntur materia, & forma, sit aliquod medium distinctum ab utraque, an potius sit prorsus idem cum essentia utriusque, ita quod seipsis immediate uniantur. Nominales enim contendunt, praeter indistantiam, sive intimam praesentiam materiae cum forma, non esse superaddendum aliquem modum realem, & positivum, per quem formaliter dicantur adinvicem uniri, ita Greg. 1. dist. 28. q. 2. ad 17. & 18. Bacon. 3. dist. q. 1. art. 1. Aureol. 4. dist. 44. art. 6. Ocham. 1. dist. 30. q. 1. ad 2. & alii ejusdem scholae. Communis tamen opinio oppositum docet, nimirum praeter indistantiam, & intimam praesentiam admitti debere modum realem, positivum, per quem dicantur substantialiter ad invicem unita, quae est opinio Scoti 1. dist. 30. quaest. 2. F. & 2. d. 12. q. 1. & 3. d. 2. q. 2. & 4. dist. 12. q. 1. & clarissime 2. dist. 1. q. 5. sup. A. 2. citatur etiam D. Tho. 3. p. q. 2. art. 7. & 1. par. q. 76. art. 1. ad 6. & sequuntur Recentiores omnes, Suar. disp. 15. Met. lect. 6. n. 6. Vasq. 3. part. disp. 19. n. 24. Ruvius, Murcia, Aversa, Hurtadus in Phys. Complut. disp. 6. Phys. q. 2. ubi ostendunt hanc esse communem in schol. D. Th. & Arriag. disp. 3. Phys. sec. 1.

ARTICULUS I.

Ostenditur, formam non uniri materiae medio aliquo accidente absolute.

87 DICendum est, formam substantialem immediate informare materiam nulla mediante quantitate, ac qualitate. Ita Thomista, & Scotista omnes, & quidem non mediante quantitate docuit Scot. in 2. dist. 3. quaest. 4. sup. M. & d. 15. quaest. un. A. & in 4. dist. 12. quaest. 4. G. quibus in locis negat, materiam primam esse subiectum inherens quantitatis, & affirmat, esse compositum; non mediare vero quantitatem docuit ex professo 4. dist. 12. q. 3. ubi docet, qualitatem corruptentis numquam producere qualitatem incompossibilem formae corruptentis, sed quando venit ad ultimum gradum qualitatis compossibilis cum ea, tunc generans introducendo suam formam, corrumpit aliam cujus corruptione perit qualitas eam sequens, quae eo usque mansit in gradu necessario ad conservationem illius formae, unde ante adventum ipsius formae substantialis de novo genitae in materia non praedicat qualitas in gradu incompossibili formae corruptentis, sed qualitas in tali gradu dimanat a forma eo ipso, quod est introducta, quare dispositiones necessariae pro conservatione formae in materia, non antecedunt ipsam, sed comitantur jam immediate copulatam materiae; Veritas autem hujus Concl. dependet ex dictis, cum disp. 2. q. 8. art. 4. tum disp. 3. q. 1. ubi fuisse probatum est, compositum esse subiectum accidentium, & non materiam primam, quam etiam ex professo defendunt Faber. Theor. 35. Cavellus disp. 1. de Anim. sect. 17. Sghemna 1. Phys. digress. 7. q. 5. & Ruvius 1. de Gen. c. 4. tract. 2. quaest. 4. tract. 3. quaest. 8. & tract. 4. quaest. 11.

Et prob. 1. quia potentia substantialis prius respicit actum substantialem, quam accidentalem, ergo prius etiam illi unitur, quia eo ordine uniantur actus potentis, quo ab eis respiciuntur; Nec respondere valet materiam respicere prius actum, quam formam substantialem ordine intentionis, quia respicit illam, ut finem, ad quem ordinatur ejus potentia; sed ordine executionis prius respicere accidentalem, utpote quae preparat, & disponit materiam ad recipiendam substantialem, & ideo prius ordine executionis uniri accidentali, quam substantiali; Non valet. Tum quia materia de se est magis proportionata ad recipiendam formam substantialem, quam ad recipiendam accidentalem, quia est ejusdem generis cum illa, non cum illa, ergo immediatius, & prius unitur illi, etiam ordine executionis; Tum quia non indiget forma accidentali, ut praevia dispositione in ratione receptivi, quia de se est immediate capax formae substantialis, sed potius in ratione effectivi auferentis impedimenta, quae obstant introductioni novae formae, unde non est opus, ut remaneat in instanti generationis. Tum tandem quia, ut dicatur disponere ad receptionem formae substantialis sufficit, quod recipiatur in composito praecedente, non autem immediate in materia prima, ut docet Scotus 4. dist. 1. q. 5. E. ubi inquit, quod licet forma disponens in genere causae materialis velut ratio recipiendi, sicut est organizatio in corpore respectu animae, recipi debeat in eodem subiecto, in quo introducenda erit forma ad quam disponit, tamen non est necesse, quod forma, quae disponit tantum in genere causae efficientis auferendo impedimenta, quae obstant introductioni novae formae, recipiatur in eodem subiecto cum ea, sed sufficit, quod recipiatur in eodem composito, vel supposito.

88 Secundo, dispositiones, quas agens inducit in materiam, ut formam contrariam expellat, & suam introducat, recipiuntur in toto composito praecedente, non autem in materia prima immediate, ergo ruit ad interitum compositi illius, nec permanent in instanti generationis: Consequentia, patet, quia in eo instanti migrarent, si remaneret, de subiecto in subiectum, transirent enim de toto composito, cui adaequate inhaerent, & de forma in materiam solum. Probatur assumptum, nam experientia patet, quod dum ignis calefacit lignum, ut ex hac alteratione postea inducat formam ignis

ignis, calor in toto ligno recipitur, ut testatur Philosophus 5. Phys. 3. ubi loquens de tali alteratione inquit, *motus manifestus est, quod in ligno est*; idque sensus ipse docet, nam experitur, non solum materiam, sed etiam formam ligni, & totum lignum fieri calidum, ergo aequè immediate inhæret calor formæ ligni, sicut materiam, neque enim dicendum est, formam ligni esse calidam calore existente in altera parte, scilicet materia, quæ ab ea realiter differt, & quidem dum tangimus lignum, vel aquam ferventem sentimus calorem, sed tunc non tangitur sola materia ligni, vel aquæ, sed materia, & forma, & totum compositum, ergo totus ille calor est in toto composito, non in sola materia prima.

Tertio, dispositiones impossibiles cum forma corrumpenda, & quæ sunt necessariæ pro informatione, & conservacione formæ genitæ, non præcedunt illam in materia, sed comitantur, & ab ea statim, ac est genita, dimanant, ergo aliæ dispositiones præcedentes corrumpuntur in instanti generationis, & non remanent in materia, & consequenter forma substantialis informat materiam nudam. Consequentia patet. Probaturs assumptum. Tum quia huiusmodi qualitates, & affectiones rebus connaturales, dicuntur illis coaræ, ergo non antecedunt illas, sed comitantur. Tum quia si huiusmodi qualitates necessariæ pro conservacione formæ in materia antecedunt ipsam, & in virtute illarum forma substantialis educitur de materia, potius forma substantialis ab ipsis dimanabit, quam e contra. Tum tandem quia est commune proloquium, quod in generatione rei, qui dat formam, dat consequentia formam, ut qui dat formam ignis, dat consequenter calorem, siccitatem, levitatem, &c. ergo qualitates huiusmodi connaturales, sive sint ab agente mediate, vel immediate, semper consequuntur formam substantialem.

9. Quarto, præviæ dispositiones, quæ introducuntur ante formam substantialem, non introducuntur ex necessitate materiæ, quia ipsa est de se proportionata ad actum substantialem, nec redditur proportionata per accidentalem, & cum est nuda, eo ipso est proximè disposita ad hanc, vel illam formam iuxta conditionem agentis, cuius actioni subest, nam tunc censetur proximè disposita, cum per præviæ alterationes manet expoliata forma veteri, & dispositionibus contrariis modo supra explicatis, & subest tali agenti, quod non potest in eam, nisi talem formam inducere. Neque introducuntur ex necessitate formæ generandæ, nam qualitates necessariæ pro eius conservacione ipsam comitantur in instanti generationis, & non antecedunt, ergo remanet, ut introducuntur ex sola necessitate formæ corrumpendæ, quæ non potest expelli a subiecto, nisi præviis alterationibus.

Respond. introduci præviæ dispositiones ex necessitate materiæ, quæ de se indifferens est ad omnes formas, quare per præviæ dispositiones determinari debet potius ad hanc, quam ad illam, nec sufficit, inquit, quod determinetur ab agente, quia non tantum extrinsece, sed etiam intrinsece debet eius potentia vaga determinari, quod fit a dispositionibus illi inhærentibus etiam in ipso generationis instanti.

Sed falsum est, non sufficere agens ad determinandam materiam indifferentiam, & ad recipiendam potius hanc, quam illam formam, nam in generatione accidentali videmus, agens sufficere, lignum enim de se est indifferens ad calorem, & frigus, si vero applicetur igni, recipit calorem potius, quam frigus, non ob aliquam dispositionem præcedentem, sed propter determinationem, & naturam agentis, sic etiam intellectus, quamvis de se illimitatus ad multas intellectiones producendas determinatur ad hanc, vel illam ex concursu huius, vel illius objecti determinati, ut Scot. docet in 1. dist. 3. quæst. 7. Bb. sic etiam lignum in artificialibus, sed artificem determinatur ad hanc potius, quam illam formam, nam statuarius inducit formam Statuæ, artis navis factivæ sciens formam navis, & sic de aliis, ergo ita in naturalibus dicendum est de materia, quod cum de se sit illimitata ad omnes formas recipiendas, ad hanc, vel illam determinatur ex concursu determinati agentis, ita docuit Scot. in 2. dist. 12. qu. 2. F. ubi postquam dixit, quod nullæ formæ circa materiam primam sunt simpliciter immediatæ, causam deinde investigans, quare materia, quamvis de se capax cuiuscunque formæ quandoque potius unam, quam aliam recipiat, ipsam assignat ex parte agentis naturalis.

90. Quinto tandem præcipuum fundamentum alterius sententiæ est penitus ruinosa, ipsa enim parat, dispositiones præcedentes in materia concurrere ad introductionem novæ formæ in genere causæ materialis, materiam, scilicet, excolendo, & præparando veluti rationes recipiendi, quasi sine his subiectum ineptum materia foret formæ introducendæ, ut explicat Mercenarius in suis Dilucidat. vol. 2. pag. apud nos 72. re etenim ita se habente, utique permanere deberent dispositiones in instanti generationis, nec posset forma substantialis informare materiam nudam, sed falsum est, quod in genere causæ materialis concurrant, cum potius concurrant in genere causæ efficientis, ex Scot. cit. 4. dist. 1. quæst. 5. E. utpote instrumenta, quibus utitur agens ad expellendam formam, & dispositiones contrarias eo modo, quo ipse declarat 4. dist. 12. quæst. 3. ad hoc autem munus obviandum, non est necessarium, ut in instanti generationis permanent, cum ipse non attingant, nec corruptionem substantialis formæ, & consequenter, neque determinati gradus, quem forma vetus sibi præscribit pro sui conservacione.

In oppositum obijciunt i. præcipuum fundamentum, quod nisi in instanti generationis permanent præviæ dispositiones in materia, ipsa tunc indifferens remaneret ad omnem formam, quia sine accidentibus non plus determinatur ad hanc, quam ad illam: Nec sufficit dicere materiam remanere determinatam, & quasi sigillatam ad hanc formam, eo quia tales, vel tales dispositiones immediate præcesserint in ipsa, ut quæplures Thom. respondent, quia talis sigillatio, & immediatus ordo ad dispositiones, quæ præcesserint in materia, nihil reale ponunt in ipsa, sed solum denominationem extrinsecam, vel respectum rationis, per quæ nec potest esse realiter, & physice determinata ad talem formam, nec realiter pro ea disposita. Nec sufficit dicere cum Scotistis, quod determinetur ex determinatione agentis, nam instant Mercenarius & Suarez loc. cit. quod licet possit admitti responsio in generatione, quæ fit ab agente univoco, & particulari, nequaquam tamen procedere in generatione, quæ fit ab agente æquivoco, & communi; nam si a Sole ex putrida materia rana generari debeat, & dispositiones pro tali generatione introductæ in ipso generationis instanti corrumpantur, tunc materia indifferens remanebit ad formam ranæ, & ad formam muris, & cum Sol quoque sit generans indifferens non solum ad formam ranæ, sed etiam ad alias, ut vespa, & muris, tum ratione materiæ, tum ratione agentis, quod præsens est, non magis rana, quam alterum animal poterit procreari, ergo præsentia agentis non sufficit ad determinandam materiam ad hanc formam, sed requiritur in materia aliquid ipsi inexistens, & intrinsece determinans.

91. Resp. responsum Thomistarum non sufficere, sufficere tamen Scotistarum etiam in generatione, quæ fit ab agente æquivoco, quia licet agens huiusmodi indifferens sit, quantum est ex se, ad plures effectus, determinatur tamen ad hunc, vel illum effectum, ad hanc, vel illam formam introducendam ex hac, vel illa alteratione præviæ, etenim alterando hoc modo materiam, postulat ordo naturæ, ut post talem alterationem præcedentem sequatur talis forma, & alterando alio modo sequatur alia forma, etiam si materia de se sit indifferens ad recipiendum, & virtus agentis illimitata ad agendum, sic videmus in artificialibus, ex usu diversorum instrumentorum idem agens efficere diversos effectus, non alia ratione, nisi quia unum instrumentum determinate interfert ad producendum hunc effectum, & non illum, ut ferris ad secandum, calamus ad scribendum, &c. ita suo modo dicendum in naturalibus.

Sed contra hoc arguit Suar. num. 33. tota alteratio, quæ procedit, in sententia nostra per accidens est, ad tollendam, scilicet, impedimenta, quæ sunt ex parte passi, ergo ordo, & successio inter illam alterationem, & sequentem actionem non potest esse per se, nec inde sumi potest sufficientis ratio determinationis. Resp. alterationem posse dupliciter considerari, vel in ordine ad agens, vel in ordine ad subiectum, si consideretur in ordine ad subiectum, utique per accidens se habet alteratio ad generationem, quia interfert solum ad impedimenta tollenda, non autem ad determinandam materiam in ratione receptivi; sed si in ordine ad agens consideretur, tunc alteratio præviæ per se ordinatur ad talem actionem subsequentem, quia agens alterando hoc modo, non potest generare, nisi hoc modo, ut ignis v. g. non potest in lignum inducere, nisi formam ignis, si dispositiones præcedentes sint calor, siccitas, & raritas; potest exempli res declarari in artificialibus, potest enim lignum varias figuras, & formas recipere ab agente, determinatur tamen ad hanc, vel illam formam recipiendam, quia agens circa illud operando utitur hoc, vel illo instrumento, sic in naturalibus potest materia, quantum est ex se, varias recipere formas, & agens æquivocum dare, sed agens utendo hac præviæ dispositione, necessitatur potius ad hanc formam introducendam quam illam, siquidem dispositio ista est instrumentum idoneum pro introductione istius tantum, & non illius formæ.

Sed dices, præviæ dispositiones ad hoc nihil conferre, cum actu non existant, sed præcesserint. Resp. nil utique conferre ad determinandam materiam, ut volebant Thomistæ, valde tamen conferunt ad determinandum agens, cum enim agens incæperit per tales dispositiones expellere a materia contrarias, cum ipsæ non possint expellere formam substantialem, nec illum gradum ultimum, quem sibi præscribit, petunt naturaliter, expulsionem illius formæ cum suo gradu determinato in instanti terminativo alterationis fieri debere a forma illius consentanea, vel cui ipsæ sunt connaturales.

92. Secundo, apud omnes Philosophos receptissima est distinctio illa materiæ in primam, & proximam, idest præparatam, & ultimo dispositam ad determinatam formam, & quod unaquæque forma recipitur in materia sibi accommodata, iuxta illud Phil. 2. de An. tex. 24. & 26. actus, & formæ recipiuntur in patiente bene disposito. Confirm. quia si materia in instanti generationis est nuda, jam est indifferens ad recipiendam actionem cuiuslibet agentis, unde si agens v. g. aer, quod omnes dispositiones ad formam ejusdem speciei cum sua ante introduxerit in aquam, in illo instanti annihilaretur, & eodem instanti prope istam materiam aliud agens, ut ignis collocaretur, induceret ignis formam suam sine ulla dispositione præviæ, quia materia est nuda, & sine impedimento, & forma substantialis aquæ eo instanti corrumpitur, nec esset aliud agens, quod suam formam induceret, imo etiam agens fortius, ignis v. g. si eo instanti applicaretur, quia fortius agit, induceret suam formam, non aer, quamvis permaneret, & si duo agentia æqualis virtutis essent eo instanti

stantiam applicata, neutrum introduceret formam, licet unum præviæ dispositiones ad formam induxisset, quæ omnia parum verisimilia sunt.

Resp. etiam non admittere, & illam distinctionem, & dictum Philosophi, sed non in eo sensu, quo volunt Adversarii, ubi enim per materiam proximam intelligunt ipsam materiam accidentibus teclam & adumbratam, nos intelligimus materiam spoliatam qualitatibus contrariis usque ad ultimum gradum, quem sibi forma vetus determinat, jam jam receptura formam novam consimilem dispositionibus, quæ proximè præcesserunt, unde ex ordine, quem dicit ad agens, ad dispositiones proximè præcedentes, & ad formam de novo recipiendam, dicitur materia proxima, & ultimo disposita. Admittimus etiam dictum Philosophi, volumus enim patiens posse dici bene dispositum, cum remota sint impedimenta, & qualitates contrariæ formæ generandæ, & adhuc probe dispositum ad hanc formam, & non illam, si per has dispositiones, & non illas expulsa est forma antiqua, quia ut diximus, dispositiones præviæ sunt instrumenta naturalis agentis, per quæ determinatur ad hanc formam introducendam, & non illam, licet enim respiciendo subiectum, possint interfere pro introductione alterius formæ, quia illud omnino denudant, & proxime capax reddunt cuiuscunque formæ, tamen respiciendo agens, non possunt illi interfere, nisi pro introductione huius formæ, quia sunt instrumenta accommodata ad hanc præciæ effectum.

Ad Confirm. concedimus primum casum, cum enim dispositiones præviæ non sint necessariae, nisi ad expoliandam materiam qualitatibus contrariis formæ veteræ, si agens reperit materiam nudam; in eo instanti plane poterit introducere formam, qua ratione conceditur etiam casus secundus, etiam si agens debilius introduxisset dispositiones pro forma suæ speciei, nam agens fortius tunc applicatum deleat illas dispositiones, & alias introduceret pro forma suæ speciei. Ad tertium casum dicimus, quod si agentia sunt æqualis virtutis, ut supponitur, vel neutrum ageret, vel ageret ad quendam effectum medium, in quo passum nec perfecte assimilaretur uni, nec alteri, ut Scot. docet 4. dist. 10. quæst. 2. K.

93. Tertio, ex hoc sequitur, quod agens semper efficeret ex quacunque materia effectum sibi perfecte similem in omnibus qualitatibus sibi connaturalibus, quia si prius omnino denudat materiam, & illam relinquit sine ulla repugnancia, & in illam introducitur suam formam perfecte sibi similem in natura specificâ, necesse est, ut ad illam formam consequantur omnes qualitates connaturales, quia nihil est, quod resistat formaliter in ipsa materia, sed experientia oppositum docet; videmus enim multa substantialiter generari cum admixtione peregrinarum qualitatibus ob indispositionem, vel impuritatem materiæ, ex qua generantur. Nec respondere valet cum aliquibus, hanc admixtionem peregrinarum qualitatibus non provenire ex eo, quod in materia aliqua superfuerint reliquæ qualitates contrariæ, sed ex reactione, quæ intervenit in generationibus naturalibus inter qualitates contrarias, hinc enim procedit, quod agens non potest introducere formam perfecte sibi similem quo ad gradus individuales, & hoc obstat, ne consequantur eam omnes qualitates connaturales. Non valet hæc responsio, quia cum agens tandem vincat pugnam, & expellat formam veterem cum omnibus qualitatibus contrariis, cum ejus virtus nullum amplius habeat impedimentum, poterit formam quoad omnes gradus individuales (si istorum haber latitudinem, de quo alias) perfecte sibi etiam similem producere, sicut aqua amoto impedimento se reducit ad pristinam frigiditatem.

Resp. argumentum etiam Adversarios urgere, quia si dispositiones præviæ in sententia ipsorum agunt usque ad expulsiorem formæ substantialis inclusive, certe si corrumpunt formam substantialem, corrumpunt etiam quemlibet gradum qualitatis ejus, quod enim potest in majus, potest & in minus, unde materiam reddent omnino præparatam, & dispositam pro introductione novæ formæ abique ulla penitus admixtione peregrinarum qualitarum, quia nihil est, quod resistat formaliter in materia, nam contrariæ qualitates penitus sunt expulsiæ; Dicendum igitur, sæpius intervenire huiusmodi impuras generationes, quia non semper expellitur a quacunque parte materiæ forma vetus, sed in aliquibus remanent adhuc particule quedam formæ veteris cum contrariis qualitatibus, quæ reddunt generationem imputam, exemplum sit de vino, in quo si admisceatur parum aquæ, illam in se ipsum convertit perfecte, & totaliter, expellendo a partibus materiæ aquæ singulas formæ aquæ particulas cum suis qualitatibus, at si aqua misceatur magna quantitate, ita pugnat cum vino, ut vinum non possit perfecte illam in se ipsum convertere, sed remanet in ipso aliqua adhuc particula aquæ, quæ reddunt vinum impurum, unde ex hoc non sequitur, in generationibus impuris remanere reliquias qualitarum contrariarum in materia geniti, sed remanere etiam aliquas particulas formæ veteris cum illis, in diversis tamen partibus materiæ ab illis, in quibus introducta est forma nova.

94. Quarto, non repugnat, dispositionem manere cum forma, ad quam disponit; Tum quia in animatis organizatio est dispositio ad animam, & tamen manet cum ipsa anima. Tum 2. quia dispositio debet esse in eodem subiecto, in quo forma recipitur, & in eo manere, ut forma dicatur esse in subiecto disposito. Tum 3. quia dispositiones non solum sunt necessariae ad excludendam formam oppositam, sed etiam ad conservacionem novæ, & ad informationem, nam si ad hoc

necessariæ non forent, non esset ratio, cur destructis dispositionibus, destruat & forma. Tum tandem quia non videtur rerum naturis consonum, quod perfectum, ut est forma substantialis, enti imperfectissimo, ut est materia prima, immediate uniatur sine aliquo apparatu.

Resp. ad 1. ex Scoto cit. 4. d. r. q. 5. E. quod duplex est dispositio ad formam, alia, quæ disponit in genere causæ materialis, velut ratio recipiendi, & sic est organizatio respectu animæ, quia anima est actus corporis organici, alia est, quæ disponit solum in genere causæ efficientis, auterendo scilicet impedimenta, quæ obstant introductioni novæ formæ, ut sunt præviæ qualitates in proposito, & tales remanere cum forma non est opus. Ad 2. valet assumptum de dispositione prioris generis, non posterioris, hæc enim sufficit, quod recipiatur in eodem supposito ex Scoto ibidem. Ad 3. dicimus, quod esse genera dispositionum, quædam faciunt pro introductione formæ, & hæc sunt præviæ ad formam, & in ejus adventu recedunt cum forma veteri, quædam pro illius conservacione, & hæc sunt concomitantes, quæ manent cum forma nova. Ad 4. dicimus, formam suapte natura petere, ut immediate conjungatur materiæ ad hoc ut fiat ex ipsis unum per se, ad quod accidens medium nedum non juvat, sed potius efficeret unionem per accidens.

95. Quinto videmus, post instant generationis, formam novam cum suis qualitatibus reperiri, ergo signum est, istas permanisse cum forma in ipso generationis instanti, dicere namque, præviæ qualitates ab agente introductas in ipso generationis instanti perire, & novam a nova forma dimanare, est profus vanum, quia nequit assignari, a quo illæ corrumpantur, & a quo illæ generentur; Probaturs primum, nam dum ignis in aerem suam formam inducit, siccitas, & calor in aerem introductus disponens ad formam ignis, non potest ab ipso igne corrumpi, cum habeat easdem qualitates, neque a forma, quæ inducitur, quia illa requirit istas dispositiones; Probaturs quoque secundum, quia dum frigore interit homo, manet adhuc post mortem aliquis calor in cadavere, sed calor ille nequit a generante produci, scilicet a frigore, neque a forma nova cadaveris, cum potius sit productiva frigoris.

Confirm. quia nec etiam assignari potest tempus, vel instanti, in quo qualitates illæ præviæ corrumpantur, & novæ generentur; Probaturs primum, quia ista forma ultimæ dispositionis in eo instanti, in quo ultimo introducitur, aut simul est cum forma generanda (quia cum corrumpenda consistere nequit) aut tunc ab ea corrumpitur; si primum, habetur intentum; si secundum, ergo in illo instanti simul esset, & non esset, nam in illo instanti terminativo alterationis pericitur ultima dispositio; Probaturs secundum, nam vel novæ qualitates illæ introducuntur ab agente prius natura, quam forma, & sic non materia nuda, sed ultimis dispositionibus affecta subiceretur formæ, vel posterius natura, & sic vocari non possent dispositiones ad formam, cum eam reperiant introductam.

96. Resp. neg. assumptum quo ad utramque partem. Ad prob. primam dicimus, calorem a nullo per se corrumpi, sed per accidens ad corruptionem subiecti, quod erat aer. Ad prob. secundam dicimus, calorem illum non produci de novo, sed esse eundem calorem, qui prius erat in animali interituro, unde argumentum urget Thomistæ, non admittentes formam pluralitatem in composito, ac proinde dicentes, calorem illum de novo produci.

Ad Confirm. negatur etiam assumptum quo ad utramque partem. Ad prob. primam ait Tromb. 8. Met. qu. 2. §. Hæc argumenta, &c. argumentum urgere Thomistæ, qui ponunt, dispositionem ad formam substantialem terminari ad aliquem gradum, ad quem necessario sequitur corruptio formæ veteris; & generatio novæ, nec juvat si dicant, primum esse formæ generandæ esse primum non esse ipsarum dispositionum, nam cum generatio formæ fiat secundum eos in instanti terminativo alterationis, & in eodem instanti acquiritur ultimus gradus dispositionis impossibilis formæ veteri, plane vel in eodem instanti terminativo alterationis simul erunt; & ambo primum esse habebunt, vel in illo eodem instanti simul esset, & non esset: immo cum secundum ipsos ultima dispositio attingat productionem formæ substantialis, oportebit, illam esse in eo instanti, quo forma producitur. At ratio ista non urget Scotistas, ait Tromb. qui ponunt tantum terminum extrinsecum alterationis, & non intrinsecum, & etiam quod nullus est gradus in alteratione inducitur ab alterante, ut alterans est, qui sit impossibilis formæ corrumpendæ, sed talis inducitur, vel a generante, vel a forma genita, unde generatio secundum Scotistas est terminus extrinsecus alterationis, & ideo ipsi rationabiliter dicere possunt, qualitates præviæ corrumpi in ipso generationis instanti, ita quod primum esse formæ sit primum non esse illarum, si generatio fit in instanti, vel ultimum non esse formæ sit ultimum esse illarum, si fit in tempore. Ad 2. prob. live illæ novæ qualitates ponantur a generante produci, sive a forma geniti, de quo in lib. de Gen. dicimus, posterius natura ipsa forma produci, & licet dici nequeant dispositiones ad formam introductam, dici tamen possunt & debent dispositiones ad formam conservandam.

97. Sexto Tromb. loc. cit. ut probet contra Thomistæ, formam em- bryoniam non recedere in adventu animæ, adducit rationes quasdam

quæ generaliter videntur concludere de omni forma disponente, & licet principaliter concludant contra Thomistas, fatetur tamen, etiam aliquas esse a Scottis solvendas, valdeiores jam sunt adductæ, & solutæ, una adhuc restat solvenda quæ confirmare videtur primam rationem adductam, quæ est fundamentum præcipuum adversariorum, Agens nullam formam generat de materia, nisi ad quam materia determinatur per aliquod intrinsecum, ut ait Comment. 12. Met. com. 18, ubi vult, quod agens nihil extrahat de materia, nisi in ipsa sint proportionēs, & habilitates ad formam extrahendam, ergo forma non unitur materiæ nudæ, Confirm. sicut se habet agens in causando effective, ita materia in causando subjective, sed agens non agit, nisi determinatum, ergo &c. Nec sufficit dicere, quod determinetur ab agente, quia agens physicum, sicut in generando præsupponit materiam, ad hoc, ut producat formam, ita ut producat determinatam formam, præsupponit determinatam materiam per prævias dispositiones.

Resp. ex dictis ad 1. negando assumptum, auctoritas Comment. parum refert, cum fuerit illius opinionis, Ad Confirm. dicimus, quod sicut agens naturale illimitatum sapius ex materia subiecta determinatur ad agendum, sicut Sol, qui lumen indurat, & glacem solvit eadem vi calefactiva, & intellectus determinatur ab objectis, ita e contra poterit materia determinari extrinsece ab agente ad talem causalitatem materiam. Neque quod contra hoc obijciatur, officit, nam ut ex materia extrahatur determinata forma, & non quodlibet fiat ex quolibet, sufficit, quod tale agens agat in materiam, prævia hac, vel illa alteratione; nam qualis est alteratio præcedens, talis est generatio subsequens.

98 Septimo tandem arguit Rubion. 2. dist. 12. q. 6. art. ult. Tum quia dum aqua est calida, totum non est immediatus subiectum caloris, quam utraque partium, nam, & materia, & forma est immediatissime calefacta, ergo corrupto toto, & forma, licet corruptatur pars illa caloris, quæ erat in eis, remanet tamen adhuc pars illa, quæ erat in materia. Tum 2. irrationabile est ponere subiectum dispositionis illud, cui repugnat forma, ad quam disponit, sed forma ignis repugnat aquæ, ergo non in aqua recipitur calor immediate, sed in materia prima. Tum tandem quia accidentia formæ substantialis introducendæ, v. g. ignis, magis repugnat formæ substantiali aquæ, & toti composito, quam materiæ, ergo magis conveniens est naturæ rerum, quod recipiantur in eo, velut in subiecto, cum quo minorem habent repugnantiam.

Resp. ad 1. neg. assumptum, calor enim, & cætera accidentia immediate sunt in composito, tamquam in subiecto proximo, & adequato, concomitanter solum, & secundario in partibus ratione totius, ut dictum est quæst. 1. disp. 3. Ad 2. valet assumptum de dispositione, quæ habet rationem receptivæ, & concurrat in genere causæ materialis, non de illa, quæ concurrat tantum in genere causæ efficientis ad expellendam materiam, sicut sunt qualitates præviæ. Ad 3. neg. conseq. cum enim materia nullam habeat repugnantiam cum hoc, vel illo accidente nisi per accidens, ratione hujus, vel illius formæ, qui subest; tunc omnis motus foret per se naturalis, nullus violentus, nisi per accidens, ut dicimus quæst. cit. non est autem rerum naturæ consonum, omnem motum ponere naturalem.

99 Petes, in quo genere causæ concurrant dispositiones præviæ ad generationem novæ formæ, & concomitantes ad conservationem ejusdem. Respon. qualitates præviæ non habere causalitatem in formam, nisi instrumentalem, quæ proinde non attingit illam, sed totaliter consumatur toto tempore antecedente illud indistans, expellendo qualitates contrarias usque ad gradum incompossibilem exclusive, juxta unum dicendum modum a Scoto insinuatam quarta distinct. 12. quæstion. 3. quem communiter sequuntur Scotti, ac proinde, & nos in hac quæst. amplexi sumus, licet, & alter ibidem a Doct. insinuetur non minus probabilis, qui disputat. 7. quæst. 6. articulo 3. a nobis ex professo tradetur, quia non obstat hucusque dictis, & æque bene salvat Doctoris sententiam, quod accidens non possit producere substantiam. An vero concursus iste dici debeat in genere causæ materialis, vel formalis, vel efficientis, est quæstio de nomine; nam in quantum expellunt qualitates contrarias, & materiam præparant pro introductione novæ formæ, concurrent in genere causæ materialis: quatenus in subiecto introductæ expellunt formaliter qualitates contrarias ab eodem subiecto, sic possunt dici concurrere in genere causæ formalis, ut notavit Ruvius 1. de Gen. cap. 4. tract. 3. quæst. 10. Et tandem ut sunt instrumenta, quibus utitur agens ad expellendam formam, & dispositiones contrarias, dici possunt concurrere in genere causæ efficientis instrumentalis, ut ait Scot. 4. dist. 1. quæst. 5. E. calor enim in aqua est instrumentum separatum ignis, sicut calor inherens igni est instrumentum conjunctum; dispositiones etiam concomitantes possunt dici concurrere in genere causæ efficientis ad informationem, & conservationem formæ in subiecto, quatenus illam tuentur a contrariis eo modo, quo vires, & milites Regis illum dicuntur in regno conservare.

ARTICULUS II.

Unionem aliquid superaddere partibus indistantibus, quo invicem neantur, demonstratur.

100 DICIMUS, materiam, & formam non uniri se ipsis formaliter, sed media unione illis superaddita. Ita Scotus loc. cit. Bassol. 2. dist. 12. quæst. 2. art. 4. Fuentes 1. Phys. quæst. 5. diff. 1. art. 1. & 2. neque hunc unionis modum negat Sghemma 1. Phys. digress. 7. quæst. 5. sed tantum in sensu, quo ponitur a Recentioribus, & Prob. 1. ex Scot. 2. dist. 7. quæst. 4. S. Contra istam opinionem, &c. Si unio materia, & formæ nihil prorsus superaddit earum entitatibus absolutis, ergo perpetuo manebit compositum substantiale ex eis, nam facta illarum separatione, manent adhuc secundum totam earum entitatem absolutam, ergo manent adhuc realiter unitæ, atque ita semper manet compositum, quamdiu manent entitates absolutæ illarum, vel ut ait Bassolius, materia, forma nunquam poterunt separari, quia unio est eadem essentialiter illis.

Resp. Nominales, ultra entitates absolutas partium requiri etiam indistantiam, & approximationem illarum, & non per se sumptas constitutur totum, sed ut conjunctas, & unitas. Sed contra. Tum quia, ut ait Lich. 2. d. 1. q. 4. approximatō secundum Nominales nihil reale importat ultra res approximatatas, sed solum negationem mediæ interjectæ. Tum quia potest Deus conservare materiam, & formam intime presentes sine ulla informatione, & potest anima rationalis a corpore dissolvi secundum informationem, & non secundum unionem localem, in quo casu anima corpus non vivificaret, nec hominem constitueret, ergo ad constitutionem compositi, præter indistantiam localem, superaddendus est novus modus unionis substantialis. Tum denique quia ex partibus unitis tale fit compositum, qualis est unio illarum, sed approximatō, & indistantia localis est unio prorsus accidentalis, & extrinseca, ergo non sufficit ad constitutionem compositi substantialis, imo neque accidentalis, quia unio, quæ est inter accidens, & subiectum, præter indistantiam localem, addit respectum informationis, ut Scot. docet 2. dist. 1. quæst. 7. Hh. ex Arist. 5. Met. 13.

Respondent, quod cum dicunt, materiam cum forma intime coexistentem constitutur compositum, id non debet intelligi de materia nude sumpta, sed debite disposita, nam in hoc sensu forma illi localiter conjuncta constituit compositum. Sed contra. Tum quia dispositiones in materia non sunt simpliciter, & absolute necessariae ad constitutionem compositi, imo de facto tales non mediant in ratione receptivæ inter materiam, & formam, ut visum est artic. præced. atque ideo potest saltem Deus constitutur compositum, copulando formam cum materia sine his dispositionibus, ergo unio substantialis aliquid superaddit materiæ, & formæ cum indistantia, & accidentalibus dispositionibus. Tum etiam quia potest adhuc conservare Deus animam corpori disposito intime presentem absque eo, quod illud vivificet, ergo unio aliquid plus importat, quam indistantia localis formæ a materia disposita. Tum tandem quia, ut dicimus quæst. sequent. intima presentia partium ad invicem, quomodocumque ponatur, semper spectat ad prædicamentum ubi, unio vero earum ad invicem ad prædicamentum habitus, ergo hæc aliquid illi superaddit.

101 Secundo partes non constitunt totum nisi unitæ, ergo non consistit unio in sola entitate illarum, sed aliquid necessario eis superaddit; Consequentia patet, quia si nihil superaddit, ergo etiam antea unitæ erant. Accedit ut Bassol. loc. cit. quod cum nunc sint unitæ, & non antea, oportet, quod in illis, vel in aliqua illarum sit facta mutatio, sed realis mutatio non fit sine acquisitione alicujus de novo in re, quæ dicitur mutari, ergo hoc, quod est, partes esse unitas, dicit aliquid superentitatis absolutas illarum, probatur major, quia non fit transitus de contradictorio in contradictorium sine mutatione illi proportionata, ergo cum hic transitus sit realis, & physicus, fiet cum mutatione reali, & physica, probatur minor, mutari, est rem aliter se habere nunc, quam prius, sed non aliter se habet res, si nihil prorsus sibi additur, vel detrahatur, ergo &c.

Respondent, fieri transitum realem, tum ratione indistantiæ localis, quia partes modo sunt approximatæ, & prius erant distantes; tum ratione dispositionum, quia materia nunc est disposita, & prius erat indisposita. Sed contra; Tum quia falsum est, transitum de distantia ad indistantiam esse realem secundum Nominales, quia amittendo distantiam, nihil reale amittitur, & acquirendo indistantiam, nihil reale acquiritur. Tum quia licet transitus materiæ de esse indisposito ad esse dispositum sit realis, tamen non est absolute necessarius ad compositi constitutionem, sed tantum secundum communem naturæ cursum. Tum tandem quia potest conservare Deus, ut dicebamus, per aliquod tempus animam intime præsentem corpori, ita quod sit solum assistens, & postea illam uniri eidem corpori substantialiter, ita quod sit forma informans, & in hoc casu adhuc daretur transitus de contradictorio in contradictorium, quia anima prius non erat unita corpori per informationem, sed per simplicem assistentiam, postea est unita corpori per informationem, nec potest hic transitus salvari per indistantiam localem, aut materia disposita.

dispositionem, quia etiam prius supponebatur præfens corpori disposito, ergo &c.

102 Tertio tandem id probat Doctor loc. cit. argumento desumpto ex mysterio Incarnationis, quia si unio hypostatica nihil superaddit entitatibus Verbi, & naturæ assumptæ, semper natura humana illi foret unita, etiam si eam deponeret, quia facta tali depositione, adhuc salvatur tota realitas extremorum, cui nihil reale prorsus superaddit unio hypostatica secundum hanc sententiam. Nec dici potest, ultra entitates Verbi, & naturæ exigi indistantiam amborum, ut natura dicatur a Verbo assumpta, quia Verbum ratione suæ immensitatis, semper indistans est a quacumque natura creata, ergo unio hypostatica aliquid superaddit Verbo indistanti ab humanitate.

Respon. aliqui, concedendo, unionem hypostaticam aliquid superaddere extremis unitis, quia extrema illa, scilicet natura, & Verbum, nullam habent inter se naturalem proportionem, & ideo indigent aliquo medio, quo uniantur, sed materia, & forma, cum inter se habeant naturalem proportionem, nullo indigent vinculo medio, quo connectantur, sed se ipsis immediate uniantur. Sed contra. Tum quia si Verbum quamvis infinitæ perfectionis non potest uniri naturæ, nisi medio unionis vinculo, tanto minus, ut ait Amicus loc. cit. uniri poterit materia, & forma sine medio, cum sint extrema inferioris perfectionis; Tum quia potentia vitales cum suis objectis maximum habent connaturalem proportionem, & tamen illis uniantur mediis actibus. Tum tandem quia proportio naturalis inter aliqua extrema non tollit necessitatem unionis, sed tantum facit quod unio illa sit naturalis, ubi inter naturam, & Verbum est unio supernaturalis.

In oppositum obijciunt primo. Tum quia Aristot. 8. Metaph. text. 15. & 2. de Anim. text. 2. air materiam, & formam immediate uniri, quia sunt per se actus, & potentia, & ex eis fieri per se unum, quia hoc est per se potentia, illud per se actus, nec meminit unionis substantialis, ratione cuius fiet per se unum, imo ibidem dividens substantiam, recenset solum materiam, formam, & compositum, & de ista unione, nec verbum quidem. Tum deinde si datur unio medians inter materiam, & formam, ergo non erit immediate unita, & sic non constituet per se unum. Tum etiam 3. quia sunt seipsa proportionata, ergo seipsa unibilia. Tum 4. quia partes integrantes in continuo seipsi uniri possunt sine indivisibilibus, ergo etiam partes essentielles sine modo unionis. Tum denique quia etiam iste modus unionis alio medio uniri debet partibus, vel si se ipso uniri potest, id etiam dicendum erit materiæ, & formæ; præsertim quia majorem inter se habent proportionem, quam cum unione ipsa.

103 Respon. Philosophum non dicere, materiam, & formam immediate uniri, sed ex eis fieri per se unum, quia hoc est per se actus, & illud per se potentia, quod utriusque verum est, nec necessaria est ista unio velut causalitas, aut ratio causandi per se unum, ut patet ex dictis de causalitate materiæ, & formæ, sed tamen requiritur, ut nexus earum; neque talis nexus tollit immediationem inter partes, imo est ratio, per quam immediate dicuntur unitæ; Aristot. vere ibidem dividendo substantiam, non meminit unionis, quia unio re vera non est substantia, sed accidens, licet sit substantialis, ut dicemus q. seq. Ad 2. neg. conseq. quia unio non mediat inter extrema ut Quod, seu ut aliquid unitum, sed solum ut Quo, & ut ratio formalis uniendo; hæc autem non tollit, ut dicebamus, immediationem rerum, quæ per illam uniantur, sicut cum oculus videt parietem, licet mediet visio, non tamen illum mediate videt, quia visio non mediat nisi ut ratio formalis videndi. Ad 3. negatur etiam conseq. quia non indigent unione, ut proportionentur ad invicem, sed ut formaliter uniantur. Ad 4. negatur assumptum, ut patet disp. de Continuo, imo Philof. c. de quantitate ait continuam esse illam, cuius partes copulantur termino communi. Ad 5. negatur conseq. sic enim unio unit extrema inter se, ut illam copulando uniat se ipsam illis, quod explicari solet exemplo glutinis duas papiros glutinantis, ita enim glutinat eas inter se, ut etiam glutinet se ipsum illis; Nec tamen hinc sequitur, quod etiam materia, & forma debeant se ipsis immediate uniri, quia quod est alteri ratio formalis essendi tale, ipsam non est tale ut Quod, sed tantum, ut Quo, sic motus non movetur, actio non agit, ubi non est in loco, quia sunt rationes formales, cur mobile moveatur, agens agat, &c. cum igitur unio sit ratio formalis, cur materia, & forma uniantur, se ipsa unitur illis, & ita loquitur Scot. 4. d. 12. q. 1. de unione accidentis ad subiectum, quod nimirum se ipsa unitur, & inhaeret, & non media alia inhaerentia.

104 Secundo obijciunt Rubion. 4. dist. 12. quæst. 1. art. 2. (licet ibi loquatur de unione formæ accidentalis, sed quo ad hoc est eadem ratio de unione utriusque quia utraque unio aliquid superaddit extremis unitis) Tum quia hæc unio vel præcedit formam in materia, vel est simul natura cum ea, cum incipit esse in subiecto, vel est posterior; primum, & secundum dici nequit, nam cum unio fit respectus, debet extrema præsupponere, si ergo præsupponit formam in subiecto, jam unio ista prorsus erit superflua; Tum quia materia est immediatius perfectibilis per formam substantialem, quam per accidentalem, ergo non immediatius attingitur ab unione, quam a forma. Tum denique vel forma potest inefficaciter circumscripto quocumque respectu, vel non, si primum, ergo superfluit unio, si secundum, dici non potest, quia nullum posterius

Maffrii, & Belluri Tom. II. Physice.

sequitur necessario prius, a quo realiter distinguitur, hæc autem unio ponitur posterior extremis, & ab eis ex natura rei distincta.

Resp. ad 1. unionem supponere formam in materia prioritate naturæ, sicut universaliter relatio supponit extrema, sed quia in priori signo non dicuntur unita, nisi fundamentaliter, ideo in posteriori signo resultat unio inter illa, ratione cuius dicuntur formaliter unita, sicut a pari, substantia in priori signo intelligitur existens, & non subsistens, nisi fundamentaliter, & radicaliter, in posteriori vero in ea resultat subsistentia, ratione cuius dicitur formaliter subsistens, & hoc est commune omnibus extremis relationum conceptis præcisa relatione; sic enim duo alba dicimus fundamentaliter familia antecedenter ad relationem similitudinis, a qua postea superveniente in posteriori signo naturæ formalem denominationem similis suscipiunt, ut late docuimus in Log. disputat. de relatione; quod autem ajunt Scottista quidam, unionem in materia præcedere formam, nec esse universaliter verum, quod relatio supponat extrema, sed interdum præcedere, piaculum est, ac magnum nefas in Schola Subtilium, ut in hac disput. quæ 2. demonstravimus ex mente Doct. expressa. Ad 2. dicimus, unum non impedire, quia materia immediate periciatur a forma substantiali, quia unio non est id, quod recipitur in materia, sed id, quo aliud recipitur, scilicet forma, neque est id, quod pericit materiam, sed quo forma pericit eam. Ad 3. dicimus, nec esse, nec cogitari posse formam subiecto formaliter unitam sine unione, & falsum est universaliter, nullum posterius sequi necessario suum prius, a quo realiter distinguitur, nam substantia sequitur substantiam, relatio extrema, &c.

Fuentes 1. Phys. q. 5. n. 12. & 14. inquit, unionem non poni tantum, ut extrema dicantur formaliter unita, sed etiam ut simpliciter uniantur, unde præcisa unione, inquit, extrema nec etiam fundamentaliter posse dici unita, quo dato, argumentum Rubion. relatum non facile solveretur, unde præstat dicere, extrema ante illius resultantiam intelligi fundamentaliter unita.

QUESTIO IX.

Quid sit unio substantialis, & Quomodo a partibus distincta.

105 CONSTAT ex dictis, unionem formæ cum subiecto aliquid eis superaddere ultra indistantiam amborum, & rationes æque probant de unione formæ accidentalis, ac substantialis. Hæc vero præsertim querunt de natura unionis substantialis. Recentiores communiter ajunt, esse modum quandam substantialem, quo materia, & forma inter se substantialiter uniantur, sed differant in explicanda natura hujus modi substantialis, volunt enim aliqui, esse entitatem absolutam, quæ sit terminus actionis unitivæ, quam deinde consequitur relatio accidentalis unionis, per quam partes denominantur unitæ, talis videtur esse opinio Murciae 1. Phys. disput. 2. q. 3. ubi ait, unionem esse modum absolutum substantialem; ex quo nascitur relatio quadam secundum esse inter partes, pro qua citat Cajetan. & Saar. Alii vero ponunt, hunc modum substantialem esse modum essentialiter relationis transcendentalis, & hæc est communior opinio inter Recentiores, quam sequitur Suarez, & Valquez cit. q. præc. Ruvius 1. Phys. tract. 2. quæ 6. Hart. disp. 5. sect. 4. §. 28. Ayerla quæ 19. sect. 7. Amicus 1. Phys. tract. 11. q. 10. dub. 2. art. 3. & alii passim, ubi etiam pro hac opinione, & immerito, citat Scotum, ut videbimus.

Antiquiores vero Scholastici unanimiter docuisse videntur, hunc unionis modum esse relationem prædicamentalem mutuum in utroque extremo, merito cuius materia dicatur unita formæ, & forma materiæ, & hæc præsertim fuit aperissima Scoti sententia in 3. d. 1. q. 1. §. De primo dico &c. in 4. dist. 12. q. 1. §. Ad quartum dubium &c. quibus in locis etiam expresse, esse relationem prædicamentalem illius ordinis, quæ dicatur præsertim in schola nostra extrinsecus advenientes, quem sequuntur Scotti omnes Bassolius 2. d. 12. q. 2. art. 4. Faber disp. 3. cap. 2. Rada 3. par. contr. 3. art. 4. & alii passim, quam sententiam Lorca in 3. p. disput. 15. n. 8. censet probabilem.

Dubitatur etiam, quoniam distinctionis genere unio a partibus unitis distinguitur, certum est utique apud omnes, unionem ita a partibus distingui, quod partes sine illa existerent possunt, non e contra; sed quia & unio est modus partium unitarum, & præfata distinctio est propria modi a re, cuius est modus, hinc Recentiores distinctionem unionis a partibus unitis volunt esse modalem, & non realem, ita Auctores omnes citati. Alii vero, quamvis unio nequeat esse sine extremis unitis, adhuc contendunt posse appellari realem, imo & ipsam unionem posse dici rem, quæ est lis de nomine, ut postea dicemus.

106 Dicendum est, unionem materiæ, & formæ non esse entitatem substantialem absolutam, aut etiam essentialiter relativam, sed esse merum respectum extrinsecus evenientem de genere actionis, vel passionis, aut potius habitum distinctum ab extremis realiter vel modaliter juxta variam acceptionem rei, & distinctionis realis. Conc. quo ad omnes partes est Scoti loc. cit. & Prob. 1. quod unio non sit entitas substantialis, tum auctoritate Philof. qui 2. de An. text. 2. & 3. Met. text. 15. enumerans entitates substantiales, hujus unionis nullam mentionem facit nec ibi, nec alibi, tum etiam ratione; nam vel ponitur entitas substantialis, ut salvetur esse modum sub-

stantialem, & substantialiter unientem extrema, vel ad terminandam actionem unitivam, quæ est actio substantialis, ideoque terminum substantialem habere debet; vel denique ponitur entitas substantialis ad fundamentum relationem novam prædicamentalem unionis, his enim de causis poni solet entitas substantialis, sed nullum horum est sufficiens motivum ad asserendum, unionem esse entitatem substantialem, ergo &c. Probatur minor, ut incipiamus ab ultimo; Non est ponenda ad fundandam unionem relationem prædicamentalem, ad quam consequatur; tum quia unio non est relatio intrinsecus adveniens, quæ consequatur entitatem alterius, sed est extrinsecus adveniens per se producibilis per veram actionem, & per verum motum acquisibilis, ut docet Doct. 3. d. 1. q. 2. K. tum quia ratio proxima fundandi unionem relativam inter materiam, & formam, ex parte materiæ est per se potentia, ex parte formæ est per se actus, ut clare docuit Philos. dum loc. cit. assignans rationem per se unionis materiæ, & formæ, ait, quia hæc est per se actus, illa per se potentia; Tum etiam quia modus ille unionis substantialis in uno tantum esset extremo iuxta communiorum Recentiorum, ergo non potest poni sufficiens ratio fundandi unionem relativam, quæ est relatio mutua, in utroque extremo exigens rationem proximam fundandi; Tum denique quia frustra ponuntur duæ uniones, una substantialis, & alia relativa, cum una sufficiat, unde Averfa loc. cit. negat aliis hanc unionem relativam consequentem unionem substantialem.

Neque ponenda est entitas substantialis ex 2. cap. ad terminandam scilicet actionem substantialem unitivam, quia hæc actio non dicitur substantialem intrinsece, quasi terminum substantialem attingat, sed tantum extrinsece eo modo, quo generatio sumpta pro prævia alteratione dicitur substantialis, nam si per eam produceretur terminus substantialis, sequeretur, materiam prius substantialem mutari, recipiendo in se unionem, quam mutetur per formam, quod falsum est, quia secundum omnes Philosophos, materia non mutatur substantialem, nisi per formam, quod si unio ponatur in forma, sequitur, formam esse subiectum mutationis substantialis, quod etiam falsum est in bona Philosophia. Probatur consequentia quoad utramque partem, hæc enim unio in sententia Adversariorum per se producitur per veram actionem, & vere terminat motum, & distincta actione producitur ab illa, qua producitur forma, quod saltem in hominis generatione negare non possunt, in qua animam ponunt a Deo produci, unionem vero substantialem ab homine, si igitur in forma recipitur, velut in subiecto, jam forma erit subiectum mutationis substantialis, acquirit enim in se per verum motum aliquid substantiale, quod prius non habebat; si vero in materia immediate recipitur, velut causalitas per quam forma in sua entitate a materia dependet, vel saltem quo ad esse unitum, plane erit prior ipsa forma, atque ita prius per unionem materia mutabitur substantialem, deinde per formam prius saltem prioritate naturæ, atque in qualibet transmutatione unius entis in aliud duplex intervenit generatio substantialis, & duplex corruptio, unionis scilicet, & formæ.

107 Nec denum ex alio cap. unio poni debet substantia, quia nimirum est unio substantialis, non enim unio dicitur substantialis, quia formaliter sumpta, ac entitative importet substantiam, aut modum substantialem, sed sicut actio productiva termini substantialis entitative est accidens, denominatur tamen substantialis a termino producto, qui est substantia, ita unio dicitur substantialis, quia est inter substantias subrationibus, ut docet Scot. 3. dist. 7. quæst. D. sicut a pari relatio identitatis, & distinctionis, quamvis sint accidentia prædicamentalia, identificant tamen, & distinguunt substantialem extrema. Ratio hujus in universum est, quia unio substantialis, sicut & accidentalis, non dicuntur tales, quia sint accidens, aut substantia, seu modus substantialis, ut Adversarii fingunt, sed ea ratione dumtaxat, quod sunt, ut ad substantiam in ratione substantiæ, vel ad eandem sub ratione aliqua accidentali, aut ad accidens ipsum, qui modus denominandi uniones in aliis etiam observatur, non enim dicitur unio hypostatica, vel naturalis, quia est per hypostasim, vel naturam, sed ad hypostasim, vel naturam; pariter nec corporalis, aut spiritalis dicitur unio, quia sit per formam corpoream, aut spiritualem, sed quia est ad formam corpoream, vel spiritualem, & sic de cæteris, unde etiam unio hypostatica humanitatis assumpta non est dicta substantialis, quia per modum substantialem creatura facta sit, ut putant Adversarii, sed quia est ad hypostasim, & personam divinam, quæ substantia est; ut colligitur ex Conciliis, & præcipue ex decreto 6 Synod. generalis, & hoc valde notandum est in præsentia materia, nam hinc facile deducitur, quare materia, & forma substantialem uniantur, non sic substantia, & accidens, intellectus cum objecto intelligibili, Orbis cum Intelligentia, materia enim unitur formæ, qua ratione substantialis actus est, intellectus autem cum objecto, qua ratione intelligibile, & Orbis cum Intelligentia, qua ratione ipse est mobilis, & ipsa motrix.

Resp. Hinc Averfa, Amic. loc. cit. falsum esse, unionem non esse intrinsece substantialem, sed extrinsece tantum, & terminativam, quia scilicet inter substantias reperitur, ordinatur ad compositum substantiale, falsum est (inquunt) quia non ordinatur ad compositum substantiale, ut terminum extrinsecum, sed ut terminum, in quo essentialiter includitur,

& ideo debet esse secundum essentiam substantiale quid, quia accidens non potest includi in conceptu substantiæ, cum substantia non componatur ex accidentibus.

Sed falsum est, unionem includi in essentia compositi, ut fuisse probabimus infra, natura enim hominis, & leonis est absoluta, non relativa, & essentialiter concipiuntur, si concipiuntur ad se præcisio quocumque respectu etiam transcendentali. Nec obstat, quod præxigatur, & coexistat ad essentiam compositi, quæ est absoluta, nam ut docet Doct. 3. d. 2. q. 2. F. tota entitas potest esse absoluta, & tamen exigere respectum velut conditionem necessariam ad ejus constitutionem, & conservationem, sic ad effectum requiritur ordo, & applicatio causæ, & tamen effectus est absolutus, & ratio hujus est, quia non quicquid requiritur ad aliud, est illud idem esse, ad quod requiritur. Accedit, quod, ut Amicus ipse concedit loc. c. a. 1. Not. 2. unio specificatur ab extremis formaliter sumptis, non materialiter, quia dum extrema possunt vario modo uniri, inspicienda est ratio formalis, secundum quam uniantur, nam si materia v. g. & forma uniantur tantum, secundum locum, unio erit accidentalis, quia uniantur secundum rationes accidentales, licet sint substantiæ, si vero uniantur secundum rationem actus, & potentia, unio erit substantialis, quia fit secundum rationes substantiales, ergo hoc solum sufficit, ut unio materiæ, & formæ ordinata ad compositum constituendum, dicatur substantialis, nec ad hoc requiritur, quod includatur in essentia compositi.

108 Secundo Prob. non esse entitatem absolutam, sed mere respectivam ex Scot. 3. dist. 1. quæst. 1. Tum quia unio non est ad se, sed ad aliud, & unio est unitivum unio: Tum quia intellectus in partibus quocumque absolutus, non intelligitur unitæ, nisi quousque concipiatur habitudinem unius partis ad aliam. Tum etiam, quia, ut ait Bassolius cit. omne absolutum potest intelligi quidditative, non cointellecto alio extrinseco, sed implicat intelligere unionem formæ ad materiam, non intelligendo materiam, & e contra, ergo unio est essentialiter relatio.

Respondent, concedendo, unionem non esse entitatem mere absolutam, sed intrinsece includere habitudinem transcendentalem ad res unitas, & ideo non est relatio prædicamentalis, sed transcendens, & potest utriusque talis relatio esse de essentia absoluti. Sed contra, quia, ut probavimus d. 2. q. 5. a. 5. propositio illa, quod respectus non est de essentia absoluti, est universaliter vera de quocumque respectu, semper enim contradictoria sequuntur, quod idem secundum eandem formalitatem, & essentiam suam esset ad se, & non ad se, ad aliud, & non ad aliud; Nec juvat dicere, hæc enunciari sub diversis rationibus; nam est ad se quatenus entitas absoluta est, ad aliud, quatenus transcendentem relatiua; Tum quia unio secundum totam suam realitatem est ad aliud, & ad aliud refert, & implicat concipere unionem in ratione unionis ad se, & non ad aliud, ergo nihil proferri includit absoluti. Tum quia qualibet res est in una dumtaxat specie a thoma constituta per unicum, & ultimam differentiam specificam, neque aliqua res constare potest ex duabus realitatibus specificis, a quibus duo prædicata contradictoria fumantur, quia sicut prædicata contradictoria inter se impossibilia sunt, sic realitates specificæ a quibus fumantur, ergo impossibile est aliquam entitatem reperiri, quæ quidditative considerata, & secundum rationem suam specificam, quæ unica est, sit ad se, & non sit ad se, ad aliud, & non ad aliud.

Accedit, ita accidere materiæ, vel formæ esse unitam, sicut accidit Petro esse similem, ergo non est relatio transcendens sed prædicamentalis. At dicunt, in relatione transcendentali considerari debere id, quod proxime, & immediate denominatur ad aliud, non vero remote, quia comparatione subiecti remoti etiam transcendentis relatio dicitur accidere subiecto, sic scientia dicitur essentialiter referri ad scibile, relatio transcendentis, intellectus vero accidentaliter tantum, quatenus sibi accedit ipsamet scientiam, quæ est subiectum immediate relatum per relationem transcendentem; sic in proposito inquirunt, quamvis esse unitum accidat subiecto remoto, scilicet materiæ, vel formæ, non tamen subiecto immediate relato, quod est ipsamet entitas absoluta unionis.

Sed contra, quia profusus falsum est, unionem esse relatum, cum potius sit ipsamet ratio referendi extrema ut unita, quare, cum ejus subiectum proximum sit materia, & forma sub ratione actus, & potentia, & illis accidat non minus, quam similitudo Petro, & paternitas Paulo, consequenter fatendum est esse relationes prædicamentales, non transcendentales, per hoc enim distinguuntur hujusmodi relationes inter se, quod prædicamentales penitus accidunt subiectis, non autem illæ, ut dictum est in Log. disp. 8. quæst. 1.

109 Tertio, quod dicat respectum extrinsecus advenientem, probat Doct. 4. dist. 12. quæst. 1. N. quia non sequitur necessario extrema posita in esse, potest enim Deus materiam, & formam separatas conservare sine unione, & potest unio terminare per se actionem unitivam agentis, seu unionem, ut docet ex professo 3. dist. 1. quæst. 1. §. Ad aliud &c. & quod. 11. ergo est relatio extrinsecus, non intrinsecus adveniens, quia ad nullam talem est motus 5. Phys. text. 10. Cujus autem generis illorum sex sit unio ait Doct. 4. dist. 12. qu. 1. C. quod forte pertinet ad genus passionis, si passio dicat non tantum respectum passivi ad agens, sed ad formam, vel ad genus actionis, si actio dicat, non tantum respectum

agentis ad patiens, sed formæ informantis ad illud, quod informatur; Bassolius autem adhuc non minus probabiliter 4. d. 12. qu. 1. art. 1. inquit, speculare ad prædicamentum habitus quod probat, quia talis habitus est aliquo modo derelicta ex adjacentia formæ ad subiectum, vel est ipsamet adjacentia talis; quod etiam confir. potest ex ipso Auctore sex principiorum, qui ponit in eo prædicamento album esse, & quantum esse, quod non est, nisi habere quantitatem, & qualitatem inhærentem, qui consonat, quod ait Doct. 1. d. 3. q. 7. Y. ubi inquit, quod habere qualitatem, est esse quale, unde in Log. præcipue constitutum prædicamentum habitus in illa mutua habitudine, qua subiectum dicitur habere formam, & forma haberi a subiecto: quare melius constituitur unio formæ ad subiectum in prædicamento habitus, quam in prædicamento actionis, vel passionis, quia a passione verbi gratia dicitur subiectum calefactum, sed ab unione caloris dicitur calidum, & in ista denominatione exprimitur sola receptio, non autem passio, quia cum passio sit actus hujus ab hoc, non dicitur receptionem formæ quocumque modo, sed ut est in fieri ex vi agentis.

Quarto, Tandem quod distinctio unionis ab extremis possit appellari realis; & modalis juxta variam acceptionem rei, & distinctionis realis, quæ erat ultima pars concl. Prob. ex Scot. in 2. d. 1. q. 5. D. §. Quod si ad hoc &c. ubi ait, quod qui continentur relationes, qualis est unio, appellare modos, & non res, contendant de nomine rei, & modi, licet enim modus non sit ita res, sicut illa, cujus est modus, non tamen nulla res est, sicut nec ullum ens, quia tunc nihil esset, quod ex August. probat, ut est videre ibi; poterit igitur in vario sensu appellari distinctio ista realis & modalis. Verum tamen est, ut notavimus in Log. disp. 2. q. 3. art. 1. in explicatione distinctionis realis, & disp. 8. qu. 3. art. 1. versus finem, dum loqueremur de distinctione relationis a fundamento, quod respiciendo naturam distinctionis in se, & non denominationem a modo desumptam, debet potius dici realis, quam modalis, non enim ex hoc, quod subiectum potest esse sine modo, & non e contra, hæc præcisio causa realis distinctio debet dici modalis, nam etiam inter Deum, & creaturam non alia versatur distinctio, nisi hæc, quod Deus sine creatura existere potest, & non e contra, & tamen cum omni proprietate hæc distinctio dicitur realis. Nec valet, quod dicunt aliqui distinctionem hanc non posse dici modalem, quia creatura non est modus Dei, nec illum afficit in ratione modi; nam potius ex hoc confirmatur, quod dicimus, scilicet, quod respiciendo naturam hujus distinctionis in se, quam moderni appellant modalem, realis potius dici debeat, absolute loquendo, & solum denominari modalis, quando res quæ sine alia existere nequit, bene tamen e contra, est modus illius, & eam afficit in ratione modi, quod eo vel maxime dicendum est, quia loquuntur de modo rei extrinseco, non autem intrinseco.

110 In oppositum objicitur 1. ad probandum, quod modus unionis sit substantia, & non accidens; Tum quia unio debet esse proportionata composito, quod ea media fieri debet, quia qualis est unio, tale est compositum ex ea resultans, ergo compositum substantiale exigit unionem, quæ sit modus quidam de genere substantiæ. Tum 2. quia substantia non potest constitui in esse substantiæ, nisi per entitatem substantialem, sed talis est hæc unio, quod per eam vere constituitur substantiale compositum, ergo vere erit substantia, & modus substantialis. Tum 3. quia si unio est formaliter accidens, ergo accidentaliter unit, quia causa formalis non producit effectum se ipsa perfectiorem. Tum 4. quia nulla unio magis proprie debet esse substantia, quam illa, quæ formaliter est per aliquod accidens, ergo si ista unio est accidens, materia, & forma sunt accidentaliter unita. Tum 5. si est accidens, ergo non potest esse ratio formalis ad faciendum unum per se substantiale. Tum denique quia terminus formalis generationis substantialis debet esse substantia, hic autem terminus est ipsa unio, quod præsertim nequit in homine negari, ubi nec materia, nec forma generatur, sed tantum unio, & ideo homo dicitur generare hominem, quia attingit unionem.

Respondeo ad primum negando consequentiam, quia unio, quæ exigitur ad compositum substantiale, non dicitur substantialis, quia formaliter importat substantiam, aut modum substantialem de genere substantiæ, sed quia inter substantias intercedit sub rationibus formalibus substantiæ. Ad 2. neg. minor ex Scot. cit. 3. d. 1. q. 2. F. unio enim solum præxigatur, vel coexistitur, ut conditio necessaria ad constitutionem compositi, & conservationem, unde neque dicimus, compositum ex unione constitui, vel constare, sed ex partibus; neque ex unione fieri, sed per unionem, qui modus dicendi indicat, unionem, vel esse causalitatem partium in ordine ad totum, vel verius applicationem illius, nullum autem tale est de essentia effectus producti, licet necessario prærequisitum.

Ad 3. unio accidentaliter unitur, quando extrema uniantur sub ratione aliqua accidentali, non autem quando uniantur sub ratione substantiali, non enim unio dicitur substantialis, vel rationalis, eo quia sit substantia, vel accidens, semper enim est accidens, sed quia est ad substantiam sub ratione substantiæ, vel ad accidens, aut etiam ad substantiam, sub ratione tamen accidentali, neque in proposito causa formalis producit effectum se perfectiorem, quia hæc unio vere est substantialis, & ideo substantialem unit, & effectus formalis unionis est unio præcisio, quod vero uniat accidentaliter, vel substantialem, oritur potius ab extremis, quæ ex innata eorum pro-

portione nata sunt uniri sub ratione aliqua substantiali, ut est de materia, forma, vel accidentali, ut de subiecto, & accidente. Ad 4. patet per idem. Ad 5. concedimus totum, neque enim unio illa est ratio faciendi unum per se, ut ex professo docet Arist. 8. Met. 16. sed ideo hoc fit, quia materia est per se potentia, forma per se actus, nec enim Arist. unquam aliam agnovit rationem fundandi hanc per se unitatem compositi, quam rationem propriam materiæ, & rationem propriam formæ. Ad 6. ait Bassolius loc. cit. quod unio non est per se terminus generationis, nec Quod, nec Quo, sed ipsum compositum est terminus Quod, & forma est terminus Quo generationis, unio autem est terminus actionis distinctæ, quæ dicitur unitiva, & in generatione hominis homo dicitur hominem generare, quia per actionem substantialem introducit formam mixti in materia, quæ est veluti ultima dispositio, ad quam necessario sequitur animæ infusio; an vero præter hanc attingat etiam unionem animæ, suo loco dicemus.

111 Secundo objicitur ad probandum, non esse purum respectum prædicamentalem. Tum quia ad relationem non datur per se motus, nec actio, sed unio propria actione producitur. Tum 2. relatio non præsupponitur ad substantiam, nec ad ejus esse est necessaria, sed unio est necessaria ad esse compositi. Tum 3. quia omnis relatio prædicamentalis fundata est super unum vel multa, aut super actionem, & passionem, aut super mensuram, & mensurabile, 5. Met. tex. 20. sed ista unio in nullo istorum fundatur, ut patet dicendo, ergo &c. Tum 4. compositum substantiale est per se unum, sed si unio esset relatio, esset unum per accidens, quia compositum est unum per unionem. Tum 5. illa, quorum unio est ordo, vel relatio, non sunt simpliciter unum, sed materia, & forma faciunt unum simpliciter, ergo unio ipsarum non est relatio, nec ordo.

Resp. ad primum ex Scoto citato majorem valere de respectu intrinsecus adveniente, non extrinsecus, qualis est unio. Ad secundum resp. ex eodem, relationem non præsupponi ad substantiam, nec ad ejus esse necessariam esse, ut principium constitutum illius, posse tamen præxigi, vel coexisti, ut necessariam conditionem. Ad 3. ait Bassol. cit. majorem valere de respectu intrinsecus adveniente; potest etiam dici, quod fundatur super potentiam activam, seu informativam formæ, & passivam materiæ. Ad 4. ait idem, compositum non esse unum per illam unionem, sed per propriam unitatem, per unionem vero materiæ, & forma dicuntur unitæ, & quidem per se, quia sub rationibus substantiæ actus, & potentia. Ad 5. denique responderi idem, illa, quorum unio est ordo, vel relatio, non facere per se unum, si hoc non est per se potens ad illud: at in proposito materia est per se potentia, & forma per se actus.

Tertio, subjicit Averfa quæst. 21. sect. 3. probans, unionem formæ ad subiectum non esse in determinato prædicamento, & præsertim non in prædicamento actionis, aut passionis, quæ est unio formæ accidentalis. Tum quia actio, ut ex ipso nomine constat, solum denotat operationem agentis, nec potest actio agentis, & inherencia formæ in uno conceptu convenire, ut unum prædicamentum constituent, passio deinde constituit solum in fieri, correspondens actioni agentis, non autem in facto esse per inherentiam permanentem post transactam actionem; ergo constitui nequit in prædicamento actionis, vel passionis. Tum deinde prædicamentum habitus constituit tantum in denominatione confurgente a vestibus, & similibus, ac etiam si diceret modum positivum distinctum, esset utique ille, qui refutaret ratione vestis circa corpus, non formæ circa subiectum, quin etiam modus unionis non resultat ex adjacentia formæ circa subiectum, sed potius constituit formaliter ipsam formam in subiecto.

112 Resp. ad 1. Doctorem in hoc dubitative, & conditionate fuisse locutum, & in prædicamento actionis, vel passionis unionem posuisse, si actio, & passio dicant non tantum respectum agentis ad passum, & passio ad agens, verum etiam formæ ad subiectum, & subiecti ad formam, quare si Averfa contendit, actionem, & passionem hæc non dicere, Scotus gratis concedet, in hujusmodi prædicamentis unionem collocari non posse. Ad 2. negatur assumptum, quia, ut dictum est in Logic. declarando prædicamentum habitus, non tantum ex adjacentia vestis circa corpus, sed ex adjacentia etiam cujuslibet formæ respectus confurgit per habitum importatus, ibi autem datur exemplum de vestibus, quia notius, imo Auctor sex principiorum non tantum dat exemplum de vestibus, sed etiam de aliis formis, quia in eo prædicamento non tantum ponit armatum esse, & calceatum esse, verum etiam album esse, quantum esse, &c. & quamvis modus unionis constituit formaliter formam in subiecto, adhuc tamen resultat dicitur ex adjacentia formæ ad subiectum materiali, & fundamentali.

Quarto tandem objicitur, quod distinctio unionis a partibus non possit dici realis, sed tantum modalis, quia illa tantum distinguuntur realiter, quorum unum potest existere sine alio, & e contra, sed partes existere possunt sine unione, non e contra; ergo &c. Resp. acceptionem illam distinctionis realis, quæ est communis inter Recentiores, esse voluntariam, nam ad distinctionem realem cum omni proprietate sufficit, quod unum possit existere sine alio, etiam si hoc nequeat existere sine illo, & cum omni proprietate dicimus, creaturam a Deo distingui realiter, licet nequeat existere sine Deo, unde impossibilitas illa ex parte unius extremi

sto perficiantur, id autem fieri nequit, nisi per receptionem alicujus perfectionis, quam separata carebant, & hæc esse nequit, nisi peculiaris cujuslibet ad alteram unio in toto, cum enim sint compartes essentialiter imperfectæ, ordinantur ad propriam perfectionem, atque adeo uniantur, ut media unione perficiantur in toto. At talis perfectio haberi nequit in partibus, nisi subiectando unionem, & sola terminatio non sufficit, nam omnis perfectio fit ex aliqua additione, sed mera terminatio nihil addit termino, hinc visio perficit potentiam videntem, non objectum, quod est terminus; hypostatica unio perficit naturam, non Verbum, ergo ut istæ compartes recipiant illam novam perfectionem, quam expectant ex constitutione totius, oportet ut singula aliquid in se recipiant, quod prius non habebant, & id ex parte formæ præsertim aliud poni nequit, quam intrinseca unio ad materiam.

Resp. Averfa, in partibus quando constituunt totum, non aliam perfectionem, & immutationem poni debere, quam illam, quæ necessaria est ad constitutionem totius, & quæ inferitur ex vi ipsius compositionis, & ex ratione concurrendi partium; ex parte autem formæ ad hoc solum sufficit, quod de novo recipiatur in materia, in qua prius non erat, & hoc sufficienter habetur per terminationem unionis, quæ est in materia, & per hoc præcise seclusa omni ratione, quæ recipiatur in ipsa forma, vere formaliter se habet, ac si non recipiatur in materia, & quidem aliter se habet intrinsece, non in ratione partis materialis, & subiectivæ, sed formalis, & sicut recipere in se subiective aliquid de novo, est mutari, ita pariter de novo recipi in aliquo, est mutari, & si quis nolit hanc appellare mutationem, faciet quæstionem de nomine, & nos dicemus, non aliam mutationem requiri in forma, nisi hoc, quod est recipi in materia.

Sed hæc resp. explosa manet in præcedenti argumento, ubi ostensum est, quod in casu, quo forma præexistens uniretur materiæ, tunc illi uniretur profus immutata, & in ratione subiecti, quia nihil in se reciperet de novo, & in ratione termini, quia non transiret de non esse ad esse, & plane alius modus excogitari nequit, quo aliquid mutetur in ratione termini præcise, nisi hic transitus de non esse ad esse. Accedit, quod unio terminata ad aliud, vel secundum suam essentiam intrinsece immutat illud, vel non; si primum, ergo etiam Verbum immutaret; si secundum, ergo non immutat formam in composito. Et si dicatur immutare terminum, quando est mutationis capax, quod Verbo non convenit, sed formæ, tunc nos dicemus, Verbum nec esse capax terminationis, quia incapax effectus formalis est etiam incapax formæ, ergo si effectus formalis terminationis unionis est immutare terminum, quem attingit, & Verbum est incapax talis mutationis, erit quoque incapax terminationis. Denique si Averfa concedit, partes in constitutione totius immutari debere, quantum sufficit ad concursum utriusque, & compositionem totius, sane cogitur concedere, formam perfici de novo, & immutari, aliquid in se recipiendo, quia partes uniantur in toto, ut uniat in illo participant perfectionem compositi, quare cum uniantur ut compartes essentialiter imperfectæ, debet utriusque aliquid addi, quo perficiatur, & immutetur, quia sola terminatio nullam addit perfectionem termino. Et cum uniantur ad constitutionem totius per mutam causalitatem, & hæc in utraque sit diversa, sicut diversæ sunt rationes fundandi, consequenter ex vi concursus utriusque debent aliquid de novo acquirere in se quod prius non habebant.

Solvuntur rationes adversæ.

121 **I**n oppositum obijcit primo fundamentum Adversariorum, ex conceptu unionis deductum, quia unio essentialiter est nexum duorum, ergo una sufficit ad unendum materiam, & formam, nam vel per unionem, quæ est in materia, & terminatur ad formam, forma est unita materiæ, vel non; si primum, ergo alia superfluit, si secundum, ergo neque materia erit unita formæ, quod est contra suppositum. Nec respondere valet, formam in tali casu esse unitam materiæ, extrinsece tantum, non intrinsece. Tum quia partes uniat per unam unionem sunt intrinsece uniatæ, & ex vi talis unionis ambæ sunt in composito. Tum quia etiam si unio fit in una parte subiectivæ, & in altera terminativæ, tamen non est in termino extrinsece, sicut est visio in pariete, sed intrinsece illum attingit, ut generatio terminum, quia hæc attingentia unionis ex sua intrinseca ratione petit instantiam termini atacti, & ordinatur ad vere unum. Nec item respondere valet, in tali casu formam uniri materiæ sine ulla sui mutatione, quod naturaliter fieri nequit, non valet, quia licet terminatio in se incapax mutationis, & perfectionis non faciat intrinsecam mutationem in ea, & novam perfectionem addat, tamen in termino capaci, sicut est forma, facit mutationem, & novam addit perfectionem. Nec demum respondere valet, in casu unionem esse nexum materiæ, & formæ, unius formaliter, & subiectivæ, alterius terminativæ solum, & ad compositionem requiri nexum utriusque formaliter; non valet, quia hæc est petitio principii, & id est, quod probat argumentum, sufficere ad constitutionem compositi, quod una pars sit alteri unita formaliter, & hæc illi terminativæ solum.

Resp. hoc argumentum retundi in relationibus similitudinis, aequalitatis, &c. ut deductum est in quarta ratione, unde sicut Adversarii admittentes relationes prædicamentales, responderent ad argumentum istud, factum de similitudine, & aequalitate, sic & nos responderemus ad idem, factum de unione, di-

cimus igitur, per unam unionem duo connecti, sed unum intrinsece, & aliud extrinsece solum, ad constitutionem autem compositi, tam materia, quam forma debent intrinsece uniri, quia utrumque extremum natum est ad alterum referri relatione reali, & sic patet, primam resp. valere, quia, etsi ex vi unionis forma diceretur intrinsece unita materiæ, quatenus esset simul cum ipsa in eodem composito, & non distincta, sicut paries ab oculo, in quo est visio, non tamen diceretur ei intrinsece unita, idest per formam unionis in ipsa receptam, quod tamen necessarium est in relationibus mutuis, quando sunt ambo extrema relationis capacia, ut deductum est in secunda ratione: Dicimus etiam, in eo casu ambo extrema fore unita sed unum subiectivæ, & per sui mutationem, alterum terminativæ, & sine sui mutatione, quod naturaliter fieri nequit, quia utraque pars constituendo totum, quod prius non constituerebat, debet suo modo intrinsece immutari, & de novo perfectionem totius participare, ut deductum est in quinta, & sexta ratione; nec sola terminatio sufficit ad inferendam mutationem in termino, & novam perfectionem illi addendam, nam cum sola terminatio nihil ponat in termino, consequenter concipi nequit, quomodo illum immutet, & de novo perficiat, ex quo patet, etiam secundam responsum allatam esse bonam.

Denique dicimus, per unam unionem ambo extrema esse unita, sed non ambo formaliter, quod tamen necessarium est in constitutione totius, cum materia, & forma ut unita nata sint referri formaliter mutuo, ex quo patet, tertiam quoque responsum valere, neque committi petitionem principii.

122 Secundo obijcit Averfa, quia in aliis rebus unien dis ad constituendum complete, & perfecte unum totum, unica unio sufficiens invenitur, ita in Christo Domino perfectæ sunt unitæ natura humana, & substantia Verbi ad constituendum unum Christum per unam unionem in humanitate existentem, & ad Verbum terminatam. Item in rebus naturalibus unicum punctum conjungit, & unit duas partes lineæ, unum gluten duas partes tabulæ, una funis unit, & ligat inter se duo corpora. Denique si alia unio inest formæ, ipsa se habet ut medium inter materiæ, & unionem, nam mediante forma in materia recepta, ipsa quoque unio eidem materiæ inest, ac magis proxime, & immediate inest materiæ formæ, quam unio, sicut si abedo inest materiæ mediante quantitate, quantitas est medium, quod propinquius conjungitur materiæ, ergo unica unio sufficit se tenens ex parte materiæ, nam ea mediante, optime forma conjungitur materiæ.

Resp. ad primum exemplum, nullam adesse paritatem inter unionem hypostaticam humanitatis, & Verbi, & unionem materiæ, & formæ, quia Verbum, & humanitas uniantur ut natura, & suppositum, non ut materia, & forma, & cum suppositum rationem habeat termini respectu naturæ, ideo unio non debet esse in Verbo subiectivæ. Deinde partes uniantur in toto, ut se invicem compleant, & participant communem perfectionem totius, & ideo intervenire debet ex parte utriusque aliqua immutatio, & additio novæ perfectionis: ut Verbum non unitur naturæ, ut perficiatur, sed potius ut perficiat, & singula partes concurrunt ut causa ad constituendum compositum, & non ut habent rationem termini. Denique non valet in omnibus a Divinis ad humana arguere, quia Deus ob suam illimitationem potest aliquid immediate præstare, quod nequeunt creaturæ, unde Verbum est tantum uniole, ut terminus, non ut subiectum. Ad 2. dicimus, aliam omnino esse rationem de unione essentiali, & integrali, quæ enim essentialiter uniantur, immediate uniantur inter se, quæ vero integraliter uniantur, ut partes tabulæ, & lineæ, non uniantur immediate ad invicem, sed uniantur in aliquo tertio, cui tamquam termino communi copulari dicuntur, ut docet Arist. in prædicamento quantitatis.

Ad 3. argumentum procedit ex falsa imaginatione, quam habent Adversarii de his, & similibus mediis, quos putant vere mediare inter extrema; cum potius ea subsequantur, sicut dicunt, causalitatem mediare inter causam, & effectum, quæ tamen est falsa imaginatio, ut ait Doct. in 2. d. 1. q. 2. D. falsa imaginatio ex hoc procedit, quia concipiunt unionem substantialem, ut medium quoddam materiale, & absolutum inter materiæ, & formam, sicut est punctus inter partes lineæ, & gluten inter partes tabulæ, quæ tamen imaginatio falsa est, quia alia profus est ratio de unione partium integralium, & essentialium, illæ enim uniantur in tertio, istæ uniantur profus immediate, quare unio intercedens inter formam, & subiectum, non est quid interjectum, in quo quasi in tertio uniantur, sic enim immediate uniat non forent, sed potius est ratio subsequens partes prius natura inter se materialiter & fundamentaliter conjunctas, ut illas denominet formaliter tales, sicut similitudo sequitur albedines fundamentaliter similes, ut illas denominet formaliter tales; prius ergo natura ponitur forma in subiecto, & statim sequitur ratio unionis in forma, per quam denominatur formaliter unita. Et cum dicimus, formam media unione uniri subiecto, non est sensus, quod unio fit quoddam medium materiale, & absolutum inter extrema interjectum ad modum glutinis; sed istæ, & similes locutiones sensum faciunt formalem, quod scilicet forma denominatur formaliter unita subiecto per relationem unionis resultantem ex positione materiali ipsius in materia; unde si in priori signo consideretur forma in subiecto, præcedit relationem unionis, sed si consideretur in posteriori, relatio præcedit ipsam, quatenus unitam, sicut universaliter forma suum effectum formalem præcedit. Est igitur unio medium

dium formale, & relativum, non materiale, & absolutum, & ideo non concludit argumentum, & hoc ipsum offendit exemplum quantitatis ab Averfa adductum respectu albedinis, quantitas enim inter substantiam, & qualitatem mediat in ratione subiecti, sed unio non mediat in ratione subiecti, sed in ratione mediæ relativæ, quo forma denominatur formaliter unita.

123 Tertio obijcit ex Ruvio, quia unio partium ordinatur ad unitatem compositi, ergo cum in composito sit una unitas, erit inter partes una unio. Accedit, quod si essent duæ uniones, per eas non perfecte unirentur partes, quia non potest aliqua unio unire duo, nisi utrumque attingat, at si essent duæ, unaquæque suum extremum attingeret, in quo est, & non aliud, ergo non bene unirent partes. Denique explicare oportebit, quomodo illæ duæ uniones uniantur inter se, quamvis enim singulæ uniantur se ipsis suis extremis, quia sunt rationes actuales uniendi illa, non tamen ita videtur dici posse de se ipsis ad invicem.

Resp. ad 1. ex Scoto in 2. dist. 12. q. 1. & 3. dist. 2. q. 2. unionem, & unitatem non esse idem, nam unitas importat negationem plurium, & unio importat pluram invicem unita, unitas pertinet ad compositum, ut ejus passio, unio pertinet ad partes, ut earum nexus, & demum unitas facit compositum per se unum, & unio facit partes per se unitas, & ideo ex unitate totius non bene arguitur unica unio inter partes. Ad 2. negatur assumptum cum sua probatione, nam singulæ uniones utrumque extremum attingerent, subiective unum, & terminativæ alterum, & ambo fundando proprias uniones dicerent formaliter unita. Ad 3. cum illæ duæ uniones sint rationes actuales uniendi, & non res unibiles, proprie non dicuntur ad invicem uniri, sed unire extrema, ad quorum unionem concomitanter ipsæ quoque uniri dicuntur.

124 Quarto; Ex aliis obijcit, quia materia per suam unionem, quæ dicitur materializatio, recipit formam, ergo per illam forma recipitur, & materiæ informat, quia informatio, est formam in materiæ recipi, ergo receptio, & informatio sunt eadem unio, quæ ex diversis extremis varie denominatur. Confirmatur quia si informatio, & receptio sunt diversæ uniones, tunc una saltem per Dei potentiam posset ab alia separari, quod implicare videtur, quia si materia recipit, & formatur, eo ipso format, & recipitur, ergo informatio activa, & passiva sunt eadem unio. Denique si est duplex unio, poterit una corrupta, alia manere, & saltem per intellectum hæc præcisio unius ab alia fieri potest, tunc peritur, an ex illa resultet unum compositum, vel nullum, non secundum, quia ibi sunt partes unitæ, & ideo necessario totum componitur; si primum, ergo superfluit alia unio.

Resp. ad 1. materiali ratione nari materiæ ut subiectum, & intrinsece, formam vero extrinsece solum, ut terminum, unde necessaria est alia unio, quæ forma subiectivæ, & intrinsece uniat materiæ, & ideo necessaria est duplex unio, non ad uniendas quomodocumque partes, sicut non requiritur duplex similitudo ad assimilanda quomodocumque extrema, sed requiritur specialiter ad hoc, ut partes uniantur modo physico, nempe informative, & receptive, ut ambæ uniantur intrinsece, & ut ambæ compositum constituent cum aliqua sui mutatione. Ex quo patet, informationem activam, & passivam realiter distingui, si utraque formaliter accipitur, & intrinsece, sed si una accipitur formaliter, & altera terminativæ, ita esse possunt eadem unio, quæ unum extremum denominet activæ, denominationem intrinsecam, & alterum passivæ, denominationem extrinsecam, sicut eadem est visio, quæ intrinsece denominat oculum videntem activæ, & parietem visum passivæ. Ad 2. in relativis mutuis ob dependentiam unius ab alio in esse relativo, una relatio nequit ab alia separari, seu una destrui, alia remanente, sed ex ista inseparabilitate non bene deducitur earum identitas, aliquo concludi posset, paternitatem esse eandem cum filiatione. Ad 3. retroqueri potest argumentum, tum in aliis relationibus æquiparantia; tum in ipsamet unione, quæ, & si una, & eadem ponatur inter extrema ab Adversariis realiter, ac entitative, tamen ex hoc, quod materiæ attingit, sub ratione potentia, & formam sub ratione actus, distinguunt receptionem, & informationem ratione, & tunc urgeri potest argumentum, an concepta receptione sola, non concepta informatione, habeatur compositum, nec ne, & ita argumentum urgebit etiam distinctionem rationis; Admissa igitur possibilitate casus, dicimus, extrema manere adhuc unita, & compositum constitutum, sed non eodem modo, sicut prius, prius enim ambo erant unita intrinsece, & subiectivæ, & ambo participabant communem perfectionem totius, sed in casu manent unita, alterum ut subiectum, alterum ut terminum, alterum intrinsece, alterum extrinsece, & compositum non constitueretur cum mutatione, & perfectione utriusque extremi, ut naturaliter constituitur.

125 Quinto; Tandem non videtur in homine hæc duplex unio statui posse, una ex parte corporis, altera ex parte animæ, nam hæc utique spiritualis poni debet, sicut est ejus subiectum, atque ita in primis ab homine hæc unio attingi non posset, cum generando operetur ut agens corporeum. Deinde in nutritione, & accretione hominis adduntur novæ partes corpori, & e contra in deuratione, & abscissione alicujus membri quædam partes auferuntur, vel igitur in his casibus, eadem profus unio incipit de novo esse in novis partibus, & definit esse in aliis, sicut dicimus de ipsa anima; vel tota unio variatur, & prior abit, & alia advenit; non primum,

quia unio est respectus, ac proinde variari debet ad variationem extremorum, cum ab eis essentialiter pendeat, & profus implicat, eandem manere unionem, si eadem extrema non manent; neque secundum, quia si tota unio ex parte animæ variatur, ergo & tota compositio, atque ita homo toties videretur mori, & resurgere, quoties ipsa unio variatur ex additione, vel detractioe partium corporis.

Resp. negando assumptum, ad primam probat. dicimus, hominem sufficienter dici alium hominem generare, eo quia introducit formam mixti, ad quam necessario sequitur animæ infusio, & si nulla attingeret unionem animæ cum corpore, adhuc tamen salvatur, quod possit attingere unionem materialem, quæ se tenet ex parte corporis, imo multi contendunt ratione animæ posse efficere unionem spiritualem in alia anima, de quo in lib. de Anim. Ad alteram prob. dicimus, non esse unquam unionem, qua anima indivisibiliter unitur corpori, sed tot sunt uniones, quot partes corporis proportionales, indivisibiles quidem ex parte subiecti, divisibiles vero ex parte terminorum, ea enim ratione, qua sunt indivisibiles ex parte subiecti, sunt singulæ in toto subiecto, atque ita totam animam ponunt in singulis partibus corporis, ea vero ratione, qua sunt plures, & ex parte termini divisibiles, sequitur, quod remanet unio, qua anima informat corpus, etiam si destruitur unio, qua informabat manum, & in nutritione, & accretione nova unio generatur in anima ad novam partem corporis terminata, ut fufius in lib. de Gen. & Cor. disp. 8.

Q U Æ S T I O XI.

An materia, & forma unitæ constituant ens per se unum, in quo maneat secundum proprias entitates.

126 **C**irca primam quæsti partem nulla est inter Philosophos controversia, omnes siquidem asserunt, ex materia, & forma fieri per se unum, quia materia est per se potentia, forma per se actus, ut ex professo docuit Arist. 2. de Anim. tex. 7. 5. Met. tex. 7. 6. Met. tex. 47. Met. text. 42. & 8. Met. tex. 15. quam veritatem sapie etiam Scot. repetit pluribus in locis 2. d. 12. q. 1. D. 3. d. 2. q. 2. sub E. & d. 22. q. un. sub B. & 4. d. 11. q. 3. sub Y. & alibi: dubitatur solum, quo sensu intelligi debeat hæc ratio a priori, cur ex materia, & forma fiat per se unum, non ita ex subiecto, & accidente, quia nimirum illa sunt per se potentia, & per se actus, ista per accidens potentia, & per accidens actus, & sunt varii modi dicendi, quos infra referemus.

Circa alteram quæsti partem, an scilicet materia, & forma unitæ maneat secundum proprias entitates in communi constituto, solum inter Scotistas lis esse videtur, nam inter omnes Pater Faber singularem habuit opinionem, siquidem in sua Phil. Theor. 21. cap. 3. & 4. in 3. disp. 9. cap. 3. & nuper 7. Met. disp. 22. opinatus est, partes unitas dum compositum constituent; in tertiam entitatem omnino pertransire, ita ut amittentes proprias entitates, fiant penitus illud tertium, quod ab ipsis fit in tertiam entitatem transactis nulla ratione realiter distinguatur, quem dicendi modum retulit, & rejectit Bassolius 2. d. 12. q. 1. art. 1. ut quorundam Antiquorum Theologorum, qui dixerunt, materiæ, præsertim in generatione, transmutari in totum, in quo reseretur entitas materiæ nobilior, & perfectior, quam in se ipsa; & ideo materiæ primam sic transire dicebant in generatum, quod non penitus corrumpetur, quia licet proprium esse non retineret in composito, habeat tamen esse nobilior, & perfectior, quod erat esse compositi; idque explicabant exemplo pastæ, quia dimensiones pastæ transmutabiles sunt in figuram, sic quod non sunt nisi figura ipsa post transmutationem.

Plane hæc est ipsissima Fabri sententia, nam si bene legatur loc. cit. nec ipse vult, partes ita verti in totum, quod nullo modo maneat in ipso, sed tantum vult, quod non maneat secundum esse suum, quod prius habebant, sed maneat in esse perfectiori, quod est esse compositi, sic enim loquitur Thor. cit. cap. 3. *desinunt esse, & tamen manent in composito, desinunt esse in suo esse, quod prius habebant, & manent in esse, & entitate compositi, in quod ab agente mutantur, & paulo infra repetit; manent ergo, & non manent, non manent in priori esse, manent in esse compositi, & in 3. disp. 9. n. 23. inquit, materia, & forma cum ingrediuntur totum, non corrumpuntur quoad entitatem, sed quoad esse, quod prius habebant, & recipiunt esse perfectius in toto.* Imo pluries audivimus, nedum a discipulis hujus doctissimi viri, sed etiam a viva ipsius voce, hanc sententiam declarari exemplo pastæ allato, ita quod ex hoc modo dicendi illorum Veterum a Bassolio relato Patrem Fabrum suam excogitasse sententiam de toto, & partibus arbitramur, licet aliqui velint, motivum habuisse ex eo, quod docuit Canon. 2. Ph. q. 1. art. 1. d. 2. ubi explicans, quomodo forma fiat ex materia, cum tamen principia non fiant ex alterutris, respondet, *principia fieri ex alterutris posse dupliciter intelligi, uno modo transitive, sic quod unum transeat in alterum, sicut materia transit in compositum, alio modo intransitive, sic quod illud, ex quo fit, & isto modo in tale factum, sed fit subiectum factionis ejus, & isto modo forma fit ex materia.* Sed certe sensus Canonici de transitu materiæ in compositum non est sensus a Fabro intentus, ea enim ratione Canonici intendit materiæ transire in compositum, quatenus materia est pars ejus intrinseca, & extra illud non manet, sicut materia manet extra formam, quæ ex ipsa educitur.

Ex materia, & forma fieri per se unum ostenditur, & quare.

127 PRO decisione articuli notandum est, unitatem, a qua dicitur unum, variis modis sumi, ut docet Arist. 5. Met. 13. & Scot. 1. dist. 2. q. 7. Hh. nam uno modo accipitur pro unitate aggregationis quæ est in acervo lapidum; alio modo pro unitate ordinis, qualis est in exercitu, adhuc autem pro unitate accidentali, quæ est inter accidens, & substantiam, & nullo ex his modis accipitur in præfenti, quia illi sunt modi unitatis secundum quid, & per accidens, ut constat confidenter, sed accipitur pro unitate per se, & simpliciter, quæ arguit naturam unam, essentiam unam, una definitione explicabilem, & in una specie unius prædicamenti reponibilem, & quia ista per se unitas non est ejusdem rationis in simplicibus, & compositis, propterea quod cum unitas immediate sequatur entitatem, diversas entitates sequuntur diversæ unitates; sciendum adhuc est, nos hic non loqui de unitate ea per se, a qua dicitur unum simplex, quia sic evidens est, ex rebus adeo diversis non posse constare, quod simplex est, sed loquimur de ea per se unitate, a qua dicitur unum compositum per se, certum enim est, ens materiale, quod ex materia, & forma constat, compositum esse, & unitatem ejus non esse simplicem, sed compositam, hoc prænotato.

Dicimus, materiam, & formam, ut principia in facto esse, constituere compositum naturale per se unum, & non alia ratione a priori, nisi quia materia est per se potentia, forma per se actus. Concl. est Arist. loc. cit. quam tenet tota peripatetica schola, & ex professo Scot. 8. Met. qu. ult. ubi & Ant. Andr. & Zerbis, ac Faber, & insuper loc. omnibus cit. in lib. Sent. & quidem quoad primam partem experientia patet, videmus enim ex materia, & forma substantiales composita omnia substantia fieri, ut aquam, ignem, aerem, hominem, &c. quorum unumquodque est per se unum, quia unam habent operationem, essentiam, definitionem, terminant generationem substantialem, quæ munera non conveniunt, nisi enti per se uni. Sed in declaranda ratione a priori hujus veritatis, est magna varietas inter Interpretes.

Aliqui enim dixerunt, ideo materiam habere rationem per se potentia, formam per se actus, quatenus ambæ concurrunt ut partes ad constitutionem sui totius, quod desumpserunt ex Arist. in Antepædic. cap. 2. ubi dicere videtur, accidens in subiecto non habere rationem partis, neque respectu subiecti, cui inhaeret, neque respectu compositi alicujus, quod constituit. Sed hic modus dicendi non satisfacit, ita enim albedo & homo sunt partes unius compositi, nempe hominis albi, sicut anima, & corpus sunt partes hominis, ergo hac ratione non minus accidens, & subiectum essent per se actus, & potentia, quam materia, & forma, atque ita non minus ex illis, quam ex istis compositum per se unum fieri deberet; & Arist. loc. cit. solum intellexit, accidens non esse partem alicujus compositi per se unius, sicut est forma substantialis, quod verissimum est, sed rationem hujus non assignavit, quæ hic queritur.

128 Alii dixerunt, in tantum formam, & materiam constituere per se unum, & dici per se actum, & potentiam, non vero accidens, & subiectum, quia forma substantialis advenit, materia, quæ est ens in potentia, accidens vero advenit composito, quod est ens in actu, ex duobus autem entibus in actu non fit unum per se 7. Met. 49. & hic est frequens dicendi modus Thomistarum, Cayet. 1. q. 76. art. 1. Capreol. in 2. d. 18. q. 2. ad 2. Scoti, Javel. 2. de Anim. q. 5. & 7. Met. q. 7. Sonc. qu. 28. & aliorum. Sed neque his satisfacit, quia non satis explicat Thomistæ, quomodo intelligant, materiam esse ens in potentia, si enim intelligunt, quod sit ens in pura potentia objectiva, ita nec actum entitativum, nec suam existentiam supponatur habere, id omnino falsum est, ut constat ex disp. 2. si vero intelligunt, formam advenire enti in potentia subiectiva, id est materiam existentem in potentia ad ipsam formam, bene dicunt, sed etiam hoc modo accidens advenit enti in potentia, quia advenit subiecto existenti in potentia ad formam accidentalem. Deinde, quia etiam verum fit, ex duobus entibus in actu completo, & perfecto unum per se fieri non posse, ratio tamen, cur accidens unum per se non constituat cum subiecto, non est, quia illud est ens in actu perfecto, quia si accidens immediate recipiatur in materia prima, ut multi tenent, adhuc cum ea faceret ens per accidens, ut docet Scot. 4. d. 11. quæst. 3. Y. & fatentur ipsi Thomistæ.

Alii dixerunt, materiam, & formam habere rationem per se potentia, & per se actus, ex quibus fiat compositum per se unum, quatenus sunt actus, & potentia ejusdem ordinis, & prædicamenti, & hac de causa accidens, & subiectum non facere per se unum, quia sunt res diversorum generum, quem dicendi modum sequitur, & fute declarat Suar. disp. 16. Met. sect. 1. num. 17. Sed licet hic modus possit ad bonum sensum reduci, & a Scoto infinuatur 3. d. 22. quæst. 1. F. adhuc tamen sic absolute probatus non satisfacit, tum quia potentia, & actus sunt in eodem genere qualitaris secundum Suar. & alios Thomistas, potentia scilicet vitalis, & actus vitalis, & talis potentia ordinatur ad talem actum, ergo ex eis fieri deberet unum per se; tum quia id est, quod queritur, quare hæc forma, verbi gratia anima sit substantialis, & ejusdem

ordinis, ac prædicamenti cum materia, quam informat, non autem quantitas, albedo, & alia formæ confimiles, quæ dicuntur accidentales.

Alii dixerunt, formam substantialem esse per se actum, materiam vero per se potentiam, quia potentia materiam ad formas substantiales est substantialis, ei conveniens essentialiter in primo, vel saltem secundo modo, potentia vero subiecti ad formas accidentales est potentia accidentalis, quam multi ponunt in secunda specie qualitaris, hunc dicendi modum significavit D. Thomas 1. part. quæst. 77. art. 1. ad 2. quem recepisse videtur Averfa quæst. 21. sect. 6. ubi hac de causa potentiam substantiam ad formas accidentales ponit esse accidens de genere qualitaris. Sed neque hic modus satisfacit: Tum quia falsum est, potentiam substantiam ad accidentia esse accidens ab ea realiter distinctam, ut ostensum est disp. 3. quæst. 2. imo potentia substantiam ad hujusmodi formas sibi convenit in secundo modo, ut potentia materiam ad substantiales, & forma accidentalis, ac ejus subiectum sunt etiam hoc modo per se actus, & potentia, ut ibi probavimus. Tum quia ideo ab istis potentia materiam ponitur substantialis, quia actus, ad quem ordinatur, est substantialis, potentia subiecti ponitur accidentalis, quia actus, ad quem ordinatur, est accidentalis, sed hoc est, quod queritur, quare nimirum hæc forma, scilicet anima, sit forma substantialis, & per se actus, ideoque potentia materiam ad illam sit per se, & substantialis, & quare hæc alia forma, ut calor, sit actus accidentalis, ideoque potentia ignis ad ipsum sit quoque accidentalis.

129 Alio igitur modo id declarandum est cum Scoto, & in primis quare hæc forma, scilicet anima sit per se actus, & actus substantialis, alia vero forma, ut calor, sit actus accidentalis, & ideo adhuc dicatur ignis esse in potentia per accidens, & materia ad illam in potentia per se, optime declarat Doctor in 4. d. 11. q. 3. Y. dum ait, formam substantialem in hoc ab accidentali fecerim, quod illa est actus primarius, id est nata dare esse simpliciter, & primum, quale est esse substantiale, ista vero est actus secundarius, id est nata dare esse secundum quid, & secundarium, quale est esse accidentale, & certe sic esse simpliciter, ut loquitur ibi Doctor, est primum esse naturale, esse secundum quid, est esse secundum naturale; natura enim dat prius esse per se subsistens, & perfectum quod dicitur esse substantiale, dat deinde alia consequentia ad tale esse, & hæc dici possunt esse secundaria naturalia, dat enim prius homini esse substantiale, & hoc est esse primum naturale, quod pertinet ad hominis conceptum, dat deinde esse album, & hoc est esse secundum quod est esse secundum naturale, dicitur ergo forma substantialis per se actus, quatenus nata est dare esse primum, & simpliciter, & e contra materia prima dicitur per se potentia, quia velut essentialiter, & simpliciter incompleta respicit actum dantem esse simpliciter, & primum, forma vero accidentalis dicitur actus per accidens, quia nata est tribuere dumtaxat esse secundum quid, & secundarium, & e contra subiectum, ideo dicitur potentia per accidens, quia respicit actum dantem esse secundum, expectatque ab eo perfecti, & completi, non in esse primo, sed tantum in esse secundo, quod differunt inter formam substantialem, & accidentalem significavimus etiam disp. 2. q. 1. art. 3. Et si quaeras, quare forma substantialis sit actus primarius, seu natus dare esse primum, & simpliciter, accidentalis vero esse tantum secundarium, & secundum quid, ait Doctor cit. aliam rationem a priori assignari non posse, nisi quia hoc est hoc, & illud est illud.

Adhuc autem clarius explicat Doctor in 2. d. 12. quæst. 1. D. quare ex materia, & forma fiat unum per se, non autem ex subiecto, & accidente, ex Arist. 8. Met. tex. 15. quia nimirum sunt essentialiter partes, & entia incompleta ad idem prædicamentum spectantia, & essentialiter inter se ordinata in ratione potentia, & actus, quod repetit 2. d. 22. qu. un. B. ac proinde ordinari possunt ad constituendum unum per se, ex quo colligitur, tres præsertim condiciones requiri ad aliqua constituentia, ut unum per se physice constituere possint; prima est, quod sint entia incompleta essentialiter; secunda, quod sint inter se ordinata per modum potentia, & actus; tertia, quod ad idem prædicamentum pertineant; Ratio primæ conditionis est, quia si non essent entia incompleta, haberent singula rationem specificam prædicamentalem, atque ita ex eis unum per se fieri non posset; & hac de causa quantitas, & aliud quodcumque accidens cum materia per se unum facere nequit, quia quantitas, & aliud quodcumque accidens est completum in suo genere, nam quodlibet accidens habet suum genus, & differentiam, quibus constituitur directe sub aliquo determinato genere; Ratio secundæ conditionis est: quia duæ formæ substantiales disparatæ, ut forma lapidis, & ignis, sunt utique entia substantialem incompleta, sed quia non sunt inter se subordinata in ratione actus, & potentia, ideo per se unum constituere nequeunt, unde præter incomplementum essentialiter requiritur etiam unibilitas constituentium; Ratio denique tertiæ conditionis est, quia si pertinet illa duo ad diversa prædicamenta, jam ambo habebunt diversas species, atque ideo naturas determinatas in specie prædicamentali, vel certe alterum illorum necessario in se habebit, quia erit accidens, nam præter genus substantiam, cætera sunt accidentium, quodlibet autem accidens, ut dicimus, est ens completum in suo ordine, & constitutum sub determinato genere, unde hæc tertia conditio virtualiter continetur in prima, & ortum ducit ab ea, quia si ambo constituentia essent alterius, & alte-

alterius generis, necessario alterum illorum foret accidens, & ita ens completum.

130 In oppositum objicitur primo; quanto magis aliqua distant, tanto minus nata sunt facere per se unum, sed materia, & forma maxime distant, cum sint alterius, & alterius rationis, & unum habeat rationem potentia, aliud actus, ergo &c. Resp. ex Scoto 2. dist. 12. quæst. 2. ad 1. princ. quod duplex est unitas, quædam unionis, quædam identitatis, licet major illa sit vera de uno unitate identitatis, quo modo passio, & subiectum sunt unum, non tamen est vera de uno unitate unionis, sicut est compositum, immo quanto aliqua sunt magis alterius, & alterius rationis, tanto magis nata sunt facere tale unum, ut idem Scot. docet 2. dist. 12. qu. 1. F. quia in illa constitutione non requiritur similitudo in natura, sed proportio conveniens, quæ potest esse inter primo diversa, talis autem adest proportio, cum unum habeat rationem potentia, & aliud actus.

Sed instabis, partes homogeneæ continui magis efficiunt unum, quam partes eterogeneæ, quia illæ sunt ejusdem rationis, hæc autem diversæ, & efficiunt magis unum unitate unionis, ergo illa major est universaliter vera, & inter constituenta requiritur similitudo in natura. Resp. quod sicut duplex est totum physicum per se unum, aliud essentialiter, aliud integrale, ita duplex est unitas unionis, alia essentialis, alia integralis, & sicut diversa est ratio totius essentialis a ratione integrali, & ita longe diversa est unitas essentialis ab unitate integrali; ex materia, & forma dicitur fieri per se unum, quia hæc partes essentialiter immediate inter se uniantur in ratione actus, & potentia, sed ex pluribus particulis aquæ dicitur fieri una per se aqua totalis, quia singulæ portiones aquæ uniantur in tertio, quatenus copulantur termino communi indivisibili, & quia continuatio non potest esse nisi inter partes ejusdem rationis, ideo quando partes eterogeneæ uniantur, constituere non possunt unum per se unitate continuitatis, sed contiguitatis, ut Arist. docet 6. Phys. cuius ratio est, quia inter illas partes eterogeneas terminus communis esse nequit, cum singulæ habeant suum terminum; Non igitur valet assumpta paritas, quia hic loquimur de unitate essentiali, non integrali.

131 Secundo, si ideo ex materia, & forma fit per se unum, quia intervenit ratio per se actus, & per se potentia, eadem ratione ex subiecto perfectibili, & accidente perfectivo fiet compositum per se unum, quia etiam ibi intervenit ratio per se actus, & per se potentia, nam subiectum ad tale accidens est potens in secundo modo, sicut materia ad formam, cum talis potentia sit passio illi realiter identificata, ut ostensum est disp. 3. quæst. 2. Resp. negando sequelam cum ejus prob. quamvis enim subiectum sit potens secundo modo ad accidens ei connaturale, non idcirco potest dici per se potentia, & accidens illud per se actus in sensu, quo id asserimus hic de materia, & forma, hic enim materiam vocamus per se potentiam, quia est ens essentialiter incompletum, & essentialiter perfectibile, forma vero dicitur per se actus, quia & ipsa est ens essentialiter incompletum, & actus primarius materiam, dans illi esse simpliciter, non ut distinguitur a non esse, sed ut distinguitur ab esse secundum quid, modo jam explicato, quo sensu subiectum, & accidens nequeunt dici habere rationem per se potentia, & actus, quia subiectum accidentis est ens completum, & etiam ipsum accidens, ut ostensum est.

Sed instabis, forma accidentalis est imperfectior substantiali, ergo si substantialis ratione sue incompletionis potest cum subiecto constituere unum per se, fit etiam accidentalis. Resp. quod licet forma accidentalis sit imperfectior substantiali, imperfectio simpliciter, quia substantia a toto genere simpliciter est perfectior accidente. Potest tamen forma accidentalis dici perfectior substantiali perfectione secundum quid, quatenus in suo genere est ens completum quod de forma substantiali dici non potest.

ARTICULUS II.

Ostenditur, materiam, & formam manere in composito secundum proprias entitates.

132 DICENDUM est, materiam, & formam secundum proprias entitates manere in composito. Concl. est contra Fabrum, & est communis omnibus, tam distinguendis compositum a partibus unitis, quam non distinguendis; & prob. 1. auctoritatibus Arist. nam in 1. Phys. docet, materiam, & formam non solum esse principia in fieri, sed etiam in facto esse, quia remanent in composito, & privationem, quia non manent, ait, esse principium tantum in fieri; 2. Phys. naturam definit, quod sit principium ejus, in quo est tex. 3. & postea naturam dividit in materiam, & formam tex. 10. & tex. 28. loquens de causis intrinsicis, ait, materiam esse, ex qua inexistente res fit, & formam esse quod quid est rei, & 8. Phys. ostendit, quædam a principio intrinseco moveri quod est forma, quædam ab extrinseco, & 1. de Gener. tex. 23. docet, materiam eandem remanere in genito, & corrupto, & 2. de Anim. tex. 6. eam definit, quod sit actus corporis physici, & denique sapius vocat, materiam, & formam elementa, quia composito inexistunt secundum proprias entitates.

Deinde prob. auctoritatibus Scoti, nam in primis id docet ex professo in 2. dist. 12. qu. 1. ubi ostendit, in composito materiam, & formam reperiri habentes proprias entitates ab invicem realiter distinctas; in 1. dist. 1. qu. 1. in fine docet,

materiam naturaliter quiescere sub forma, quod etiam repetit 4. d. 43. q. 4. & certum est, non loqui de illo primo omnino instanti, in quo uniantur, tunc enim forma non potest dici quiescere sub materia, sed tantum tempore sequenti, & in 2. dist. 15. qu. unica, propterea docet, mixtum fieri ex elementis, veluti ex termino a quo, & non ut ex partibus, quia non manent formaliter in mixto, ex quo patet minus recte Fabrum uti similitudine compositionis mixti Theor. cit. ex elementis ad declarandam compositionem compositi physici ex materia, & forma, quia in sententia Doctoris non manent elementa in mixto, sicut partes in composito, & in 3. dist. 22. qu. unica, tenet, materiam, & formam vere esse partes quidditatis, & materiam esse causam corruptionis compositi, quod utique non esset, nisi in composito manerent secundum proprias entitates in 4. dist. 11. qu. 3. I. & dist. 43. qu. 3. I. docet, in adventu formæ non definire potentiam materiam, nec fundamentaliter, nec formaliter, & denique quol. 9. art. 3. sub K. docet differētis verbis, animam, & cæteras formas materiales manere in composito secundum proprias entitates, & ibi habere proprium esse diversum ab esse totius.

Postremo prob. ratione. Tum quia id repugnat rationibus principii in facto esse, elementi, naturæ, quæ omnes conveniunt materiam, & formam; repugnat rationi causæ, quæ influit in effectum, sed non transit in entitatem ejus; repugnat dependentiæ essentiali compositi a suis partibus, nam quod ab alio essentialiter dependet, non potest esse, quin & existat illud secundum propriam entitatem, & repugnat naturæ ipsius compositi, quod plane compositum non esset, sed substantia simplex, si non continer in se duas entitates parciales realiter distinctas, ut arguit Doctor 2. dist. 12. qu. 1. contra opinionem, quæ unam tantum realitatem ponebat in composito. Tum quia ex hoc dicendi modo multa sequuntur absurda, quod scilicet materia toties esse deberet, quoties compositum contingeret generari; toties rediret, quoties compositum contingeret corrumpi; materia nunquam esset, aut existeret, quia in nullo instanti temporis extra compositum existit, sub nulla forma quiesceret, quia unita formæ transiret, & alia hujusmodi. Tum denique multa sunt composita naturalia, quæ sunt ex materia, & forma immateriali, ideoque incorruptibili, ut ex corpore, & anima rationali, & in Christo Domino vere fuit anima, & vere fuit corpus hypostatice unita Verbo, & de fide est, ipsum assumpsisse carnem, & animam.

133 Resp. Faber 3. disp. 9. cap. 3. num. 23. quod & si anima rationalis sit incorruptibilis secundum substantiam, tamen est mutabilis, unde aliud esse habet in corpore, aliud extra corpus, in corpore dat esse corpori, & facit unum per se; extra corpus nullum horum facit, & ideo mutatur quo ad esse substantiale, licet non quo ad substantiam suam; & addit, hæc explanationem haberi aperte apud Scot. 1. dist. 17. qu. 3. §. Supposito, charitatem &c. ubi circa medium inquit, concedo ergo conclusionem istarum rationum, & quod realitas illa positiva, quæ est in charitate realiter minore, manet æthæm in charitate realiter majore, nec corrumpitur, nisi quantum ad esse, quod habuit prius per se, & manet in alio, ut pars in toto, exemplum de materia, per se, & forma per se, quæ non corrumpuntur, ut sunt in toto, sed manent perfectius in toto, quam quando habuerunt esse per se. Secundum Scotum ergo sicut charitas, quæ augetur, non corrumpitur quantum ad entitatem, cum augetur, sed solum quoad esse, quod prius habebat, ita materia, & forma, cum ingrediuntur totum, non corrumpuntur quoad entitatem, sed quoad esse, quod prius habebant, & recipiunt esse perfectius in toto.

134 Sed contra; Tum quia esse non distinguitur ab entitate, ergo si corrumpuntur materia, & forma in generatione totius quoad esse, quod prius habebant, corrumpuntur etiam quoad entitatem, quam prius habebant. Tum quia quando inquit Faber, animam in hominis generatione mutari quo ad esse substantiale, licet non quo ad substantiam suam, non videtur intelligibile, quia sicut esse non distinguitur realiter ab entitate, ita nec esse substantiale a substantia, distingueretur autem, si entitas remaneret, & non esse, substantia remaneret, & non esse substantiale, quia nullum majus est signum distinctionis realis, quam separabilitas ex 7. Top. cap. 1. & loc. 17. Tum quia Scot. cit. a Fabro non ait, charitatem in augmento corrumpi quantum ad esse, quod habuit prius absolute, & simpliciter, sed quod habuit prius per se, & sic loquitur etiam de materia, & forma, per quod significare vult, non corrumpi quoad entitatem, sed quoad perfectiorem tertii modi, quo sensu per se dicitur esse, quod habet rationem totius, & solitarie existunt, sed ut partes in toto, quo sensu Scot. ait, formam in composito non habere esse, nisi per accidens, loquendo de entitate per se, quæ competit composito 2. dist. 17. qu. 1. A. quod etiam repetit quol. 9. infra K. ubi ait, parrem dici esse per accidens, vel magis proprie participative loquendo, de esse totius, unde auctoritas Scoti allata potius est pro nobis.

134 Sed resp. adhuc Faber loc. cit. ipsum non asserere, quod partes omnino definant esse in generatione compositi, sed tantum quod definunt quo ad esse, quod prius habebant, & manent in esse compositi, qua ratione non solum dici non debent per generatiōnem compositi esse corruptæ, sed potius esse perfectius recepisse in toto, quam prius haberent in se ipsis. At hæc responsio non satisfacit. Tum quia rationes allatæ urgent materiam, & formam manere in composito secundum proprias entitates, & non tantum secundum esse compositi, tunc enim compositum non esset vere com-

compositum, quia non constaret ex duabus entitatibus partialibus formaliter in ipso existentibus, & generatio compositi ex materia, & forma esset veluti generatio mixti ex elementis, quæ virtualiter tantum continentur in mixto, & hac ratione perfectius habent esse in mixto, quam in se ipsis. Tum quia Doctor disertis verbis quol. 9. art. 3. docet, partes in toto habere esse totius participative, & in hoc sensu habere perfectius esse in composito, quam in se ipsis, sed præter hoc dicit, habere etiam esse proprium, aliud ab esse totius, unde de anima conjuncta inquit infra K. *Videtur ergo ista neganda, quod esse anime est idem, quod esse totius, quia anima habens esse, videtur pars totius habentis esse, & paulo infra loquens de formis materialibus inquit, forma materiales non manent in suo esse, corrupto toto, non quia esse earum non fuerit aliud ab esse compositi corrupti, sed quia ipsæ corrumpuntur per accidens, ergo in sententia Doctoris partes manent in toto retinentes proprium esse, aliud ab esse compositi.*

In oppositum objicit Faber in 3. loc. cit. Primo, quia materia, & forma constituunt compositum, quia sunt ipsum, ergo transeunt in ejus entitatem. Accedit, quod materia, & forma sunt idem essentialiter compositum, & in eo intrinsece continentur, ergo in ejus entitatem transeunt, propriam amittentes. Probatur consequentia, quia unum ens reale non est intrinsecum, & essentiali enti reali realiter distincto ab ipso. Sortes enim non est quid intrinsecum Petro, quia est aliud ens realiter ab eo distinctum.

Resp. negando assumptum, quia partes non sunt compositum, sed compositum fit ex eis, & constat ex illis, & ita loquitur Arist. ex quo non sequitur, quod in ejus entitatem debeant transire, sed potius manere per modum partium entitatem illam constituentium, & multum interest dicere, hoc fit hoc, aut transit in hoc, & ex hoc fit hoc, nam per primum loquendi modum significatur versio, & transubstantiatio, per secundum generatio compositi ex suis partibus. Ad aliud, negatur consequentia, quia esse unum ens reale completum, sicut assumitur in exemplo, non includatur interne in alio ente reali completo, sicut neque ex entibus completis potest per se unum fieri, tamen ens reale incompletum per modum potentia, & aliud incompletum per modum actus, & includi possunt essentialiter in ente completo, quod constituunt; Ex quo sequitur, quod in eo manere debeant secundum proprias entitates, ut partes in toto.

135 Secundo, si partes non transeunt in entitatem compositi, ut anima, & corpus in entitatem viventis, plura sequuntur absurda, 1. quod compositum nihil esset, quia homo, verbi gratia, non esset corpus, cum ab eo ponatur realiter distinctum, non anima ob eandem rationem, ergo nihil, cum nil aliud sit in homine. 2. sequitur, quod in animali nihil viveret, quia vita est effectus formalis, & proprietas animæ, quæ ponitur ab animali realiter diversa. Sequitur tandem, quod animal, nec carnem, nec ossa haberet, cum istæ sint partes corporis, quod ponitur ab animali realiter distinctum.

Resp. neg. conf. nam animal tertia quedam entitas est distincta ab anima, & corpore, ex illis utique constituta, non tamen illa, & animalia competit vivere per animam, & per carnem, & ossa habere esse corporeum eterogeneum, & proprietates enim conveniunt toti ratione partium radicaliter, & principiative; imo si transirent vere illa sequerentur absurda, non homo nihil esset, quia non esset corpus, nec anima, cum hæc ponantur desinare secundum proprias entitates; nec viveret, quia anima, per quam animal vivit, desineret esse, nec tandem carnem, & ossa haberet, quia corpus, cujus istæ sunt partes integrales, desineret.

Tertio, si partes manerent in toto, certe tunc diversam entitatem haberent a toto, sed hoc dici non potest, quia tunc totum posset esse sine illis, & istæ sine toto, quia ea esset regula diversitatis realis, quod unum possit esse sine alio. Nec respondere juvat, totum esse non posse sine partibus propter essentialem dependentiam ab illis. Tum quia talis dependentia a Scoto nullibi ponitur. Tum quia saltem partes unitæ poterunt esse sine toto, cum sint natura priores.

Resp. negando minorem, ad prob. negatur utraque conf. totum enim nequit esse sine partibus ob dependentiam essentialem ab illis, quam Doctor agnoscit in 3. d. 2. quæst. 2. F. ubi non solum inquit, totum necessario coexistere partibus, & a partibus dependere, sed etiam coexistere unionem partium, quæ est respectus, & d. 22. quæst. un. ubi §. *Quantum ergo* docet, totum habere causalitatem intrinsecam per causas inexistentes, materiam scilicet, & formam, quod est dependere ab illis manentibus in ipso composito; partes vero unitæ, & si natura priores, nequeunt esse sine toto, quia earum causalitas est intrinseca, quæ proinde a Deo impediri nequit; nec suppleri, ut in superioribus dictum est, & magis infra explicabitur, separatio autem, esto fit maximum distinctionis realis inditum, non tamen est adæquatum, ut postea dicemus. Imo ex opinione Fabri, illa sequerentur absurda, nam si transirent in tertiam entitatem, & proprias amitterent, compositum de facto esset sine partibus, quia illæ non ponuntur manere existente composito, & ipsæ ante transitum essent sine composito, quia hoc non ponitur fieri, nisi ex transitu earum in tertiam entitatem.

136 Quarto, si partes unitæ manerent secundum suas entitates in composito, sequeretur, quod Verbum divinum prius assumpserit animam, & corpus, deinde humanitatem, cujus

oppositum docet Scot. 3. d. 2. qu. 2. Probatur consequentia, quia si partes illæ manerent, prius natura essent, quam totum, ideoque prius unibiles, & prius unirentur, & unionem haberent distinctam ab unionem, quia ipsa humanitas unirentur.

Resp. concedendo sequelam, neque hoc est alienum a Scoti doctrina, cum enim ipse negat, partes prius fuisse assumptas, quam totum, non loquitur de assumptione, & unionem simpliciter, sic enim partes fuerunt unitæ prius natura propria unionem, cum in morte Christi, secundum Scot. non fuerit facta nova unio earum ad Verbum, sed loquitur de assumptione ad personalitatem, ut patet ex responsione, quam ibi dat ad secundum, ubi inquit, non sequi quod per argumentum inferebatur, partes scilicet uniri prius toto, nam bene stat, quod unus sit origo, & natura prius alio, & tamen non sit prius illo in ordine ad tertium, ut in proposito contingit de partibus, & toto in ordine ad unionem hypostaticam, & personationem, nam non partes sunt personabiles, sed totum, & ideo quicquid præcedit ipsum in personalitate, quia ut prius non est personabile; ex quibus patet ipsum non loqui de assumptione simpliciter, sed de assumptione ad personalitatem. Quod si hoc esset absurdum, non minus sequeretur ex Fabri opinione, quia secundum ipsum partes prius unirentur inter se, deinde transeunt in tertiam entitatem, sed nunquam fuere inter se unitæ, nisi in Verbo, ergo partes unitæ fuerunt prius assumptæ autem humanitatis assumptionem, quia transitus partium unitarum in tertiam entitatem non fit, nisi in secundo instanti.

Quinto tandem materia, & forma non causant compositum, nisi per conversionem sui ipsarum in illud, ergo non manent in eo secundum proprias entitates distinctas. Consequentia patet, & Antecedens probatur; Tum ex differentia causarum intrinsecarum, & extrinsecarum, nam in nullo alio differre videntur; Tum ex ipsis rationibus causandi materiae, & formæ, nam definitur causa materialis, quod fit ea, ex qua fit quod fit, cum inquit, & forma, quod fit quodquid est rei, non possunt autem ita se gerere materia, & forma circa compositum, nisi transirent in illud, & hoc est præcipuum Fabri fundamentum.

Resp. negando assumptum cum suis probationibus, non enim ea ratione differunt causæ intrinsecæ ab extrinsecis, sed potius ex hoc, quod intrinsecæ sunt inexistentes effectui suo, & illi se intime communicant, ut Scotus docet loc. cit. 3. dist. 22. quæst. un. §. *Quantum ergo* etc. quod non contingit in extrinsecis, unde argumentum concludit oppositum, ideo enim materia, & forma dicuntur causæ intrinsecæ, quia manent in causato ex sua ratione causandi, quia alium modum non habent causandi, nisi exhibendo suas entitates intime præsentibus, & inclusas in suis effectibus, ut colligitur ex earum definitionibus, nam forma est quod quid est rei, & materia est id, ex quo fit res, cum inquit, alia quædam adducit Faber 7. Met. disp. 22. in defensionem suæ opinionis, quæ solvuntur ex dictis, & præsertim vim facit in exemplo Arist. 7. Metaph. tex. ultim. de syllaba BA, de quo dicemus infra num. 161.

Q U E S T I O XII.

An compositum physicum materiam, & formam, & unionem includat in sua essentia, & quidditate.

137 **T**Res de hac re extant sententiæ. Prima est Averroistarum, dicentium, materiam esse utique de substantia compositi, quatenus est pars intrinseca ejus, & in hoc sensu etiam posset dici de essentia ejus, si essentia acciperetur pro integra rei substantia, negant tamen esse de quidditate, seu partem quidditatis, quia hæc in sola forma consistit, non quidem solitarie sumpta, sed ut conjuncta materię unde addiderunt, utique materiam quoque ad compositionem totius concurrere, sed non nisi ut subiectum, & vehiculum ipsius formæ, sive ut deferens quidditatem compositi, ita significavit Aver. 7. Met. tex. 21. 34. & 35. Alexander 2. Met. tex. 12. Themist. 3. de Anim. tex. 9. Simplicius ibidem, & sequuntur Recentiores Averroistæ, Jandun. 7. Met. qu. 12. Achilli-nus lib. 1. de elementis, dub. 22. Zimara Theor. 39. Zab. Mercen. & alii.

Secunda sententia asserit, materiale compositum, nedum per se, & directe includere in sua essentia, & quidditate materiam, & formam, verum etiam, & unionem, cum hoc tamen discrimine, quod materiam, & formam includit veluti partes, unionem vero non tamquam partem, sed tamquam vinculum, nexum, & conjunctionem partium, ita Recentiores communiter, Averfa quæst. 19. sect. 4. id asserit de partibus, & sect. 7. de unionem, Amicus 1. Phys. tr. 6. qu. 6. dub. 7. id asserit de partibus, & tract. 11. qu. 10. dub. 2. art. 3. de unionem, & tract. 14. qu. 10. art. 3. Ruvius 1. Physic. tract. de forma qu. 6. Hurt. in Phys. disp. 6. sect. 3. qui addit, luce clarius esse, unionem de essentia compositi existere, Ariag. disput. 3. Phys. sect. 2. & disput. 4. num. 17. & disput. 5. num. 1.

Tertia sententia asserit, materiam, & formam esse partes quidditatis compositi, licet cum aliqua analogia, quatenus forma est principalior, & præcipua pars quidditatis, materia vero minus principalis, in quo convenit cum secunda sententia; Addit vero unionem non esse de essentia, & quidditate compositi, sed solum esse conditionem simpliciter necessariam ad ejus constitutionem, & conservationem, in quo dissentit a secunda sententia, & hæc est Sco-

Scoti, & Scotistarum, nam in 3. dist. 22. q. unic. affirmant materiam esse partem quidditatis, & sequuntur ibi Baffolius, & alii ejus Expositores, quod etiam prius docuerat 7. Met. q. 16. ubi Zerb. q. 11. Antonius Andreas q. 12. sequitur Faber Theor. 28. Fuentes 1. Phys. qu. 2. diff. 5. Sghemma 1. Phys. digress. 5. q. 11. & passim alii Scotistæ, & Contaren. junior tom. 1. q. 9. Perip. q. 8. ostendit esse sententiam peripateticam: Unionem vero non esse de conceptu essentiali compositi, sed tantum conditionem simpliciter requisitam docet in 3. dist. 2. q. 2. F. quod prius docuerat Theor. 22. num. 18. & iterum in 4. dist. 43. q. 1. ad ult. principales; idem tenuit Soncin. 7. Met. q. 42. art. 1. & videtur Vafq. 3. part. tom. 1. disp. 19. num. 20.

A R T I C U L U S I.

Ostenditur, materiam esse partem quidditatis compositi.

138 **D**icimus, compositum physicum non solum formam includere in sua essentia per se, & directe, fed materiam, & formam simul. Concl. est communiter recepta contra Averroistas, & Prob. 1. auctoritatibus Philof. qui 2. de Anim. text. 2. & 7. Met. 34. & 36. & 8. Met. 15. & 16. ait, quidditatem compositorum esse per se unam, quia constat ex actu, & potentia, idest, materia, & forma, & 7. Met. 35. ponit materiam esse partem speciei, & 39. ait, esse superfluum auferre materiam a quidditate rerum, & 2. Phys. 18. & 19. 2. de Anim. text. 8. 6. Met. text. 2. ait, materiam poni debere in definitione rerum naturalium, unde 8. Met. tex. 6. commendat Architam definiens res naturales per materiam, & formam. Nec respondere juvat, materiam poni in definitione rerum naturalium, non ut partem quidditatis, sed ut vehiculum, & subiectum quidditatis; tum quia loc. cit. Philof. intendit, materiam ingredi definitionem rerum naturalium ut partem definitionis, ut notat Scot. 3. dist. 22. q. unic. infra G. idque constare ait ex 7. Met. cap. de partibus definitionis, & 8. Met. cap. 5. tum quia, ut inquit Baffolius, substantia completa definitur per additamentum, & ideo si materia ingreditur conceptum ejus essentialem, ponitur ut pars intrinseca, non ut subiectum.

Deinde Probat. ratione; Tum quia substantiæ materiales, & composita physica non sunt simplices entitates, ergo eorum quidditas composita est, & materia est pars intrinseca illius; Tum quia substantiæ materiales per materiam quidditative ab immaterialibus secerantur; Tum quia essentia, & quidditas compositi materialis intrinsece est materialiter causata, ergo materia est de conceptu essentiali ejus, & intrat ejus quidditatem, per hoc enim causæ intrinsece distinguuntur ab extrinsecis.

Respond. formam esse totam essentiam rei materialis, non quomodocunque sumptam, sed ut conjunctam, & inexistentem materia: unde & ipsa materia necessaria est, ut subiectum, & vehiculum ipsius formæ, sive ut deferens essentiam compositi. Sed id parum juvat; Tum quia rationes præfatæ non solum probant, materiam necessario concurrere ad constitutionem compositi materialis, fed probant concurrere, ut essentialem partem illius; Tum quia, si ita solum concurrat, ut subiectum nimirum, & vehiculum formæ, cum Deus possit supplere vices subiecti, & conservare formam sine materia, si ita fieret per potentiam divinam, adhuc haberetur tota essentia compositi materialis, unde ignis esset compositum materialis sine materia, quod est falsum, immo cum anima rationalis non indigeat simpliciter corpore, ut subiecto, & vehiculo, ipsa separata foret quidditative homo, nam ut inquit Scot. cit. in prima ratione, quidditas cujuscuque substantiæ est sibi sufficiens ratio essendi tale, circumscripta quacunque alia re ab ipsa; Tum denique, quia, ut ibidem arguit Doctor in tertia ratione, si ita foret, tunc forma adveniens materia, non faceret per se unum cum illa, sed potius unum per accidens, quia omne ens completum in genere nulli alteri unitur ad faciendum unum per se cum illo, si ergo forma ignis est integra, & completa ignis essentia, utique erit ens completum in genere, atque ita cum jungitur materia, non faciet unum per se cum ea, sed unum per accidens.

139 Resp. alii, concedendo, materiam non concurrere tantum ut subiectum, & vehiculum formæ ad compositi constitutionem, sed ut veram partem, & intrinsecam ejus, sed ex hoc non sequi, quod sit pars quidditatis, sed quod sit pars substantiæ compositi, & etiam essentia illius, sumendo essentiam pro integra substantia rei. Sed hoc quoque parum juvat; Tum quia male distinguunt ista Averroistæ inter quidditatem, & essentiam, seu substantiam compositi materialis; nam ut notat Baffolius cit. in prima ratione, quam conficit pro nostra sententia, nomen quidditatis est abstractum ejus, quod est quid, ut humanitas est abstractum hominis, ergo sicut materia est pars intrinseca hominis, sic etiam erit pars intrinseca humanitatis, cum abstractum, & concretum quidditative non differant; Tum quia hæc quidditas utique est substantia, ergo si materia est pars substantiæ compositi, erit etiam pars quidditatis ejus; Tum demum quia quidditas compositi utique simplex non est, ergo materiam includet cum forma.

Addit tamen Scot. loc. cit. K. quod licet utraque pars per se, & directe spectent ad quidditatem materialis substantiæ, potior tamen, ac principalior pars quidditatis est forma; Tum quia ita significaverunt sancti Patres, unde D. August. 19. de

Civit. Dei cap. 3. inquit, hominem non esse animam solum, vel corpus solum, sed utrunque, meliorem tamen partem hominis esse animam; Tum quia Arist. hac ratione dixit 2. Phys. formam esse magis naturam, quam sit materia; Tum denique, quia intra essentiam compositi forma est actus, materia est potentia; materia est indeterminata, & communis omnibus; forma est determinata, & propria, atque ideo determinate distinguens unum ab alio, & hac ratione forma sapius appellata est absolute, & sine addito a Philosopho quidditas compositi materialis, & materia subiectum hujusmodi quidditatis, ut notavit Averfa quæst. 19. sect. 4. ubi etiam inquit, Averroem ipsum se explicuisse 7. Metaph. com. 34.

In oppositum arguitur Primo innumeris auctoritatibus Arist. qui variis in locis visus est solum formam agnoscere pro quidditate compositi; prima est 7. Metaph. cap. 9. ubi ait, quod anima est substantia animati, & species, & quodquid erat esse. Secunda, eodem septim. cap. 2. ait, quod partes, & materia non incidunt definitioni, seu quidditati substantiæ; Tertia, 5. Met. cap. de causis habet, quod partes definitionis sunt formæ; Quarta 2. Phys. formam definit, esse quodquid est rei, absolute loquendo; Quinta 3. de Anim. tex. 9. scribit, aliud esse carnem, aliud esse carnis, per carnem intelligens formam cum materia, per esse carnis formam simplicem secundum Thomist. esse autem carnis est quidditas carnis; Sexta, 7. Met. tex. 9. dividit substantiam in materiam, formam, & compositum, postea dicit, præsertim esse materiam, & compositum, & agendum de sola forma, & mox in sequentibus agit de sola quidditate. Septima, 8. Met. 12. habet, si quis interroget, quæ sit materia hominis, respondendum esse, mensura, quæ autem forma, quodquid erat esse rei. Octava 2. Phys. 19. inquit, res naturales definiri per materiam, sicut simitas per nasum, nasus autem ponitur in definitione simitatis, ut subiectum. Denique materia prædicatur de omnibus denominative, non essentialiter, unde 7. Met. inquit, quod arca non est lignum, sed lignea, & idem habet 9. Met. tex. 12.

140 Resp. ad omnes istas auctoritates simul, distinguendo cum Scoto, Antonio, Andr. Baffolio, & aliis Scotistis de duplici materia, & forma, forma enim duplex est, alia est forma partis, & physica, quæ cum materia partis constituit compositum, alia forma totius, & metaphysica, quæ est integra essentia, & quidditas resultans ex materia, & forma unitis; duplex item est materia, totius, & partis, partis est, quæ cum forma partis compositum constituit, materia totius est differentia individualis contrahens naturam communem ad esse hoc, vel illud, & dicitur materia pro quanto constituit rem in suo ultimo esse subijcibili, quæ distinctio communiter a Recentioribus recipitur, præsertim de forma, licet Mercenarius valde in illam exariserit, contra quem optime disp. P. Faber cit. Quando igitur ait Philof. formam esse quidditatem, & quodquid est rei, dicendum est, quod loquitur de forma totius, hæc enim vere est tota essentia, & quidditas rei; vel si loquitur de forma partis, illam appellat quidditatem per antonomasiam, quatenus est excellentior, & principalior pars quidditatis; Cum vero excludit materiam a quidditate, vel loquitur de materia totius, hæc enim vere est extra quidditatem rei, quia species est tota quidditas individuorum, & pertinet ad quis est, non ad quid est individui; vel si loquitur de materia partis, & eam excludit a quidditate, dicendum, quod loquitur de materia contracta, & singulari comparata ad quidditatem compositi in communi; Vel demum si loquitur de materia contracta comparata ad quidditatem compositi in particulari, aut de non contracta comparata ad quidditatem compositi in communi, dicendum est, illam excludere, quia est pars minus principalis, & longe deterioris conditionis, quam sit forma. Adhuc tamen libet respondere ad singulas singillatim.

141 Ad primum dicimus cum Scoto, animam appellari a Philof. speciem, & quodquid est, quatenus est principalior pars quidditatis. Ad secundum Philof. loqui de materia singulari, & contracta, & negare, esse partem quidditatis compositi in communi. Ad tertium partes definitionis, si conferantur inter se, non omnes habent rationem formæ, sed una habet rationem formæ, altera materię, si vero referantur ad definitum, quia ambæ prædicantur formaliter de illo, ut partes essentielles ejus, ambæ dicuntur formæ, nec inconvenit, materiam in hoc sensu dici formam. Ad quartum definitur esse quodquid est, quatenus forma est pars quidditatis determinans rem, & illam constituens in certa specie entis, & eandem distinguens ab omnibus aliis sub eodem genere. Ad quintum negatur assignata expositio, nam per esse carnis intelligit Philof. quidditatem carnis in communi, quam constituit materia, & forma in communi, & per carnem intelligit singulare, & individuum carnis in communi. Ad 6. falsum est, Philof. immediate postea tractare de quodquid est, immo text. 10. præmittit aliam divisionem substantiæ, quam superius innuerat text. 7. qua præmissa, incipit deinde tractare de quodquid est, ut ponderat Faber cit. tractatio vero de quodquid est maxime confert ad notitiam formæ, quam ibi inquirerebat Arist. quia quidditas ab ea principaliter originem ducit. Ad 7. exponi potest Arist. vel de forma totius, vel de forma partis modo explicato. Ad 8. exemplum non tenet in omnibus, sed in hoc solum, quod sicut simitas nequit intelligi sine naso, ita nec quidditas rei sensibilibus sine materia. Ad nonum æque concludit de forma, sicut de materia, nam neque homo dicitur

anima, sed animatus, aut igitur Scotus 2. dist. 12. q. 1. ad 1. princ. quod duplex est predicatio denominativa, aut accidentis denominantis subiectum, alia forma accepta in concreto per eadem ad suppositum naturae propriae, secundum quod dicimus, homo est animatus, & predicatio denominativa in hoc sensu est etiam essentialis.

142 Secundo obicitur rationibus; Tum quia quidditas est incorruptibilis 7. Met. 34. sed materia est radix corruptionis 7. Met. cap. 3. Tum quia quodquid est, principium cognoscendi id, cuius est 7. Met. 21. sed materia de se est ignota, & causa occultationis 7. Met. cap. 35. Tum denique materia prohibet ne quodquid est sit idem cum eo, cuius est, ergo ad quidditatem non pertinet, quia nihil impedire potest identitatem, & inter rem, & quidditatem, nisi sit a quidditate rei extraneum. Probatur assumptum, quia 7. Metaph. cap. 4. in conceptis cum materia non est idem quodquid est cum eo, cuius est.

Rsp. ad primum ex Sot. cit. sub G. quidditatem compositi materialis esse corruptibilem ratione materiae, immo & corruptibilitatem esse passionem de quidditate materiali demonstrabilem, dicitur tamen incorruptibilis a Philosopho quia actu non corrumpitur, nisi in singularibus, & ut ad existentiam contracta. Ad 2. Scot. sub H. ait, materiam dici ignotam comparative in ordine ad formam, nam haec excellentius confert ad cognitionem compositi, absolute tamen confert etiam ad materiam, & substantia materialis quidditative nequit attingi sine materia. Ad 3. ait Doct. litt. I. quod materia in communi non impedit, quodquid est esse idem cum eo, cuius est per se primo in conceptis cum materia in communi, sed materia singularis, & contracta impedit, ne quidditas in communi conveniat per se primo conceptis cum materia singulari, unde dicimus, quidditatem hominis in communi convenire per se primo homini, Petro, vero, & Paulo non per se primo, sed secundario. Sed Urges, Arist. 8. Met. text. 8. ait, quod anima, & anima esse sunt idem, hominis vero esse, & homo non idem, ergo etiam materia in communi vetat identitatem quidditatis cum eo, cuius est. Rsp. Scotus super illum text. Arist. loquitur secundum mentem Platonis, ut patet ex ipso contextu.

143 Tertio, quod ponit in definitione, debet definitum ab aliis distinguere, 6. Top. sed hoc non fit per materiam; tum quia per materiam potius conveniunt; tum quia distinguere est proprium formae 7. Met. 49. ergo &c. Item quod est de essentia rei, debet esse illi proprium, nec enim eadem esse potest essentia diversarum rerum, sed materia est eadem in omnibus, saltem sublunaribus, ergo &c. Denique si materia esset pars quidditatis, sequeretur, eandem numero materiam ad diversorum quidditatem pertinere, eadem enim materia numerata, quae erat in corrupto, manet in genito 1. de Gen. 23.

Rsp. ad primum, totam definitionem, & non singulas eius partes debere definitum distinguere ab omni, quod non est ipsum. Accedit, quod materia distinguit substantias materiales, & compositas ab immaterialibus, unde hac ratione ei quoque convenit, quod docuit Arist. 6. Top. Ad 2. major intelligi debet de tota, & integra rei essentia, non de quavis illius parte, quamvis enim tota essentia debet ei tantum convenire, pars tamen potentialis, & indeterminata essentiae potest esse sibi communis cum aliis, ut patet in compositione metaphysica. Ad 3. nullum est absurdum eandem materiam singularem in essentia diversorum includi pro diversitate formarum in ea succedentium, quia materia est pars potentialis, & indeterminata ad plura composita constituenda, quod parti potentiali metaphysice convenire non potest, quia non est realiter distincta a differentia contractiva.

Quarto, sicut se habet materia secunda ad artefacta, ita materia prima ad naturalia, sed illa non intrat quidditatem artefactorum, substantia enim qualis est materia artefactorum, in quidditate accidentium, qualia sunt artefacta, contineri non potest, ergo &c. Confirm. tota quidditas hominis est esse animal rationale, sed hoc totum sumitur ab anima intellectiva secundum aliam, & aliam realitatem, ergo &c.

144 Rsp. ad primum negando maiorem, si teneamus, artefacta importare formam, & connotare materiam veluti vehiculum eius, sed si teneamus, etiam artefacta, ut sunt composita quaedam accidentalia, adaequate importare subiectum, & formam, ut insinuat Arist. 7. Met. 35. dum dixit, as, & figuram esse partes status, tunc est neganda minor, nam licet substantia in essentia accidentis contineri nequeat, poterit tamen aliquo modo contineri in essentia eius, quod ex accidente, & substantia accidentaria compositione coalescit, sicut sunt artefacta. Ad Confir. major est vera de quidditate hominis metaphysice inspecta, non autem physice; vel negatur minor, quia genus, & differentia sumitur a tota rei entitate proxime, & immediate, ut dictum est in Logica disp. 5. q. 3. art. 2.

Quinto tandem quod fluit, & refluit in re materiali, non pertinet ad eius quidditatem, quae invariata manet, sed materia fluit, & refluit, ut patet in continuata hominis nutritione, ergo &c. Deinde si materia est de essentia, ergo pars materiae erit pars essentialis, atque ita pars integralis v. gr. manus, & caput erit pars essentialis, quia est pars quaedam essentiae, hoc autem falsum est, alioquin homo mutilus non haberet totam hominis essentiam. Denique si materia in communi est de essentia compositi in communi, etiam materia in particulari erit de essentia compositi in particulari, hoc autem est falsum; Tum quia variata tota materia per continuam

nutritionem; semper manet idem numero homo; Tum quia in resurrectione, quamvis anima non daretur idem numero corpus, quod antea habuit, sed ex alia materia confectum, erit idem numero homo, qui antea fuerat.

145 Rsp. ad 1. Bassolius, aequo concludere de forma materiali, quae in brutis fluit, & refluit cum carne, & ideo concedit, quidditatem in communi utique semper invariata manere, sed quidditas in particulari fluit, & refluit, licet non secundum omnes partes. Ad secundum, non omnes partes materiae integrales sunt essentialis, quia non omnes sunt necessariae, ut forma complere possit cum materia compositum illud, v. gr. hominem, & ideo illa materia ceteri debet simpliciter essentialis, quae ad hoc necessaria est, reliqua vero potius spectant ad integritatem, & complementum rei, quam ad eius essentiam. Ad tertium concedit ea ratione Duran. 4. dist. 44. q. 1. materiam tantum in communi esse partem essentialium compositi in communi; non autem materiam particularem de essentia compositi particularis, quam sententiam iudicavit probabilem Fuentes loc. cit. sed Scot. 3. d. 22. qu. 1. docet expresse, quod sicut materia in communi est de essentia compositi in communi, ita etiam materia in particulari de essentia compositi in particulari. Conceditur igitur conseq. & negatur falsitas, quia ut substantia materialis est eadem numero, requirit non solum eandem numero formam, sed etiam eandem numero materiam, ut docet Idem in 2. dist. 20. q. 2. B. Ad primum probat, negatur, in continuata nutritione variari totam animalis materiam, quamvis enim varietur quoad aliquas partes impuriore, & fluxibiliores, semper tamen remanet eadem numero quo ad puriores, & solidiores, in quibus fundatur identitas individui, ut docet Faber Theor. 28. & nos dicimus in lib. de Gener. disp. 8. qu. 7. Ad alteram probat, negatur assumptum, quia ad unitatem resurrectionis eorundem hominum exigitur, ut eorum animae eidem numero corporibus uniantur, ut docet Scot. in 4. dist. 44. q. 1. §. De secundo, &c. & §. Ad argumenta, &c. cum ceteris Theologis.

Quo autem modo resurrexerunt sit idem numero homo, casu, quo eadem materia fuerit successive plurimum hominum nutrimentum, optime Doctor declarat loc. cit. & ut notat Arriag. cit. argumentum hinc deductum non tam impugnat conclusionem positam de materia prima, quam resurrectionem hominum cum eidem corporibus; quae habuerunt iuxta illud Job, & in carne mea, unde omnes tenentur illud scilicet licet Arriag. non recte solvat, quia recurrit ad identitatem moralem, quae non sufficit.

ARTICULUS II.

Unionem non esse de essentia compositi, demonstratur.

146 D icimus, unionem non esse de essentia compositi, sed solum conditionem simpliciter necessariam, tam ad eius constitutionem, quam conservationem. Concl. est Scoti cit. initio quaest. Cuius fundamentum est, quia respectus non est de essentia absoluti, nec entitas absoluta constituitur intrinsece in tali esse per respectivam, quia esset simul ad se, & non ad se, sed unio est respectus, & compositum substantiale entitas absoluta, ergo, &c. Major patet ex dictis, tum disp. 2. qu. 5. art. 5. tum disp. praesenti qu. 9. ubi probatum est illam maximam esse universaliter veram de quocumque respectu, sive predicamentali, sive transcendentali. Minor quoad primam partem patet ex superioribus dictis qu. 9. & quo ad 2. Prob. Quia nemo unquam dixit, naturam hominis, vel equi esse relativam, & ex ipso conceptu hominis consistat, ipsum non esse ad aliud, sed ad se, & si dicatur hominem, equum, & alia composita substantiaalia esse entia essentialiter relativa, iam amplius assignari non poterit, quamquam entia sint absoluta, & hoc est absurdum, quod intulit Arist. 4. Met. 26. contra Heracl. & Cratillum, ponentes omnia quidditative ad aliquid, ut notat Scot. 2. dist. 1. qu. 5. P.

Rsp. Amicus tr. 14. qu. 10. art. 4. eodem argumento probari, nec materiam, nec formam esse de essentia substantiae compositae, quia tam materia, quam forma sunt relativa transcendentia, quare sicut non est absurdum, huiusmodi relationes transcendentales includi in substantia compositi, ita neque unionem, quae est transcendentalis quidam ordo. Addit in terminis naturis alia includi explicitae, alia implicitae, quare in specie substantiaali, ut explicatur peculiari nomine leonis, equi, &c. licet non includatur explicitae unio, & compositum, aut alia transcendentia relatio, tamen implicite includuntur, cum sint substantiae compositae. Sed hac responsio non satisfacit; Tum quia loc. cit. ostensum est, nec relationes transcendentales includi in essentia absoluti, nec materiam, & formam esse tales relationes in primo modo, sed esse entia absoluta includentia illas in secundo modo; Tum quia quando etiam naturae substantiales equi, & leonis concipiuntur quidditative, ut substantiae compositae, non involvitur in tali conceptu respectus ille unionis partium ad invicem, sed sola consideratur materialis inclusio partium in toto, ut patet in solutione argumentorum.

Secundo Probat. Concl. Tum quia unio non est in composito, sed est in partibus, partemque denominat unitas, non vero totum quod potius dicitur unum ab unitate, quae illud consequitur, ut propria passio, ergo non est de essentia compositi; Tum quia si est de eius essentia, & intrinsece ad eius consti-

tutionem pertinet, iam tria erunt principia compositi in facto esse, materia nimirum, & forma, & unio. Nec respondere juvat cum Averfa cit. unionem non concurrere ad constitutionem totius per modum partium, sed per modum nexus, & vinculi eorundem, non habere autem rationem principii in facto esse, nisi id, quod concurret per modum partium ad constitutionem compositi, & ex quo compositum consistat dicitur. Non valet, quia illud ceterum esse principium in facto esse compositi, quod illud intrinsece constituit, & essentialiter, sive id sit per modum partium, sive alio modo, ergo admittendo, aliquid intrinsece constituit compositum ultra materiam, & formam, necessario admittitur tertium principium, cuius peculiaris modus principiandi in facto esse erit per modum nexus, & vinculi.

147 In oppositum obicit 1. Averfa qu. 19. sect. 7. De ratione compositi, & de essentiali conceptu eius est ipsa compositio, nec potest dici se habere tantum ut conditio, & velut extrinsece, ergo, & ipsa unio; quia hic de unione est sermo, ut se tenet ex parte compositi, in quo sensu idem est quod compositio. Confirmat id Hurtad. disp. 6. §. 29. Compositum, & unitum sunt formaliter idem, sed unio est de essentia uniti, ergo & de essentia compositi. Demum ait Hurt. si unio non est de essentia compositi, ergo est extra eius essentiam, demum ergo existere illam essentiam sine unione, certe illa essentia erit simplex.

Rsp. ad 1. ex Bassol. 2. dist. 12. q. 2. art. 3. §. Contra solutionem alterius, &c. tam compositum, quam compositionem posse dupliciter spectari, uno modo formaliter, compositum nemp pro illi demonstrationi relative subiacet, secundum quam intrinsece partes respicit, & compositionem pro illo respectu unionis partium ad invicem, alio modo materialiter, compositum nemp pro illa tertiam entitatem absolutam ex partibus constituta, & compositionem pro ipsis partibus componentibus; uniformiter sumendo compositum, & compositionem semper compositio est de ratione compositi, & essentiali eius conceptu, compositio nemp formaliter sumpta de ratione compositi formaliter sumpti, sicut relatio de ratione relativi, & materialiter sumpta de ratione compositi materialiter sumpti, quia partes intrinsece includuntur in illa tertiam entitate: At differenter sumendo utrunque, compositionem nemp formaliter, & compositum materialiter, compositio in hoc sensu non est de ratione compositi, quia respectus non est de ratione absoluti.

Ad Confir. Rsp. ex eodem Bassolio cit. negando maiorem, quod idem sit formaliter esse unitum, & unum, seu compositum quod dicitur unum, quia esse unitum, est effectus formalis unionis receptus in partibus, & illas efficiens, partes enim sunt, quae denominantur unitae, esse autem unum est effectus formalis unitatis receptus in composito, illudque efficiens, compositum namque est illud, quod dicitur unum, unde sicut unio, & unitas non sunt idem, quia unio est distinctum, licet indivisibile, unitas autem est aliquid in se distinctum, & indivisibile, ita non sunt idem compositum, & unitum, quia compositum non dicitur unitum, sed unum. Ad aliud dicitur, quod quamvis unio non sit de essentia compositi, est tamen conditio necessaria simpliciter requisita, tam ad constitutionem compositi, quam ad eius conservationem, quod sufficit, ne unquam dari possit compositum, immo nec concipi divisive sine unione partium.

148 Secundo obicit Hurtad. compositum non potest concipi sine unione magis quam album sine albedine, vel animatum sine anima, ergo sicut albedo est de essentia huius compositi, quod est album, & anima animati, ita unio est de essentia compositi; Antecedens patet, quia sicut album est formalis effectus albedinis, & animatum animi, ita compositum est formalis effectus unionis, quia est formalis effectus compositionis; quae est ipsa unio. Confir. ex Amico tract. 11. q. 10. dub. 2. art. 3. quia omne concretum intrinsece continet formam sui constitutivam, ut album continet albedinem, sed compositum est concretum a forma compositionis, quae est formaliter ipsa unio, ergo intrinsece continet compositionem, id est unionem. Denique materia, & forma sunt de essentia compositi, & quidem ut unita, non ut separata, quia separata destrunt compositum, non constituunt, ergo unio est de essentia compositi; Probat. conseq. quia partes unitae, & unio partium non differunt, nisi sicut concretum, & abstractum.

Respond. paritatem assumptam ab Hurtad. & Amico probare, unionem esse de essentia compositi etiam veluti partem, sicut albedo est de essentia compositi albi, veluti pars, & anima animati; decipiuntur igitur Auctores isti, dum putant, compositionem passivam, a qua totum denominatur compositum, esse idem, quod unio, hoc enim falsum est, quia unio est in partibus, non in toto, & illas denominat unitas, non totum; compositio vero passiva est in toto, & est dependentia ipsius correspondens compositioni activae, partium, quae est earum causalitas, per quam denominantur formaliter componentes, per quod patet ad rationem Hurt. & primam Confir. Amici. Sed dices, ergo saltem compositio passiva erit de essentia compositi. Rsp. concedendo sequelam de composito formaliter sumpto, ut scilicet substat illi denominationi relative compositionis, non autem de composito materialiter sumpto. Rursus urgebis, compositum pro tertiam entitatem non potest concipi quidditative sine unione partium, ergo unio est de essentia eius. Rsp. concedendo antecedens divisive, negando praesens, hoc enim modo potest quidditative totum constitui, & Belluti Tom. II. Physica.

cupi, non considerato illo respectu inter partes, sed considerata sola inclusionem partium in toto materialiter. Vel dicatur, quod sicut ad essentiam totius praesupponuntur partes unitae, & consequenter unio partium, sed ipse autem formaliter illa unio, ita conceptus unionis partium semper praetelligitur conceptui totius, non quod illum formaliter ingrediatur, sed quia ad illum necessario praesupponitur.

Ad ultimam Confir. resp. materiam, & formam, ut unita, esse de essentia compositi, si particula, ut, sumatur specificative, non reduplicative, & tunc consequentia non valet, sicut neque valet, voluntas non fertur in obiectum, nisi ut cognitum, ergo cognitio est de essentia amoris, quia ly ut sumitur specificative, & cognitio non est ratio amandi, sed tantum conditio sine qua non, & aliae instantiae passim afferri possunt de omnibus conditionibus, v. gr. causa extrinseca non causant, nisi ut approximatae, ergo approximatio est de essentia effectus producti, vel illarum, ut productum, non valet.

149 Tertio, Ex Amico tract. 14. q. 10. unio, ut se tenet ex parte compositi, est terminus Quo, seu formalis causalitatis materiae, ergo includitur in essentia compositi, quia terminus Quod, seu totalis, includit essentialiter terminum Quo. Nec respondere juvat, terminum formalem esse formam; tum quia quandoque forma non attingitur per generationem, ut patet in homine; tum quia ly attingitur, non attingitur secundum se, sed ut unita, atque ideo semper in termino formalis includitur unio. Confir. quia non potest esse conditio sine qua non, nam conditio non concurret ad effectum, sed requiritur, ut aliud principium concurrat ad effectum, ac vero unio ipsa immediate concurret ad constitutionem essentiae compositi, materia vero, & forma non concurrunt, nisi mediate, quatenus scilicet concurrunt ad hanc unionem. Demum essentia una per se distinguitur ab essentia una per accidens, & non distinguitur ratione partium, quia licet aliquando partes sint diversa, ut patet, quando in natura una per se forma est substantialis, & in una per accidens, & est accidentalis, tamen aliquando partes nullo modo distinguuntur, ut v. gr. cum corpus humanum, & anima rationalis sunt situ unita sine informatione, tunc ex illis fit unum per accidens secundum locum, & situm, at vero posita inter illa unione informationis, fit una essentia per se, & tamen inter illas naturas omnis distinctio est per unionem, ergo unio ingreditur essentiam, quia principium distinctivum est etiam constitutivum.

Rsp. ad primum negando assumptum, quia, ut notat Bassolius cit. art. 4. unio non est per se terminus generationis, nec Quod, nec Quo, sed terminus formalis: & Quo, ut est ipsa forma; & dum dicitur, non esse formam, nisi ut unitam, id verum est specificative, non reduplicative, quasi ipsa unio formaliter in termino formalis includi debeat; homo autem dicitur hominem generare, vel quia attingit per actionem substantialem formam mixti, ad quam necessario sequitur infusio animae a Deo, ut saepius dictum est, vel quia attingit unionem animae ad corpus, non quidem ut terminum formalem generationis, sed ut conditionem simpliciter necessariam ad hominis constitutionem.

Ad secundum negando assumptum cum sua probat. nam materia, & forma sunt, quae causant, & constituunt totum immediate, & unio non est illis ratio causandi, vel causalitatis ipsa, sed applicatio causalitatis earum, sicut approximatio est applicatio causalitatis in causis extrinsecis, ut docet Scot. 3. dist. 2. q. 3. F. Ad tertium dicimus, constitutum ex anima, & corpore substantialiter unitis essentialiter distingui a conjuncto per accidens, ex eis tantum localiter unitis per suam tertiam entitatem, quae ex illis resultat, quam non importat illud constitutum per accidens, & ideo falsum est, illas naturas essentialiter inter se distingui per unionem.

Quarto tandem arguit Arriag. cit. quia totum ut totum constituitur per unionem, & qualis est unio, tale denominatur totum, si est unio per se, fit totum per se, & substantiale, si est unio per accidens, fit totum accidentale, etiam si partes sunt substantiae, ut constat de acervo lapidum; Rursus disp. 5. nu. 1. probat non esse solam conditionem argumento, quo saepius utitur contra Connotantes, quia sola ablata unio inter animam, & corpus omnibus licet aliis per possibile, vel impossibile manentibus, non manet homo, ergo sine unio ne manet tota essentia hominis, ergo unio est aliquid de eius essentia.

Rsp. ut supra totum, ut totum, non constituitur formaliter per unionem, sed tantum praesuppositivae, quatenus constituitur ex partibus unitis per ipsam unionem, unde unio afficit formaliter partes ipsas, non totum, quod dicitur unum, non unitum; & in eodem sensu dicitur unio denominare totum per se, vel per accidens, qualis ipsa fuerit, quia ad constituendum totum per se praerogitur unio per se partium eius; Ad aliud notavit Averroes 8. Metaph. Com. 5. illum arguendi modum, nisi bene intelligatur, fallaciam inducere, omnes enim proprietates, & necessariae conditiones hoc habent, ut eis sublati rerum substantia depereat; illud igitur quo sublato res per se primo formaliter, & immediate tollitur, est utique de substantia rei, & in hoc sensu valet ille arguendi modus; non autem illud quo sublato tollitur mediate, & consequenter, sic enim probari potest ubicationem esse de essentia rei, cum sine ubicatione esse non possit, animam esse temperiem primarum qualitarum, & sic de aliis.

QUESTIO XIII.

An compositum consistat in partibus unitis, vel potius sit quid realiter diversum ab ipsis.

159 VERTITUR questio non de toto logico, quale ponitur universaliter respectu inferiorum, neque de toto metaphisico, ut est natura specifica, ex reatibus generis, & differentia constituta, sed de composito physico, tam per se, quam per accidens, tam essentiali, quod consistat ex materia, & forma, quam integrali, quod consistat ex partibus integrantibus, sive intentionis, sive extensionis, sive homogeneis, sive heterogeneis. Et dubium non est de partibus divisim, & seorsim sumptis; sic enim concedunt omnes, compositum quodlibet a singulis partibus per se sumptis realiter distingui, quia compositum prater hanc partem includit etiam aliam ab ista realiter distinctam, ut totum essentiali, prater materiam, includit formam, totum integrale, prater hunc palmum, includit alium palmum, totum per aggregationem, ut acervus lapidum, prater hunc lapidem, includit etiam alium realiter distinctum, atque ita compositum quodlibet ratione unius partis distinguitur ab alia parte singillatim accepta, quam distinctionem vocant inadquatam, immo neque dubium est de partibus simul sumptis, nam in hoc sensu etiam concedunt omnes, compositum quodlibet aliquo modo realiter ab omnibus partibus suis collectivè sumptis realiter distingui, quia quodlibet totum dicit aliquid ex natura rei ab omnibus partibus distinctum, nam si est totum essentiali, dicit modum unionis substantialis, qui est aliquid eis superadditum, ut patet ex precedentibus; unde quia prater entitatem omnium partium includit quoque earum unionem re ipsa a partibus distinctam, ratione hujus unionis distinguitur a partibus omnibus sine unioni consideratis, si est totum integrale, dicit modum unionis, quo partes continuantur: si est totum per accidens, prater entitatem omnium partium, includit quoque unionem earum accidentalem; si est totum per aggregationem, ut cumulus lapidum, prater omnes lapides, addit coexistentiam, & tactum mutuum inter lapides, unde singula tota distinguntur a partibus suis collectivè sumptis ratione qualitativè unionis, quam addunt super illas juxta naturam, & conditionem compositionis.

Questio igitur est de partibus omnibus sub unioni consideratis, num scilicet totum consistat in ipsis partibus sic unitis, & sub unioni consideratis realiter diversam. Et quidem, ut a toto essentiali incipiamus, prima sententia est; in composito nullam aliam dari tertiam entitatem distinctam a materia, & forma unitis, sed compositum non esse prorsus aliud, quam ipsas suas partes unitas, ita, ex Græcis senserunt Themist. Philop. Simplic. & Alex. & ex Latinis Ansel. Durand. Gregor. Agid. Thomistæ passim, & sequuntur Recentiores fere omnes: Suar. in Met. disp. 36. sect. 5. Ruvius 1. Phys. cap. 3. quæst. 1. Amicus tract. 11. quæst. ultim. dub. 4. & tract. 14. quæst. 4. dub. 3. Averfa qu. 19. sect. 8. Arriag. disp. 5. sect. 1. Hurr. in Phys. disp. 6. sect. 1. qui ultimi præterea addiderunt, totum non solum re, sed nec etiam ratione a partibus secerni, omnes siquidem rationes, quæ probant, non distingui realiter, æque bene probant, nec distingui ratione, quare volunt, solum vocabis, & grammatico discrimine, non philosophico, idest penes diversum modum concipiendi eandem rem, totum, & partes unitas distingui, quatenus eandem prorsus entitatem concipimus implicite sub nomine totius, explicite sub nomine partium unitarum.

151 Secunda sententia huic opposita realiter distinguit totum a suis partibus unitis, velut effectum a suis causis, unde dicunt, ex materia, & forma unitis resultare tertiam entitatem totalem, illas partiales intrinsece, & essentialiter includentem, ita Scot. 8. Metaph. qu. 4. & in dist. 2. qu. 2. quem sequuntur Scotistæ omnes Mayron. in 3. dist. 1. qu. 10. Parisienus 1. Phys. q. 4. Zerb. 7. Metaph. q. 19. Bassolus 2. dist. 12. qu. 2. Licher. in 3. dist. 2. qu. 2. Anton. Andr. 7. Metaph. q. 18. Sghemma 1. Phys. digress. 3. q. 4. Immo hanc sequuntur graviores Thomistæ Hervæus quol. 2. quæst. 15. Capreol. in 3. dist. 2. q. 1. Cajetan. 3. part. q. 6. art. 5. Ferr. 4. contra gentes cap. 81. & dicitur fuisse sententia Avicennæ 3. Metaph. cap. 4. Verum inter Scotistas est aliqua varietas in modo dicendi, quidam enim volunt, hanc distinctionem realem non esse mutuum, affirmant enim partes unitas distingui realiter a toto, sed non e contra, ita significavit Tromb. tract. form. art. 4. §. ult. Averf. 3. sent. dist. 2. art. 2. q. 2. & alii; Canonici autem 1. Phys. qu. 5. art. 2. etsi concedat, distinctionem realem esse mutuum inter partes, & totum, id tamen negat de distinctione essentiali, quia partes sunt de essentiali totius, atque ideo quidditative, & essentialiter identificantur cum ipso. Alii tandem concedunt, utranque distinctionem inter totum, & partes esse mutuum, quia ex diversitate reali necessario diversitas essentialis sequitur, quia omnis res singularis suam habet propriam essentiam, si ergo totum, & partes unitæ sunt distinctæ res, diversas etiam habebunt essentialis, atque ideo erunt nedum realiter, verum etiam essentialiter diversæ muro.

Tertia sententia est P. Fabri Theor. 21. cap. 3. ubi ut relatas oppositas sententias conciliaret, & pondus rationum utrius-

que evaderet, dixit, partes unitas compositi substantialis posse in duplici statu considerari, nimirum vel in illo omnino primo signo nature, quando uniuertur, antequam per generationem transeant in tertiam entitatem compositi, vel post huiusmodi transitum; totum distinguitur realiter, & essentialiter a partibus unitis in 1. statu, idest in illo priori ante transitum, tunc enim partes propriam seruant naturam, nec adhuc in naturam totius sunt conversæ; at in secundo statu, scilicet post transitum, non amplius distinguitur ab eis, dicere enim totum distingui a partibus sic transactis, est, ac si diceretur, totum distingui realiter a se ipso. Et Amicus loc. cit. hunc dicendi modum P. Fabri refert, ut communem Scotistarum, cum tamen nullus Scotista ante Fabrum id dixerit, nec post Fabrum, Scotistam vidimus, qui typis dederit, tenentem hanc opinionem, nisi quod Ragulæus disp. 14. cap. 25. in fine obiter hunc partium transitum in totum significavit. Fuentes etiam in hac re descendit a Scoto, nam 1. Phys. q. 6. nu. 18. & 20. & 2. Phys. q. 2. dist. 2. art. 1. ait, totum esse partes unitas actualiter causantes, & nihil partibus unitis superaddere, nisi solum causalitatem, cum tamen ad mentem Scoti non causa, litas ipsa, sed terminus hujus causalitatis sit totum, de quo infra disp. 8. quæst. 9. art. 2. in fine. At pejus omnibus loquitur Meurisse lib. 1. suæ Metaph. cap. 5. part. 4. quæst. 4. ubi ausus est in schola Scotasticarum de mente Doctoris negare distinctionem realem totius a partibus, contra quem egimus disp. 1. Log. quæst. 6. art. 2. in explanatione distinctionis realis.

De toto autem integrali sunt, etiam diversa Authorum placita, plures namque Scotistarum idem affirmant de omni toto integrali, quod de essentiali asserbant, nimirum distingui realiter a suis partibus integrantibus simul sumptis, & unitis, ita Roccus 1. Phys. quæst. 6. & Regent. Parisiens. 1. Phys. qu. 4. Zerb. 7. Metaph. q. 19. Alii distingunt de toto integrali homogeneo, ac ætherogeneo, & distinctionem realem concedunt de toto ætherogeneo a suis partibus, non de homogeneo, ita Tatar. 1. Phys. q. 2. dub. 2. sequitur Sghemma cit. ex opposito, negant alii Scotistæ distinctionem realem totius integralis cujuscunque a suis partibus, ita Tromb. cit. & Fuentes art. 6.

De toto per accidens videtur communis omnium sensus, nullam dicere tertiam entitatem a partibus unitis ex natura rei diversam, & ita docuerunt Scotistæ omnes citati, uno dumtaxat excepto Fuentes, qui art. 7. tentavit oppositum probabile demonstrare.

ARTICULUS I.

Resolutio Quæst. de toto essentiali.

152 DICIMUS 1. totum, & partes unitas distingui ratione, & plusquam ratione. Concl. ponitur contra Recentiores illos, qui inter totum, & partes unitas distinctionem rationis etiam ausi sunt negare, & Prob. Quia distinctio rationis duplex est, ratiocinantis, & ratiocinatæ, hæc fit, cum intellectus, occasione a re desumpta inadæquate concipiens, format ejusdem rei plures conceptus, illa vero, cum ex sola negotiatione intellectus, nullo existente fundamento a parte rei, plures ejusdem rei conceptus efformantur, ita ut illa dicantur in universum distincta ratione, quæ secundum aliquod esse rationis sunt fundamenta contradictionis, & si hoc esse diversum rationis sit a re occasionatum, tali dicentur distincta ratione ratiocinatis, si non sit occasionatum, sed mere ab intellectu factum, talia dicentur distincta ratione ratiocinante, sicut contingit inter Petrum subjectum, & Petrum prædicatum. Sed sic est, quod totum, & partes simul unitæ possunt secundum diversum esse rationis, utroque modo fundare contradictionem, ergo utroque modo ratione distinguntur; Major patet ex communi conceptu, quem omnes habent de distinctione rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ; Prob. minor, & quidem quoad 1. partem ab omnibus conceditur, etiam ab ipsomet Hurr. & Averf. qui non negant distinctionem rationis inter totum, & partes unitas, nisi secundi generis, sed libenter admittunt, cum enim nomine totius, ut hominis, explicemus identitatem compositi implicite, nomine vero partium unitarum, scilicet animæ, & corporis, & unionis, eandem entitatem explicite exprimamus, jam totum, & partes unitæ fundant aliquam contradictionem, saltem in diverso modo eandem rem concipiendi fundatam, Quod etiam possunt fundare contradictionem secundum diversum esse rationis a re occasionatum; Prob. quia diverso modo concipiuntur partes unitæ, ac totum, nam primo modo materia, & forma concipiuntur, ut subjectum, & terminus unionis concipiuntur ut plures, vel plura unita, at vero totum concipitur, ut unum includens materiam, & formam, & unionem, & hic diversus modus concipiendi habet fundamentum in re, ut patet, ergo inter totum, & partes non sola distinctio rationis ratiocinantis veritabitur, penes tantum diversum concipiendi modum, sed etiam distinctio rationis ratiocinatæ penes diversos conceptus objectivos.

Ex hoc prob. altera Concl. pars, quod scilicet etiam plusquam ratione distinguntur partes unitæ, & totum fundant contradictionem sine ullo ordine ad intellectum, aut negotiationem, aut inadæquate concipientem, ergo nedum apud intellectus.

tellectum, sed etiam a parte rei unum non est aliud; Consequenter patet ex illa generali regula apud Formalistas in art. 2. quod contradictio semper concludit distinctionem inter illa, de quibus verificatur, eo modo, quo verificatur; si verificatur ex natura rei nullo negotiante intellectu, concludit distinctionem ex natura rei, si verificatur per solum opus intellectus, concludit solum distinctionem rationis; Probatur assumptum, nam sine ullo ordine ad intellectum partes unitæ constituunt, & causant totum, non tantum distributive, sed etiam collectivè sumptæ, ut mox dicemus, totum vero constituitur, & causatur; illa sunt principia, hoc autem principiatum, a parte rei materia, & forma sunt plura, subjectant, & terminant unionem, compositum est unum, & non plura, nec subiectat, & terminat unionem, sed includit unionem, materiam, & formam.

153 Resp. Amicus loc. cit. art. 3. concl. 5. distinctionem a parte rei inter res debere desumi ex diversitate perfectionum, quæ includuntur in his, quæ distingui dicuntur a parte rei, qualis diversitas non est inter totum, & partes unitas, quia eandem perfectionem, quam dicit compositum, ut habet rationem unius, dicunt partes, ut sunt unitæ, unde diversitas illa prædicatorum supponit tantum objectum diverso modo conceptum. Sed contra; Tum quia falsum est, distinctionem ex natura rei semper desumi debere ex diversitate perfectionum includarum in rebus distinctis, licet enim id valeat in his, quæ sunt disparata, nec unum spectat ad integritatem alterius, non tamen verificatur in his, quæ distinguntur, ut includens, & inclusum, ut continens, & contentum, unde includens potest ex natura rei distingui a rebus inclusis per hoc solum, quod ex natura rei eas includat, & non includatur ab illis absque quod aliam rem contineat præter illa; Tum quia falsum est, totum non importare aliquam perfectionem, quæ dici solet forma totius, quam non dicunt partes unitæ, licet dici nequeat, quod eam includat, cum illa totalis perfectio sit entitas includens, non inclusa; Tum tandem, quia falsum est, etiam partes unitas includere unionem a parte rei, totum enim est, quod illam includit cum partibus, partes vero illam subiectant, & terminant, non autem includunt, & cum hæc vera sint a parte rei, falsum tandem est, hanc diversitatem prædicatorum pendere ex diverso modo concipiendi idem objectum, & non potius ex diversitate ipsorum objectorum.

Resp. alii, concedendo totum includere partes unitas, & non e contra, hinc tamen negant recte deduci distinctionem ex natura rei inter includens, & inclusum, quia homo, & humanitas, non nisi ratione distinguntur, & ex diverso modo concipiendi, quo modo universaliter differunt concretum, & abstractum, & tamen homo dicitur habere, dicitur includere humanitatem, non e contra, & multa verificantur de humanitate in concreto, quæ non verificantur de ipsa in abstracto. Sed adeo manifesta disparitas, quia cum in abstractis a materia singulari idem sit, quod quod est cum eo, cujus est 7. Metaph. cap. 4. homo, & humanitas sunt omnino idem ex natura rei, & cum dicimus, hominem includere humanitatem, non e contra, hæc prædicatorum diversitas pendet præcisè ex diverso modo concipiendi idem omnino objectum; at in proposito cum dicimus, totum includere partes unitas, includere unionem, &c. partes vero non includere unionem, sed eam terminare, & subiectare, partes unitas vere totum constituere, & causare, non autem ipsas causare, & hæc prædicatorum diversitas omnino a parte rei originem ducit, quia ita est a parte rei, & non quia sic nos cogitamus.

154 DICIMUS 2. Totum essentiali, & partes simul unitæ realiter distinguntur, ut res a re. Concl. est Scoti, & Scotiff. loc. cit. & Probatur ex eodem 1. omnis entitas realis realiter causata ab aliquibus, est ab eis realiter distincta, quia causa est, ad cujus esse sequitur aliud, vel quæ influit in aliud, per quam particulam significatur, effectum aliteratem in natura importare debere a sua causa, ita enim explicat omnes conceptum causæ in communi, ut distinguitur a principio, ut patet ex dictis quæst. 2. hujus disp. fed entitas compositi substantialis est realiter causata a materia, & forma, sicut a causis intrinsecis, ut patet ex 2. Phys. text. 23. & seq. & etiam 5. Metaph. ergo &c.

Confr. ex regula distinctionis realis, nam ea distinguntur realiter, quorum unum vel est, vel esse potest separatum ab alio, vel proportionem correspondentem his, quæ possunt separari, ut Scot. docet 2. dist. 2. quæst. 2. A. tanquam nullum aliud sit signum sufficiens, & adæquatum hujus distinctionis, nisi separatio in esse, aut actualis, aut potentialis, qualis est inter accidens, & substantiam, aut proportionalis, qualis cadere nata est inter ea, quæ nec sunt separata, nec separabilia, tamen ex rationibus suis, muneribus, aut actionibus correspondentibus, quæ vere separabilia sunt, utputa, si se habent veluti producens, & productum, causa, & causatum, aut unum ad aliud dependentiam habet, aut sunt in diversis subjectis realiter distinctis, in quibus non habent sufficientem causam identitatis; & e contra illa erunt eadem realiter, quæ nec separata sunt, nec possunt separari, nec proportionem correspondentem his, quæ sunt separabilia, tanquam signum sufficiens, & adæquatum identitatis realis sit sola inseparabilitas aliorum, tam actualis, quam potentialis, & proportionalis, quali inseparabilitate gaudent ea solum, quorum unum non est sine alio, nec esse potest, nec se habent ut producens, & productum, causa, & causatum, nec unum ab altero dependen-

dent, nec sunt in diversis subjectis, quia hæc inferunt separationem proportionalem, idest talia inferunt contradictoria in his, quæ ita se habent, ut scilicet producens, & productum, causa, & causatum, &c. qualia nata sunt verificari de his, quæ sunt separata, vel separari possunt servata proportioni; ita docent Formalistæ tract. Form. art. 4. cum ergo compositum substantiale, & partes ejus unitæ, proportionem respondeant his, quæ separabilia sunt, quia habent inter se habitudinem causæ, & causati, & totum dependet essentialiter a partibus, consequenter distinctio realis inter ea debet intercedere.

155 Resp. majorem esse veram in causis extrinsecis, quæ producunt effectum extra quem manent, non autem in intrinsecis, quæ ex modo causandi, quem habent, remanent in effectu, quem constituunt, & causant. Sed optime impugnatur hæc responsio a Bassolio cit. Tum quia illa major fundatur in definitione causæ in communi ad intrinsecas, & extrinsecas, quatenus causa est, quæ influit esse in aliud, idest in in effectum, qui sit alius in natura a causa; Tum quia habitudo intrinsecæ, & effectum est vera relatio, & realis, quæ exigit esse inter extrema realia, & realiter distincta ex Scot. 1. dist. 31. §. Ad quæstionem, &c. & quol. 6. l. Tum quia effectus quicunque, & cujuscunque causæ, est posterior natura sua causa, & per se dependens ab ea, idem autem nequit esse posterior natura se ipso, in quocunque genere causæ; Tum tandem quia nihil potest causare se ipsum in nullo genere causæ, quia causa supponitur præexistens ad causatum, sed nihil præsupponitur sibi ipsi, antequam ponatur in esse, & hæc valet de quocunque genere causæ, quia sunt conditiones necessariæ causis cujuscunque generis, de quo fufe disp. 8. quæst. 2. art. 1. aut ergo negandum est, materiam, & formam vere esse causas intrinsecas compositi, ut unitas, vel concedenda est distinctio realis inter ipsa. Hinc Hurrad. cit. §. 13. & 14. quem sequitur Arriag. vi argumentis pressus, negavit causas intrinsecas causare proprie effectum suum, cum potius illum constituant, ei se intrinsece communicant. Sed hoc quam male sit dictum in Philosophia, de se patet, quia inter quatuor causarum genera enumerantur etiam materia, & forma respectu compositi cum omni proprietate, & compositum non minus dependet cum omni proprietate a causis intrinsecis, quam ab extrinsecis.

Resp. proinde frequentius alii, concedendo, partes unitas vere esse causas compositi, & quatenus unitas, non quatenus per se sumptas, sed partes unitas, & sub unioni conceptas, inquirunt, dupliciter accipi posse, vel ambas unitas collectivè, vel ambas unitas distributive; in primo sensu involvitur cum partibus ipsa partium collectio, in secundo sensu una singillatim accipitur, ut alteri unita. Itaque compositum causatur a partibus unitis non in primo sensu, quasi ipsa partium collectio aliud quiddam causet, nempe aliam tertiam entitatem, sed in secundo sensu, quatenus qualibet secundum se causat, non nisi tamen ut est unita alteri, materia nempe ut informata, & forma ut unita materiæ, & ipsamet collectio est, quæ causatur, & componitur; ita Ruvius, & Averfa loc. cit. Quam respons. explicat Hurrad. exemplo acervi, quem nullus distinguit ab omnibus partibus, omnes enim lapides acervati non sunt causa acervi, sed acervus ipse, omnes autem lapides simul adunati, sed singillatim sumpti, unus in ordine ad aliud componunt acervum, nam collectio unius sumpti sunt acervus ipse.

156 Hanc respons. diligenter retulimus, quia plures eam rejicere solent, eo quia cum inquirunt Adversarii partes causare totum divisim sumptas, non copulatis, putant, ipsos velle, totum causari a partibus disjunctis, unde postea urgent, totum non causari, nisi a partibus unitis, & cum Adversarii dicunt, causari a partibus unitis divisim sumptis, putant, hanc esse implicentiam. Sed re vera isti non intelligunt allatam responsionem, concedunt enim Adversariis, totum non causari, nisi a partibus unitis, & sub unioni conceptis, sed non sub collectione utriusque, bene enim adhuc unitæ capi possunt divisim, una scilicet in ordine ad aliam absque ulla implicentia, & hoc manifeste ostendit exemplum acervi ab Hurrad. allatum, lapides enim constituunt acervum, non loco diffusi, sed adunati, non tamen omnes collectim sumpti, quia sic sunt acervus, sed singuli divisim, hoc est, distributive accipitur, unus nimirum ut alteri coexistens. Quæ resp. sub terminis Logicis ab aliis tradi solet, idest, materiam, & formam simul quidem unitas causare totum, sed acceptas non copulatis, sed divisim, vel copulative, nam materia ut unita formæ, causat compositum, & similiter forma ut unita materiæ, non tamen materia, & forma unitæ copulative causant, sed causantur; nam ly totum, ut componitur ex suis partibus, dicit partes copulatis, & causatur a partibus unitis, & divisim.

Ex alio igitur cap. resp. hæc refelli debet hoc modo; materia, & forma non sunt integra causa compositi substantialis, nisi ut unitæ, & collectivè, seu copulative sumptæ, ergo non est collectio, quæ causatur, aut partes sub collectione, sed alia tertia entitas, quæ partes includat cum collectione; Probat assumptum, nam partes unitæ, sed singillatim sumptæ non sunt causa compositi, nisi partiales, & collectivè sumptæ integrant unam causam totalem, ergo compositum, cum sit effectus causatus ab eis collectivè sumptis, erit quid realiter distinctum ab ipsis etiam collectivè sumptis.

Hurtad. fatetur, Impugnationem hanc esse difficilem, & pro solutione multa dicit §. 11. & sequentibus, sed duo praesertim dicit, unum est, materiam, & formam non esse proprie causas compositi, sed illud constituere intrinsece se illi communicando, quod non est proprie causare; quia per hoc non influunt esse in aliud. Alterum, quod asserit, est materiam, & formam unitas, & si sumptae singillatim sint causa partialis compositi, tamen collectivae sumptae, non constituere causam totalem, quia causa totalis, & adaequata dicitur ordinem ad effectum distinctum, sed una pars alteri unita non conficit causam totalem in ordine ad illud effectum, sed constituit ipsum totum.

Sed primum dictum Hurtad. impugnatum est supra, cum enim effectus non minus essentialiter dependeat a causis intrinsecis, quam ab extrinsecis, plane negari nequit, causas extrinsecas habere veram rationem causae, alterum vero dictum impugnatum modo; causa partialis, ut partialis, respicit totalem, & causa inadaequata, adaequatam, sed forma unita materia est causa partialis, & inadaequata compositi, materia item unita formae, est causa partialis, & inadaequata compositi, ergo simul & collectivae sumptae integrant unam causam totalem, & adaequatam.

Resp. Hurt. causam partialem respicere totalem in causis extrinsecis, sed in intrinsecis causa partialis non respicit aliam totalem, sed aliam compartialem, quae collectivae sumptae non integrant unam causam totalem, sed totum ipsum constituunt, non proprie causando, sed intrinsece illi se communicando.

Sed hic Auctor, ut obstinate suam defendat opinionem, omnia negat principia philosophica; plane negari non potest, quod quando duae causae concurrunt ad aliquem effectum, quarum una sine altera non sufficit, dicuntur causae partiales, & inadaequatae, & simul iunctae, unam integrant causam totalem, cum igitur materia, & forma ita se habeant in ordine ad compositum, & per se sumptae erunt causae partiales, & collectivae totales. Negat Hurt. materiam, & formam esse proprie causas compositi, & ideo etiam negat, quod collectivae sumptae integrant unam causam totalem, & adaequatam. At ecce quod negat aliud principium philosophicum, materiam nimirum, & formam esse proprie causas, & ideo dimittatur, quia sicut nil difficilius probatur, quam prima principia, ita difficile est disputare contra negantes ea.

157 Secundo principaliter arguitur ex Scoto; compositum substantiale per se primo terminat generationem, & corruptionem 1. Phys. 64. & 67. & 7. Metaph. 27. per se primo, & adaequate conveniunt ei passiones, & operationes propriae speciei, & per se directe ponitur in genere, ergo est aliqua substantia praeter materiam, & formam simul sumptas; Prob. conseq. quia nec materia, nec forma per se sumpta sunt adaequatae terminis generationis, vel corruptionis; nec eis per se sumptis per se conveniunt passiones, & operationes speciei, nec demum ut sic ponuntur in praedictamento directe. Neque haec attributa eis competere possunt ut unita simul, quia haec unio, licet extrinsece fit substantialis, intrinsece est accidens, ut superius probatum est.

Resp. haec omnia competere partibus ut unitis, unde generatur, & corrumpitur totum compositum secundum conjunctionem, & dissolutionem partium, ita Arist. 7. Met. 27. explicavit, totum fieri, per hoc, quod fiat forma in materia, sive per hoc, quod fit copulatio formae cum materia, & D. Dion. cap. 4. de caelesti hierarchia mortem in nobis, ait, non esse substantiae consumptionem, sed unitorum separationem. Item operationes, & passiones licet immediate conveniant uni tantum parti, tamen denominantur ipsi totum, eique tribuuntur, ad quod factis est, quod ei conveniant ratione alicuius partis, & ita dicimus, homo videt, licet tantum secundum oculos videat, sic homo intelligit, licet tantum secundum animam intelligat. Denique ponuntur in praedictamento partes ratione unionis, quia cum illud conjunctum sit ex per se actu, & per se potentia, optime reponitur in genere, ita solvit Averfa cum aliis.

Sed solutiones allatae reselluntur a Bassol. loc. cit. §. Contra istas solutiones, &c. Tum quia haec unio partium non est nisi respectus, sed per respectum nihil per se constituitur in genere absoluto, nec per se generatur, nec per se corrumpitur, nec per se habet propriam passionem convenientem alicui absoluto; Tum quia per generationem substantialem utique accipit aliquid esse simpliciter, etiam si utraque pars praexistat, & hoc sola unio esse non potest, ut etiam Adversarii ipsi fatentur, Hurtad. §. 17. & Averf. cit. in fine sect. nam haec ad summum esset terminus formalis, & Quo, si cum eis poneretur modus quidam substantialis; nec dici potest, terminum totalem, & adaequatam esse ipsum unitum, & compositum in sensu Adversariorum, quia per talem unionem partes non sunt simpliciter, sed sunt unitae, ut fatetur Hurtad. ergo praeter unionem, & partes unitas debent aliquid aliud admittere, quod simpliciter fiat, ut Quod, & Arist. 7. Met. 27. dum ait, formam non fieri, sed copulationem per copulationem, quam alia versio ponit sub nomine Synodi, expositores communiter intelligunt compositum, & praesertim Scot. ibi per Synodum explicat compositum, nam vera Unio etiam secundum Adversarios non fit, ut Quod; Tum deinde sic etiam in corruptione aliqua substantia deperire debet, ut Quod, & hoc esse nequit, nec forma, quae aliquando superflua manet, ut anima rationalis, nec unio, quia sicut non est Quod in generatione, ita neque in corruptione, & quando D. Dion. dicit, mortem in nobis non esse alicuius substantiae consumptionem,

sed unitorum separationem, loquitur contra quosdam, qui in hominis morte putabant, animam desinere, sicut evenit in corruptione aliorum compositorum, atque ita loquitur de definitione alicuius substantiae partialis, non totalis, ita notavit Bassol. cit. §. Contra aliam solutionem, &c. ubi & aliam congruam asserit explanationem huius auctoritatis, & similitum.

158 Deinde dum ait Averfa, operationes, & passiones convenire toti ratione partium, videre nimirum homini secundum oculos, intelligere secundum animam, offendit, se argumentum Scoti non percipere, quia non loquitur Doctor de passionibus, & operationibus, quae mediate competunt toti ratione partium, sed quae formaliter immediate, & per se primo consequuntur speciem, ut ridere, & posse ridere in homine, ut notavit Licher. 3. dist. 2. q. 2. & ita Doctor expresse loquitur, haec autem passiones, & operationes utique habere debent unicum immediatum subiectum, & adaequatam, & hoc esse non potest solum corpus organicum, quia sine anima non rideret, nec esse potest sola anima, quia haec separata non rideret, nec esse possunt ista duo simul unita, quia ambo sint subiecta inadaequata risibilitatis, & risus, quasi per unionem corpus, & anima remanent utique indivisa, non tamen indistincta; repugnat autem, eandem simplicem entitatem, & idem numerum accidens, esse in duobus subiectis realiter distinctis, etiam si partialibus, & inadaequatis, ut ipsemet Averfa concedit qu. 19. sect. 6. concl. 2. de unione loquens, quam proinde cum asserat esse unicum inter partes, non ponit in utraque simul, sed in una tantum.

Denique, nec etiam bene dicitur, partes ratione unionis directe in praedictamento reponi, quatenus conjunctum ex eis est ex per se actu, & per se potentia; Tum quia adhuc sub tali unione materia, & forma manent distincta entia partialia, ergo ut sic nequeunt directe in praedictamento reponi; Tum quia unio illa entitativa est accidens, & ideo ratione ipsius nequeunt materia, & forma in praedictamento substantiae reponi; Tum tandem quia etiam si concedatur esse modus substantialis, adhuc ratione ipsius materia, & forma non bene in praedictamento ponuntur, quia potius modum ponitur in praedictamento ratione rei, cuius est modus, quod et contra.

159 Tertio principaliter arguitur Canonicus; Omnis per se unitas habet aliquam per se entitatem propriam, tanquam proprium fundamentum, & subiectum diversum a quibuscunque aliis; sed unitas compositi per se unus est unitas per se una, ergo habet aliquam propriam entitatem per fundamentum, sed illud fundamentum non possunt esse entitates partium, etiam unitarum, quia propria unitas requirit unam entitatem, partes autem etiam sub unione non sunt una entitas, sed plures, & ut sic fundant unionem, non unitatem, ergo, &c. Major patet, omnis enim propria passio requirit proprium subiectum, tanquam proprium fundamentum, & ipsa multiplicata, multiplicat subiectum, cuius est passio. Confirm. ex Scot. loc. cit. quia si compositum substantiale non esset nisi conjunctum ex materia, & forma, tunc non esset magis unum, quam compositum per accidens, quod non est nisi conjunctum ex subiecto, & accidente.

Resp. quod unitas per se compositi respicit entitates partium unitas per modum per se actus, & per se potentiae, quae ut sic sunt una entitas unitate per se compositi, & sicut compositum non est ens simplex, sed compositum, ita eius unitas non simplex, sed composita; neque ut compositum substantiale sit magis per se unum, quam alia entia per accidens, requiritur major distinctio illius a suis partibus, sed major unitas, & major proportio suarum partium, in hoc enim posuit Arist. 8. Metaph. text. 15. & 2. de Anim. cap. 1. unitatem per se compositi substantialis, & non in illa majori distinctione a suis partibus, quae potius impedit videtur hanc maiorem unitatem, quia eo ipso quod aliquid est magis unum, minus addit, quam illud, quod est minus unum.

Sed impugnat haec responsio. Tum quia, ut ait Bassolius, sicut alia est unitas unionis, alia unitas identitatis, nam illa arguit duo indivisa, sed distincta, haec arguit unum in se indivisum, & indistinctum, ita quoque arguunt diversa subiecta, atque ideo cum unitas unionis fundetur in partibus, unitas identitatis in toto, hoc plane erit diversum a partibus; Tum quia, ut ait idem & si partes compositi substantialis respiciant se invicem, ut per se actus, & potentia, adhuc tamen per hoc non plus sunt unum ens, nec minus distincta entia quam substantia, & accidens, sed per hoc tantum sunt magis unita, unde si totum substantiale non diceret nisi partes ad invicem proportionatas, ut per se actus, & per se potentia, non diceret aliquid absolutum, nisi materiam, & formam, atque ita quicquid de absoluto diceret, hoc totum diceret partes etiam divisae, nam unitas superaddita est purus respectus, ut supra probatum est; Tum denique (quod maxime notandum est) nunquam Arist. dixit, ubi de compositione substantiali locutus est, materiam, & formam in ratione per se actus, & per se potentiae, esse per se unum, sed facere per se unum, aut per se unum fieri ex his, ut sensus sit causalis, non formalis, per quod insinuavit, maiorem compositi unitatem, maiorem etiam distinctionem arguere constituti a partibus constituentibus, cum fiat per veram causalitatem. Neque hoc additum impedit maiorem unitatem, ut bene notat Bassol. quia id, quod additur, non est per modum partis, sed per modum unitas totius in se intrinsece includentis partes, quibus additur.

Nec unitas composita per hoc, quod est composita, & distinguitur a simplici, plura dicit adaequate, & formaliter per se

se conjuncta, nam in hoc sensu compositum substantiale diceretur tantum per se unum unitate unionis, non autem unitate identitatis; unitas igitur identitatis composita, ut a simplici distinguitur, significat, quod illud, quod dicitur sic per se unum, plura partialia includit in sua entitate per modum per se actus, & per se potentiae.

160 Respond. idem esse a parte rei compositum dici per se unum, & partes per se unitas, quia ista diversitas pendet solum ex diverso modo concipiendi idem obiectum a parte rei, nam cum dicimus, hominem esse per se unum; concipimus ejus entitatem implicite, cum vero dicimus, corpus, & animam esse per se unita, & ex eis fieri per se unum, concipimus eandem hominis entitatem explicite, unde nulla tertia entitas hinc potest inferri, alioquin scilicet inferri deberet inter lapides, & acervum lapidum, nam dicimus, acervum fieri ex lapidibus, & ex lapidibus constare.

Sed contra; Tum quia unitas unionis, & unitas identitatis sunt diversae realiter unitates, ut etiam Adversarii concedunt, ergo non est idem a parte rei dicere compositum esse per se unum, & partes per se unitas, quia illud indicat unitatem identitatis, hoc autem unitatem unionis; Tum quia Aristot. semper dixit, ex materia, & forma fieri per se unum, nunquam dixit, esse per se unum, signum evidens, haec non esse idem a parte rei, alioquin saltem semel dixisset materiam cum forma esse per se unum; Tum denique exemplum de acervo veritatem manifestat, quia enim acervus non est totum a partibus distinctum, neque est vere totum ex his, sed, ut ajunt, cum his, ideo aequae bene dicimus, & lapides unitos esse acervum, & acervum fieri ex lapidibus unitis, sed quia totum substantiale est vere compositum ex his, scilicet ex materia, & forma per veram causalitatem intrinsecam, ideo cum Arist. dicimus, semper compositum fieri ex his, non autem esse haec duo unita.

161 Quarto demum adsumt pro hac sententia manifestae Arist. auctoritates, nam 2. de Anim. text. 2. & 7. Met. cap. 3. & lib. 11. cap. 3. divisit substantiam in materiam, formam, & compositum, easque asseruit tres substantias; Nec valet dicere, quod per compositum intelligit materiam, & formam unitas; & sensus sit, alia substantia est materia, alia forma, alia materia cum forma, haec enim esset manifesta negatio; nam si illud compositum aliud non est, quam forma, & materia simul, non debet ab ipsis poni substantia distincta; Item 8. Metaph. text. 15. ait, omne, quod plures partes habet, & non est totum quasi coacervatio, ipsum totum est aliquid aliud praeter partes; & 7. Metaph. text. ultim. ait, quod caro non solum est ignis, & aqua, ex quibus componitur, sed etiam aliquid aliud.

Resp. Arist. locutum fuisse de partibus per se sumptis, cum quibus totum comparat, asserens, aliquid aliud dicere praeter illas, quod verum est, cum includat modum unionis realem, quem non includunt partes, sed non fuisse locutum de partibus ut unitis, quia sic non sunt aliud nisi totum. Sed si bene ponderentur loca Arist. adducta, videbimus, mentem ejus esse, quod totum supra partes non addit solum simplicem unionis modum, sed substantiam quandam tertiam a partibus unitis realiter distinctam; in primis tribus locis, ubi dividit substantiam in materiam, formam, & compositum, plane per compositum non intelligit modum unionis; tum quia unio non est compositum, ut ipsimet fatetur; tum quia unio non est substantia, sicut asseritur ibi esse compositum, sed ad summum substantialis modus. In 8. Metaph. text. 15. quaerens, quomodo ipsum compositum sit unum, ex pluribus entibus, sub text. 16. excludit inter alios quendam dicendi modum, qui prorsus coincidit cum modo dicendi Recentiorum, ait enim: Ob hanc autem dubitationem, quidam participationem ajunt, & causam quandam participationis, quidam copulam animae, quidam compositionem, aut conjunctionem animae cum corpore, & paucis interjectis, huius rei reddens rationem, ex propria sententia ait, quod per se actus, & per se potentia unum nata sunt facere, ergo in hoc loco non intelligit Arist. totum praeter partes, dicere solum conjunctionem illarum, immo nec valet, ratione huius unionis, quasi sit modus quidam substantialis, fieri per se unum, ut Recentiores passim loquuntur. Et 7. Metaph. text. ultim. postquam dixerat, quod caro non solum est ignis, & aqua, sed aliquid aliud, declarans inferius, quod hoc additum sit, inquit, videbitur autem esse aliquid tale, & non elementum, aut causam, sed hoc carnis esse, ergo per Arist. caro super ignem, & aquam non addit unionem solam, quia haec non est caro.

Sed instant, quod Arist. ibidem adducit exemplum de syllaba B A. iniquens, quod non est idem, quod A. & B. his enim dissolutis remanet B. & A. sed non B. A. sed quis non videt B. A. super haec elementa non addere, nisi solam eorum conjunctionem? ergo idipsum voluit Arist. de carne, & alio quolibet toto. Resp. neg. conseq. hoc enim adduxit Aristot., ut exemplum materiale quoddam, sicut notat Bassol. in exemplis vero non attenditur omnimoda paritas, valet igitur paritas tantum in hoc de syllaba, & carne, quod sicut dissolutis A, & B, non amplius remanet B A, ita dissolutis partibus carnis non amplius caro remanet, atque adeo utrumque totum supra partes addit conjunctionem earum, sed ex hoc deduci non potest, quin caro aliquid aliud addat, quia praeter conjunctionem aliquid aliud addit, ut infra declarat, nec multum curandum est de exemplis.

162 Dicimus tertio, distinctionem realem, quae versatur inter totum, & partes unitas esse positivam, & mutuam. Con-

clusio quoad primam partem est contra Fabrum, qui inter totum, & partes unitas posuit distinctionem negativam tantum ut se explicat in 3. disp. 9. cap. 3. in fine, quatenus ponit, totum distingui a partibus unitis, sed non transactis, in quo signo totum non adhuc extat, nec existere concipitur, sed tantum in posteriori, in quo partes non existunt secundum proprias entitates, cum in tertiam abierint, ex quo patet, distinctionem partium unitarum a toto, & totius a partibus esse negativam, nimirum inter terminos, quorum unus est, & alter non est. Probatum autem; Tum quia ex dictis supra partes vere manent in toto, quamdiu existit, cum hic sit proprius modus causandi causarum intrinsecarum, ergo cum simul existant per modum causarum, & effectus, in quo intus manent, & includuntur, distinctio realis inter ea erit positiva, quia est inter extrema positiva, & existentia; Tum quia transitus partium in totum in posteriori signo explicari nequit, quomodo fiat, & quidem si explicetur cum Fabro, quod fiat per conversionem seipsum in totum, quod constituitur, ut ait num. 23. hic transitus erit quoddam transubstantiatio, id enim sonat vocabulum conversionis, quod utitur Faber ad explicandum hunc transitum; Quod si hic transitus dicitur fieri per ipsam generationem compositi, cum generatio sit mutatio exigens subiectum sub utroque termino, jam materia in tali transitu manebit, & non amittet propriam entitatem, & hoc modo in generatione fieri transitum totius in totum docuit Scot. 4. d. 11. q. 1. A. ex Arist. 1. de Gen. 24.

Praeterea dependentia totius a partibus est realis, & positiva, ergo etiam & distinctio, nam nihil essentialiter a se ipso dependet. Probatum assumptum, quamvis enim dicat Fabrum num. 21. apud Scot. non reperiri, quod totum essentialiter dependeat a partibus unitis, quae actu sint in ipso, & cum ipso secundum proprias entitates, tamen id manifeste docuit Doctor; Tum in hac q. in 3. d. 2. sub F. ubi inquit, totum non solum praeregere, sed etiam coexistere partes sub unione, & 3. dist. 22. q. unic. §. Quantum ergo, &c. ait, entia materialia composita habere causalitatem intrinsecam per causas inexistentes, materiam scilicet, & formam, quas statim ait realiter esse distinctas a tali composito, nec dici potest, quod loquatur de partibus unitis tantum, & non transactis, quia loquitur de partibus, ut actu inexistunt composito; Et in 4. dist. 12. qu. 1. E. docet composita essentialiter dependere a causis intrinsecis, quamdiu existunt, & a nulla extrinseca sic dependere, nisi a prima.

163 Denique ait Faber loc. cit. fundamentum, quo veteres Scotti moti sunt ad interponendam distinctionem realem positivam inter totum, & partes unitas, esse, quia sunt causa intrinseca compositi, & effectus realiter distinguitur a partibus, & subdit, hoc fundamentum esse falsum, nam quod effectus distinguitur a causa, verificatur solum in causis extrinsecis. Sed certe hoc argumentum est Scoti 3. dist. 2. q. 2. & eo praesertim utitur ad concludendam distinctionem realem totius a partibus, quare igitur absolute dicit, & hoc argumentum nihil concludere, & commnem Recentiorum solutionem amplectitur? dixisset saltem, in quo sensu Scoti argumentum teneat, vel non teneat. At forte dicit, rationem hanc Scoti concludere distinctionem realem totius a partibus unitis tantum, sed non transactis. Sed contra, quia argumentum concludit, quod distinguantur in ratione causae, & effectus, sed partes secundum Fabrum in eo signo, quo sunt unitae tantum, non habent rationem causae, sed tantum in posteriori signo, quando transunt, & actu communicantur toti. Accedit, quod si dicuntur causare totum in priori, siue in posteriori signo, nunquam Scotticum argumentum secundum Fabrum aliquid concluder, quia unam propositionem assumit in causis intrinsecis, quae valet tantum in extrinsecis, nimirum effectum realiter a sua causa distingui.

Quod autem haec distinctio realis totius, & partium unitarum debeat poni contra Trombet. & alios Scottistas. Prob. breviter, quia distinctio realis inter causam, & effectum est mutua, sed distinctio totius, & partium unitarum est in ratione effectus, & causae, ergo est mutua. Deinde quando inquit Tromb. hanc distinctionem realem inter totum, & partes non esse mutuam, sed totum distingui a partibus terminative tantum, vel id ita intelligit, ut cum veritate dici nequeat, totum esse tertiam entitatem a partibus unitis. realiter distinctam, & hoc est prorsus falsum, quia implicat, unum esse realiter distinctum ab alio, & quod vice versa, hoc non fit realiter distinctum ab eo. Vel id intelligit in eo sensu, ut solum terminet relationem distinctionis realis, secundum in partibus unitis, quo sensu dicimus, unionem humanitatis ad Verbum non esse mutuam, quia non est realis in utroque extremo. Sed neque in hoc sensu potest id asserere Trombet. quia totum, cum sit ens finitum, & limitatum, ac proinde capax relationis realis, poterit aequae bene fundare relationem distinctionis realis, sicut partes unitae.

Sed inquit Tromb. ideo totum distingui a suis partibus realiter distinctione non mutua, quia partes possunt per se existere sine toto, non tamen totum sine partibus. At hoc non sufficit, ut distinctio ista dicatur non mutua; quia nec ad distinctionem realem statuerendam inter duo extrema, nec ad mutuam ejus absolute necessarium est, ut hoc existere possit sine illo, & contra, id enim potius necessarium est ad inferendam mutuam separabilitatem inter illa, non autem mutuam distinctionem. Deinde quaestio hic est de distinctione reali, non inter totum,

totum, & partes per se sumptas, sed inter totum, & partes unitas, ergo si totum non ponitur mutuo distinctum a partibus, quia nequit esse sine illis, sic neque partes unitas, erunt a toto distinctae mutuo, quia nequeunt esse sine illo.

164 Dicimus tandem, loquendo de identitate, & distinctione essentiali totius, & partium, vario modo sentiendum est, iuxta varias acceptiones illius. Prob. & explicatur concl. quia identitas, & distinctio essentialis tripliciter sumi solet. Primo modo ea dicuntur idem essentialiter, quae habent unam essentiam, vel quae sunt idem uni essentiae singulari, & e contra ea dicuntur essentialiter diversa, quae non sunt idem uni essentiae singulari, sed habent diversas essentias, & isto modo identitas, & distinctio essentialis est mutua. Secundo modo illud est idem essentialiter alteri, quod includit illud alterum in sua essentia, tamquam sui constitutum, & e contra illud distinguitur essentialiter ab altero, quod non includit illud in sua essentia, ut sui constitutum, & in hoc sensu locutus est Scot. de identitate essentiali sub nomine identitatis formalis in 1. dist. 2. quaest. 7. Hic ubi in hoc sensu inquit, inferius esse essentialiter idem cum superiori. Tertio modo illud dicitur idem essentialiter alteri, quod constituit ejus essentiam, & e contra illud distinguitur essentialiter ab alio, quod non constituit essentiam ejus, qui modus frequentior est ceteris, & traditur a Scoto quodl. 1. D.

Juxta igitur primum modum, totum erit essentialiter distinctum a partibus unitis, & e contra, nam sicut partes, & totum sunt tres res, & tres substantiae, ita tres essentiae praeserunt inter se distinctas; quarum duae priores incompletae sunt, & tertia ex his completa. Juxta secundum modum, qui est minus frequens, partes unitas distinguuntur essentialiter a toto, & non e contra, quia totum includit partes in sua ratione formali, & quidditative, & non e contra. Juxta tertium denique modum, totum distinguitur essentialiter a partibus, sed partes identificantur essentialiter cum toto, ut Scotus docuit loc. cit. quodl. 1. D. quia sicut docuit Arist. 7. Met. text. 7. principia intrinseca sunt constitutiva essentiae totius, eaque definiunt, & ideo illi essentialiter identificantur. Accedit, quod tam materia, quam forma sunt partes quidditatis compositi, & totum dependet a suis partibus, dependentia essentiali actuali, ergo includit ea in sua essentia, atque ideo sunt illi essentialiter in hoc sensu identificate. Et quia haec tertia acceptio identitatis, & distinctionis essentialis est magis frequens in scholis, & rerum naturis consentanea, ideo simpliciter, & absolute dicendum putamus, quod partes sunt idem essentialiter cum toto, non e contra, & universaliter inclusum cum includente; atque ita etiam breviter decideri poterit inutilis contentio inter veteres Scotistas de identitate essentiali inter gradus Metaphysicos superiores, & inferiores apud Formalistas.

Solvuntur Rationes aduersae.

165 **I**n oppositum obijciunt unanimiter Recentiores omnes, praecipue Hurad. & Averfa, probantes primo, quod totum neque ratione distinguatur a partibus unitis. Totum quidditative concipi nequit, nec praesive, nec divisive sine partibus, ergo neque per intellectum distinguitur ab eis. Resp. neg. conseq. quia nec etiam unum relativum quidditative concipi potest sine correlativo, & tamen non sequitur, quod nec etiam ratione distinguatur ab eo, non enim ut aliqua duo ratione distinguantur, exigitur, ut unum possit concipi sine alio, sed illa dicantur ratione distingui, quae secundum diversum esse rationis possunt fundare contradictionem, quod utriusque convenit toti, & partibus, ut constet ex prima conclusione.

Sed contra, in hoc relativa distinguuntur ab absolutis, quod illa nequeunt intelligi sine aliis, bene tamen absoluta, quia sicut absolutum habet entitatem ad se, ita & intelligibilitatem, sed totum est entitas absoluta, ergo cum sine partibus intelligi nequeat, dicendum est, partes unitas non esse aliud ab eo. Resp. relativum distingui ab absoluto ex hoc, quod illud coexistit ad sui intellectionem, quod non est de essentia, at absolutum vel nullum coexistit, vel si aliquid realiter distinctum coexistit hoc est de essentia illius, neque per hoc evadit relativum, sed adhuc ejus intellectio est ad se, quia non coexistit aliquod extrinsecum.

Sed contra, si totum coexistit partes ad sui intellectionem, quia sunt de essentia totius, ergo realiter ab eo non distinguuntur. Probatur consequentia, essentia non distinguitur, nisi ratione ab eo, cujus est essentia, sed tota hominis essentia sunt partes unitas, ergo &c. Probatur minor, definitio dicit totam rei essentiam, & est conceptus adequatus definiti, sed definitio non continet nisi partes unitas, aliter si aliquid aliud esset in homine, per hoc quod est animal rationale metaphysice, aut anima, & corpus physice, non haberetur conceptus adequatus hominis.

Resp. negando conseq. ad cujus probat. negatur minor, quia partes unitas sunt de essentia hominis in obliquo, at tota essentia hominis in recto est tertia entitas includens partes unitas. Ad probat. Canonice concedit minorem, & ad majorem inquit, quod definitio dicit totam rei essentiam, & est conceptus adequatus definiti non comprehensive, sed indicative, & explicative, quatenus enim explicat principia essentialia constitutiva, consequenter etiam dat intelligere illam tertiam entitatem partes includentem; non enim requiritur, quod haec tertia entitas explicetur cum partibus in definitione, quia non est in toto, ut quaedam comparis concipiens, sed ut tota

entitas ex illis constituta. Bassolius autem negat minorem, & inquit, quod anima, & corpus, materia, & forma non sunt tota definitio compositi, sed sunt partes definitionis, sicut sunt partes definiti, & ait, quod non bene explicatur, quid sit homo, dicendo, quod est corpus, & anima in recto, sed debet dici in obliquo, quod est substantia constituta ex anima, & corpore.

Sed dices, bene explicatur metaphysice, dicendo in recto, quod est animal rationale, ergo bene explicatur physice, quod est corpus, & anima unita. Resp. Bassol. negando paritatem, quia animal, & rationale, cum in concreto fumantur, dicuntur totam definiti essentiam, at partes physice, cum in definitione fumantur etiam per modum partis, non possunt poni in recto.

166 Secundo ex Harrado; unum nihil addit supra unionem, & partes unitas, quia partes denominantur unitas ab unione, quae in illis solum recipitur, praeter quae nihil aliud ab unione denominatur unitum, at unum idem est re, ac ratione, quod compositum, ergo compositum nihil addit supra unionem, & partes utranque, nec differet a partibus unitis, nisi vocabis, & grammatico discrimine: Probatur minor; Tum quia unum dicit partes simul sumptas cum unione, hoc autem formalissime est compositum, quia compositio est simul positio, vel conjunctio plurium rerum, ergo compositum erit partes illas tali compositione effectas. Tum secundo, quia eadem realitas partium sub unione denominatur unitum sub nomine partium, & unum sub nomine compositi, sed a parte rei formalissime esse unum est esse unitum, & e contra, ergo partes unitas, & compositum unum sola voce differant, & in modo loquendi, vel concipiendi; Probatur minor, nam esse unitum est esse indivisum, esse autem indivisum, est esse unum; Tum tertio compositum est utique unum, non quidem unum simplex, sed unum compositum, sed non potest sic intelligi unum sine partibus unitis, ergo idem est formalissime a parte rei, esse unum compositum, & esse unitum; Tum quarto, dum intelligitur formam informare materiam, praesertim omni alia entitate, ibi intelligitur totum aliquod compositum, sed forma informare materiam, est esse sibi unitam per informationem, ergo unitum idem est in re quod compositum; Probatur major, quia ubi intelligitur compositio, ibi necessario intelligi debet compositum, nam non potest intelligi forma in subiecto sine effectu formali, sed ubi intelligitur unio informationis, ibi intelligitur compositio, cum compositio non sit aliud, quam unio partium, quae per unionem dicuntur componere compositum.

167 Resp. vim argumenti pendere ex aequivocatione vocabulorum, & confusione unionis, & unitatis unionis, & compositionis, compositionis activae, & passivae, si enim haec omnia rite distinguamus in composito, argumentum nihil penitus concludit; unio igitur, & unitas distinguuntur, quia unio est partium, & in partibus recipitur, & illas denominat unitas, unitas vero est compositi, in illo recipitur, ut ejus propria passio, & denominat illud unum, idest indistinctum in se, & distinctum a quocunque alio, quod non est ipsum, unio est relatio praedicamentalis, unitas vero est passio realiter identificata cum composito. Item compositio est duplex, activa, & passiva, compositio activa, cum non sit nisi causalitas activa, quae partes causant totum, quod componunt, recipitur in partibus unitis, & illas denominat componentes, non compositas, cum sit activa, & terminatur ad totum, nec est formaliter, nec realiter idem cum unione, quia unio est inter partes, non inter partes, & totum, causalitas vero est inter partes, & totum, quia partes causant totum; unio est respectus extrinsecus adveniens, causalitas vero intrinsecus adveniens; compositio tandem passiva est compositi, in composito recipitur, & illud vere denominat compositum.

Ad argumentum igitur, concessa majori, neg. minor, ad primam probat. concessa majori, iterum neg. minor, ad probat. dicimus, hic nos accipere compositionem, non modo grammaticam sed philosophicam, ut idem significet, quod causalitas intrinseca, activa quidem ex parte partium componentium, passiva vero ex parte totius constituti; modo autem grammaticam non solum partes unitas, & simul positas, vel conjunctas dicitur compositum, sed unaquaeque sigillatim dicitur composita, ut notat Bassol. in resp. ad 3. princ. quia unaquaeque simul cum alia ponitur, unde hic arguendi modus est puri Grammatici, non Philosophi. Ad secundam probat. negatur major, licet enim partes sub unione denominentur unitas, id tamen quod dicitur unum, non sunt partes, sed quod ex ipsis coalescit, negatur etiam minor, quod idem sit formaliter esse unitum, & unum, quia esse unitum est effectus formalis unionis receptus in partibus, & partes efficiens; esse autem unum est effectus formalis unitatis receptus in composito, illudque efficiens; ad probat. verum est, esse unitum idem esse, quod esse indivisum, unde eo ipso, quod duo sunt unita, sunt etiam indivisa, sed falsum est, quod esse unum dicat tasum esse indivisum, quia ulterius dicit esse indistinctum, quod verificari nequit de materia, & forma unitis, sed solum de toto ex his constituto. Ad tertiam, concessa assumpto, negatur conseq. solum enim sequitur, quod unum compositum non dicitur sic unum, nisi per inclusionem plurium unitorum ad invicem. Ad quartam negatur major. Ad probat. conceditur major de compositione passiva, quia ubi haec reperitur, ibi intelligitur compositum, quod est ejus effectus formalis, negatur de activa, nam effectus formalis ejus est componens non

non compositum, & conceditur minor de compositione activa, non quod unio informationis sit formaliter ipsamet activa compositio, ut asseritur in argumento, sed quia haec necessario concomitatur illam, ut docet Doct. in 4. dist. 1. q. 1. B.

168 Tertio omne absolutum, quod est res, potest esse sine eo, a quo realiter distinguitur, sed totum nequit esse sine partibus unitis, nec e contra, ergo &c. Resp. ex Scot. 2. d. 1. q. 5. Met. majorem valere quotiescunque illud est prius, & non adest essentialis dependentia, vel saltem necessaria connectio ab intrinseco procedens, modo totum essentialiter dependet a partibus, & est posterius illis, unde nec mente concipi potest sine illis, quia sunt de essentia ejus. Contra, urget Averfa, accidens est posterius substantia, essentialiter ab illa dependens, tamen potest separari, ergo, sic etiam totum a partibus. Resp. negando paritatem, quia accidens non dependet a subiecto, ut a causa intrinseca, sicut compositum dependet a partibus, unde forma dependet a subiecto in genere causae materialis extrinsecae solum, non intrinsecae, quae de causa non potest appellari dependentia essentialis simpliciter, sed tantum secundum quid, ut ait Doctor 4. dist. 12. q. 1. prope finem.

Sed iterum urget Averfa, ergo saltem partes unitas, quia non dependent a toto, & sunt priores toto, poterunt separari, & unitas existere sine toto, Zerbis 7. Metaph. q. 19. solvendo quintam difficultatem id gratis concedit adhuc negans illud unitum esse totum; sed melius Resp. utique ex his capitibus non implicare, sed implicat ex hoc, quod habent necessariam connexionem cum effectu, cum sint causae intrinsecae, & quavis Deus possit impedire effectus causarum extrinsecarum, non tamen intrinsecarum, ita Lichet. in 3. dist. 2. ubi notat, nec effectus per resultantiam posse a Deo impediri, ut est relatio similitudinis posita hac, & illa albedine, nec effectum formalem formae in subiecto posita, ut esse album. Contra, instat Averfa, ideo non potest forma conservari in subiecto sine effectu formali, quia hic est ipsa forma communicata subiecto, ergo entitas totius non erit partibus distincta, si nequit esse sine illis. Resp. quicquid sit de antecedenti, de quo dictum est supra q. 3. art. 2. negatur consequentia, longe enim verius causatur physico modo compositum a materia, & forma, quam effectus formalis extrinsecus a causa formali.

Sed adhuc instabis, inseparabilitas per Scot. ex triplici capite provenire potest, vel quia sunt simul natura, vel quia unum est prius, alterum posterius ab illo essentialiter dependens, vel ex identitate reali, ita in 2. dist. 1. q. 5. M. ex quo dist. 2. q. 2. infert, quod illud, quod si esset distinctum ab aliquo, esset posterius eo naturaliter, necessario est idem illi, si impossibile est, illud aliud esse sine isto, quod nihil distinctum realiter ab alio, sine quo esse non potest sine contradictione, est prius eo, sed vel est posterius eo, vel simul natura, cum igitur partes unitas sint priores toto, vel esse poterunt sine eo, vel non distinguuntur ab eo realiter.

Resp. cum ait Doctor, quod quando repugnat, unum esse sine alio, quod non est prius ipso, nec simul natura, id semper arguere inter ea realem identitatem, intelligit, si talis repugnantia ab intrinseco veniat, ita se explicat sub N. non autem si sit ab extrinseco, ut est in proposito, quod enim partes unitas esse nequeant sine toto, provenit ex aliquo extrinseco, nempe ex earum unione, quae illis accidit, & ea supposita nequeunt non causare totum, non autem talis necessitas provenit ex absoluta earum entitate, ita Lichet. 2. dist. 12. q. 2. in responsione ad instantias Cajet. contra maximam Scoti omne absolutum prius alio, &c. Dices, repugnat partibus ut unitis ab intrinseco, ergo &c. Resp. anteedens includere implicantiam, idest ab intrinseco ut unitis, dato enim, quod ly ut reduplicet rationem formalem, ab intrinseco, non potest esse ista repugnantia, sed ab extrinseco ipsis partibus, ut repugnat, posita albedine in parte non resultare effectum formale, non tamen est illi identificatus, quia absolute potest sine illo esse, si a subiecto separatur.

Petes, an partes unitas saltem concipi possint sine toto? Resp. hoc fieri non posse, quia talis conceptus esset divisivus, possunt tamen concipi praesive non concepto toto, quod adhuc sano modo intelligendum est, quia cum partes unitas sint adaequata causa totius, possunt in tali statu dupliciter considerari, materialiter, & formaliter, ut de quacunque causa dicimus ad suum effectum relata; si secundum modo considerentur, nec etiam praesive poterunt concipi, toto non concepto, quia sic sub relatione causae considerantur; si tamen considerentur primo modo, poterunt concipi, toto non concepto, & tunc erit concipere omne id, quod concurrat ad constituendum totum physicum, non autem ipsissimum totum physicum.

Sed contra, urget Averfa, hoc aggregatum, nimirum partes unitas, ut sic conceptas praesive, non est per accidens, sed per se unum, constat enim ex per se potentia, & per se actu, ut partibus, & causis intrinsecis. Resp. negando, hoc aggregatum esse per se unum, sed erit duo per se unita; partes enim fundant unionem, non unitatem; negatur etiam, quod constet ex materia, & forma, ut causis intrinsecis, nam illud unum non est causatum, sed est omne id, quod intrinsece causat compositum physicum; de hac ipsa difficultate vide quae diximus disp. 1. Log. q. 5. art. 2. in explicatione dist. realis contra Meurisse, qui ea perterritus descendit a communi Scotistarum sententia.

169 Quarto, si totum distinguitur realiter a partibus unitis, vel distinguitur ab eis secundum se totum, vel secundum ali-

quam sui partem; non primo modo, quia sic secundum omnes partes suas (hoc enim significat ly secundum se totum) distingueretur ab omnibus partibus suis, quod implicat; nec secundo modo, quia tunc secundum unam sui partem distingueretur realiter ab omnibus partibus suis, quod pariter implicat, quia in illis omnibus involvitur etiam illa, secundum quam distingui ponitur.

Resp. totum distingui a partibus suis unitis fe toto cathogorematicè sumpto, quia sua ipsius tertia entitas est se ipsa distincta a suis partibus, nec sequitur ex hoc, secundum omnem sui partem ab omnibus suis partibus distingui, quia tunc fit transitus a toto cathogorematicè sumpto ad totum sumptum syncathogorematicè, quod supponit pro omni, & qualibet parte totius, quae distinctio traditur a Scoto 4. dist. 11. q. 1. A. & est valde notanda. Contra, haec tertia entitas vel est aliquid additum materiae, & formae illas excludendo a sua entitate, vel illas includendo; non primum, quia sic foret entitas simplex; si secundum, ergo non potest ut sic ab illis distingui, quia tunc secundum quod includit materiam, & formam, a materia, & forma distingueretur, quod implicat, quia ut a partibus contradistinctum eas includere nequit.

Resp. aliqui Scotistae, concedendo, esse entitatem simplicem, si in abstracto sumatur, ita Roccus cit. ad 6. sed hoc implicat in terminis, & est manifeste contra Doctorem 3. dist. 2. qu. 2. §. Quantum ad tertium, &c. & dist. 22. quaest. unic. §. Quantum ergo, &c. & 4. dist. 11. q. 3. B. quibus in locis docet, partes esse de essentia totius etiam in abstracto, quia nunquam totum praecinditur a partibus, & ideo concedendum est secundum membrum, & neganda consequentia, cuius probatio valeret, si diceremus, hanc tertiam entitatem secundum se totam syncathogorematicè a partibus inclusis distingui, quod non asserimus, de quo vide Zerb.

Sed contra, distinctio se totis, & adaequata cadit tantum inter ea, quorum unum non includit aliud, nec aliquid alterius, & eo ipso quod unum includit aliud, vel aliquid alterius, non potest ab eo adaequate distingui, sed tantum inadaequate, & per aliquid sui, unde communiter dicitur, quod includens ab incluso distinguitur inadaequate, cum ergo totum distinguitur a partibus, ut includens ab inclusis, non potest ab illis distingui se toto, & adaequate, sed tantum per aliquid sui, & inadaequate, ita arguit Amic. cit.

Resp. distinguendo antec. unum potest dici se toto, & adaequate distingui ab alio dupliciter, vel quia unum non est alterum, nec aliquid unius est aliquid alterius, & hac ratione se totis distinguntur entia disparata, quorum unum non spectat ad integritatem alterius, & ita totum non distinguitur a partibus se toto, quia partes sunt aliquid compositi, nec talis distinctio potest unquam esse inter includens, & inclusum; a modo potest unum dici ab alio distingui se toto, quia distinguitur ex sua ratione formali, ita quod unum formaliter, & realiter non est aliud, licet unum sit aliquid alterius, & ita compositum distinguitur a partibus per hoc praesive, quod est entitas includens illas, & non e contra, quia ratione includens est semper se ipso ab omnibus inclusis distinctum, & non per aliquid ejus, quod est ab illis distingui se toto cathogorematicè sumpto, & hoc valde notandum est contra Adversarios, qui putant, includens nullo modo posse ab inclusis distingui se toto, & adaequate, sed tantum inadaequate, & per aliquid sui, quod falsum est, si ly se toto cathogorematicè sumatur.

170 Sed contra adhuc obijcit Ruvius, haec tertia entitas cathogorematicè sumpta, vel includit partes, vel non, si primum, ergo adhuc cathogorematicè sumpta non distinguitur ab illis realiter, quae distinguuntur aliqua dist. non se includunt secundum sensum ejus, ut si aliqua duo distinguantur ratione formali, non possunt se formaliter includere, ergo ea, quae distinguuntur realiter, non possunt se realiter includere. Resp. quod eas includit, sed neg. conseq. cum probatione. dicimus ad antec. quod si per inclusionem intelligitur identitas opposita illi distinctioni, sic conceditur antec. sed negatur ultima conseq. si vero per inclusionem intelligatur contentia vera, & realis unius in alio, sic negatur antec. unum enim eorum, quae distinguuntur formaliter, vel realiter, idest dicunt diversas formalitates, vel res, potest realiter, & vere contineri in alio essentialiter.

Sed contra, additum aliquibus non includit illa, quibus superadditur, idem enim contra se ipsum non numeratur, nec sibi ipsi superadditur, ergo si totum cathogorematicè sumptum partibus superadditur, illas realiter non includit. Resp. Bassol. cit. art. 4. valere assumptum de addito per modum partis alteri comparti, non de addito per modum totius, quia hoc necessario includit illa, quibus superadditur, nec sequitur idem sibi ipsi superaddi, vel contra se ipsum numerari, quia totum non superadditur sibi, sed suis partibus. Et per hoc solvitur argumentum Arriag. disp. 6. sect. 1. ubi sic arguit, vel enim quod addit compositum supra partes, & unionem est aliquid compositi, vel non; si secundum, impertinenter ponitur, si primum, ergo jam est pars compositi, & sic supra partes, & unionem nihil addit; sed facile responderetur hoc additum supra partes non esse aliquid compositi, sed totam ejus entitatem, non enim additur per modum partis, sed per modum totius. Sed dices, si compositum addit aliquid supra partes, non addit nisi se ipsum intrinsece excludit partes, ergo addi partes super partes, ergo partes bis numerantur, & sibi ipsis superadduntur. Respondet Bassolius, quod utique addit entitatem

tem propriam, sed non ita quod hinc intelligantur partes, & illinc totum superadditum partes includens, sic enim partes bis numerarentur, & sibi ipsis adderentur, sed sic intelligi debet, quod superaddens intelligatur includere partes, quibus superaddit, & sic partes non habentur bis, sed tantum semel.

Sed dices, saltem ista tertia entitas integrabit cum partibus, quibus additur aliquid compositum, quia ex unione rerum distinctarum confurgit compositum, & ita dabitur processus in infinitum. Respond. negando consequens, quia tertia illa entitas non additur partibus per modum entitatis partialis, sicut forma additur materiæ, ita ut faciat compositionem cum illis, ex unione enim talium entitatum partialium ad constitutionem alicujus totius ordinarum fit compositio, sed est entitas totalis resultans ex illis, quæ proinde dum partibus superadditur, non debet dici uniri partibus, quia unio inter partes versatur, non inter partes, & totum, & ideo tertia entitas non debet dici uniri partibus, sed ex illis constitui, ita D. 3. dist. 2. q. 2. E. d. 22. sub L. & Regent. Parisiens. cit. 1. Phys. q. 4. ad 4. Dices, si ista tertia entitas non informat partes unitas, dum ignis superadditur, faciet aggregationem cum ipsis. Respond. quod sicut compositionem non facit, quia non est pars, eadem ratione non facit aggregationem, sed est entitas tota ex partibus resultans, quæ sunt de ejus essentia, & a quibus ipsa essentialiter dependet, quod in aggregatis minime reperitur.

Sed urges, quod saltem faciet ens per accidens, quia quod advenit enti in actu, est accidens, & cum eo facit ens per accidens, hæc autem tertia entitas ponitur advenire materiæ actuatæ per formam, ergo &c. Resp. negando consequens, sensus enim illius propositionis est, quod advenit materiæ actuatæ, ut actus, & forma informans, accidens est, sed non sic advenit hæc tertia entitas materiæ jam formæ unitæ, quia nec forma ejus est, nec actus, nec informans, nec actuans, sed resultat; ut tota quidditas, & forma totius, quæ scilicet totum dicitur quidditative tale, ut Doctor cit. explicat sub E. & per hoc satisficit objectis omnibus a Jo. de S. Thom. qu. 6. Phys. art. 2.

171 Quinto objiciunt Hurtad. & Averf. id, quod additur partibus, & unioni, vel pertinet ad hominis essentiam, vel non, & si pertinet, vel est tota essentia, vel pars; si primum, ergo corpus, & anima non sunt de hominis essentia, quia hæc ponitur consistere in sola integritate distincta a materia, & forma, si secundum, ergo hæc integritas, & tertia entitas simul cum corpore, & anima hominem constituit, atque ita non erit totum, sed pars totius. Respond. additum partibus unitis esse totam essentiam hominis, & negatur consequens, inde deducta, licet enim directe hominis essentia consistat in illa tertia entitate, sive in recto sit illa tertia entitas, scilicet, humanitas, indirecte tamen, & in obliquo, etiam corpus, & anima spectant ad hominis essentiam, velut partes eam intrinsece constituentes, unde licet essentia hominis dici nequeat in recto, bene tamen in obliquo dicuntur de hominis essentia, & ad probat. consequentiam dicimus, quod licet hominis essentia consistat in sola illa integritate a materia, & forma distincta, cum hæc tamen distinctione a parte rei fiat inclusio earundem a parte rei, unde licet essentia hominis consistat in illa sola tertia entitate prout a partibus distinguitur, non tamen consistit in illa sola, prout excludit partes, quia quamvis partes unitæ realiter distinguantur a tertia entitate, non tamen essentialiter, & in hoc decipiuntur Adversarii, dum putant, distinctionem realem duorum necessario inferre exclusionem unius ab alio, cum tamen oppositum videamus contingere in toto continuo, ubi una pars proportionalis cum alia communicans ponitur realiter distincta ab illa, quam tamen includit.

Sed dices, licet unaqueque pars singillatim dici possit de essentia totius, tamen utraque videtur debere dici in recto tota hominis essentia, & quidditas, quod enim spectat tantum in obliquo ad alicujus essentiam, spectat per modum partis, at corpus unitum animo non spectat per modum partis ad hominis essentiam, ergo erit tota ejus quidditas, & talis dici debet in recto. Accedit, quod vel corpus unitum animo est tota hominis quidditas, vel pars quidditatis; si primum, habetur intentum; si secundum, assignetur alia comparis quidditatis, plane hæc non poterit assignari, nisi illa tertia entitas, quod Scot. non concedit.

Resp. negando consequentiam, unaqueque enim pars dici potest de essentia hominis, idest constitutiva essentia hominis inadæquate, & utraque dici potest adæquate de hominis essentia, idest adæquate illius constitutiva, sed nullo modo in recto dici potest adæquate hominis essentia, quare etiam in obliquo spectat ad hominis essentiam totum id, quod concurrat ad eam adæquate constituendam, & cum queritur, an corpus unitum animo sit tota hominis quidditas, vel pars, dicimus, esse totam hominis quidditatem, non formaliter, & in recto, sed causaliter, constitutive, & in obliquo, ut sensus sit, quod corpus unitum animo est omne id, quod concurrat ad constituendam hominis essentiam.

172 Sexto, entia multiplicari non debent absque necessitate, at nulla est necessitas ponendi hæc tertiam entitatem a partibus realiter distinctam, quia si supponamus, animam Petri informare materiam, quantitate, & cæteris accidentibus affectam, illud conjunctum seorsum omni tertia entitate pote-

rit omnes administrare actiones vitæ, intelligere, sentire, &c. Respond. neg. minorem, nam materia, & forma unitæ nequeunt præstare id, quod præstat tertia entitas, ut constat ex secunda ratione, nam nec possunt generationem substantialem per se terminare, nec esse subiectum idoneum illius per se unitatis, quæ est compositi, nec alia hujusmodi, quæ ibi dicebamus, quia materia, & forma simul proprie sunt per se unita, non per se unum; de illis vero actionibus vitalibus mox dicemus.

Sed contra, individuum substantiæ compositæ ideo est per se unum, quia constat ex per se potentia, & per se actu, at collectio materiæ, & formæ adempta omni tertia entitate, est ex per se potentia, & per se actu, ergo erit vere unum per se. Respond. neg. minorem, collectio enim illa dempta tertia entitate nequit proprie dici, quod sit ex per se actu, & per se potentia, sed potius est collectio, seu unio per se actus, & per se potentia. Sed dices, unio imperfecta, & secundum quid, ut est in composito per accidens, non facit aliam entitatem unam secundum quid, sed tantum reddit partes secundum quid unitas, unde dicimus unum album, unam domum, &c. ergo pari ratione unio simpliciter, & per se, quæ cadit inter partes compositi substantiales, non facit aliam entitatem unam simpliciter, & per se, sed tantum reddit partes simpliciter, & per se unitas. Resp. disparere esse rationem; rum quia non inconvenit, duo entia dici unum secundum quid, ut unum album, una domus, sed bene implicat, duo entia quantumvis per se unita, dici unum simpliciter; tum quia in composito accidentaliter non cadit vera causalitas inter partes, & totum, bene tamen in substantiali, ac proinde hic constituenda est tertia entitas.

Septimo ex Averf. operationes non possunt competere huic tertiæ entitati, ergo ex hoc cap. non est admittenda, ut contendit Scot. Probatur assumptum, intelligere in homine, recipere accidentia, ut quantitatem, vel competit partibus tantum, nempe intelligere animæ, recipere quantitatem corpori, & sic tertia illa entitas non erit necessaria ex hoc cap. vel competunt tertiæ entitati tantum, & sic hæc tertia entitas in homine haberet potentiam intellectivam, non autem anima rationalis, quæ est pars, & hæc intelligendi actum eliceret, non anima, hæc quantitatem reciperet, & non corpus pro altera parte. Accedit, quod ista tertia entitas in homine vel est spiritualis, vel corporalis; si primum, ergo non potest recipere, & exercere actum intelligendi; si secundum, ergo non potest recipere quantitatem. Vel competent tertiæ entitati, & partibus simul, & tunc idem accidens esset in subiectis realiter diversis.

173 Resp. varias esse operationes, quæ toti tribuuntur, quam sibi competunt formaliter, & immediate, de quibus urget ratio Scoti, quædam sunt, quæ immediate competunt partibus, & ratione partis dominantur ipsum totum, & sic se habent intelligere, & quantitatem recipere, vel esse quantum, illud enim convenit toti homini ratione animæ, & istud ratione corporis, & ista tertia entitas in homine, esto sit corporea, potest tamen adhuc denominari intelligens, quia intellectio non recipitur formaliter in ipsa, sed ei convenit ratione partis; operationes vero materiales, quales sunt omnes sensationes, formaliter, & immediate conveniunt tertiæ entitati, quia ut sæpe docet Arist. 2. de Anim. similes operationes sunt totius conjuncti in ratione principii, & subiecti, quia ab ipso eliciuntur, & in ipso recipiuntur, & Adversarii sunt, qui hujusmodi operationes ponunt simul in duobus subiectis realiter distinctis, non vero nos, si enim sunt, sunt in toto conjuncto, ut vult Aristot. & totum conjunctum non est nisi partes per se unitæ, jam idem accidens erit in duobus subiectis realiter diversis.

Sed urgebis, si hæc tertia entitas in viventibus est corporea, jam in quolibet vivente duo erunt corpora, corpus pro altera parte, & corpus totum, quod non videtur asserendum. Tum quia tunc duo corpora essent in eodem loco, cum pars non sit extra totum. Tum quia omnia accidentia materialia geminanda forent, ut quantitas, cicatrix, color, &c. cum hæc omnia videantur in animali mortuo, vel idem numero accidens, scilicet quantitas, & color statuendum erit in duobus subiectis realiter distinctis. Tum tandem, quia non est major ratio, cur hæc tertia entitas in nomine poni debeat corporalis, quam spiritualis, cum ad ejus constitutionem non minus anima concurrat, quam corpus.

Respond. hæc tertiam entitatem esse corpoream, quia videmus, eam esse subiectum motus progressivi, sensationum, & aliorum accidentium materialium, nec propterea geminanda sunt corpora de genere quantitatis, quia hæc tertia entitas non dicitur corporea, & extensa ratione quantitatis sibi formaliter inhaerentis, sed ratione quantitatis inhaerentis corpori pro altera parte compositi, ut Scot. docet in 3. dist. 22. quest. unica prope finem, unde sicut materia, & forma coextenduntur composito per quantitatem ejusdem compositi, & secundum Averroistas forma extenditur in materia per quantitatem materiæ inhaerentem, ita in proposito dicimus de hæc tertia entitate in viventibus, quod utique sit corpus de genere substantiæ distinctum a corpore pro altera parte, verum non haberet quantitatem diversam a quantitate corporis pro altera parte, sed per quantitatem ejus extenditur, dum sibi compenetratur. Hinc ad primam probat. dicimus, non esse inconveniens, immo est necessarium, duo corpora esse in eodem loco,

loco, quorum unum est pars alterius, ut bene ait Tartaret. 1. Phys. q. 2. dub. 2. ad 2. præsertim cum non ambo sint quanta quantitate distincta. Ad 2. dicimus, non esse geminanda accidentia formam mixti consequentia, quia hæc sunt in corpore pro altera parte, & ratione ipsius conveniunt corpori toti. Ad 3. hæc tertia entitas est tota materialis, & corporea, sumendo totum cathegorematicæ, quia tota hoc modo compenetratur parti corporeæ, & illi coextenditur, nec dici potest tota spiritualis, quia includit partem corpoream; quamvis autem hæc sit pars minus præcipua hominis, non infert, quod tertia entitas tota sit spiritualis, quia spiritus excludit omnem molem, & partem; potest tamen dici, immo de facto dicitur natura humana media inter mere corporealem, & spirituales, quia componitur ex parte pure corporea, & alia mere spirituali.

174 Octavo, partes identificatur essentialiter cum toto, ergo etiam realiter. Antecedens patet ex quarta conclusione. Probatur consequentia. Tum quia, ut ait Averf. essentia non est aliud quam ipsa realitas rei, ergo non possunt res realiter distinctæ habere indivisam essentiam increatis, si ergo tertia entitas non haberet aliam essentiam ab essentia partium unitarum, hoc plane est fateri non habere aliam realitatem distinctam; Tum quia ex identitate essentiali in hoc sensu, quatenus unum est de essentia alterius, vere infertur quoque inter illa identitas realis, quia enim animal est de conceptu quidditativo hominis, ideo est etiam idem realiter cum illo, quia universaliter partes definitionis identificantur realiter cum definito, cum prædicentur in primo modo, & implicat, aliquid esse intrinsecum alicui in primo modo, & ab eo realiter distingui.

Resp. negando consequens ad primam probat. dicimus, argumentum procedere de distinctione essentiali primo modo accepta, quo sensu concedimus partes, & totum mutuo essentialiter inter se distingui, quia omnis res habet suam essentiam, & ex diversitate rerum infertur in creatis diversitas essentialiarum, at dum nos affirmamus, partes non distingui essentialiter a toto, loquimur de distinctione essentiali in tertio sensu, quo unum distinguitur ab alio, quando non pertinet ad constitutionem ejus essentialem, nec ingreditur conceptum ejus. Ad 2. probat. falsum est, identitatem essentialem in hoc sensu inferre identitatem realem, nec paritas assumpta de animaliter realiter cum homine identificato est ad rem, nam duplex est definitio rei, sicut duplex est constitutio, physica, & metaphysica, constitutio physica totius fit ex rebus per veram, & propriam causalitatem, & sic homo constituitur ex anima, & corpore, constitutio vero metaphysica fit ex realitatibus non per veram, & propriam causalitatem, sed quasi per naturalem quandam dimanationem eo modo, quo passio fit ab essentia subiecti cum sola distinctione formali ab ipso, & ideo potest res definiri physice, & metaphysice, primo modo partes definitionis sunt res, ut corpus, & anima respectu hominis, secundo modo realitates, ut animal, & rationale respectu ejusdem, partes definitionis metaphysicæ utique non distinguntur realiter a definito, non quia sunt de conceptu formali illius, & integrant ejus essentiam, sed quia sunt realitates illam constituentes metaphysico modo, & non cum vera, & propria causalitate, at partes physice constituunt definitum cum vera, & propria causalitate, & ideo realiter distinguntur ab illo, quare paritas de animaliter assumpta non est ad rem, quia est pars definitionis metaphysicæ, & est realitas.

Sed instabis, ergo verior erit a toto genere propositio secundi modi, quam primi modi, quia in secundo modo prædicatur semper identificatur realiter subiecto, non autem in primo ex responsione allata. Respond. negand. consequentiam, quia veritas propositionis pendet ex necessitate connexionis prædicati cum subiecto, quæ major est in primo modo, quam in secundo ratione essentialis dependentiæ, quam definitum semper habet a partibus definitionis, vide Zerb. loco citato, ubi de hac materia movet, & solvit plura dubia.

175 Nono arguitur auctoritatibus Sanctorum, & Arist. Div. August. 3. de Trinitate cap. 4. ait, homo nil aliud est, quam anima, & corpus; Athan. in Symbolo, anima rationalis, & caro unus est homo, Boet. de Trinit. cap. 3. ait, omne totum esse partes suas conjunctas; Dion. de cœlesti Hierarchia ait, quod mors in nobis non est substantiæ consumptio, sed unitorum separatio; & D. Damasc. ait, Verbum, quod semel assumpsit, nunquam dimisit, ar si daretur hæc tertia entitas, illam in morte dimiserit. Deinde Arist. 4. Phys. 23. ait, totum nihil esse præter partes, & 2. de Anim. text. 7. non oportet querere, si unum est anima, & corpus, sicut neque ceram, & figuram, & text. 10. sicut oculus est pupilla, & visus, ita anima, & corpus est animal. Neque his auctoritatibus (inquit) satisfacit dicendo, sensum non esse formalem, sed causalem, quatenus totum causatur a partibus, plane enim verba allegata sensum reddunt formalem, quod vere totum non fit aliud præter partes.

Resp. bene explicari præteritas auctoritates, si exponantur in sensu causali, non autem formali, & identico, & talem sensum expressit Boetius, cum dixit, totum esse partes conjunctas, quatenus, scilicet, habet (inquit) sum esse ex partibus, sic igitur explicandus erit Div. August. dum inquit, hominem nil aliud esse quam corpus, & animam, quamvis Bass. negat, Augustin. ita loqui, Div. Dion. supra explicatus est, quod loquebatur de partibus essentialibus, volens contra quos-

dam insinuare in morte hominis animam non consumi, sed tantum a corpore separari; auctoritas Damasc. varias habet explanationes, sed communis est, quod loquitur de partibus, ait enim, ut refert Amic. tract. 11. quæst. 10. dub. 1. art. 2. nullam naturæ partem Verbum deposuit, vel dicit, Christum non dimisisse aliquid, quod assumpsit post resurrectionem, & Amic. hunc esse sensum Damasc. ibidem, ut patet intuenti textum.

Ad primam Arist. auctoritatem re vera noluit ibi negare distinctionem totius a partibus, sed intellexit, totum non esse præter partes, idest non esse separatum a partibus, quia est in illis, & illis compenetratur, neque enim distinctio auferit illum modum essendi in, de quo ibi loquitur. Alia duæ auctoritates ex 2. de Anim. possent exponi in sensu causali, vere tamen Aristot. ibi non induxit exempla illa ad declarandum, quale sit compositum resultans ex anima, & corpore, & qualis per se unitas ejus, sed tantum quod non oportet querere causam mediam, & intrinsecam, quare ex anima, & corpore fiat unum, sicut nec talis causa media est, quare ex cera, & figura fiat unum figuratum, esto hoc figuratum, & ejus unitas sit alterius rationis a vivente, & ejus per se unitate, exempla enim esse nequeunt in omnibus similia, sed satis est, si expriment id, ad quod inducuntur. Manca 1. Phys. quæst. 1. dub. 1. multa objicit, quæ cum relatis argumentis coincidunt.

ARTICULUS II.

Resolvitur quæstio de toto integrali, & per accidens.

176 Dicimus 1. nullum totum integrale, sive discretum, sive continuum, sive homogœneum, sive heterogœneum realiter distingui a suis partibus; Probatur primo Concl. de toto integrali continuo, de quo magis videtur esse distinctum, ex eo, quod Scot. docet in 4. dist. 12. q. 4. sub I. ubi ex professo declarat constitutionem totius continui, ait, quod in divisione continui nulla quantitas diversa a quantitate partium deperditur, sed solum continuitas, & habitudo unitorum ad invicem, ac respectus quidam totalitatis resultans ex unione partium, & similiter, quod in appositione non acquiritur nova quantitas, sed nova continuitas, & habitudo unitorum, & quidam respectus totalitatis ex tali habitudine resultans, sed si totum continuum esset quid distinctum realiter a suis partibus unitis, plane in continuatione partium nova totalis quantitas acquireretur, & in divisione periret.

Deinde probat. ratione; Tum quia ex hoc sequeretur, materiam esse generabilem, & corruptibilem, cum enim habeat partes entitativas, & integrales ex Scoto 2. dist. 12. qu. 2. utique in divisione materiæ corrumpetur tertia entitas illius totius integralis, & in continuatione denuo generaretur, ut urgebamus disp. 2. q. 8. art. 2. num. 166. & frustra laborat Canon. 1. Phys. quæst. 9. art. 2. dub. 1. ad hanc difficultatem effugiendam, si totum integrale realiter distinguit a partibus, ut ibi diximus; Tum quia quantitas totalis distincta a quantitatibus partialibus erit utique extensa, alioquin quantitas non foret, & tamen in divisione quasi per modum indivisibilis se haberet, nam per unicam divisionem factam in hac, vel illa parte, tota simul, & semel corrumpetur; Tum etiam addendo guttam aquæ mari, nova entitas substantialis per totum mare diffusa generabitur de novo etiam in remotioribus partibus, & eam auferendo, similiter destruetur, quod est mirabile; Tum insuper tunc idem numero plures, & pluries poterit naturaliter reproduci, nam si aliqua tota aqua in duas dividatur medietates, tunc corruptum est compositum, quod ex illis consistat, quæ si rursus reuniantur, idem totum redibit, cum sint eadem partes, & quoties dividitur, & reuniantur, toties peribit, & redibit naturaliter idem individuum aquæ, & quamvis aliqui id non habeant pro inconvenienti, eo quia Scot. 4. dist. 43. quæst. 3. concedit, posse naturaliter aliquando idem numero per successionem temporis reproduci, tamen re vera Doctor ibi non concedit id posse contingere tanta facilitate, quanta contingit reunio partium aquæ prius divisæ.

177 Accedit, quod magis ponderarent duæ libræ conjunctæ, quam divisa, quia conjunctæ causant tertiam entitatem, quæ habet suam gravitatem distinctam a gravitate partium, quod tamen est contra experientiam. Et si ab aliquo ponderoso auferatur pondus unius libræ, adhuc remanebit idem pondus, sit namque verbi gratia A. ponderosum unius libræ, dividatur in duas partes, tunc destruitur compositum illud, quod dicebatur A. & cum esset unius libræ, ablatum est pondus unius libræ, & tamen non minus ponderant illæ medietates, ut experientia docet. Rursus si animali addatur per nutritionem pars notabilis, sequitur, non esse idem animal post nutritionem, quod erat antea, quia mutata est tertia entitas.

Resp. Tartaret. cit. duas libras conjunctas non plus ponderare, quam quando sunt divisæ, quia alia libra, quæ additur ex conjunctione ipsarum, illas duas includit, & in hoc sensu inquit, non esse inconveniens, pondus duarum librarum esse æquale ponderi trium, quod tertia includit duas priores, sic enim ablato ab illo ponderoso pondere unius libræ, adhuc ejusdem ponderis remanebit, quia illa libra includebat duas remanentes femilibras. Sed contra, vel tertia libra resultans ex duabus conjunctis, & ab eis realiter distincta, habet aliam gra-

gravitatem a gravitate illarum, vel non; si secundum, ergo non est alia ab illis; si primum, ergo plus ponderabunt conjuncta, quam divisa; Neque inclusio duarum in ista tertia tollunt illius pondus, vel impedire possunt imperium ipsum gravitatis ejus; & probatur a simili de toto essentiali, nam hoc totum utique includit partes essentielles, se quia distinctam entitatem ponit ab illis, consequenter etiam non obstante tali inclusione habet tales passiones, & operationes, quae non conveniunt partibus singillarum sumptis, immo ex his arguit Scot. totum essentialia esse distinctum a partibus suis, ergo pariter in proposito, totum integrale si aliam dicit entitatem a partibus realiter distinctam, aliquam passionem quoque, & operationem habere debet, quae partibus non competat singillarum sumptis, & in argumento proposito alia esse nequit, nisi distincta gravitas, & distincta gravitatio, & cum hanc non percipiamus in duabus libris conjunctis magis, quam in divisis, consequenter hinc debemus arguere conjunctas non facere totum aliquid distinctum ab ipsis realiter.

Postremo ratio, quae concludit distinctionem totius essentialis realem a suis partibus non militat de toto integrali, nam licet continuum sit per se unum perfectitate continuitatis, non tamen est per se unum perfectitate unionis, quae est per se actu, & per se potentia, & ex materia, & forma, ut veris, & propriis causis, cum ergo partes totius non sic se habeant inter se, non poterunt causare totum realiter distinctum. Respondent, quod illud causant in genere causae materialis, ut videtur docere Arist. 2. Phys. 31. verum enim est dicere, quod ex hac parte aquae, & illa, sit tota aqua. Sed falsum est, totum integrale vere causari a partibus, cum ejus compositio potius sit compositio cum his, quam ex his, ut dicere solent Philosophi, unitas enim continuitatis aliud non dicit, quam hanc, & illam partem copulari termino communi, non vero ex hac, & illa parte fieri unum, & Arist. cit. utitur hac comparatione totius integralis, tamquam exemplo, in quo non debet attendi veritas, sed similitudo, utitur enim etiam ibi exemplo syllabae, & tamen constat, literas non vere concurrere in genere materialis causae ad syllabae constitutionem, imo ibi solum intendit Philof. recensere illa, quae aliquo modo reduci possunt ad genus causae materialis.

Resp. aliqui rationes allatas concludere de toto homogeneo, quod a partibus suis non distinguatur, non autem de heterogeneo. Sed certe, & si aliqua praesertim de toto homogeneo concludant, solidiores tamen aequaliter de omnibus concludunt, ut per eas discurrere patebit.

178 De toto autem integrali discreto, nempe numero, hoc idem Prob. Tum quia Arist. 3. Phys. 68. appellat numerum una plura, & non unum quid, hoc idem repetit 10. Met. tex. 4. & 8. Met. tex. 10. ait non posse dici, numerum esse unum quid, sed esse quasi congeriem, aut si est quid unum, sicut definitio, oportet assignare quid sit quod facit unum ex multis; Et postea text. 15. resolvens dubium de unitate numeri, ac definitionis, ait unum ex multis constitui, quando se habent ut actus, & potentia, quare cum partes numeri non ita se habeant, sequitur, numerum in sententia Philosophi non esse vere per se unum. Tum etiam ratione, quia numerus non est vere ens per se unum, sed potius aggregatum quoddam per accidens, quamvis per rationem a nobis consideretur per modum unius, nec consequenter habet veras species, ut diximus in Logica disp. 7. q. 2. & quamvis Scot. 5. Met. q. 9. oppositum sentire visus sit, attamen in 1. d. 24. q. un. idipsum in dubium revocavit, & dum in eodem 1. d. 2. q. 7. Hb. enumerat gradus omnes unitatis, in primo ponens unitatem aggregationis, in secundo unitatem ordinis, in tertio unitatem per accidens, in quarto unitatem compositi per se, & demum in quinto unitatem simpliciter, quae est identitas, sane insinuare visus est, numerum esse aggregatum per accidens, cujus unitas pertinere non possit, nisi ad primum, vel secundum gradum unitatis.

In oppositum arguitur 1. auctoritate Arist. & Scoti, Arist. enim 7. Met. text. ult. inquit, syllabam BA. non esse B. & A. sed esse quid ab ipsis distinctum, qua auctoritate motus Doctor dixit 2. d. 16. qu. un. F. quod praeter partes integrales, oportet dare aliquid tertium, quia semper partes integrales faciunt aliquid totum, aliud a qualibet partium per aliquid formale concurrentis, idque probat exemplo syllabae BA. adducto a Philosopho. Et 5. Met. text. 19. idem significavit Arist. de toto integrali discreto, ait enim sex non esse bis tria, sed semel sex, qua auctoritate motus Doct. 3. d. 22. q. un. L. docet, quod quaternarius non est unitates quinque, sed est illud totum, quod resultat ex quinque unitatibus, aliter si esset illa unitates esset unum, sicut acervus. Denique 8. Met. text. 15. ait, omnium, quaecumque plures partes habent, non est totum, quasi coaeratio, sed ipsum totum est aliquid aliud praeter partes, & ibi etiam loquitur de numero. Et Scot. in 2. dist. 3. q. 4. H. & in 3. dist. 2. q. 1. §. Cum arguitur &c. ait, totum integrale non praedicari de partibus integrantes sed tantum totum universale, ergo signum est, esse quid distinctum realiter ab ipsis.

179 Resp. ad 1. auctoritatem Arist. sensum illius esse, quod totum integrale distinguitur a suis partibus sigillarum sumptis, quia totum integrale non est solum hac pars, vel illa, sed omnes simul unitates, inquit enim, quod BA. non est B. & A. sed non ait, quod non sit B. & A. simul unita, imo totum integrale non solum distinguitur a suis partibus scorsum sum-

ptis, sed etiam simul sumptis, & collective, quia ultra omnes partes dicit unionem ab eisdem realiter distinctam, ut diximus hujus q. initio de quocumque toto, & ita intelligendus est Doct. 2. dist. 16. q. un. Ad aliam auctoritatem ex 5. Met. per id, quod sex non est bis tria, sed semel sex, solum insinuare voluit, senarius componi ex sex unitatibus unitis, & non ex duobus ternariis, qui sunt duo numeri, & essentialiter numeri consistere in ipsa totalitate numeri, qualicumque illa sit, alias vero comparationes, & proportioniones, quas per considerationem partium numeri facere solent Arithmetici, dici potius qualitates numeri, quam substantiam, voluitque ibi esse magis unum, quam sit acervus, quia habet unitatem ordinis, qua caret acervus, nec ingenue aliam unitatem super caret acervus, tendit ibi Philof. in numeris astruere, & sic etiam intelligendus est Scot. 3. d. 22. qu. un. qui solum illud assumit, ut exemplum ad declarandum per se unitatem hominis, quare adest similitudinem, non identitatem.

Similiter dicitur ad aliam auctoritatem ex 8. Met. tex. 15. omnium, quaecumque plures partes habent, non esse totum, quasi acervum, sed aliquid aliud praeter partes, quia unitas acervi est minima unitas, ut docet Scot. cit. 1. dist. 2. q. 7. Hb. unde alia tota ultra unitatem aggregationis addunt, vel unitatem ordinis, vel unitatem per accidens, vel per se, &c. Scot. autem cum ait loc. cit. totum integrale non praedicari de suis partibus, sed bene totum universale, loquitur de illis sigillarum sumptis, inquit enim, quod qualibet pars lapidis est lapis, sed non totus ille lapis, cujus est pars integralis, unde per hoc inferitur solum distinctio totius integralis a partibus suis sigillarum sumptis.

180 Secundo objicit Tatar. multis rationibus, primo, quia totum integrale componitur ex suis partibus, vel igitur totum hic supponit per aliquo alio a suis partibus, & sic habetur intentum, vel pro suis partibus simul sumptis, & tunc idem confovetur ex se ipso, id est partes ex partibus, 2. fueretur, partes integrales esse partes essentielles, nam duae medietates aquae eruat haec aqua, sed materia, & forma aquae sunt haec aqua, ergo materia, & forma aquae sunt duae medietates ejus, 3. sequitur, finita esse infinita, nam duae medietates baculi sunt ille baculus, & infinitae partes proportionales illius baculi sunt ille baculus, ergo infinitae partes illius baculi sunt duae medietates ejus.

Tertio sequitur, idem esse simul, & semel intente album, & intente nigrum, capiatur enim scutum, cujus una medietas sit intente alba, & dicatur A. alia intente nigra, & dicatur B. tunc sic arguitur, A. & B. sunt intente album, & intente nigrum, scutum est A. & B. ergo scutum est intente album, & intente nigrum. Demum sequitur, Petrum obviam venientem videri a tergo, nam supposito, quod tibi veniat obvius, sic arguitur: tu vides Petrum, Petrus est tuae medietates, ergo tu vides suas medietates, & tamen nihil vides in parte posteriori.

Resp. haec, & similia argumenta procedere ex falsa imaginatione, quod totum integrale non distinguatur a suis partibus divisim, id est distributive sumptis, aut etiam simul sumptis, id est collective, sed non sub unionem conceptis, quod nos non asserimus, fateamur enim totum integrale distingui ab omnibus suis partibus distributive sumptis, quia praeter hanc includit illam, & etiam collective, quia ultra omnes includit unionem, seu coexistentiam earum, & solum dicimus, non distingui realiter a partibus simul sumptis cum unione, unde ad singula respondendo.

Ad 1. dicimus, in illa propositione, totum integrale componitur ex suis partibus supponere totum per omnibus suis partibus distributive sumptis, non collective simul cum unione, quia sic sunt ipsum totum, & sensus est, quod singulae partes, una alteri coexistens, componunt totum integrale, & omnes collective sumptae cum unione sunt ipsum totum; unde solvitur hoc argumentum eo prorsus modo, quo solvebant Adversarii primam rationem art. praec. allatam per distinctionem totius essentialis a partibus, quae ibi non valebat, quia partes essentielles unitae non sunt ipsum totum, sed causa totalis illius, cum inter totum essentialia, & ejus partes vera intercedat causalitas, quae hic non intercedit, cum compositio integralis potius sit cum his, quam ex his; & plane si allatum argumentum concludit distinctionem totius integralis a partibus, concludet etiam distinctionem totius per aggregationem, nam de acervo potest idem argumentum confici, & debet hic solvi, ut solveretur ibi. Ad 2. dicimus, ex puris affirmativis in 2. figura nihil sequi, non enim valet dicere, A finis est animal, homo est animal, ergo homo est A finis, sic autem concludit illa secunda ratio, est enim ex puris affirmativis in secunda figura. Ad 3. negatur sequela, Ad prob. negamus etiam consequentiam, argumentum enim iterum est in 2. figura ex puris affirmativis, verum est utique, illas duas partes aequales unitas esse baculum illum, & etiam infinitas proportionales unitas esse baculum illum, sed hinc non sequitur, infinitas partes proportionales esse illas duas aequales, & quando etiam id concederetur, ut sensus sit, infinitas proportionales contineri in duabus, hoc nullum est absurdum. Ad 4. negatur sequela, sequitur enim solum ex illo casu, illarum duarum medietatum scuti unitatum alteram esse intente album, alteram intente nigrum, & in argumento committitur fallacia, nam in majori A. & B. sumuntur distributive, & sensus est, haec medietas est intente alba, & illa intente nigra,

nigra, & in minori sumuntur collective, alioquin minor esset fallacia. Ad 5. negatur sequela, ad Prob. dicimus, quod Petrus est sua medietates simul sumptae, & collective, & quando vides Petrum tibi obvium, non vides totum Petrum, id est omnes ejus partes, sed tantum aliquas.

181 Tertio arguitur specialiter de toto eterogeneo, quod si non esset quid unum a partibus distinctum, non servaretur unitas animalis, & esset congeries porius plurium specie distinctorum, carnis, nervi, ossis, &c. quam unum ens per se. Arguitur deinde de toto discreto, scilicet numero, quia si non esset quid unum, tunc unus numerus specie non differret ab alio, si enim numerus ternarius non esset nisi tres unitates, quaternarius vero quatuor, esset eadem unitatum ratio totum cum multiplicatione, quae differentiam specificam non facit, sicut major aqua a minori specie non differt.

Resp. ad 1. negatur sequela, ad salvandam enim unitatem corporis animalis, ita ut informari possit ab anima, non requiritur, quod totum corpus importet aliquid distinctum realiter a suis partibus, sed sufficit, partes corporis esse continuas inter se saltem secundum aliquas partes, nam ossa continuantur carni per quosdam nexos, vel apparentes, & visibiles, vel immanifestos propter parvitatem, cerebrum etiam, de quo magis dubitari potest, est continuum cum medulla dorsa, quae dicitur spinalis, quamvis sit discontinuum cum membranis, vel cranio capitis, ut ait Arist. 2. de part. anim. c. 7. & talis continuitas sufficit ad salvandam unitatem corporis animalis, ut videtur in lib. de Anim. imo Ant. And. 7. Met. quaest. 6. insinuat, ad hoc sufficere unitatem ordinis in partibus corporis, nam cum anima sit forma in informando ceteris perfectior, & illimitatior, sufficit ei pro adequato perfectibili aliquid unum totum unitate ordinis. Ad aliud de toto discreto dicimus, quod sicut numerus deficit a vera, & per se unitate, ac entitate, ita differt a vera ratione speciei, unde plures, vel pauciores unitates utique specie non differunt, nisi quatenus ab intellectu accipiunt certam collectionem, & ordinem, atque collectionis, & ordinis unitatem, unde a parte rei secluso opere intellectus datur numerus tantum quo ad materiale, quia dantur multa entia numeralia, quae ab intellectu in unum colligi possunt, sed quia non habent unitatem nisi ab intellectu numerante, & illa plura in unum colligunt, ideo quoad formale non datur numerus nisi per intellectum; Neque etiam si numero aliquam per se entitatem, & unitatem daremus, & varias species numerorum in rigore admitteremus, propterea cogerebimus ponere illum distinctum a suis partibus, & unitatibus, ex quibus constituitur, haec enim omnia salvari possent sine tali distinctione.

182 Dicimus 2. totum per accidens, ut est homo albus, non distingui realiter a suis partibus simul sumptis, & unitis. Concl. est Scoti 3. d. 2. q. 2. §. Quantum ad tertium, &c. uti totum per accidens ex eo distinguit a toto per se, quia hoc dicitur tertiam entitatem, illud non. Sed resp. Fuentes n. 25. Doctorem ibi affirmare solum partes per se constituere entitatem per se unam, partes vero per accidens entitatem per accidens unam, & per hoc distinguere totum per se, a toto per accidens. Sed legatur Doctor §. cit. vers. Et si quenas, &c. ibi enim quaerens causam, quare ex materia, & forma constituitur entitas tertia alia ab illis, & alia: partes non ita constituentur sua tota realiter distincta; respondet ex Philof. 8. Met. tex. 15. quia, partes essentielles sunt per se actus, & per se potentia, non autem aliae partes, unde ex hoc, quod partes essentielles constituunt entitatem per se unam, concludit, illam esse realiter distinctam a constituentibus, quia constituitur ab eis per veram causalitatem physicam, ex quo sequitur, quod si partes per accidens constituunt entitatem per accidens unam, plane non constituunt illam a se ipsis unitis realiter distinctam, quia non constituunt illam per veram causalitatem per se actus, & per se potentia.

Prob. etiam ratione ex Canon. 1. Phys. qu. 4. art. 4. haec tertia entitas ex subiecto, & accidente constituta, & ab eis unitis realiter distincta, vel est substantia, vel accidens a sufficienti divisione, & neutrum dici potest, & quia neque accidens esse potest pars substantiae, neque substantia accidentis, & tamen totum per accidens ex utriusque constat. Accedit, quod si ex substantia, & accidente resultat tertium compositum, hoc erit perfectius substantia, & accidente, quia omne totum est perfectius sua parte, atque ita dabitur

entitas perfectior substantia completa, & subsistente, quod dici non potest. Denique fundamentum Fuentes, quo motus est ad hoc tuendum contra communem Scotistarum, est praerogativa falsum, putat enim, inter totum per accidens, & ejus partes intercedere veram causalitatem, sicut inter totum essentialia, & ejus partes, quod prorsus falsum est, quia in subiecto, & accidente praeter unionem nulla reperitur causalitas, sicut in partibus essentialibus unitis.

In oppositum objicit 1. Fuentes, quod Doctor ipse in hac qu. §. Quantum ad primum &c. aperte docet, unum per accidens non esse suas partes, sicut unum per aggregationem, ex Philof. 7. Met. text. 11. & 12. probat, hominem album esse unum aliquid; & quoties Doctor tertiam entitatem ab inconvenienti vult probare, ponit exemplum non in toto per accidens, sed in toto per aggregationem, ut patet in hac qu. & 3. dist. 22. q. un. Resp. Doctorem cum Philofopho dicere, totum per accidens esse magis unum, quam unum aggregationem, ut cumulus, & acervus, quia unitas aggregationis est infimus gradus unitatis, & unum per accidens addit super illud unitatem informationis, ut docuit 1. d. 2. qu. 7. Hb. ait etiam cum Philof. totum per accidens non esse suas partes etiam simul sumptas, & collective, quia super omnes illas addit unionem, quod colligitur ex illis verbis Philofophi a Doctore citat. in hoc homo albus est unum aliquid, quia albedo inest homini, non autem esset tale totum, si non informaret. Et demum quoties Doctor probat tertiam entitatem ab inconvenienti, ponit exemplum de toto per aggregationem, ut adversarium adducat in majus inconveniens;

183 Secundo supra intulimus distinctionem ex natura rei inter totum essentialia, & partes ejus ex contradictoriis, quae verificantur de illis; partes enim unitae constituunt totum, non e contra, partes fundant unionem, non unitatem, totum fundat unitatem, non unionem, totum constat ex partibus unitis, non item partes constant ex partibus unitis; at haec omnia adamus verificantur de toto per accidens, & ejus partibus, ut discurrant pariter, ergo &c. Accedit, nos etiam intulisse distinctionem totius essentialis a suis partibus, quia est terminus generationis substantialis, quae requirit terminum per se unum, at generatio accidentalis entitatem est mutatio per se una, & compositum accidentale est terminus primus, & adequatus illius, sicut substantiale mutatio substantialis ex 1. Phys. 64. & 7. Met. 27.

Resp. negando minorem, duplex enim est compositio physica, alia cum his, alia ex his, inter quas hoc praesertim verificatur discrimen, ut Canon. notavit loc. cit. quod in prima compositione idem est componens, & compositum, in secunda minime, quia in prima compositione non interce it vera causalitas partium in ordine ad totum, at bene in secunda, quare subiectum & accidens vere unam rem non constituunt, ut materia, & forma; & hinc est, quod contradictoria illa praedicata vere enunciantur a parte rei de partibus, & toto essentiali, quia fundantur in causalitate partium vera, & reali, quae quia deficit in toto integrali, & per accidens, ideo metaphorice solum enunciantur de totis istis, & partibus eorum per analogiam ad partes physicas vere per se componentes, & tandem diversitas illa omnino procedit ex diverso nostro concipiendi modo hominem, & albedinem per modum unius, vel plurium, explicite, vel implicite; concipiendo namque per modum unius, dicimus, album consistere ex subiecto, & accidente, concipiendo per modum plurium, dicimus, albedinem cum subiecto consistere album, ratione cujus diversitatis etiam in modo concipiendi totum per aggregationem dicimus, lapides adunatos acervum constituere, acervum consistere ex lapidibus unitis, non e contra, ex quo tamen loquendi modo non arguimus in acervo tertiam entitatem a partibus ex natura rei distinctam.

Ad 2. negatur paritas, quia mutatio accidentalis non dicitur per se una a termino primo, & adequato, ut substantialis mutatio, quia nullus talis acquiritur per mutationem accidentalem, sed dicitur per se una a termino formali, ita Canon. cit. & si talis dicitur a termino adequato, hic non erit compositum accidentale, ut entitas quaedam tertia, sed ut forma accidentalis in concreto, ut calefactionis calidum, quod de sua ratione formali unum per se dicit, puta calorem, & aliud connotat, puta subiectum; videantur Regent. Parisienses 1. Phys. q. 4. cit.

158
DISPUTATIO SEXTA.
De Natura.

Multipliciter hoc nomen naturae solet usurpari, ut omnes fere Doctores adnotant in principio hujus disputationis; Primo enim accipitur quasi collectivae pro tota entium universalitate, quo modo dicimus, aliquid esse in reum naturam. Secundo pro ipso Deo, quia a D. Augusti. 15. de Trin. cap. 1. natura creatrix, & ab aliquibus natura naturans appellatur. Tertio pro tota causarum creaturarum serie secundum naturam operantium, quo sensu solet dici, quod natura nihil faciat superfluum, non deficiat in necessariis, vacuum refugiat, faciat optimum, quod potest, & quod opus miraculosum vires excedat naturae. Quarto pro agente absque electione, & libertate, ut sunt bruta, plantae, & inanimata. Quinto pro generatione viventium, quae nativitas dicitur, nam natura dicitur a nascendo, & multis aliis modis; sed praecipue accipi solet pro ratione, & proprio conceptu cujuslibet entis, sive reale sit, sive rationis, unde solemus dicere, hanc, vel illam esse entis realis, vel rationis naturam; magis tamen presse pro vera, & reali quidditate, ratione cujus definitio dicitur naturam rei explicare, in qua significatione duo munera habet, ut in praeced. disp. q. 1. innuimus; primum est, ut sit in aliquo esse constitutiva illius rei, cujus est natura, quomodo essentia, & quidditas maxime vocatur; secundum ut sit principium operationum connaturalium illius rei, & hoc pacto specialiter natura appellatur. In praeced. disp. explicavimus primum officium naturae, ut corpus naturale constituit, dum principia in facto esse declaravimus: Restat, ut ipsam consideremus ut principium operationum naturaliter rem ipsam consequentium, in qua acceptione dixit Arist. 2. Phys. 6. Quod autem sit natura, tentare demonstrare, ridiculum est, non quod dari naturam sit prorsus indemonstrabile, quamvis enim a priori nequeat demonstrari, eo quia essentia, seu quidditas non habet aliud principium antecedens, per quod, tamquam per medium demonstrari possit, ut in lib. Post. dicitur, est tamen a posteriori demonstrabile per effectum, eo quod motus non est a se ipso, ergo ab aliquo principio, sed hoc dicit Philosophus, quia notissimum est, reperiri tale principium, sicut notissimum est, dari ejus effectum, scilicet motum, quare ad ejus definitionem declarandam accedamus.

QUESTIO I.

An natura recte ab Aristotele definiatur.



Aturam definiit Arist. 2. Phys. 3. dicens, Natura est principium, & causa movendi, & quiescendi, in quo est, primum, per se, & non secundum accidens, Alii legunt; est principium, & causa, ut id moveatur, atque quiescat, in quo primo est, quae definitio, ut intelligatur, singulae particulae erant explicandae. Et quidem maxime circa primam partem, & scilicet est principium, & causa (supponimus enim ista duo pro eodem sumi in praesenti, & causam apponi claritatis gratia, unde 3. Phys. 1. principium solum apposuit) discrepant Doctores; circa alias vero non multum differunt; etenim cum causa quadruplex sit materialis, formalis, finalis, & efficiens, quae adhuc est duplex, vel immanens, ut cum effectum causat in se ipsa, vel transeunt, ut quando in subiecto distincto producit effectum; hinc.

Aliqui dixerunt, naturam solummodo esse principium operationum passivum, & in genere materialis causae; ita Simpl. 2. Physic. com. 12. & est communis apud Scotistas citantes Scotum in 2. dist. 2. q. 10. F. & dist. 18. §. Contra primum &c. & 4. dist. 43. q. 4. sic Tatar. 2. Physic. q. 1. Fuentes q. 1. dist. 2. Sghema digress. 8. q. 4. Faber Theor. 33. Alii solum activum esse dixerunt, ita Valle. Contr. 11. Physic. Vaquez 1. 2. disp. 25. cap. 3. Communis tamen opinio, tam apud antiquos, quam apud Recentiores per principium, tam passivum, quam activum intelligunt, quam ex Nostratis sequuntur Regentes Parisenses 2. Physic. q. 1. quaestione. 2. collat. ubi solvendo 2. argum. ajunt, quod natura in quibusdam respectu quorundam motuum est principium activum, & respectu quorundam est principium passivum, subscribunt insuper Boner. lib. 4. suae Physic. ubi ex professo hanc partem tractat Liche. q. 1. Prol. §. Sed in ista littera occurrunt duae, &c. Bassol. 2. dist. 18. q. unic. art. 1. ad 5. Gratianus ibidem, & Barg. 1. dist. 13. q. unic. §. Ad argumenta principalia, &c. Differunt vero isti Authores, quia aliqui, ut Murcia 2. Phys. quaest. 1. Ferrar. qu. 1. asserunt, dici de principio activo, sive immanente, sive transeunte; alii vero communiter tantum de immanente. Differunt etiam, quod aliqui volunt, aequaliter naturam dici de utroque; Alii principalis de activo, Alii e contra principalis de passivo. Addunt insuper aliqui Scotistas, naturam de utroque dici, supposita coordinatione causarum secundarum, & in sententia Philosophi, quia sic activum est vere, & per se internum, & in hoc sensu, ajunt, loquitur Scot. q. 1. Prol. Q. at simpliciter loquendo, natura solum de passivo dicitur, quia sic accidit principio activo, quod sit internum, cum possit a Deo suppleri, & impediri, quo modo intelligendus est Scot. in 2. & 4. citat. dum asserit, naturam tantum de passivo dici. Tandem aliqui, ut Aversa q. 9. sect. 4. asserunt, principium non solum in genere causae efficientis, & materialis sumi in definitione naturae, verum etiam in genere causae formalis, & finalis, quatenus forma, quae est natura, in generatione rationem habet termini formalis, & finis; sequitur etiam Masius 2. Phys. cap. 2. qu. 6. & probabilem putat Amicus tract. 8. q. 10. dub. 2. Addunt Conimb. 2. Physic. cap. 1. qu. 3. art. 2. Animam respectu vitalium operationum, & formam coelestem erga motum circularem dici naturam in genere etiam formalis causae.

ARTICULUS I.

Declaratur, quo modo principium sumatur in definitione naturae.

Observandum ex Scot. q. 1. Prol. §. Ad quaestionem, &c. & locis cit. quod naturale prout naturalitas competit operationibus in ordine ad principium, varie sumitur, & diversis opponitur, unio enim modo opponitur supernaturali, vel libero, & in hoc sensu attenditur naturalitas absque controversia penes principium activum, unde operatio illa dicitur naturalis, quae est ab agente naturali, idest habente ordinem naturalem ad passum, supernaturalis vero, quae fit ab agente supernaturali, idest excedente omnem ordinem naturalem ad passum; & operatio illa dicitur libera, quae est a principio ad actionem intrinsece indeterminato, vel se determinato, vel se determinante, naturalis vero, quae est a principio intrinsece determinato ad agendum. Alio modo naturale opponitur violento, & neutro, & ita naturalitas respicit subiectum, in quo recipitur operatio, & forma, adeo ut si operatio, & forma sit secundum inclinationem subiecti, dicitur naturalis, & principium receptivum ejus naturale; si fuerit contra inclinationem subiecti, dicitur violenta; si tandem neque juxta, neque contra inclinationem, dicitur neutra: Verum huic communi Scotistarum doctrinae addendum est, quod sicut duplex datur violentia in rebus, alia privativa, quae fit per subtractionem alicujus operationis, vel formae connaturalis, qualem violentiam pateretur aqua sub sola carentia frigoris, & de facto patitur homo visu privatus; alia positiva, quae fit per positionem alicujus repugnantis naturali conditioni subiecti, in quo statu foret aqua sub calore; ita quoque duplex dari debet naturalitas, etiam ut opponitur violentiae, una, quae consistat in conformitate operationis, vel formae ad inclinationem passivam subiecti, quo sensu forma substantialis dicitur naturalis materiae primae, altera, quae consistat in conformitate operationis ad inclinationem activam ipsius agentis, quo sensu igne dicitur operatio naturalis ignis, nam praeter inclinationem passivam rebus, qua dicantur determinatae ad sic, vel sic patiendum, dari etiam debet inclinatio activa, quae determinatae dicantur ex earum innata constitutione ad sic, vel sic agendum, ut notavit noster Gadius quol. 19. cum ergo naturale in praesenti proprie sumatur, prout opponitur violento, sicut violentum illud est, quod natura rei, ejusque inclinationi contrariatur, ita illud principium naturale in hoc sensu dicitur, quod in suo actuali exercitio, vel aptitudinali eidem conformatur, & de isto quaeritur, an sit activum, vel passivum, formale, aut finale.

4 De isto etiam principio naturali dupliciter loqui possumus, vel physice, vel metaphysice, unde Arist. tam in 2. Phys. quam in 5. Met. 5. locutus est de natura, cum hac tamen differentia, quod Physicus considerat res naturales, ut moventia sunt mota, seu ut motui subiectibilia, at Metaphysicus, ut a motu abstrahunt, & potius ut immobilia, quamvis ut moventia consideret; hinc Arist. 2. Phys. 71. & 3. Physic. 8. dixit, moventia mota esse physicae considerationis, non sic moventia non mota, sed altioris esse scientiae, scilicet Metaphysicae, quia haec non habent principium motus in se ipsis, ut illa. Ex quo colligitur, quod agere de principio activo transeunte, ut sic, quomodo movens non motum dicitur, ad Metaphysicum spectat, sed agere de principio activo immanenti pertinet ad Physicum, non quidem principaliter, & primario, sed in ordine ad passivum principium, & ut passivo conjunctum, quia corpora considerat ut mobilia. Hoc praecipue.

5 Dicimus primo, naturam utique principio, tam activo, quam passivo, sive immanenti, sive transeunti convenire abso-

absolute loquendo, at secundum Physicam considerationem primario, & principaliter dici de passivo, de activo vero immanenti non nisi dependenter a passivo, cui est conjunctum, & consequenter principium in definitione naturae principaliter supponit pro passivo, sed minus principaliter etiam pro activo immanenti. Concl. est Doctores locis initio q. cit. praecipue in q. 1. Prol. Q. ubi habet, quod illa propositio, omni passivo naturali correspondet principium activum, non est univocaliter vera, loquendo de natura, ut principium est motus, & quietis in 2. Phys. definita, quia non correspondent omni passivo naturaliter principium activum, quod sic sit natura, quia multa sunt naturaliter receptiva alicujus perfectionis, cujus non habent principium intrinsecum activum, ita ut per Scotum, quae habent tale principium activum intrinsecum, dicuntur habere naturam 2. Phys. definitam; potest etiam colligi ex comm. Doctores super 5. Met. tex. 5. ubi Doctor, & si primo dicat, naturam esse principium passivum tantum, tamen addit in fine illius cap. & si forma, ut principium activum privatur natura, non repugnat hoc dictis superius, quod natura sit principium passivum, & sic exponit illa verba Arist. dicens, generationes, & generari, quia sunt ab hac motus, scilicet dici generationes naturales, eo quod a forma proveniunt, ut a principio Quo. Et primo quod natura, absolute loquendo, de quocumque principio etiam activo dicitur, probari potest innumeris Philos. auctoritatibus, ut est allata ex 5. Met. esse enim ab hoc, ut a principio dicitur activitatem, idem repetit 2. Phys. 13. dicens, formam esse naturam, quia res naturales generant familia per formam; tex. 80. probat, naturam agere propter finem, quia aranea conficiendo telam, & hirundo nidum, naturaliter operantur, & tex. 3. air, medicinam non esse naturam in medico aegroti; quia est principium per accidens, non per se in medico, at si natura non est principium activum, non oportebat ipsam ab arte distinguere, eo quia est principium per se, ars vero per accidens in medico, sed quia illa est passivum, haec vero activum, item 1. de part. Anim. cap. 1. air; animam esse naturam, quae & ut movens est; & infra, non omnem animam esse naturam, sed quae principium est actionis, alterationis, & motus; 8. etiam Phys. 27. ponens differentiam inter moventia mota penes principium activum, air, quae a se ipsi moventur, naturaliter moveri, quia principium internum habent: clarius 9. M. 13. air naturam esse ejusdem generis cum potentia activa, & solum differre, quia potentia est principium motus in alio, natura in eodem, in quo est; item 3. Met. 7. & 4. Met. 23. air substantias abstractas esse naturas immobiles; quibus auctoritatibus varie respondetur ab Adversariis, sed potius sensum extorquent, quam explicent.

6 Secundo idem Prob. ratione; Non minus naturale est igni debite approximato calefacere, & aquae calidae se reducere ad pristinam frigiditatem, pro ut naturale opponitur violento (ut evasio Scottistarum de medio tollatur, dicentium, principium activum naturale dici, pro ut a libero, vel supernaturali distinguitur, non ut violento opponitur) quam gravi deorsum ferri, sed ista conveniunt igni, & aquae, ut activa sunt, ergo &c. Major prob. non minus violentum est igni impediri a calefactione, quando est debite approximatus, ut fuit in fornace Babylonis, & aquae calidae potentis se reducere, si a Deo impediretur per suspensionem concursus, quam gravi detineri sursum; quod probatur, quia esse sursum, ideo est gravi violentum, quia est contra aptitudinem ad recipiendum ubi deorsum, quae cum ex principiis intrinsecis proveniat, dicitur naturalis, & pati dicitur violentiam, quia impeditur ab actu secundo, & a receptione illius ubi, quo aptitudo, & potentia illa actuatur, sed aptitudo, & potentia, quam habet ignis ad calefaciendum, etiam fluit a principis intrinsecis ejus, estque passivo igni identificata, ergo quando impeditur ab actu secundo per suspensionem concursus, estque debite approximatus, vere patitur violentiam, & si non positivam, saltem privativam, quia utrobique fit contra naturales aptitudines, & innatas, & utraque aptitudo propriis actibus, in quo tendunt, una active, altera passive, privatur, idem de qua dicendum. Tum quia materia est in potentia naturali ad omnes formas, ex dictis disp. 2. qu. 5. art. 1. & ex hoc praecipue arguitur, quia si omni forma spoliaretur, esset in statu quodam violento privativo, non positivo, quia status nequit materia convenire, cum omnes respiciat formas indiscriminatim, & sub qualibet naturaliter quiescat, & solum violentatur, cum omni forma caret, ergo quia agens pati potest hanc violentiam privativam, si ager, dicitur naturaliter agere, pro ut naturalitas isti violentiae opponitur. Tum quia violentia, & coactio, seu involuntarium idem sunt apud Doctores, sicut naturale, & voluntarium (nam sumendo voluntarium, pro ut coincidit cum libero, aliter non esset in brutis, sed prout est juxta impetum innatum appetitus, five rationalis, ut fufius in tract. de actibus humanis dicitur) cum haec tamen differentia, quod violentum, & naturale sunt in rebus non cognoscitivis, in cognoscitivis autem adest ratio coacti, involuntarii, & voluntarii, quare penes connotata tantum differunt, unde Arist. 3. Ethic. c. 1. definiens violentum, quod sit, cujus principium est extra, non conferente vim passivo, deducit postea definitionem voluntarii, dicens, Cum autem id invitus quisquam agat, quod vi, & ob ignorantiam agit, id sua profecto sponte, quispiam videbitur agere, cujus principium est in ipso agente cognoscente singula, in quibus est actus, Et Scot. 4. dist. 29. q. 1. §. Ad quaestionem, &c. ex violentia, quam potest aliquando

voluntas pati, ait, causari in ipsa involuntarium, seu violentum, nam violentum a vi derivatur: sed hac violentia attenditur etiam penes principium activum, ergo & naturalitas. Minor probatur ex definitione assignata ab Arist. dicente, violentiam cadere in actione, & ex Scot. cit. docente violentiam posse pati vim eliciendo aliquem actum, quem alius non eliceret; & omnes Doctores fatentur, bruta simpliciter posse a Deo cogi, saltem privative, non concurrendo ad actus, quos elicerent. Tum quia illius principii est voluntarium, seu naturale causare, cujus est singula cognoscere, tale autem est activum. Insuper D. Niffenus lib. 5. Philosophia c. 1. air. Omne igitur voluntarium in actione quadam est, & D. Damasc. 2. de fide c. 24. Quoniam, inquit, id quod sponte fit, in actione quadam est positum, id quoque quod invitus fit, in quadam etiam actione versatur, necesse est, ergo nisi velimus de nomine contendere, si in principio activo vera ratio coactionis, & violentiae reperitur, debemus quoque rationem naturalitatis opposita admittere.

7 Respondent, actionem naturalem dici a principio activo, non reduplicative, ut activum est, sed specificative, & identice, quatenus cum passivo identificatur, loquendo de principio activo immanenti; principium vero transeunt non dicitur natura, eo quia natura est principium motus in eo, in quo est. Sed contra, quia argumenta probant, actionem naturalem dici a principio activo, ut activum est, unde tam de immanenti, quam de transeunti concludunt, quamvis ad rationem naturae secundum physicam considerationem requiratur, ut sit in eo, in quo est, ut diximus n. 4. absolute tamen hoc non requiritur, quia simpliciter loquendo, ratio violentiae in principio activo reperitur, etiam transeunte. Tum quia quamvis per hoc evitetur, quod calefactio non sit igni naturalis, prout natura hic definitur, quia est actio transeuntis, natura vero hic definita est principium motus ejus, in quo est, atque ideo immanenti; per calefactionem autem non movetur ipse ignis, sed subiectum alienum ab ipso calefactum, adhuc tamen non evitatur instantia de frigeactione aquae ad pristinum frigus redeuntis, haec enim actio vere est immanens, & natura aquae est principium hujus motus in se ipsa non tantum passivum, sed etiam activum, ergo tota natura definitio, prout hic definitur a Philosopho, ei competit. Dices, frigeactionem activam non esse motum, quo movetur aqua, sed frigeactionem passivam, & propterea principium activum, ratione cujus competit ipsi frigeactio activa, non esse naturam, prout hic definitur a Phil. Contra, hoc nihil juvat; ut enim illi competat definitio naturae ab Arist. tradita, sufficit, quod natura aquae sit principium quoque activum frigeactionis passivae in se ipsa, eo enim ipso erit principium activum motus ejus, in quo est.

Resp. alii, principium activum non dici naturam, eo quod non est principium per se motus, cum possit separari, ut si Deus se solo reduceret aquam ad pristinam frigiditatem, at passivum semper est principium; implicat enim, Deum inducere frigus in aqua, quod tamen non sit secundum aquae inclinationem. Non valet, quia saltem in sententia Arist. possibilitatem hujus impedimenti non cognoscimus, & cum aequale per se secundum ipsum tam activum, quam passivum in se, natura de utroque dicitur. Tum quia ex hoc cap. etiam, quod possit impediri a Deo, & a proprio exercitio, & actu secundo separari, arguere debemus, cum agit, & non impeditur, agere naturaliter, quia quando non agit, violentiam patitur, sicut passivum quando a propria forma separatur, quia tunc pati dicitur violentiam, arguimus, naturaliter recipere formam illam, quando in ipso introducit. Tum quia quod actualiter agat, vel non parum refert, est enim per accidens, sufficit, ut habeat innatum, & radicale principium ad agendum, sicut adhuc homo risibilis dicitur, quamvis actu non rideat. Tum quia generatio, nutritio, & augmentatio, ita sunt actiones naturales, ut essentialiter dependentiam dicant ad potentias generativam, & nutritivam, quae dependentiam nequit a Deo suppleri, ergo principium istorum actuum erit vere natura; Antecedens probatur, si Deus ex materia alimenti educeret formam carnis, illamque praexistenti carni viventis uniret, vel aliquid vivum ex semine generaret, non per hoc vivens nutririi, vel augeri dicitur, aut generare, quia cum sint actiones vitales, a principio vitali intrinseco essentialiter dependent, ut dicitur in lib. de Anima. Tum quia voluntas nostra non solum est naturaliter summe receptiva actus beatitudinis, quatenus in potentia mere passiva est ad receptionem illius actus, sed petit vitaliter actu illo operari circa objectum, non enim intelligere, & velle consistunt formaliter in receptione actuum intellectiois, sed independentia potentiae in objecto medio actu vitali, in qua tendentia vitalis consistit; at hoc, quod est vitaliter operari circa objectum, potius ad rationem principii activi, quam passivi pertinet.

8 Dices, talem potentiam non posse dici naturalem, quia obedientialis est, & elevata per habitum a Deo. Concedimus, necessitatem elevationis, qua ratione obedientialis dicitur, sed nequit negari potentia partialis activa in potentis anima ad illos actus, non enim mere mortuae se habent, sed virtualiter operantur, qua ratione Damiani dicuntur esse in statu violento, non solum quia actum beatitudinis non recipiunt, verum etiam quia per illos actus vitaliter circa Deum objectum infinitum non operantur. Tum quia ratio urget in actibus naturalibus, quibus potentiae alia objecta creata naturaliter respiciunt. Dices etiam, in casu posito ignis non comburentis non violentari.

Ientari principium activum, quia res omnis est in perfecta potentia obedientiali, ut in ea, & ea fiat, quicquid Deus voluerit, ratione cuius omnis tollitur violentia, ut tenet Alvarez part. 2. disp. 37. alios citans, cum quibus concordare videntur Licher. 3. dist. 1. q. 1. & Tatar. quodl. 19. unde si violentia principio activo convenit, neque naturalitas opposita convenit; Sed non satisficit; Tum quia assumptum est falsum, ut docet Scot. 3. dist. 27. §. *Iste rationes*; & 2. dist. 3. q. 10. E. & 4. d. 49. q. 13. li. quia implicat, aquam v. g. sursum ascendere, & non contra ejus inclinationem, nam quamdiu manet aqua, manet forma aquae, & quamdiu haec manet, etiam manet inclinatio ad motum deorsum, ergo si in principio passivo (quod magis est in potentia obedientiali ad Deum, quam activum, quia in illo potest formam oppositam introducere, non tamen potest istud elevare ad productionem contrariae formae, ut aqua ad productionem caloris, ut dicimus disp. seq. cum de potentia obedientiali agemus) non tollitur ratio violentiae propter potentiam obedientialem, multo minus ab activo tollitur, si a propria actione impeditur. Tum quia potest etiam aliquid activum naturaliter impediri, ut cum grave sursum detinetur, ne deorsum descendat, hoc enim est contra principium passivum, & activum, quia a seipso deorsum movetur, vel cum propter impetum impressum sursum pellitur; & tandem cum res quaelibet se ipsam quaerit conservare, sed a contrario agente impeditur ista vis activa, ex quo sequitur destructio illius rei, quae violenta quoque dicitur, non respectu materiae; sed respectu rei, & non solum contra passivum activum principium, sed etiam contra.

9. Tercio: quod de passivo etiam dicatur, & ubi activum, & passivum sunt conjuncta, principaliter passivo conveniat, actio vero minus principaliter, & passivo dependenter, probari potest rationibus illis, quibus quae seq. art. 2. ostendimus, materiam esse naturam; Tum quia Philof. clare hoc asseruit in 2. Phyl. 71. diximus in Not. & tex. 3. definiens naturam juxta lectionem Graecorum, ait, esse principium, ut moveatur, & quiescat, & tex. 5. exemplificans de his, quae secundum naturam sunt, dicit, ut ignem ferri sursum, & 8. Phyl. tex. 32. ait, gravia, & levia naturaliter moveri, quia principium habent intrinsecum patiendi. Tum quia ratio violentiae vere attenditur in ordine ad passivum, ut patet ex dictis, ergo etiam ratio naturalitatis. Tum quia ut arguit Doctor, illud est principium principaliter, & independens, quo posito, & circumscripto alio, vel variato, sequitur effectus, sed posito, quod forma sit juxta passivum inclinationem, quomodo cumque activum varietur, imo quamdiu permanet passivum sub illa forma, ita ut activum non amplius agat, ponitur ratio naturalitatis, unde subiectum naturaliter respicit formam illam, & naturaliter possidet illam; & si forma est contra passivum inclinationem, dato quod judicatur a principio activo interno, adhuc violentus est motus, ut cum homo elevat manum, motus ille respectu manus est violentus, quamvis respectu totius hominis possit dici naturalis, ut Doct. 4. d. 49. q. 13. I. & Arist. 8. Phyl. 27. ergo natura principaliter, & independenter de passivo dicitur, de activo vero quando sunt in eodem unira, non nisi a passivo dependenter, & maxime secundum physicam considerationem, ut diximus in Not. Quapropter concludendum est, ly *principium* in definitione naturae sumi principaliter pro passivo, minus principaliter pro activo.

Sed Contra arguitur 1. ostendendo, nullo modo naturam esse principium. Ratio naturae est essentialis rebus naturalibus, at principium, cum sit quid relativum ad principiatum, nequit esse de essentia alicujus absoluti, qualis ponitur, res habens naturam. Tum quia ratio principii est distincta ab essentia rei, quae solum rem constitutam respicit, ubi principium respicit motum, & passiones, ergo si natura est de essentia rei, non erit principium; Antecedens patet, quia licet multae res soleant explicari in ordine ad motum, & proprias actiones, tamen multae etiam sine tali ordine quidditative explicantur.

10. Resp. ad 1. naturam sumi dupliciter, vel formaliter, quomodo dicitur relationem principii, vel fundamentaliter, ut significat fundamentum talis relationis; primo modo non est de essentia rei, estque quid relativum, secundo modo dicitur entitatem fundantem, quae est quidditas rei, & quid absolutum; & quamvis multi Scotistae asserant, principium hic formaliter sumi, rectius tamen dicitur, si fundamentaliter sumatur, ut Parisenses cit. exponunt ad 1. princ. intentum enim Philosophi est hic aperire rationem formalem constituentem corpus naturale in esse objecti Philosophiae, quae est naturalitas fundamentaliter, non formaliter sumpta, & sic dicendo, salvatur, definitionem naturae esse essentialem, quod salvari non potest, si dicatur, principium sumi formaliter, quia respectus non est de essentia absoluti; & quod addunt Recentiores, relationem principii transcendentem esse de essentia naturae, procedit ex falso fundamento, quod relationes hujusmodi sint de essentia absoluti, quod falsum esse jam in Log. ostendimus. Ad 2. dicimus, conceptum adequatum quidditativum rei etiam rationem principii fundamentaliter includere, & si aliquando explicite non significetur, quod fit, cum per aliquid posterius definimus res, quales sunt passiones effectus, quare ratio principii fundamentaliter, & essentia rei distinguuntur ut conceptus, quasi inadeguati, ut colligitur ex Scoto 2. dist. 1. quest. 6. §. *Dico tunc*, &c. vel potius penes modum concipiendi rem explicatur, & implicatur.

Secundo arguitur, ostendendo, nullo modo naturam dici de

principio activo. Tum primo, quia Scotus in 2. & 4. saepe cit. apertissime docet, naturam solum de passivo dici, & activum extrinsecum tantum ad ipsam pertinere, quod etiam asseruit de violentia, cuius ratio in ordine ad repugnantiam passivi principii sumitur, activum vero quid extrinsecum ponit; & si artificialia a naturalibus penes activum principium differunt, tunc ait Scot. natura sumitur, pro ut ab agente a proposito distinguitur; quibus in locis loquitur Doctor, non solum simpliciter, & absolute, verum etiam secundum Philosophi mentem, hoc enim probat ex variis Philof. auctoritatibus, puta ex 8. Phyl. 32. & 2. Phyl. 3. & 5. ut in probatione Concl. nos etiam adducimus. Tum 2. quia natura est principium internum, at principium activum inter externa numeratur. Tum 3. quia motus nullum respectum dicit ad agens, sed solum ad materiam, formam, privationem, quae ipsius principia ponitur, ergo principium motus activum non erit, sed passivum, aliter quatuor mutationis principia. Tum 4. quia principium immanens non est principium primum motus, neque est principium ut res moveatur, sed ut moveat, & secundarium, a passivo dependens, ergo natura non erit, quae principium primum debet esse, & ut res moveatur. Tum 5. quia nec principium activum transiens erit natura, quia natura sive physice, sive metaphysice consideretur, semper debet esse principium motus ejus, in quo est, quomodo non solum in Physica, verum etiam in Metaphysica definitur, Arist. in 5. Met. 5. ait, *natura est substantia eorum, quae in se ipsis, ut ipsa sunt, motu principium habent*, & 6. Met. 1. idem repetit, & 9. Met. 13. ait, potentiam activam esse principium transmutandi aliud, in quantum aliud, at naturam esse principium motivum, non tamen in alio, sed in ipso, prout ipsum, quod prius docuerat 3. Caeli 28. tandem quia sequitur, Deum, Angelos, ignem &c. esse naturas respectu corporum, in quae agunt, ex hoc, quod natura est alicujus natura, & ejus, in quo motum exercet, quae omnia sunt falsa.

11. Resp. ad 1. clarum esse, Scotum loc. cit. loqui de natura, pro ut de ea locutus est Arist. 2. Phyl. nam suum asseritum probat ex variis Phil. dictis, tum in 2. tum in 8. Phyl. & consequenter nunquam locutum esse de principio transiente activo, sed tantum immanente; & quia hoc principium natura dicitur a passivo, dependenter, hinc si ly *primo* in definitione naturae explicetur pro hoc, quod est primario, simpliciter, & independenter solum de passivo natura dicitur, & in hoc sensu intelligitur Scot. loc. cit. quod patet ex ipso contextu; probat enim, quod si praecindamus principium activum, adhuc salvatur per se naturalitas, & simpliciter; ponderentur quae ejus verba 2. d. 18. quaest. in C. ubi sic loquitur; Ad hoc igitur, quod motus sit naturalis, sufficit, quod potentia passiva rei sit ad talem formam inclinata, nec requiritur ibi principium activum intrinsecum, sed a quocumque agente agatur, erit quod acquiritur simpliciter naturae solum propter illam inclinationem parte principii passivi, unde grave, posito quod non habeat in se principium passivum descensus, a quocumque tamen active descendat, moveatur naturaliter, ita Doctor, esse ergo quod de principio independenter est sermo, nec negat principium activum intrinsecum esse naturam, sed solum ait; non necessario requiri tale principium ad naturalitatem motus, & solum passivum subire, & est id ipsum, quod nos in conclusione asserimus; si vero ly *primo* accipitur, prout convertitur cum per se, & ab hoc, quod est esse per accidens, vel a principio instrumentaliter distinguitur, sic natura convenit principio activo immanenti, quia per se, & non per accidens corpori naturali convenit, & in hoc sensu secundum Scot. q. 1. Prol. definitio naturae 2. Phyl. tradita competit activo immanenti. Possit etiam dici, Scot. in 2. d. 18. & 4. d. 47. loqui de naturalitate, propter violentiam opponitur, quo modo naturalitas tantum de passivo dicitur, quia ut notat Scot. in 4. d. 29. B. non potest elicitive, & positive potentia aliqua violentari simpliciter, talis enim potentia non esset naturalis, quia si talis esset, naturaliter, & non violentar ageret, neque obedientialis, quia hoc non datur, nisi in agentibus habentibus aliquam proportionem, & activitatem inchoatam cum effectu producendo, ut dicimus disp. seq. nullum autem agens potest talem potentiam habere respectu effectus propriae naturae repugnantis, quare solum violentia privativa potest principio activo competere, & consequenter naturalitas ipsi opposita; quod autem ita loquatur Scot. patet ex hoc, quod cum tam in 2. dist. 18. quam in 4. d. 43. dixisset passivum in ordine ad formam esse vel in potentia naturali, vel violenta, vel neutra, addidit in materia nullam esse violentiam, eo quia est ad omnem formam inclinata, & tamen ex dictis dist. 2. q. 5. art. 1. materia prima, si esset sine omni forma, esset in statu quodam violento, non violentia positiva, sed privativa; sed quomodocumque hoc sit, certum est, Scotum hac in re ad utramque partem interdum inclinare (quamvis ubi loquitur ex professo, inclinet magis ad negantem naturam de activo) & ideo nobis relinquatur facultas amplectendi utramque partem.

12. Ad 2. facillime occurritur causam efficientem dici extrinsecam respectu effectus producti, quo sensu etiam principium passivum est extrinsecum motui, ut utrumque est rei naturali intrinsecum. Ad 3. natura non solum est principium motus actualis, verum etiam mobilitatis, quod modo ad essentia ut activa dependet, ut docet Doctor 1. dist. 3. q. 7. S. est principium etiam formarum per motum naturalem acquiescibilem, ut dicimus art. seq. quapropter & si agens ad formalitatem

litatem motus actualis non pertineat, attamen ad ipsum spectat concomitanter, quatenus est principium formae, actionis, passionis, subiecti, proprietatum rei naturalis. Ad 4. patet ex dictis ad primum hujus secundi principalis. Ad 5. negatur metaphysice loquendo, naturam solum de principio immanenti dici; cum probatur per Arist. dicimus, sentum definitionis in 5. Met. assignatae hunc esse, natura est substantia eorum, quae habent principium motus in se ipsis, ita ut vere principium illud in illis rebus reperitur, quatenus ipsa sunt, id est quod tale principium intrinsecum, & essentialiter illis conveniat, unde haec inexistens ad principium refertur, non ad motum, quo modo vere principio activo transenti convenit; in 6. vero Met. loquitur de natura, prout a Physico consideratur, assignat enim ibi rationem formalem objecti Philosophiae, & ideo ait, naturam esse principium motus inexistens in eo, cuius est natura, quod etiam docet 11. Met. cap. 1. & sim. 3. cap. 1. in 9. Met. ponit discrimen inter potentiam activam, & naturam secundum physicam considerationem, ut prius dixerat in 6. & in 3. de Caelo. Ad ultimum negamus, Deum, Angelos, ignem, &c. esse naturas corporum, in quae agunt, sed potius in ordine ad se ipsos, quia non sunt natura in his casibus, ut principia activa immanenta, sed ut transentia, sic Deus natura dicitur creatrix a D. Augulf. & si nullam violentiam pati possit, vere tamen agit juxta propriam naturam, Angeli quoque, quatenus agunt juxta proprias naturales potentias, dicantur habere naturam.

13. Tertio arguitur, quod nullo modo natura de passivo dicatur. Tum primo quia secundum Scot. 4. dist. 49. qu. 13. ad 3. si aqua deorsum descenderet relicto vacuo, motus ille esset simpliciter violentus, & tamen juxta aquae inclinationem, ergo naturalitas non debet attendi penes principium passivum: corruptio rei dicitur naturalis, & tamen contra ejusdem inclinationem, sic Deus natura dicitur creatrix a D. Augulf. & si nullam violentiam pati possit, vere tamen agit juxta propriam naturam, Angeli quoque, quatenus agunt juxta proprias naturales potentias, dicantur habere naturam.

14. Ad 1. dicimus, motum aquae deorsum esse simpliciter violentum relicto vacuo respectu naturae totius universi, at respectu aquae esse simpliciter naturalem, ut se declarat Doctor, corruptio vero dicitur naturalis, quia est secundum cursum communem naturae, vel ut consideratur in ordine ad agens corruptivum, quod naturaliter per naturam, ut principium activum transiens agit, & aliis modis ut in lib. de Gen. & Cor. Ad 2. qui sustinent, respectu Dei nullam dari violentiam, admittunt naturalem quandam inclinationem in quolibet ad omnimodam subjectionem omnipotentiae divinae, quare non urget argumentum, quia motus a Deo factus diceretur igni naturalis, quia juxta illam inclinationem, at ut diximus, hoc est falsum praecipue in ad unum determinatis, quare negamus, motum illum non fore violentum, neque ad hunc semper requiritur, ut passum resistat active, sed sufficit in genere causa materialis, ut moveatur contra impetum in naturam, & propriam inclinationem; cum dicitur, creaturam non posse Deo resistere, verum est, si intelligitur, ita ut impedire, vel retardare possit effectum Dei, at dicitur resistere, quatenus effectus ille est contra propriam inclinationem. Neque dicas creaturam esse in perfectissima subiectione respectu Dei ut major nequeat excogitari, ergo neque passive resistit, aliter daretur major subiectionis excogitabilis; tum quia inclinatio ad proprium bonum cum resistens ad Deum esset inordinata, ergo non datur, quia haec inordinata inclinatio esset ab Antore natura. Non valet, quia subiectionis sine resistens passiva est impossibilis, cum implicet, dari rem sine propria passione, neque haec est inordinata inclinatio, quia lapis, v. gr. naturaliter ad centrum inclinatur, ut ad bonum proprium, non tamen contra Dei voluntatem reduplicative, sed ut respicit formam illam, at in ordine ad Deum, & ad agens

Maffii, & Belluti Tom. II. Physice.

dicitur esse in potentia naturali, vel supernaturali, non in potentia violenta, sed hoc requirit longiorem disputationem; sufficit, quod si admittatur inclinatio naturalis determinata ad centrum in lapide in ordine ad Deum, motus factum erit violentus ut infra disp. 12. n. 15. si tamen talis inclinatio, ut respicit Deum, deuegetur, non erit violentus, hoc tamen non est contra nostram Concl. Ad 3. dicimus, naturam dici principium per se motus, pro ut ly *per se* respicit rem naturalem, non vero pro ut dicit necessariam connexionem cum motu, quia respectu actualis motus adhuc dicitur principium per se, non tamen dicit necessariam connexionem cum illo, Scotus vero loquitur de periclitare connexionis causae cum effectu, & quia principium passivum respectu motus naturalis magis per se, & intrinsece rei naturali convenit, eo quia si ab activo praesentatur, adhuc passivum remanere intelligitur, ideo principaliter natura dicitur de passivo, quam de activo. Ad 4. negamus illa absurda, quia motus dicitur naturalis, non quia in re adest principium receptivum, & capacitas, sed quia adest principium passivum naturale, est capacitas cum inclinatione, at in motu violento est capacitas in subiecto cum repugnantia: Aer si est in potentia naturali ad lucem erit sub tenebra violentus de quo q. 3. Ad id de Caelo dicemus quod, seq. dum ostendimus, quomodo in ipso sit natura; materia vero non violentus est sub privatione unius formae, dum alia informatur, quia est in potentia indeterminata ad omnes formas, & sufficit sibi, ut sub una reperitur, sed de materia plura in disp. 2. q. 5. art. 1. & q. seq. hujus disp. Natura tandem humana in Verbo non violentus quiescit, quia nec inclinatio ad proprium suppositum est vera, & propria inclinatio, cum ratio subsistentiae non dicat quid positivum, sed solum est quaedam convenientia ipsius naturae, quia magis proprium est naturae singulari substantiali per se esse, quam alteri uniri, sicut magis contentaneum est alicui ramo esse in proprio trunco, quam in trunco alterius naturae, haec autem convenientia non infert violentiam, si sub opposito illius reperitur natura; Tum quia natura a subsistentia nullam recipit perfectionem, sed solum est id, quo determinatur natura ad perfectionem receptam, ad talem autem formam, nec est proprie inclinatio, nec ad oppositam est violenta potentia, sed potius neutralis, vel praeter naturam, ut dicimus qu. ult. sed hoc est altioris scientiae, de quo videatur Doctor 1. 3. dist. 1. qu. 1. F. & quol. 19. X.

15. Dicimus 2. quamvis natura, ut principium constitutum est corporis naturalis, possit principium dici in genere cause formalis, quia in tali genere forma concurret ad constitutionem compositi, ut in disp. praec. attamen si ut principium operationum sumatur, nec in genere cause formalis, nec finalis esse potest principium motus. Prob. ex 2. Phyl. 2. ubi principium, quod est natura, impetus, vel impulsus motus vocatur, quae nomina tantum activo, vel passivo principio accomodari possunt, & in tex. 29. distinguitur finem a principio motus, & quietis, & tex. 73. & 74. docens, movens immobile ad physicum non pertinere, sed movens mobile, objicit contra se de fine, qui movet, quamvis metaphysice, licet non moveatur, & respondet, ad physicum etiam pertinere, quia natura agit propter finem, & consequenter nequit cognosci, naturam agere, nisi finis etiam cognoscatur, ergo si finis est movens immobile natura non erit. Tum quia natura ut sic non est principium in fieri, sed in facto esse, sed forma ut terminus formae motus est principium in fieri, ergo ut sic non est natura. Tum quia forma ut terminus motus facti in subiecto non potest dici esse in subiecto primo, per se, & non secundum accidens, quod ad rationem naturae spectat: assumptum patet, quia hoc, quod est esse primo per se, & non secundum accidens significat intrinsece convenire subiecto motus, in quo exercetur, forma autem substantialis, neque est intrinseca, & essentialis materiae primae, nec aquae frigiditas, ergo quamvis frigiditas sit terminus formalis motus, quo aqua reducit se ad pristinam frigiditatem, non per hoc erit principium infrigidationis; quod est natura. Tum quia, quod nec in genere cause finalis, isdem rationibus probatur, & quia a forma finis non differt, neque potest esse essentialis subiecto motus, nec finis est vera, & realis causa, ut dicimus in proprio loco, natura vero est reale, & verum principium, & causa motus. Et tandem, quia forma ut vera causa in genere cause formalis, & finalis concurret ad actiones artefactorum, & tamen in illis non est natura.

16. Sed contra objicit Averfa ex Philosopho 2. Phyl. 14. dicente, generationem esse naturam, quia terminatur ad formam tamquam ad naturam, & tex. 23. clarissime ait, naturam esse finem, & id, cuius gratia est motus, & tex. 81. natura ait est duplex, alia materia, alia forma, finis autem haec, quod iterum adducit 1. de Part. Anim. c. 1. & 5. Met. c. 4. ait, formam esse naturam, & generationis finem; Nec valet, inquit Averfa, formam, quae est natura, dici finem specificative, & concomitanter, non reduplicative, quia hoc est pervertere mentem Arist. frustra enim cum natura finem conjunxisset. Tum quia forma est vere principium generationis compositi, quod intrinsece in genere cause formalis constituit, ergo in eodem genere est principium generationis, quae est in composito, non subiectione, sed terminative, accidentia quoque inclinatur ad formam substantialem, & ad compositum, ut ad finem, & actiones, quibus accidentia acquiritur, sunt in eodem composito, ergo compositum, & substantialis forma possunt dici fines illorum motuum; imo principia in genere cause finalis motus ejus, in quo sunt primo, per se, & non secundum accidens.

I.

Resp.

Resp. namquam Philosophum dixisse, formam ut finem esse naturam, sed solum formam esse naturam, & etiam finem, unde facit sensum specificativum, neque extorquetur mens Philosophi, quia hoc ex aliis contextibus, & rationibus deducitur, ut in probatione conclusionis diximus; conjunctum vero finem cum natura, quia istae rationes finis, & natura in forma unijuntur. Ad 2. dicimus, formam esse principium generationis compositi in ratione mutationis, & in fieri, quomodo generatio nec terminative, nec subjective pertinet ad compositum, sed subjective est in materia prima, terminative vero respicit formam, sed in ratione productionis respicit compositum, & quamvis sit finis actionum, & motuum accidentalium, tamen non per hoc natura dicitur, quia ut sic non movet realiter, & vere, sed solum metaphorice, neque est movens mobile, estque tantum finis cui, non finis cuius, qui est terminus per illam actionem acquisitus. Non negamus tamen, naturam posse pro quocumque principio explicari, sed tunc erit quaestio potius de nomine, quam de re.

ARTICULUS II

Declarantur reliqua particulae definitionis naturae.

37 **S**ecunda particula definitionis est *ly motus*, quae dupliciter sumi potest ex dicendis in proprio loco, vel prout a mutatione proprie dicta distinguitur, & sic dicit motum accidentalem, cuius tres sunt species, augmentatio ad quantitatem terminata, alteratio ad qualitatem, & localis motus ad ubi; mutatio vero erit ad substantiam, sive haec in instanti fiat, sive successiva, ita est substantialis generatio, & nutritio; vel sumitur ample prout communis est ad mutationem substantialem, & accidentalem; si definitio ista in se spectetur, quia convenire potest etiam materiae primae; ita ut materia prima habens naturam dicatur, ut in seq. quaest. sic *ly motus* sumitur ample, prout est ad substantialem, & accidentalem communis, vere enim mutatio substantialis acquisitiva est iuxta propensionem materiae, quae ad formas naturaliter inclinatur ex dictis disp. 2. quaest. 5. art. 1. artamen quia Arist. consideravit naturam, ut principium est totius conjuncti, & in ordine ad corpus, quod constituit, ipsamque proprie habere naturam dicitur, ut in quaest. seq. hinc debemus dicere motum in ista definitione, secundum Arist. intentionem, sumi tantum pro accidentali, quapropter natura erit augmentatio principium, quando scilicet vivens augetur, & alterationis, cum movens acquirit qualitatem aliquam sibi consentaneam, & tandem localis motus, ut cum grave deorsum tendit, leve sursum, ita intentionem suam expressit Arist. dum 2. Phys. ab initio horum motuum exempla avertit, & quia motus in naturalem dividitur, qui est iuxta inclinationem subiecti, in violentum, qui est contra ejus inclinationem, & in neutrum, ad quem nec inclinationem dicit, neque repugnantiam, dubium est, an natura principium dicatur omnium istorum motuum, an vero motus tantum naturalis; aliqui concedunt, naturam esse principium cujuscumque motus, sive naturalis sit, sive violentus, vel neuter, quibus videtur assentire Amicus tr. 8. q. 8. dub. 3. art. 2.

18 Sed falluntur, natura enim solum principium dicitur naturalis motus; ita communis cum Scot. superiori art. cit. quibus in locis semper ait, naturam esse principium secundum naturalem inclinationem, quod est respicere tantum naturalem motum, & probatur ex 2. Phys. 5. ubi Arist. explicans, quamnam secundum naturam dicuntur, ait, esse, quaecumque insunt rebus secundum se, igni ferri sursum, qui motus naturalis est igni, & nullus violentus est in subiecto secundum se, sed per accidens. Clarius 1. de celo tex. 5. & seq. ubi avertit, naturam principium motus naturalis esse, & ex numero naturalium motuum, numerum etiam simplicium corporum deducit, sed praecipue tex. 9. & 10. clarissime ait, motum violentum non dici secundum naturam. Tum quia natura per se primo est principium solum motus naturalis ex dictis disp. 3. qu. 2. Tum quia sic nullus motus violentus esset, vel neuter, sed omnis esset naturalis, quia omnis a natura, ut a principio proveniret. Nec valet, quod ait Amicus naturam hic sumi prout opponitur arti, ut in divisione, qua motus naturalis dicitur, sumitur utique prout opponitur in violento. Non valet, quia Arist. in Phys. egit de natura in utroque sensu, simpliciter enim naturalitatem corporis in communi prout communis est ad naturalitatem horum, & illorum corporum, sicut enim non tantum corpus in communi Philosophus considerat, verum etiam corpora in speciali secundum proprias rationes specificas, & non solum naturalitas in communi, verum etiam naturalitates specificas sub illa communi contentas, quae sunt rationes specificae corporum in speciali, sunt rationes formales pertinentes ad obiectum formale Philosophiae, ergo sicut naturalitates simplicium corporum sumuntur, ut violento advertantur, ex 1. de celo cit. ita naturalitas in communi sub tali consideratione sumitur a Philosopho. Tum quia sequeretur, dum aqua calefit, calefactionem illam naturalem esse, & cum terra sursum movetur, naturaliter moveri, quod est contra communem Philosophorum sensum.

19 Resp. aquam sumi posse dupliciter, vel ut corpus naturale in communi, & hoc modo est illi naturalis calefactio, sicut naturale est corpori in communi, ut sic; secundo ut tale corpus naturale, quomodo opponitur illi calefactio, & violento

ter convenit. Sed ista responsio multipliciter deficit; Tum quia quod convenit superiori, convenit inferiori per regulam antepredicamentalem, ergo si corpori in communi convenit habere inclinationem ad omne accidens, quodlibet corpus in particulari talem habebit proprietatem, & aptitudinem. Tum praeterea quia motus non solum in particulari dividitur in naturalem, & violentum, verum etiam motus in communi, sicut enim ab hoc, & illo motu naturali in particulari abstrahitur, ratio motus naturalis in communi competens immediate corpori naturali in communi, ita ab hoc, & illo motu violento in particulari ratio violenti motus in communi abstrahi debet, qui motus nequit convenire corpori naturali in communi, ut naturale est, quia sicut natura in particulari est principium solum naturalis motus in particulari, & non oppositi motus, ut ipse concedit de calefactione respectu aquae, ita natura in communi erit principium naturalis motus in communi, & non oppositi motus, scilicet violenti, ergo corpus naturale in communi, ut sic, non respicit quemcumque motum, sed tantum naturalem. Tandem corpora naturalia respectu formarum artificialium habent meram capacitatem, & sunt in potentia neutra, ergo motus ad illas formas dicerentur mere naturales, quod est falsum, aliter compositum artificiale ens naturale proprie diceretur. An vero iste motus necessario debeat esse corporeus, & sensibilis, pendet ex decisione illius dubii, an anima rationalis, ut sic, dicatur natura, de quo in qu. seq.

Sed contra objicitur 1. vel natura est principium motus secundum actum, vel secundum aptitudinem, seu mobilitatem; non primum, quia quando lapis sursum movetur, vel detinetur, neque movetur, neque quiescit naturaliter, quare neque naturam habebit quod est falsum; Probatur ista sequela, quia remoto principio, quod est motus, remouetur principium per naturam relatiuorum; neque secundum, quia relatio principii ad mobilitatem terminata esset prior ipsa mobilitate, & sic mobilitas non esset prima passio physica.

20 Resp. sumi pro principio motus in actu, non dicitur; ergo lapis sursum non haberet naturam, dicimus, non habere ipsam pro formali, quia vere non fundat relationem principii actualis, haberet tamen pro fundamento, quod sufficit; non sumitur autem pro mobilitate, quia haec non sit passio semper inhaerens, potius se habebit, ut forma in esse quieto respectu corporis, a cuius quidditate dimanat, quam sub nomine motus comprehendatur, unde potius emanatio talis passionis potest reduci sub ista particula; nec sequitur, quod haec prima passio physica, quia nec est vera relatio, cum non inter realiter distincta, nec est prior ipsa mobilitate; relatio enim quaecumque sit, semper sequitur extrema; specialiter tamen debet intelligi nomine motus naturalis illa resultantia qualitatium, statim naturas rerum consequentium, quae resultantia, licet non sit motus, quia subiectum, sub privatione non praexistit, tamen vere secundum principia intrinseca rei exercetur.

Secundo objicitur, quod natura sit omnis motus principium. Idem est ens naturale, ac ens mobile, statim enim, quod ens compositum intelligitur ex materia, & forma, concipitur etiam ut capax motus, sed ens mobile dicitur ens capax cujuscumque motus, sive naturalis, sive violenti, sicut enim ens naturale in communi abstrahit a ratione particularium entium, ita motus conveniens enti naturali in communi abstrahere debet a rationibus particularibus motuum. Tum 2. quia motus v. g. lapidis sursum est sensibilis, & extensus, ergo pertinet ad ens naturale, non potest autem pertinere ad ipsum, nisi quatenus actus potentia talis entis, ergo ens naturale vere respicit motum illum. Tum 3. quia lapis, ut sursum movetur, differt a mathematicis, & artefactis, ergo ut sic natura est receptiva illius motus, quia id, per quod ens naturale ab artificialibus, & mathematicis differt, est natura. Tum 4. quia natura est principium omnium passionum in secundo modo convenientium enti naturali, sed mera capacitas cujuscumque accidentis, quae in corpore naturali reperitur, est passio consequens ipsum corpus, & in secundo modo convenientis, ergo natura, ut natura, est principium illius capacitatis, ergo etiam erit principium actuum, quibus talis capacitas actuatur, tales sunt motus violenti, vel neutri; ultima consequentia probatur inductione, quia actus cujuscumque passionis, & potentialitatis naturaliter convenire dicitur rei talem passionem habenti. Tandem vivens proprie nutritur, & ex vi intrinseca, ergo natura erit principium etiam secundum Arist. substantialis motus, nutritio enim est quaedam aggregatio ex Scot. 4. dist. 4. qu. 1.

21 Resp. ad 1. aliud est loqui de mobilitate, quae est passio in secundo modo, & aliud est loqui de motu, qui est accidens per accidens; verum est, ens naturale convenit cum ente mobili, quatenus dicitur capacitatem cujuscumque motus, quia a natura lapidis provenit, lapidem sursum repugnanter posse moveri, ut diximus disp. 3. q. 2. n. 21. at non provenit a natura motus, quo talis potentia actuatur, neque motus convenientis enti naturali in communi est abstractus ab omni motu in particulari, sed solum ab hoc, & illo motu naturali. Ad 2. motum lapidis sursum pertinere ad ens naturale, non ut naturale reduplicative, sed specificative, id est quatenus dicit aptitudinem, & inclinationem, sed quatenus dicit meram capacitatem, & respectu talis potentiae dicitur actus, sed hoc non sufficit, ut dicatur naturalis ex dictis, sed requiritur, ut sit actus potentiae cum aptitudine, & inclinatione. Ad 3. per

per motum illum differt ab artificialibus, & mathematicis rebus, non ut per aliquod per se, & intrinsecum, sed ut per aliquod extrinsecum, & per accidens, qui motus ad Philosophum etiam pertinet, quia oppositorum est eadem disciplina, tale autem extrinsecum non est natura, quia requiritur, ut sit aliquid per se convenientis. Cui accedit, quod natura hic definita, non solum sumitur, ut ab artefactis distinguitur, verum etiam ut a violento. Ad 4. patet ex dictis disp. 3. n. 21. quod natura est principium quatenus natura illius capacitatis, non tamen motus actuans illam capacitatem: ratio est, quia capacitas illa non est potentia per se intenta a natura, ut actuatur. Imo potius natura tribuit capacitatem motus violenti, ut ipsum respuat, cum praebet violentiam, vel parum curet, si est motus neuter; hinc dicuntur potentiae concomitantes naturam, at potentia naturalis datur a natura, ut realiter actuatur, & per se intendit motum illum, ideo dicitur principium per se primum istius motus, non vero per se primum motus violenti, vel indifferentis. Ad ultimum dicimus, nutritionem, & aggregationem substantialem dicere introductionem novae formae substantialis in materia alimenti virtute potentiae nutritivae, quomodo vivens dicitur agens non immanens, sed transiens, agit enim in alimentum, & subiectum istius mutationis substantialis, non est vivens, sed alimenti materia, ideo non potest dici natura; solum vivens potest dici aliquid mutari, quatenus sit illi additio novae partis generatae, sed haec non est substantialis mutatio.

Tertia Natura ex dictis art. praec. dicitur principium activum, sed hoc proprie dicitur actionis principium, non motus, ergo rectius diceretur naturam non solum motus principium, verum etiam actionis. Ob hoc aliqui, & recte distinguunt de motu, quod dupliciter potest sumi; vel formaliter, & sic dicitur novam acquisitionem alicujus formae, vel materialiter, quo modo significat formam fluentem, & in actuali acquisitione, quae forma fluens non solum dicitur motus materialiter, verum etiam actio, & passio secundum Philos. 3. Physic. a tex. 16. & seq. motus in definitione naturae non accipitur formaliter, sed materialiter, quomodo principium tam activum, quam passivum respicit, & sic cessat omnis difficultas.

22 Tertia particula est *ly quietis*, quae potest sumi vel formaliter, & privative, scilicet pro carentia, & privatione motus, vel materialiter, & positive pro forma in esse quieto, & hoc dupliciter, vel prout est in termino a quo, & sic opponitur motui determinate naturali, nam est quies violenta toti composito, a motu destruitur, & per motum amittitur, vel prout est in termino ad quem, & haec non opponitur motui, imo per se ipsum acquiritur, & hinc motus subordinatur; in praesenti quies non sumitur privative, quia non videtur ponendum principium aliquid per se ordinatum ad aliquam negationem, sed positive, non quidem in termino a quo, sed in termino ad quem, & hoc, quia subordinatum idem est principium, & sicut de motu dicebamus, quod potest sumi, vel pro motu in communi, vel pro motu in speciali, & accidentaliter, vel pro emanatione, & resultantia passionum, & qualitatum naturaliter consequentium res ipsas, sic de quiete, quae terminus est acquisitus per motum, erit dicendum, quod sumi potest, & pro termino emanationis, vel accidentalis tantum, & pro termino emanationis, sive hic sit passio, sive qualitas connaturalis, natura enim maxime pro quietate, ut principium est affectionum, accipi solet. Ex quo patet responsio ad illam, quae confici solet, quod idem non possit esse contrarium causa, ut sunt motus, & quies; Etenim quicquid sit de illa propositione, de qua infra, quies, cujus principium est natura, non est opposita motui, sed potius terminus ad quem ipsius, ut docet Philosoph. 5. Phys.

In speciali tamen dubitari solet de particula illa conjunctiva, & non videtur enim natura, quod sit principium utriusque in omnibus, ut patet in Caelo, ubi semper est motus, & in terra, ubi est quies; unde aliqui dixerunt, hic naturam mortalium definiti sed falso, ut infra. Alii dixerunt, fundendam esse disjunctivam, pro vel, sed non recte, quia ponunt definitionem aliquam significare oppositum proprii significati, quod est a Philosopho vitandum maxime in definitionibus. Quare dicimus, conjunctivam sumi debere, ita ut utriusque natura sit principium, quomodo autem verificetur de Caelo, & Terra, dicemus in seq. quaest.

23 Additur quarto *ly in quo est* ad significandum, quod natura est principium motus ejus, in quo est non solum ipsa natura, sed etiam motus ipse, quia natura est principium motus immanentis, non transeuntis secundum physicam considerationem, ut in principio praec. art. diximus.

Dicitur quoque primo, quod multipliciter potest exponi, vel ut ab instrumentali principio distinguitur, & principale significat, quo modo tam activo immanenti, quam passivo convenit, vel pro ut secundario principio opponitur, quo sensu activum non erit natura, quia licet sit principium non instrumentale, sed principale, tamen est secundarium. Alii exponunt pro principio immediato, & proximo; sed patitur difficultatem, eo quia substantia media quantitate recipit qualitates, estque subiectum mediatum, & consequenter nulla alteratio naturalis foret, & secundum naturam.

Tandem subiungitur *per se, non per accidens*, ut denotetur, naturam intrinsece, & essentialiter convenire rei naturali, vel quod res naturalis moveri dicatur per se, & quatenus ipsa, Mastrii, & Bellari Tom. II. Physicæ.

ut cum grave, quatenus grave, deorsum descendit, non per accidens aliquid conjunctum, ut grave per accidens descendit, quatenus album, vel nigrum.

Ex dictis in istis articulis patet, quod haec definitio sit recte assignata, etenim constat ex genere, scilicet principium, & causa, & ex differentia, ut sunt ceterae particulae, ut denotetur, non quodlibet principium esse naturam. Tum quia natura hic definita est ratio formalis subiecti Philosophiae, haec autem est principium omnium passionum de corpore demonstrabilium, quod recte explicatur per istam definitionem, ut patet ex dictis.

Sed contra istam definitionem arguitur. Tum quia natura ut sic nequit defini, quod enim habet definitionem, debet habere naturam, & essentiam per illam definitionem explicabilem, sed natura non est habens naturam, & essentiam, sed est ipsa essentia, aliter daretur processus in infinitum, ergo nequit habere definitionem. Tum quia haec definitio continet multa superflua, ly enim principium includitur in causa, & ly non secundum accidens in ly per se. Tum quia competit aliis, nam artificialia habent principium motus internum, & tamen non habent naturam, ut patet in horologiis, & ars saltandi est principium motus ejus, in quo est, & tamen non est natura. Tum quia non convenit omnibus naturis; Caelum enim, & Terra non habent principium motus, & quietis, materia, & forma non sunt principium primum, & immediatum, sed tertia entitas constituta ex his, quolibet forma etiam accidentalis potest dici habere naturam, quia habet principium internum passionum.

24 Resp. ad 1. neg. assumptum, cum probatur, distinguimus de natura, vel enim sumitur, ut est terminus ultima abstractione abstractus, & sic dicitur rationem formalem naturae, quae est esse principium motus, & quietis, & in hoc sensu nequit defini, quia definitio est concretorum, quae pro modo habentium concipiuntur; talia vero abstracta, cum neque pro subiectis, neque pro fundamentis, neque pro inferioribus supponant, non habent rationem concreti, sed potius sunt ipsa essentia, solum possunt habere quosdam conceptus explicantes distincte, & explicite istas quidditates; vel sumitur ut quoddam concretum concernens hanc, vel illam naturam, tamquam inferiora convenientia in hoc communi conceptu naturae, & hoc modo definibilis est, quia natura ut sic dicitur communem conceptum omnibus naturis; exemplum est de homine, & humanitate, humanitas enim non definitur, cum sit abstractum, sed homo, neque per terminos ultimae abstractionis definitur, scilicet per animalitatem, & rationalitatem, sed per terminos concretos, videlicet, quod sit animal rationale, sic natura dicitur principium, non principiatio; neque sequitur processus in infinitum, quia natura ultimata abstracta non concipitur ut habens naturam, sed ut ipsa ratio naturae. Ad 2. dicimus, ly principium non esse superfluum quia ponitur, ut declaret, quomodo natura sit causa, nam causa communiter in ordine ad compositum sumitur, quod proprie causari dicitur, at natura ut sic respicit operationes, quarum est principium; ly non secundum accidens ponitur ad majorem declarationem, quod sufficit. Ad 3. artificialia ut sic non habent per se principium internum, & primario, sed ratione alicujus entis naturalis, quod includunt in se, praecipue, quia artificia non est unum per se, nec per se ut tale movetur, neque motus horologii naturalis est; Ars vero non est principium motus, sed modificationis motus, neque per se inest in artifice, ut dicemus qu. 4. Quartum petit solutionem sequentis quaestiones.

QUESTIO II.

Quibus rebus, & quomodo conveniat definitio naturae.

25 **U**T quae fere ab omnibus conceduntur, ab incertis, & dubiis separemus, primo certum est, privationem nec per se esse naturam, neque analogice, ut ait Ruvius 2. Phys. cap. 1. qu. 2. & contentit Fuentes qu. 1. dist. 2. art. 6. quatenus scilicet per similitudinem dicitur forma; ratio est, quia nec per se primo competit alicui, sed per accidens, nec est ejus, in quo est, quia cum est motus, & generatio, privatio recedit, nec est causa quietis, seu formae acquisitae, cum illi potius opponatur, neque est causa, quia haec est entitas positive influens in effectum, nec tandem principium dici potest, ut sumitur in definitione naturae, quia hic stat pro principio in facto esse, at privatio est solum principium in fieri, cum ergo haec definitio neque secundum saltem unam particulam privationi conveniat, non solum simpliciter non est diceida natura, sed neque analogice. Nec refert, quod Arist. 2. Phys. 15. dicit, privationem esse naturam, quia est quodammodo forma; etenim, ut notat Averfa qu. 9. sect. 6. dicitur quodammodo forma, & natura, non quidem necessario natura, prout hic est definita, sed alio modo, puta prout natura cum ratione formali convertitur, quomodo non entis etiam competit, ut diximus in principio hujus disp. aliae rationes pro Adversariis ex probatione conclusionis evanescent.

Secundo certum est, quod quamvis definitio haec naturae possit quidditatis accidentis convenire vere, & proprie, non quidem respectu subiecti, cui inest, nam sic non est principium primum per se, & non secundum accidens, sed respectu ipsius accidentis ab essentia propria constituti, eo quia vere quidditas accidentis est

principium, & causa motus, & quietis primo, & per se, saltem respectu propriarum passionum, & actuum illis correspondentium, attamen si Arist. intentio perpendatur, nullo modo accidentalibus formis poterit convenire, sed solum substantiis, quod potest colligi ex variis dictis Philosophi, nam post definitionem assignatam, subiungit tex. 14. definiens, quoniam habere naturam jam definitam dicantur hac omnia esse substantias, & tr. 5. ait, accidentia, & passiones non esse naturas, aut habentia naturam, sed secundum naturam, id est ratione naturae convenientia rebus naturalibus. Tum quia hic naturalitas definitur, ut est ratio formalis objecti physici, talis autem non potest esse forma aliqua accidentalis. Hinc non recte Pater Faber Theor. 33. ait, naturam esse formaliter inclinationem ad motum, quae re vera aliud non erit, nisi mobilitas: etenim naturalitas, & mobilitas, etiam secundum ipsum Theor. 20. cap. 3. differunt, quod illa est ratio formalis, per quam de subiecto demonstratur passio, quae est mobilitas, neque talis passio primo convenit rei naturali, sed per aliud, scilicet per quidditatem, a qua fluit, non est autem secundum ipsum Theor. 20. est, aliquid in re naturali, quod naturam praecedat.

Si dicas, dantur aliqua accidentia, quae per se agunt in subiectis, quibus insunt, ut gravitas, & levitas in sublunariis, ergo erunt natura, nam per hoc, quod ars in medico aegroti per se non inest, Arist. a ratione naturae ipsam excludit. Resp. est esse principium per se motus, non tamen primo, nec per se convenit corporibus, & ars medicinae non solum ex illo, verum etiam excluditur a ratione naturae ex alio cap. putat quia non primo, nec principaliter est principium sanationis, sed solum directive, ut dicemus qu. seq.

26 Tertio, etiam est clarum, Angelos in Philosophi sententia non habere naturam hic definitam, quia ipsos posuit penitus immobiles, & immutabiles, ut notat Scot. 2. d. 3. qu. 7. C. ac secundum veritatem non est dubium, quin natura ipsi conveniat, vere enim proprias habent affectiones a principis intrinsicis fluentes, & de novo accidentia acquirunt sibi ipsi connaturalia, ut sunt intellectiones, volitiones, & motus locales, quamvis enim aliqui etiam ex Scottis hunc motum neutrum appellarint, attamen idem iudicium faciendum est de hoc motu, ac de motu Caeli, & animalium, quoad naturalitatem, si enim in istis determinatio non tollit naturalitatem ut dicemus, nec etiam in Angelis. Idem de Caelo empireo dicendum, cum enim propriam habeat quidditatem, habebit etiam proprias affectiones, nec ipsi motus repugnabit, quamvis semper quiescat.

Solum ergo remanet dubitandum in rebus materialibus, substantialibus, & sensibilibus, & primo de forma totius, & quidditate, sive sit simplex, ut in Caelo in sententia Philosophi secundum Scot. d. 14. qu. 1. sive composita, ut in aliis corporibus, secundo de materia prima, tertio de forma partis.

De forma totius aliqui negant, ut Amic. tract. 8. qu. 12. Fab. Theor. 33. cap. 4. Compl. disp. 7. Phys. qu. 6. Averfa vero qu. 9. sect. 6. alios citans convenit cum praedictis, quod de mente Arist. definitio haec essentiae constituitur non comparatur, quamvis secundum se spectata possit cuilibet quidditati adaptari. At ex opposito Fonseca 5. Met. cap. 4. qu. 1. sect. 3. & Fuentes 2. Phys. qu. 1. art. 8. affirmant, formam totius sub definitione naturae ab Arist. hic assignata comprehendit, sed potest adhuc dubitari, nam omni forma totius, & omni quidditati conveniat, nam multi negant, quidditatem materiae esse naturam respectu ipsius materiae, sed potius materiam ipsam esse naturam compositi, & non esse habentem naturam, quod etiam de forma dicunt. Alii negant, quidditatem caelestis corporis esse naturam, aut saltem non proprie dici definiti naturam caelestem, sed proportionem quadam, & hoc vel quia ex materia, & forma non constat, sed essentia quadam simplex est, hic autem natura definitur, quae in materiam, & formam aequae dividitur, vel quia in eo quies non reperitur, sed tantum motus, vel tandem quia motum Caeli neutrum esse putarunt, non naturalem, quibus aliqui assentit P. Fab. Theor. 63. citans pro se Scotum, dum ait, Caeli motum dici naturalem ratione principii, sed ratione termini non esse naturalem, sed neutrum.

27 Materiam vero non esse naturam affirmarunt quicumque naturam de passivo principio dici negarunt cit. quaest. praec. art. 1. at Zabara lib. de natura cap. 6. & 7. concedit, materiam esse naturam, sed per quandam analogiam ad formam, & propter formam, quatenus a forma determinatur ad hunc, vel illum motum, secundum se vero non esse naturam, propter universalem, & indifferentem potentiam, quam habet ad omnes motus, cui favet P. Faber Theor. 33. cap. 4. negans, materiam secundum potentiam universalem esse naturam. Sed Conimb. 2. Phys. c. 1. qu. 1. art. 2. ajunt, materiam dici naturam, non univoce cum forma, sed analogice analogia proportionis, quatenus non eandem rationem principii communem habent ad motum, sed sicut se habet materia ad motum, cuius ipsa est principium, & causa ejus, in quo est, sic forma se habet ad motum, cuius ipsa est principium: ita etiam sustinent Perier. lib. 7. cap. 17. Masius cap. 1. qu. ult. & Vall. conc. 11.

Tandem de forma partis dubitari potest, an terrestri formae conveniat ratio naturae, eo quia secundum totum nunquam terra movetur, sed speciatim. Simpl. 2. Phys. comm. 2. & 16. & in prog. lib. de Anim. Avic. lib. 1. fuffic. 5. Alb. 2.

Phys. tract. 1. cap. 2. excludunt a definitione naturae omnem animam; Alii vero solum animam rationalem, ita debet dicere Averr. dum asserit, animam rationalem formam assistentem esse, non informantem; Alii concedunt esse naturam secundum gradum sensitivum, & vegetativum, negant vero, quatenus gradum intellectualitatis includit, ita tenentur sentire, qui sustinent, animam rationalem secundum talem gradum reduplicative formam informantem non esse, ita Pater Vulpes 2. part. disp. 46. art. ult., & citari solent Cajet. 1. part. qu. 76. art. 3. ad 1. Ferrar. 2. contra gentes cap. 58. §. Ad primum horum dicitur &c. Suesl. 2. Met. com. 17. nam si ut sic reduplicative forma, informans non est, ita nequit etiam dici principium motus ejus, in quo est primo, & per se. Alii tandem admittunt, secundum talem gradum esse naturam, sed limitant quoad actus intellectuales a corpore, & phantasmate dependentes, non tamen quoad operationes a corpore independentes, ita videtur sentire Amicus tract. 8. qu. 8. dubio secundo.

ARTICULUS I.

Ostenditur, quomodo definitio naturae quidditatis, & formae totius conveniat etiam secundum Aristotelem.

28 Dicimus, definitionem naturae assignatam omni quidditati secundum se convenire, sive materia sit, sive forma, aut corporis naturalis, tam simplicis, quam compositi, at secundum Philosophi mentem solum competere quidditati cuiuscumque corporis naturalis. Concl. quoad omnes partes colligitur ex Scoto, nam quod materiae quidditas dicatur natura respectu ipsius materiae, patet ex locis cit. disp. 2. qu. 4. art. 1. ostendendo de mente Doctoris; ipsam esse in potentia naturali ad omnes formas, etiam secundum gradus específicos, quod consequenter erit dicendum de formae quidditate, sicut enim materia aptitudinem habet ad recipiendam formam, & hac ratione essentia materiae dicitur natura, eo quia principium est illius passionis, ita quia forma aptitudinem habet ad perficiendam materiam, & ob id ratio actus est ipsius passio, quidditas formae natura dici debet, cum sit principium illius passionis; idem docet Scot. in 2. d. 18. qu. un. C. & clarius in 3. d. 2. qu. 2. C. & seq. de forma totius, quam realiter distinctam ponit a partibus, dicens, quod propria passio, vel operatio, aut accedens proprium illius speciei, primo quidditati totius convenit, ipsamque naturam appellat infra E. idem ait Bassol. 2. d. 12. qu. 2. art. 2. Et potest universaliter probari prima pars hac ratione, quia vere de qualibet quidditate enunciat definitio naturae, est enim principium, & causa motus, sive activum, sive passivum, & emanationis propriae affectionis, quae passio sub nomine quietis comprehenditur, est etiam primum ejus, in quo est per se, & non secundum accedens; imo essentia cuiuslibet rei natura ipsius vocari consuevit, ut de formis accidentalibus dicebamus.

29 Secundo quod de mente Arist. non conveniat essentiae materiae, aut formae, patet ex dictis in praemiali quaest. de subiecto, totius Philosophiae, cum enim intentum Arist. sit agere de corpore naturali, ipsiusque principia investigare, quale est natura, sequitur, de illa natura hic Philosophum agere, quae est constitutiva huius corporis, & principium suarum passionum, ita habens talem naturam, sub corpore, tamquam sub proprio genere directe, & ut per se consideratur, contineatur, essentiae autem materiae, & formae immediate materiam respiciunt, & formam, quatum sunt constitutivae, non corpus naturale, reducuntur tamquam species sub genere; hinc Arist. materiam, & formam naturas corporis naturalis, quod constituitur, appellavit, ut dicemus sequenti articulo, non vero habentia naturam.

Tertio quod essentia cuiuslibet naturalis corporis secundum Arist. dicatur natura, patet ex dictis disp. praec. qu. 1. de illa enim natura hic sermonem instituit, quae est principium constitutum corporis naturalis in communi, sicut in 1. Phys. egit de principis in fieri eiusdem corporis, ergo haec natura debet sub se comprehendere quidditatem cuiuscumque corporis sub subiecto aequato Philosophiae contenti. Sed specialiter probatur de terra, & de caelesti corpore, de quibus est difficultas. Terra enim intantum videtur non habere naturam, quia secundum totum non movetur, sed hoc parum refert, quia non necessario naturam habens, debet omni specie motus actualiter moveri, sed sufficit, ut ad aliquas habeat aptitudinem, & inclinationem, ad aliquas vero etiam actum, sic terra secundum se totam, etiam localiter non movetur, aleratur tamen, cum in sententia multorum aqua ita sit cum terra commixta, ut unum globum conficere dicantur, & sic mutuo alterantur, habet quoque aptitudinem ad localem motum, si e centro evelleretur; neque haec aptitudo frustra dicitur ex hoc, quod ad actum non reducitur, quia tunc aliqua potentia otiosa, & frustra erit, quando perpetuo proprio fine privatur, finis autem huius aptitudinis ultimus non est localis motus, sed terminus per talem motum acquisibilis, quod est ubi deorsum, quo loco nunquam privatur secundum se totam, idcirco ut sic semper proprio fine gaudet. Accedit, quod etiam secundum se totam actualiter moveri dicendum est, si vera esset sententia illorum, quod centrum magnitudinis, & gravitatis terrae sit idem punctum, de quo suo loco in libris de Caelo.

30 De caelesti corpore etiam idem ostenditur, quia vere Caelum inter corpora naturalia ab Arist. connumeratur, sic 1. Caeli tex. 5. 3. Caeli tex. 1. 8. Met. 12. & 1. de Part. Anim. cap. 5. ergo quidditas caelestis vere erit natura. Tum quia omnes particulae definitionis illi conveniunt, est enim haec quidditas principium, & causa 1. per se, & non secundum accidens motus alterationis, quia Caeli illuminatur, astra saltem aliqua eclipsantur, habent proprias passiones, & alia accidentia connaturalia, & consequenter natura in ipsis erit principium quietis, sub quo nomine aptitudines comprehenduntur, ut diximus quaest. praec. In ordine quoque ad motum localem adhuc dicitur natura, quia motus ille naturalis est; nam secundum Scot. 1. d. 1. qu. 1. in fine, omnis potentia receptiva alicuius formae perfectissimae ipsam, est naturalis, motus autem Caeli ex 4. d. 18. qu. 2. N. est perfectio ipsius, & in 2. d. 2. qu. 6. O. concedit Doctor, Caelum moveri, quomodo Angelus movetur quoad naturalitatem, Angelus vero ex eodem qu. 9. B. ad ubi movetur, tamquam ad propriam perfectionem. Tum quia ex 1. Caeli a tex. 6. habetur usque ad 16. Caelum circulariter moveri secundum naturam, & ex isto motu deducit Caelum alterius esse naturam ab elementis, quod non recte inferretur, si motus ille naturalis non esset. Accedit ratio, quam tangit Doctor in 4. d. 48. cit. quod licet motus localis non sit in Caelo propter aliquam perfectionem intrinsecam completivam sui per motum acquisibilem, est tamen in ipso propter maximam totius universi perfectionem a natura intentam, quae est conservatio horum inferiorum, ad quam requiritur ordinatus Caelorum influxus, qui nequit sine motu fieri, ideoque motus erit perfectio secundum quid ipsi Caelo, quatenus scilicet bonum totius est etiam bonum partis, & per ordinatum motum communicat esse effective inferioribus, ad quam communicationem habet naturalem aptitudinem; hinc videmus in Caelo esse habitatem quandam ad istum motum circularem, quae est sphaerica figura, nam haec licet non sufficiat ad naturalitatem rigorosam, quae est ad unum determinata, sufficit tamen ad naturalitatem large sumptam, & indeterminatam, ut mox dicemus.

31 Insuper est inclinatum naturaliter, quantum est ex se, ad quietem localem, etiam secundum Arist. nam ut notat Doct. in 2. d. 1. qu. 5. N. & in 4. d. 49. qu. 6. A. perpetuas, quam posuit Phil. in motu caelesti, non provenit ex natura intrinseca ipsius Caeli, sed a causa extrinseca, scilicet ab Intelligentia necessario determinata secundum ipsum ad agendum, ita colligitur ex 2. Caeli 2. & seq. & 9. Met. 17. quibus in locis asserit, Intelligentias perpetuo Celos movere, quia non fatigantur, eo quia in ipsis Intelligentiis non est potentia contradictionis, seu materia, quamvis haec ratio non concludat, ut observat Doct. in 4. d. 48. qu. 2. O. nam cessato a motu non provenit praecise a fatigatione, sed ex hoc quoque, quod movens voluntarie moveat. Accedit ratio, quod in Caelo datur materia secundum locum mobilis, sed materia est semper in potentia contradictionis ex 9. Met. 17. quare ibi concludit Arist. Nihil igitur simpliciter incorruptibilem simpliciter potentia est; secundum aliquod autem nihil prohibet, ut quale, aut ubi; cum ergo Caelum sit in potentia contradictionis ad Ubi, iam indifferens erit ad motum, & quietem. Et licet haec potentia ad quietem secundum Arist. nunquam reducitur ad actum, nihil refert, quia erit propter bonum universi, & ideo frustra non dicitur. Quod autem non solum capacitatem, verum etiam aptitudinem habeat naturalem ad istam quietem, probat Doctor in dist. 48. cit. nam quies pro substracto dicitur identitatem, & uniformitatem essentiae, quod simpliciter perfectus est, quam sit illud positum in motu, scilicet aliter, & aliter se habere. Ex quibus omnibus deducas, Caelum esse in potentia naturali indeterminata ad motum, & quietem localem, non in potentia determinata, propter quam indeterminatorem Scot. in 2. d. 2. qu. 6. O. & in 4. d. 48. quaest. 2. E. & O. motum Caeli neutrum appellavit, non naturalem, quibus in locis naturalitatem sumpsit rigorose, ut dicit potentiam ad unum determinatum, & neutralitatem, prout huic potentiae naturali opponitur, non vero in rigore, ut contradistinguitur a potentia naturali, tam determinata, quam indeterminata. Quapropter concludendum est, Caelum esse vere corpus naturale, eiusque quidditatem esse naturam proprie, prout est in 2. Phys. definita, cum sit principium primum, & per se motus, & quieris etiam in ordine ad locum, haec omnia clarius patebunt ex sequenti quaestione.

32 Sed contra obijcitur 1. cum Averfa, Amico, & aliis, probando, quidditatem saltem secundum Arist. non esse naturam; quia 2. Phys. 1. & 12. & 5. Met. 5. clarissime habetur, composita non esse naturam, sed a natura. Tum 2. quia natura est principium primum motus, quidditas vero non est primum principium, sed ex primis constans, scilicet ex materia, & forma. Tum 3. quia natura est principium, quod dat inclinationem ad motum, quidditas autem non dat inclinationem, sed habet inclinationem a materia, & forma. Tum 4. si quidditas esset natura formaliter, forma vero constitutiva, esset magis propria natura, quam forma, ergo natura dicta de forma, & omnes alii modi ad quidditatem reducerentur contra Arist. 5. Met. 5. reducuntur omnes modos ad formam, nullam mentionem faciendo de quidditate.

Resp. Arist. illis in locis non loqui de quidditate, sed de compositis constitutis ex tali quidditate, quae nullo modo possunt dici natura, sed habentia naturam, cum sint omnino concreta, & principia Quae operantur, non principia quibus, ut sunt *Majvii, & Bellui Tom. II. Physice.*

quidditas, materia, & forma per Scot. 4. dist. 12. qu. 3. Bb. nec inconvenit, idem esse simul naturam, & habens naturam respectu diverforum, sic materia est habens naturam ut respicit propriam essentiam, qua constituitur in esse; est natura, ut respicit compositum, quod constituit; sic quidditas compositi materialis est natura respectu compositi, quod simpliciter dicitur tantum habens naturam, quia est ultimo constitutum, non aliud ulterius constituens, ac respectu materiae, & formae, quas includit, potest dici habens naturam. Dices, non solum compositum in concreto, verbi gratia homo, sed etiam forma totius, seu natura ejus in abstracto, verbi gratia, humanitas composita est ex partibus non minus, quam ipse homo; ergo si verum est, quod ait Arist. cit. quod est ex his, naturam non esse, sed a natura; secundum ejus mentem nec homo, nec humanitas erit natura. Resp. negando sequelam, quamvis enim etiam, & ipsa humanitas consistit ex partibus, sicut homo, adhuc tamen differunt, quia humanitas licet sit physice constituta, sicut homo, tamen metaphysice dici potest constitutiva per modum formae totius, ut Doct. declarat 3. dist. 2. qu. 2. §. quantum ad tertium, ubi docet, quod natura constituta, verbi gratia humanitas potest dici forma respectu totius compositi, non quidem forma informans, sed forma quacompositum est ens quidditative, homo vero tam physice, quam metaphysice semper habet rationem constituti, & ideo nullo modo potest dici natura, sed semper habens naturam. Quod etiam confirmatur ex doctrina Scoti qu. 16. Universalium, ubi docet concretum significare per modum habentis, & abstractum vero per modum habiti; & ideo homo erit habens naturam, non natura: humanitas autem erit integra natura habita ab homine, non autem habens naturam de rigore sermonis; Arist. autem cit. jam explicatus est, quod non loquitur de quidditate, quae habet rationem Quo, sed de constituto ex quidditate habente rationem Quod, ut constat ex ipsis ejus verbis, Quod autem ex his; Ad 2. si ly primum accipitur pro principali principio condistincto ab instrumentali, tam quidditas, quam materia, & forma erunt principia prima; si vero sumitur pro immediato, & proximo, tantum quidditati conveniet, si pro omnino independenti, quidditati non competet; praestat autem in prima significatione lumere; nam si in secunda, materia, & forma non essent natura, esset contra Philosophum, si in tertia, principium activum excluderetur, contra eundem, ut diximus qu. 1. art. 1. Ad 3. quidditas dat inclinationem composito, quod constituit, imo primario, & aequae. Ad 4. dicitur, per formam, & substantiam Philosophum intelligere tam formam partis quam formam totius, ut disp. praec. qu. 1. exponendo tex. 10. secundi Phys. confirmat, quae forma est terminus generationis, forma partis terminus formalis generationis in ratione mutationis, forma totius terminus formalis generationis in ratione productionis, & quamvis Scot. super tex. cit. Met. hoc impugnet, tamen arguit contra D. Thom. forsan sustinentem, intelligi debere tantum de forma totius.

33 Secundo arguitur in speciali, quod non conveniat quidditati Caelorum. Tum quia natura hic definita dividitur in materiam, & formam, in Caelo secundum Arist. non est materia; Tum 2. quia motus ejus esset naturalis, quod est falsum, quia motus naturalis sit, ut acquiratur perfectio mobilis, ac Caelum nullam perfectionem per motum acquirit. Accedit, quod motus naturalis non fit in loco naturali, quia cum res est in suo naturali loco, non movetur, sed quiescit, Caelum autem movetur in suo loco naturali; & etiam quia violenter quiesceret, vel violenter ab uno loco recederet: quare potius dicendus est neuter, quam naturalis, ut ait Scot. 2. dist. 2. qu. 6. O. & 4. dist. 48. qu. 2. E. & O. Tum 3. quia 8. Met. 9. habetur, Naturam solum perfectio quis ponet eam, quae in corruptibilibus est, substantiam; ubi colligitur, eam solum esse naturam, quae in corruptibilibus reperitur. Tum tandem quia natura hic definita est principium motus, & quietis, ubi ly & non debet sumi distinctively pro vel, aut partim conjunctive, & partim distinctively, nam tunc Philosophus esset valde reprehendendus ex hoc, quod minus proprie sit locutus, sed debet copulative accipi, in Caelo autem nulla est quies, nam per quietem intelligit Arist. cessationem a motu in termino ad quem, qualis esse nequit illa, videlicet quod secundum totum in proprio loco quiescat, vel per polos, quia haec non est finis motus; & totum Caelum orbiculariter primo movetur, ergo nequit secundum totum quiescere, neque erit illa aptitudo ad quiescendum, quia saltem in sententia Philof. sustinentis motum aeternum, esset frustra, ergo nullo modo quidditas Caeli potest sub hac definitione comprehendit.

34 Resp. facillime; Ad 1. patet ex dictis disp. praec. qu. 1. quomodo ibi natura dividatur in materiam, & formam, & quidditatem. Ad 2. concedimus, motum Caeli esse naturalem, non quidem determinate sed indeterminate, quo modo intelligendus est Doctor, ut diximus; cum improbat ex hoc, quod nulla perfectio acquiratur ipsi Caelo, jam diximus, esse propter universi perfectionem primario, secundario propter Caeli perfectionem, quia perfectio totius est etiam partis perfectio; tum quia inservit, ut communicetur inferioribus; cum dicitur, motum naturalem non fieri in proprio loco, verum est de motu recto, non de circulari, neque sequitur, Caelum violenter quiescere, vel violenter ab uno loco recedere, quia non habet naturalitatem determinatam, sed indeterminatam. Et quamvis totum argumentum concedamus, ad huc non sequitur aliquid contra nos, quia, & si motus localis

naturalis non esset, sufficerent alii motus, & passiones. Ad 3. dicimus, Philof. ibi solum recitative esse locutum, ex eo quod vulgariter natura pro forma mortalium quidditate solet accipi. Ad 4. patet ex dictis, quomodo in Cælo sit quies, quoniam scilicet adfunt passiones, alia forma accidentales per motus acquiritæ, & aptitudo illa ad quiescendum, quod sufficit, etiam si nunquam localiter quiesceret, nec erit otiosa, quia hoc fit propter bonum perfectius, scilicet Universi; tum quia in motu habet præsentiam localem, quæ est terminus illius motus, & sub nomine quietis, ut est terminus postet intelligi, quamvis non habeat annexam cessationem à motu, sed continuam successionem; de naturalitate cælestis motus vide disp. 2. de Cælo qu. 4. art. 2.

ARTICULUS II.

Ostenditur, definitionem naturæ, materiæ, & cuicumque formæ univoce analogice convenire.

35 DICIMUS, rationem naturæ, tam materiæ, quam formæ, cuicumque, etiam animam rationalem ut sic includendo convenire, & hoc univoce analogice; ita Scotus 2. d. 18. C. estque communis cum Arist. 2. Phys. 10. & 5. Met. cap. 5. dividente naturam in materiam, & formam; & Prob. primo de materia, & forma in communi; Tum quia vere, & essentialiter constituunt compositum naturale, quod non ex naturis nequit constitui, & eadem sunt principia constitutiva rei, & motus, ac quietis ejusdem rei; hæc enim sunt duo munera naturæ. Tum quia omnes particule definitionis utriusque conveniunt, neque est aliquid excludens materiam, aut formam. Tum quia materia est principium receptivum motus naturalis, aliter non esset potentia quanta, qualis, &c. quod est falsum, quia est omnia potentia; forma quoque non solum est ratio recipiendi in composito, sed ratio quoque agendi, & per ipsam compositum habet determinatam inclinationem, a cæteris differt, propriasque affectiones sibi vindicat.

Secundo, quod cuicumque formæ, etiam animæ rationali ut sic conveniat, ostenditur istis rationibus; Tum quia Philof. 2. Phys. 1. & 12. & animalia, & hominem inter res habentes naturam enumerat; & de anima in Philosophia locutus est, non solum vegetativa, & sensitiva, verum etiam rationali, dicens, esse id, quo vivimus, movemur, & intelligimus, & clare habetur a Scot. qu. 1. Prol. & 4. d. 49. qu. 8. p. & 10. quibus in locis concedit in homine potentiam naturalem ad beatitudinem recipiendam, quæ potentia ipsi homini convenit ratione animæ rationalis ut rationalis est. Tum quia ex eodem in 4. d. 43. qu. 2. art. 1. & quol. 9. Anima rationalis est, ut sic reduplicative forma informans hominis, quia vere homo naturaliter intelligit mediante anima; est unum per se constitutum ex corpore, & anima rationali ut sic reduplicative, & per gradum rationalitatis essentialiter a brutis distinguitur, ergo anima rationalis, ut reduplicative rationalis, erit forma informans hominis, & per consequens natura; prima consequentia patet, compositum, quod habet, & est, habet, & est à partibus, non ut divisus, sed ut unitus, dicitur enim unum, quia una pars se habet ut actus, altera ut potentia ex 7. Met. 60. & 8. Met. 15. ergo quia partes hominis sunt anima rationalis, ut sic reduplicative, & corpus, hæc duo ut sic debent se habere ut actus, & potentia, ita Scot. quol. cit. C. altera consequentia patet, quia omnis forma informans est physice constitutionis, & omnis talis est natura. Tum quia multæ passiones homini conveniunt secundum gradum intellectuum, ut triabilitas, flebilis, aptitudines ad loquendum, intelligendum, admirandum, ergo principium ipsarum, quæ est anima rationalis, ut rationalis reduplicative, erit vere natura.

36 Tertio quod univoce analogice materiæ, & formæ conveniat, probatur ex illo principio Scotico ad dignoscendum prædicatum univocum ab æquivoco, quando intellectus certus est de uno, & dubius de duobus, habet conceptum unum distinctum ab illis, aliter esset de eodem dubius, & certus, sed potest intellectus certificari, in re aliqua reperiri principium per se motus, quod est natura, dubitare vero, an istud sit materia, vel forma, nam aliqui solum formam posuerunt principium motus, aliqui, ut Antiqui, solum materiam, ergo hæc ratio principii verè materiæ, & formæ univoce convenit. Tum quia ratio causæ intrinsicæ univoce convenit ipsis, ergo & ratio naturæ. Attamen addit Aristot. 2. Phys. & 5. Met. cap. 5. formam magis, & perfectius naturam dici, quam dicitur materia, quia est perfectior, & principalior pars quidditatis, & ab ipsa primo, & principaliter modus dicitur naturalis, a materia vero secundum quid, & minus principaliter, ergo analogice convenit secundum prius, & posterius.

Sed contra objicitur 1. probando, materiam non esse naturam: Tum quia Arist. in fine primi Phys. proposuit de formis tantum mortalium se verba facturum, in 2. & 5. Met. tex. 5. ait, formam esse proprie naturam, cætera vero metaphoriçe, nam materia dicitur natura, quia est susceptiva formæ, idem habet 1. de Part. Anim. cap. 1. Tum 2. quia quod est in potentia ad naturam, non est natura, quod enim est in potentia animal, non est animal, sed materia est in potentia ad formam, quæ est natura, & est in potentia natura 2. Phys. 11. 12. ergo &c. Tum 3. quia quod demonstratur esse, non est natura, quia naturam esse, est indemonstrabile, ad materia demonstratur esse in 1. Phys. Tum 4. quia materia non est causa

activa motus, ut patet, neque passiva, quia motus recipitur in toto composito. Tum 5. quia nomen natura dicitur perfectiorem, quia significat essentialiter, quæ est omnium perfectissima in re, at materia est ens imperfectissimum. Tum 6. quia unius rei unica est natura, sed forma est natura, ergo non materia. Tandem natura est principium determinatum motus, materia est principium indeterminatum, ergo nequit esse natura; Major probatur ex Philofopho, quia exemplificans de motu naturali 2. Phys. 5. & 8. tex. 32. dat exemplum de motu elementorum, qui est determinatus; & adhuc quia aliter omnis motus naturalis diceretur, quia ad omnem motum est materia inclinata; huc spectant etiam rationes adductæ disp. 2. qu. 5. art. 1. contra naturalitatem potentie materiæ primæ.

37 Resp. ad 1. promississe agere de formis, sed non tantum de illis, ut patet ex progressu 2. Phys. de materia, & aliis causis extrinsecis agit: quod additur ex 5. Met. intelligitur, quod materia tunc actu habet rationem naturæ determinatæ, cum est sub forma, cui principaliter convenit esse naturam, & sic intelligendæ erunt similes autoritates. Vel ut ait Averfa, materia denominative dicitur natura, non quidem sumendo naturam absolute, ut dicitur rationem principii, sed prout de forma enunciatur, videlicet quatenus est terminus generationis, & principium dans esse specificum, & determinatum. Ratio est, quia subiectum semper a forma, quam recipit, denominatur, & sic materia dupliciter dicitur natura, uno modo, prout natura ipsi convenit univoce, quia est verum principium motus, alio modo, ut est subiectum naturæ dictæ de forma. Ad 2. majorem esse veram de illo, quod est in potentia ad omnem naturam, at materia est solum in potentia ad naturam, quæ est actus formalis, & determinatus; & hoc modo non est natura, nisi denominative, cum hoc tamen stat, quod sit natura in potentia subiectiva: & hæc quoque est vera ratio naturæ, sicut materia secundum hanc rationem est vere principium, & pars constitutiva compositi materialis. Ad 3. etiam naturam esse, a posteriori demonstrari. Vel dic, naturam esse secundum conceptum commune, non demonstrari, ad secundum conceptum specialem, quod scilicet huic, vel illi conveniat, posse demonstrari, modo materia est natura in secunda significatione. Ad 4. materia est causa passiva motus, quia dat composito hanc potentiam receptivam simul cum forma, unde dicitur principia originalia motus, non immediata juxta dicta in præc. art. num. 22. Ad 5. natura si sumatur, ut est principium constitutum rei adæquatam, vel actualem; & ut principium activum operationis, dicitur perfectiorem, at si accipitur, ut est principium passivum quomodo materiæ convenit, dicitur imperfectiorem. Ad 6. esse unica naturæ totalis, & adæquata, sed duplex partialis, & inadæquata. Ad ultimum negatur major ex dictis disp. 2. qu. 5. art. 1. cum probatur ex Philofopho, dicimus, exemplificasse de illis motibus, quia magis proprie naturales dicuntur, non tamen alios exclusit: cum dicitur omnem motum naturalem fore, concedimus ex parte materiæ, non vero ex parte formæ, in ordine ad quam naturalitas motus simpliciter debet attendi, cum ipsa principalis sit natura.

38 Secundo arguitur, ostendendo, animam non esse naturam; Tum quia diversa est animæ definitio a definitione naturæ, anima enim est actus corporis dissimilari, natura autem potius simplicis, & similari, anima est actus corporis physici, idest naturalis, quare naturam præsupponit; natura vero constituit corpus in esse naturali. Tum 2. quia motus naturalis est uniformis, velocior in fine, & ad unum tendit determinate, motus animæ est difformis, irregularis, & differens ad plura ubi, ut patet de sensitiva, quæ motum progressivum causat, qui est ad omnem locum differentialis, & de vegetativa, cujus argumentatio est secundum omnem dimensionem. Tum 3. quia motus progressivus, cujus principium est anima, est violentus, quia adest elevatio membrorum, quæ propter gravitatem deorsum tendunt, & adest defatigatio animalis, quod non esset, si naturaliter fieret, gravia enim deorsum tendentia nunquam fatigantur.

Resp. ad 1. animam non esse naturam in communi, sed speciem illius, ideoque aequaliter debent in definitione differre, & præcipue, quia natura definitur hic in ordine ad operationes, anima vero in ordine ad constitutionem totius; falsum est tamen, quod natura sit semper principium constitutum corporis similari. Neque inconvenit, animam supponere corpus naturale in specie naturæ imperfectiori subordinata essentialiter ipsi animæ, quæ adhuc dat esse naturale perfectius. Ad 2. assumptum est verum de motu naturali stricte sumpto, & de natura ab anima contradistincta, & ut principium est motus simplicis, non vero de motu naturali, & de natura in tota sua latitudine. Ad 3. resp. Doct. in 4. dist. 49. qu. 14. K. quod motus progressivus, licet in ordine ad formam corporis moventem juxta prædominans elementum sit violentus, tamen in ordine ad animam, a qua provenit, est naturalis, & quia quando potentie sunt subordinatæ, naturalitas attenditur penes potentiam superiorem, hinc motus iste erit simpliciter naturalis; adest tamen fatigatio propter impedimentum in corpore gravi repertum, unde secundum quid iste motus est violentus.

39 Tertio objicitur, quod anima rationalis non sit natura ex hoc, quod non sit forma informans, sed non est præsentis negotii hoc disputare, sed in lib. de An. fufe dicimus; supposita ergo hæc veritate, adhuc potest instari. Tum quia Phil. 1. de par. anim. cap. 1. querens, an omnis anima pertineat ad physicum (ubi loquitur de anima, quæ est forma, non de intelligentia, sicut putant Hurr. & Mo-

& Motif. in lib. de Anim. & patet ex rationibus, quas adducit) resolvis negative, quod probat tribus rationibus, & quia tunc Physicus de omni intelligibili deberet agere, quia relativa ad eandem pertinent scientiam, & sic nulla alia scientia daretur præter Philosophiam, & quia non omnis anima est natura, sed aliqua ejus pars, & quia Philofophus non considerat res a materia abstractas, qualis est anima rationalis. Tum quia formæ, de quibus agit Philofophus, secundum rationem tantum sunt a materia separabiles, & sunt finis generationis ex 2. Phys. 4. debent esse moventia mota ex tex. 73. & 74. ejusdem libri, at anima rationalis est separabilis a materia secundum rem, quia incorruptibilis non est finis generationis, quia a Deo immediate producitur, non ab homine, non subiectatur in corpore, quia ab eo non dependet; nec est movens motum ex 3. de Anim. 7. Tum 3. quia ut rationalis est principium intellectus, & volitionis, ad quas non est motus ex 5. Phys. 18. & 7. Phys. a tex. 12. usque ad 20. Tum 4. quia sæpe sapius ab Arist. anima intellectiva, quia includit rationem liberi, & voluntarii, ponitur ut principium contradistinctum a natura. Tum 5. quia sequeretur, non minus animam mundi fore naturam, quæ etiam intellectualis est, & principium cuicumque motus universi. Tandem ex Scot. 3. dist. 15. A, ratio naturæ accidit animæ rationali, sed formam, quæ est natura, est intrinsicæ talis, ergo &c.

40 Respondetur ad 1. ibi Philofophum vel sumere animam pro qualibet vivente substantia, quo modo sub se comprehendit non solum omnem animam, verum etiam Intelligentias, de quibus agere non pertinet ad Physicum, & de istis concludunt rationes ab ipso allatæ; vel si loquitur de Anima, ut est partialis forma, quando concludit, non omnem animam esse physice considerationis, intelligitur de anima rationali, non absolute, sed ut separata a materia, & secundum prædicata inspectantia ad illum statum, ut patet ex tertia ratione; & ut sic non est natura, quia non est principium motus ejus, in quo est; non vero ut est corpori unita, quia secundum istam considerationem agit de ipsa in 3. de Anima. Verum est tamen, quod est dubium, quomodo prima ratio concludat, nam sequeretur idem de Metaphysica, cujus est intellectus abstractus considerate; pro nunc breviter dicas cum Mirand. lib. 18. suæ Monomachia, esse rationem probabilem. Ad 2. cum Arist. ait, formas physicas esse secundum materiam a materia separabiles, esse corruptibiles, vel intelligitur ut in plurimum, ut se declarat 6. Metaph. in principio; vel quia de animæ rationalis immortalitate fuit dubius, ut ostendit Doct. in 4. d. 43. qu. 2. tamen finis generationis, quia est terminus ad quem, a quocumque producerat, est in subiecto per informationem, licet independentem; quamvis sibi per esse in subiecto intelligat Arist. in alio sensu, ut probet, omnem naturam substantiam esse, ut diximus in expositione hujus textus; dicitur movens immota, non simpliciter, quia movetur saltem per accidens, sed motione corruptiva, unde ait, sensitivam a vehementi sensibili corrupti, non sic intellectivam a maxime intelligibili. Ad 3. ad intellectionem non est motus disponens ad corruptionem, est tamen simpliciter motus ut infra in proprio loco. Ad 4. non sumit tunc Arist. naturam, ut hic definitur, sed prout a spontaneo, & libero distinguitur. Ad 5. negatur sequela, quia anima mundi est Deus, qui non est forma informans, sed assistens, non enim univerfum est unum per se, sed solum unitate ordinis; ut in lib. de Cælo dicimus. Ad 6. dicimus, Scotum ibi non asserere, rationem naturæ accedere animæ, infra enim in tertia ratione contra Henr. clare dicit, animam ut naturam respicere corpus, ipsum perficiendo, sed arguit contra Henr. distinguendum portionem superiorem animæ (quæ est potentia rationalis, ut respicit æterna) ut est ratio, ut natura, idest, ut dicit potentiam operantem, & ut dicit essentialiter animam; in qua simul cum aliis potentis reperitur: inquit Doct., quod hæc ratio naturæ accidit portioni superiori, quia est extranea ipsi, nam secundum rationem formalem dicit principium operativum, & consequenter si dolor convenit parti sensitivæ, non potest dici proprie convenire portioni superiori, ut est natura, aliter posset dici animam velle secundum intellectum, ut est natura, idest, ut intellectus dicit animam entitatem, in qua simul cum voluntate reperitur.

41 Quarto instatur, quod natura univoce non conveniat materiæ, & formæ. Tum quia corpus naturale ex materia, & forma compactum his eundem gradum univocum naturæ participaret, semel ratione materiæ, & iterum ratione formæ, quod est falsum, quia committeretur negatio. Tum quia materia, & forma sunt primo diversa etiam secundum Scot. in 2. d. 12. qu. 1. ergo in nullo debent convenire.

Resp. ad 1. concedendo sequelam, negando falsitatem, nam compositum physicum, quia ex rebu realiter distinctis constat, his participat rationes entis, substantiæ, causæ, principii, &c. ergo similiter rationem naturæ; falsum esse in composito Metaphysico, quia differentia ultima non includunt formaliter rationem entis, neque committitur negatio, quia in proposito ratio naturæ non predicatur in recto de composito, sed in obliquo. Ad 2. quamvis materia, & forma essent primo diversa in realitate, possunt tamen in conceptu convenire, & sensum Doct. loc. cit. jam dedimus disp. 2. nu. 20.

Quinto probatur, materiam magis naturam dici, quam dicitur forma. Tum quia quod est principium omnis motus naturalis, est magis natura illo, quod tantum est principium

alicujus motus, materia est principium universale, forma vero particulare principium est determinati motus, ergo, &c. Tum 2. quia illud est magis natura, quod magis participat rationem principii passivi, in quo principaliter consistit ratio naturæ ex dictis quæst. 1. art. 1. sed materia est magis passiva, quam forma, quia est subiectum ultimum omnium formarum, ergo, &c. Tum 3. quia illud est magis natura, secundum quod naturalia magis habent esse naturale, ut patet ex primo munere naturæ, quod est constituere compositum, sed materia dat magis esse rei naturali, quam forma, quia res in materia habent esse æternum, cum ipsa sit æterna, a forma vero accipiunt esse temporaneum, ergo est magis natura, quam forma. Resp. ad 1. vel est sermo de natura secundum pluralitatem, & universalitatem, sic materia est magis natura, sed hoc est improprie dictum; vel secundum perfectionem, quomodo ly magis debet accipi, & sic forma est magis natura, quia dat perfectius esse, & operari, & principaliter denominatur motus naturalis a forma, quam a materia. Ad 2. per idem resp. quod materia est magis passiva, quia universalior, non quia perfectius ab ipsa proveniat inclinatio ad motum in composito. Ad 3. negatur minor, quia res per materiam habent esse potentia, per formam actu, modo simpliciter perfectius esse est actuale temporaneum, quam esse potentiale æternum, sicut perfectior simpliciter esset Angelus tantummodo per diem existens, quam albedo, si in æternum duraret; præterquam quod materia est in se æterna, non tamen dat composito esse æternum, immo temporale, cum sit radix corruptionis.

QUÆSTIO III.

An detur motus indifferens inter naturalem, & violentum, seu an detur potentia neutra.

42 EX dictis hucusque patet, quod naturale potest accipi, vel essentialiter, quomodo significat, hoc quod est habere naturam, & in hoc sensu sumitur, cum corpus naturale, ut naturale dicitur esse subiectum Philof. naturalis enim est radix formalis, & quidditativa corporis, ut ait Arist. 2. Phys. 4. Secundo potest sumi denominative, ut idem est, ac secundum naturam, & ita convenit motui, cum naturalis appellatur, ut habet Arist. t. 5. cujus formalitas consistit in hoc, quod illi motus, & actus naturales dicuntur, qui sunt secundum inclinationem, & juxta exigentiam naturæ, ut per illos quo ad proprium esse vere perficiatur; quæ naturalitas potest sumi tam in ordine ad principium activum, quam passivum, ut diximus, sic cum aqua se reducit ad pristinam frigiditatem, talis infrigidatio, & frigus, naturalia dicuntur, quia sunt juxta exigentiam naturæ aquæ secundum principium activum, & passivum. An vero præter hoc requiratur etiam, quod ille actus, vel forma recepta non excedat vires naturæ, ut dicunt Thomistæ, qua ratione negant in homine naturalem potentiam ad actus supernaturales, est negotium theologicum, & potius videtur quæstio de nomine, quam de re; pro nunc dicendum cum Scot. quæst. 1. Prol. & 4. dist. 43. qu. 4. & dist. 49. quæst. 8. hoc non requiri, quia non est necesse, ut forma dicatur naturalis respectu subiecti, quod sit conformis non solum secundum principium passivum, sed etiam activum, possunt enim hæc duo separari, & vere solvatur ratio naturalitatis, si subiectum recipiens vere perficiatur per illam formam, quamvis nullam habeat potentiam activam producendam illam, ut patet ex dictis disp. 2. qu. 5. art. 2.

43 In hoc igitur sensu naturale sumimus in præsentia, quomodo opponitur violento; cujus ratio consistit in hoc, ut violentum sit contra naturam, & perfectionem rei, cui tribuitur, sitque potius illius destructivum, quam perfectivum; hoc modo explicat Doct. definitionem violenti in 4. d. 29. qu. un. B. & d. 43. qu. 4. traditam a Philof. 3. Eth. cap. 1. violentum est id, cujus principium est extra, non conferente vim passivæ, idest, inquit Doct., passio non præbente inclinationem, quod non mere negative est intelligendum, sed contrarie, ita ut dicat contrarietatem, & oppugnantiam, ut ipse Philof. se declarat sect. 1. Probl. qu. 6. dicens: *Violentia contra naturam est*; quæ violentia non solum in ordine ad passivum principium sumitur, verum etiam ad activum, non quidem positive, ut vere potentia activa detur intrinsicæ, quæ possit agere contra propriam activitatem, hoc enim naturaliter implicat, & etiam supernaturaliter, quia nulla potentia, ut obediens est, potest elevari ad actiones efficiendas, cum quibus ex se prius non habet aliquam proportionem, & potentiam inchoatam, ex dicendis disp. seq. sed private, quatenus impeditur, ne in actionem exeat sibi contrariam; & hoc in quacumque specie motus, ita enim violenter lapis sursum detinetur, ac aqua sub calore, imo magis aqua vim patitur, quia calor est magis destructivus aquæ, quam locus sursum respectu lapidis; hinc male Font. 5. Met. cap. 4. qu. 2. sect. 8. ait, solum in motu locali reperiri violentiam. Est ergo quæstio, an præter hos motus naturales, & violentos dentur quidam medii, & indifferentes, ut neque sint juxta perfectionem naturalem rei; neque contra ipsius inclinationem, & perfectionem, sed indifferentes sint, & præter naturam, qua ratione res non habeat naturalem potentiam, aut violentam ad illos, sed tantum neutram, & loquimur de potentia, quæ sit vere receptiva formæ.

44 Thomista cum Cajet. opusc. de potentia neutra, & Scot. 2. Phyl. qu. 1. ad 1. afferunt, omnem potentiam naturalem esse vel violentam, nullam neutram, quos sequitur Aver. 1. qu. 9. sect. 8. ex adverso Scot. in Prolog. qu. 1. L. & in 2. d. 2. quæst. 6. in fine, & 4. d. 43. quæst. 4. quem sequuntur omnes Scotista, & Suar. disp. 43. sect. 4. num. 13. 14. Zab. lib. de motu ignis in orbem cap. 5. 6. & 9. Fonf. 9. Met. cap. 4. qu. 2. sect. 7. & 8. Amicus tract. 8. qu. 8. dub. 3. art. 1. Moris. disp. 2. Phyl. qu. 5. & alii admittunt huiusmodi potentiam mediam, & actus indifferentes; quamvis postea sit aliquod discrimen in assignanda ratione istius neutralitatis; nam Faber in 1. disp. 2. Sghemma 2. Phyl. qu. 5. illam potentiam neutram esse dicit, & motus illos indifferentes, & non naturales, qui sunt ad formas in specialibus, quamvis naturaliter passum respiciat formam in communi, & in genere; hinc solam potentiam determinatam naturalem appellant; indeterminatam vero qualis est illa materiam ad formas in particulari, ajunt esse neutram.

Dicimus tamen, quod licet nulla detur potentia neutra activa, passiva nihilominus datur, non solum quæ sit aliquo modo cum naturalitate, verum etiam quæ simpliciter sit neutra, nullam admittens rationem naturalitatis, aut violentiæ, & consequenter quod dentur motus simpliciter indifferentes, & neutrales. Probantur singula. Primum, quod non detur potentia neutra activa, sed passiva; quia potentia activa dicit perfectionem in subiecto, & ideo semper est ad actus contentaneos propriæ perfectioni essentiali, a qua derivatur, ergo nulla erit neutra, quæ nullo modo debet esse juxta exigentiam, & perfectionem naturalem rei, at potentia passiva, quia dicit imperfectionem, potest esse in subiecto, quæ non necessario fit ad actus perfectientes subiectum; unde datur potentia passiva violenta, non tamen activa propter eandem rationem.

45 Secundo, quod potentia neutra aliquando stet cum naturalitate, est Scoti in 1. d. 1. qu. 1. in fine, & in 3. d. 13. qu. 4. M. ubi habet inclinationem voluntatis ad gratiam, quamvis indeterminata sit ad hanc, vel illum gradum gratiæ, esse naturalem; & patet ex dictis disp. 2. qu. 5. art. 1. dum probamus potentiam materiam indeterminatam ad omnes formas esse quidem naturalem, sed etiam neutra, propter illam indifferentiam; cujus præcipua ratio esse potest, quia cum neutralitas consistat in indifferentia, ubicumque reperitur aliqua ratio indifferentiæ, & aliqua etiam neutralitas potest admitti, quæ non excludit prorsus omnem naturalitatem, cum adhuc actus illi sint juxta perfectionem propriam subiecti etiam secundum rationes speciales, ut fufè loc. cit. probavimus. Quapropter, ut notat Aver. in potentia naturali datur aliqui gradus, itaut subiectum dicatur magis, vel minus inclinatum. Primus gradus est, quando subiectum est omnino determinatum ad aliquam formam, itaut oppositam, vel carentiam illius repugnantem respiciat, ut grave ad locum deorsum, leve ad sursum, & universaliter subiectum ad connaturales qualitates; qui gradus omnem obijcit neutralitatem, sicut nullam habet indifferentiam (nisi de qualitatibus numero distinctis sit sermo.) Secundus est, quando subiectum respicit oppositos actus, & naturaliter sub quocumque quiescit, quia quilibet est juxta exigentiam nativam rei, & a quolibet perficitur, non tamen est indifferens ad totalem carentiam illorum; & hæc potentia est mixta, nam propter determinationem, quam dicit ad actum in communi, & non ad carentiam, dicitur naturalis, sed propter indeterminatam ad oppositos actus dicitur neutra, ut contradictoria a potentia naturali, in primo sensu, est tamen etiam naturalis indeterminata, quia quilibet secundum gradum specificum perficit ipsam; sic se habet materia in ordine ad formas, quarum quilibet est illius perfectiva, & ideo si omnibus careret, diceretur esse in statu violento, eo quia perfectione sibi naturaliter debita privaretur, ita etiam se habere existimamus mixta respectu aliarum qualitarum, ut sunt colores, videtur enim esse perfectiones naturas ipsorum consequentes, & animata respectu figurarum, nam quodlibet vivens exigit naturaliter peculiarem figuram, non enim arbor petit figuram hominis, aut e contra, nec leo figuram equi, tamen quodlibet indeterminatè se habet ad figuras contentas sub illa communi, quam sibi determinat; insuper quilibet potentia activa vitalis respectu propriorum actuum; quantitas etiam respectu naturalis figuræ, quia ex propria natura petit necessario figurari: addidimus tamen ly *naturalis*, ad differentiam figurarum artificialium, quarum non est quantitas ex propria natura exigitiva, similiter esse in loco respectu animalium, & Angelorum, quamvis enim non respiciant determinatum locum animalia, ut progressiva sunt, & Angeli secundum potentiam motivam, attamen hoc, quod est esse in aliquo loco indeterminate, est ex propria natura ipsorum, estque quidam modus connaturalis. Tertius gradus est, quando subiectum ex propria natura, & intrinsece non respiciat actum, tamquam perfectionem intrinsecam, aut quod per illum aliqua perfectio ex propria natura sibi debita, & sui incompletiva acquiratur, sed quia est ratio, seu conditio, qua aliquod bonum causetur, & proveniat, ad quod subiectum inclinationem habeat, sic diximus questione præcedenti art. 1. motum Cæli esse naturalem, & hic est minimus naturalitatis gradus, quia si tali actu subiectum careret, non existeret violentus, nam non est ad perfectionem intrinsece sibi debitam, sed ad extrinsecam.

46 Præter istos autem gradus, datur alia potentia, quæ

omnino excludit omnem naturalitatem, & repugnantiam, unde simpliciter neutra dicitur; & probatur: dantur aliqui actus, qui nec destrunt naturalem perfectionem subiecti, neque illam perficiunt juxta propriam exigentiam naturalem, itaut ex sua natura intrinseca petat illos, sed per accidens se habent, & concomitanter, ergo motus, & potentia ad illos actus nec erunt naturales, aut violenti, sed neutri: Consequentia patet ex definitione istarum potentialium: Antecedens probatur exemplo Doctoris de superficie respectu colorum, quantitas enim ex propria natura non solum respicit colores in particulari, sed neque colorem in communi, tamquam perfectionem ex propria natura sibi debitam, aliter in Cælo, & in elementis, in quibus absque ullo colore reperitur, esset in statu violento. Motus ignis in orbem non est violentus, ut asserit Vafq. part. 2. disp. 25. nu. 4. quia ille motus dicitur violentus, per quem forma destructiva perfectionis subiecti acquiritur, per illum motum non acquiritur locus violentus igni, ut patet, nec est naturalis, quia solum naturaliter sursum movetur, nec illud ubi, quod habet in propria sphaera, natum est acquiri motu circulari, sed recto, & potius ignis inclinatur ad quietem in propria sphaera, quam ad motum circularem; & maxime quia talis motus non solum non est propter acquisitionem alicujus perfectionis intrinsecæ, sed neque propter perfectionem extrinsecam, ut de motu Cæli dicebamus, sed de hoc dicimus disp. 4. de Cælo qu. 2. art. 2. Quantitas etiam in ordine ad formas artificiales est in potentia simpliciter neutra, quia nulla harum est perfectio ipsi debita ex propria natura, neque est ipsius destructiva. Aer possit quoque in ordine ad lucem neuter dici, eo quia quamvis lux sit forma perfectissima in se, & adveniens aeri, illum perficiat, non tamen ista perfectio est aeri debita juxta propriam naturam exigentiam; nisi velimus dicere, esse naturalem, quatenus est quadam conditio, ut possit subire munus medii ad visionem requisiti. Tandem natura humana respectu personalitatis alienæ, quamvis in ordine ad agens dicatur esse in potentia obedientiæ, tamen ut respicit personalitatem non dicitur esse in potentia naturali; quia personalitas aliena non est naturæ debita secundum nativam exigentiam, neque violentè existit, ut patet.

47 Sed contra obijcitur. Tum quia 2. Phyl. 78. ait Arist. *Unumquodque, ut agitur, sic aptum natura est, & ut aptum natura est, sic agitur*; id est, quod subiectum patitur secundum naturam; & 4. Phyl. 63. 7. Phyl. 10. 8. Phyl. 33. 1. Cæli 76. 77. & 3. Cæli 20. dividit motum in naturalem, & violentum, nullo neutrum assignans. Tum 2. quia inter contradictoria non datur medium, præbere inclinationem, & non præbere sunt contradictoria, quando subiectum præbet, est motus naturalis, quando non præbet, est violentus, ex definitione violenti, ergo nullus neuter, & medius. Tum 3. quia omnis potentia per se primo respicit aliquem actum, cum sit propter actum, & determinatur per actum 9. Met. 13. 15. 16. ergo si illum respicit ut propriam perfectionem, & in illum inclinatur, nulla erit potentia neutra. Tum 4. quia hæc potentia provenit a natura rei, ergo actus ipsam actiuus erit naturalis, quia juxta aptitudinem naturæ. Tum 5. quia omnis potentia, vel respicit actum per se primum, ut actum in communi, vel actum per se secundum, ut actum in particulari, vel contrarium, ut ignis deorsum, vel disparatum, ut visus, sonum; ultima non est potentia, sed potius negatio potentie, reliquæ autem, vel sunt naturales, vel violentæ. Tandem contra exempla in particulari; ignis est naturaliter inclinatus sursum, indifferenter tamen ad omnia loca in propria sphaera, sicut materia naturaliter indeterminate respicit formas in particulari, ergo sicut materia naturaliter movetur ad formas in particulari, ita ignis in orbem. Quantitas perficitur ab arte, & formis artificialibus, ars enim perficit naturam, unumquodque autem secundum Doctorem inclinatur in propriam perfectionem; idem de aere, respectu lucis; & universaliter de subiecto respectu accidentis; nam accidens naturaliter inclinatur ad subiectum, ut possit existere, ergo e converso subiectum naturaliter ad accidens erit inclinatum. Accedit, quod secundum Scot. cit. eodem modo se habent Angelus, & Cælum ad motum, sicut quantitas ad colores; ergo omnes sunt in potentia naturali.

48 Resp. ad 1. auctoritatem, solum ibi intendere Arist. in rebus naturalibus dari potentiam naturaliter respicientem finem intentum ab agente, qualis est materia prima, non tamen quod omne subiectum secundum naturam patitur, aliter nullus motus esset violentus; Ad alias respondet Zab. fumere Philosophum violentiam large, ut scilicet comprehendit vel carentiam naturalitatis, vel repugnantiam, quo modo inter ista non datur medium, nos vero loquimur de violentia præse sumpta. Per idem ad secundum. Ad 3. quælibet potentia per se respicit aliquem actum, non tamen ut sui perfectivum, quod requiritur, ut naturalis dicatur; sic capacitas aquæ ad calorem per se primo respicit calorem, non tamen per hoc dicitur naturalis, sed violenta. Ad 4. patet ex dictis num. 21. quæst. 1. art. 2. in simili de potentia violenta respondendo. Ad 4. conf. secundi argumenti principalis contra explicationem secundæ particulæ definitionis naturæ. Ad 5. patet ex dictis, videlicet, quod requiratur ad rationem naturalis potentie, ut actum respiciat tamquam proprium perfectivum. Ad 6. patet ex dictis, cur motus ignis in orbem non sit naturalis, quamvis enim inclinatur ad locum sursum, tamen non convenit ei ab intrinseco acquirere locum sursum circulari motu, sed recto, quia ut ait Arist. 1. Cæli 7. & seq. unius corporis simplicis unicus est simplex

motus naturalis. Ars dat perfectionem rebus naturalibus, quæ tamen non est ipsi debita juxta nativam exigentiam, quod requiritur ad rationem naturalis potentie; hinc Doct. non dicit absolute, quodlibet inclinari in perfectionem, sed in propriam perfectionem, idem de aere dicendum. Quod additur de subiecto, & accidente, si valeret, concluderet etiam, nullam esse potentiam violentam, ideo dicimus, inter subiectum, & accidens adesse ordinem receptivi, & receptibilis, præscindendo ab ordine naturali, violento, vel neutro, qui postea dividitur secundum quod hoc, vel illud subiectum diversimode respicit accidens; neque proprie accidens dicitur esse in potentia naturali, sed subiectum, esse enim in potentia, subiecto, non actui convenit. Tandem comparatio Doctoris inter potentiam Angeli ad motum, & superficiem ad colorem debet sumi solum quoad indifferentiam in utraque repertam, non in omnibus.

Q U Æ S T I O IV.

Quomodo natura differat ab arte.

49 NATURAM hic sumpsit Aristoteles non solum prout a violento distinguitur, verum etiam ab arte, unde multa in 2. Phyl. cor. & ab Aristotele, & a Doctoribus de arte tractantur; breviter tamen aliqua tangemus, est enim res non magnæ difficultatis.

Ars igitur multipliter sumitur, primo ut scientias omnes comprehendit, & facultates, secundo pro omni cognitione practica, tertio pro uno ex illis quinque habitibus intellectus, & hoc modo solet definiti, quod sit habitus cum recta ratione factivus, ut ars statuarum, pictoria, &c. quarto solet accipi pro forma in materia ab artifice introducta, ut forma statuæ in marmore, forma domus in lapidibus, calce, & lignis; & his duobus ultimis modis consideratur in præsentia. Ars, ut habitus est notitia quadam habituali, quia intellectus artificis disponitur ad prompte, facilius, & recte judicandum circa ea, quæ spectant ad artem, & ex frequentatis actibus generatur; cum quo habitu alia duo regulariter concurrunt, cum exit in opus, primum est idea operis faciendi, unde Arist. 12. Metaph. 24. ait, sanitatem, & domum ad extra fieri ex sanitate, & domo in mente, & esse quasi generationem univocam, quia sicut in naturalibus generatio univoca illa dicitur, quæ est ad terminum ejusdem rationis cum forma, & natura agentis, sic domo extra est valde similis cum domo in mente, quæ se habet, ut forma respectu artificis. Secundum, quod requiritur, est quadam habitus in potentia executiva ad prompte, & facilius operandum, ut patet in arte saltandi, in qua requiritur agilitas membrorum ad obediendum regulis, & præceptis ab intellectu dictatis. Ars, pro forma causata ab artifice nil aliud dicit, nisi ordinem partium naturalium, quo partes quantitates, vel qualitates varie disponuntur, ut resulter illa figura artificiosa, estque relatio ab illis partibus a parte rei distincta ex Scot. 4. d. 12. q. 4. F. connotando artificem operantem ex directione intellectus; nam possunt esse duo entia similia in materia, & in figura, unum tamen dicitur naturale, quia a causa naturali absque dictamine rationis operante fuit effectum, alterum vero arte factum, quia a causa rationali a ratione directæ causatum; idem patet de sanitate casu acquisita, & arte medicina; unde forma artificialis a naturali distinguitur solum penes connotata. His prænotatis.

50 Dicimus 1. artem, ut est habitus, in multis a natura differre, & cum ipsa convenire; differt, quia natura est substantia, ars est accidens; natura convenit cum re naturaliter producta in esse reali, ars vero cum re artificiali tantum in esse objectivo; natura est principium physicum, & reale rerum naturalium, ars est principium solum per directionem, non per veram efficientiam, non enim ars potest efficere opera naturæ, nisi solum applicando activam passivam; quod probatur, nam ars canendi v. gr. solum regulat, & dirigit vocem, & cantum, non efficit, quod alii explicant dicentes, naturam esse principium actionis naturalis quo ad substantiam, ars vero quo ad modum, illas actiones modificando, hoc tamen non debet intelligi, ut effectivè concurrat ad modum illum efformandi suaviter, & sonore vocem, hoc enim provenit etiam a potentia naturali, sed regulando, & dirigendo; idem patet in horologiis, quorum principium motus provenit a natura, scilicet a pondere, modificato tamen ab arte, & ars medica sanitatem efficere potest applicando hæc, & illa pharmaca in tali dispositione, ut veram sanitatem inducere possint effectivè, ars vero directive, & in hoc sensu intelligitur dictum Aristotelis 2. Phyl. cor. 29. artem perficere naturam. Quas tamen operationes in particulari potest ars hoc modo causare, ut an ars chymica possit verum aurum efficere, & similia, non est præsentis negotii declarare, ubi de rebus naturalibus in communi tantum est sermo, vide disp. 4. de Cælo n. 188.

Conveniunt vero, quia utraque præsupponunt materiam, in quam agant, utraque ab imperfectioribus ad perfectiora procedunt; utraque non casu, & temere, sed quibusdam certis quasi præceptis operantur, utraque, quantum possunt, opera efficiunt similia, natura quidem in essendo, ars in repræsentando; utraque sunt imitatrices, natura imitatur artem divinarum, scilicet ideam operis exequendi, & quo magis divina arti assimilatur, eo naturæ opera habentur perfectiora, ars vero amulat naturam, ut eo magis æstimentur artefacta,

quo melius naturam ipsam exprimentur; ut patet præcipue in imaginibus.

51 Dicimus 2. artem pro forma inducta ab artifice, quomodo artificiosum dicit, differre a natura, & rebus naturalibus; primo ut ait Doct. in 2. diff. 18. qu. un. quia naturalia, ut sic habent in se internum principium motus, non ita artificialia, ut sic, nam forma artificialis nullo modo est principium motus; & quamvis multæ figuræ faciunt motum, tardum, vel velocem, ut figura quadrata retardat motum, non sic pyramidalis figura; & multa opera artificialia seipsis moveantur, ut horologia, & columba illa lignea ab Archita fabricata, quæ per aerem volitabat, statuæ quoque Dedali industria confecta seipsis movebantur, & alia opera per magiam confecta, non per hoc dicendum, formam artis esse principium per se illius motus, hoc enim est naturæ, licet arte indigeat, ut modificetur, & figura illa solum se habet ut conditio sine qua non, quia figura pyramidalis causat velociorem motum tantum negative, quatenus facit, ut aer minus resistat, & retardet mobile, & in aliis operibus principium per se erat pondus illud naturale taliter temperatum per machinulas, & rotas intus latentes; præcipue in statu Dedali, quod illum causabat motum erat argentum vivum, ut notat Arist. 1. de Anim. 44. Secundo differunt, quia formæ artificiales sunt in superficie tantum, naturales vero sunt intimæ, & intrinsecæ. Tertio quia materia prima naturaliter inclinatur ad formas naturales, ad materia artis, vel violentè, vel neutraliter se habet ad formas artificiales ex Scot. 2. diff. 18. qu. un. C. Quarto materia naturalium est ens incompletum essentialiter, sicuti materia artificialium est ens essentialiter completum. Quinto materia, & forma naturalium faciunt unum per se, quia se habent, ut per se actus, & per se potentia, non sic materia, & forma artificialium, & alias differentias solent Doct. asserre, quæ videri possunt apud Contmbr. 2. Phyl. cap. 1. q. 5. art. 2. Perer. lib. 7. cap. 2. Amic. tract. 8. q. 9. art. 3. & alios.

Ex quibus collige, naturalia comparata cum artefactis, quatenus hæc includunt tam materiam, quæ sunt res naturales, quam formam artificiosam, esse imperfectiora, quia carent perfectione, quam accipiunt ab arte, at si comparantur ad invicem, non ut se includunt, sed omnino disparate, & diversi ordinis se habent, sic longe naturalia præstant in perfectione artefactis, eo quia illa sunt substantiæ, hæc accidentia, ista ordinantur ad illa tanquam ad finem, substantia, autem est simpliciter perfectior accidente, & finis rebus ad ipsum ordinatis. Satis de præsentia disputatione.

52 Hic quæri solet, an forma artificialis distingatur ab ente naturali, & quomodo Nominale, ut referunt Regent. Parisiens. 2. Phyl. cor. quæst. p. quæstion. c. 4. collat. negant nullo modo distingui a parte rei, quia tenent formam artificialem picturæ v. gr. nihil reale superaddere coloribus, & eorum ubicationibus quam opinionem cum aliis Recentioribus suctur Arriaga disp. 6. Phyl. cor. sect. 2. cujus fundamentum est, quia eo ipso, quod intelligamus eos colores cum tali; & tali ubicatione in tabula, nulla alia forma artificiali super intellectu intelligitur pictura, sicut in characteribus, qui etiam sunt entia artificiosa, nihil aliud est necesse intelligere nisi aramentum hoc, vel illo modo ubicatum. Idem clarius intelligitur in statua lignea, vel lapidea, nam præcisè per ablationem superfluarum, ac impediendum partium, cæteræ, quæ remanent sine ulla nova forma, & distantias, & proportionem expressivam hominis retinent, efficiuntque statum, ergo ibi non producit forma artificialis distincta a partibus ligni taliter ubicati, & a carentia partium redundantium, patet consequenter præcisè auferendo partes aliquas ligni, non potest artifex positivam formam realem producere in his quæ remanent, nam eas reliquit, ut antea, & solum ab eis alias separavit, cui faver dictum Auctoris sex principiorum. Quod Artifex facit figuram incisionis nihil addendo, sed potius removendo. Hinc quidam hujus opinionis Auctores, ut refert Anton. And. q. 4. super sex princ. ulterius addiderunt, quod talis figura præcedit eam in materia actualiter, sed est cooperta aliis partibus ejusdem materiæ puta lapidis, aut ligni, quæ partes removenitur per actum artificis, & tunc figura apparet, ita quod secundum hoc Artifex nil aliud facit nisi removere partes prohibentes apparentiam figuræ jam præexistentis a natura in materia præjacentem, & forte (inquit Ant. And.) hujus opinionis est Auct. sex princip. nam dicit quod figura est a natura, sed sentiri id est actualiter apparere est ab actu: Probant etiam, quod quando fit figura per conjunctionem rerum naturalium non acquiratur aliqua res nova, ut quando fit domus, vel pictura, quia vel forma acquisita est tota in toto, vel pars in parte, sed neutrum asseri potest, quia quocumque dato sequitur, quod artifex hic montem faciens, vel urbem, novam figuram in toto terrarum orbe induceret, & novum accidens etiam apud Indos, cum tota terra sit unum totum integrale figuratum.

Opposita opinio est Realium asserentium formam artificialem esse accidens reale absolutum de quarta specie qualitatibus rebus naturalibus superadditum artificis industria, ideoque artificiale realiter distingunt ab ente naturali, ita refert Tatar. 2. Phyl. q. 2. dub. 3. & mordicus defendunt Parisienses loc. cit. quorum præcipuum fundamentum est hoc, quia Artifex operando, aut aliquid facit, aut nihil; non nihil, quia habitus quo nihil potest fieri, non est factivus, & sic ars non esset

habitus factivus contra ejus definitionem, si vero aliquid facit, aut facit novum, aut antiquum, non secundum, quia vel actum ageret, vel nihil profus faceret, ergo facit aliquid novum, hoc autem nequit esse ens mere respectivum, quia qui domum edificaret, vel urbem, non nisi unum respectum faceret, quod videtur ridiculum, nam caro nimis pretio tales respectus emerentur in picturis, & aedificiis, ergo hujusmodi figura verum accidens absolutum de genere qualitatis importabit, ut ibi docuit Aristot. explicans quartam speciem illius predicamenti. Dices artificem facere, quod antiquum novam denominationem acquirat, quam prius non habebat, facit nimirum, quod as sit statua, cum prius statua non esset, Contra hoc arguunt, quia vel talis denominatio est extra animam, vel non: si primum, ergo sumitur ab aliqua forma reali nova: si secundum, ergo per suam operationem artifex non facit, nisi ens rationis. Si dicas artificem non efficere, nisi novum motum, & novas ubicationes. Contra instant, quia certum est finem artificis non esse solum motum localem, & solas ubicationes colorum, vel lapidum, sed aliquid aliud.

2. Neutra istarum opinionum est amplectenda, non prima Nominalium praesertim in sensu, quo defenditur ab illis, qui dicunt figuram artificialem, praecipue qua fit per incisionem, & subtractionem partium ab aliquo toto procedere actualiter in materia, quia ut arguit Ant. And. cit. in eadem parte materiae nequeunt esse actum simul plures figurae impossibiles, nisi ponatur signum, & chimericum in natura, sed in eadem parte materiae possunt esse quaecumque figurae in sensu divisionis, puta hominis, bovis, serpentis, quae sunt omnino impossibiles, ergo non sunt simul ibi in actu; Sed nec etiam defendi potest in sensu, quo eam tenet Arriag. quod formaliter figura consistat in solis ubicationibus, quia interdum figura resultat absque quod variantur ubicationes partium rei artificialis, ut cum quis in antro imaginem format in lapide, partes enim, quae remanent, & imaginem constituunt, locum, & ubi nullo modo variant, cum eidem spatii partibus correspondant, quib. antea correspondebant; tum quia cum statua, vel pictura hinc inde defertur, variantur utiq. ubicationes statuae, & partium ejus, quia correspondent diversis spatii partibus, & tamen non variatur figura, ergo ubicationes non erant forma artificialis statuae, vel picturae. Et quidem profus ridiculum est, quod concedit Arriag. cit. hoc argumentum pressis physice loquendo mutari saltem inadaequate figuram, & formam artificialem, quotiescumque loco mutatur res artificiosa, quia tunc mutantur ubicationes, & solum in ordine ad apprehensionem nostram, & moraliter loquendo eandem perleverat, quia succedunt aliae ubicationes eodem modo distantes inter se sicut priores. Hoc sane profus incredibile est, non enim moraliter solum, sed etiam physice eadem censetur imago apud omnes etiam sapientes, sive sit in templo, sive in foro, sive in cubiculo, & qui oppositum diceret, exhiberetur.

Neque etiam omnino vera est Realium opinio, quamvis enim in hoc, & quod asserit formam artificialem quidpiam reale superaddere partibus naturalibus entis artificiosi, verum dicat, tamen non recte docet hoc additum esse entitatem absolutam de genere qualitatis: quia contra hoc bene urget argumentum allatum a prima sent. quod hic sodiens terram vel faciens montem variaret: ejus integram figuram, & consequenter novum accidens absolutum faceret in toto terrarum orbe, quod magnum nobis videtur absurdum, esto a Parisiensibus loc. cit. concedatur, tum quia verisimile non videtur, quoties ceram manibus contrectamus, toties in ea produci novas qualitates, ac entitates absolutas; tum quia difficulter explicatur, quo pacto talis forma absoluta in toto composito artificiali resideret, an esset tota in toto, & qualibet ejus parte indivisibiliter, quod de accidente materiali non bene diceretur, an potius pars in parte divisibiliter, & tunc unaquaque pars illius compositi diceretur eodem modo figurata, sicut totum, v. g. triangularis, quadrangularis, sicut qualibet pars albi dicitur alba per partem albedinis, nisi forte talis qualitas in suis partibus integrantibus ponatur etherogenea, quod esset voluntarie dictum.

53. Dicendum est igitur formam artificialem non esse purum nihil, neque entitatem absolutam, sed esse relationem quandam ordinis, & proportionis partium naturalium ad se invi-

cem; ita expresse significat Doctor cit. 4. d. 12. q. 4. F. ubi ait figuram ultra quantitatem non dicere, nisi relationem partium ad se invicem, vel terminorum includentium partes, & sequitur Tat. loc. cit. & ita etiam jam dudum docuimus nos in Logica disp. 7. q. 3. art. 2. declarando quartam qualitatis speciem, & explicuimus, in quo sensu ab Arist. ponatur in predicamento qualitatis. Et quamvis Doctor 4. d. 1. qu. 2. sub Q. videatur dubitare, an talis relatio per formam artificialem importata sit realis, vel rationis, tamen inferius 4. d. 12. cit. clare significat esse realem, hic autem recolendum ex Logica loc. cit. & colligitur ex Scot. 4. dist. 10. p. 5. dico ergo, duplicem esse figuram, unam intrinsecam, quae fundatur in positione de genere quantitatis, & in ordine servantur invicem partes in toto, quatenus non sunt inter se confusae, sed ita dispositae, ut una immediate continetur uni, & non alteri praescindendo a loco, ut caput collo, & non pedi; aliam extrinsecam, quae fundatur in positione de genere situs, & est coordinatio, quam servant partes ad se invicem, ut sunt dispositae in loco, ac proinde vocatur figura spatialis, & haec proprie est figura, quam importat forma artificialis, ut significat Doct. cit. 4. d. 12. dum ait, quod relatio per figuram importata mutari potest partibus manentibus eodem modo in se, & in toto quod etiam notavit Tat. cit. ut constat de digito, qui dum curvatur, dicitur variare figuram ex eo praecise, quod variatur sua in partium coordinatio ad invicem in loco, etiam si salvent eundem ordinem in toto; Et bene advertendum est, quod inquit Doctor figuram importare relationem ordinis partium ad invicem, vel terminorum includentium partes, per quod significat figuram non dicere immediate relationem partium ad locum, quia tunc figura non esset nisi ubicationes partium, ut aiebat Arriag. sed relationem partium ad se invicem, ut sunt ordinabiles in loco, non quidem hoc, vel illo, sed indeterminate, dummodo non sit major, vel minor, quam suapte natura artificiale corpus exposcat, & hinc est, quod eadem imago perseverat, sive sit in foro, sive in templo, quia licet illae partes translate variant locum, & ubi, eandem tamen servant coordinationem, & proportionem ad se invicem, ut sunt in loco v. g. palmari ordinabiles, quia non hic vel ille locus palmaris spectat ad rationes illius figurae, sed locus palmaris indeterminate sumptus.

Hinc patet ad fundamentum primae sent. falsum enim est, quod solis coloribus intellectus, & eorum ubicationibus in tabula resulter figura, figura namque non resulter, quousque intelligatur praefata coordinatio, & distantia partium ad invicem, quae fundatur in ubicationibus eorum, quae etiam produci intelligitur, etiam si artificialis forma fiat per subtractionem partium ab aliquo toto, hoc enim ipso quod a ligno, vel lapide haec, & illa pars abscinditur, in caeteris novus ordo adinvicem, novaque proportio resulter, sicut inter duas quantitates palmares resulter inaequalitatis relatio, si ab una semipalmus auferatur, & sola divisio sufficit ad resultantiam indivisibilium quantitatis: Pariter etiam, quando fit compositum artificiale per conjunctionem rerum naturalium, nova relatio ordinis, & proportionis partium acquiritur, & indivisibiliter resider in toto, & in partibus, non tamen partes subiecti eodem modo denominat, quia illae relationes requirunt integram fundamentum, ut fiat denominatio, ut de relationibus dupliciter, & aequalitatis dicebamus disp. 8. Log. qu. 6. art. 2. solvendo 3. princ. ubi etiam declaravimus, quare distantia non obstat, quo minus posito termino resulter relatio in fundamento, & tamen obstat in entibus absolutis, quae doctrina inde necessario resumenda est pro solutione istarum difficultatum.

Ad fundamentum 2. sent. dicimus cum Tat. cit. reale, quod superaddit forma artificialis enti naturali, esse praefatum ordinem partium ad se invicem, & hunc produci ab artifice, & ejus gratia pecunias recipere, & subdit Tat. de hoc mirandum non esse, quia admodum difficile est perficere totalem ordinem, sive respectum, nam ad faciendum unum respectum oportet primo facere aliquod absolutum, vel saltem aliqua absoluta approximare, vel subtrahere aliquod, quod est multum difficile, & ideo artifex pro nihilo non solvitur; an autem distinctio formae artificialis ab ente naturalis realis dici debeat, vel modalis, pendet ex dictis disp. 8. Log. q. 3. art. 1. de dist. relationis a fundamento, & disp. 5. Phys. n. 109.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De Causis extrinsecis, efficienti, & finali.

Explicatis causis intrinsecis corporis naturalis, quae ipsum quidditative, & essentialiter in esse constituunt, de extrinsecis remanet agendum, efficienti scilicet, & finali, & primo de efficienti, quia notior est omnibus, nam evidens est, aliqua de novo incipere, & nullum potest seipsum producere, & causare, quia prima, & principalis est ordine executionis, a qua causatum desumpsit nomen effectus, etiam in ordine ad alias causas; & quia finis non est vera, realis, & physica causa, sicut efficiens, ut dicemus, hinc nomen causae antonomastice efficienti competit.

QUESTIO I.

Quid, & quomodo sit causa efficiens.



Aufam efficientem definiit Arist. 2. Phys. 29. & 5. 2. Met. esse id, unde principium mutationis primum aut quietis: quae definitio, ut incommodam, & obscuram rejicit Hurta. disp. 9. Phys. sect. 1. aliam tradens obscuriorem, scilicet causa efficiens est principium per se influens in aliud, praecisa mutatione sui, ex praecisa ratione influxus; unde melius erit elaborare in declaratione peripatetica definitionis ab omnibus acceptatae; quae potest claritatis gratia in hanc formam reduci, est principium primum, unde est mutatio, aut quietis: ut facit Averſa q. 14. sect. 1.

Dicit ergo principium, quod habet rationem generis conveniens omnibus causis; addit primum, non simpliciter, & absolute, ut est Deus, sed in proprio genere, ut causis secundis conveniat, & significat primitatem principalitatis secundum illos, qui instrumentalem causam excludunt ab ista de finitione; instrumentum enim non agit principaliter, & propria virtute, vel primitatem perferat, ut causae per accidens removeantur, itaut idem sonet, ac per se, vel tandem denotat proprium causandi modum, ut notat Suar. disp. 15. Metaph. sect. 1. caeterae enim causae non dicuntur primae, nam finis solum in intentione dicitur prima causa, non in executione, forma se habet ut terminus mutationis; materia, licet praesupponatur causalitati agentis quoad entitatem, attamen loquendo de actuali causatione, ideo materia recipit, quia agens agit, & consequenter influxus agentis debet dici omnium primum primitate naturae, modo disp. seq. explicando, non temporis, nam omnes causae in eodem temporis instanti simul causant ex Scot. 2. disp. 37. V. Verum est tamen, quod hac particula non est simpliciter necessaria, si per principium intelligatur principium per se, sufficienter enim per caeteras particulas explicatur essentia efficientis causae, unde Arist. 1. de Gener. 14. repetens hanc definitionem, omisit istam particulam, tertio subdit unde, quae particula non sumitur late, ut in definitione principii, cum dicitur esse id, unde aut sit, aut cognoscitur res; sed preesse pro particula a quo, per quam distinguitur tum a materia, & forma, quia totum proprie non dicitur fieri a materia, & a forma, sed ex illis, tum a causa finali, quae proprie non est id, a quo motus, sed cuius gratia fit motus, quarto dicitur mutationis, quae sumitur secundum latam acceptionem, mutatio enim ex dicendis in propria disputatione, potest sumi vel pro quacumque successione termini ad quem post terminum a quo, sive in subiecto, sive extra subiectum, quomodo creationem etiam continet, vel pro transitu in subiecto, sive substantialis sit, sive accidentalis, & haec dicitur physica mutatio; tandem sumitur pro mutatione substantiali solum; in proposito si velimus sub ista definitione comprehendere causam creatorem, debet sumi mutatio in primo sensu non videtur tamen haec esse mens Arist. nam creationem temporaneam non agnovit; unde sumitur in secunda acceptione, ut omnes causas physicas amplectatur: tandem additur aut quietis, quod a multis explicatur, ut terminum mutationis significet, & quia quod est causa motus, est necessario causa termini motus, saltem, ut in plurimum, ideo dicunt, ly aut conjunctive sumi. Attamen sicut male fecisset Arist. si ly, & in definitione naturae distinctivae sumpsisset, ut diximus disp. praeced. ita male sumpsisset hanc particulam, aut conjunctive, quia particulae in definitione accipi debent secundum propriam, & rigorosam acceptionem. Melius ergo dicimus, per mutationem intelligi non solum mutationem pro formali, scilicet, transitum illum: sed etiam pro materiali, qualis est res in fieri, & per quietem intelligi rem in facto esse, quando in tali statu a causa dependet, ut causam conservantem etiam comprehendat, & quia non semper quae est causa in fieri, est etiam causa conservans, & in facto esse, ideoque particulam posuit distinctivam.

2. Per istas quoque particulas, scilicet, mutationis, aut quietis, explicatur correlativa causae efficientis: nam efficiens ad duo potest computari, ut notat Doctor in 2. d. 1. q. 5. S. & 4. d. 13. q. 1. F. & seq. ad effectum, quatenus recipit de novo esse simpliciter a causa efficiente, & ad passum, seu subiectum, quod recipiendo formam ab agente perfitur, & transmutatur; hinc potentia activa definitur a Philof. 5. Metaph. 17. quod sit principium transmutandi aliud, inquan-

tum aliud, & actio ab Auctore sex principiorum, quod sit secundum quam in illud, quod subicitur, agere dicimus, cum ergo duo respiciat causa efficiens, ut correlativa, & terminum productum, quomodo producens denominavit, & subiectum, quod transmutat, ratione cuius, & agens, vel transmutans dicitur; ac mutatio, & quies significant formam in fieri, vel conservatam in subiecto, aut totum productum, vel ut producitur: sequitur evidenter, per istas particulas explicari correlativae efficientis causae, quae sunt subiectum transmutatum, & terminus productus, hinc Arist. post traditam definitionem efficientis causae, exemplificat dicens, & omnino faciens fieri, & mutans mutati.

Ex quibus deducitur, hanc definitionem rectam esse, quia ex proprio genere constat, & propria differentia, & facit causam efficientem differre ab aliis causis, ut patet ex dictis. Solum posset dubitari de natura, quae principium ponit effectivum motus, & de conditionibus sine quibus non, a quibus videtur esse motus. Sed de istis non urget difficultas, quia non dicuntur proprie principia, cum non habeant virtutem producendi effectum, sicut causa efficiens, unde motus ab illis dicitur pendere, non ut a causis. De natura vero dicendum, quod eadem aliquando sunt causa efficiens, & natura, & aliquando differunt, & ideo unaquaque seorsum debuit definiti, principium enim in definitione naturae supponit pro passivo, & activo non quocumque, sed immanenti, & substantiali; at in definitione efficientis causae supponit pro activo, sive immanenti, sive transeunti, sive substantiali, sive accidentali. Caeterum, ut apparet, quomodo omnibus causis effectivis conveniat, aliquas, & praecipuas divisiones istius generis causae declarare debemus, descendentes ad secundam partem quaestionis.

3. Primo dividitur in causam per se, & in causam per accidens; causa per se est illa, ex Scot. 1. dist. 2. q. 2. I. quae secundum naturam propriam, & non secundum aliquid sibi accidens causat, ut aedificator per se aedificat, pictor per se pingit; causa per accidens est, quae licet concurrere dicatur ad effectum, non est tamen necessaria, nec effectus vi illius accipit esse, sic cum musico aedificat, musica dicitur causa efficiens aedificationis, sed per accidens, quia aedificatio ita est a musico, ut si non esset musico, adhuc tamen aequae bene fieret ab aedificatore, & haec causa multipliciter subdividitur, ut dicemus infra qu. ult. huc spectant conditiones sine quibus non, ut sunt causa applicans removens, prohibens, non impediens, & similia. Notandum tamen cum Bonet. 2. Phys. cap. 8. in fine conditionem sine qua non, proprie non esse causam per accidens, quia potest aedificator aedificare absque hoc, quod sit musico, sed potius est modus existendi causae: per se, ut possit exire in actum.

Secundo dividitur in physicam, & moralem; physica, seu realis est, quae vere, & realiter insit in effectum, ut cum ignis causat ignem, moralis vero est duplex, vel moralitate libertatis, quomodo a causa physica necessaria, quae positis omnibus praerequisitis ad agendum non potest non agere, contradistinguitur, & est illa, quae potest agere, & non agere etiam positis omnibus praerequisitis ad agendum, ut est voluntas, unde actus liberi, actus morales solent appellari; & haec causa coincidit cum physica, & reali, quia vere voluntas insit in actus liberos; Vel moralis dicitur moralitate impurationis, quomodo a causa physica, & reali universaliter sumpta distinguitur, & est illa, cui secundum rectam prudentem estimationem imputatur effectus, in quem ipsa physice non insit praecisa tali estimatione, tales causae sunt jubens, consulens, & aliae illis duobus vericulis comprehensae.

Justo, consilium, consensus, palpo, recurſus,

Qui recipit; mutus, non obſtans, non manifestans.

Quae omnia cadunt in agentibus liberis, & praecipue causa moralis dicitur, quae est ratio, cur alia causa operetur ex aliquo pacto, sic Sacramenta dicuntur causa morales gratiae, & opera nostra bona causa meritoria nostrae salutis, quia ad positionem Sacramentorum Deus nobis elargitur gratiam, & propter opera meritoria dat praemium aeternae vitae, & haec causa reduci solet ad causam physicam per accidens.

4. Tertio dividitur in causam efficientem, principalem, & instrumentalem, principalis est, quae propria virtute attingit effectum principaliter intentum, & nulli famularur; instrumentalis vero, quae active non attingit talem effectum, sed dispositive inservit causae principali, ut fistus q. 5.

Quarto dividitur in proximam, seu immediatam, & in remotam, seu mediatam; proxima est, quae nullo alio medio concurrat ad effectum; remota, quae alio mediante dicitur con-

concurrere. Et immediatio, vel mediatio causa multiplex est, alia virtutis, alia suppositi, & huius, alia in essendo, alia in causando, hinc multae oriuntur subdivisiones; causa efficiens immediata immediatione virtutis est, quae agit per virtutem sibi inexistente, ut dum calor calefacit, & e contra, causa efficiens hoc modo mediata est, quae agit per virtutem a se diffusam, ut dum lapis sursum movetur, projiciens movet per impulsum in lapide productum. Causa efficiens immediata immediatione suppositi in essendo est, quae loco non distat a suo effectu, adeo ut inter ipsa nullum mediet suppositum, sic Deus agit in haec inferiora, quibus est intime praesens; & e contra, causa efficiens sic mediata est, quae loco distat, ut Sol, dum mineralia in visceribus terrae producit. Tandem causa efficiens immediata immediatione suppositi in causando est, a qua immediate prodit actio, cum Sol producit mineralia, nam generatio illa a virtute Solis immediate egreditur; e contra causam mediatam efficientem hoc modo dicimus, quae non sua virtute effectum attingit, sed virtute media ab ipsa procedente, ut ignis cum medio calore, quae est virtus ab ipso dimanans, calefacit.

Quinto dividitur in causam totalem, & partialem; & quia totalis in proposito est duplex, sicut & partialis, idcirco alia dicitur totalis totalitate causae, alia totalis totalitate effectus, causa totalis totalitate causae est, quae se sola sufficiens est ad ponendum effectum absque alia, vel simpliciter, ut cum omnem aliam excludit, sic Deus totaliter animam creat, vel in genere, ut cum omnem aliam causam excludit ejusdem generis, & ordinis, sic ignis dicitur causa totalis alterius ignis, nam, & si materia concurrat, hoc est in genere causae materialis, & quamvis Deus etiam influat efficienter, est tamen alterius ordinis: causa vero totalis totalitate effectus est, quae ita insit in effectum, ut nulla sit pars effectus, in quam non insuat, ita duo trahentes navim dicuntur causae totales totalitate effectus. Eodem modo dividitur partialis causa, quod alia talis dicitur partialitate causae, quae scilicet cum alia ejusdem generis, & ordinis producit effectum, ut objectivum, respectu notitiae, partialis vero partialitate effectus dicitur ea, quae partem unam effectus producit, altera reliquam partem, ut duo artifices eandem navim fabricantes.

Sexto dividitur in causam primam, & secundam, causa prima est, quae independentem omnino operatur, ut Deus, qui tempore, perfectione, & dignitate antecedit alias causas; causa secunda est, quae ab alia dependenter agit, ut omnes creaturae, quae in agendo dependent a Deo, ita Scot. 4. d. 1. q. 1. Septimo dividitur in causam universalem, & particularem, universalis est, quae concurrat vel ad omnes effectus, ut Deus, vel ad plures, ut Coeli; particularis est, quae ad aliquem certum, & determinatum effectum concurrat, ut subalternaria.

Octavo dividit in efficiens Quod, & in efficiens Quo; causa efficiens Quod est suppositum, quod agit, scilicet Petrus, vel ignis; causa efficiens Quo, alia est principalis, & est principium, seu forma substantialis, alia est minus principalis, seu instrumentalis, & est principium, seu forma accidentalis, per quam suppositum agit, ut in igne efficiens Quo, principale est forma substantialis ignis, principium Quo instrumentale est calor, vel siccitas.

Nono dividitur in causam efficientem, univocam, & aequivocam, univoca dicitur illa, quae effectum sibi similem in natura, & ejusdem rationis producit, ut ignis cum generat aliterum ignem, qua ratione dicitur continere formaliter effectum; aequivoca est, quae effectum alterius rationis, & naturae producit, ut Sol producat aurum in visceribus terrae, & ideo non formaliter, sed virtualiter continet effectum in se ipsa, ut docet Doctor 2. dist. 25. E. F. & ista, si erit totalis, semper est suo effectu perfectior, si partialis, non est hoc necessarium, ut dicemus.

Decimo alia dicitur causa praecisa, alia non praecisa; prima est illa, qua posita ponitur effectus, & qua ablata removetur, ut humanitas est causa praecisa risibilitatis, nam ipsa posita, ponitur risibilitas, & ipsa remota, quibuscumque aliis positis, removetur; causa non praecisa est illa, qua posita, non ponitur effectus, quamvis si removeatur, etiam destruetur effectus, sic animal non dicitur causa praecisa hominis, quia ex positione animalis non ponitur homo, licet animal non posito, homo etiam tollatur.

Undecimo tandem alia dicitur causa efficiens secundum extrinsecam denominationem, alia secundum intrinsecam denominationem; prima est illa, quae intantum dicitur formaliter causa, quia tantummodo terminat dependentiam effectus ad ipsam, non vero per quandam relationem causae, in illa existentem, sic Deus dicitur omnium causa, quia terminat omnium dependentiam, non enim potest de novo fundare relationem aliquam ad creaturas; causa vero per intrinsecam denominationem est, quae realiter refertur ad effectum relatione reali, & haec refert primam, quae namque dicitur denominatione intrinseca causa, etiam terminat effectus dependentiam.

6 Ex quibus colligi potest, quod allata definitio efficientis causae non convenit univoce causis per se, & per accidens, neque causis physicis, & moralis secundum imputationem, sed proportionem quadam, qua ratione Arist. non solum de causa physica exemplificavit 2. Phys. 29. sed etiam de causa moralis; Ratio huius est, quia causae per accidens, & moralis secundum aliquid rationis tantum dicuntur causae, non enim fundant realem relationem ad effectum, causa vero per se,

& physica sunt tales secundum aliquid reale, at enti reali, & enti rationis nihil est commune univocum. Idem dicas de causis intrinsecis, & extrinsecis denominationis propter eandem rationem, nam Deus formaliter dicitur causa vel per terminationem, vel per relationem rationis in ipso conceptum.

Dices, Deus vere, & realiter dicitur causare, sicut ignis realiter dicitur alterum ignem producere; Sacramenta, quae secundum Scotum moraliter causant gratiam, vere, & proprie secundum Concilia, & Patres causa gratiae dicuntur, ergo potest ab istis omnibus conceptus communis univocus abstrahi. Tum quia per regulam Scoti 1. d. 2. q. 2. B. intellectus certus de uno, & dubius de duobus, habet conceptum distinctum ab illis, de quibus est dubius, & univocum; sed possumus esse certi, quod Deus sit causa, dubitare vero, an per intrinsecam, vel extrinsecam denominationem: similiter quod Sacramenta causant gratiam, sed quaerere postea an physice, vel moraliter, ergo ratio causae est illis univoca.

Resp. Deum dici realiter causam, quia realiter terminat dependentiam, quae ratio est communis, & univoca Deo, & creaturis, quatenus istae etiam realiter terminant relationem effectuum, non tamen ut fundant relationem causae. & si hoc modo explicetur definitio, concedimus, utriusque univocam esse. Sacramenta quoque dicuntur proprie causa gratiae, quia in genere moris habentur tanquam causa per se, licet in genere physico ad causam per accidens reducatur: sic etiam confusus homicidium in genere moris, & secundum prudentem hominum estimationem habetur pro vero homicida, quamvis per accidens illud causet in genere physico: & hoc modo intelliguntur Patres, & Concilia. Ad Confr. dicimus, conceptum, quem habemus de Deo, ut causa, esse, quod terminat dependentiam effectus, qui conceptus convenit etiam creaturis, ut diximus, sed dubitatur postea, an dicatur causa etiam secundum intrinsecam denominationem. Neque cum aliquis est certus, quod Sacramenta sunt causa gratiae, & dubitat, an sint causae physicae, vel morales, habet unum conceptum univocum objectivum, sed tantum conceptum nominis, sicut intellectus est certus, aliquid esse ens, & dubitat, an sit reale, vel rationis, habet tantum conceptum nominis plura immediate significantis, ut fufius dicitur in tract. de Univocatione Entis.

Tandem si causa instrumentalis realem dicit relationem ad effectum, & ly primo in definitione causae efficientis, dicat primum perfectitatis, utraque causa, tam principalis, quam instrumentalis continebitur sub ista definitione: at si talem relationem non dicit, vel ly primo significet primum principalitatis, causa instrumentalis exclusa remanet ab ista definitione. Et quamvis Arist. de instrumentis adduxerit exempla, potest dici, hoc ideo fecisse, quia instrumentalis causa proportionem habet cum efficienti principali, ad quam reducitur, sicut causa moralis, & hoc est probabilis, quia habitudo causae instrumentalis explicatur, non ut a quo aliud, seu ut per quod aliud, ut dicemus q. 5.

Q U A E S T I O II.

Quinam sint effectus efficientis cause ut producentis, & transmutantis.

7 Diximus in praeced. quaest. efficiens duo respicere, terminum productum, & subiectum transmutatum, videndum est, an tam subiectum, quam quilibet terminus habeat rationem effectus, & dependentis in ordine ad effectivam causam, & quia Philosophus definit solum agens Physicum, quod subiectum praesupponit in agendo, non vero agens in communi comprehendens Deum creatorem, idcirco de rebus illis agemus, quae causationi physici agentis subsunt, non de illis, quae immediate a Deo perunt produci per creationem, ut sunt materia prima, Intelligentia, anima rationalis, & huiusmodi. Res vero, quae sub tali causatione physici agentis dicuntur cadere, aliae dicuntur fieri per resultantiam, & emanationem, aliae per simplicem efficientem, tandem aliae respiciunt efficiens non solum in fieri, verum etiam in conservari, & in facto esse; debemus igitur explicare, quamnam res, & quomodo ab agente dependant, dicanturque effectus ejus, deinde quomodo subiectum effectus agentis possit appellari.

Et primo quo ad res per resultantiam productas notandum, quod res illae resultare dicuntur, quae proveniunt a principiis intrinsecis, & essentia subiecti, in eodem subiecto recipiuntur, & per modum permanentis se habent, ut notat Averfa qu. 14. lect. 4. & quasi connaturales subiecto, qua ratione frigiditas in aqua, si ab extrinseco proveniret, non diceretur emanare ab aqua, sicut eventit, cum aqua propriis viribus se reducit ad primum frigiditatem: nec actus vitales, aut scientiae, quamvis ab anima proveniant, & in ipsa recipiantur, dicuntur emanare, quia non sunt permanentes in anima, itaut ex propria natura tales qualitates semper exigat in se ipsa, sicut est in aqua frigiditas. Hoc autem tripliciter contingere potest; Primo itaut effectus fluat a sua causa solum metaphysice, non per verum influxum physicum, & hoc est, quando id, quod resultat, non est realiter distinctum a sua causa, sed formaliter tantum: sic ait Doctor in 1. d. 5. q. 7. C. S. passionem emanare a subiecto, quod reperit 2. d. 25. C. S. cundo, itaut res physice resultet, quia est realiter a subiecto distincta, & ita necessario, ut nec a Deo impediatur possit, quin resultet.

resultet, sic se habent relationes maxime intrinsecas advenientes respectu fundamenti, & termini, quae resultantia duplex esse potest, sicut duplex esse potest relatio, alia, quae est effectus praecise, nullo modo a natura instituta ad hoc, ut aliquid dicatur formaliter causans, alia, quae praecise est a natura instituta, ut aliquid formaliter causans dicatur, cuiusmodi est relatio causalitatis, in qua consistit influxus causae ex dictis in disp. 5. q. 1. quae distinctio relationis colligitur ex Canon. 5. Phys. q. 5. ad 1. argu. factum in corpore quaestri. Tertio modo dicitur res aliqua physice resultare ab essentia rei, & quandoque per veram mutationem, ita tamen, ut a Deo per absolutam Dei potentiam possit impedi, sic remota aqua ab igne, resultat in ea frigiditas, & in qualibet generatione rei naturalis fluunt ab ipsa omnia accidentia, connaturalia, ut quantitas, & qualitates connaturales, quibus potest a Deo privari. Resultantia, & emanatio, prout a vera efficientia distinguuntur, proprie primo modo sumuntur.

8 Quae resultant primo modo, non agnoscunt pro causa vera, & physica quidditatem subiecti, ut asserunt Thomistae, sustinentes, passiones realiter a subiecto distingui, sed tantum pro causa metaphysica, qua secundum nos passiones solum formaliter a quidditate subiecti distinguuntur ex dictis in Log. disp. 5. q. 4. art. 1. & supra aliquantulum terigimus, cum de potentia materiae loqueremur, at influxus physicus, cum sit relatio realis, debet esse inter realiter distincta, solummodo effectus physici dicuntur, ut respiciunt causam physicam producentem entitatem subiecti, ab eodem enim efficiente physice produciuntur anima v. g. cum suis potentis, & passionibus; sed cum hoc stat adhuc, quod anima erga potentias causalitatem metaphysicam exerceat, itaut ordo, qui est inter passiones, & subiectum, potentias, & animam in ordine ad causam physicam, non sit praecise ordo causati posterioris ad causatum physicum, id est ordo effectuum ab eadem causa, de quo Scot. in 2. d. 1. q. 1. L. sed est ordo causalis saltem metaphysice loquendo, sicut ordo, qui reperitur inter potentias animae ad invicem est ordo praecise effectuum ab eadem causa, & in hoc sensu quatenus, scilicet, sunt realiter identificatae cum subiecto, possunt passiones dici effectus verae causae efficientis, eisque actionem terminare, quod sufficit ad rationem entis creati, ut notat Fuentes 2. Phys. q. 4. diff. 4. art. 4. nu. 53.

Quae secundo modo resultant, & sunt relationes institutae a natura ad denominandum aliquid formaliter causans, quamvis physice resultant, non tamen habent rationem effectus proprie, quia non proveniunt a fundamento per alium influxum, & causalitatem distinctam, aliter influxus esset influxus, actionis actio, & causalitatis causalitas, & sic processus in infinitum; quare physice fluunt, quatenus vere, & essentialiter pendunt a fundamento, non alia dependentia realiter distincta, sed sibi realiter identificata, de ratione enim causalitatis activae, ut sic, est, ut habeat immediatam habitudinem ad id, quod formaliter causam denominat, a quo causalitas sua, qua denominatur formaliter causans, dicitur habere esse non per aliam causalitatem mediam, sed per immediatam terminationem huius in ratione fundamenti, alioquin non denominaretur unquam immediate causans. Ratio huius praecisa est; quia quando aliquid est ratio alicui efficiendi formaliter tale, illud seipso est tale, ne detur processus in infinitum, ut notat ex Scoto Canon. 1. Phys. q. 4. art. 1. Quo enim non potest esse Quod, & ut docet Ant. And. 4. Met. q. 2. si unum esset aliud realiter ab ente non posset quari, utrum sit unum, quia sic habet rationem Quo ens est unum, quod non potest habere rationem Quod, alioquin mutaretur Quo in Quod, & fieret processus in infinitum.

9 Dices: quando in igne resultat relatio causalitatis respectu caloris, illa non est a se, ergo ab alio, ergo est causata, & effecta. Tum 2. quia ignis concurrat ad causalitatem, & non est movens immoritur, sed movens motum, sicut quilibet alia causa creata, ergo movetur a Deo recipiendo influxum distinctum in illam causalitatem, ergo proprie dicitur effectus ignis. Tum 3. Petrus v. g. fundat relationem diversitatis ad Paulum, respectu cuius diversitatis fundat aliam relationem diversitatis, qua a prima diversitate dicitur diversus, ergo quamvis causalitas sit ratio referendi ignem ad calorem in ratione causae, attamen poterit ignis alia causalitate denominari causa respectu primae causalitatis, paritas patet, quia ita diversitas est, qua Petrus dicitur diversus a Paulo, sicut causalitas est, qua ignis dicitur causa caloris. Antecedens probatur, quamvis diversitas non alia diversitate, sed seipsa diversa dicatur a Petro, qui est fundamentum, & hoc quia nequit esse sine Petro, ut notat Doctor in 2. d. 1. q. 5. H. & N. attamen Petrus non potest dici seipso diversus a diversitate, sed alia relatione distincta, quia potest esse sine illa, & per consequens de novo dicitur diversus nova relatione, non seipso, nec prima relatio diversitatis facit differre Petrum a se ipso, aliter esset sui ipsius terminus, sed a Paulo.

Resp. relationem illam dici causatam proprie, & effectam a Deo, quia non est Deo ratio agendi, & ideo Deus dicitur illius vera, & propria causa, ab igne vero est, non ut effectus a causa, sed ut actio, & productio a producente, quatenus ignis terminat essentialiter dependentiam actionis, quam dicit ad ipsam. Ad 2. dicimus: ignem, sicut non est vera causa illius relationis, sed per ipsam dicitur formaliter causa, ita non posse dici causam moventem, vel motam, neque concurrere vero concursu, sed simpliciter terminando dependentiam actionis, quae terminatio nihil ponit in igne. Ad 3. dicimus,

hanc esse unam ex praecipuis rationibus quibus Recentiores cum Ocham. negant relationes; sed non minus urget ipsofer in relationibus secundum dici, quas admittunt, etenim unio est in materia, & licet seipsa uniat materia, attamen materia quomodo recipere, & unita dicitur unio? non ipsa unio, quia unio est ratio uniendo materiam formae, non sibi ipsi, aliter esset terminus sui ipsius, non materia seipsa, quia de novo unita dicitur, & potest esse sine illa: qua propter negatur antecedens, non enim datur status in relationibus solummodo, quia relatio non potest esse sine fundamento; ut optime docet Scot. ibi cit. ex parte relationis; Verum etiam datur status ex parte fundamenti in eodem genere, in quo relatio illud denominat, sic materia non dicitur alia unioe unita unioe, & hoc quia Quod est Quo in aliquo genere, non praesupponit in subiecto aliud Quo in eodem genere, ne detur processus in infinitum, & ideo diversitas non praesupponit in Petro aliam diversitatem, nec productio aliam productionem; cum additur, de novo dicitur diversus, ergo nova relatione; & etiam quia prima diversitas non terminat seipsam, dicimus, Petrum respectu relationis diversitatis non dici proprie diversum, sicut nec materia proprie dicitur unioe unita, & ratio est, quia sicut non habet Quo, neque potest dici Quod, sed solum dicitur diversus extrinsece per terminationem diversitatis, quam dicit prima diversitas ad ipsum Petrum, quae est cum ipsa realiter identificata; hinc neque sequitur, diversitatem ad seipsam terminari, quia neque est ratio referendi Petrum ad seipsam. Sed haec omnia exigunt longiorem disputationem, quam habuimus in tractatu de Relationibus in Logica.

10 Si vero sunt relationes non institutae ad denominandum aliquid formaliter causans, sic dicuntur veri effectus causati in genere causae efficientis a propriis fundamentis, quando sunt intrinsecus advenientes; unde existente ovo Italico ad productionem ovi in India, naturali necessitate in genere causae efficientis dimanat in ovo Italico relatio similitudinis, ad quam fundamentum solum effective concurrat, non terminus, non enim videtur possibile, ovum indicum agere in tanta distantia, sed concurrat solum in ratione termini; ut diximus in Log. disp. 8. quaest. 3. art. 2. solet tamen dici, relationem intrinsecus advenientem effective produci ab efficiente extrema, non quidem formaliter, quasi quod immediate gallina v. g. causet in ovo similitudinem, sed radicaliter, quatenus produxit id, quod est radix, fundamentum, & veluti semen relationis: sic intelligendus est Scot. in 2. d. 1. quaest. 5. S. & in 1. d. 15. q. 2. P. cum ait relationem intrinsecus advenientem esse ab agente. Ratio vero huius dicti est quia cessat in istis relationibus fundamentum praecedens dicti de relatione causalitatis, non enim aliae relationes denominant fundamenta causalitatis, neque sunt habitudines, per quas aliud ab alio, sed potius habent rationem ejus quod ab alio, ergo debent dici causata, & producta vere, & proprie: & quamvis productio passiva in ipsis non sit relatio realiter distincta, eo quia nequeunt esse sine fundamentis, attamen in fundamentis erit vera relatio activa productionis Tales relationes sunt ceterae omnes, exceptis activa causalitate, unde, & relatio productionis passivae in effectu, & relatio actionis in agente ad passum erunt etiam causata a fundamentis in genere efficientis causae, eo quia non denominant fundamenta productoria, sed producta, vel transmutantia, ut patet, neque sunt rationes denominandi a quo aliud, sed quo ab alio, ut relatio productionis passivae, vel quod aliud, ut relatio actionis ad passum, ergo fundamenta per veram relationem productionis activae denominabuntur causae efficientes, & productivae istarum relationum.

11 Sed urget; relatio productionis passivae denominat suum fundamentum productum, & effectum, ergo ipsa non potest dici producta proprie, & effecta; Quo enim non potest esse Quod. Insuper si actio de genere actionis esset producta proprie, ad actionem esset actio. Tandem ad relationem intrinsecus advenientem non est per se motus ex 5. Phys. ergo non datur causa efficiens proprie respectu illarum, quia haec causa est principium cum mutatione, ut patet ex ipsis definitione.

Resp. Quo non potest esse Quod respectu ejusdem, & in eodem genere denominandi, sed potest esse respectu diversorum, & in alio genere, sic relatio productionis passivae est Quo respectu effectus, quem taliter denominat in ordine ad agens, at est Quo respectu ejusdem, non quidem ut effectus denominatur, sed ut causa, tamen causalitas activa esset Quo, & Quod, si aliam praesupponeret causalitatem in fundamento, & in eodem genere denominandi respiceret fundamentum, scilicet, ut est, & denominatur causa. Ad 2. dicimus, in actione de genere actionis dari actionem, quae sit productio, & relatio intrinsecus adveniens, non vero aliam actionem de genere actionis, non enim agens recipiens in se actionem a se ipso productam, alia actionem denominatur agens, & transmutans respectu sui ipsius, nec vere dicitur transmutatum, & passum, qui recipit in se actionem de genere actionis, propter rationem saepius dictam, sed quia recipit formam productam, valde enim differunt inter se actio de genere actionis, & actio in ratione productionis, ut dicemus in seq. q. Ad 3. dicimus, causam efficientem in tantum dici esse principium per mutationem, non quia semper agat cum motu proprie dicto, sed quia semper agit in subiectum, quod passum, & transmutatum dicitur: ideoque quamvis non sit motus per se ad relationem, potest tamen respectu ipsius dari efficientia, & resultantia.

12. Tandem quæ tertio modo resultant, habent quoque rationem effectus, eo quia realiter a subiecto distinguuntur, & sunt quasi passiones connaturales physica ipsius subiecti: habet quoque subiectum vim productivam illarum, ergo vere a subiecto causantur. Diximus a subiecto, quia non videtur alia causa physica assignanda, non enim est generans, ut aliquid dicunt, quia aqua propria virtute reducit se ad pristinam frigiditatem, & si Deus destructo generante, separaret ab aliquo subiecto omnia accidentia, & postea præberet concursum ad illa, vere subiectum illud concurreret ad illorum productionem, ergo etiam in prima productione, quod immediate efficit est subiectum, non generans; quod infra etiam ostendemus.

Secundo, multo magis rationem veri effectus habent, quæ sunt per simplicem efficientiam, & sunt, quibus aliqua ex conditionibus assignatis ad resultantiam, vel omnes deficiunt, etenim ista vere terminant motum, & actionem per se agentis; talia sunt composita substantialia, formæ substantiales (juxta dicta disp. 2. quæstio 7. art. 2. ubi contra Suarez ostendimus, non solum composita, verum etiam formas substantiales per se fieri ab agente) item formæ accidentales absolutæ, & respectivæ, quæ propria acquiruntur acquisitione, ut sunt respectus extrinsecus advenientes, scilicet, Ubi locale, unio formæ cum subiecto, & similes respectus, ut dicemus in disp. de speciebus motus; cum enim istæ relationes non insurgant ex natura extremorum, & possint extrema actu reperiri absque istis relationibus, ut v. g. subiectum, & forma, si essent separata, & postea ab agente unirentur; unio illa terminaret agentis actionem. Solum posset dubitari de unione animæ rationalis cum corpore, an fiat ab homine, vel a Deo extrinsecute, sed de hoc in lib. de An. sufficit in presenti, quod vere illa unio est effectus agentis causæ, quæcumque sit illa.

13. Tertio quo ad res dependentes ab efficiente non solum in fieri, verum etiam in conservari, & in factio esse, advertendum dupliciter posse rem aliquam indigere conservante causa. Primo, quia cum habeat contraria, a quibus potest corrumpi, indiget aliquo, ut ista contraria removeat, eorumque actiones impediatur, & conducentia ad ejus conservationem procurat, absolute tamen, si non essent contraria, permaneret ipse esse; sic homo ab arte medica dicitur conservari, & hæc factio non est vere, & per se dependentia, sed per accidens, ita nec vere effectus dicitur causæ conservantis: Secundo, quod ita conservante indigeat, ut si hoc abesset, statim destrueretur, ut lumen respectu luminosi, & de istis loquimur, nam in genere causæ efficientis continuata dependentia a sua causa dependet, quæ explicatur per habitudinem a quo aliud non solum in primo sui esse, vel post ultimum non esse, verum etiam in toto tempore, quousque durat in eodem esse, Et quamvis dicitur causa conservans materialis respectu formæ corruptibilis, hæc tamen non explicatur per hoc, quod est esse ab alio, sed ex quo aliud.

Difficile est tamen determinare, quinam effectus dependant solum in fieri, & qui etiam in conservari, de quo multa legi possunt apud Suarez disp. 21. sect. 3. & Averl. quæst. 26. sect. 1. Breviter tamen dicimus, omne ens creatum simpliciter dependere in fieri, & conservari a Deo. Quod patet, quia de ratione entis creati est dependentia ab efficiente; non enim potest esse dependens, ergo quævis a causa secunda effectus aliquis in conservari non dependeat, omnes tamen a prima causa dependere debent. Tum quia dependentia creaturæ ad Deum est eadem cum creatura realiter, ut docet Scot. 2. d. 1. q. 5. ergo quamdiu durat creatura, semper permanet cum illa dependentia. Deinde nullum ens substantiale a causa secunda dependet in conservari, nisi loquamur de conservatione primo modo, quo sensu omnia a cælestibus corporibus dici possent dependere, ea ratio hujus esse potest, quia non videmus ens aliquod substantiale statim perire per absentiam causæ creatæ effectivæ. Tertio, effectus accidentales univoci nec habent talem dependentiam, quia sunt æque perfecti cum sua causa, & ejusdem speciei, non magis, ergo effectus exigit conservari a sua causa, quam e contra. Tum quia inter individua ejusdem speciei non est ordo essentialis. Et licet Averl. afferat in contrarium exemplum luminis a luce producti, & speciei visibilis impressæ speculo causantis aliam speciem in obliquum reflectendo in aere. Attamen istæ productiones sunt æquivocæ, nam lumen, cum sit species lucis, est alterius rationis ab ipsa luce, & species per reflexionem causata immediate ab objecto, non ab alia specie producitur; quæ omnia docentur a Doctore in 2. d. 13. & in lib. de Anim. ostendimus. Quarto, effectus æquivoci, qui habent contraria, a quibus solummodo destruantur, ut sunt primæ qualitates, ut a causa virtualiter illas continente sunt productæ, item sapores, odores, colores a primis qualitatibus provenientes, habitus in potentiis animæ existentes, qui solum cessant propter habitus contrarios advenientes, ut in lib. de Anim. dicitur, & uniones istorum cum subiecto non pendent ex propria natura a causa conservante; quod patet experientia, quia calor productus a Sole permanet post Solis absentiam, ita sapores, colores, &c. receduntur primis qualitatibus, & consequenter, si permanent in subiecto, unio ipsorum nec etiam causa indiget conservante. Diximus ex propria natura, nam an gradus qualitatis, quos sibi determinat substantialis forma, conserventur ab ipsa, dicemus infra, cum quaeremus, an accidens possit substantiam producere. At effectus illi, qui vel non habent contrarium, ut lumen, species visibiles, vel si habent, non

tamen necessario ab illis petunt corrumpi, ut motus, actus vitales, & hujusmodi, indigent causâ conservante; ratio est experientia ipsa. Tum quia si non ita dependenter, semel producti non ita facile corrumpi possent, nisi ad corruptionem subiecti, quod rarissime contingeret, & amor Dei v. g. femel dicimus nunquam posse destrui, nam odium Dei est quasi impossibile, totum hoc colligitur ex Doctore 1. d. dist. quæst. 9. O.

14. Sunt tamen aliqua formæ, quæ licet non dependant in conservari ab influxu efficientis causæ, adhuc tamen ex se dilabuntur, ut impetus impressus lapidi a proiciente, sonus productus in medio a corpore sonoro, & species odorum sensibiles, istæ enim qualitates, quia ad finem, ad quem sunt institutæ, non poterant habere semper influxum a suo efficiente, & tantum ad consequendum effectum debebatur illis per aliquod tempus existentia, ideo talis naturæ a Deo conditæ sunt, ut sine contraria paulatim ex seipsis corrumpantur, idcirco ultima regula assignata, si forte universaliter non valet, verificatur saltem ut in plurimum.

Tandem inter effectus efficientis causæ computari debet subiectum, non quidem secundum esse simpliciter, & intrinsecum, ut sic enim præsupponitur agenti, sed secundum illud esse, quod recipit a forma, nam sicut subiectum numeratur inter effectus formæ secundum esse specificum, & determinatum, quod in genere causæ formalis recipit a forma, ut dicimus disp. 5. q. 3. art. 1. conc. 2. ita quia tale esse effectus recipit a causa efficiente, ut sic effectus ejus dicitur, non quidem ut producens est, quia subiectum non producitur, sed ut transmutans, quatenus novum esse recipit ab illo, quod prius non habebat, si est cum mutatione, vel esse extrinsecum habet ab agente, & adventitium, non intrinsecum, & essentialis, si non agit cum motu, scilicet si subiectum tempore non præcessit sub privatione formæ, ut infra dicemus.

Q U Æ S T I O III.

Quenam sit causalitas agentis in ratione producentis, & transmutantis, ubi de actione, & passione.

Communiter (paucis exceptis) causalitas efficientis causæ consistere ponitur in actione, sed magna est discrepantia deinde inter Doctores, quid formaliter dicat actio; hinc, ut recte percipiatur causalitas efficientis causæ, primo videbimus formalitates actionis, & passionis (relationes enim quibus aliqua extrema ad invicem referuntur, ut sunt actio, & passio, simul sunt cognitio, & natura) secundo, quæ sint utriusque subiecta; tertio tandem explicabimus causalitatem efficientis causæ, tam in communi, quam ut producens, & ut transmutans est.

A R T I C U L U S P R I M U S.

Quid formaliter sint actio, & passio, declaratur.

Prima opinio asserit, actionem formaliter non dicere nisi entitatem absolutam, scilicet formam in fieri, sed quia forma in fieri nequit explicari nisi per aliquam relationem, hinc videtur actio respectum includere, revera tamen iste respectus est denominatio extrinseca in agente, a forma, quæ fit, desumpta, sicut objectum cognitum explicatur per relationem ad cognitionem, quæ tamen in eo est solum extrinseca denominatio: citantur pro hac sententia Nominales, Hervæus quol. 1. quæst. 9. art. 3. & Javellus 5. Met. q. 3.

Secunda opinio ponit, actionem formaliter dicere quid absolutum, & respectivum simul saltem transcendente: sed diversimode explicatur a Sæctoribus, tam quoad absolutum, quam quoad respectivum; nam quoad absolutum aliqui dicunt, tale absolutum esse entitatem agentis. Alii motum. Alii effectum, ut Sone. 5. Met. qu. 4. Ferrar. 3. Phys. q. 2. Tol. q. 3. Masius c. 3. sect. 1. q. 4. quibus adhæret Averl. q. 26. sect. 3. conc. 2. de actione illa loquendo, quæ effectus indiget non solum in fieri, sed etiam in conservari. Alii esse modum quandam, ut communiter Recentiores cum Suarez disp. 48. Met. qui modus sit dependentia ipsa effectus ab agente, quæ mediante effectus producitur; & probabile putatur a Canon. 3. Phys. quæstion. 2. art. 1. Quoad relativum vero aliqui dicunt, solum dicere relationem ad agens, a quo provenit, & non esse de ratione actionis in communi dicere alium respectum ad terminum, ut per ipsam accipientem esse, nam actio immanens, ut sunt omnes operationes vitales, non producit terminum in esse, sed præsupponit proprium objectum, & solum actionem transmutantem, ajunt, dicere relationem; ita Thomistæ fere omnes. Alii asserunt, esse de ratione actionis utrumque respectum, ut Recentiores, sed non requiri ordinem ad subiectum, ut sub ratione actionis comprehendatur creatio. Alii tertium addunt respectum ad subiectum; & insuper volunt, terminum non in instanti, sed successive acquiri, pro qua citatur Scot. in 1. d. 3. qu. 6. in fine, & q. 9. O.

16. Pater Sghemma 2. Phys. digress. 10. qu. 5. ait, actionem esse quoddam medium inter fundamentum, & relationem agentis ad passum, & effectum, non quidem ut rationem fundandi, sed ut præviā dispositionem requisitam, quod medium, ait respondendo ad rationes in contrarium, esse relationem extrinsecam advenientem de genere actionis; quod etiam

tiam dicit de passione, scilicet esse quid medium inter potentiam passivam, & relationem.

Nec minor dissensio est de passione, nam aliqui non distinguunt passionem ab effectu, & omnibus rebus convenire asserunt, excepto Deo, quia ipsam confundunt cum productione passiva, & ex alio cap. omnem relationem negant, ita Aureol. 1. d. 30. p. 1. art. 3. Arel. 1. de Gener. qu. 40. sect. 2. Alii dicunt, ipsam converti cum receptione formæ in subiecto. Alii eandem esse cum actione, & solum quandam formalitatem diversam addere, quæ denotatur per habitudinem essendi in; ita Conimbr. 3. Phys. c. 3. q. 1. art. 2. Alii tandem nullo modo ab actione diversam ponunt, nisi ratione,

Pro declaratione sententiæ Scoti, advertendum ex eodem in 2. d. 1. q. 5. S. & 4. dist. 13. q. 1. E. quod in qualibet actione multa concurrunt, ut v. g. quando ignis producit calorem in aqua, adest igni ipsi virtus absoluta agendi, quæ est proprius calor, forma producta in aqua, scilicet caliditas, respectus illi, quibus ignis denominatur producus calorem, & educens, & inducens, & respectus, quo ignis respicit aquam, quo agere in aquam, & illam transmutare dicitur; dimissis aliis respectibus a Scoto ibi enumeratis, qui non sunt ad propositum: & præter hæc omnia admittunt Advertiserii modum quandam medium inter causam, & effectum, quo causa attingit effectum, & actum causans est, ut diximus disp. 5. q. 2.

17. Insuper accipiendum ex 4. cit. H. actionem esse nomen æquivocum, multipliciter accipi. Primo pro operatione, sic omnis actus vitalis actio dicitur. Secundo significat productionem quæ secundum nos est respectus producentis ad productum, secundum Recentiores vero est modus absolutus, & causalitatis agentis respectu compositi. Tertio significat educationem formæ ab agente. Quarto pro respectu transmutantis ad transmutatum, id est pro illa relatione, quam dicit agens in ordine ad passum. Quinto pro re acta, & producta, ut tamen includit respectum, qui exprimitur per esse ab alio, ut producente, & educente; nam si consideretur res acta, ut dicit ordinem ad subiectum, in quo est, dicitur passio, quomodo loquitur Philo. 3. Phys. a text. 18. usque ad 24.

Rursus ex Scoto quodlib. 13. Dd. solet actio dividi in immanentem, & transeuntem; quæ divisio potest esse in uno sensu æquivoci in æquivocata, in alio sensu univoci in univocata. Tunc erit æquivoci in æquivocata, si per actionem transeuntem intelligatur actio illa, quæ habet terminum aliquem productum, per immanentem vero ipsamet operatio, sicut est intellectio, visio, &c. quæ actiones dicuntur propter duas conditiones, in quibus cum propria actione conveniunt; prima est, quod fit semper in continuo fieri, id est in continua dependentia, sicut actio; secunda quia operatio transit in objectum, ut in terminum, licet terminus non accipiat esse per ipsam operationem, & propter istas conditiones dicitur actio, sicut propter istas significatur grammaticaliter per verbum activum: unde actio in communi non dicit aliquam rationem communem, sed solum vocem; & in hoc sensu locutus est Aristot. 9. Met. 16. cum talem divisionem assignavit. Tunc erit univoci, si per actionem intelligatur actio habes terminum productum, cum hæc tamen differentia, quod si iste terminus manet in agente, dicitur actio immanens, si vero transit in passum, dicitur actio transeuntes, non quod ipsa actio transeat subjective in aliud, sed solum terminative, quatenus scilicet terminus actionis recipitur in passu distincto. Quæ divisiones differunt inter se, quia illud, quod per primam divisionem dicitur actio immanens, per secundam dicitur terminus actionis immanens in secundo sensu, & quod per primam divisionem dicitur actio transeuntes, in secundo sensu est id, quod dividitur in illa membra.

18. Tandem de passione notandum, quod multipliciter sumitur, primo pro conceptu mentis, quo sensu dicitur, voces esse signa earum, quæ sunt in animo passionum: secundo pro innata proprietate, quæ visibilitas esse hominis passio dicitur; tertio pro qualitate tertiæ speciei de facili mobili, ut cum tertia speciei assignatur esse passio; quarto pro qualitate corruptiva, vel perfectiva, quo sensu ait Philo. intelligere esse quoddam pati; quinto pro qualitate consequente actum potentie appetitivæ, sic passiones dicuntur gaudium, & tristitia: sexto pro re acta, seu forma producta in passu, quo sensu calor, ut recipitur in aqua, dicitur passio 3. Phys. 18. ultimo pro respectu actioni opposito, quo modo sumitur in presenti.

Dicimus 1. Actio formaliter non potest dicere aliquam absolutam entitatem, neque relationem effectus, vel illius modi ad agens, ut ad principium, aut istam cum relatione simul ad terminum: neque relationem aliquam mediam, inter causam, & effectum: sed si communiter sumatur, dicit relationem producentis, vel educentis ad effectum, ubi talis relatio nata est insurgere; si vero proprie, ut in quinto prædicamentum constituit, dicit relationem agentis ad passum inducentis in ipso formam, seu transmutantem: five hæc actio transmutativa fit substantialis, five accidentalis; five instantanea, five successiva, five immanens, five transeuntes. Conclus. hæc quoad omnes partes est Scoti ex professo in 4. cit. probantur singula. Primo, quod nullum dicat absolutum: Tum quia non dicit entitatem agentis, quia actio est, quæ agens denominatur agere, agens vero est, quod agit, actio est exercitium potentie activæ 3. Phys. 18. & seq. agens est, quod per actionem exercetur: actio non semper manet, etiam agens duret: actio constituit prædicamentum distinctum, entitas agentis est in

prædicamento substantiæ, vel qualitatibus. Quod si dicas, entitatem agentis non ut sic, sed ut connotat effectum productum, esse actionem: confutatio patet ex dictis disp. 5. q. 2. concl. 2. ubi multa, quæ ad hanc pertinent concl. Tum quia nequit dicere entitatem motus, quia motus est in mobili, actio in agente ex dicendis in seq. art. motus præcendit ab agente, non sic actio: actio potest a motu separari: nam si v. g. subiectum non præferit sub privatione, sed simul cum forma effectum productum, ut patet in omni animatione, ubi corpus in eodem instanti, in quo completur, recipit animam, tunc non adest motus, & tamen est actio, ut notat Scot. 4. dist. 43. q. 7. G. H. & tandem, quia nec motus est de numero absolutorum, ut dicemus, Tum quia nec dicit entitatem effectus, quia hæc entitas manet post actionem: non semper est in agente: non constituit quintum prædicamentum, sed est in aliis, ad ipsum est actio: nec est ratio, quæ agens subiectum respicit, vel effectum: quæ tamen omnia actioni conveniunt. Tum quia nequit dicere modum aliquem ex dictis disp. 5. cit. & quia includere formaliter esse ad se, & esse ad aliud, & consequenter esse ad se, & non ad se, quod implicat ex dictis disp. 2. q. 5. art. 5.

19. Secundo, quod non dicat relationem ad agens, ut ad principium, five hanc solum, five cum relatione simul ad terminum, probatur a Doctore in 4. dist. 13. cit. K. Actio, ut actio, est ratio, quæ agens respicit aliud, five passum, five terminum, quia agens, ut agens, respicit aliud, & non dicitur agens nisi actione, ergo actio nequit formaliter dicere relationem terminatam ad ipsum agens: Consequentia probatur, agens, ut agens respicit aliud, ut principium illius, non ut principium, ab illo alio, sed relatio principii, qualis est illa, quæ ad agens, ut ad principium terminatur, non denominat id, quod afficit, principium, sed principium, ergo agens non est formaliter agens illa relatione. Tum quia agens ex 3. Phys. 20. est id a quo aliud, passum vero, quod ab alio, ergo actio erit formaliter id, quod denominat suum denominatum esse a quo aliud, at illa relatio formaliter non dicitur hoc, quod est, a quo aliud, sed quod ab alio, ut notat Doct. litt. L. Tum quia agens per actionem referatur ad aliud, ergo id respicit, ad quod actio tendit suo modo, sed illa relatio tendit ad agens ipsum, ut ad principium, ergo agens, ut agens referretur ad seipsum.

Resp. Amicus tract. 19. quæst. 7. dub. 2. art. 4. actionem esse actum agentis, etiam ut ipsum respicit, ideo ut sic se tenet ex parte agentis, & quia respicit etiam terminum, hinc factum ipsum etiam referri ad terminum, & ad seipsum, non unde acceptum, sed ut fiat sub actione. 2. ait, actionem extrinsece solum denominare agens, ideo non esse necesse ipsum denominare secundum totum esse, quod habet, & ipsum referre ad omne id, ad quod ipsa referretur, quare actio ut respicit effectum, facit referre agens, non ut respicit agens.

20. Sed contra, quia hæc duo sunt distincta in actione per ipsum respicere, scilicet agens, a quo est, & respicere effectum, quatenus per ipsam actionem est effectus; secundum primum actio non respicit effectum, sed agens, ergo ut sic non potest referre agens ad effectum, quod est proprium minus actionis, & licet ipsa dicatur actus agentis, tamen sub ista ratione non actuat agens in ordine ad effectum, sed potius in ordine ad seipsum. Et sic, ut substantia actioni, possit ad seipsum referri, valetur dicere, agens, ut agens, est sui ipsius agens; nam quodlibet relativum suum infert correlativum; immo Deus ut agens seipsum respiceret, eodem modo enim se habent secundum ipsum in terminando dependentiam propriæ actionis agens creatum, & increatum. Secunda responsio, quæ est Suarez disp. 40. sect. 2. n. 18. admittit, actionem, ut agens, respicit, non denominare ipsum ut agens, & consequenter ut sic non esse actionem, cuius est agens denominare, ut agens. Tum quia nullo modo faceret referre agens ad effectum, quia secundum id, quo actio respicit effectum, nequit denominare agens denominatione intrinseca, quia per ipsos ut sic non est in agente: neque denominatione extrinseca, quia omnis talis denominatio sumitur ab aliqua forma dicente habitudinem ad denominatum, ut patet, cum objectum dicitur cognitum per habitudinem cognitionis ad ipsum, ergo actio, ut respicit effectum, non potest extrinsece agens denominare, quia ut sic non respicit agens, sed effectum.

Dices, denominare agens, quia est actus ipsius in ordine ad effectum, & has habitudines in re non distingui, sed unam esse, quæ actio cum subordinatione respicit agens, & effectum, quia respicit agens, a quo egreditur, ut tendit in terminum, non æque primo; at ubi est subordinationis unius propter aliud, ubi est tantum unum; quare non erit ad duos terminos adequatos, licet secundum nostrum concipiendi modum inadæquate concipimus hunc respectum ut duos: ita Suarez sect. 3. n. 23. disput. cit. & Amicus cit. dub. 3. artic. 4.

Sed non solvitur argumentum, quia hoc impugnat, non posse scilicet actionem denominare agens, quamvis actus ipsius dicatur, neque intrinseca, neque extrinseca denominatione. Et falsum est, esse tantum unum respectum, sed duo sunt, quia ad terminos adequatos, & distinctos terminatur; Quod probatur, nam respectus actionis ad agens respicit pro ratione terminandi potentiam activam agentis, ut actuabilem per actionem, a qua potentia procedit actio, ut principia; sed ratio formalis terminandi respectum ad terminum est entitas termini, & potentia passiva ipsius, & licet ista duo aliquo modo habitudinem inter se dicant, tamen non constituunt unam

unam rationem formalem specificam terminandi, quia ratio activi, & passivi non coeunt in unam rationem specificam, ergo nec illi respectus unum constituunt, quia ex distinctione specifica terminorum actuali arguimus distinctionem specificam relationum actualium.

21. Tertio, quod non dicat relationem aliquam mediam inter causam, & effectum a Patre Sghemma adinventam, probatur ex Scot. 2. dist. 1. quaest. 2. E. & in 1. dist. 30. G. & d. 35. L. & 43. C. ad absolutum in causa ita immediate sequitur absolutum in effectu, ut nihil mediet inter ista, non solum, quod determinet agens ad causandum, ut glosat P. Sghemma, verum etiam simpliciter, nam ut ait Doctor. d. 35. & 43. cit. in quocunque instanti natura causa actu refertur ad effectum, tunc est in termino esse actuale, unde infert, quod in primo instanti natura est causa sub ratione absoluti, in secundo est effectus in ratione absoluti, & deinde sequitur relationes, ita ut non est aliquis respectus prior ex parte causae, quam ex parte effectus, immo ab ipsa causa sub ratione absoluti est ipsum causatum sub ratione absoluta, ergo non mediat iste actionis respectus extrinsecus adveniens de genere actionis, neque ante relationem causae ad effectum, effectus dicitur esse a causa, ut agente formaliter, seu media actione, sed est a causa sub ratione absoluti, actio enim est de genere respectivi. Tum quia ex eodem in 4. dist. 13. quaest. 1. P. dupliciter causa dicitur agere, vel ratione principii formalis proximi, & sic denominatur a relatione causae, ut calidum calefactione calefacit, sicut similitudine est simile, vel ratione principii formalis remoti, quo sensu illud ablativum significat absolutum, quod est principium agendi, & fundamentum relationis, ut calidum calore calefaciat, simile albedine est simile, sed causa actione dicitur causare, ergo actio vel dicit relationem causae, quae est posterior effectu, vel solum principium agendi, quae est forma activa agentis, aliter daretur alius modus, quo causa denominatur causa contra Scotum, Tum quia actio secundum Scot. in 4. cit. est respectus extrinsecus adveniens de genere actionis, quo agens respicit passum in ratione transmutantis ad transmutatum, sed iste respectus non potest mediare inter causam, & effectum, quia subiectum ideo transmutari ab agente dicitur, quia recipit de novo ab illo formam, & si talem formam non reciperet, etiam si agens, & passum essent approximata, sed adesset aliquid impedimentum, non sequeretur actio, ergo forma educata, vel inducta praesupponitur actioni de genere actionis, ergo non mediat inter causam, & effectum, hinc Doctor tam in 4. cit. F. quam in 2. dist. 1. q. 5. S. prius ponit respectus agentis ad formam educatam, & passum ad formam receptam, deinde respectum passum ad agens, & agentis ad passum. Tandem quia de ista actione media plura dicit, quae simul non cohaerent; nam respondet. ad 7. dicit, actionem, prout est respectus conducentis ad productum, agentis ad passum, esse de genere relationis, sed ut dicit actionem de genere actionis esse actionem relative ad passionem; sed ad 5. ait, actionem esse respectum extrinsecus adveniensem agentis ad passum; ponit etiam actionem causalitatem agentis, qua respicit effectum productum media ista actione, quae sit actus secundus, & exercitium potentiae activae agentis, at relatio agentis ad passum, sicut pro termino solum passum respicit, non effectum productum, nequit referre agens ad effectum, sed ad passum; neque ista actione agens respicit effectum, sed passum, ergo non est causalitas agentis, & actus secundus ipsius in ordine ad effectum.

22. Quarto igitur concludendum est, actionem dicere respectum aliquem de sua ratione formali consequentem entitates absolutas cause effectus, & subiecti, ut docet Doct. cit. & in 1. dist. 3. q. 6. in fine, & q. 9. O. & quod. 13. Dd. & in lib. de Anim. quaest. 7. ubi adducit auctoritatem Boetii de Trinit. dicentis, septem praedicamenta esse relativa, & tria absoluta, quandoque vero dicit respectum intrinsecus adveniensem, scilicet productionem activam, ut patet ex Scoto locis citatis; sed ut sic non constituit quinquem praedicamentum, in quo relationes extrinsecus advenienses reponuntur, ideoque remanet a sufficienti divisione, quod dicat, ut constituit distinctum praedicamentum respectum agentis ad passum, quod etiam ostendit Scot. in 4. citat. G. ex Philosopho 5. Met. 16. potentia activa est principium transmutandi aliud, in quantum aliud, ergo actio est transmutatio alterius, in quantum est alterum, quia est actus potentiae activae, sed respectus productionis, aut educationis, non sunt propria transmutatio, quia haec non respiciunt aliud, in quantum aliud, sed potius de uno faciunt aliud. Tum quia Gilbertus definiens actionem praedicamentalem, actio, ait, est secundum quam in illud, quod subicitur, agere dicitur, ergo actio proprie respicit passum, hinc Arist. exemplificando de actione, ut calefacere, frigidificare, caleferi, & frigidificari, delectari, & tristari, ignis autem dicitur calefacere aquam, non calorem, & aqua calefit, non calor, voluntas dicitur tristari, & delectari; & solum subiectum dicitur passum, non effectus, ita ut passio est in subiecto, non in effectu, ergo agens, ut respicit passum, non dicit habitum productivum, sed potius transmutantem; neque de ratione actionis de genere actionis erit, ut sit productiva termini, nam, haec ad secundam speciem relationis, ut est quartum praedicamentum, atinet, sed quod sit transmutatio subiecti.

Tandem diximus in concl. sive haec actio successiva sit, &c. quia actio, & motus comitantur, ergo sicut datur motus in-

stantaneus, ita actio instantanea. Tum quia actioni instantaneae conveniunt omnia, quae de actione ut praedicamento loquitur Philosophus; neque haec actio potest in alio praedicamento collocari, quam in praedicamento actionis. Hinc Doctor in 4. dist. 43. quaest. 5. G. & H. concedit, animationem fieri in instanti, & tamen ait, ibi intervenire actionem de genere actionis, idem habet quod. 13. Dd. de productione intellectio- nis, quae licet in instanti producatur, adhuc intellectus dicitur agens. Neque Scotus in principio art. cit. est sibi ipse contrarius; nam illa quaest. 6. solum dicit, actionem esse in continuo fieri, hoc est, in continua dependentia ab agente, quantum durat, non tamen, quod necessario successiva debeat esse; at in qu. 9. solum ait, actionem temporaneam esse proprie actionem, quia actio, quae diu durat, si est tota simul, ut illuminatio, quamvis propter continuam dependentiam formae possit dici aer illuminari, potest tamen etiam illuminatus dici, cum sit actio tota simul, at lignum, dum per horam calefit, non potest dici calefactum in illa hora, propter continuam successionem formae in subiecto; & ideo magis proprie agens actione successiva dicitur agere in subiectum, quam actione instantanea, quae postea fit in continua dependentia ab agente.

23. Sed contra arguitur 1. ostendendo actionem quid absolutum dicere, praeter rationes adductas disputat. 5. qu. 2. de causalitate in communi, quae adhuc in proposito possent adduci. Tum quia Arist. 9. Met. 46. distinguit actionem in immanentem, & transeuntem, & illam dicit esse operationem, quae est ens absolutum. Tum 2. quia istae operationes sunt actus secundum di, ergo sunt actiones, quia omnis actus secundus est actio, nam ex 3. Phys. 18. actio est actus potentiae activae. Tum 3. quia actus vitales producant habitum, ergo habent terminum productum simpliciter, sicut quilibet vera actio. Tum 4. perfectio operantis est quid absolutum, actio vero est finis, & perfectio agentis. Tum 5. si actio est solum relatio, ergo agere est tantum referri, quod est falsum, quia agere in Deo est velle formam in subiecto, & sic velle Dei esset solum referri, idem de agente creato. Tum 6. relativum non est causa sui correlativi, quia sunt simul natura, & causa est prior effectu, sed agens est causa termini, & per actionem formaliter agere dicitur, ergo actio non est sola relatio ad terminum, quia esset omnino eadem, immo posterior illo, non prior. Tandem Aristot. in cap. de agere enumerat delectari, & tristari, quae dicuntur entia absoluta.

Resp. ad 1. a Scoto cit. actionem ab Arist. divisam esse nomen aequivocum, non praedicamentale, & illas operationes dici actiones grammaticaliter, non Physice, & propria. Ad 2. respondet, quod dicitur actus secundum propter assimilationem, quam habent cum vera actione, quia sicut agens per actionem attingit terminum ponendo illum in esse, ita potentia vitalis per istas operationes attingit, & quasi transit in obiectum, ut in terminum. Ad 3. respondet, actus vitales esse, qui producant habitus, non vero actiones, quibus agens producat, quod proprium est actionis in ratione productionis, unde habitus ad actus, ex quibus gignitur, habet sicut effectus ad suam causam efficientem, terminus vero non respicit actionem, sicut effectus causam, sed velut actum suum productivum. Ad 4. ait actionem pro re acta esse finem operantis, non actionem formaliter. Ad 5. dicit, quod aliquid agere denominari potest, vel ratione principii formalis proximi, vel ratione formalis remoti, seu fundamentalis, agens formaliter dicitur agere relatione actionis, fundamentaliter sua potentia activa, & sic verum est, quod agere sit referri in sensu formali, & agere Deo formaliter sit relatio non realis, sed rationis; at fundamentaliter est velle divinum. Ad 6. respondet, relativum formaliter dici causam entitatis sui correlativi per actionem, non in ratione formae productivae, sed denominantis, ut in simili diximus disp. 5. q. 2. Ad ultimum, enumeravit illas operationes vitales, vel quia similitudinem habent cum vera actione, vel quia in actibus vitalibus semper intervenit actio proprie dicta, nam potentia immutatur, & ab obiecto, & ab actu producto.

24. Secundum arguitur, quod dicat respectum ad agens. Arist. 3. Phys. 22. distinguit actionem a passione, dicens, quod actio, & passio sunt idem actus, sed dicitur passio, prout est in passio, dicitur actio, prout est ab agente, ergo actio formaliter dicit respectum ad agens, ut ad principium. Tum quia ex Amico omnis actus respicit suam potentiam, si est actus primus, respicit potentiam receptivam illius, si est actus secundus, respicit actum primum sibi proportionatum, sed actio est actus secundus agentis, ergo dicit ordinem ad actum primum ipsius, quae est potentia activa, ut ad suum principium.

Respon. Doctor in 4. cit. dupliciter; primo, quod loquitur ibi Aristot. de actione pro re acta; modo ista forma dicitur duplicem habitudinem; & ad agens, a quo provenit, & ad passum, in quo recipitur, quarum nulla est in praedicamento actionis, unde distinguit actionem solum ab habitudine essendi in; dicitur autem ista forma actio, quia ut idem notat in lib. de Anim. qu. 7. quando causa est immanifestior suo effectu, circumloquimur ipsam per nomen effectus, & e converso, modo actio, quae est illa relatio, est nobis immanifestior, quam sit forma, ideoque significamus ipsam per effectum; & quod ita loquatur Aristot. patet, quia volens in text. 19. probare, quod actio sit actus activi, ait, quia est finis, & opus agentis; quod convenit formae productivae, non actioni formaliter. 2. Respondet, quod ly esse ab hoc potest dupliciter sumi, uno modo ut determinat aliquod praecedens ad ge-

nis actionis; sed magis respectus oppositus, scilicet a quo aliud; alio modo sumitur, non prout determinat aliquid praecedens, & tunc idem est cum isto respectu a quo aliud, & in hoc sensu dicitur actio; sed non est in passio nisi terminative, ut in seq. art. Ad 2. dicimus, argumentum procedere ex falso fundamento, quod actio sit quoddam ens absolutum causatum, & principium ab agente; quare actus secundus respicit suam potentiam, & actum primum non quidem ut a quo aliud, quia non vere est causatus, ut diximus in praec. quaest. sed ut quod in alio, quia actio fundatur in potentia activa agentis, ut in fundamento, per quam ad passum refertur, ut fufius in seq. art.

25. Tertio arguitur Pater Sghemma, quod actio sit quid primum effectum. Tum quia ex Scot. 4. d. 14. q. 1. B. relatio extrinsecus adveniens semper sequitur aliquam actionem, ergo actio est causalitas praevia. Tum 2. quia dependentia non est activa, quia relatio nuda non agit, ergo actio est alia a dependentia. Tum 3. quia per Scot. 2. d. 1. q. 2. E. causa, quando causat, adhuc causat, ut prius naturaliter ipsa causatione, & secundum illud absolutum, quod prius fuit causativum, nunc causat, ergo causare aliquid est distinctum a relatione causae. Tum 4. ex Scot. quod. 12. C. actio, & passio requiruntur ut dispositiones praeviae, ad hoc ut super potentiam activam, & passivam fundentur relationes causae, & effectus, ergo actio non est consequens absolutum effectus, sed praevia. Aliae rationes seipis solvuntur.

Resp. propositionem Scoti non esse universalem, aliter ad actionem esset actio, cum sit relatio extrinsecus adveniens, & ipse cum Scoto concedit; solum ergo est vera de illis relationibus, quae propria, & per se acquisitionem acquiruntur, ut innuimus in praec. qu. Ad 2. actio nec est dependentia effectus, quae potius est productio passiva, neque est activa, nisi in ratione formae denominantis, ut supra cum Scoto diximus. Ad 3. si per Scotum causa, ut prior causatione, seu causalitate, quae est actio; adhuc causat, jam ut prior actione causaret, & sic non requiritur actio, ut praevia effectui; quare dicimus, Scotum seipsum declarare, quod causa in illo priori natura causare dicitur, non per aliquid novum absolutum, vel respectivum, sed per eandem entitatem, quam prius habebat, quae non est actio; quae autem in eo instanti dicitur actu causare, & quomodo, explicatum est disp. 5. q. 2. ad 3. Ad 4. patet ex eadem disp. q. 2. ad 2. quomodo actio requiritur, quia scilicet nequit agens naturale producere compositum, vel formam substantialem, nequit agens naturale producere compositum, vel formam substantialem in materia, quin praecesserit actio alterativa, & transmutativa subiecti quoad formas accidentales, respectu quarum non praerequiruntur, ut prius agens dicat habitudinem transmutantis ad subiectum, quia, ut diximus, prior habitu agens ad formam, quam ad passum intelligitur, licet sint in eodem instanti temporis, Scotus autem non hoc dixit absolute, sed supponendo, quod relationes causae, & effectus intrinsecus advenienses permanent, quando extrema existunt in rerum natura, etiam si in conservari effectus non dependant, nam sic sequitur, actionem, & passionem, quae ita transeunt, dici praeviae, sed jam disp. 8. Log. q. 10. art. 2. secuti sumus alterum modum dicendi ab eodem Scoto in 3. dist. 8. D. de relatione paternitatis, & filiationis adductum, quod sint merae denominationes extrinsecae derelictae ex actu causandi praetorito, quod id fecit, & illud factum est, ut innuimus disp. cit. ad tertium.

26. Quarto praeter rationes, quibus Adversarii conantur evertere distinctionem illam relationis in intrinsecus, & extrinsecus adveniensem, de quibus in disp. de relatione, instatur, quod actio de genere actionis respiciat terminum productum. Tum auctoritate Scoti in 1. d. 3. q. 6. ad principalia, & in 4. d. 1. qu. 3. M. & quod. 13. Dd. ubi ait, actionem de genere actionis respicere terminum productum. Tum auctoritate Arist. 5. Met. 20. ubi enumerans relationes secundum modi, quae terminum productum respiciunt, dat exemplum de actione, & passione, ut de calefactione, & calefactibilitate, de secante ad id, quod secatur. Tum auctoritate Gilberti definitis passionem, quod sit effectus, illatioque actionis; ergo actio habet effectum productum.

Resp. Scotum his omnibus in locis appellare actionem proprie dictam, & de genere actionis, quae distinguitur ab actione de genere qualitatis, & tantum grammaticaliter sic appellata, non autem actionem quinti praedicamenti, contendebat enim illis in locis, operationes vitales non esse re vera actiones termini productivas, & ideo aequivoce tantum actiones appellari, quatenus grammaticaliter modo tantum nomine activo significatur, ita se declarat in 4. cit. & forte etiam actionem termini productivam appellavit actionem de genere actionis iuxta communem modum loquendi, non quod ipse ita fenserit, nam in 4. dist. 13. q. 1. ubi ex professo de hoc agit oppositum tener. Ad Arist. respondet Doct. in 4. dist. 13. q. 1. V. quod per calefactibile intelligit totum id, quod potest produci, non pro passio, & per calefaciens intelligit producentem, sicut in 7. Phys. 22. ait, totum compositum generari, sive in generatione substantiali, sive accidentali; quae expositio sumitur ex verbis seq. nam subiungit, secundum tempora jam dicuntur ad aliud, ut quod fecit ad id, quod factum est, & id, quod factum est, ad id, quod faciendum est, quod vero facit, est producentem, & id, quod fit, est productum; idem de secante dicendum, 2. brevius respondet; quod ibi Arist. non intelligit assignare species relationis intrinsecus adveniensem, sed solum Masfrui, & Bellini Tom. II. Physica.

modos quosdam, quibus aliqua dicuntur ad aliquid secundum potentiam activam, & passivam, sive sint ejusdem praedicamenti, sive non, sicut in praedicamento qualitatis non assignat solum species qualitatis, sed omnes modos, quibus aliquid potest dici quale, & enumerat differentiam essentialiam, quae ad genus qualitatis non pertinet. Ad Gilbertum dicemus in seq. conclusionem.

27. Dicimus 2. passionem non dicere absolutum aliquod, neque respectu productionis passivae termini, aut receptionis formae in subiecto, sed habitudinem subiecti transmutati ad agens transmutans per novam formam. Ita Scotus saepe cit. Probatur, & explicatur simul; nam nequit formaliter dicere 'absolutum ex dictis de actione; neque productionem passivam, quia haec est intrinsecus adveniens, passio vero extrinsecus adveniens, & terminus dicitur productus, non vero passus; neque relationem subiecti ad formam receptam, quia haec proprie ad praedicamentum habitus reducit, & permanet, transacta passione, nam si agens corrumpatur, tunc passum non dicitur pati, & si formam retineat; quapropter dicit relationem transmutati, & rationabiliter, quia actio, & passio sunt respectus oppositi.

Hinc definitur a Gilberto, quod sit effectus, illatioque actionis; quae definitio est data per proprietatem, proprium enim est passionis inferri ab actione; quod quidem intelligi non debet de sola illatione consecutionis, ut aliqui exponunt, quatenus si actio est, valer inferre, quod etiam sit passio, haec enim illatio convenit quoque passioni, quia relativa mutua, ut sunt haec, mutuo se inferunt; neque intelligendum est in rigore de illatione causationis, sicut causa infert effectum, ut alii volunt; quia passio non est proprie effectus actionis, ut forma est effectus generationis, nam actio quinti praedicamenti ex dictis non est productiva, nec aliquem effectum habet pro termino, sed subiectum, neque ad passionem est actio, aliter ad passionem esset passio; sed intelligendum est medio quodam modo; ut nimirum passio dicatur effectus actionis, quoniam concipitur quodammodo consequi ad actionem, quia enim agens agit, concipitur subiectum pati, non e contra, unde non erit sola illatio consecutionis, sed etiam causationis, licet non in rigore. Cum vero Philos. 3. Phys. cit. & 21. ait, passionem esse esse eundem actum cum actione, & formaliter differre, loquitur de passione pro re acta, & materialiter, non formaliter

ARTICULUS II.

Assignantur actionis, & passionis subiecta.

28. Iacet ex dictis pateat solutio hujus difficultatis, nam si actio & passio dicunt respectus transmutantis, & transmutati, necesse est, actionem in agente, & passionem in passio reperiri; & neminem credimus esse, qui iudicet, illos respectus alia habere subiecta; attamen quia speciales adfunt difficultates, an aliquid quod instat agenti, possit ipsum denominare agens, hinc in praesenti, ac si non determinaverimus, actionem, & passionem esse tales respectus, quarimus utriusque subiecta; & ut a passione incipiamus, in qua est minor difficultas.

Aliqui docent, passionem, ut in subiecto, in motu fundari; ita videntur sentire Bursius, Venet. super 3. Physic. tex. 20. & ex parte Conimbr. cap. 3. q. 1. art. 2. sequitur etiam Amicus tract. 19. q. 7. dub. 4. ubi ait, motum esse saltem subiectum Quo passionis, & actionis.

De actione vero est una opinio Suar. disp. 48. sect. 4. & Hurr. in Phys. disp. 12. sect. 4. & in Metaph. disp. 16. sect. 2. quia distinguit de actione, nam dupliciter possumus loqui de actione, vel ut communis est ad actionem educativam, & creativam, vel de educativa solum; primo modo de sua ratione formali nullum exigit subiectum inhaesionis, sed solum denominationis, quod erit agens, & adhaesionis qui erit terminus, cui adhaeret, non inhaeret, etiam si creatio sit accidens, ratio est, quia haec a subiecto est omnino independens, idem affirmat Vasq. p. r. disp. 173. c. 2. Si vero est educativa, tunc quia terminus ipsius postulat subiectum, erit in subiecto sui termini, quod erit passum, si est actio transiens, vel agens, si est immanens. Addit tamen Suarez, quod talis actio potest dupliciter considerari, vel secundum suam formalitatem, vel secundum id, cui realiter est unita, quae est passio, (nam sustinet, actionem, & passionem esse eundem modum) primo modo nec exigit subiectum, nisi denominationis, quia dicit rationem essendi ab alio, non in alio, & concipitur per modum egressus ab agente, attamen secundo modo in ratione passionis est in subiecto, quod desumpsit ex Aureol. 1. d. 27. q. 1. art. 2.

Alii vero ponunt communiter, actionem de sua ratione formali habere subiectum, sed discrepant, quodnam sit illud; Quidam enim dicunt; esse terminum productum; citatur Aref. 1. de Gen. disp. 5. q. 39. sect. 4. ad 4. Alii motum, Alii passum, sive sit ab agente distinctum, sive non, ita multi Arist. Expositores in 3. Phys. ut Simpl. Them. Philos. Vicom. Tol. etiam q. 2. Iand. q. 5. Ruvius q. 6. Amicus tract. 19. q. 8. Sanch. in Log. tom. 2. q. 66. Complut. disp. 17. Phys. q. 4. & 5. & Vasq. cit. loquendo de actione cum motu conjuncta, nam quae est sine motu, illam ponit in agente. Avera vero qu. 26. sect. 4. hoc asserit de actione ab effectu distincta, at quae non distinguitur, ut est creatio, est in termino, non in subiecto, sed ut ratio essentialis, quia est entitas ipsius.

29. Dicimus tamen, actionem de sua ratione formali subiectum inhaesionis exigere, quod non est terminus productus, vel

motus; aut passum, sed agens ipsum, quæcumque sit ista actio, passum vero erit passionis subiectum: Ita Scot. 4. d. 12. q. 1. D. & d. 43. q. 5. H. quem præter omnes Scotistas sequuntur Zerb. 5. Met. q. 25. Cajet. p. 1. q. 25. art. 1. Zemel, Ripa, Nazar, ibidem, Flandria 5. Met. q. 16. art. 4. ad 6. Ferrar. 3. Phyl. q. 4. Morif, disp. 7. Phyl. q. 4. Carrafa de nat. concur. disp. 13. & alii; quamquam isti discrepent a Scoto quoad formalitatem actionis. Et primo quod actio de sua ratione formali subiectum inhaerentis requirit, probatur, quia actio quæcumque non solum educiva, sed etiam creativa secundum Adversarios non tantum analogice, ut ipsi ajunt, sed propria est accidens, quia accidens ut in species dividitur in illa novem genera, ergo formaliter petit subiectum inhaerentis, quia quodlibet accidens, vel actualiter, vel saltem aptitudinaliter debet inhaerere subiecto, per quod a substantia distinguitur, accidentis enim esse est in esse, inquit Arist. Tum quia probatur ad hominem de actione educiva, ideo actio creativa per ipsos subiectum non requirit, quia constituit rem independentem a subiecto, ergo quia actio educiva constituit rem a subiecto dependentem, de sua ratione formali exigit subiectum. Patet consequentia, quia per hæc duo actio in communi contrahitur ad creationem, & educationem, & actio proportionari debet suo termino. Neque dicas, educationem exigere subiectum ratione termini, non ratione sui. Non enim valet, quia sicut argunt, creationem non solum ratione termini, sed etiam ratione sui, non exigere subiectum, quia terminum constituit independentem a subiecto, idem e contra de educatione dicendum. Tum etiam de creatione, quia hæc est accidens, saltem creatio accidentis, unde saltem hujuscemodi creatio nequit dici modus substantialis, ergo inhaerere debet, aliter esset perfectior quacunque forma accidentali, quia independentia a subiecto dicit perfectionem; hoc autem est falsum, quia forma, & res est perfectius ens, quam modus rei, quod etiam diximus disp. 3. q. 4. art. 2.

30 Resp. Hurtad. cit. & disp. 10. Met. sect. 3. essentiam accidentis esse inesse dupliciter intelligi, primo prout idem est adesse, & ac adherere rei constituta; & esse extra conceptum illius, & hoc modo convenit accidenti in communi, & sic creatio dicitur accidens; secundo pro dependere a subiecto, & hoc modo est falsum, quia etiam forma substantialis dependet a subiecto, vel si de dependentia inhaerentia loquamur, hoc est verum de accidentibus absolutis, non de modis creandi, ratio est, quia accidentia instituantur a natura ad perfectionem substantiæ, & ideo petunt esse in illa, at creatio debet constituit terminum independentem a subiecto, ut Quod, quem effectum ipsa est habitura, ut Quo; hinc sequitur, non esse perfectiorem terminum, quia cum sit independens ut Quo, hoc involvit imperfectionem modalem, estque additum diminuens.

Sed contra, quia si solum ratio accidentis est esse extra conceptum, ergo existentia, substantia, singularitas in substantiis erunt vera accidentia, cum sint extra conceptum rei, & communiter substantia ab accidente distinguitur per hoc, quia substantia est ens per se; prout inhaerentiam aptitudinaliter etiam excludit, accidens vero saltem aptitudinaliter dicit inhaerentiam, quare si iste modus nec aptitudinaliter petit inhaerere, erit perfectior albedine v. gr. creata, quæ ex sua natura habet talem aptitudinem ad inhaerendum. Quod vero sit entitas modalis, & ut Quo, potius confirmat nostram concl. nam si quod est perfectius, & minus ens habet talem aptitudinem, multo magis quod est imperfectius, & magis ens per regulam topicam; & de quo minus videtur inesse, & inest, ergo de quo magis. Tum quia esset perfectior quocunque modo substantiali ab ipsis admisso, qui dependenter sunt a subiecto, licet non per inhaerentiam, nam quod sit substantialis, non videtur addere posse aliquid perfectionis, nisi hoc, quod sit magis independens, & magis per se existens, in hoc enim substantia excedit accidens, at totum oppositum contingeret in presenti. Tum quia nequit intelligi ista adhaesio, & affinitas intima absque vera informatione, ut dicimus disp. 5. q. 10. n. 116. Tandem quia non solvit argumentum de aliis actionibus, ut actiones sunt reduplicative.

31 Secundo, quod istud subiectum non sit terminus, aut motus, probatur, nam causa, quæ ad causandum requirunt existentiam, non possunt esse sibi invicem causæ quoad existentiam, quia idem simul esset prius, & posterius, nam qua ratione causat, est existens, & prius, qua ratione causatur, accipit existentiam, & est posterius, sed actio per Adversarios est causalitas agentis, & per ipsam effectus tanquam per viam accipit esse, unde & prior natura effectui ponitur, ergo nequit subiectari in ipso effectui, & termino, quia causa materialis in causando debet existens præsupponi.

Nec valet dicere, actionem in illo priori non inhaerere actu, sed aptitudine, at quando effectus est productus, tunc actu inhaerere, & ideo non esse simul priorem, & posteriorem. Non valet, quia in qualibet actione adesse miraculum, scilicet accidens sine subiecto actu, & actio illa resularet ab agente resultantia creativa, quia quando est, a subiecto actu non dependet, aptitudo vero non tollit creationem, sicut si albedo crearetur, adhuc aptitudinem haberet ad inhaerendum.

De motu deinde prob. quia est respectus secundum quid realis, ut dicemus in propria disp. ergo neq; subiectare ens reale simpliciter. Tum quia actio, & passio possunt esse absq; motu, si subiectum non præxisteret sub privatione, ut ibidem dicemus, Tum quia denominaretur agens, vel passum, quod non est verum.

Tertio quod tale subiectum non sit passum, ostenditur a Scoto: actio secundum rationem formalem non denominat passum

agere, quia passum, ut passum non agit, ergo non subiectatur in ipso; Probatur consequentia, formam denominare subiectum, est communicari subiecto, & informare subiectum vel saltem ex hoc necessario provenit, ut nequeat a Deo impediri, cum sit effectus formalis formæ, nequit enim albedo esse in pariete, & quod paries non dicitur albus.

Respondent, assumptum esse verum de forma denominante denominatione intrinseca, cujus subiectum est subiectum denominationis, & inhaerentis simul, non vero de forma denominante denominatione extrinseca, sicut est actio respectu agentis: assignant exemplum, & rationem; exemplum de cognitione, quæ denominat objectum cognitum, non tamen in ipso subiectatur; ratio est quia actio est talis natura, quod ipsa ex sua ratione formali non dicit habitudinem inhaerendi, sed emanationis, & principii a quo, seu, ut ait Averfa, non denominat denominatione per modum habentis, sed exercentis actionem, & quia quælibet forma denominat iuxta exigentiam propriam naturæ, & talis denominatio non convenit passio; sed agenti, ideo suum effectum formalem tribuit subiecto extrinseco, quod erit subiectum solum denominationis, non inhaerentis, passum vero est incapax talis denominationis.

32 Sed contra; forma, quæ extrinsece denominat aliquid, etiam intrinsece debet denominare subiectum inhaerentis, sic cognitio extrinsece denominat objectum cognitum, intrinsece denominat potentiam cognoscentem; ratio hujus est tacta, quia forma, media causalitate, quæ est informatio, exercet aliquam causalitatem circa subiectum, cui communicatur, sicut ergo nequit dari causa cum actuali causatione, qui habeat proprium effectum, ita nequit dari aliqua forma, quæ exerceret suam causalitatem informationis circa aliquid subiectum, quin habeat respectu illius proprium effectum formalem, qui est denominatio intrinseca, vel saltem ad ipsum consequitur; ergo actio ut actio, reduplicative debet aliquo pacto denominare passum, Quænam igitur erit ista denominatio; non denominatio passu ut inquit Amicus, quia hæc est effectus passionis, & ab ipsa taliter denominatur, ergo non erit effectus actionis ut sic; nullus enim effectus simul potest esse a duobus causis totalibus: tum quia ista denominatio non est conformis naturæ actionis, immo opposita, nulla autem forma tribuit subiecto intrinsecam denominationem non conformem propriæ naturæ.

Si dicas cum Complut. actionem denominare subiectum affectum actione, eo quia non est impositum hincque aliquid nomen simplex ad hoc concretum significandum. Contra hoc est, quia sicut esse affectum albedine formalissime est esse album, nam album ab albedine, ut a denominante, derivatur, ita quia agens est denominativum actionis, esse actione affectum formalissime erit esse agens, & sic passum erit agens; idem patet in visione, quæ oculum videntem denominat, quia est affectus visionis, & esse videntem est habere in se visionem, & videre, pariformiter passum, quia est affectum actione, dicitur agens, & agere. Si dicas, nullam denominationem tribuere, quia præcindit a subiecto, ut actio est formaliter, vel quia subiectum non est capax. Contra, quia jam requirit subiectum ex dictis; & si subiectum non est capax illius denominationis, ergo neque illius formæ, quia talis denominatio consistit in informatione, vel saltem habet necessariam connexionem cum illa, ergo quod non est capax informationis, & denominationis, neque poterit in se habere formam. Tum quia jam art. præc. probatur est, agens non posse taliter denominari ab habitu ad agens quam dicit ille modus positus ab Adversariis in subiecto.

33 Ex his recipitur solutio, quam adducit Manca 3. Phyl. q. 2. dub. 4. ubi distinguit, quod aliquid dici potest agens dupliciter, vel ut principium actionis, vel ut subiectum ejusdem, actio denominat passum agens, non prout agens significat principium actionis, hoc enim modo denominat causam effectivam, sed ut significat esse subiecti actionis. Non valet, eo quia hoc est confundere significationes terminorum, esse enim agens hincque apud omnes denotat esse principium actionis, sicut esse efficiens est esse principium affectionis; ergo sicut improprie, & mere arbitrarie effectus diceretur efficiens, prout efficiens dicit esse principium affectionis, pariformiter passum arbitrarie dicitur agens, ut denotat actionis subiectum. Tum quia sicut implicat aliquid ens dici videns, quin sit principium visionis, aut dici calefaciens, quin sit principium calefactionis, eo quia tam videns, quam calefaciens ex propria ratione principium activum important, ita implicat aliquid dici agens, quin sit actionis principium, ergo esse actionis principium, & subiectum ejusdem mutuo se inferunt, & ratio hujus est, quia ut diximus formam informare subiectum est illi tribuere suum effectum formalem, id est subiectum proprie, & in rigore dici principium. Quod in ordine ad effectum illum, respectu cuius forma dicitur principium Quo, ergo quia actio est principium Quo agens dicitur formaliter agere, id quod erit informatum actione, & subiectum ejusdem, erit quoque principium Quo agendi, & sic passum, si esset actionis subiectum, diceretur quoque actionis principium.

Manet etiam explosa solutio Jo: de S. Tho. 3. Phyl. q. 14. art. 4. concedentis actionem inchoative in agente subiectari, quatenus dici formalitatem quandam actualem agens in actu secundo, & de otio ad actum transferentem, at consummative est in termino, & mediante termino in passio, si terminus sit aliquid a subiecto dependens, ut sic enim dicit formalitatem, quæ

quæ effectum reddit in actu secundo-causatum, & qua actio redditur consummata, neque enim aliquid dicitur agere ante effectum, quæ duæ formalitates ordine quodam unum sunt, & ratione hujus secundæ formalitatis actio simpliciter est in termino. Exploditur hæc solutio, vel istæ formalitates sunt ejusdem rationis, & sic deberent denominare agens non solum causam, sed etiam effectum, & terminum, quomodo productum denominant, vel sunt diversæ rationis, & sic denominatio agens non poterit ab his formalitatibus æque desumi, sed ab una tantum, sicut unius effectus formalis unica quoque assignari debet causa formalis. Accedit, quod hæc formalitas, quæ reddit, & denominat effectum in actu secundo formaliter causatum, est ipsa passiva productio, non activa; ergo secundum ipsum idem erit dicere actionem consummative esse in termino, ac passionem, vel productionem passivam esse in ipso termino, quod est utique verum, sed falso deinde asseritur hanc formalitatem ad rationem actionis spectare.

34 Quapropter subiectum actionis erit agens, & passionis; quod patet ex sufficienti divisione; & probatur a Doctore; actio, & passio sunt relationes, quibus ad invicem agens, & passus referuntur, ut diximus art. præc. tum quia ex Arist. 3. Met. 20. calefactivum, & calefactibile, calefaciens, & id, quod calefit, sunt quadam relativa, ergo calefactio activa, & calefactio passiva, quæ sunt actio, & passio, dicunt illas relationes; quod patet per locum ad conjugatis, si enim similia sunt quadam relativa, quæ ad invicem referuntur, similitudo in abstracto erit illa mutua relatio inter ipsa; si igitur sunt relationes, clarum est, inquit Doct. in eodem reperiri fundamentum, & relationem, fundamentum autem actionis, quæ est potentia activa, est in agente, & passionis, quæ est potentia passiva, est in passio. Tum quia agens est id, a quo aliud, sive ut producente, sive ut transmutante (ut utramque actionis acceptionem amplectamur) & actione taliter denominatur, sed relatio in agente est talis habiudo, ergo ab ipsa relatione denominabitur agens, quæ in ipso reperitur, non ergo requiritur aliquid aliud, quod ipsum extrinsece denominet agens.

Sed contra arguit 1. ostendens, actionem nullo modo exigere subiectum; quia actio significatur, ut ab alio, ergo ex sua ratione formali non est in alio, quia esse ab distinguitur ab esse in, primum convenit actioni, secundum passioni ex 3. Phyl. 18. & 22. Tum 2. quia creatio est actio independens ab omni subiecto, ergo actio in communi præcindit ab omni subiecto, Antecedens probatur ab Hurt. terminus creationis est independens ab omni subiecto ut Quod per creationem, ergo ipsa est independens ut Quo ab omni subiecto, quia effectus formalis formæ continetur in forma ipsa ut Quo. Tum 3. quia si creatio penderet a subiecto, ergo etiam terminus, quin ideo generationis terminus penderet a subiecto, quia actio ipsius, qua artingitur, penderet a subiecto. Tum 4. quia terminus creationis est subsistens, ergo ipsa creatio est subsistens, ut Quo.

35 Resp. actionem formaliter dicere habitudinem a quo aliud transmutatur per receptionem formæ, & tunc negatur consequentia; Ad prob. dicimus, esse in dupliciter sumi posse, vel prout dicit inhaerentiam relationis in fundamento, vel in subiecto, & hoc est essentialia cuicumque relationi creatæ, sive in primo, sive in secundo modo, & per consequens actioni, secundo pro receptione passiva formæ in passio ab ipso agente, & hoc actioni non convenit, sed passioni. Ad 2. argumentum supponit unum falsum, scilicet creationem dicere quandam modum ex natura rei distinctum, per quem res accipiat esse, quod est falsum, quia creatio fundamentaliter dicit omnipotentiam Dei, formaliter, vel relationem rationis, vel realem terminationem creationis passivæ, quæ est dependentia creaturæ ad Deum, estque relatio realiter identificata creaturæ, in qua fundatur, at si diceret modum aliqueum, deberet esse in subiecto, ut diximus. Per hoc patet 3. & 4.

Secundo possit argui, quod sit in termino, ut in subiecto vel in motu, sed omnes rationes supponunt, vel quod actio sit modus ipsius termini, vel saltem dependentia ipsius ab agente, quæ omnia sunt falsa, solum quod sit in motu, Probatur ex Arist. 3. Phyl. 22. dicente, omnino vero dicere est, quod neque doctio cum disciplina, neq; actio cum passione idem proprio est, sed cui insunt hæc motus. Resp. Doct. lit. M. quod alia lectio habet Sed cui insunt hæc, motus est. Secundo ait, quod ibi sumit motum, non formaliter, sed materialiter pro forma fluente, non quod actio, & passio sint in forma fluente, ut in subiecto, sed actio est in forma terminative, quia terminatur ad passum, ut habens formam, & passio est in forma, quasi subiective, concomitanter, quia concomitantur in eodem subiecto, idem habet ad 1. principale. Vel sumit actionem, & passionem pro illis respectibus concomitantibus formam, & rem actam.

36 Tertio ostenditur, esse in passio actionem ut in subiecto ex 3. Phyl. 18. & seq. ubi ait Arist. motum esse idem cum actione, motus autem est in mobili; unde tex. 20. ait, non esse inconveniens, ut idem actus in communi duobus, i. agenti, & patienti, nam agens est tanquam a quo, patientis ut in quo, uti est doctio, autem est actio, & est in passio secundum Arist. & tex. 22. vultem declarare, quomodo idem motus sit actio, & passio, dicit, motum esse actionem, prout est hujus in hoc, per quod indicat, actionem esse subiective in patiente. Tum in 2. de Anima, 139. habet, si ergo actio, & passio sunt motus, & est in eo, quod moveatur, & patiatur, activi enim, & motivi actus in patiente sit; unde non est secessu, movens moveri; & seq. tex. dicit; sicut actio, & passio

Mastrii, & Bellari Tom. II. Physica.

si in patiente est, non in agente, sicut & ipsius sensibilis actus in ipso sensitivo existit. Tum ex 9. Met. 16. quorumcumque præter actionem est aliud, quod sit, horum actio in eo, quod sit, est, ut edificatio in eo, quod edificatur, similiter & de aliis, & omnino movens in moto; unde actionem dividit in immanentem, & transeuntem, quæ divisio nulla esset, si omnis actio esset in agente.

Resp. ex dictis hucusq; Arist. in illis textibus 3. Phyl. loqui de actione pro re acta, non formaliter; hinc tex. 21. assimilavit actionem, & passionem spatio viz Athenis Thebas, & e contra, sed subjungit postea, licet spatium sit idem, non tamen distantia est eadem, sed alia, & alia; ita licet sit idem actus agentis, & patientis ut doctio, & disciplina, non tamen docere, & discere sunt idem; ecce quod cum ait, actionem, & passionem esse idem, loquitur materialiter, nam docere, & discere se habent formaliter, ut actio & passio, & sic sibi contradiceret, si eodem modo intelligeretur, videlicet quod ubique formaliter loquatur, cum in uno loco dicat, quod sit idem, in alio hoc negat; hinc recte explicat respectus passionis, & actionis per esse ab hoc, & in hoc modo supra infinuato. Per idem ad authoritatem ex 2. de An. quod loquatur de actione acta, præcipue quia ibi est fermo de actione immanente. Ad ultimam dicimus cum Scot. quod. 23. Dd. ibi assignare divisionem actionis in immanentem, & transeuntem, ut est quid æquivocum in sua æquivocata, ut dicimus in præc. art. n. 17. ubi patet, quomodo ista divisio non sit nulla, quamvis omnis actio formaliter in agente reponatur.

37 Quarto ad idem, nullum movens ex eo, quid agit movetur 2. de Anim. 139. sed si agens, ut sic de novo reciperet in se actionem mutaretur, ergo &c. Prob. major, quia aliter agens esset patiens. Tum 2. quia etiam omnis terminus esset in agente, quod est falsum in actione transeunte; sequela probatur, quia terminus physice non artingitur, nisi eo modo, quo causalitas artingitur, ergo si agens attingit intrinsece actionem, ut in ipso maneat, eodem modo attingit terminum. Tum 3. quia de ratione actionis transeuntis est, quod prodeat ab agente, & transeat ab ipso in passum. Tum 4. quia Deus dicitur agens, non per actionem sibi inexistens, sed in passio, ergo idem de aliis dicendum. Tum 5. quia ad denominationem extrinsecam sufficit habitudo formæ in alio existentis, sic cognitio denominat objectum cognitum, licet ipsa non dicat habitudinem passivam ad objectum; sed potius activam: ita licet actio ex se respiciat agens, & non dicat habitudinem a quo aliud, sed ab alio, attamen poterit denominare agens, ut a quo aliud. Tum 6. quia idem agens esset prius, & posterius, prius, quia producit actionem, posterius, quia secundum Scot. agens est formaliter agens per actionem inhaerentem sibi, unde actio est principium, quo agens dicitur formaliter agens, principium vero semper est prius principio. Tandem nullum agens potest formaliter transmutare aliud, nisi illud, per quod formaliter transmutatur, sit in transmutato, quia nihil transmutatur formaliter per aliud separatim. licet hoc possit esse effective, & in genere efficientis causæ, sed agens transmutat passum per actionem, ergo &c. minor probatur, quia potentia activa est principium transmutandi alterum, ergo actus ipsius, qui est actio, est quo agens formaliter transmutatur passum.

38 Resp. ad 1. nullum movens moveri motu terminato ad formam per se acquisibilem, qualis non est actio, ut dicimus in disp. de speciebus motus, moveri tamen mutatione terminata ad formam non per se acquisibilem, sed ad acquisitionem alterius; unde de fallum est, quod ait Amicus, Arist. asserere, nullo modo mutari agens, nam etiam ipsi concedunt, illam relationem de novo advenire agenti, & consequenter nequeunt negare, quod agens aliter se habeat intrinsece tunc, quam prius; cum infertur, quodlibet agens esse patiens, quia recipit aliquid de novo, negamus sequelam, non enim omnis receptio est in prædicamento passionis, sed solum illa, quæ respicit agens; imo potius passio fundatur in receptione, neque potentia receptiva convertitur cum passiva semper, nisi quæ est ad passionem, receptio vero potius, ut respicit formam, est in prædicamento habitus. Ad secundum negatur sequela cum probatione, non enim efficiens attingit effectum media causatione, tamquam ratione agendi, sed immediate per suam essentiam, sicut etiam ipsi habent concedere, modum illum medium, & si ab agente separatim, attingi immediate a substantia agentis, non alio medio; hinc non sequitur, quod si actio est in agente, etiam terminus, quia potest aliquid referri relatione sibi inexistente ad terminum separatim. Ad 3. negatur, actionem emanare, ut quid medium, hoc enim procedit ex nostra falsa imaginatione; sed solum resultat in agente tanquam principium formale denominandi, non producendi. Ad 4. dicimus, Deum denominari agens de novo non intrinsece, quia nihil de novo recipere potest, sed extrinsece, non per actionem receptam in creatura, sed per terminationem dependentiæ creaturæ ad ipsum, sicut paries dicitur visus non per habitu ad visionem ad ipsum, sed per terminationem talis habitudinis: at agens creatum, quia potest de novo relationem recipere, intrinsece denominatur agens. Ad 5. concedimus, illam habitudinem sufficere, sed proprie denominatio fit per terminationem talis habitudinis; unde retorquetur ratio, nam sicut visio licet denominet objectum visum, non per hoc est visio passiva, ita licet habitu ad creaturæ ad Deum sit ratio, cur agens, & creans, denominetur, non per hoc debet dici actio, sed potius passiva habitudo. Ad 6. nullum est inconveniens, subiectum esse absolute prius forma denominante in genere materialis causæ, & posterius ea in genere cau-

causae formalis, quatenus scilicet denominatur ab ea, quia haec est mutua causalitas quoad diversas rationes, quae non repugnat, ut dicimus disp. seq. sic paries absolute est prior albedine, sed posterior ea quatenus albus. Ad ultimum, potius est pro nobis, cum enim agens formaliter transmutari dicatur per relationem actionis, & passum transmutari per relationem passionis, necessario concluditur, quod actio sit in agente formaliter, & passio in passio, quod si contendant, passum transmutari formaliter ab agente per actionem, hoc est omnino negandum.

39 Quinto ex Hurr. disp. 16. Met. sect. 4. passio est in subiecto passio, actio est idem formaliter cum passione, ergo actio quoque est in passio. Minor probatur, idem formaliter est agens agere, & efficere aliquid, & aliquid fieri ab agente, quia apud Grammaticos istae propositiones convertuntur, ego visione video Petrum, Petrus visione videtur a me, ego actione produco Petrum, Petrus actione producit a me; nam activa, & passiva verba non differunt secundum rem significatam, sed solum secundum terminationem vocis, unde eadem visio est, quae denominat potentiam visionem, & obiectum visum, ergo eadem actio denominat agens, & passum. Tum 2. quia non potest intelligi, ignem calefacere lignum, quin intelligatur lignum calefieri ab igne, sicut neque intelligi, oculum videre album, quin intelligatur album videri ab oculo, ergo eadem actio formaliter est, quae denominat lignum passum, & ignem agentem. Tum 3. quia actio, & passio versantur inter eadem extrema, & sub eadem ratione, ergo sunt formaliter idem, quia distinctio relationum pendet ex distinctione extremorum. Antecedens probatur, quia actus respicit agens in ratione agentis, & passum in ratione subiecti, & patientis; passio etiam respicit passum non in ratione agentis, sed patientis, & respicit agens non in ratione subiecti, sed agentis.

Resp. neg. ant. cum sint respectus oppositi; & in subiectis realiter distinctis; cum probatur, concedimus, apud Grammaticos illas propositiones non differre, nisi in modo significandi, non sic apud Philosophos, qui, ubi adest vera ratio physica, ibi distinguunt unam propositionem ab altera, quoad rem significatam, nam prima propositione importatur relatio actionis, secunda vero relatio passionis; & quia in actibus vitalibus non adest vera, sed similitudinaria actio modo explicato in praef. art. hinc Grammatici, qui non tam exacte distinguunt rerum formalitates, eodem modo de istis loquuntur, & de illis, ideoque dicit soler, quod visio est actio non physica, sed grammaticalis, sicut terminus non dicitur passum physice, sed grammaticaliter. Ad 2. per idem negatur consequentia, quia hoc est proprium relativorum, ut unum ingrediatur in conceptu alterius, non quidem ut quid essentiale, sed ut quid extrinsecum, sed necessario requiritur; sic nequit intelligi paries alteri similis; quin concipiatur hic paries illi similis, nequit intelligi, Patrem in divinis producere Filium, quin intelligatur, Filium produci a Patre, & tamen realiter distinguuntur, & distinctis relationibus constituuntur. Nec valet, quod ait Hurr. hoc peculiare esse in divinis; Tum quia quod convenit divinis personis propter rationes aliquas communes ipsis, & creaturis; convenit etiam creaturis; modo ista mutua illatio convenit ipsis, eo quia sunt relativa, ut relatio praescindit a creatura, & increata, ut patet; Tum quia adest exemplum in creatis; & paritas de visione assumpta non valet, quia non est vera actio, sed solum similitudinaria, cum per ipsam nullus terminus accipiat esse simpliciter; hinc est, quod non adest mutua denominatio intrinseca. Ad 3. si valeret, tolleretur de medio omnia relationem, nam similitudo respicit album ut album, & equalitas inter duo palmaria respicit illa, ut palmaria sunt; dicimus igitur, quod tam actio, quam passio respiciunt agens, & passum, sed non eodem modo, nam actio respicit quidem agens, ut agens adhuc ut fundamentum, & passum, ut passum, & ut terminum; sed passio respicit passum, ut passum; & ut fundamentum, agens vero ut agens, & ut terminum, sicut universaliter evenit in qualibet relatione.

40 Ultimo arguunt Compl. Tum quia actio, passio, & motus in una entitate identificantur, imo motus est utriusque subiectum, sed motus est in passio, & mobili, ergo &c. Tum 2. quia Aristot. nunquam affirmavit, actionem esse in agente, imo hoc expresse negavit 3. Phys. 17. dicens. *Motus autem actus alius non est, oportet enim esse actum utriusque*, nec aliam actionem agnovit praeter illam, quam in passio assignavit, alioquin agens de formalitate actionis in 3. Physic. ex professo, & distinctionem ipsius a passione, & motu diligenter investigans, mancus fuisset, si veram rationem non assignasset. Tum 3. motivum, & mobile correlative se habent, & quia movens movet mobile, ideo mobile moveretur a motivo, ergo idem actus, & non alius requiritur, est sufficiens ad hoc, ut movens moveat, & non alius moveatur, sicut quia visio effectus visivi, & visibilis eadem visio sufficit, ut visus videat, & visibile videatur. Tum 4. quia actio immanens a transiente distinguitur per hoc, quod illa est intrinseca agentis perfectio, & in ipso manet, non ista; differentia ab alius assignata, quod immanens nihil producat extra agens, transiens vero producat in subiectum distinctum, sed manendo in agente, est falsa, quia volitio divina est immanens actio, & tamen ad extra producit creaturas; tum quia potentiae operative transientes extrahunt extra potentialitatem, statim ac perficiunt passum, ad quod perficiendum sunt per se prius ordinata, sed praecisa per hoc, quod datur actio, quae subiectetur in passio, & a potentiis agentis exeat, perficitur passum ab agente, ergo superfluit alia actualitas in agente ad extrahendum ipsum de potentia agens ad actu agens.

Resp. ad 1. falsum esse assumptum, ut patet disp. 15. qu. 1. & 3. Ad 2. dicimus, Arist. assignasse istam actionem, dum 5. Met.

9. de ad aliquid dixit, relationes secundi modi fundari super potentiam activam, & passivam, & 3. Phys. 20. & 22. clare ait, actionem, & passionem formaliter, id est conceptu differre, & in aliis esse subiectis, sicut doctio, & disciplina, & explicat, actionem esse respectum huius in hoc, passionem huius ab hoc: in textu 17. loquebatur de actione pro re acta, vide expositionem textus 3. Phys. cap. 2. Ad 3. imo quia relative se habent, debent habere diversas relationes, quibus formaliter dicantur movere, & moveri, seu agere, & pati; nec valet paritas de visione, quia nec visio est vera actio, nec videns, & visibile sunt relativa mutua. Ad 4. patet ex dictis art. 1. quomodo divisio actionis in immanentem, & transientem debeat intelligi, ad veram enim actionem transientem requiritur, ut effectus sit extra agens; cum improbat de volitione divina, dicimus, divinam volitionem nec esse actionem formaliter, sed grammaticaliter, nec esse omnimode immanentem, sed virtualiter transientem; ad aliam probationem dicimus, si agens in se non recipiat actionem, non extraheret ejus potentialitas ad actu formaliter, sed fundamentaliter, formaliter enim, & intrinseca denominatione dicitur in actu secundo per actionis respectum.

ARTICULUS III.

Explicatur causalitas agentis ut producentis, & transmutantis, ac etiam conservantis.

41 Sunc 6. Met. qu. 4. Javellus ib. Masius Phys. qu. 3. sect. 3. ajunt, causalitatem huius causae consistere, non in actione, sed in agere, efficere, & producere effectum. Fons. 5. Metaph. cap. 2. qu. 5. varie est locutus, ut notat Averla qu. 14. sect. 4. sed praecipue asserit, consistere in influxu ab actione distincto, quo potentia activa reducitur ad actum. Communis opinio apud Recentiores est in actione consistere, quos ex Scoritis sequuntur Sghemma 2. Phys. digress. 10. q. 4. & Fuentes q. 4. diff. 4. At Compl. disp. 10. Phys. quae. ult. asserunt, non differre istas opiniones in re; melius tamen Thomistas loqui, quippe quod agens in actu est agens per exercitium actionis, quod rectius per hoc nomen concretum agere, seu efficere explicatur, quam per abstractum actionis.

Sed ut consequenter loquamur, distinctione opus est, vel enim est sermo de causa efficiente, ut producat est, & in ordine ad terminum productum, vel de ipsa, ut transmutans est, & in ordine ad subiectum; Si primo modo loquamur, sic quia causalitas causae in communi est relatio causae ad effectum, ut fuisse ostensum est disp. 5. q. 2. sequitur, causalitatem causae effectivae esse relationem ejusdem ad terminum productum, quae est intrinseca adveniens, & actio, seu productio de predicamento relationis nominatur; explicaturque per habitudinem a quo aliud, seu unde aliud productum, & effectum est, quam causalitatem exercet circa omnes effectus physicos enumeratos in praef. q. quod est verum de causis effectivis denominatione intrinseca, non vero quae duntaxat extrinseca denominatione dicuntur causae, qualis est Deus, nam causalitas in istis solum dicit formaliter terminationem realis dependentiae effectus producti, & quae terminatio erit relatio quaedam rationis materialis, non formalis, nisi opere intellectus accedente, ut de qualibet extrinseca denominatione diximus in tract. de Ente rationis in Log. Si vero consideretur causa efficiens in ordine ad subiectum, & quia tunc solum refertur ad ipsum relatione actionis de quinto predicamento, & extrinseca adveniente, ut dictum est, causalitas ejus erit talis actio, quae potest explicari per habitudinem a quo, vel unde aliud transmutatum est, seu quod in aliud. A quibus causalitatibus potest abstrahi una communis, scilicet habitudo a quo, vel unde aliud productum, vel transmutatum est, explicata in definitione causae efficientis tradita ab Arist. ut in prima quaest. diximus. Ratio istius dicti alia non est, nisi quia causalitas est, quae causa respicit effectum, & a quo causa in actu denominatur, talis est relatio, quae nomine actionis potest appellari, quatenus est significativa relationis, tam intrinseca, quam extrinseca adveniens; ita Scotus in 4. saepe cit. & in 2. d. 1. q. 2. E.

42 Rectius tandem haec causalitas nomine actionis, quam per agere, explicatur; ratio est, quoniam causalitas, & causa seu causare, differunt, sicut concretum, & abstractum, ergo causalitas cum sit abstractum, debet nomine abstracto, qualis est actio, explicari, non concreto, ut est agere, sicut rectius dicitur, albedo est qualitas, quam album est qualitas, sed potius album est reale.

Sed dices, actio est effectus agentis, ergo non ejus causalitas. Antecedens patet, quia ab ipso dependet. Tum 2. quia transacta actione, adhuc efficiens causa denominatur, ut patet in parte. Tum 3. quia qualibet causa per motum agens plures dicitur causa efficiens, & in ordine ad effectum, & in ordine ad subiectum. Tum 4. omne concretum verbale, ut est agere, non significat formam abstractam in recto, sed in obliquo, & subiectum in recto, unde agere significat habens actionem, ergo causalitas non in actione, sed in ipso agere consistit.

Resp. facilliter, non quamlibet dependentiam arguere effectum proprie dictum, ut diximus quaest. praeced. & idem dubium posset fieri de illo influxu Fonsce. Ad 2. diximus quoque, post actionem in illis effectibus, qui non pendunt a causis in conservari, non esse inter illa extrema relationem realem, sed tantum denominationem extrinsecam a praeterita actione derelictam. Ad 3. concedimus, plures habere causalitates, non tamen esse plures causas, quia

quia ad multiplicationem concretorum non sufficit multiplicatio formarum, sed requiritur quoque multiplicatio suppositorum, ut notat Doctor in 3. dist. 8. quaest. unic. Ad 4. potius concluderet, causalitatem esse entitatem subiecti, quia significatur in recto ab illo concreto, quod est agere; unde quia causalitas formaliter est, quae agens denominatur causa, & actu agens, erit forma illa, a qua sumitur talis denominatio, quae forma non erit nisi illa relatio assignata, & actio, quae est significatum formale illius concreti; concreta enim formaliter significant formam, materialiter subiectum; neque ex hoc, quod in recto subiectum importatur, erit significatum formale, quia hoc est proprium denominativorum, quod per materiam in recto designantur; vel dicimus, non esse illam expressionem per se significati, sed potius quandam explanationem a vulgo receptam; vere tamen debet hoc modo explicari, agere est actio in subiecto, sicut album est albedo in subiecto; ut in Log. diximus disp. 2. qu. 6. art. 2. Alias rationes in contrarium vide disp. 5. q. 2. cit.

43 Solum in praesenti dubitari potest, an causa, quae non solum productiva, sed conservativa quoque effectus dicitur, eadem actione agat in illum in prima sui productione, & deinceps, an vero diversa; seu an productio, & conservatio ejusdem effectus sit eadem actio, vel distincta aliquo modo. Henr. quod. 1. quaest. 7. & quod. 9. qu. 1. Avroel. in 2. d. 1. q. ult. art. 2. & Greg. qu. 6. asserunt, conservatioem diversam omnino actionem dicere a productione; quod probabile putat Rub. ibid. q. 8. art. 2. concl. 3.

Notandum est tamen ex Scot. 2. d. 1. q. 5. S. & d. 2. qu. 1. A. & E. & quod. 12. art. 2. quod praeter respectus reales simpliciter, qui in qualibet productione interveniunt, explicatos art. 1. huius quod. dantur multi respectus rationis, seu reales secundum quid & ut ad praesens spectat, datur respectus ad non esse ipsius termini producti immediate praecedens; & post productionem est respectus ad idem esse ut praehabitu; primus respectus importatur a productione, secundus a conservacione, & cum hoc importatur etiam ab utraque respectus actionis causae ad effectum productum, & dependentem in esse tam in-produci, quam in conservari; quapropter productio dicit duo, & respectum realem causae ad effectum, & respectum rationis ad non esse immediate praecedens, quia per ipsam effectus accipit primo esse; conservatio quoque dicit duo, respectum realem causae conservantis ad effectum conservatum, qui est secundi modi relationum, fundatus super potentiam activam, & passivam, & respectum rationis ad esse ejusdem ut praehabitu; hinc duplex quaestio oriri potest, una de re, altera de nomine, prima est, num respectus simpliciter realis, qui est actio de genere relationis, sit idem omnino in productione, & conservacione, an vero diversus; secunda est, supposito quod sit idem, num productio de principali significato dicat respectum realem, & conservatio similiter, connotent vero respectus illos rationis, & consequenter formaliter convenient, & differant per connotata; an contra de principali significato dicant respectus illos rationis, & connotent respectum realem, undem realiter, & formaliter differant, & solum materialiter, & pro connotato convenient; intelligitur autem quaestio respectu ejusdem causae effectivae, nam si esset diversa, puta si lumen productum ab una lucerna, postea ab alia conservaretur, (quod naturaliter non videtur fieri posse, sed supernaturaliter) esset procul dubio alia actio, quia variantur extrema, quod esse nequit sine alia actione.

44 Dicimus 1. eandem omnino actionem esse, quae agens producit, & conservat effectum in esse; ita Scotus in 2. dist. 2. qu. 1. E. in 4. d. 12. q. 2. R. & quod. 12. art. 1. quem fere omnes Recentiores sequuntur, ut Suar. disp. 21. Met. sect. 2. Averla q. 26. sect. 1. & ex professo probant Bass. 2. dist. 1. qu. 6. art. 3. P. Vulpes 2. p. disp. 4. art. 4. cum Scoto cit. Ejusdem re, & ratione ad idem re, & ratione non est nisi un. dependentia essentialis, quia extremis iidem manentibus, eadem omnino manet relatio; sed in casu manet eadem omnino entitas causae cum eadem potentia activa, & eadem entitas effectus in potentia passiva, ut dicit illam continuatam dependentiam fundamentalem, quatenus scilicet eadem omnino entitas nequit esse, nisi causa actu influente (supponimus enim, effectum non variari, aliter esset de numero successivorum, & semper nova actio esset ad novam partem effectus) ergo eadem habitudo manet inter illa. Tum quia prima actio, quae dicitur productio, per instans solum nostri temporis durare deberet, quia quae ratione amplius duraret, semper durare posset, ergo subsquens actio, quae diceretur conservatio, vel duraret per aliud simile instans tantum, vel per totum subsequens tempus, quo res conservatur, non primum, quod darentur duo instantia immediata; si secundum, ergo hoc ipsum de prima illa actione dici poterit, quod semper eadem perseveret sine additione alterius actionis novae a priori distinctae. Tum quia si conservatio diceret novam actionem incipientem per ultimum non esse, quod erit instans, & primum esse productionis, necessario inciperet per partem post partem, non tota simul, quia nullum indivisibile potest in tempore incipere, ut dicimus disp. 14. qu. 2. art. 4. sed nequit hoc esse, quia si per partes incipit, ergo vel effectus non existit in tempore illo secundum omnes partes, puta secundum illas, quae terminarent partes actionis succedentes, vel non conservaretur a sua causa secundum omnes partes, si totus existeret; quae ratio magis convincit, si effectus esset indivisibilis. Tum quia quod ex parte Dei sit eadem actio, & idem concurrat, etiam si alia causa conservanda variantur, fuisse probatum est disp. 2. q. 3. art. 3. & disp. 3. q. 4. art. 2.

45 Sed contra obijciunt, actio, quae dat esse rei, est subita, non permanens, ad quae conservat, permanet, ergo est alia. Tum quia secundum August. 11. super Gen. c. 19. aer non est factus lucis, & Bellui Tom. II. Physica.

cidus a Sole, sed sit lucidus, ergo alia, & alia actione: & secundum eundem, Deus quievit ab omni opere, quod pararat, loquendo de creatione, & semper operatur, loquendo de conservacione, ergo actiones distinctae. Tum quia priori invariato, potest variari posterius, & multiplicari, sed extrema, v. g. Sol, & lumen sunt priora istis respectibus, ergo possunt respectus variari ab invariacione Solis, & luminis, ergo non necessario est eadem actio continuata. Tum quia variatio temporis ex 5. Phys. arguit variationem actionis.

Resp. ex quod. cit. productionem esse subitam, & conservacionem permanentem, non secundum respectum realem, quem dicunt, sed secundum respectus rationis ad non esse immediate praecedens, & ad idem, ut praehabitu. Ad 2. ex lit. D. aliqua dicuntur in fieri, quia non habent esse completum, ut successiva, ex opposito aliqua erunt in facto esse; si habent esse completum, & hoc modo aer non sit lucidus, sed est factus lucidus, quia lumen habet totum esse simul, & completum; alio modo aliqua sunt in fieri, quia in continua dependentia, quamvis habeant esse permanentem, alia in facto esse, quia non dependent in conservari; hoc modo aer sit lucidus, non est factus lucidus, non tamen sequitur, esse per diversam actionem, sed per eandem continuatam, aliter nec ipsa conservatio esset unica actio permanens, sed alia successiva. Deus quoque quievit a creatione, prout dicit respectum ad non esse secundum respectum realem, si loquamur de respectu creaturae ad Deum, vel secundum terminationem realem dependentiae ejusdem, si de creatione activa est sermo. Ad 3. ad variationem posterioris non necessario variari prius, quando illud necessario non resultat, modo respectus inter causam conservantem, & rem conservatam necessario maneat manentibus extremis, ideoque si talis respectus cessat, a posteriori arguimus, cessare, vel utrumque extremum, vel effectum, a priori vero destructio respectus provenit ex destructione extremi; & idem argumentum potest fieri de similitudine, & aliis relationibus. Ad 4. si variatio temporis est cum interruptione, tunc arguitur variatio actionis, non vero est idem tempus continuatum, ut in proprio loco dicemus infra.

46 Dicimus 2. creationem, & conservacionem de principali significato dicere respectum illum realem, connotare vero respectus rationis ad non esse praecedens, & ad esse praehabitu, & consequenter extrinsecae, & connotative inter se solum differre. Hac conclus. quamvis ut dubia relinquatur a Scoto quod. 12. art. 2. docetur tamen a Bassol. & a Vulpio cit. esque communis, quia principale significatum alicujus nominis est illud, quod datur intelligi ex institutione imponentis nomen illud, connotatum vero, quod datur intelligi ex modo significandi principalis significati ex Scoto 4. dist. 1. quaest. 2. G. & quaest. 8. Pradicament. ad primum, ut v. g. haec nomina, prandium, & cena principaliter significant comestionem, quia ad hanc significandam imposita fuerit a primo instituyente; sed quia non eodem modo illam significant, nam prandium significat illam in tali tempore, scilicet matutino, & cena in vespertino, ideo tempus matutinum, & vespertinum dicuntur connotata: ut dictum est etiam disp. 4. q. 1. art. 2. de privatione, & aptitudine subiecti, sed productio, & conservatio sunt imposita ad significandum respectum dependentiae ad effectum, non vero ad significandos illos respectus rationis, quia cum denominant causam producentem, & conservantem, primario faciunt illam referre ad effectum, non ad non esse, vel ad esse effectus ut praehabitu; unde ab omnibus ponuntur in predicamento relationis intrinsecus adveniens; licet non eodem modo respectum illum significant, sed productio cum respectu ad non esse immediate praecedens, conservatio cum respectu ad esse praehabitu, ergo isti respectus erunt connotata, ille vero principalis significatum, utrumque enim nequit esse de principali significato, quia non dicerent unum per se, sed aggregatum per accidens.

47 Sed contra obijciunt, productio, & conservatio distinguuntur per illos respectus rationis, ergo per illos quoque constituantur, quia eadem sunt principia constitutiva, & distinctiva. Tum 2. quia quod fundatur, videtur formale, quod fundat, videtur materiale, quia illud se habet ut spiritualius, istud ut materialius, respectus realis est fundans, illi respectus rationis sunt fundati, ergo &c. Tum 3. implicat intelligere formalitatem rei sine re, cuius est formalitas, ergo si possimus intelligere respectum dependentiae absque eo, quod productionem intelligamus, & cum concipimus respectum ad non esse praecedens, intelligimus rationem productionis, plane iste respectus erit principale significatum, non ille. Tum 4. ad variationem connotati non sequitur destructio principalis significati, ut ad variationem parietis, quod est connotatum abbi, si scilicet concipiatur lignum album, non sequitur destructio albedinis, quod est principale significatum; & ratio est, quia connotatum, cum sit quid extrinsecum, non potest essentiam variare, at ad variationem respectus ad non esse, non amplius intelligitur productio, ergo &c.

Resp. si haec omnia valerent, ergo prandium, & cena principaliter significarent tempus matutinum, & vespertinum, privatio aptitudinem subiecti, quare ad 1. dicimus, regulam illam valere in absolutis, non in connotativis, quae per extrinseca differunt. Ad 2. dicimus, regulam illam non esse universaliter veram, praesertim in connotativis; adest manifesta instantia in relativis secundum esse, & secundum dici, in illis enim, quod fundat, ut albedo, est connotatum, respectus vero fundatus, ut similitudo, est formale significatum huius connotativi similis; at in istis, quod fundat, est principale significatum, respectus vero est connotatum, M 3

sum, ut patet in scientia. Ad 3. in casu concipitur principale significatum productionis, non tamen concipitur productio quoad formalem significatum, non duo habet significare, unum formaliter, alterum connotative, vide, quae diximus de connotativis disp. 8. Log. q. 3. art. 1. in fine, & superius disp. 4. p. 7. Per idem ad 4. destruitur productio non quoad principale significatum, sed secundum id, quod connotat.

Q U A E S T I O IV.

De Conditionibus Causae effectivae.

48 Plures assignantur conditiones a Doctoribus ad causam efficientem requisitae; prima est, quod existat; secunda, quod agat in passum distinctum; tertia, quod istud passum sit ipsi propinquum; quarta, quod sit quoque dissimile; de primis tribus in praesenti agemus, inquirendo, an vere, & proprie sint necessariae, ut agens agat; de quarto vero dicimus in lib. de Generatione, requirit enim cognitionem multorum, quae non nisi in illis libris exacte haberi potest, ut quomodo, & a quo qualitas per antyparistam, & reflexionem intendatur: an dissimilitudo debeat esse secundum proportionem majoris inaequalitatis; an iste excessus proprium habeat, & determinatum terminum. Et quidem quod spectat ad primam conditionem de existentia, Cabrera 3. p. q. 26. art. 1. disp. 3. §. 13. citans Nugn. & Zumei, Cabezudus 3. p. qu. 62. art. 1. apud Hurt. disp. 8. sect. 5. ut causalitatem physicam Sacramentorum agens gratiam defenderent, dixerunt, posse naturaliter aliquid operari non existens, dummodo tamen immediate ante ad productionem effectus extiterit, concurrere physice, & realiter ad talem productionem, etiam si in instanti, vel tempore productionis non existat. Alii vero erubescens hoc viribus naturae concedere, affirmant, supernaturaliter non implicare, causam non existentem elevari ad producendum realiter effectum; citantur pro hac sententia Scotus 4. d. 9. q. 2. art. 7. Cajet. 3. p. q. 62. art. 1. Victoria ibid. & Med. q. 49. art. 6.

Circa secundam conditionem, aliqui universaliter negant, idem posse in seipsum agere, nisi forte per partes, quia scilicet una pars movet aliam, ita Gotfr. quod. 6. q. 7. & multi Thomistae, ut Capr. in 1. d. 3. Sonc. 9. Met. qu. 7. Ferrar. 1. contra gent. c. 23. Multi item Arist. Expositores super 7. & 8. Ph. 7. ubi Arist. asseruit, omne, quod movetur, ab alio moveri.

Tandem circa tertiam negant universaliter Thomistae actionem in distans cum D. Th. 1. p. qu. 8. Suar. disp. 18. Met. sec. 8. & disp. 30. sec. 7. Hurt. disp. 9. Phys. c. 2. Ruyus ibid. & 1. de Gen. c. 6. Aref. 1. de Gen. qu. 41. Valq. vero, Val. 1. p. 8. & alii hoc solum negant de agente creato, non de increato. Aversa tamen qu. 14. sect. 9. hoc concedit de agente increato, & de causis caelestibus, quoad aliquos effectus, sed negat universaliter de causis spiritualibus creatis, & de subnaturalibus. Arriag. tandem disp. 7. Phys. sect. 6. n. 71. concedit agens naturale posse agere in distans per potentiam Dei absolutam, quod alii negant.

A R T I C U L U S I.

Ostenditur necessitas existentiae ad causandum.

49 Diximus, existentiam ita necessariam esse causae efficienti ad causandum, ut neq. naturaliter, neque supernaturaliter aliquid non existens ad productionem alicujus effectus physice concurrere possit, ita Doct. in 2. d. 2. q. 19. B. & seq. & in 4. d. 1. qu. 5. A. ex hoc principio maxime ostendit moralem causalitatem Sacramentorum respectu gratiae, quia cum sint successive, & in continuo fieri, gratia vero causetur in ultimo instanti, in quo verba non adfunt, nequeunt physice in gratiam influere, & d. 12. q. 3. sup. A. estque tam communis, ut fere omnes tanquam evidens axioma supponant, tractant tamen ex professo Hurt. cit. Amic. tr. 12. q. 3. dub. 1. & 2. Suar. 3. p. disp. 8. sect. 2. & Cartagena de Sacra. disp. 3. diff. 1. c. 7. Et quod naturaliter existentia sit necessaria, Prob. a Scot. in 2. ci. Tum quia ex 2. Phys. 37. & 5. Met. 3. causa, & effectus simul sunt, & non sunt. Tum quia quod non est, quando non est, non producit aliquid in esse, nam nemo dat, quando non habet, causa non existens non habet existentiam actualem, ergo nequit illam effectui tribuere. Tum quia nequit imperfectus producere perfectus, sed ens non existens est imperfectus ente existente, ergo nequit hoc ab illo produci, Minor patet, quia praeter existentiam ens in actu habet quoque existentiam, qua caret ens in potentia. Tum quia causa, & effectus sunt relativa, ergo unum nequit esse sine alio. Tum quia si aliquid potest a non existente produci, ergo & conservari, quia si effectus est taliter dependens, eadem actione producit, & conservatur ex supradictis, ergo si productio potest esse a non existente, etiam conservatio, quae est eadem actio, & non minus haec, quam illa ab agente dependet, hoc tamen est falsum, quia causa conservans est, qua destructa, destruitur effectus; & quia omnes res dici possunt in conservari dependentes a causis creatis, postquam destructae sunt, ut si ius a parte defuncto.

Respondent, causam tunc non esse formaliter, & in esse entis, esse tamen virtualiter, & in esse causae. Sed contra, quia Philosophus in esse entis loquitur, & ex existentia in tali esse arguit existentiam in esse causae, ut patet ex ipso contextu. Tum quia, ut ait Doct. cit. litt. C. existere virtualiter causam, ut ipsi loquuntur, est esse: sicut causae virtus in suo effectu, quod actu non est nisi entitas effectus, ergo ut sic potest effectum causare, idem erit dicere, ac effectum causare seipsum. Tum quia esse causam in

actu, & physice influere, si fundamentaliter sumatur, dicit virtutem activam agentis, si formaliter, significat habitudinem causae ad effectum, sed quod non est in genere entis, non est secundum propriam virtutem activam, quae est entitas ipsa, & multo minus habere potest illam habitudinem, quae in virtute activa fundari deberet, ergo nullo modo dici potest esse causa in actu, unde Philosophus 4. Met. 16. ait: *Quae non sunt quo modo loquentur, aut ambulabunt?* & loquitur, ut patet legenti, de existere in esse entis, & ex hoc, quod non existunt, negat, posse loqui, aut ambulare. Tum quia posset etiam admitti, quod nunquam fuit, neque erit, actu concurrere ad actionem; & sic frustra homines medica arte a morbis quaerent praeservari; nam quod aliquando extiterit, parum refert; quia ut ait Suar, tam est omnino nihil, quod non est, sed fuit, quam quod non est, nec fuit; & hoc, quod est fuisse, solum quandam denominationem extrinsecam dicit, quae nihil activitatis ponit in rerum natura; imo potest dici magis non ens res, quae fuit, & non est, quam quae nunquam extitit, quia haec potest esse, at illa regulariter nequit esse amplius, quia regulariter corruptum viribus naturae non reproducitur.

50 Respondent, discrimen esse, quia sicut inter causam, & effectum sufficit contactus per contiguitationem localem, & non per penetrationem, ita sufficit contactus durationis per contiguitationem, non per coexistentiam simultaneam, modo quod nunquam fuit, nullatenus est in duratione contiguum effectui, sicut etiam quod multo tempore ante extitit, at quod immediate praecessit effectum, ut primum esse effectus sit primum non esse causae, est contiguum in duratione, & consequenter haec contiguitas sufficit in duratione ad agendum, & non requiritur necessario existentia simultanea in duratione cum effectu.

Sed contra; quia rationes adductae ostendunt necessitatem simultaneae existentiae cum effectu, & non contiguitatem tantum in duratione; & si paritas assumpta de praesentia locali valeret, probaret quoque, istam contiguitatem, nec esse necessariam, sicut nec est necessaria contiguitas localis, cum possit agens agere in distans, ut dicemus. Tum quia, ut ait Hurtad. detur aliquid instans, quod sit primum esse unius rei, & ultimum non esse alterius, ista duo immediate se habent, & contigua in duratione, ergo quod incipit intrinsece in illo instanti poterit habere rationem effectus, & quod in tempore immediate sequenti, rationem causae, & sic quod nunquam fuit, poterit esse causa, quia in illo instanti, in quo causetur effectus, causa non est nec antea; prima consequentia patet, nam si existentia non requiritur, & sufficit contiguitas in duratione cum virtute possibile causae, haec omnia interveniunt in casu posito. Tandem sequeretur hominem in primo sui non esse posse mereri, vel demereri, quia posset in illo instanti, in quo homo primo non est, elicere actum contritionis, si fuit in peccato, vel actum peccaminosum, si erat in gratia, cuius actus causa erit homo ipse mortuus; posset occidere aliquem, & similia causare, quae sunt falsa.

51 Ex quibus probatur etiam secunda pars, quod scilicet neque supernaturaliter per elevationem a Deo factam possit hoc fieri. Tum quia hoc implicat; nam quod actu causet, habet non solum potentiam logicam causandi, sed etiam physicam, sicut physice causet; quod non est, licet dicatur habere logicam potentiam, non tamen physicam, quia nullam entitatem habet realem actualem, quod requiritur ad potentiam physicam realem, ergo ponere causam non existentem causare, est admittere, causam habere simul, & non habere potentiam physicam. Tum quia vel ista elevatio ferret solummodo per auxilium externum, nihil imprimendo in causam, vel per auxilium intrinsecum, tribuendo aliquid ipsi causae per modum actus primi; si primo modo ferret, praesupponit potentiam physicam realem, & obedientialem, quae non esset in causa non existente; & implicat intelligere creaturam elevatam ad concurrentem simul cum Deo in effectum communem, & non concipere creaturam per propriam potentiam agere; si secundo modo fieret, vel talis elevatio fuit facta, quando causa erat, & hoc est falsum, quia tunc non agebat, & nihil juvaret, cum illa virtus impressa desineret esse ad destinationem causae, vel quando causa jam non est, & neq. hoc, quia subiectum, ut exerceat propriam causalitatem, etiam secundum ipsos praesupponit existentiam; nequit ergo illa virtus recipi in subiecto non existente. Quapropter concludendum est, existentiam esse simpliciter necessariam causae efficienti ad causandum. An vero requiratur tanquam conditio, vel tanquam ratio causandi, pendet ex dictis disp. 5. q. 4. art. 3. ubi de ratione conditionis ad causandum praerogativa diximus esse, quod nedum non includatur in ratione proxima causandi, sed nihil etiam omnino sit illius causae, ita quod sit applicatio causae jam in ordine suo constitutae, ut in actu exeat, & ideo cum existentia sit modus rerum intrinsecus, potius dici debet pertinere ad complementum causae in ordine suo, quam mera conditio causam applicans ad agendum; placuit tamen de ea tractare sub titulo de conditionibus causae efficientis, quia etiam qui directe eam ponunt pertinere ad rationem agendi, sic de illa tractant.

Sed contra instatur, quod talis existentia simultanea cum effectu non requiritur. Tum quia non est necessaria ex ratione causae realis in communi, quia causa finalis est causa realis, non tamen existit, neque ex ratione causae efficientis, quia in conceptu ipsius non includitur existentia, recte enim concipi-mus, esse id a quo aliud, & si concipiatur immediate ante fuisse, sicut concipitur privatio generationis, principium, cui praexistit, non coexistit. Tum 2. quia si praesentia intrinseca lo-

calis non est necessaria ad agendum, sed sufficit contiguitas, idem de praesentia in duratione dicendum. Tum 3. quia adfunt multae experientiae, nam infans temporis, & mutatum esse motus causatur a tempore, & a motu, & tamen nec tempus, nec motus sunt simul cum infanti, & mutato esse, sed immediate praecesserunt, forma substantialis sequitur alterationes praevias, ut effectus, quae tamen non sunt simul cum forma, sed corrumpuntur ad corruptionem compositi praecedentis, in quo subieciuntur; forma quoque mixti hoc modo ab elementis causetur, quae destruntur in adventu talis formae; quod etiam evenit, quando duo ad invicem agunt, & simul corrumpuntur; semen producit vivens, quod non est simul cum eo, intellectio praecedens est causa volitionis subsequens; intentio est causa electionis; volitio motum localem imperat, & tamen potest brevissimo tempore durare, motus autem subsequi per longum temporis spatium, virtute praecedentis volitionis; assensus principiorum est causa assensus conclusionis. Et Sacramenta dum non sunt, causantur physice gratiam. Tum tandem quia potest saltem Deus hoc facere elevando causam non existentem ad agendum, quia si potest supplere omnem causalitatem efficientis causae, multo magis potest omnem conditionem, sine qua non respectu efficientis, de quarum numero est existentia.

52 Resp. esse necessario existentiam de ratione causae physicae realis: & propter hoc finis non est vera causa realis, ut dicemus infra. Tum quia etiam habet existentiam proportionatam, nam sicut metaphorice movet, idest intentione, ita in intentione quoque existit. Falsum est etiam posse concipi causam esse a quo aliud, non concepta existentia, quia nequit intelligi aliquid causare, influere, & ab ipso aliud essentialiter in esse dependere, & tamen non existere; neque paritas de privatione urget, quia haec solum principiat, non influit in generationem, & eius ratio principiandi est in ratione termini a quo per modum recedentis, & ideo debet concipi non existens, at efficiens influit, & causet ut a quo aliud, & per modum permanentis, non ut recedentis. Ad 2. negatur etiam paritas, quia contiguitas localis praesupponit in actu rationes formales agendi, & actus primos, ideo sufficit: at contiguitas in duratione (si vere contigua dici possunt, cum non ambo existent) non praesupponit actu rationes causandi, & actus primos; nequit autem dari actus secundus sine primo. Ad 3. negatur, allata exempla aliquid concludere: nam infans, & mutatum esse causetur ab efficiente indivisibilia illa formae per motum acquisitae, qui sunt termini illorum motuum divisibilibus, sic mutatum esse in motu calefactionis provenit efficienter non a motu, sed a producente indivisibile caloris, quod per mutatum esse acquiritur, talis autem est causa caloris activa, quae totum etiam motum causet; & infans causetur ab Intellectiva movente primum Caelum, qui motus est tempus, forma substantialis non causetur ab illis dispositionibus praeviis, sed a causa efficiente substantiali immediate, non enim accidens potest substantiam producere, ut infra, idem dicendum de forma mixti, nam elementa potius se habent ut causae quasi materiales, quam efficientes in ordine ad mixtionem; inter se vero effectivae concurrunt ad illam mutuam actionem, non tamen simul possunt se destruire, quia victoria in actione provenit ex proportione quorundam inaequalitatis, idest propter excessum unius contrarii in aliud, & consequenter nequeunt ambo simul corrumpi, nisi addit aliqua tertia causa distincta inducens in materiam illorum elementorum formam conditinctam, ut evenit, cum forma mixti generatur, vel cum ex duobus elementis aliud tertium distinctum resultat, quae causa erit Caelum ipsum; Semen si ponatur etherogeneum, ut ait Doct. in 3. d. 2. q. 3. & d. 4. q. un. habet partes activas, quae usque ad introductionem formae corporis permanent, deinde vel per nutritionem convertuntur in substantiam aliti, vel foras expelluntur, si vero sit homogeneum, ut tenet Doct. in 2. d. 18. sic nullo modo erit activum, nec causa efficiens formae corporis, sed solum materialis causa, in quam causa efficiens activa ager; intellectio non est causa volitionis, sed conditio praerogativa secundum Scot. in 2. d. 25. & si esset causa, necessario deberet simul esse cum volitione, sic intentio dicitur causa electionis medii, sed proprie voluntas elicit electionem: intentio vero dicitur causa, quatenus finis, qui est intentionis obiectum, movet voluntatem ad electionem mediorum, voluntas quoque est causa motus in potentia motiva imperando, causa vero immediata est ipsa potentia motiva, hinc potest continuari motus ab ipsa potentia, etiam si voluntas in aliud tendat, quia propter imperium jam applicavit potentiam ad actum, nec illam retinuit; Assensus principiorum est causa conclusionis assensus, & sunt simul, unde in posterioribus libris dicitur, non prius tempore cognosci principia, quam cognoscatur conclusio; sed haec omnia propriis locis, scilicet in libris de Gen. & de Anim. explicantur. Tandem Sacramenta ex hoc c. praecipue non sunt causae physicae gratiae, sed morales, ut diximus cum Scoto in probatione concl. Ad 4. sustinendo, existentiam conditionem esse agendi, non rationem formalem, potest Deus supplere, quatenus potest se solo producere quicquid cum causa existente effectiva causet, non tantum quod simul cum ipsa non existente agat, quo sensu nequit omnem conditionem sine qua non supplere; sicut nequit hoc facere in causa materiali, & formalis etiam secundum Adversarios: intellectio quoque est conditio necessario praerogativa ad volitionem, non tamen potest Deus facere, quod volun-

tas feratur in obiectum incognitum sed semper necessario praerogatur illius obiecti cognitio.

53 Dices, ex Scriptura Deus vocat ea, quae non sunt, tanquam ea, quae sunt, ergo saltem de potentia Dei hoc potest fieri. Resp. Scripturam loqui vel de resurrectione, ut cum Lazarum & sepulcro vocavit: vel de creatione, quia per vocem ipsius creaturae transeunt de non esse ad esse, iuxta illud: *Ipse dixit, & facta sunt.*

A R T I C U L U S II.

Idem posse agere in se ipsum, declaratur.

54 Hic articulus dupliciter potest resolvi, vel in universali, ostendendo, non esse de ratione causae efficientis a subiecto realiter distingui, vel in particulari, descendendo scilicet ad aliqua specialia entia, an agant in seipsa, ut an gravia, & levia a seipsis moveantur, an aqua propria virtute se reducat ad pristinam frigiditatem, si fuerit calefacta, & similia: utroque modo hanc difficultatem decedit Doct. 9. Met. q. 14. in praesenti tamen, quia de causa efficiente in communi loquimur, solum videbimus, an ista distinctio inter agens, & passum sit necessaria conditio ad causam agentem in communi, an vero tantum aliquibus in speciali conveniat, non omnibus, & consequenter, quod possit aliquid in seipsum agere. Quod adhuc potest dupliciter contingere, vel actione univoca, ut si calidum formaliter seipsum calefaceret: vel actione aequivoca, ut cum calidum virtualiter se reddi formaliter calidum: non intendimus modo agitare in primo sensu quaestionem, hoc enim esset querere an simile possit agere in simile, seu an requiratur necessario dissimilitudo inter agens, & patiens, quam difficultatem remissimus in principio hujus q. ad lib. de Gener. Quapropter in secundo intellectu de ipsa agemus, sufficit enim ad terminandam praesentem difficultatem, si ostendamus, aliquid posse saltem aequivoca actione in seipsum agere.

54 Dicimus non esse conditionem necessariam ad agendum distinctionem agentis a passio, sed idem posse in seipsum agere, saltem actione aequivoca: ita Scot. in 1. d. 3. q. 7. ad 1. pro secunda opinione R. & in 2. d. 2. q. 10. & d. 3. q. 8. ad 4. & d. 25. ad 1. pro opinione D. & quol. 15. C. diffuse tamen in 9. Met. q. 14. quem praeter Scotistas, An. And. 9. Met. q. 1. Zerb. ibid. Bonet. scilicet suae Phys. c. 3. Tat. Jo. de Mag. Parisiensis 8. Phys. Fabrum theor. 61. sequuntur Greg. in 2. d. 6. q. 1. art. 3. Iandun. 8. Phys. q. 2. & omnes fere Recentesores, Suar. disp. 18. sect. 7. n. 52. Aversa qu. 14. sect. 5. Hurt. disp. 9. Phys. sect. 8. Mor. disp. 3. Phys. q. 20. & alii passim, licet enim multi universaliter proferant, idem non posse in seipsum agere, tamen postea difficultatibus in speciali pressi, se restringunt & limitant illam propositionem, ut est videre apud Aversam cit. Prob. egregie a Doct. in Met. cit. quod. contentum sub obiecto alicujus potentiae est per se obiectum illius potentiae, licet non primum, & adaequatum, ut calefactivum respicit pro adaequato obiecto, & primo calefactibile in communi, at per se secundo respicit quodlibet calefactibile in particulari, & e contra calefactibile per se primo respicit calefactivum in communi, per se secundo quodlibet calefactivum in particulari, & patet dicendum per omnes potentias, & in proposito activum, & passivum in communi ut extrema adaequata se respiciant, sed possibile est, quod aliquid sit activum alicujus formae, sicut aliud est activum ejusdem formae, & sic etiam passivum, seu receptivum ejusdem formae, sicut aliud aliud, ergo illud in ratione activi ita seipsum habet pro obiecto in ratione passivi, sicut quodcumque aliud, ergo ita potest in se agere, sicut in aliud: minorem probat Doct. quia multi sunt effectus aequivoce producibiles a forma substantiali, vel accidentaliter diversa, ut est levitas in igne, ergo habens illam activam per se est levificativum, quae forma potest esse in aliquo levificabili, ut patet in igne, nam quaecumque forma, quae est in igne generante, est in genito, unde si in generante est forma activa levitatis, erit etiam in genito, & prior levitate, cum sit ex se principium, ergo idem potest esse levificans, & levificabile.

Dices, hoc esse impossibile, quia agens, & passum debent esse approximata, & ita situ distincta, idem autem non potest a se ipso esse situ diversum. Contra, ait Doct. si praesentia est necessaria ad agendum; ergo major praesentia magis juvat actionem, aliter quia Angelus est simul cum Caelo, non posset Caelum movere, tum quia approximatio requiritur solum, ut virtus agentis pertingat passum, ergo quia si nec situ differrent, agens perfectius pertingeret passum, ista distinctio potius juvaret, quam impediret actionem.

Secundo potest probari specialiter, & quia gravia, ac levia seipsis moveantur, ut disp. 3. de Caelo q. 2. dicimus; & quia substantia est immediate productiva accidentium sibi connaturalium, ut dicemus q. seq. Tum ex divisione actionis in immanentem, & transeuntem a Phil. 9. Met. 16. traditam, nam si omne agens agit in passum distinctum, nulla daretur immanens actio. Tum ex dictis q. 2. & 3. hujus disp. ubi ostendimus, resultantiam stare cum vera causalitate, & actione, praeter emanationem metaphysicam.

55 Sed in oppositum objicitur. Tum 1. quia ex 8. Phys. 40. probat Aristot. omne, quod movetur, non a seipso moveri, quia ferretur, quod totum moveret, & moveretur, quod est falsum, quia sic feret, & feretur secundum eandem lationem, & alterabitur, & alterabit, quare docebit unig; & docebitur simul. Tum 2. quia ex eodem ib. mobile est in potentia tale ante actum, quale est movens in actu, quare idem esset simul in actu, & in potentia respectu ejusdem & tamen actus, & potentia sunt opposita, quia

dividunt ens, Tum 3, quia ex 2. Phyl. 70. materia, & efficiens nunquam coincidunt, ergo idem nequit in seipsum agere; Tum 4. quia inter movens, & mobile est realis distinctio ex 5. Metaph. 10. idem autem ad seipsum nequit referri realiter, quia relatio realis est inter extrema realiter distincta; Tum 5. nam potentia activa est principium transmutandi aliud, in quantum aliud ex 5. Metaph. 17. ergo idem cum non sit aliud a seipso, non poterit seipsum transmutare; Tum 6. quia movens semper est sub opposita dispositione ad mobile, & e converso, quia movens assimilatur sibi mobile, & nihil ipsum ad similem dispositionem, unde in 1. de Gener. 50. dicitur, quod agens, & passum sunt dissimilia in principio, & similia in fine, ergo non potest idem in seipsum agere, aliter esset sub oppositis dispositionibus.

56 Resp. ex Scot. cit. ad primum propositionem illam valere de agente univoco, non equivoco, quod colligitur ex verbis Aristot. seq. *Similiter & aliorum unumquodque, quomodoque movens necesse est habere univocum.* Et quamvis attulerit exemplum de latione, non tamen intelligendus de motore localiter equivoco, aliter sibi contradiceret, cum se declarat loqui de univoco agente, sed est intelligendus de moyente localiter univoco, ita ut idem per locum, quem habet, tanquam per rationem agendi se moveat ad alium locum. Ad secundum dicimus, valere de agente univoco, quod si seipsum moveret, esset simul in potentia formali, & in actu formali, non de equivoco, quod licet sit in potentia formali, est tamen in actu virtuali, quod non repugnat, ut ad sextum dicemus; cum dicitur, actum; & potentiam ens dividere, est verum de potentia objectiva, & actu entitativo, quomodo nequit idem simul esse in actu, & in potentia; non vero de potentia subjectiva, & actu sumpto pro principio activo virtuali, ut loquimur hic. Ad tertium ex eodem Scoto, propositionem illam valere de materia prima, non de materia secunda respectu accidentium. Ad quartum triplex est relatio, una, quae dicit dependentiam essentialiam, ut causati ad causam, & similes repugnant reperiri in eadem natura, & supposito; altera, quae tantum dicit originariam, ut sunt relationes divinae, & istae repugnant esse in eodem supposito, non in eadem natura; alia vero dicunt solum dependentiam accidentalem, ut relatio motus, & moti, & haec non repugnant in eodem supposito, quia idem potest in seipso aliquam perfectionem accidentalem causare, cum dicitur: realis est inter realiter distincta; respon. Burgius in 2. dist. 5. quaest. 1. §. *Ad hoc adducitur, &c.* & Cavellus dist. 3. de Anim. sect. 13. concedendo, istam non esse relationem realem; sed cum Licheto in 2. dist. 25. forsan melius dicimus, glossando propositionem illam, quod relatio est inter extrema realiter distincta, vel simpliciter, vel inter idem, ut non habens aliquam formam realem, & ut habens illam, nam ut sit reduplicative, idem realiter a seipso distinguitur, sic movens, ut non habens formaliter formam, distinguitur a seipso ut moto, id est ut habente formaliter illam formam. Ad quintum ly in quantum aliud, ubi agens realiter a passio distinguitur, reduplicat non tantum rationem formalem, sed etiam rem, ubi vero non distinguitur, reduplicat rationem formalem, quia movens seipsum, moveri dicitur, non ut movens, sed ut mobile, Ad sextum assumptum esse verum de illis, quae ad invicem agunt per activas qualitates, ut per caliditatem, & frigiditatem, & de agente univoco: vel dicimus etiam dari aliquam dissimilitudinem inter agens, & seipsum ut passum, nam ut agens, est in actu virtuali, scilicet potens producere illam formam, ut passum, est in potentia formali, & quando jam produxit in se ipso formam, adest similitudo non formalis, sed virtualis, quatenus passum habet in se formam, quam ut agens virtualiter continebat, & si non formaliter: & esse in actu virtuali, & in potentia formali non sunt dispositiones omnino inter se pugnant, & impossibiles, quamvis aliquo modo opponantur; sed bene repugnat, esse simul in actu formali, & in potentia formali, quod enim est formaliter calidum, non potest esse in potentia formali ad calorem, aliter simul haberet, & non haberet calorem, & ideo repugnat agens univocum in se ipsum agere, non equivocum.

57 Sed contra, quia saepius Aristot. absolute dixit, neminem seipsum posse movere; & Div. August. 2. de lib. arb. cap. 30. probat, nullam rem posse seipsum formare, quia nulla res potest dare sibi, quod non habet; si enim habet, non opus est accipere; si non habet, non potest a se accipere; Tum quia actus virtualiter continens alium, perfectior est illo formali, qui est in virtute ejus, ergo perfectior magis subjectum, & ita tollit potentiam ad actum formalem, sicut alius actus formalis tollit, quin subjectum simul esse in potentia formali dicatur; Tum tertio quia multa sunt agentia equivoca, quae in seipsis non agunt, ut patet de Sole, vino, silice, &c. ergo iste actus virtualis, & potentia formalis, vel in omnibus agentibus equivocis reperitur, vel in nullis, quia ex suis rationibus formalibus non magis in uno repugnant, vel sunt composibiles, quam in alio.

Resp. Aristot. vel loqui de agente univoco, vel si universaliter, intelligatur de actione corruptiva, non perfectiva, ita locutus est 1. de Gener. 48. D. August. non accepit formam pro aliqua perfectione accidentali, quomodo hic loquimur, aliter nec animalia possent a seipsis moveri, sed pro natura, & absentia, unde idem sonat formare, ac producere, & efficere. Ad secundum resp. Doctor in Metaph. cit. concedendo, actum virtutem esse formali perfectiorem, sed quia est limitatus, non

faciat materia potentiam, quia non tribuit omnem gradum perfectionis, quem tribuit actus minus perfectus, hinc substantia quamvis sit accidentis perfectior, non per hoc respicit potentiam ad aliud, nec accidentalis perfectio superfluit; vide, quae diximus dist. 2. quaest. 6. art. 2. quomodo materia, dum est sub nobiliori forma, adhuc minus nobilem appetat. Ad tertium respondet idem in 1. & 2. citat. & quod. 16. lit. Aa. in argumento admitti fallaciam, quia redditur non causa pro causa, non enim hoc, quod est esse in actu virtuali ad aliquam formam, est ratio, cur idem sit, vel non sit in potentia formali ad eandem formam, sed hoc pendet ex propria natura; nec est universaliter verum, quod est in actu virtuali respectu alicujus formae, non esse in potentia formali ad eandem, nam sequeretur, cum oppositum sit causa oppositi, quod non est in actu virtuali esse in potentia formali, & sic Saturnus, quia non est virtualiter calidus, erit in potentia formali ad calorem, quod est falsum. Cum instatur de vino, quod etiam est in potentia formali ad calorem, & tamen non causat in se calorem virtualiter inclusum, dicimus, quod assumptum Scoti valet, quando subjectum est in potentia ad aliquam formam sibi connaturalem, ut colligitur ex Doctore in 1. dist. 3. quaest. 7. V. & 2. dist. 25. P. ubi, & si de potentia activa loquatur, valet tamen doctrina de potentia passiva, calor autem non est qualitas vino connaturalis; Tum quia vinum non est agens virtuale caloris respectu cujuscunque passivi, nam in animalis non causat calorem, sed solum in animalibus, & ideo non est potens causare equivoco in seipso calorem. Neque per hoc ruit probatio nostra conclus. quia concludit de agente sufficienter constituto in actu primo ad causandum, & tale quodcumque respicit aliud quod calefactibile, statim exit in actum; non vero de illo, quod se habet ut causa partialis, seu praerquirat in subjecto aliquas condiciones, ut agat; sic se habet vinum, cum enim non universaliter agat in quodlibet subjectum, a posteriori arguimus requirere aliam concomitantem ad agendum, vel aliquam conditionem in subjecto; sic videmus, aliquos cibos uni animali esse venena, alteri vero optima nutrimenta; non nisi quia quodlibet non est aptum agere in quodlibet. Aliae rationes adducuntur infra dist. ultim. qu. 8. art. 2. & in lib. de Caelo dist. 3. quaest. 2. & lib. de Gener. dist. 2. quaest. 1. & 2.

ARTICULUS III.

Oscenditur, agens creatum, & sublunare posse agere immediate in distans.

58 Advertendum cum Scoto in 4. dist. 44. q. 2. ad 3. principale, & in 2. dist. 9. quaest. 2. C. quod contactus est duplex, mathematicus, seu formalis, & est, quo duo corpora ita se tangunt, ut ipsorum extrema sint simul, & contigua, alter physicus, seu virtualis, quo aliquid in passio potest esse terminus virtutis causativae agentis, id est cum agens per suam virtutem causat aliquid in passio distanti; quod dupliciter potest intelligi, vel quod ista virtus diffundatur per totum medium, ut volunt Adversarii, vel quod in ipso agente permaneat; ad hoc autem, ut agens agat, clarum est, non requiri necessario contactum mathematicum, sed sufficere virtualem, videmus enim quod ignis calefacit lignum, aerem, &c. quae tamen non tangit, & si tangit, solum est secundum superficiem, non secundum profunditatem, in qua etiam agit: & in hac materia nequit assignari aliqua ratio a priori, cum totum pendeat ex cognitione naturae agentis, quae non nisi a posteriori cognoscitur, inter demonstrationes autem a posteriori primum locum obtinet experientia.

Insuper notandum, quod agens multipliciter potest intelligi agere in distans; primo quod agat in distans per medium, ita ut passum distans immediate, & proxime dicat relationem ad medium, ad agens vero remote, & mediate, quatenus est causans effectum aliquem in medium, qui sit ratio causandi ipsi medio. Secundo quod agat etiam immediate in distans, sed cum medio tanquam concausa; tertio quod etiam agat immediate tanquam causa totalis in distans, sed per medium tanquam necessario perrequisitum necessitate ordinis, ita ut in utrumque immediate agat, sed prius in passum propinquum, quam in remotum: quarto quod immediate agat in distans, non agendo in medium eodem genere actionis, sed diverso 5. quod ita agat, ut in medium nihil causet, sive istud medium sit plenum, sive vacuum. Et quidem quod datur agens, quod in distans agat primo modo, clarum est, nam dicimus, Solem illuminare totam aulam, cum tamen proprie quod producat lumen secundarium, non sit Sol, sed lumen primum, ut docet Scot. 2. dist. 13. quaest. unic. ignem nos calefacere ex eo, quod tantum aerem, vel aquam calefacit, ut insinuat Arist. 1. de Gener. 78. dubium est de aliis modis.

59 Dicimus, non solum dari agens creatum, & sublunare, quod immediate agat in distans, ad quam actionem concurrat etiam medium tanquam concausa minus principalis in quod prius agens egit; neque tantum dari agens, quod ut causa totalis agat in distans immediate, sed prius necessitate ordinis secundum communem naturam cursum agat in principium; sed etiam dari agens; sive increatum, sive creatum, sive caeleste, sive sublunare, aut spirituale, quod quatenus agens est, potest immediate agere in distans, non agendo in medium actione ejusdem rationis, vel diversae, a qua necessario, & semper dependat actio in distans: & consequenter indistantiam agentis a passio non esse conditionem necessarium

cessario ad agendum requisitam causae efficientis ut sic. Concl. est Scoti in 1. dist. 37. & in 2. dist. 9. q. 2. B. & seq. & in 4. cit. quem sequuntur omnes Scotistae, ut Balfol. Lych. Burgius, Faber eadem dist. 1. Vulpes part. 1. dist. 18. art. 5. & praeter istos etiam Nominales ibidem, Moril. dist. 3. Phyl. quaest. 21. & ex parte Averfa cit. Diximus, quatenus agens est, quia est Deus necessario sit ubique, hoc tamen non praerit, ut agens est, sed quia immensus. Prima pars, quod, scilicet datur agens potens agere in distans ut causa partialis cum medio, in quod prius egit (quando utrumque est capax illius actionis) probatur; Tum quia sequeretur, agens non posse immediate agere nisi in superficie propinquam passivi, & per consequens ad actionem requiri contactum mathematicum, quod est falsum; immo neque mediate posse agere in distans, quia qualitas in superficie passivi producta est quoddam indivisibile, quod nequit producere divisibile aliquod qualitatis, cum effectus nunquam excedat suam causam; Tum quia si quis ante os fornacis se poneret, intentionem calorem sentiret, quam si os fornacis esset occlusum, ergo totus ille calor non proveniret ab immediate ab aere, sed ab igne, quia fornacis occluso non impedit aeris actionem, nec est causa, ut aliquid caloris sic subito tollatur ab aere, aliter deberet statim refrigerari; & si hoc esset verum, jam conceditur, calorem illum in aere immediate ab igne produci; Tum quia contingit aliquando, agens in remotum intensius agere, quam in propinquum, ergo immediate agit in remotum, nam remissius nequit intensius gignere: Antecedens probatur de papyro, cui sit oleum superfundum, & igni applicata, integra permanet, oleo fervente, & suado lebetis, qui tepidus est, quamvis ebulliat aqua, ut refert Arist. sect. 24. Problem. quaest. 5. & 8. ignis quoque inflammatur flammam, camque calefacit ad gradum caloris formae ignis requisitum, non sic agit in aere.

60 Sed respondent, hoc evenire propter materiae diversitatem, nam partes subtiliores olei, & aquae rarefactae ab igne sursum evolvant, & deprimentur in fundo grossiores, quae, cum frigidiores sint refrigerant fundum lebetis; stappa vero est siccor aere. Attamen quia ex hac respon. jam admittitur actio in distans immediata, absque eo, quod agens in medium agat actione ejusdem intensiois, & si ex diversitate materiae proveniat, & consequenter si materia propinquior nullo modo esset illius actionis capax; poterit agens in remotum agere immediate, idcirco addunt Conimb. Suar. & Averfa, oleum, & aquam calidiora esse papyro, & fundo lebetis, quia tenuissima quaedam exhalationes ignitae ab igne provenientes, & per poros papyri, & vasis transeunt intra partes superiores aquae, vel olei commorantur, a quibus intensior ille calor producit. Quando vero stappa comburitur ab igne, etiam aer intermedius inflammatur, non videtur tamen ob nimiam raritatem; & ideo non est intensior actio in distans ab agente, quam in medium, vel hoc esse, subdunt, non quia calidior sit stappa, quam aer, sed quod idem calor in utroque reperitur; at in stappa, cum sit associatus cum siccitate, sufficit ad inflammationem, non ita in aere propter humiditatem annexam, in symbolis enim facilius est transitus.

Verum nec istae responsoes satisfaciunt; nam quod ajunt de illis exhalationibus igneis, non videtur verum, quia si totus ignis cum illa aqua misceretur, statim extingueretur, ergo multo magis partes istae tenuissima ignis desinunt esse, statim ac aquam attingunt, cum sint minoris resistentiae; tum quia partes istae continuo ab igne emanant, & cum primis vincunt resistentiam aquae circa fundum lebetis existens, & inde ad superiores partes transvolant, debent aliae succedere in partibus inferioribus aquae receptae, ergo nunquam partes aquae inferiores frigeant. Neque dicas currere partes grossiores aquae impediens transitum novis exhalationibus; quia sicut primae exhalationes transiunt ad vincendum aquam superiorem, expellendo ab illa grossiores partes, multo magis secunde, utpote igni proximiores poterunt istam resistentiam superare; & si partes aquae grossiores, cum in fundo lebetis existunt, potentiam habent detinendi alias exhalationes, cur idem non faciunt cum primis, sed permittunt ab illis expelli? Quapropter dicendum est, non dari exhalationes istas in aqua, sed totum provenire ex materia diversitate, quae fuit ratio ab Aristot. citat. assignata, & vere agens intensius agere in distans, quam in medium. Tandem quod dicunt in prima respon. ad exemplum stappae, falsum est, quia si parvus ignis potest stappam accendere, & aerem intermedium, multo magis ignis maximus id efficere poterit, & in majori distantia, & consequenter animal prope fornacem non potest respirare, sed moreretur, quia totus aer circumstantis esset ignis accensus, licet propter raritatem non appareat; quod addunt in secunda respon. licet sit verum, admittunt tamen actionem immediatam inflammationis in distans, ut dicemus.

61 Quod autem aer sit partialis causa, si v. gr. ori fornacis passum frigidum apponatur, ita ut calefiat non tantum ab igne immediate, verum etiam ab aere circumstante, probatur contra Averfam, quia passum illud non solum est igni dissimile, sed etiam aeri calido circumstanti, ergo non solum ignis, sed aer quoque in principio agit in illud, utque quoque ad similem intensioem calorem in aere existentis perveniat; nam quod ignis vehemens, non per hoc impedit aeris actionem, aliter quomodo... us magis principale, & fortius impediret actionem agentis minus principalis, & imbecillis; Tum quia non statim ignis reducit illud passum ad gradum

caloris aeris, sed paulatim, ergo poterit etiam tunc per agere in illud, cum non addit impedimentum.

Secunda pars, quod datur agens immediate producus in distanti aliquam formam, ut causa totalis, sed prius necessario necessitate ordinis debeat agere in propinquum, habetur a Scoto in 2. dist. 13. quaest. unic. ad 3. agens enim est, quod immediate te per totam sphaeram activitatis producat formam, & non una parte per formam aliam producat, aliter, inquit Doctor, solum in superficie ambiente agens ageret, attamen videmus, quod si corpus aliquod obviam adveniret, non ultra agens profunderet actionem signum evidens, esse aliquam dependentiam inter actionem in remotum, & actionem in propinquum: talia sunt corpora luminosa, qualitates activae, objecta quoad remissionem specierum visibilibus, & similia: rationem hujus assignat Doctor in 2. dist. 9. q. 2. B. quia quando medium est ejusdem rationis omnino cum extremo, est capax ejusdem actionis, & prius natura, quam extremum, sicut universaliter passum propinquius prius natura patitur, quam remotius, ergo actio agentis in extremum, ut posterior natura, dependet ab actione in medium, ut priori natura, ergo hac impedita, aufertur etiam illa, patet consequentia ex ratione prioritatis naturae, nam illud dicitur prius natura altero, a quo non convertitur subsistendi consequentia.

62 Tertia pars, quod agens ut agens possit agere in distans, non agendo in medium actione ejusdem rationis, probatur a Scoto, primo rationibus theologicis de Deo, & Angelis; Tum quia si per impossibile Deus ubique non esset, cum agat per suum velle, ita ut statim ac vult efficaciter aliquid objectum, subito accipit objectum illud esse existentia, sequitur evidenter, posse producere aliquid a seipso distans, quia objectum voluntatis non debet esse necessario praesens, sed potest voluntas, sive distans, sive indistans, velle; Tum quia Angelus superior potest intuitive alterum Angelum cognoscere, ad quam cognitionem inferior Angelus immediate, non per speciem debet concurrere, hoc enim est de ratione intuitivae cognitionis, ut ab abstractiva distinguitur, neque est necesse, ut sit intime praesens intellectui superioris, aliter si in eodem non essent loco, numquam Angeli intuitive se cognoscerent; tum quia saltem anima separata intuitive cognoscit materialia, quae non sunt intime praesentia ipsi animae, ergo objecta ista causantur aliquid in distans, absque eo quod medium aliquid recipiat.

Sed istis rationibus dimissis, probatur etiam a Doctore philosophice aliquibus experientis; nam substantia sive caelestis, sive sublunaris per propriam formam substantialem generat aliam substantiam in subjecto distanti, ut cum Sol generat mirram, ignis stappam comburit, non media aliqua virtute diffusa, quia, ut dicemus quaest. seq. accidens nequit productionem substantia attingere. Neque actio illa praevia, quia passum alteratur, facit, ut agens proprie in distans agere non dicatur, quia ut notat Doctor citat. hoc est de per accidens, quatenus agens, cum sit imperfectum, natum est prius agere secundum potentiam imperfectiorem, quae est alterativa, postea secundum perfectiorem, quae est generativa, & si a Deo applicaretur subjectum ultimo depositum illi agenti, statim ageret generando, non alterando; Tum quia etiam probatur in effectibus accidentalibus; nam corpora caelestia in hac inferiora multos effectus accidentales producant, ut sunt praecipue fluxus, & refluxus maris in novilunio a luna causati, alteratio praevia materiae mineralium in visceribus terrae, attractio acus attritu magnetis conficitur a Caeli partibus polo vicinis, & similes; qui effectus non causantur a caelestibus corporibus per motum, quia hic semper adest, & consequenter semper causaretur commotio illa maris in novilunio praecipue adveniens, subterrenea loca non moventur, ergo per motum nequeunt alterari; Tum quia motus non est ratio agendi, sed solum adducit agens, & passio conjungit in debita approximatione, ut agat, ex 2. de Gener. 5. & advertit Doctor 2. dist. 14. quaest. 3. in fine, & in 4. dist. 1. qu. 5. C. & dist. 48. quaest. 2. I. cuius ratio est, quia cum motus sit forma respectiva, non potest esse de numero activorum. Neque possunt a lumine causari, quia in novilunio Luna non lucet, attractio acus fit etiam in tenebris, nec lumen terrae viscera penetrat, ut possit materiam metallorum alterare.

63 Dices, Calorem productum in visceribus terrae esse effectum caloris producti a lumine in superficie terrae, & consequenter potest idem instrumentum estimari cum lumine, quod cum per Caelos transeat, jam astra agent in hac inferiora per virtutem diffusam, & continuatam per medium. Sed contra, quia ut dicimus in lib. de Caelo, lumen non est caloris productivum, aliter majus lumen majorem calorem causaret, & sic magis caleferet aer a lumine Lunae, quam a lumine caelestis stellae quod est falsum; Tum quia multa astra frigida caulant in hac inferiora, quod per lumen nequeunt efficere; Tum quia, & si lumen productivum esset caloris, non potest tam iste calor terram penetrare, nam Sole maxime afluente, subterreanea loca etiam prope terrae superficiem sunt frigidissima, ita ut multoties fiat congelatio, ergo multo minus poterit calor ille in superficies terrae existens tam vastam molem penetrare; Tum quia majorem calorem producit inns rei tam fornax ardens, quam Sol, sicut major est calor in superficie terrae a fornace, quam a Sole productus; ille autem non tam profunde pervadit, ut patet experientia, ergo nec iste.

Si dicatur, produci mediis influentibus motu, & lumine distinctis, quae sint qualitates quaedam virtuales ab astris provenientes, quibus propter materiae diversitatem diversa quoque producuntur iuxta

juxta capacitatem subiecti. Contra est, quia quamvis verum sit, Caelos mediis influentis agere in hac inferiora, non debemus tamen dicere, has influentias esse quasdam qualitates per totum universum diffusas etiam in ipsis Caelis, qui sunt incapaces effectuum ab istis qualitatibus provenientium, ut sunt primae qualitates, nam ista virtus sicut diffunditur in partibus Caeli inferioribus, debet etiam in superioribus diffundi, quia agens naturale per totam suam sphaeram agit circulariter, ut notat Doctor in 2. dist. 13. quaest. unic. & tamen esset frustra, cum nec per a:renitatem posset in Caelis aliquid producere; Tum quia, ut ait Averfa, ista virtus non potest esse una simplex qualitas, quia non posset tot, & tam varios effectus producere: nec plurificari ad plurificationem effectuum, quia totum universum esset plenum tot variis qualitatibus, & immensis solummodo ut minimum effectum producatur, quod sine aliqua urgenti ratione dici non debet, quae in proposito non adest, ut videbimus. Idem quoque dicendum de variis effectibus a causis sublanaribus productis, inter quos non inferiorem locum obtinet attractio ferri a magnete, etiam si medium aliquod solidum sit interpositum, itaut si magnes subrus lapidem existat, ferrum vero super lapidem, experientia compertum est, ferrum supra lapidem moveri ad motum magnetis in inferiori parte existentis. Et quod ait Averfa, magnetem propriam virtutem per medium emittere, idem poterat etiam asserere in caelestibus; si enim ideo in istis negat virtutem diffusam, quia capacia non sunt effectuum ab illa virtute producibilium, ergo quia nec lapis, nec aer trahuntur a magnete, neque capaces erant illius virtutis.

Confir. tandem, quia multi ex Adversariis, ut Suar. Arriag. & alii concedunt, causas creatas posse agere in distans nihil operando in medio, dummodo sint contiguae cum causis operantibus in distanti, ut partes interiores ignis non prius agere in externas, sed in aerem immediate, quod verissimum est, ut infra dicemus, quia simile non agit in simile; tenet etiam agens creatum posse in distans immediate aliquem effectum producere, cujus similem non produxerit in medio, ut Solem mineralia in visceribus terrae, qui apud nos solum v. gr. lucem produxit, quae ad illum effectum non conducit, ergo possunt quoque absolute concedere actionem immediatam in distans. Probat. conseq. quia praevia operatio in medio ad effectum omnino impertinentem ad producendum in extremo, vel conjunctio cum aliis partibus agentibus nihil profus conducit ad operandum in distans.

Resp. Arriag. haec valde conducere, effectus enim in medio productus esto sit diversae rationis a producendo in extremo, adhuc tamen conducit ad hoc, ut ratione illius causa aliquo modo approximetur passo, neque enim ad illud conducit, quando effectus similis producitur in medio; conjunctio etiam cum aliis partibus agentibus facit, ut causa distans a passo continuetur cum ipso mediis aliis partibus ipsius causa; quae continuatio agentis cum passo per corpora intermedia est necessaria ad agendum, ut docet experientia ipsa, licet non possit reddi ratio a priori. Contra hoc est, quia non videtur, quomodo fiat approximatio causa ad passum distans per productionem effectus in medio omnino diversae rationis, & ad actionem in illud profus impertinentis, similis effectus in medio productus bene concipitur approximare causam passo distanti, quatenus nimirum propria actione partiali potest coadjuvare virtutem causa, vel disponere passum, ut facilius recipiat actionem illius causa, sed effectus dissimilis, & profus impertinens quo passo approximare possit causam passo distanti non videmus, quare praestat dicere passum sufficienter censei agenti approximatum, si sit intra sphaeram suae activitatis conclusum; Contra illud de continuatione inter agens & passum per corpora intermedia est, quod licet talis continuatio sit modo necessaria ad evitandum vacuum, parum tamen in casu posito, vel nihil juvat actionem agentis in passum distans, quia jam fatetur Adversarii partes agentis remotas a passo nihil agere in propinquiores, sed immediate agere in passum distans nulla operatione secuta in medio, ergo tantum concedunt, quantum nos contendimus, quod verb. grat. magnes possit ferrum attrahere, & in ferrum agere non agendo in medium interpositum, quia adest continuatio inter agens, & passum per aerem interjectum, & parum refert, quod haec continuatio fiat per partes ejusdem magnetis, vel alterius corporis, quia continuatio inter agens, & passum datur ad evitandum vacuum, non ad deferendam actionem, quando medium non est ejusdem rationis cum extremo quoad capacitatem qualitatis ab agente producibilis, sicut nos dicimus esse aerem respectu virtutis attractivae magnetis.

64 Ex quibus omnibus apparet, quomodo non est necesse, ad hoc ut agens agat in distans, agere in medium actione, a qua dependet actio in distans; nam Sol in Caelos agit per lucem, quae nihil facit ad generationem minerarum, magnes trahit ferrum, solum agendo in aerem per speciem visibilitatis immisionem, quamvis detur etiam agens, quod tali modo agit, ut ignis calefaciat aerem, quae actio dicitur quandam habitudinem ad generationem ignis ex stappa. Apparet etiam, quomodo saltem per Dei potentiam potest agens agere in distans nullo modo in medium agendo, si scilicet Deus suspenderit concursum ad potentiam illam, quae agit in medium; quia ut optime advertit Doctor cit. ista connexio actionum in medium, & in distans est de per accidens propter coincidentiam plurium potentialium disparatarum in eodem.

Colligitur tandem contra Ruvium cit. & Mol. 1. part. quaest. 8. art. 1. disp. 2. agens, quod ex se nequit agere in distans, nisi per

medium, ut est Sol illuminans universum, elevatum tamen per potentiam obedientialem a Deo posse agere in distans, nihil medium agendo, ut Sol posset sic elevatus illuminare extremum, non illuminando medium; Tum quia potentia obedientialis ex dicendis infra datur in rebus respectu effectus naturae vires excedentis; dummodo tamen ex se, & aliquo modo saltem remote sit proportionata, talis autem est ista actio immediate in distans; Tum quia minor improprio est inter intellectum, & visionem beatificam, quam inter agens, & istam actionem, sed potest intellectus elevari ad istam visionem, ergo &c. Major probatur, quia improprio, quae est inter intellectum, & visionem, est quoad substantiam actus; non tantum quoad modum agendi, & aliquid pertinet ad actum primum praesertim secundum ipsos; at improprio inter agens, & istam actionem in distans non est quoad substantiam actionis, sed solum quoad modum agendi, cum in actu primo sit sufficiens agens ad illam efficiendam, licet non tali modo; Tum quia major connexio, vel saltem aequalis est inter motum in extremum per medium, quam inter actionem in distans per medium, sed potest Deus facere, ut aliquid moveatur de extremo ad extremum, non transfundendo medium, ut patet de Corpore Christi, cum e Caelo in hostiam descendit, ergo &c. Tandem quia nulla ratio apparet cogens nos denegare divina omnipotentia talem actionem, ut patebit ex solutione rationum.

Sed contra praedicta 1. arguitur ex Averfa, probando, quod nunquam medium cum principali agente ut concausa, possit concurrere; Tum quia si medium adhuc ageret, non posset explicari, quamnam pars medii in aliam agat, nam qualiter assignata, datur alia prior propter divisibilitatem in infinitum; Tum quia cum agens efficacius sit ad agendum, non relinquit medio, unde agat, sed potius praeventit ipsum, praecipue quia ubi qualitas non est activa, bene agens potest in totum medium immediate agere.

Resp. primum argumentum probare secundam partem nostrae conclus. quando, scilicet, medium est ejusdem omnino rationis cum extremo, tunc enim agens est causa totalis, nec una pars medii agat in aliam partem distantem, quia talis pars non posset assignari, & actio deberet interrumpi, solum enim in ambiente superficie agens ageret, ut cum Scoto notavimus in probatione illius secundae partis; attamen tunc medium, ut concausa, concurrerit, quando de novo ponitur in ipso aliquid passum dissimile in qualitate, tunc enim recte assignatur totum medium agere cum agente principali, quousque illud passum assimilaretur medio. Ad secundum negatur, agens praeventire medium in agendo, quia non statim reducit passum illud ad tantam intentionem qualitatis, quanta reperitur in medio; nec valet paritas de qualitate non activa, quia tunc medium non habet vim assimilandi.

Secundo arguitur, ostendendo, non necessario agens creatum prius agere in medium, quam in distans, quando medium est ejusdem rationis cum extremo; Tum quia quando agens reperit medium simili qualitate informatum, non agit in illud, sed immediate in distans; sic partes v. gr. interiores ignis non agunt prius in partes exteriores, sed immediate in aerem, ergo non requiritur necessario iste ordo; Tum quia sicut se habet totale agens ad totalem actionem, ita partiale agens ad partialem actionem, sed partiale agens potest partialiter agere in distans, ut modo ostensum est, ergo etiam totale, ergo non necessario quando medium est ejusdem rationis cum extremo, agens prius agit in propinquum, quam in remotum.

Resp. ad primum concedendo totum in simili casu, neque hoc est contra nostrum assertum, quia loquimur de agente in passum proportionatum, quod scilicet habet omnes conditiones ad patiendum, quarum una est dissimilitudo, simile enim non agit in simile, ut dicimus in libr. de Gener. at medium, de quo loquitur argumentum, est simile, & ideo improprio ad patiendum. Per hoc ad secundum negatur paritas in proposito, ratio est, quia agens totale comparatur ad medium improprio ad patiendum, & dissimile, sed agens partiale comparatur ad medium proportionatum, & simile.

66 Tertio arguitur contra actionem immediate in distans; Tum quia ex Psalm. 138. habetur, *Si ascendero in Caelum, tu illic es, si descendero in infernum, ades, si sumptero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris, etenim illic manus tua deducet me, & tenebit me dexterata tua;* & Act. 19. D. Paulus loquens Atheniensibus ait de Deo. *Quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur, & sumus;* quibus verbis assignatur pro necessaria ratione divinae praesentiae in omnibus locis ipsius actio conservativa, & actualis concursus; quo sensu etiam multi Sancti Patres loquuntur, unde Anselm. in Monol. cap. 21. ait. *Sed quia aliquid sine Deo neque usquam, neque unquam est, necesse est, illum esse ubique, & semper;* Tum quia ex Aristot. 7. Phys. & sequent. inter movens, & motum nihil mediat, quam propositionem ibi Philof. inductione probat, idem repetit primo de Gener. 43. & 78. & 1. Meteor. cap. 2. ait, *Est autem ex necessitate continuus quadammodo mundus iste superioribus latioribus, ut omnis ipsius virtus inde gubernatur.* & 2. de Anim. 74. docet, quod si mediarer vacuum, nihil possemus cernere in Caelo.

Respond. ad primum etiam Adversarios urgere, ut notat Bassolus, nam Scriptura, & Patres intendunt ostendere praesentiam Dei intimam secundum essentiam, omnibus rebus ex operatione; ergo si haec ratio esset a priori, idem probaret de agentibus creatis, scilicet, quod deberent esse praesentia non solum

secun-

secundum virtutem, aut per contactum mathematicum, sed simul cum passo penetrata; quare diximus, quod illa connectio non est formalis, & per locum intrinsecum, sed materialis, & per locum extrinsecum a concomitantibus; quia enim divina attributa sunt ad invicem connexa, unum infert aliud, sic omnipotentia infert omniscientiam, & immensitatem essentiae. Ad secundum respon. Doctor cit. Aristot. 1. Phys. non intelligi debere de immediate contactu mathematici universaliter, sed vel de contactu mathematico, vel physico, nam etiam ut sic agens est praesens passo distanti per potentiam suam, non quod potentia agens sit ibi, sed quod per suam potentiam possit ibi causare effectum, ac si ibi esset; & quia in causis inferioribus raro evenit, quod agens in distans, non agat in medium saltem actione subordinata illi actioni, qua in distans agit; hinc Aristot. universaliter videtur locutus; loca tamen ex 1. de Gener. non urgent, quia ibi est sermo de alteratione ad mixtionem requisita, ad quam necessarius est contactus mathematicus; idem quoque dicendum ad alia loca, nam solum urget, corpora caelestia requirere medium, ut agant in hac inferiora non quidem quoad omnes actiones, sed quoad aliquas, maxime quoad lumen, per quod secundum Aristot. causant plures effectus, quod tamen est falsum, ut diximus, & falsus in libris de Caelo ostendimus; similis actio est visio, indiget enim medio pleno, per quod obiectum debet species visibiles emittere, a qua actione dependet actio visionis, quam causat in oculo; ita Scot. in 2. dist. 9. cit.

67 Quarto ad idem ex Capreol. Fom. Suar. & aliis, agens se habet ut actus, passum ut potentia, actus autem, & potentia, ut sit actio, requiritur conjunctionem, ergo &c. Tum secundo, quia omnes aliae causae, ut causet, debent esse praesentes saltem intentione, sicut intentione causet, ergo etiam efficiens; Tum tertio ex Mol. & Arel. nequit aliquid movere corpus de extremo ad extremum, nisi per medium, ergo nequit agens agere in distans, nisi per medium; Tum quarto, quia non videtur alia ratio, cur natura respicit vacuum, quam ut agens superius possit agere in inferius, aliter non esset tanta necessitas; Tum quinto, quia videmus, quod si inter agens, & passum interponatur corpus densum, statim cessat agentis actio, ut patet, cum os clibanii clauditur.

Respond. ad primum minorem esse veram de actu formali, non effectivo, nisi de conjunctione virtuali, ratio est, quia ille causet per sui communicationem, hic vero extrinsece. Per idem ad secundum, quia materia, & forma sunt causae intrinsecae, finis vero licet sit extrinseca causa; attamen ut moveat appetitum, debet esse applicatus per cognitionem, at efficiens est causa extrinseca, nec aliud, ut causet, requirit, nisi applicationem virtutis, quae solum arguit contactum virtutalem. Ad tertium negatur paritas, primo quia corpus respectu omnium locorum eodem modo se habet, & respicit illa, ut medium ejusdem rationis, hinc nequit transire ad extremum, nisi per medium, ut agens cum agit immediate in distans non respicit medium ut ejusdem rationis cum extremo; Secundo quia idem corpus, ut notat Averfa, quod est modo in uno extremo, erit in alio extremo, at actio, quae fit in distans, non erat antea in alio loco, sed immediate ibi primo fit. Ad 4. dicimus, praecipuam rationem, cur natura respicit vacuum, esse, quia ad unitatem semper aspirat, quam per connexionem assequitur; non negamus tamen, quia etiam propter actiones superioris agentis maxime sublanaris, quod per se habet, & contrarias qualitates ut plurimum agit, quibus per medium debet agere; non enim Scotus ait, quodlibet agens posse agere in distans, sed aliud, nec istud secundum omnes potentias, sed secundum aliquas. Ad 5. verum est assumptum de agente in medium ejusdem rationis cum extremo, ut patet in exemplo adducto, vel de agente immediate in distans, sed in medium actione subordinata illi, ut est ignis respectu combustionis stuppae, qui in aere medio agit, alterando ipsum, quae actio aliquo modo subordinatur generationi ignis e stuppae, si enim non calefaceret aerem, nec etiam stuppam calefaceret; non tamen est verum de aliis, unde Sol agit intus terram, quamvis nequeat agere illuminando, Luna quando non lucet, etiam agit in humidis.

68 Quinto ad idem ex Ruvio; nullum agens potest operari nisi in tempore existat, ut diximus in art. 1. & nequit operari in tali tempore, nisi in tali existat tempore, etiam si alias existisset, ergo nequit agens operari, nisi in loco, & in uno tali loco agat, debet in tali loco existere; Tum secundo ex Conimbr. & Valsq. quia si hoc esset, ergo posset in quacumque distantiam operari, quia non requiritur major virtus ad operandum in majori, vel in minori distantia immediate agendo in distans, quod argueret in creatura infinitam potentiam; Tum tertio, quia nunquam posset agens suam actionem diffundere uniformiter diffomiter per medium, idest quo longius distat passum, eo remissius agere in illud, haec enim remissio a distantia provenit; Tum quarto, quia quod agit per virtutem in se retentam, & non per medium diffusam, necessario agit immediate. Immediatione suppositi, sed per Scot. Sol non diffundit suam virtutem per medium, ergo deberet esse agens immediatum immediatione suppositi, quod est falsum, ut patet; Major probatur, quia virtus agentis debet attingere effectum, nequit autem ipsum attingere, nisi sit ubi est effectus, ergo si non diffunditur per medium, deberet esse immediatum illud agens immediatione suppositi.

Resp. ad primum ex Bassol. negando paritatem, nam quod in hoc tempore agat, necessario requirit existentiam in hoc tempore, & si illam non haberet, nullo modo existeret, sicut necesse est etiam, quod agens alicubi sit, quia si nullibi esset, non existeret, at non sequitur, quod si non est in hoc loco, ergo nullo modo est, hinc poterit in uno loco agere, & si ibi non sit praesens. Vel dic, quod concludit de praesentia virtuali, non mathematica, Ad secundum respondet Averfa ex Scoto saepe cit. & in Reportatis, negando sequelam cum probatione, major enim virtus requiritur ad agendum in majori distantia, quam in minor, sive agens per medium agat, sive non; & hoc ex intrinseca ratione virtutis agentis limitati, ut determinat perat sphaeram activitatis; unde ista sphaera non solum provenit ex resistentia passi, sed etiam ex limitatione agentis; neque quia agens non defatigatur in propinquum, ideo potest agere in remotius, aliter luminosum, cui passum non resistit, posset agere in quacumque distantiam. Per idem ad tertium, licet in medium non agat uniformiter diffomiter, in distans tamen taliter agit, quia fortius in propinquum partem, quam in remotiorem. Ad quartum major est vera, vel de immediatione suppositi in essendo, vel in causando, ut diximus quaest. 1. hujus disp. explicando quartam divisionem causae efficientis; Sol agit in distans immediate immediatione suppositi in causando, non in essendo, quia in passo distanti aliquid potest esse terminus virtutis causalitativae existentis in agente;

Et nota, quod istae rationes, si valerent, offenderent non solum agens contiguum debere cum passo, sed etiam penetrari, aut saltem si ageret per virtutem diffusam, non sufficere virtutem hanc reperiri in corpore contiguo ipsi passo, sed debere in ipso passo existere, & diffundi, nam contiguitas non excludit omnem indistantiam, quoniam agens vere secundum partes distaret a passo, licet sit simul in superficie; & maxime prima ratio Ruvii hoc concludit, nam sicut operari in tali tempore significat agens esse simul cum illo tempore, & habere existentiam simultaneam, & penetratam, ut ita dicimus, cum existentia illius temporis, si paritas valeret, operari in tali loco diceret agens non solum esse contiguum, sed etiam compenetratum cum illo loco.

Tandem arguunt Joan. de S. Thom. quaest. 22. Phys. art. 2. & Manca 3. Phys. quaest. unic. dub. 1. agens educens formam ex passo ducit, ut unitam, & inherenter illi, ergo virtus agentis debet esse unita passo, ut effectum illi conjunctum producat. Confir. agens nequit agere circa materiam sibi non subiectam, nec determinam, talis est materia distans, & remota; ergo &c. Minor probat. materia distans non habet unde determinetur ad hoc agens potius, quam ad illud, cum respectu illius nullam profus habeat conjunctionem: neque unionis, neque contactus, neque propinquitatis, per quam ad illud determinatur. Respond. distinguendum consequens, debet virtus agentis esse conjuncta passo contactu mathematico, negamus, virtuali concedimus, non quod haec virtus debeat diffundi necessario per totam sphaeram, sed sufficit quod permaneat in agente, & satis materia intelligitur agenti conjuncta, ipsique subiecta, & determinata, si in sphaera activitatis agentis existat. Per quod patet ad confirmationem.

Solent etiam contra nos quaedam experientiae urgeri, quia si inter nos, & solum corpus opacum interponatur, in nobis lux non producat, species non transmittuntur ad potentiam visivam ex simili impedimento, nec ullum est agens creatum, cuius activitas non retardetur interposito corpore incapaci illius effectus, quod non fieret, si posset agens in distans agere non operando in medio; immo idipsum probat Arriag. experientis, quae pro nobis adduci solent, nam neque basiliscus homini nocet, nec torpedo ligat piscatoris manum, si corpus interponatur omnino incapax nocivae illius qualitatibus, ut murus aliquid; & magnes ipsa facilius attrahit, quando non est interjectum corpus impediens in medio productionem illius qualitatis. Respond. iterum neque nos, neque Scotum asserere quodlibet agens posse agere in distans, sed aliud, nec istud secundum omnes potentias, sed aliquas, & praesertim gratis concedimus agens creatum prius agere in medium, quam in distans, quando in medium est ejusdem rationis cum extremo & receptivum ejusdem qualitatis ab eo producibilis, & verum est a nonnullis pro nostra sententia quasdam adduci experientias, quae non convincunt, quas proinde missas fecimus, ex his tamen non valet inferre consequentiam universalem de omnibus agentibus creatis, quod nequeant in distans agere immediate, quia saltem corpora caelestia, quae sunt majoris virtutis, quam sublanaria, in productione quorundam effectuum sic agunt, ut ostendimus, & hoc valde notandum est, quia Adversarii arguunt contra nos, ac si in universum teneremus omne agens posse agere in distans.

Q U E S T I O V.

De Causa Instrumentali.

69 Instrumentum, ut colligitur ex Doctore in 4. dist. 1. q. 1. I. Dd. & quaest. 5. F. & dist. 6. quaest. 5. E. multipliciter sumitur, primo pro causa omni, quae in actione dependenter agit, quo sensu omnis causa secunda erit instrumentalis solum, prima causa dicitur principalis, quia haec tantum agit independenter; secundo sumitur pro parte aliqua totius, cui primo competit esse principium actionis, tunc vero non nisi per illam partem, & hoc modo partes animalium, quibus operationes varias exercent vitali-

ARTICULUS I.

An iam secunda, quam prima causa actu efficiens dicantur.

79 **Q**uoad primam art. partem, an scilicet res creatæ vere aliquid efficiant, fuit quorundam opinio, quam probabilem putavit Gabr. in 4. dist. 1. q. 1. art. 3. dub. 3. omnem activitatem a causis secundis, & creatis removens, & solum Deo tribuens; dici vero res creatas agere, non quia vere efficiant effectus, sed quoniam Deus ad illorum præsentiam tales producit effectus, & illis remotis, regulariter minime producit; sic ignis calefacere dicitur non aqua, quia Deus calorem producit ad præsentiam ignis, non aquæ.

Quoad 2. partem Durandus in 1. dist. 1. quæst. 5. & dist. 27. qu. 1. asserit, Deum non immediate concurrere cum causis secundis ad illarum actiones, sed mediate, & remote, quatenus ab initio Deus virtutem ad agendum rebus communicavit, eamque in ipsis adhuc conservat. Addit Hurt. disp. 10. Phys. sect. 2. quod quamvis de facto Deus immediate in omnes effectus influat, & oppositum asserere sit valde temerarium; attamen non videtur manifestum absurdum concedere, posse Deum ex sua libertate non concurrere ad effectus, & actiones causarum secundarum, sed eas solum permittere, quam opinionem refert, & multis rejicit Rubion. 2. dist. 34. q. 2. art. 1. Alii vero licet concedant, Deum immediate concurrere ad effectus, limitant tamen, hoc esse solum immediate virtutis, non suppositi; citatur Ferrar. 3. contra gentes cap. 7.

So Dicimus 1. vere causas secundas efficientiam habere in proprios effectus; ita communis cum Doctore in 1. dist. 7. qu. unic. ad 2. princ. d. 42. quol. 7. 2. dist. 25. & d. 37. hoc sapius supponente, & Prob. Tum autoritate Scripturæ actionem creaturæ tribuentis, unde Genes. 1. postquam creavit animalia, benedixit eis dicens: *Crescite, multiplicamini, & replete terram*, immo si non agerent, cum deberent, ascribitur ut miraculum divinæ omnipotentia: & in multis Conciliis determinatur, voluntatem nostram active se habere in suis actibus, sic in Trident. sess. 6. can. 4. idem docent Sancti Patres, & omnes Philosophi cum Aristot. ubique locorum, præcipue 8. Phys. hoc asserente; Tum quia si hoc non esset, neque nos possemus aliquid mereri, & demereri: Deus esset auctor omnis peccati: multæ differentia causarum corruerent, quales sunt divisio in primam, & secundam: in principalem, & instrumentalem: animalia per motum non defatigarentur, quia nil agerent, & similia absurda evenirent; Tum quia nulla posset assignari ratio, cur ad præsentiam ignis calorem Deus semper producat, & non ad præsentiam aquæ. Si enim dicas, hoc esse, quia ignis habet similem qualitatem in se, non vero aqua: Hoc non valet, quia cum neque simile, neque dissimile per Adversarios influant in effectum, posset Deus producere calorem tam ad præsentiam rei similis, quam dissimilis; Tum quia non esset ratio, ut non producat Deus ad præsentiam omnis similis aliud simile, puta ad præsentiam quantitatis, albedinis, &c. aliam quantitatem, & albedinem; Tum quia multi effectus æquivoce producuntur a suis causis, in quibus nulla formalis similitudo reperitur: nisi velimus dicere, Deum tantummodo ex suo beneplacito hæc omnia determinasse absque respectu ad naturas rerum; ut quod est mere fictitium, & absque fundamento asseritur.

Sed contra instatur; Tum quia 1. Corinth. 15. *Deus operatur omnia in omnibus*, & cap. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis*; Philip. 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*; Tum 2. quia Deus sufficientem concursum influit in effectus, ergo omnis alia causa superfluit. Tum 3. quia causa prima prius agit, quam secunda, & in illo priori attingit totum effectum, ergo secunda nihil efficit; Tum 4. quia multi effectus in conservari non dependent a causis secundis, ergo neque in fieri.

Resp. in primo loco Apostolum demonstrare concursum immediatum Dei in omnes effectus, ut in conclus. seq. in aliis loqui de operibus gratiæ, & supernaturalibus, ad que non habemus nisi potentiam remotam, non quod totaliter sint a Deo, sed principaliter, excitando, & præveniendo cum auxilio prævio, & simul concurrente cum auxilio speciali. Ad secundum patet ex dictis disp. 3. quæst. 4. art. 2. concursum Dei esse sufficientem secundum rem, insufficientem secundum modum, ideo causa secunda non superfluit. Ad tertium dicimus ex Scoto 2. dist. 37. V. causam primam agere prius prioritate a quo, quia independent, & perfectius, non prioritate in quo, ita ut prius attingat effectum, quam secunda causa. Ad quartum sequitur, quod cum multi effectus etiam in conservari a causa secunda dependant, etiam in fieri dependere debent, quod sufficit pro nostra conclusione; tamen negamus consequentiam, non enim eadem est ratio in omnibus de fieri, & conservari respectu causæ secundæ, nam ab ista effectus non dependet essentialiter simpliciter, sed essentialiter secundum quid, ut inquit Doctor 4. dist. 12. quæst. 1. ad 2. cur autem aliqua solum in fieri, & non in conservari dependeat, non potest alia assignari ratio nisi ab experientia, & a posteriori, ut tetigimus quæstione secunda.

81 Dicimus 2. causam primam in omnes effectus causarum creaturarum concurrere immediate immediate non solum virtutis, sed etiam suppositi; imo implicare, quod detur effectus aliquis productus a causa creata, quin sit etiam a Deo causa-

fatus; Concl. est communis, eamque docet Scotus multis in locis, nam in 2. dist. 1. quæst. 1. supponit, dari istam virtutem causativam in Deo, & quol. 7. & 1. dist. 42. idem docet; & in 2. dist. 37. P. offendit de actibus voluntatis nostræ, & in 4. dist. 45. quæst. 3. supra E. & 1. dist. 8. quæst. 5. in fine ponit ordinem essentialium inter causam secundam, & primam, ita ut illa nihil ageret, ista non causante; & primo probatur iste concursus immediatus auctoritatibus adductis contra præc. concl. quibus accedit auctoritas Job. 16. *Manus tue, Domine, fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circum: Nonne sicut lac multasti me, & sicut casum me coagulasti? &c.* Illa. 26. *Omnia opera vestra operatus es in nobis, Domine, per ly opera vestra explicatur concursus causæ secundæ, per ly operatus es explicatur concursus causæ primæ, & Act. 17. In ipso vivimus, movemur, & sumus.* Neque istæ, & confirmantes auctoritates possunt explicari de productione mediata; nam præterquam quod de immediata loquuntur, adest auctoritas Jo: 5. *Pater meus usque modo operatur*, relata a D. Aug. 5. super Genes. 20. ubi hanc adducens opinionem, respicit istam auctoritatem, explicans ly *operatur* de immediato concursu productivo, & conservativo rerum; & D. Greg. 16. Moral. cap. 18. *Omnia, quæ creata sunt, per se nec subsistere, nec moveri posse*: idem docet Arist. 7. & 8. Phys. & 2. Metaph. cap. 2.

Secundo idem Prob. ratione; Tum quia ens creatum dependet a Deo immediate in conservari, ergo etiam in fieri; Antecedens probatur, quia unum est ens actu independent, non plura, at dantur multa entia, que in conservari a causis secundis non dependent, ut diximus quæst. 2. maxime si causa fuerit destructa, unde non poterunt dici dependere a Deo mediante causa secunda, ergo si actu dependet, hoc erit immediate a Deo; tum quia est ens essentialiter subordinatum Deo, & participatum: Consequentia probatur, quia conservatio, & productio sunt eadem omnino actio ex dictis qu. 3. art. 3. tum quia si in conservari dependet, quia est ens participatum, etiam in fieri est tale ens; & etiam quia durans solum per instant, nullo modo a Deo actu dependet immediate; Tum quia, ut ait Doctor in 1. dist. 8. cit. Deus annihilat creaturas, vel earum impedit actiones per subtractionem concursus, ergo immediate ad omnes effectus concurrat; Antecedens probatur, quia si annihilaret, vel impediret per concursum positivum, cum omnis actio ad aliquid esse necessario debeat terminari, non posset annihilare, nisi producendo aliquid de novo, per quod prius corrumperetur, ut fit in generatione novæ formæ, unde nec posset proprie annihilare, quia actiones contrariæ debent fieri circa idem subiectum; vel si annihilaret proprie, saltem non posset omnia destruere; similiter non posset impedire, nisi vel destruendo agens, vel producendo aliquid impossibile, puta in fornace Babylonis, cum actionem ignis impedivit, si hoc fecisset per actionem positivam, & non per simplicem concursus subtractionem, debuisset producere frigus ita intensum, ut sulciceret ad resistendum igni; quæ omnia sunt falsa; imo actionem immediatam Deo concedunt; Tum quia essentialiter est dependentia creaturæ ad Deum, quam ad aliam creaturam, ut pote quia sine alia creatura potest existere, non tamen sine Deo; hinc dependentia creaturæ ad Deum ponitur realiter cum ipsa identificata, ut notat Doctor in 2. quæst. 5. sed creatura aliqua immediate ab alia dependet in fieri, & conservari, ut lumen a Sole, ergo multo magis a Deo.

Ludovicus Dolentis Capuccinus in disp. de modo conjunctionis concursuum Dei, & creaturæ ad actus liberos ordinis naturalis hanc Durandi sententiam in scholis jam absolutam nuper suscitavit, eamque ibi late defendit, unde ad objecta respondet, Deum in fornace Babylonis impedisse activitatem ignis immittendo qualitatem impossibilem cum illa actione, in super addit sufficere ad rationem creaturæ, quod mediate, & remote in suis operationibus dependet a Deo, quatenus Deus est ens omnia conservans. Sed hæc defensio imbecillima est, quia explicare oportet, quanam fuisset hæc qualitas impossibilis cum tanto calore, vel enim hæc esset frigus intensissimus, vel qualitas a frigore diversa; si primum, utique pueri illi non minus a tanto frigore, quam ab eo calore fuissent interfecti, eo vel maxime, quia tale frigus debuisset puerorum corporibus inhære ad impediendam in illa caloris actionem: si secundum difficile assignabitur talis qualitas exclusiva caloris præter frigus, tum quia si talis qualitas impedire poterat actionem ignei caloris, multo magis actionem caloris naturalis in corpore existentis, quare & hæc qualitas etiam a frigore diversa pueros illos debebat extinguere. Hæc etiam illa Durandiana dependentia sufficiens est ad rationem creaturæ, quia non est major ratio, cur una creatura debeat necessario conservari a Deo, & non alia; tum quia si effectus a causa secunda non pendet in conservari, vel illa sit destructa, neque immediate neque mediate penderet effectus a Deo, quod nihil absurdum.

82 Accedunt rationes Scoti in 2. d. 37. cit. de actibus nostræ voluntatis, ad quos si immediate non concurreret Deus, nec esset omnisciens, nec omnipotens; primum probat, quia intantum cognoscit certitudinaliter futura contingentia, quæ novit determinationem voluntatis suæ respectu eorum, ad quæ voluntas sua est immutabilis, & in impedibilis, sed si voluntas creata est totalis causa actus, & contingens, poterit voluntas creata aliter velle, quam divina determinasset; ergo non sequitur certitudo ex cognitione determinationis divinæ voluntatis.

Quæstio VI. Art. I.

tatis. Secundum probat, quia voluntas omnipotentis, quando aliquid vult, producit in esse, non enim est alius actus divinæ voluntatis respectu entis creati, quo producit in esse, ergo si non attingit immediate volitionem creatam, jam haberet velle erga aliquid ens; & illud non produceret; immo stare hoc velle, quia voluntas creata est libera, & totalis causa, posset oppositum ponere in actu.

Tertio quod agat immediate immediate virtutis, & suppositi, tam in essendo, quam in causando. Probatur, quia influere immediate immediate virtutis, est agere per virtutem in se existentem, immediate vero suppositi in causando est attingere proprio influxu effectum productum, immediate tandem agere immediate suppositi in essendo est effectum attingere, a quo non distat loco, sed ipsi sit intime præfens; sed Deus omnibus his modis influat, ut patet, ergo &c. Quamvis si agere immediate immediate suppositi sit agere nullo alio agente cooperante (quo sensu locutum fuisse Ferrar. ostendit Caraffa de concursu disp. 9.) debemus concedere, non omnia ita a Deo procedere; sed hæc est quæstio de nomine & hoc modo agere ab aliquibus appellatur influere immediate immediate causæ.

83 Quarto contra Hurt. iidem rationibus ostenditur, non solum de facto, verum etiam de possibili causas creatas necessario in agendo a Deo dependere. Tum quia Gregor. citatur de possibili loquitur, ut patet; nec Arist. tam essentialiter dependentiam in causa secunda ad primam posuisset, si solummodo hæc veritas auctoritatibus Scripturæ, & Sanctorum esset nota. Tum quia implicat dari ens independent in esse, qualis esset effectus solummodo a causa secunda productus; & dato casu, si Deus vellet annihilare mundum, non posset nisi alium producendo; nec omnisciens, nec omnipotens esset, ut dicebamus. Nec valet, quod ait Hurt. adhuc a Deo dependere, & causam secundam non esse primum agens, quia actio ipsius mediate dependet a Deo conservante virtutem causæ secundæ, tum etiam quia omnis effectus dicit ordinem ad voluntatem, quæ Deus aut directe vult, aut permittit actionem, & sua voluntate fineret creaturas sic causare. Non valet, quia si causa pendet a Deo conservante ejus virtutem, hoc ideo erit, quia est ens in esse dependens, & creatum, ergo quia actio secundæ causæ est etiam ens creatum, immediate quoque a Deo debeat dependere, ut effectus, non enim actio est perfectior sua causa. Deinde si Deus haberet volitionem directam erga actiones, & effectus causarum secundarum, ergo immediate in actiones, & effectus influeret, quia Deus per suum velle, & non per alium actum distinctum causat creaturas, ut cum Scoto diximus supra, Tum quia etiam stante ista volitione, adhuc voluntas nostra, cum sit libera, & totalis causa, posset oppositum velle, & oppositum causare, quod implicat. Tandem quia modo causæ naturales, ignis v. gr. quando causat, agit, quantum potest, & cum non possit ex propria natura habere perfectiorem actionem, nisi essentialiter varietur, sequitur, quod si modo fineret Deus ignem se solo causare, non posset aliquid producere. Probatur, quia secundum Hurt. si Deus se solo causaret effectum, deberet intendere suum concursum, ut suppleret posset concursum causæ secundæ, ergo multo magis causa secunda intendere deberet suum concursum, ac modo facit, ut concursus divinum suppleret, quod tamen exequi non potest. Quapropter dicendum, non minus absurdum esse negare immediatum Dei concursum in effectus creatos de facto, quam de possibili.

84 Arriag. disp. 10. Phys. sect. 1. non solum sustinet cum Hurt. ad de possibili dari posse creaturam non dependentem a Deo in operari, sed adhuc addit non adesse rationes convincentes de facto hunc immediatum Dei concursum, nam inquit asseri posse causas creatas pendere in suis operationibus a permissione divina quia Deus vult permittere causas secundas motus suos agere, tamquam a conditione sine qua non, sicut effectus pendet ab approximatione agentis, & ab unione materiæ, & formæ, ut a conditionibus, sine quibus non, quamvis nec unio, nec approximatō influant in effectum; unde si Deus vellet impedire actiones creaturarum, sufficeret, quod solum permissionem suspenderet. Insuper addit ex dependentia in essendo non recta inferri dependentiam in operando per concursum immediatum, nam accidens dependet a subiecto, & forma a materia in essendo, & tamen nec materia concurrat ad actionem formæ, nec subiectum ad actionem accidentis. Tandem inquit conceptum creaturæ optime salvari nedum negata immediata a Deo dependentia, ut ajebat Durand. sed etiam mediate, quia si per impossibile non repugnaret mutua causalitas, & creaturæ sese invicem producerent, nullaque immediate a Deo proveniret, adhuc creaturæ essent entia defectibilia, nec a se, sed ab alio essent, quod sufficit ad rationem creaturæ.

Verum sic theologizandum Arriag. minus digne sentit de perfectissimo Dei dominio supra creaturas, & de harum omnimoda subtilitate erga creatorem, & ut ab hoc ultimo puncto incipiamus, falsum est conceptum creaturæ salvari posse etiam denegata mediata dependentia a Deo, etenim, ut dicemus in Metaph. præcipuum medium demonstrandi a posteriori Dei existentiam ens increatum, quod ceterorum omnium sit causa, ut subtiliter demonstrat Doctor 1. dist. 2. qu. 1. art. 1. & quamvis si creaturæ se invicem causarent, vere essent entia ab alio, & defectibilia, etiam si nulla immediate proveniret a Deo, hoc tamen est impossibile, & dato uno abusu, plura sequuntur,

tum quia si nec immediate, nec mediate creaturæ a Deo dependere, sicut Deus posset esse sine creatura, ita etiam creatura sine Deo, quantum est ex parte sui, quia ad sui existentiam nullo modo indigeret existentia Dei, id autem directe repugnat conceptui creaturæ, & entis participati. Bene etiam in proposito ex dependentia in essendo recte inferitur quoque dependentia in operando, quia hic non est sermo de dependentia effectus ad agens creatum, quæ non est simpliciter necessaria, & essentialis, sed tantum secundum quid, ut notat Doctor 1. dist. 8. q. 5. in fine, sed de dependentia ad Deum, quæ est essentialissima, & summe necessaria, tum quia causa secunda est primæ subordinata essentialiter nedum in essendo, sed etiam in causando, adeo ut non solum causa, sed etiam ens actio, ac effectus per eam productus ad Deum dependeat; Demum quod inquit salvari posse dependentiam essentialiter causarum secundarum a prima per solum permissionem, quæ Deus permittere velit causas secundas motus suos agere, nequaquam admitti potest, tum quia divina permissio non est sicut permissio Principis creati, quæ excludit positivum concursum ad actum prohibitorum, vel permissum, sed admittit aliqualem concursum: unde SS. Patres, & Theologi docent, Deum ad peccata permissive se habere, & cum hoc simul concedunt positivum ejus concursum ad substantiam actus peccaminosi, ergo dato casu non se haberet divina permissio, ut pura conditio sine qua non; tum quia si omnem excluderet concursum, tunc Deus non esset omnisciens, ut arguit Doctor 1. dist. 47. quæst. unic. ad 1. princip. quia non est prævisio Deum de peccato futuro per hoc solum, quod scit se permissurum hunc peccare, sed cum hoc requiritur, quod sciat se cooperaturum isti in peccandi, ut ostendat disp. 4. 1. tum quia ut Doctor arguebat 2. dist. 25. nec etiam esset omnipotens, quia posset aliquid actum permittere voluntari creatæ, immo positive velle, qui tamen ab ea non poneretur, cum enim ex hypothesi sit causa totalis, & libera, posset actum illum & permissum, & volitum non elicere. Tum denique quia dependentia voluntatis nostræ a divina solummodo ut a conditione sine qua non, non salvat subordinationem essentialiter inter causam primam, & secundam, quæ procul dubio ex suo formali conceptu aliquid amplius importat præter permissionem.

85 Sed contra arguitur; Tum auctoritate Scripturæ tribuentis totam causalitatem causæ secundæ, non Deo, unde Eccl. 15. *Reliquit Deus hominem in manu consilii sui &c.* Tum 2. quia causæ secundæ respectu suorum effectuum vel sunt æquivoce, vel univocæ; si primum, esse debeant perfectionem effectus excedere, non tamen infinite; si secundum, فارس est, ut habeant æqualem perfectionem, ergo superfluum erit immediatus concursus Dei. Tum 3. quia materia, & forma sunt entia creata, & tamen cum materialiter, & formaliter causant, non indigent Deo materialiter, & formaliter concausante; sed totaliter in suo genere causant, ergo non concurrat Deus immediate cum omnibus causis secundis. Tum 4. quia communiter dicitur, Deum producere effectus mediis causis secundis, quas sinit motus suos agere. Tum 5. quia actio non dependet a Deo, medio alio influxu, aliter posset processus in infinitum, & solum definit ex imperio divinæ voluntatis, non per subtractionem influxus, ergo idem posset de aliis rebus dici. Tum 6. quia unus rei non possunt esse duo fines immediati, ergo nec duo agentia principalia.

Resp. ad 1. in illis locis affirmari concursum immediatum secundæ causæ, non denegari tamen concursum immediatum primæ, cum in aliis locis asseratur. Ad 2. dicimus, causam secundam non excedi, neque excedere necessario suum effectum, excederet autem, si effectus esset a Deo independent, cum ipsa dependeat, quare erit sit æqualis perfectionis, quia tamen tota ista perfectio est creata, dicit immediatam a Deo dependentiam in omnibus; nec per hoc est causa partialis, nam licet simpliciter sit talis, est totalis tamen in suo ordine, ut in disp. seq. Ad 4. quod licet materia, & forma independentes causeant in proprio genere, non tamen simpliciter, sed dependenter a Deo in genere causæ efficientis, juxta dicta disp. 8. q. 6. & disp. seq. Ad 4. procedit mediis causis secundis, idest simul cum illis, & mediantione causæ, non vero mediantione virtutis, & suppositi, & in hoc sensu sinit motus suos agere. Ad 5. si loquimur de actione causæ creatæ, negatur, non dependere a Deo per alium influxum distinctum, non quidem realiter, sed formaliter, per quod vitatur processus in infinitum, sicut est in quodlibet alio dependentia ista ad Deum, ratio hujus est, quia actio creata non denominat Deum agentem, sed causam secundam, ut diximus q. 2. hujus disp. at si de actione Dei est sermo, cum a parte rei non sit nisi terminatio dependentiæ creaturæ, & consequenter simplex extrinseca denominatio, non requirit influxum, non sic de aliis rebus realibus, & positivis. Ad 6. sicut possunt esse duo fines subordinati, ita duo agentia subordinata.

86 Secundo ad idem posset argui rationibus theologis, quas Scotus adducit in 2. d. 37. L. pro Durand. & non solvit, unde & pro ista sententia citari solet, eo vel maxime quod in 3. dist. 17. solvens principale, adducit unam solutionem in ista opinione fundatam; rationes sumuntur præcipue ex hoc, quod Deus esset causa materialis peccati, si ad omnes effectus in individuo concurreret. Tum quia voluntas nostra libera non ageret, nam si dependenter a Deo agit, & sine Deo non potest in actum exire, ager juxta divinam determinationem.

Verum non est præsentis negotii isthac examinare; solum negamus, Scotum fuisse hujus opinionis, nam in 2. cit. licet solvat

folvat rationes illas; adducit tamen in contrarium duo argumenta, & protestatur, se oppositam sententiam tenere, & in 3. cit. dat. aliam solutionem conformem magis suis principiis; videtur tamen ad sententiam Duran. inclinare, quia ut optime notat P. Vulpes 2. p. disp. 5. art. 1. voluit vitare errorem illorum hæreticorum asserentium, Deum totalem causam esse nostrarum actionum sive bonæ sint, sive malæ, via deveniendi ad medium, est ad alterum extremum inclinare, ut in simili multoties Sancti Patres fecerunt ex eodem in 2. dist. 33. ad primum. Ad 1. pro nunc dicimus, Deum concurrere ad abstractum peccati etiam secundum ultimam formalitatem, non tamen esse causam per se peccati, quia non evenit juxta suam intentionem, sed quasi præter intentionem, immo contra ipsius voluntatem, cum intendat potius fugam ab omni peccato, ob quam dat omnibus auxilia sufficientia; causa autem per se est, quæ cum intentione agit, ut dicemus q. 8. Ad 2. dicimus, concursus Dei ex libero decreto ejusdem esse omnibus paratum, quare voluntas nostra potest operari quando vult, & quomodo vult; an vero determinetur antecedenter, vel concomitanter, spectat ad tractatum de concursu Dei cum causis secundis.

ARTICULUS II.

An substantia creata sit immediate activa alterius substantiæ?

37 Non est sermo, an una creata substantia possit alteram totaliter producere, constat enim ex dictis disp. 2. q. 1. art. 2. omne agens creatum materiam præexigere ad agendum, aliter crearet, non generaret; sed quæritur, an una substantia creata sit alterius productiva immediate, itaut per propriam essentiam substantialem tanquam principium quo principale attingat substantialem productionem alterius formæ substantialis. Circa quod aliqui negarunt substantiales formas ab aliqua creata substantia produci, sed immediate a Deo; ita qui omnem activitatem a causis secundis negarunt, sed specialiter hoc probabile putavit Arel. de Gener. quæst. 20. sect. 4. Alii fieri a substantia quædam spirituali, sive sit Intelligentia aliqua separata, ut Avic. 1. suff. c. 5. & 4. Met. c. 4. quod posse defendi putat Sonc. 7. Met. qu. 29. sive sit quedam virtus in omnibus corporibus diffusa, ut Avicembron. 11. lib. de Fontis vitæ. Alii asserunt, solummodo a corporibus cœlestibus produci, ut Raguseus disp. 16. c. 16. & 17. Quas opiniones de formarum origine suse rejicimus supra disp. 2. qu. 7. art. p. & rursus disp. 5. de Gen. & Corrupt. q. 6. Alii concedunt, a substantiis sublunariis produci, sed addunt, principium, quo principaliter productionem substantialis formæ attingunt, esse accidentia, ita Jo. Major. 4. dist. 12. quæst. 3. Perer. lib. 8. cap. 13. Alii dicunt, substantiam alteram producere per propriam formam substantialem, tanquam per principium quo principale, non quod immediate formam genitam seipsa attingat, sed medio accidente, ut instrumento, & virtute substantiæ generantis; ita communiter Thomistæ, quos sequuntur ex Recentioribus Conimb. 2. Phys. c. 7. q. 18. Ruvius tr. 4. q. 5. Morif. disput. 3. Phys. q. 18. & Aversa q. 37. sect. 6. Scotus tandem in 1. d. 7. & præcipue in 4. d. 12. q. 3. immediatum influxum unius substantiæ in aliam concedit, quem præter Scot. ut Mayron. Bafol. in 4. cit. Barlium in 1. Ant. And. 3. Met. q. 6. concl. 4. & lib. 2. qu. 6. Tar. in 4. cit. Fabrum theor. 34. Sghemman 2. Phys. digress. 10. q. 6. & Fuentes qu. 4. diff. 3. sequuntur Nominales in 4. d. 12. Durand. ibi quæst. 2. Jand. 1. de An. qu. 8. Vales. contr. 14. Suarez disp. 18. Met. sect. 2. Hurtad. disp. 9. Phys. sect. 5. Amicus tract. 12. q. 10. dub. 3. art. 7. Arriag. disp. 11. Phys. sect. 2.

Pro resolutione notandum ex Scoto 1. dist. 7. q. unic. V. quod non potest assignari certa ratio, qua demonstratur a priori formam aliquam esse, vel non esse activam, nam maxime posset hoc argui ex perfectione formæ, & tamen videmus, inquit Doctor, formas imperfectiores esse similibus productivas, non vero perfectiores, sic formæ elementorum sunt activæ, non vero omnes formæ mixtorum inanimatorum, formæ animatorum sunt communicativæ sui, at substantiæ cœlestes, & angelicæ sibi ipsis similes non producunt; hujus igitur ratio a priori nequit esse, nisi quia hoc est hoc, a posteriori tamen potest argui, & ab effectu; quapropter non intendimus probare, omnem substantiam esse alterius substantiæ, vel ejusdem, vel alterius speciei productivam, sed tantum quod non solum substantiæ cœlestes, sed etiam sublunares aliquæ producunt alias substantias immediate attingendo illarum productionem substantialem.

38 Dicimus 1. Nulla spiritualis creata substantia est alterius substantiæ, sive spiritualis, sive materialis productiva, neque omnes substantiales formæ sublunares necessario a Deo tantum, vel a Cœlis producuntur, sed aliquæ ab ipsis sublunariis. Prima pars, quod substantia creata spiritualis non sit alterius productiva, suse probatur a Doctore contra Avicemman in 4. d. 1. q. 1. M. & seq. non enim potest aliam spiritualemente producere, quia cum hæc simplex sit, non composita, petit creari, repugnat autem, creaturam posse creare, ut communiter cum Doct. cit. asserunt Theologi; neque aliquam materialem, quia Angeli non agunt nisi per intellectum, & voluntatem, inquit Doct. lib. X. est potentiam aliam distinctam habent, est intellectui, & voluntati subordinata, itaut intellectus, & volun-

tas sunt immediatæ potentie ipsius naturæ angelicæ, quod convenit omnibus agentibus per rationem, unde prima potentia productiva in Deo est intellectus; at per intellectum, & voluntatem non possunt producere formas substantiales, cum sint accidentium productiva, scilicet actuum vitalium, neque per illam potentiam distinctam, si esset, quia cum sit essentialiter subordinata, non erit productiva substantiæ, non enim ens secundum quid, quales sunt intellectio, & volitio, necessario præsupponitur ens simpliciter, ut est substantia, neque potentia ad substantiam est essentialiter potentia ad accedens subordinata; hæc tamen ratio non est demonstrativa, sed valde probabilis.

Secunda pars, quod non necessario omnes formæ substantiales a Deo solum, vel a cœlestibus corporibus, sed aliqua a sublunariis producuntur, patet ex dictis art. præc. conclus. 1. illæ enim rationes non solum probant activitatem erga accidentia, verum etiam erga formas substantiales; nam ignis non tantum calefacit, verum etiam comburit, viventia sibi similia procreant, unde Lucæ 21. dicitur, *Videte ficulneam, & omnes arbores, cum producant jam ex se fructus, scitis, quia prope est aestas; producere autem fructus indicat actionem substantialem.* Tum quia substantiæ sibi invicem pugnant, non solum secundum accidentia, verum etiam aliquo modo secundum formas substantiales, quibus ab eodem subiecto quarunt se expellere, quod activitatem arguere debet in ipsis, aliter idem agens extrinsecus, si hæc omnia efficeret, secum pugnet.

39 Sed contra argui potest. Tum quia D. August. 5. de Civ. Dei c. 9. ait, *Corporea causa non debent inter efficientes comminari.* Tum 2. quia ad agendum requiritur intima præsentia cum passio, corpora autem propter dimensiones, quas habent, nequeunt esse præsentia. Tum 3. quia multa corporalia generantur, quorum causas non possunt alia materialia entia assignari, ut sunt ex putri genita, nam Cœli, cum non sint animati, non erunt immediatæ causæ illorum, ergo ad aliquam Intelligentiam spiritualemente oportet recurrere. Tum 4. vel generativa virtus denegatur Intelligenti, quia entia spiritualia sunt, vel quia creata, & finita; non primum, quia Deo non conveniret; neque secundum, quia aliis creatis rebus imperfectioribus non competeret. Tandem productio est existentia communicatio, quæ cum sit effectus communissimus convenientis enti, ut est ens, ad hoc ut communicetur, exigit virtutem aliquam omnem ens producibile excedentem, talis autem est virtus divina.

Resp. D. August. loqui, non de causis efficientibus, ut sic, sed de causis liberis, a quarum serie excludit causas corporeas, ut bruta, aliæque agentia naturalia. Ad 2. jam diximus q. 4. art. 3. talem indistantiam localem non requiri. Ad 3. concedimus illa a Deo generari, ut ait Doctor 2. dist. 18. non tamen ex hoc debet fieri inductio universalis. Ad 4. ex utroque simul repugnare, quia cum sit spiritualis, per intellectum, & voluntatem agere debet, vel per potentiam his subordinatam, & cum intellectu, & voluntas in ipsis potentia finita sit, non possunt notitiam, vel volitionem substantialem producere, ut est in divinis. Ad ultimum; si loquimur de omni existentia, concedimus, a Deo solum communicari, quia non datur causa secunda omnium productiva, si de aliqua existentia in particulari, falsum est, non posse etiam a secunda causa communicari, si existens supponatur.

40 Dicimus 2. substantiam immediate, & substantiam virtute attingere productionem alterius substantiæ ab ipsa productivæ; & non medio accidente; ita Doctor cit. & probatur ab ipso lib. F. nullum imperfectius potest esse causa alicujus perfectioris, sed substantia est perfectior quocumque accidente, ergo non accidens, sed substantia est per se, & immediata causa alterius substantiæ. Major, in qua tota vis argumenti consistit, quamvis pateat, attamen revocatur in dubium a Rubione 2. d. 15. q. 2. art. 1. ab aliquibus vero limitatur de causa ut quod, non de causa ut quo, itaut sufficiat, quod causa, quæ agere denominatur, sit æque perfecta cum effectu, non tamen requiritur, ut id, quo causa agere dicitur principaliter, sit æque cum effectu perfectum, quia non est continens, sed ipsa continens; idcirco probatur ista major, tam de causa, ut quod, quam de ratione causandi, & ut quo.

Et primo quod causa ut quod nequeat esse imperfectior effectu, probatur a Doct. cit. Tum quia sic posset dici totum universum a musica esse productum, nec ex causatione primæ causæ argueretur infinitas perfectior in ipsa. Tum quia causa univoca habet in se effectum ut adæquatorem in perfectione suæ potentie, sunt enim ejusdem speciei, & consequenter ejusdem perfectionis essentialis, ergo causa æquivoca, si est imperfectior univoca, non potest continere in se illum effectum, ut terminum adæquatorem suæ potentie activæ. Patet ista consequentia, quia si est terminus adæquatus potentie univocæ causæ, & ista est perfectior potentia causæ æquivocæ, necessario effectus debet excedere potentiam æquivocam, aliter non adæquaretur potentie univocæ, sed excederet, sicut ista æquivocam excedit. Tum quia si forma causæ æquivocæ daret esse formaliter alii, cui non posset dare esse perfectius seipsa, quia nemo dat, quod non habet, ergo neque effective, quia dando esse formaliter, se totam communicat, non autem efficiendo. Tum quia posset effectus productus saltem ab intellectu dividi in duos gradus perfectionis, in illum, in quo convenit cum causa, & in illum, in quo excedit causam, hic secundus gradus nequit a causa produci, quia nemo dat, quod nullo modo habet, ergo erit impropositum; quod est falsum: Ex his contra

ra Rubion. concluditur, non esse hanc propositionem, imperfectius nequit producere perfectius, æqualiter notam, sicut est hæc alia, perfectius potest producere imperfectius, quia licet ista non possimus habere nisi rationem aliquam a posteriori ut diximus, illa tamen a priori recte demonstrari potest. Pro hoc a Conimb. 2. Phys. cap. 7. qu. 5. art. 2. adducitur D. Dion. cap. 2. de divinis nominibus, & D. Aug. lib. 83. qq. qu. 2. & lib. 12. super Gen. cap. 29.

41 Quod vero non solum verificetur de causa ut quod, sed etiam de causa ut quo, ut verum sit, imperfectius non posse esse rationem causandi perfectius. Probatur, quia causa in tantum actu causat, quia habet virtutem causandi sufficientem, est talem virtutem non haberet, non causaret, actus enim secundus præsupponit actum primum, actus primus non est ratio Quæ, sed ratio Qua, ergo si causa non habet rationem causandi perfectiorem effectum, non poterit illum causare, quamvis ex se aliam perfectionem excedentem includat: nam si hæc non est ratio influendi in effectum, imperitens est, & per accidens se haberet ad illum effectum; hoc etiam probant secunda ratio & tertia adductæ contra Rubion. ut patet.

Dices cum Amico tr. 14. qu. 6. dub. 2. causam constitui in esse causæ per virtutem activam, quæ non erit tota substantia causæ, quia substantia non est tota potentia, nec secundum omnes gradus est activa: cum ergo sit quedam realitas ista potentia, necessario erit imperfectior suo effectu, qui erit ens quoddam completum & physice compositum; sic animal dicitur generans aliud animal per potentiam generativam, tanquam per principium Quo, quæ tamen est animalis imperfectior, una species per differentiam est altera perfectior, & tamen differentia non est illa specie perfectior.

Sed contra falsum est, substantiam per potentias distinctas producere aliam substantiam, sed seipsa secundum totam entitatem producit, sicut seipsa tota distinguitur ab alia specie; dicitur autem per formam agere, & per differentiam differre, quia sunt principia radicalia magis principalia, ut in simili diximus disp. 5. qu. 12. art. 1. de materia, quod faciat suo modo compositum essentialiter differre: cum adducitur exemplum de potentia generativa animalis, dicimus animal produci ab alio animali per suam substantiam, nam potentia generativa præcipue concurrat ad formationem corporis, vel feminis: præterquam quod ista potentia est animata, & anima etiam sensitiva est tota in toto, & tota in qualibet parte, non quidem secundum entitatem, ut sit entitas indivisibilis, sicut anima rationalis, sed secundum virtutem, & solum ex variatione organorum variatur quoad functiones, non enim est eterogenea, ut asserit Hurt. sed de hoc solum in lib. de Anim. ubi ostendimus, non in qualibet substantia potentias debere esse formaliter ab ipsa distinctas cum Scot. 1. d. 13. N. respondendo ad argumenta Adami, inquit in d. 16. ad 2. princ. videatur dubius.

42 Morif. multipliciter respondet, nam primo ait materia est imperfectior forma, & utraque est imperfectior composito, & tamen sunt causæ, ergo imperfectius potest perfectius causare; secundo addit, accidens non esse absolute substantia ignobilis, quia dantur accidentia secundum entitatem supernaturalia, ut gratia, lumen gloriæ, &c. non tamen potest dari substantia supernaturalis, cui connaturalis sit gratia; tertio subiungit, quod licet forma substantialis excedat accedens, quia per se existit non inherendo, tamen accidens ad productionem substantialis formæ concurrat cum materia, unde totum aggregatum ex materia, & accidente non excedit a forma substantialis.

Sed contra: primum non est ad propositum, quia loquimur de causa effective, non de causa intrinseca, quæ semper est effectus imperfectior, ut dicemus disp. seq. neque causæ intrinseca sunt simpliciter causa adæquata effectus, nam extrinseca etiam requiritur, a qua debet accipere totum id, quod causas intrinsecas effectus excedit, ne illud excedens prius inquantum dicatur. Secundum etiam non valet, quia amissis etiam illis accidentibus substantia perfectioribus (quod tamen est falsum ex Scoto in 3. d. 13. q. 1. K.) adhuc ratio urget, quia loquimur de accidentibus naturalibus. Tertium impugnat ex hoc, quod concursus materia non est in genere causæ efficientis, ergo excessus perfectionis in forma, ne dicatur impropositum, debet habere causam effectivam, quæ non erit accedens. Tum quia forma substantialis, immo compositum substantiale, quod proprie dicitur productum, excedit aggregatum ex materia, & accedens.

Pererius concedit, accidens esse imperfectius in entitate ipsa substantiæ, sed ait, esse perfectius in ratione agendi. Sed hoc est supra impugnatum, videlicet perfectionem in agendo non arguere perfectionem in entitate supra effectum productum, sic enim possemus dicere, Deum esse quidem perfectissimum in ratione agendi, sed non sequi, esse quoque in entitate perfectissimum. Tum quia res sicut se habet ad esse, ita ad operari; & faciunt argumenta contra Rubion. adducta.

Cajet. dat aliam responsionem 1. p. qu. 54. art. 3. formam substantialem non fieri distincta actione ab alteratione, sed esse terminum hujus, saltem secundarium, & quia idem est principium via, & termini via, ideo accedens, quod est principium alterationis, erit etiam principium substantialis formæ. Sed in primis falsum assumit ut dicemus disp. 5. de Gen. & Cor. qu. 2. art. 1. quia generatio est motus distinctus ab alteratione ex 5. Phys. 8. & 3. Phys. 4. Tum quia forma sub-

Maffri, & Bellati Tom. II. Physica.

stantialis est distincta realiter ab accidente, ergo diversa sit actio, ut etiam disp. 2. qu. 7. art. 2. de composito, & forma substantialis diximus contra Suarez. Deinde hoc impugnat, quod imperfectius possit esse per se causa perfectioris, & ideo hæc responsio principium petitur.

43 Solutionibus hæctenus adductis utuntur Auctores illi, qui tenent accidens, ut agens principale, & in virtute propria producere substantiam, quod quia defendi minime potest, ideo Thomistæ communiter dicunt verum utique esse accidens principaliter, & propria virtute substantiam attingere non posse; bene tamen instrumentaliter, & in virtute substantiæ, quod non ita intelligunt, ut velint cum influxu accidentis admittere quoque influxum substantiæ, velut agentis principalis, nam in productione volunt solum accidens operari, sed extenus dicitur operari in virtute substantiæ, & ut instrumentum ejus, quia ipsa est principium primum, & radicale, a qua accidentia ipsa virtutem producendi substantiam habuerunt, unde voluit substantiam semper stertere, & perpetuo otio torpere, nec aliquid operari, quam famulorum suorum ministerio, quæ sunt accidentia; quare ad argumentum principale dicunt majorem veram esse de causa principali, non de instrumentali, quale est accidens, quod cum sit virtus substantiæ, poterit substantia, quæ est causa principalis, attingere medio accidente, quod est virtus ipsius, productionem substantiæ, accidens vero attingit, non principaliter, & propria virtute, sed instrumentaliter, & virtute substantiæ, sed quia valde difficile est explicare, qualis sit ista virtus substantiæ residens in accidente, conatur variis modis hoc declarare Thomistæ. Et in primis Capreolus ita explicat, quod accidens in agendo formam quandam a substantia accipiat per modum transitus, & fluxus, per quam proportionatum redditur ad substantiam. Cajet. vero, quem Recentiores sequuntur; ait, hoc, quod est accidens esse virtutem substantiæ, non sumi transitive; id est quod sit aliquid de novo in accidente receptum, sed intransitive, id est agit per propriam entitatem, quæ est virtus substantiæ.

Sed responsio Capr. rejicitur a Scoto cit. §. *Hic est una opinio*, &c. quia ista virtus de novo in accidente recepta non est substantia, quia accidens non sustentat substantiam; si est accidens, jam non erit nobilior priori accidente, & dato, quod sit nobilior, adhuc quid improporionatum erit, & imperfectius substantiæ; Cajet. vero impugnat ex Scot. cit. Tum quia accidens, ut est virtus substantiæ producere substantiam in hoc sensu, est accidens secundum suam entitatem, quæ est quedam virtus substantiæ in se a natura, concurrere ad productionem substantiæ, sed hoc totum est adhuc improporionatum effectui, ergo alia actio a perfectiori causa proveniens debet assignari. Minor patet, quia hoc totum nil aliud dicit, nisi accidentis entitatem cum illo subordinationis ordine, & habitudine ad substantiam, cujus est virtus, sed ista subordinatio non auget virtutem activam accidentis, sicut nec perfectiorem reddit ipsius entitatem, cum sit mere respectus, ergo &c. Et parum valet, quod ait Ruvius, accidens, ut virtus est substantiæ, altioris ordinis esse, & aliquid substantiæ, effectivique proportionatum, secus si secundum entitatem suam consideretur. Non valet, quia adhuc sub isto respectu est imperfectius effectui, quia ut sic non est substantia, quamvis sit aliquid substantiæ, ergo ut sic reduplicative est adhuc improporionatum, quod apto satis exemplo manifestari potest, si Principis expensio debeat alicui centum, quid creditori prodest, quod ei debeat nomine principis, si princeps non dat, unde solvat? sic pariter parum accidenti proderit, quod agat nomine substantiæ, & ut ei subordinatum, si vires ei actualiter non suppeditat ad agendum, quantum sufficit ad productionem substantiæ, & nihil virtutis derivatur in ipsum.

44 Respondent Compl. disp. 10. qu. 4. & 5. accidens esse virtutem substantiæ, aliquid addere, non realiter, vel formaliter, distinctum, sed virtualiter, per quam formalitatem virtutis, quam ab instanti productionis accipit, manet accidens habitualemente elevatum ad productionem substantiæ, & propter subordinationem, quam habet ad substantiam, nec refert, quod illa formalitas virtutis sit accidens, & per consequens elevari debere; non sequitur, eo quia accidens est elevabile, at virtus illa est ipsamet formalis elevatio, ideo non indiget alia elevatione, quam doctrinam videntur ex Máfio fuisse de Causis sect. 3. qu. 4. & seq.

Sed ista resp. impugnata manet ex dictis contra alias; etenim si hoc additum est virtualiter solum distinctum, non poterit vires realiter augere accidentis; & si est ipsa elevatio, non se habet ut virtus substantiæ, sed ut quedam conditio, & assumptio accidentis ad causandum, ergo accidens semper remanebit in suo statu imperfectiori. Tum quia per ipsos accidentia, quæ in passu recipiuntur, se habent ut principia activa substantiæ, & tamen cum in composito subiectentur, in instanti generationis non sunt, ergo non possunt actualiter causare formam; nec dicas ab ipsis relinquere materiam sigillatam; nam sigillatio illa materiae est solum quedam extrinseca denominatio, ut tactum est disp. 3. qu. 1. Tum quia accidens virtutem istam habet, quatenus a tali substantia provenit, unde si calor ignis, & calor animalis inter se comparantur ut calores, sunt omnino similes, at si ut virtutes sunt ignis, & animalis per ipsos longe differunt inter se, quia calor ignis habet virtutem producendi ignem, & calor animalis producendi carnem &c. eo quia a diversis principis proveniunt, quorum sunt virtutes; sed hoc falsum esset, nam impossibile est, quod aliqua differant actu inter se, & nihil entitatis diversæ in-

N ter

ter illa reperitur, cum idem, & diversum sint entis passiones, ergo impossibile est, quod illi calores, ut virtutes differant actu, & tamen hoc, quod est esse virtutem nihil super illos actualis entitatis reduplicet. Tum quia calor ab igne productus est virtus ignis & solum virtutem producendi ignem haberet, quia ab illo solo produceretur secundum ipsos; & tamen si iste calor produceretur in stomacho, adjuvaret concoctionem cibi, & consequenter instrumentum esset nutritivum.

95. Accedit, quod influxus ab accidente proveniens est influxus instrumentalis causæ, ergo præter istum debet assignari influxus causæ principalis, quia cuilibet effectus debent dari per se causæ principalis. Dices, idem influxus, ut ab accidente provenit, est instrumentalis, sed ut mediate est a forma substantiali, dicitur influxus causæ principalis. Contra, perfectior est influxus causæ principalis, quam instrumentalis, sicut causa principalis est instrumentali perfectior, ergo idem simplex influxus erit perfectior, & imperfectior caret perfectione aliqua, & illam simul haberet, quod implicat. Tum quia si nullo modo immediate a forma substantiali provenit, sed solum ab accidente, instrumentalis erit, quia quando calor est sepe ab igne, vel in subiecto distincto v. g. in ferro, agit influxu nullo modo ab igne proveniente, quia potest esse destructus, ergo iste influxus non erit influxus causæ principalis, sed instrumentalis; aliter denominaret calorem principaliter agentem; sed stante ista opinione, eodem modo calor agit, quando est in igne, qui solum concyrit sustentando calorem, & in genere causæ materialis, non adjuvando effective illum influxum, ergo semper est instrumentalis. Tum quia sicut causa instrumentalis, quæ est illa, quæ agit per rationem instrumentalem Qua, ita causa principalis quæ est illa, quæ agit per rationem agendi principalem Qua, nam cuiuscunque Quod correspondet suum Quo, & e contra ex Scot. 1. dist. 2. q. 7. Cc. & dist. 4. qu. 2. B. quia cuiuscunque abstracto correspondet proprium concretum, ergo si ignis solum agit per calorem, ut per virtutem propriam, & hæc virtus est solum instrumentalis, non poterit dici principalis causa, sed instrumentalis; forma substantialis, quamvis ab Adversariis dicatur virtus principalis, non per hoc denominabit ignem causam principalem in actu, quia actu per ipsos nihil agit, & solum remote, & ut causa causæ se habet, quatenus scilicet produxit accidens, quod postea producit substantiam. Tum quia causa debet esse saltem æqualis in perfectione cum effectu in virtute activa, quia ut sic agitur, & producit, ut diximus supra. Tum quia illud est principium agendi actualiter, in quo passum formaliter assimilatur agenti, si est productio univoca, sed passum, seu productum assimilatur in forma substantiali, non accidentali, ergo etc. Tum quia non daretur aliquod accidens naturale, quod dicitur instrumentum conjunctum in causalitate, sed quodlibet esset instrumentum separatum, patet, quia quodlibet accidens in agendo non dependeret ab actuali concursu principalis causæ.

96. Aliter responderi potest hoc Scotico argumento probari solum accidens non esse causam principalem substantiæ totalem, & adequatam, idque optime hucquæ probatum esse, sed nequaquam probat non esse causam partialem minus principalem, quæ potest esse imperfectior suo effectu, ut patet de albedine respectu intellectionis, & concedit Scot. cit. lit. I. & 2. dist. 3. qu. 10. I. & alibi, quæ quidem responsio coincidit cum opinione Suar. ponentis influxum partialem in accidente respectu substantiæ, & solum in nomine differt, quod Suar. non vocat accidens causam principalem partialem, sed instrumentalem; & fatetur, rationes Scoti non ostendere, accidens non esse causam partialem, sed probat solum, non esse totalem causam, quod intendebat probare in 4. cit. eo quia arguebat contra D. Thom. ponentem accidens separatim habere, vel esse virtutem completam producendi substantiam; at si esset causa partiali, nullo modo sine forma substantiali posset substantiam efficere; Impugnare vero hanc responsionem non est præsentis articuli, quia sufficit, quod admittat influxum immediatum unius substantiæ in aliam, quod solum hic contendimus, negavimus tamen istam virtutem partialem accidentis erga substantiam in præced. quæst. conclus. 1. & in artic. 4. hujus quæst. ubi de activitate accidentis erit sermo, de hoc agemus.

Accedit principaliter, quod immediate agere dicit perfectionem, ergo si competit formæ inferiori, ut est accidens, non debet substantiæ denegari, quia quod est perfectius, & nobilius, debet poni in rerum natura, si non implicat. Respondet Cajetan, & cum eo Ruvius in lib. de Anim. in illa quæst. de distinctione potentiarum ab anima, & Averfa cit. quod agens immediate ut principium tantum proximum, dicit imperfectionem, quia oportet, quod sit de genere accidentis agere, ut principium proximum, & principale, dicit summam perfectionem, & infinitam, quomodo Deus agit, tandem ut principium principale tantum est mediæ perfectionis, & consequenter recte substantiæ creatæ convenit.

97. Sed contra, accidens est principium principale, & proximum agendi etiam secundum ipsos in actione accidentali, & patet de calore in aqua, ut dicemus art. 4. & de accidente separato in Sacramento Altaris, ergo hoc, quod est posse esse principale, & proximum principium agendi, non requirit perfectionem infinitam; & maxime quia Averfa qu. 21. sect. 8. concedit, substantiam esse principaliter, & immediate productivam aliquorum accidentium. Quod vero

subdit q. 37. cit. ad 4. hoc ideo esse, quia unum accidens potest esse alteri proportionatus effectus, & accidens non indiget alio instrumento, ne in infinitum procedatur, & quia plura adminicula requirit substantia, quam accidens, in sui productione: Hoc totum est verum, quia statim inferitur, non esse de ratione formali principii principalis proximi virtutem infinitam; Tum quia etiam substantia est alteri substantiæ proportionatus effectus; & si plura requirit adminicula, sufficit, ut circa accidentia dispositiva terminetur accidentis activitas.

Tandem principaliter probatur ex Aristot. 2. de Gener. 54. & 55. ubi reprehendit, qui corporibus potentiam, & virtutem instrumentalem tribuebant, & negabant efficientiam formarum, & 3. Phyl. 17. ait, formam esse principium, quo movens movet, ut actu homo facit hominem; & 2. Phyl. 71. formam coincidere cum efficiente, & fine, & 7. Met. 31. & 32. ubi de hoc tractans, in fine conclusit. *Ceterum ex his proprium substantiæ accipere est, quod necesse est præexistere semper aliam substantiam actu existentem, quæ facit, ut puta animal, si animal sit, quale vero, aut quantum non est necesse, nisi potentia solum.* Nec potest explicari, ut aliqui volunt de præexistentia necessaria agentis remoti, quia Aristot. hanc ponens differentiam inter substantiam effectivam, & accidens effectivum, quod illa semper necessaria est, ut præexistens efficiat, hoc vero non semper, consequenter significat, illam præexistentem ita efficere, sicut accidens, cum præexistit, efficit, hoc autem efficit proxime. Accedunt rationes, quibus art. seq. probabimus, actionem immediatam non esse substantiæ generandam.

Solvuntur rationes in oppositum.

98. Sed contra arguitur 1. Tum quia ex 2. de Anim. 10. & 7. Met. 31. habetur, semen esse instrumentum, quo unum animal efficit aliud, at constat, virtutem feminis esse accidens, & animal in generatione nil agere immediate, quia potest esse corruptum, ergo solum agit in virtute feminis, eritque vera causa principalis, aliter non esset verum dicere, equum ab equo generari, nec inter illos essent relationes genititæ, & generantis, sed potius a causa universalis: & lib. de Sens. cap. 4. & 1. de Gen. 51. actio est inter contraria, ut sunt qualitate, unde ait Arist. nihil agere, aut pati, quatenus ignis, aut aqua, sed quatenus contrarietatem subdit, & 2. de An. 50. asserit, animam calore naturali agere. Tum 2. quia multa generantur ab agente distant, ergo non immediate ab ipsius substantia, media virtute. Tum 3. quia substantia agit media potentia activa, quæ in secunda specie qualitatis collocatur. Tum 4. quia videmus, substantiam creatam etiam spirituales ut accidentibus in omnibus suis actionibus. Tum 5. accidens attingit ultimam dispositionem formæ generandæ, ergo erit causa formæ, quia secundum Doctorem 2. d. 18. tantum vivens dicitur causa, alterius, quia attingit ultimam dispositionem formæ viventis.

Resp. ex Doct. 3. d. 2. q. 3. & d. 4. q. 1. d. 5. q. 2. H. generans nullam aliam actionem immediatam habere præter feminis decisionem, cetera vero agere mediante semine, in viviparis mater non solum mediate per semen, verum etiam immediate propria virtute attingit corporis formationem, & animationem, præterquam in generatione hominis; dicitur itaque semen instrumentum generantis, non quod vere, & proprie sit instrumentum, nam potius est agens principale, sed solum quia est quoddam ens a natura institutum, ut vices generantis suppleat; neque virtus feminis est accidens, sed est aliquid substantiale, videlicet partes illæ subtiliores, non enim est corpus homogenum, sed ætherogenum, ut colligitur ex Scot. in 3. cit. quamquam in 2. dist. 18. nullo modo posuerit semen activum, quia secutus est alteram opinionem de feminis homogeneitate, ut notat ibi Gratianus, & nos fufe disp. 8. de Gener. & Cor. q. 2. art. 1. dicimus. Quare negamus, semen attingere animam, sed solum formam corporeitatis, neque ad hanc se habere ut causam totalem, nam concurrunt Cæli, & viviparis potentia generativa matris; dicitur autem animal ab alio generari, non quod vere fundetur in generante relatio productionis activa, quia in instantia generationis per accidens est, quod generans reperitur, quare genitum non poterit ab illo dependere essentialiter in esse, sed quia aliquid generantis est in genito, & actio mediata patris non terminatur prius tempore, quam sit animatio, sed in eodem instanti habetur, ex Scoto 3. d. 2. quæst. 3. & tandem quia generans statim per decisionem feminis compositum intendit producere, quod si non producit, nisi mediis illis mutationibus, provenit ex imperfectione agentis, ut notat Doct. 1. cit. In lib. de Gener. loquitur Aristot. vel de contrarietate large sumpta, quæ inter duas formas substantiales etiam reperitur, vel de actione primaria, primoque congressu, qui est inter accidentia contraria. In lib. de Sens. loquitur de actione intentionali in sensum tactus, quomodo ignis solum agit, ut calidus, quia substantia non est per se sensibilis. Tandem in 2. de An. inquit Doct. in 4. sepe cit. in nutritione dari duas actiones, & duo principia, respectu alterationis prævia principium est calor, respectu formæ carnis inducendæ principium est anima. Philof. loquitur de prima actione, vel si de secunda, calor concurrat disponendo, non attingendo.

99. Ad 2. patet ex dictis q. 4. art. 3. quod agens potest agere in di-

stans, unde principalis causa erit vel Cælum, vel Deus, quando nequit in his inferioribus assignari præfens, quod etiam non minus uget Adversarios ipsos, si agens principale fuerit destructum, melius enim est recurrere ad agens universale, cuius est defectum particularis agentis supplere, quam asserere, actu produci aliquem effectum absque causa principali in actu. Ad 3. dicimus ex Scoto 2. dist. 16. & in 4. cit. non quilibet potentiam activam esse in genere qualitatis, sed illam, quæ facilitatem dicit agendi, ut in Log. diximus. Ad 4. falsum esse, substantias semper mediis accidentibus operari, ut dictum est, immo nec substantias spirituales, quarum potentia non sunt accidentia, sed realiter cum essentia identificata ex 2. dist. 16. Ad 5. vivens attingit ultimam dispositionem, quæ est forma substantialis permanens in vivente, at accidens solum attingit dispositionem accidentalem, quæ destruitur ad destructionem formæ corruptendæ, ideo dispar ratio.

Secundo, non repugnat, effectum excedere in perfectione suam causam totalem, ergo non repugnat, accidens posse producere substantiam. Consequentia patet, quia ex destructione illius antecedentis Doct. inferit destructionem istius consequentis, ergo ex positione illius sequitur istius positio; Antec. Probat. sicut effectus duarum causarum partialium potest in perfectione alteram earum excedere, & ejus major perfectio in aliam refundi, ut patet de intellectione respectu albedinis, & intellectus ex Scot. 2. dist. 3. qu. 10. ad 2. princ. ita effectus communis duarum causarum totalium ejusdem generis, sed alterius ordinis se haberi potest, quod effectus poterit alteram earum excedere, & ejus perfectio in aliam refundi, ergo si accidens cum concursu Dei se solo concurreret ad generationem substantiæ, poterit dici causa secunda totalis substantiæ, quia perfectio substantiæ, qua substantia excedit accidens, poterit refundi in ipsum Deum; paritas prob. ex simili discursu Scot. in 2. dist. 37. sub T. ubi ait, sicut defectus repertus in uno effectu duarum causarum partialium potest refundi in unam, non in aliam, ita defectus repertus in effectu duarum causarum ejusdem generis, sed alterius ordinis, poterit in unam refundi, non in aliam; quæ ratio ait, Deum non esse causam peccati, sed voluntatem nostram, quamvis Deus ad positivum peccati concurrat, ergo idem de perfectione dicendum. Si dicas, argumentum supponere, accidens esse causam substantiæ, quod est falsum. Contra, quia argumentum hoc probat, non supponit, ostendit enim quod potest dici causa, quia ratio, ob quam negatur, scilicet quod effectus nequit excedere in perfectione suam causam, non concludit, & tu respondes per hoc, quod accidens nequit esse causa, quia excedit a substantia, quod est petere principium.

100. Resp. torum discursum valere, quando in causa secunda supponitur aliqua virtus saltem inchoata producendi aliquem effectum similem habentem aliquam analogiam, & proportionem cum isto, ad quem producendum elevatur a Deo, nam Deus non concurrat cum causis secundis, nisi habeant talem virtutem, & sic concedimus, tunc effectum excedere in perfectione causam creatam, quamvis concursus ille non sit generalis, sed specialis, ut dicemus art. 5. at in accidente talis virtus non reperitur, non enim habet completam, ut patet, nec inchoatam, quia hæc non datur in quolibet ad quodlibet, nisi in eo, quod habet virtutem producendi effectum aliquo modo proportionatum, ut dicemus art. cit. hinc per istam rationem non petitur principium, immo est supposito factum in argumento deducitur oppositum, quod accidens non potest dici productiva causa substantiæ. Cum probatur paritas per similem discursum Scoti, dicimus, magnum esse discrimen arguere a defectu, & imperfectione ad effectum positivum, & perfectionem, quia defectus, cum sit quid negativum, non exigit in causa, in quam refunditur, aliquam positivam virtutem, sed potius negationem istius virtutis, at perfectio effectus requirit virtutem activam, vel totalem, vel partialem, plus enim requiritur ad construendum, quam ad destruendum; unde potest esse, quod aliqua causa habeat virtutem activam in se, & tamen per istam virtutem non sit causa defectus, quia causa defectus non est virtus activa, sed potius negatio virtutis, at impossibile est, quod negatio virtutis sit ratio productiva effectus.

Tertio imperfectius potest corrumpere perfectius, ut patet de igne comburente vivens, ergo potest etiam producere; quia corruptio unius est generatio alterius, ergo accidens corrumpens substantiam, aliam generabit. Tum 2. cuius est disponere materiam pro forma introducenda, ejus est expellere formam contrariam, & propriam inducere, sed accidens disponit materiam, ergo, &c. Tum 3. ex Arist. de longit. & brev. vitæ, causa vitæ est calor, & humiditas, causa mortis frigus, & siccitas.

101. Resp. ex Scoto 4. dist. 12. qu. 3. N. & clarius litt. X. in illa additione, quod licet sit universaliter verum, nullum imperfectius posse producere perfectius in sensu explicato, non est tamen universaliter verum, nullum imperfectius posse corrumpere perfectius, verum enim est de imperfectiori activo secundum genus, quale est accidens respectu substantiæ, non tamen de imperfectiori activo secundum speciem, quales sunt substantiæ ad invicem comparatæ, & rationem hujus assignat, nam agens naturale non potest corrumpere nisi generando, quia agens naturale non potest annihilare, nec potest materiam nudam omni forma substantiali spoliare, hinc corruptio

unius est alterius generatio; nec potest creatura in accidentis per se existens corrumpere, sed oportet, ut corrumpat in substantiam, itaut in fine corruptionis aliquod substantiale relinquant, cum ergo substantia possit aliquod substantiale producere, non accidens, sequitur, agens substantiale posse substantiam corrumpere etiam perfectiorem, quatenus potest inducere in subiecto dispositionem aliquam impossibilem cum forma substantiali, non sic accidens; nec inde sequitur, posse etiam perfectius producere, quia ut notat Doct. 4. dist. 43. qu. 3. ad 2. princ. potens in processum resolutionis, non necessario potest in compositivum, ut potens dividere lignum, non potest quaslibet partes divitas deinde continuare, idem habet in 3. dist. 16. qu. 2. F. & G. quia plus requiritur ad constituendum, quam ad destruendum. Tum quia subjungit Doct. dist. 12. cit. duas substantias, licet una sit altera perfectior, formaliter, & directe opponuntur, propter quam repugnantiam una potest alteram corrumpere, at inter substantiam, & accidens est repugnantia virtualis, & indirecta, sicut prius repugnat cum opposito posterioris.

Dices, ergo quia in viventibus non est necessaria nova generatio, nam remanet forma corporis, poterit accidens corrumpere vivens. Tum quia plus requiritur ad destruendum, quam ad generandum, quia simile potest generari a simili, sed quod corrumpitur, requirit agens non simile, sed intensius, & perfectius, calidum enim ut quatuor potest generare calidum ut quatuor, at non potest corrumpere frigidum ut quatuor, sed ut duo; ergo tota responsio ruit.

102. Respondetur, nec posse accidens corrumpere vivens, quia nec omnem dispositionem potest expellere a subiecto necessariam ad animam, ut dicemus in seq. argumento; tum quia non est formalis repugnantia inter formam substantialem, & accidens contrarium, sicut est inter duas formas substantiales; non videmus, quod substantia est aliquo modo compositibilis cum aliquo gradu accidentis contrarii, non tamen cum alia forma substantiali. Ad aliud, negatur assumptum, sicut est in artificialibus, ita in naturalibus, in illis vero facilius est corruptio, ut patet; cum probatur, dicimus, agens esse perfectius, stat dupliciter, vel in essentia, vel in gradibus accidentalibus, & intensius, sic calor est simpliciter frigore perfectior in essentia, etiam si calor sit unum, & frigus ut octo, at frigus ut octo est perfectius secundum quid calore ut unum; tunc ad argumentum, corruptio requirit perfectius agens secundum quid, & in intentione, concedimus, at generatio requirit agens perfectius, vel æque perfectum simpliciter cum effectu, ideo difficilius est generatio, quam corruptio; tum quia quod generat, esse debet etiam corrumpere, præsupponitur generationi non solum perfectius simpliciter, ut generans est, verum etiam perfectius secundum quid, ut corrumpens est; videatur Tromb. 2. Met. qu. 6. ubi ex professo hanc exagitat questionem.

Ad secundam Conf. argumenti principalis dicimus, valere quando in eodem agente reperitur utraque virtus disponendi, & generandi, non vero quando est unica tantum dispositiva virtus inferioris ordinis ut est in accidente. Ad tertiam, si Arist. intelligitur de illis accidentibus, tunc loquimur tamquam dispositionibus præviis, & necessariis requisitis; at si intelligitur de humoribus correspondentibus illis qualitatibus, concedimus, causas esse principales conservationis, & interitus viventium.

Quidam Recentior Scotista spernendo solutionem, quam ad hoc tertium principale argumentum adduximus ex Doctore loc. cit. concedit posse vivens destrui per solam actionem accidentis, quia licet non sit formalis repugnantia inter formam viventis, & accidens: est tamen inter dispositionem necessariam ad animam, & ipsum in certo gradu, cum quo consistere nequit dispositio necessaria ad animam; & ait ex hoc nullum sequi inconveniens; quia in destructione viventis non est necessaria nova generatio, unde non sequitur accidens in tali casu substantiam producere. Sed hoc est contra Scotum, qui loc. cit. negat accidens posse corrumpere dispositiones in eo gradu, quem sibi forma substantialis determinat, quæ doctrina communiter recipitur in nostra Schola; tum quia, cum hic Scotista velit substantiam conservare proprie accidentia sibi naturalia, & necessaria, resistendo contrariis, tenetur ostendere, quare substantia, quæ est majoris virtutis, non valeat resistendo, quam accidens agendo; tum tandem, quia etiam ostendere tenetur, cur idem contingere nequeat in non viventibus; sicut enim potest accidens virtute propria destrudere dispositionem necessariam ad animam; ita poterit destrudere quamlibet aliam dispositionem necessariam ad formam non viventem; & cum in illis corruptio unius sit generatio alterius, sequitur accidens posse substantiam corrumpere. Sed quid re vera dicendum sit pro totali resolutione hujus difficultatis, quæ adhuc magis augetur ex sequenti argumento, constabit ex dicendis art. seq. in fine.

Quarto, & potest esse impugnatio præcedentis solutionis; substantia nequit naturaliter conservari spoliata omnibus accidentibus sibi connaturalibus, ut aqua sine omni frigiditate, sed potest accidens, puta calor, propria virtute omnem gradum frigoris ab aqua destrudere, ergo & ipsam aquam. Minor probatur, quia omnes illi gradus sunt ejusdem rationis, ergo si potest habere actionem corruptivam respectu unius, potest in quemlibet; quod vero hoc faceret propria virtute, probatur, quia si calor esset separatus, vel in subiecto violento, puta in aqua, tunc se solo ageret, non virtute subiecti; tum quia illi gradus non possunt cor-

rumpi a generante, ut generans est, quia sic respicit substantiam, ergo ab alterante, ut alterans est, ergo mediis accidentibus, ut principii alterandi.

102 Resp. Doctor lit. O, neg. minorem; ad probat. ait, quod licet omnes illi gradus sint ejusdem rationis, si in se spectentur, attamen quia aliqui sunt simpliciter necessarii ad conservacionem formae substantialis aquae, ut est v. gr. ultimus gradus, vel duo frigiditatis, sine quibus aqua statim corrumpetur, alii vero sunt secundum quid necessarii, ut ceteri, & ad bene esse, hinc in ordine ad substantiam, cujus sunt dispositiones, sunt alterius rationis; quapropter calor potest destrueret gradus secundum quid necessarios, non vero simpliciter necessarios, non quia in seipsis, & intrinsece sunt majoris virtutis, sed quia substantia pro illis pugnat, & resistit, major autem, & efficacior est concursus substantiae, quam accidentis, & ideo nunquam calor propter istud auxilium substantiae potest corrumpere gradus, quos substantia pro sui conservacione determinat; corrumpuntur ergo illi gradus a corrumpente aqua, ad cuius corruptionem concomitantur sequitur illorum destructio, unde nec ab alterante, nec a generante ut sic, sed a corrumpente substantialiter destruntur, non quidem primario, quia sic respicit substantiam, sed secundario.

Dices, quod est posterior generatione, est prius corruptione, sed illi gradus sunt posteriores generatione, quia consequuntur ad formam aquae, ergo &c. Tum quia sequeretur, calidum in summo non posse corrumpere frigidum, ut duo; & si gutta aquae in sphaera ignis esset, in qua solus calor reperiretur, nunquam posset destrui. Resp. Doctor lit. S, majorem esse veram de his, quae sunt ordinata in generatione, & corruptione pertinente ad idem genus, ut sunt plures formae substantiales, sed de subiecto, & propria qualitate sibi connaturali, & necessaria, est falsa. Ad aliud resp. concedendo sequelam, non quidem ex se, sed ab extrinseco propter resistantiam aquae; ad id de gutta aquae in maximo calore, ait, quod corrumpetur non a calore, sed ab agente universali, scilicet a Caelo, ad quod est fuga Naturalium, cum forma inducenda esse perfectior, quae totaliter est in virtute activa Caeli, & si talis forma esset perfectior Caelo, puta si esset anima, oporteret requirere ad primam causam simpliciter.

104 Sed contra istam doctrinam de resistantia substantiae pro gradu, quem sibi determinat, est difficile argumentum; nam si ex hoc, quod aqua resistit, nequit accidens corrumpere gradus illos, sequeretur, quod nec aliquem gradum posset destrueret, quod est contra experientiam; videmus enim calorem in aqua expellere frigiditatem aliquam ex altera aqua, vel si potest aliquos, ergo & omnes corrumpere; sequela prob. forma substantialis non tantum concurrat ad conservacionem graduum, quos sibi determinat, sed omnium, ergo si potest suo concursu impedire corruptionem illorum graduum, impedit corruptionem omnium, patet consequens, quia eodem conatu pro omnibus resistit, nam in cuius potentate non est agere, & non agere, nec est modus agendi ex Scot. l. d. 1. qu. 4. Antec. prob. quando aqua est sine illis gradibus, quos sibi non determinat, querit toto conatu naturali, cum agens contrarium non adest, illos de novo acquirere, & reducere se ad pristinam frigiditatem, ergo quando actus illos habet, querit etiam illos conservare, quantum potest, aliter si de illis nihil evitaret, ad quid tam subito denuo illos in seipsa produceret; tum quia si aqua habet potentiam activam producendi in se omnes gradus frigiditatis, ergo habebit potentiam resistivam activam, qua impedit contrarium, ne in seipsam agat, quia istae potentiae sunt una, & eadem potentia, ut communiter dicitur.

Hoc argumentum petit solutionem sequentis articuli, quomodo, scilicet substantia se habeat in ordine ad accidentia.

Postremo arguit Compl. Existencia, & operatio in creatis realiter distinguuntur, ergo potentia ad existere, & operari realiter distinguuntur, quia potentia per actus distinguuntur, a quibus specificantur, maxime quando sunt duo primi actus, ut sunt isti, nam potentia ad existendum respicit primo existentiam, potentia ad operandum respicit primo operationem, sed substantia est potentia ad existendum; ergo debet realiter distingu. a potentia ad operandum, ergo non erit immediate operativa, sed per accidentia, quae ut potentia operativa sunt a natura substantiae concessa. Tum quia influxus, quo substantia attingitur, est accidens, ergo non erit improporcionatum accidenti, quod ut virtus substantiae possit substantiam producere.

105 Hoc argumentum, quantum habeat efficaciam, patet ex instantiis, quas ipsi adducunt, nec adaequare solvunt; nam primo substantia in sententia, ipsorum respicit existentiam in genere causa materialis, & operationem in genere causa efficientis principalis, & radicalis, & tamen illae potentiae sunt ipsamet substantia. Nec valet quod dicunt, substantiam respicere operationem propter existentiam & secundario, & ideo non esse potentias distinctas. Non valet quia idem potest dici de potentia proxima, scilicet quod substantia proxime respiciat operationem ut est perfectio existentiae, tum quia nequit eadem omnino potentia duo respicere in diverso genere causa; nec potentia proxima, quae per ipsos instrumentalis est, primo respicit operationem, quam potentia remota, & radicalis, quae est principalis, nam operatio primario respicit potentiam principalem, postea instrumentalem. Secundo; accidens ipsum ponitur ab eisdem in potentia ad existentiam, &

& ad operationem, & tamen non operatur per potentiam distinctam, aliter daretur processus in infinitum. Nec juvat disparitas, quam assignant, scilicet accidens eadem potentia respicere primo operationem, quia est ens entis, id est ens inserviens substantiae, & ad operandum a natura instrumentum, & secundo existentiam in gratiam operationis, & ideo non esse duos actus primarios. Non juvat, quia secundum ipsos etiam esse accidentis est participatio divini esse suo modo, & per consequens perfectissimum in accidente, ergo non erit in gratiam operationis a natura intentum, Tum quia accidens non solum operatur ut virtus substantiae, & ideo instrumentaliter, sed ut tale ens est, & principaliter in actione accidentali, ut ipsi quaest. 8. fatentur, ergo si potentia ad esse, & potentia principalis ad operationem debent distingui realiter in substantia, etiam in accidente. Respondemus igitur r. negando, substantiam esse in potentia subiectiva ad existentiam, cum ab illa realiter non distinguatur, ex dictis disp. 2. qu. 2. art. 1. & disp. 5. qu. 3. art. 1. Secundo dicimus, admissa adhuc reali distinct. inter existentiam, existentiam, & operationes, non sequi realem distinctionem inter potentias, quia ut Doctor saepe docet, non est necesse, ut tanta distinctio sit in principiiis, quanta in principiat, ut patet ex multis exemplis, praecipue in divinis, ubi principia, scilicet intellectus, & voluntas realiter identificantur, & tamen Filius & Spiritus Sanctus realiter distinguuntur. Ad 2. influxus formaliter secundum nos est ratio denominandi formaliter causam in ratione causa formalis, non vero est ratio agendi physice, ut in disputatione quinta quaestione secunda docuimus, idcirco non sequitur, quod accidens possit agere in substantiam; vide disp. 5. de Gen. quaest. 6. a num. 148. ubi rursus de hac re agimus.

ARTICULUS III.

An substantia sit immediate activa accidentium.

106 **T**Ria occurrunt examinanda circa hoc quaesitum; primum, an substantia seipsa immediate possit aliqua accidentia producere; secundum, an possit illa producere non solum in seipsa, & actione immanenti, verum etiam in subiecto distincto, & actione transeunti, tertium, an non solum producat, verum etiam confectet; exemplum, an aqua seipsa producat frigus, & non solum in se, verum etiam in manu, itaut manum infrigidet non tantum frigiditate, quam habet, & actione univoca, sed etiam per propriam formam substantialem, & actione aequivoca; tandem, an praeter influxum productivum erga frigus, habeat quoque conservativum, ut frigus in fieri, & conservari ab aqua dependeat.

Circa 1. est una opinio Thomistis adscripta, negans omnino, substantiam productivam esse accidentium, sed hac medijs potentis efficere, quae potentia non ab essentia, sed a generante formam substantialem producantur. Recentiores vero communiter hanc activitatem concedunt substantiae, licet postea discrepent in assignatione horum accidentium, circa quae substantia exerceat istam causalitatem. Circa 2. Major in 4. dist. 12. qu. 2. concl. 3. & 6. & Rubion ibidem qu. 6. art. 2. asserunt, substantiam non solum in seipsam, verum etiam in alienum subiectum accidentia producere; communis tamen hoc negat, ita Suar. disp. 18. Met. sect. 5. Averfa qu. 21. sect. 8. Hurt. disp. 9. Phys. sect. 3. subsect. 2. concl. 1. Circa 3. concedit Suar. influxum conservativum in accidentia, non solum productivum, ita disp. cit. sect. 3. n. 10. est communis apud Scotistas quo ad illos gradus, quos sibi determinat pro sui conservacione cum Scotto in 4. dist. 12. qu. 3. R. & X. negat Averfa qu. 14. sect. 4.

107 Dicimus 1. substantiam immediate efficere aliqua accidentia, ita Scot. in dist. 16. & in 4. dist. 12. quaest. 3. E. estque communis sic generaliter prolata, quam probat Doctor ex 7. Met. 32. in praec. art. cit. ubi vult Arist. quod ad hoc ut substantia fiat, est necesse aliam substantiam praexistere, quae producat, sed ad hoc, ut quantum, & quale producat, non oportet aliquid quantum, vel quale praexistere nisi potentia tantum, ergo aliquid, quod non est actu quantum, vel quale potest esse principium productivum immediatum quanti, vel qualis, & loquitur ibi Philof. de vera actione, ut pater legenti textum, sicut vera actione substantia praexistens aliam substantiam producit. Secundo probat Scot. ratione; quia in efficientibus, & effectibus omnis ordo accidentalis efficientis, & effecti in eadem specie redigendus est in aliquam causam essentialiter perfectiorem, at cum unum accidens fit ab alio in eadem specie, ut hic calor ab hoc calore, ibi cadit ordo accidentalis in efficiendo, ergo redigendus erit in aliam causam essentialiter perfectiorem, quae vel est accidens, vel substantia; si secundum, habetur intentum; si primum, arguitur de individuali illius speciei, sicut de prioribus, quousque deveniatur ad substantiam tamquam ad perfectiorem causam immediatam, quia in essentialiter ordinatis non est processus in infinitum. Tum quia si substantiae tribuitur actio immediata in substantiam, quare non in accidentia, quae sunt imperfectiora, & nobiliora? modo continentur in substantia, quae est superioris ordinis?

Accedit experientia de aqua calida reducens se ad pristinam frigiditatem, quae frigiditas non est a generante, quia potest esse distans, vel

vel corruptum; neque a residuo frigore in aqua relicto, quia idem intrinsece seipsum actione univoca, quod est falsum, ut dicitur in lib. de Gen. neque ab aere circumstante, ut ait Tol. nam semper aqua frigidior sit, quam sit aer, & idem eveniret, si in vacuo poneretur; non enim est verum, quod ait Tol. in casu corrupti calorem ab humiditate aquae, abique eo, quod introducat frigiditas, nam calor non opponitur humiditati, & naturaliter una forma contraria expellitur ab opposita; neque tandem ab aliqua virtuali, & occulta qualitate, ut dicunt Javell. & Averfa, qui postea admittit, hanc virtutem esse immediate a substantia, sed Javellus esse a generante impressam sustinet; quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, cum possit haec activitas in substantiam immediate refundi abique aliquo inconvenienti, ut videbimus solvendo rationes, & rationabilibus, quia experientia suadet, non dari istam virtutem, nisi ex ista actione, de qua est quaestio. Tum quia virtus ista, cum sit qualitas, suscipit magis, & minus, quae est proprietatis qualitatibus in communi competens, & consequenter omnibus qualitatibus, tam materialibus, quam spiritualibus, tam naturalibus, quam supernaturalibus, quando ergo remittitur, a quo postea intenditur? non a seipsa, ut patet; si ab aqua, habetur intentum; si a Deo, ergo idem de frigore dici posset abique recurfu ad istam occultam virtutem.

108 Dices, qualitates istas, cum sint connaturales, fieri non per actionem, sed per resultantiam; ideoque non denominari substantiam respectu istorum activam. Sed haec est quaestio de nomine, nam supra qu. 2. & 3. diximus, resultantiam stare cum vera essentia, quando res resultans realiter a sua causa distinguitur; qua ratione, quia passiones realiter ab essentia differunt secundum Thomistas, immedie ab ipsa fluunt. Ceterum non potest assignari certa regula ad dignoscendum, quamnam accidentia fluant immediate a substantia; nam quod ait Suar. haec esse, quae ad consummatam ipsius substantiae perfectionem pertinent, & in suo statu naturali constituunt; & quod addit Averfa, haec esse, quae sunt interia, fixa, & invariabilia circa ipsam substantiam, quae vero externa sunt, vel variabilia, produci per alia accidentia, impugnari potest exemplo actuum vitalium, qui substantiam supponunt in naturali statu constitutam, & variabiles sunt, & tamen immediate ab anima causantur, cujus potentia realiter ab illa non distinguuntur, ut dicimus cum Scotto 2. d. 16. in lib. de Anim. Quapropter posset dici saltem ut plurimum, quod quaecumque accidentia immediate insunt substantiae, & in ea sunt actione quadam immanenti, a substantia fieri; quia si accidens sit actione quadam immanenti, non potest fieri ab alio, quod sit extra suum subiectum, est immediate illi inest, & non quia aliud accidens inest, non potest fieri medio alio accidente, sicut habitus sit medijs actibus, & albedo mixtione tali primarum qualitatium.

In oppositum praeter rationes, quibus probatur, idem non posse in seipsum agere, adductas qu. 4. art. 2. potest adhuc instari ex Cajet. 1. p. qu. 54. art. 3. Tum quia nullius substantiae esse est sua actio, ergo nulla substantia est per suam essentiam activa. Consequenter probatur, quia secundum diversitatem actuum oportet esse diversitatem potentiarum propriarum, quia nunquique actus proprius correspondet propriae potentiae, sed actio, & esse sunt actus diversi, quorum propriae potentiae sunt substantia, & vis operativa, ergo substantia, & ejus vis activa erunt diversa, ideoque nulla substantia per suam essentiam erit potentia activa. Tum 2. & redit in idem, sicut se habet esse ad essentiam, ita operari ad potentiam, ergo per commutationem proportionis sicut se habet esse ad operari, ita essentia ad potentiam, sed in creatis esse distinguuntur ab operari, ergo essentia quoque a potentia. Tum 3. substantia creata est limitatum ens, ergo non potest esse totale, & proximum principium accidentalium actionis, quod deducitur ex improporcionem, & distantiam, quae est inter substantiam, & accidens, quae non possunt conjungi, nisi per aliquid proportionatum medium, qualis est potentia accidentalis. Tum 4. quia actus, & potentia pertinent ad idem genus ex 12. Met. 26. & 28. ergo substantia non producit accidens, nisi media potentia accidentalit. Tum 5. quia actus est semper nobilior potentia, ipsum respiciente, ergo potentia, quae substantia producit accidens, non est ipsa substantia, sed aliud accidens.

109 Resp. negando consequens ad prob. dicimus, majorem non semper esse veram, idem enim principium potest esse diversorum actuum, quando est illimitatum, & ad summum concludere potest distinctionem formalem inter potentias, & essentiam, non realem, ut ait Doctor de potentis animae; ad minorem dicimus, quod si per ly esse intelligatur esse substantiae productae, negatur, quod sit actio, sed est terminus actionis; si vero esse substantiae producentis, nec etiam est actio, sed ratio agendi, ut diximus supra qu. 4. art. 1. de existentia; Hinc ad 2. negatur paritas, quia esse ab essentia non distinguitur realiter, sicut operari a potentia. Ad 3. non requiritur proportio in entitate in causis aequivocis cum effectibus, sed activi ad passivum, quae innotescit per experientiam ad esse inter substantiam, & accidens. Ad 4. dicimus cum Scotto 2. d. 16. proportionem illam, quae 9. Met. 13. habetur, intelligi de potentia objectiva, & actu entitativo, non de potentia virtuali, & actu formali, & contra ipsos sequitur, substantiam non accidens, esse productivam substantiae. Ad 5. Antecedens est verum de actu formali, & de potentia passiva, ut se habet forma respectu materiae, non de actu productivo, & potentia productiva, nam saltem aequales in perfectione debent esse.

Masviji, & Bellui Tom. II. Physica.

Secundo ad idem. Tum quia nullum simplex creatum potest esse totale principium diversarum operationum, cum ex se sit indifferens, unde in receptivo requiruntur dispositiones determinantes potentiam receptivam, ergo, &c. Tum 2. quia accidens variabile non inest substantiae, nisi mediante accidente invariabili, ergo saltem accidentia variabilia non proveniunt immediate a substantia. Tum 3. inquit Averfa, species vini in Eucharistia calefacta redeunt ad pristinam frigiditatem, maxime in sententia ponentium, aquam posse immediate in sanguinem Christi converti, signum evidens, quod detur illa virtus frigiditatis productiva. Tum 4. quia si substantia esset potentia activa accidentis, deberet definiri per additamentum, sicut quaelibet potentia definitur per actum, ad quem ordinatur, quod est falsum ex 7. Met.

110 Resp. Doctor in 2. cit. negando assumptum cum probatione ex principio passivo desumpta, quia materia se ipsa, non medijs dispositionibus recipit formam; veluti rationibus recipiendi, cum potius concurrant in genere causa efficientis ex dictis disp. 2. n. 109. tum quia daretur processus in infinitum, quia nec posset aliqua accidentia recipere nisi medijs aliis. Ad 2. negat assumptum tamquam voluntarie dictam, nam si illa virtus est variabilis, non poterit immediate a substantia provenire; si invariabilis, ergo si potest producere immediate variabile, puta frigus, cur non etiam substantia? Ad 3. dicimus, in casu frigus redire, vel ab ambiente, vel a Deo ex vi antecedentis miraculi, ut fides locum habeat, quod dicere debet Averfa, si illa virtus remitteretur. Ad 4. si substantia ut activa reduplicative consideretur, concedimus, definiri debere per additamentum, quia ut sic dicit ordinem ad effectum producibilem, at si secundum se, & in prima notione spectetur, negatur sequela, & hoc modo intelligitur Arist. 7. Met.

Dicimus 2. accidentia, quorum substantia est in se ipsa immediate productiva, & non solum actione immanenti, sed transeunti sunt producibilia, possunt quoque transeunte a substantia illa produci, & sic ignis non solum calore calefacit, verum etiam propria forma substantiali. Haec concl. docetur a Doctoro in 2. dist. 9. qu. 2. Q. ubi ait, calorem simul produci posse a Caelo, & igne, vel a substantia, & qualitate tamquam a duobus causis subordinatis; constat autem, calorem a qualitate, scilicet ab altero calore non produci, nisi transeunte actione, & in alienum subiectum, sic etiam a Caelo causatur, ergo si per Scotum substantia simul cum qualitate est productiva caloris, non solum in seipsa, & immanenter, verum in alienum subiectum, & transeunte quoque producer calorem, & probatur ratione illa, qua Doctor ibid. §. ad quaestionem istam &c. probat, intellectum posse producere intellectionem non solum in seipso, sed etiam in alio; illud, quod sufficienter est in actu primo respectu aliquid effectus, potest illum causare in receptivo proportionato approximato, ut in simili diximus supra qu. 4. art. 2. sed ignis v. g. est sufficienter in actu primo caloris productivus, & potest esse aliquid subiectum capax approximatum, ergo &c.

111 Dices, non esse formam substantialem activam caloris in extremum subiectum, sed tantum in se ipsam. Hoc non valet, quia perfectior actio est ignitio, quam calefactio, cum illa sit substantialis, haec accidentalis, & consequenter majorem perfectionem requirit in principio activo illa, quam ista, sed potest ignis immediate agere per ignitionem in distans, ergo multo magis per calefactionem. Tum quia minus videtur posse produci intellectio transeunte, quam calor a forma substantiali eodem modo, sed intellectio potest taliter fieri ex Doct. cit. ergo &c. Major patet, quia intellectio communiter dicitur actio immanens. Tum quia agens naturale in distans agit uniformiter difformiter, ita ut quo magis passum distat, eo remissiore qualitatem in illo producit, unde multi Auctores asserunt, solum in superficie ambiente agens univocum producere effectum sibi omnino similem, sed calor in summo, quomodo reperitur in igne, est producibilis in subiectum distans, & de facto producit, cum v. gr. subiectum illud comburitur, ergo necessario ad calefactionem illam non tantum calor ignis, sed etiam forma substantialis concurrat, quia solus calor non potest in distans alium calorem omnino similem producere, sed adjuvabitur a substantiali forma ignis.

Diximus in concl. quorum substantia in seipsa est immediate productiva, quia multa accidentia sunt, quae insunt substantiae, sed dependent ab aliis accidentibus, ad quorum variationem variantur, sic se habent gravitas, & levitas, & ceterae secundae qualitates, quae secundum variationem aliarum qualitarum variantur, signum evidens, non immediate, & totaliter a substantia in seipsa produci. Insuper multa sunt accidentia, quae licet a substantia proveniant, non sunt tamen activa aliorum ejusdem speciei, sed alterius, & aequivoce, quorum non erit etiam substantia productiva, quia nulla apparet ratio hujus continentiae, sic esto gravitas sit a forma substantiali, cum ipsa non sit activa alterius gravitatis, sed motus deorum, non videtur, quod forma substantialis sit immediata causa talis motus, sed remote, & ut causa causa; aliter esset quoque immediata causa cujuscumque secundae qualitatis, quia immediate causat primas, quod sine aliqua ratione non est asserendum, & hoc modo intelligendus est Doctor, cum in 2. d. 2. q. 10. F. ait, gravia, & levia a propriis formis substantiis moveri naturaliter, quatenus scilicet sunt principia prima, per se, & radicalia illorum motuum, non proxima, & immediata.

Addimus etiam, quae immanenter, & transeunte sunt producibilia, quia dantur aliqua accidentia, quae solum immanenter petunt produci, ut sunt omnes sensationes, & intellectiones intuitivae,

var, quæ requiritur objectum immediate immutans potentiam illius actus elictricivam. Præter ista accidentia, cætera probabiliter sustineri possunt a substantia, transcurtente quoque posse produci. Ex his patet, quam sine fundamento Arriag. disp. 11. Phys. section. 2. subsect. p. admittat in substantia nobiscum virtutem hanc productivam accidentium etiam transeuntem, & deinde negat substantiam de facto eam exercere; si enim ignis potest aquam calefacere, quando esset omni calore destitutus, cur non calefaciat aquam per suam quoque formam substantialem partialiter, dum est calore præditus? consortium enim aliarum causarum adjuvare solet, non impedire actionem.

112 Sed contra instatur, Tum quia si hoc esset, citius calor cum igne ageret, & fortius, quam ab igne divisus propter intensiorem virtutem in principiis illis, sed contrarium experitur, nam calor in ferro, vel in aqua fortius agit, si manus approximetur, quam cum igne; & in Sacramento altaris eodem modo accidentia agunt, ac cum erant conjuncta. Neque dicas provenire in ferro propter majorem densitatem materiae, & majorem approximationem, quæ juvant ad fortius, & citius agendum; Non valet, quia si ex hac parte adfuerint istæ conditiones, ex parte caloris igni conjuncti adest major intensio formæ caloris, quam fit in ferro, vel aqua, & major perfectio principii activi, quia simul ignis concurreret. Tum 2. quia accidentia superfluerent. Tum tertio, quia substantia esset per se sensibilis seclusis accidentibus, quod est falsum. Tum quarto quia substantia, quæ est virtualiter activa in alieno subiecto, agit per qualitatem virtualem, v. gr. vinum, & venenum causant calorem, vel frigus in homine, non per formas substantiales immediate, sed per virtuales qualitates, quod patet, quia hac virtus intenditur, & remittitur, manente eadem substantia, etenim venena præparata non habent amplius vim nocivam, quam prius habebant, ergo vel ignis media virtuali qualitate causabit calorem, quod respiciamus, vel non erit ex se calefactivus transeuntis.

Resp. concedendo sequelam, ad improbationem de ferro, & aqua dicimus, valde impediri actionem a distantia, & raritatem materiae; neque juvenam ignis est adeo excedens, quia non ponimus cum Rubione, ignem fortius agere calore, cum experientia obstat, unde & calor separatus vincit actionem aquæ conservantis frigiditatem in seipsa, ut dicemus in sequenti conclus. Ad id de speciebus Sacramentalibus dicimus, causalitatem subiecti suppleri a Deo, ut mysterium non agnoscat. Ad 2. accidentia non superfluent, quia sunt data substantiæ ad ejus perfectionem, ut citius possit agere perfectius existere juxta connaturalem statum, & ut perceptibilis esset a sensibus. Dices contra, ad 1. minus non conferret, ut scilicet substantia citius agat, quia si ignis habet virtutem producendi calorem in seipso in instanti, sic etiam posset producere in alieno subiecto, si impedimentum non reperiret; neque ad 2. quia supposito, quod calor nihil igni deserviat ad agendum, non existeret ignis connaturalis sub calore, quam sine calore, neque ad tertium, quia sufficeret, ut sentiretur ignis mediante calore ab ipso producto in alieno subiecto. Respon. neg. assumptam quoad omnes partes, conferunt enim ad citius agendum, quia licet ignis in seipso producat in instanti calorem, non tamen ita celeriter producat in alieno subiecto; & ideo potest ab accidentibus adjuvari, tum quia non ponimus ignem fortius agere calore, ut ajebar Rubione, tum etiam quia debebat, & decebat dari in rerum natura propagationem univocam accidentium, & non tantum æquivocam. Ex quo patet ad alteram instantiam, cui accedit, quod etiam accidentia non juvant connaturalem statum substantiæ agendo, juvant saltem resistendo contrariis, ut in suo connaturali statu conservaretur, cum substantia minus resistere valeat, quam accidens ex mox dicendis: nec tandem ultima instantia valet, quia tunc ignis v. gr. non sentiretur, sed potius aqua, in qua calorem produxit. Ad tertium in casu substantia non sentiretur formaliter, sed solum calor ille causatus in manu v. gr. sentiretur, licet postea argueret intellectus ignis præsentiam, si nec videretur, sicut evenit cum aliqua substantia agit per qualitatem occultam, producendo calorem, quamvis formaliter non sit calida. Ad 4. negatur paritas, quia venenum v. gr. ideo est per virtutem qualitatem activum frigiditatis, quia frigus non est qualitas ipsi connaturalis, ut est aquæ, neque est causa totalis, aut respectu cuiuscumque frigiditatis, ut diximus quest. 4. art. 2. in fine, non sic ignis se habet respectu caloris; accedit experientia, quia venenum agit per virtutem mediam ex hoc, quod videmus illam remitti; ignis, vel aqua seipis, quia eandem semper habent potentiam quamdiu durant.

113 Dicimus 3. si conservatio proprie sumatur, quatenus dicitur dependentiam effectus non solum in fieri, verum etiam in facto esse, accidentia a substantia in seipsa producta non conservantur ab illa, si vero improprie accipiatur, ut dicitur remotionem, & impedimentum contrariorum, ne agant in illa accidentia, possunt dici conservari a substantia; Concl. habet duas partes. Prima quod proprie non conservantur. Prob. propria conservatio dicitur dependentiam essentialiam, qua effectus dependet a sua causa non solum in fieri, sed in facto esse continuatam, sed ista accidentia (loquimur præcipue de primis qualitibus, inter quæ cadit actio destructiva) non sunt nata sic dependere essentialiter ex dictis supra qu. 2. & patet, cum sunt in alieno subiecto, ergo, cum sunt in proprio

subiecto non dependebunt essentialiter ab illo in genere causa efficientis; Patet consequentia, quia impossibile est, relationem aliquam dependentiam fundari in aliquo subiecto, quod est incapax talis relationis. Tum quia dependentia semper agit imperfectiorem in re dependenti, sed ista accidentia, cum inhærent proprio subiecto, non sunt imperfectioris conditionis, ac quando sunt in alieno, ergo si in isto non dependent in conservari, nec in illo.

Secunda pars, quod improprie conservari dicantur, Prob. quia substantia ex dictis habet potentiam activam producendi ista accidentia, ergo habet quoque potentiam resistivam activam impediendo contraria, ne propria accidentia destruantur, patet consequentia, quia secundum omnes potentia resistiva activa est ipsamet potentia activa agentis, inquantum impedit contrarium, ne in idem agens, a quo ipsa egreditur reagat, aut ne tanta velocitate, vel intensione, ut dum ignis calefacit aquam, sua potentia activa non solum agit in aquam, verum etiam debilitat virtutem aquæ, ne in ipsum ignem reagat, aut si reagere permittitur, non tanta velocitate, aut intensione, ac ageret, si non impediretur, hoc totum autem est conservare improprie. Sic innuit Doctor, cum in 4. dist. 12. q. 3. a lit. R. & seq. ait, substantiam conservare propriam, & connaturalem qualitatem, & pro illa resistere, ne a contrario corrumpatur; quam doctrinam clarius explicabimus in solutione rationum in contrarium.

Rursus instat quidam Recentior, quia respectu accidentium connaturalium substantia virtutem habet conservativam, non minus, quam productivam, nec alia causa secunda conservativa convenientius assignari potest, quam ipsa, & certum est, quod illa accidentia in fieri, & conservari dependent ab illa substantia; quod autem non essentialiter dependeat sic, quia possint conservari ab aliis causis sine dependentia ab illa substantia, nihil facit ad rem, falsum est enim, quod conservatio proprie dicta involvat talem dependentiam, sufficit enim dependentia per se, licet non sit essentialis. Respon. imo hanc esse conservationem proprie dictam, quando effectus nempe ita in fieri, & conservari a sua causa dependet, ut sua causa remota statim evanescat, quemadmodum dicimus de lumine, ut constat ex dictis quest. 2. hujus disput. ad cuius differentiam conservationem factam per remotionem, & impedimentum contrariorum appellamus improprie dictam, sed quocumque modo appelleretur, ne fiat lis de nomine, hoc nobis fat est, quod illa accidentia connaturalia non pendeant omnino a substantia, in qua resident, in fieri, & conservari, ea necessitate, qua dicitur Lumen pendere a corpore luminoso, & alii effectus, qui dicuntur a suis causis pendere in fieri, & facto esse.

114 Sed contra instat Suarez, probando, hæc accidentia proprie conservari a substantia; Tum quia substantia retinet semper eandem vim causativam, est semper præsens, ergo semper agit. Tum secundo, quia actu a Deo conservantur, ergo etiam possunt conservari magis connaturaliter medio principio etiam substantiali; Tum 3. quia sic melius salvatur, cum qualitas proprio subiecto difficilius corrumpatur, quam in alieno, propter scilicet actionem conservativam subiecti.

Resp. faciliter, non sufficere illam vim ad conservationem, quia requiritur capacitas in effectu, qua non adest in præsentia. Ad 2. conservantur a Deo immediate, non media causa secunda. Ad 3. salvatur illa difficultas propter conservationem improprie, & resistivam activam subiecti, & quia alienum subiectum querit illam qualitatem expellere.

Secundo contra 2. partem arguitur ratione tacta in fine præcedentis articuli, si enim omnes gradus substantia conservat resistendo, & impediendo, jam nullum gradum posset accidens corrumpere accidentis contrarii existentis in connaturali subiecto, quia plus potest substantia sua actione, quam accidens, ut docet Doctor 4. dist. 12. question. 3. X. & ratio suadet, quia cum substantia sit perfectus ens, & æquivoca causa perfectius ager, quam accidens, nam causa æquivoca continet perfectiori modo effectum, scilicet eminenter, quam faciat univoca, qua ratione Doctor cit. solum asserit substantiam pro gradu, quem pro sui conservatione determinat resistere, illumque conservare, quod sæpe reperit in illa distinctione.

Respondemus, negari non posse, substantiam non solum ultimam gradum, verum etiam omnes conservare, sicut omnium est productiva; negatur tamen, accidens propria virtute non posse corrumpere aliquem gradum, quia potest habere virtutem ita intensam, ut superet non solum accidentis contrarii virtutem, verum etiam virtutem substantiæ, maxime quia agendo, agit tota virtute, & accidens contrarium, sicut, & substantia formaliter resistit solum secundum illam partem, in quam accidens agit, ut dicimus in lib. de Gen. disput. de Actione, & Reactione, cum dicitur, quod plus valet substantia, quam accidens in agendo, ex hoc quod est perfectior causa, hoc debet negari, quia videmus, multa virtualiter calida, ut sunt piper, vinum, & etiam ipse Sol, quamvis sint causæ æquivocæ, non producere tamen calorem ita intensum, sicut aqua fervens; imo, quando aqua reducit se ad pristinam frigiditatem, non statim expellit a se calorem, sed in tempore, signum evidens, calorem habere talem potentiam, quamvis sit omni auxilio ignis destitutus, ut possit resistere potentia activæ aquæ, nam successio in alteratione provenit ex resistencia contrarii. Nec ex perfectiori entitate substantiæ debemus semper arguere

Quomodo accidentibus activitas conveniat, explicatur.

117 Potest accidens in ratione activi comparari, & ad aliud accidens, & ad substantiam; si ad accidens comparatur, sic omne illud, quod proprias habet passiones, & quod aliud recipit in se ab ipso resultans, dicitur principium activum ejus, unde in hoc sensu, quia quantitas habet affectiones proprias, & ab ipsa multæ relationes emanant, quæ vere rationem effectus habent, ex dictis qu. 2. erit vere causa efficiens illarum, idem etiam de aliquibus relationibus dici poterit, supposito ex dictis in Logica disput. de Relatione, quod super unam relationem altera possit fundari. Attamen si efficientia strictius sumatur, prout scilicet dicit veram productionem, & per se acquisitionem alicujus formæ, sic tantum qualitati agere convenit, quantitas enim non est per se activa alterius quantitatis, sed potius habet rationem materiæ, nec respectu relationum dicitur homo per se causa, sicut nec relationes dicuntur per se effectus, cum acquirantur ad acquisitionem alterius; nec etiam relatio habet rationem activi, quia si ipsa per se non acquiritur, minus videtur, quod possit esse principium per se effectivum alterius, ita docet Doctor in 4. d. 1. q. 5. F. remanet igitur, quod per se activitas inter accidentia soli qualitati conveniat, videmus enim calorem ab alio calore produci; licet postea sit difficultas, cuiusmodi speciei conveniat; quod ad peculiare attinet tractatus. Solum ergo est dubium, quomodo accidens dicatur causa respectu alterius, an scilicet principalis, an instrumentalis; & ne de nomine contentandam, non loquimur de causa secundum ultimam denominationem, clarum enim est, hanc esse suppositum substantiale, sed de causa immediata, & proxima, seu de principio, & virtute, qua suppositum producere denominatur accidens, an scilicet accidens dicatur virtus instrumentalis, an vero principalis, idem respectu substantiæ querimus.

Fonseca 5. Met. cap. 2. quest. 6. sect. 6. Conimb. 2. Phys. c. 7. quest. 18. artic. 3. in fine asserunt accidens instrumentalis concurrere ad productionem alterius accidentis, non principaliter. Communis tamen opinio oppositum docet, ita Scot. 4. d. 12. quest. 3. sæpe citat. & d. 6. quest. 5. D. quem omnes Recentiores sequuntur, ut Suar. disp. 18. Metaph. sect. 6. Ruvius 2. Physicor. tract. 4. quest. 5. Averfa quest. 21. Amicus tract. 12. quest. 10. dub. 2. & alii. In ordine vero ad substantiam, alii dicunt, esse causam principalem, alii instrumentalem, ita quod possit elevatum attingere productionem substantiæ. Scot. vero concursum instrumentalem admittit absque eo, quod substantiam attingat, ut retulimus art. 2.

118 Dicimus, accidens ad productionem alterius concurrere ut causam principalem, non instrumentalem, at respectu substantiæ esse solum instrumentalem causam, eo quia terminum principalis agentis non attingat, scilicet substantiam, concurrat tamen ad ejus dispositionem. Conclus. quo ad utramque partem est Doctoris sæpe cit. & patet ex dictis tum quest. 5. tum artic. 2. hujus quest. Prima pars, quod respectu alterius se habeat, ut principalis causa, probatur. Tum quia effectus in casu non excedit virtutem causæ, quia accidens, quod ponitur activum, vel est ejusdem perfectionis, ut calor respectu alterius caloris, vel superat, ut calor respectu caloris, quem causat, ergo ratio principalis causæ ab ipso denegari nequit. Tum quia attingit terminum productum, quod instrumentum non convenit, ex dictis question. 5. Tum quia si est a proprio subiecto seipsum, vel quia separatum, vel quia subiectum alienum introducat, ut calor in aqua, adhuc alium calorem producit, ergo quando est proprio subiecto conjunctum, principaliter ager.

Dices, non posse dici principale agens, quia se habet ut Quo, non ut Quod; & etiam quia non habet virtutem propriam operandi, sed est virtus, qua substantia operatur. Sed contra, quia accidens separatum non habet rationem Quo, sed Quod; tum quia forma substantialis quoque dicitur instrumentaliter concurrere, quia se habet ut Quo, & est aliquid oppositi substantialis; tum quia agens intantum dicitur principale, vel instrumentale, ut Quod, inquantum principium, Quo agit, est virtus instrumentalis, vel principalis, ergo si accidens est virtus instrumentalis, & est suppositum substantiale producit accidens, non posset suppositum, ut per talem virtutem agit, denominari, nisi agens instrumentale. Accedit, quod illa dicitur causa instrumentalis, quæ non integrat causam principalem simpliciter completam, sed extra rationem causæ principalis integræ remanet, sed accidens, quando concipitur causare non remanet extra rationem integræ causæ principalis, nam si non concipitur accidens activum, seu ut ratio agendi (ut item de nomine vitemus) non concipitur principalis causa activa completa, ut patet.

119 Secunda pars, quod accidens dicatur instrumentum in ordine ad substantiam, non causa principalis, non tamen attingendæ substantiam, sive cum concursu immediato substantiæ, sive non, patet ex dictis supra, tum quest. ubi ostendimus, instrumentum nullo modo terminum principalis agentis attingere, tum art. 2. hujus quest. ubi probatur, substantiam non producere alicuiam virtutem accidentis, sive principalis, sive instrumentalis.

quere perfectionem virtutem activam in agendo, nam quamvis ex perfectiori virtute activa necessario argui debeat perfectior entitas in causa, ut fuisse ostensum est art. præc. non tamen e contra ex perfectiori entitate perfectior virtus, habemus enim instantiam præcipue in Angelis, qui solum motum localem possunt causare in his inferioribus, ut cum Scoto 1. dist. 7. G. notavimus art. præc. concedimus quoque, perfectiori modo continere effectum, quem potest producere, non tamen sequitur, continere perfectiorem effectum.

115 Solum urget authoritas Scoti adducta, & communis opinio Scoticorum, amplectens doctrinam illam a Scoto traditam de gradu ultimo, quem sibi forma substantialis determinat; qui solum a corrumpente formam substantialem potest corrumpi, quod necessario est aliquid substantiale, ut diximus art. præc. & disp. 5. qu. 8. art. 1.

Attamen advertendum, quod Doct. 12. cit. qu. 3. N. duplici via incedit respondendo ad rationem illam probantem, accidens separatum posse substantiam corrumpere, & quod potest in omnem gradum accidentis connaturalis, etiam posse in necessario naturaliter requisitum ad conservationem substantiæ; primo enim concedit, accidens separatum ex se posse in quemcumque gradum, Sed propter, inquit Doctor, subiectum, in quo est contrarium, quod determinat sibi aliquem gradum magis, quam alium possibile est, quod non possit in omnem gradum contrarii, inquantum contrarium est in tali subiecto eodem modo, quo prius potuit. Deinde aliam adducit respon. dicens, Alio modo potest dici, quod, & si possit in omnem gradum alterationis, in quem potuit conjuncta, non sequitur, quod possit in corruptionem substantiæ, ratio hujus est ista, quia generatio non potest a corruptione separari, comparando ad agens naturale &c. in ista secunda responsione, ut patet, admittit Doctor, posse accidens separatum omnem gradum accidentis conjuncti destruere etiam ultimum, sed negat consequentiam, quod accidens possit corrumpere substantiam, quia omne corrumpens debet esse simul generans, at accidens separatum non est generans substantiam, ergo nec corrumpens, & adest alia ratio negationis hujus consequentiæ, quam inferius assignat. litt. X. scilicet, quia inter accidens, & substantiam non est oppositio formalis, sed virtualis, Sicut prius repugnat opposito posterioris, & posterioris opposito prioris, posterioris autem secundum genus non potest per se nisi in oppositum sui generis, & ideo non potest in corruptionem prioris secundum genus, cui non opponitur nisi indivisibile. Talis igitur substantia, & si a contrario accidente omni gradu expoliaretur, non corrumpitur ab accidente, sed a substantia opposita, & si hæc non adlit præsens, recurrendum erit ad causam universalem.

116 Cum ergo secundum Doctorem accidens possit in quemlibet gradum, & etiam substantia omnium graduum sit activa, sequitur secundum istam viam, nec substantiam determinare sibi aliquem gradum, ita ut viam isto, vel aliqua sui parte non possit esse, nec ita activam esse, ut superet omnino activitatem accidentis contrarii, quare cum Doct. asseruit, substantiam resistere pro ultimo gradu, & plus valere ad resistendum, quam accidens ad agendum, locutus est secundum primam responsonem, ut ipsamet innuit in fine illius responsonis dicens, *At ista responsio declarabitur ex sequentibus.*

Si quis igitur potest salvare actionem accidentis immediatam in alieno subiecto existentis (nam si esset in proprio, juvaretur ab eo in agendo) eum concursu substantiæ resistens, pro ultimo gradu tantum posset sequi primam viam; sed difficile videtur eo quia substantia pro omnibus æqualiter resistit, & dato, quod non æqualiter, sed magis pro ultimo, quam pro aliis, adhuc quia secundum illam viam plus valet substantia resistendo, quam accidens agendo, statim ac concursus aliquis substantialis conservativus pro aliis gradibus admittitur etiam minimus, longe superaret omnem activitatem accidentis contrarii. Idcirco secundum amplectimur responsonem, ut fecit etiam Bassol. in quarta dist. 12. quest. 2. artic. 3. respondendo ad primam instantiam, & advertitiam, ubi postquam doctrinam concurrendæ de gradus determinatione adduxit, hanc deinde subjunxit responsonem, tamquam probabiliorem, licet alio motivo fit adducta ad istam sequendam.

Dices, stante ista Doctrina sequitur, quod nunquam alterans posset inducere aliquem gradum impossibilem formæ substantialis corrumpendæ, & sic cum quocumque gradu inducibili ab ipso potest stare forma substantialis corrumpendæ, & ita per nullam alterationem potest corrumpendum corrumpi. Respon. Doctor. litt. O. quod nunquam potest alterans inducere gradum impossibilem alterabili, quia non potest movens inducere gradum impossibilem suo mobili, nam mobile manet in toto motu, ergo sub omni gradu per motum inducto, sed nihil manet sub aliquo sibi impossibili; tum quia prius naturaliter, qualis est substantia, non corrumpitur per aliquid posterioris naturaliter, quale est quicquid est inductum ab alterante, ut alterans est; ideoque cum alterans induxit omnem qualitatem, quam potest producere, vel sufficientem pro introductione alterius substantialis formæ, statim sequitur generatio, nisi aliquid impediatur.

Accedit contra Suar. ponentem, accidens simul cum substantia instrumentali concursu attingere effectum substantialem, quia si igni v. gr. applicaretur a Deo materia ultimo disposita ad formam ignis recipiendam, omnique concursus a calore suspenderetur, vel posset ignis per propriam formam substantialem producere alterum ignem, vel non; si primum, ergo superfluum est omnis concursus caloris, si secundum, ergo ex se non est sufficiens causa producendi ignem, petique compleri in actu primo. Tum quia esset imperfectior in agendo ipso accidente, quod proprium, & principalem effectum se solo potest producere, at substantia concursu accidentali indiget respectu proprii effectus. Tum quia nihil est in substantia producta, quod possit tamquam effectus accidenti correspondere, cum sit maxime substantia etiam improportionatum.

Contra 1. partem (nam contra secundam solum ad sunt rationes, quibus probatur, substantiam non esse immediate activam, adductæ artic. 2. & 3. hujus question.) instatur; quod operatur in virtute alterius, habet rationem instrumentali, quod propria virtute agit, est causa principalis, sed respectu accidentis substantia operatur propria virtute, accidens vero in virtute substantia, ergo, &c. Minor probatur, tum quia accidens est virtus substantia, ergo substantia agendo per accidens, agit per propriam virtutem, tum quia accidens, sicut esse dependet a substantia, ita, & in operari, ita ut substantia non esset, nec accidens naturaliter existeret, nec operaretur, ergo agit in virtute substantia.

120 Respon. 1. non recte explicari rationem principalis, & instrumentalis causæ, nunquam enim instrumentum potest in se virtutem activam recipere, qua terminum principalis agentis attingit; sed potius majorem illam circumscribere rationes dependentis, & independentis causæ; unde causa prima, quæ simpliciter est independentis, dicitur agere propria virtute, causa vero secunda a prima dependens, dicitur agere in virtute primæ, idest per virtutem a prima receptam. Deinde minor potest dupliciter intelligi, nam accidens agere in virtute substantia, si sensus est, quod agat quidem se ipso immediate, sed præsupponendo influxum conservativum substantia, quo accidens illud sustentat in genere causæ materialis, & conservat in genere causæ efficientis, si est taliter dependens, quomodo procedit secunda probatio minoris, concedimus totum, quia ut sic tantum sequitur, esse causam principalem dependentem, non vero instrumentalem, vel est sensus, quod agat, quia elevatur in agendo a substantia, vel ad aliquem effectum prævium, & negamus, quia etiam respectu illius effectus se habebit, ut agens principale. Similiter accidens dicitur virtus substantia, vel quia ad generationem inservit, vel quia denominatur agere, ut Quod ab ipso accidente; primo modo recte dicitur virtus instrumentalis substantia, at secundo modo, est dicitur virtus, & ratio Qua, non tamen instrumentalis, sed principalis.

ARTICULUS V.

An causæ secundæ habeant vim producendi effectus supra naturam: ubi de potentia obedientiali.

121 **S**ensus quæsit est, num in causis secundis reperitur potentia aliqua innata, qua possint opera edere, supposito speciali concursu Dei, vires naturæ excedentia, quam potentiam Recentiores obedientialem activam appellant; & ut res clarius explicetur, aliqua prius dicemus de potentia obedientiali passiva.

Norandum igitur est 1. ex Scoto 1. d. 7. quæst. un. L. & dist. 20. B. quod hoc nomen potentia, quamvis sit a subjecto abstractum, est tamen concretum ad fundamentum; unde, & fundamentum potest significare, si pro connotato accipiatur, & ipsam relationem, qua aliquid potens dicitur formaliter, in presenti loquimur de ipsa in primo sensu, constro enim quod detur in rebus talis potentia, facile inde deducitur, fundari supra illam illud fundamentum relationem aliquam saltem transcendentem ad effectum producibilem, ut de potentia materia supra dictum est.

Secundo accipiendum, potentiam obedientialem (præscindendo modo a ratione potentia activæ, vel passivæ obedientialis) ut colligi potest ex Scoto 9. Met. quæst. 12. quatenus obedientialis est, dicere ordinem ad agens intellectuale, cui subicitur, potens de re illa facere, quidquid vult, dummodo non implicet, ratio est, quia obedientia proprie dicitur subjectionem rei respectu imperativæ potentia, potentia autem imperatrix est sola voluntas cum intellectu ex Aristot. 6. Eth. c. 9. & 10. quare potentia obedientialis constituitur in ordine ad agens intellectuale, quod cum duplex sit, creatum, & increatum, in ordine ad utrumque potest dari ista potentia, unde materia artis solet dici in potentia obedientiali in ordine ad artificem cui subditur; attamen quia agenti creato intellectuali solummodo limitate, & quo ad aliquas actiones non excedentes naturæ vires subicitur res materialis, sed Deo sine ulla limitatione, hinc magis proprie loquendo, nomine potentia obedientialis subiectio tantum ad agens increatum intelligitur, sub cuius potestate, & imperio subiacent omnia, & quidem non ut est auctor naturæ, & quoad opera naturalia, sed ut est agens supra naturam producens effectus supernaturales, ita usus inolevit apud Doctores, & in hoc sensu intelligendus est Scotus, dum 3. dist. 1. quæst. 4. A., & quol. 19. B. ait, quod potentia obedientia-

lis in creatura respicit efficientiam primi efficientis, non aliam potentiam activam. Quapropter ad potentiam proprie obedientialem requiritur concursus specialis Dei, qui scilicet debitus non sit ex natura lege, & supernaturalis, vel quo ad rem, vel quo ad modum, nam communiter dicitur, Deum ut auctorem naturæ, & secundum concursum generalem, & universalem, non constituere res in esse supernaturali, sed naturali.

122 Ex quibus deduci debet, quod potentia passiva obedientialis duo dicit, & ordinem ad Deum, ut agens supernaturale, & entitatem subjecti potenter recipere formam aliquam, respectu cuius formæ dicitur naturalis, violenta, vel neutra ex Doctore quæst. 1. Prol. L. non enim audiendi sunt Conimbr. cum 1. de Cælo cap. 11. quæst. 4. artic. 2. dicunt, hanc potentiam fundamentaliter dicere modum aliquem, quo natura, & essentia rei potens redditur, ut formam supernaturalem recipiat a Deo; etenim ut docet Doctor 3. d. 1. qu. 1. H. natura humana. non medio modo aliquo absoluto fundavit in se unionem hypostaticam cum Verbo, & intellectus non requirit novam formam, qua potens reddatur recipere beatificam visionem ex eodem 4. dist. 49. qu. 11. E. & ratio hujus est, quia perfectus subicitur creaturæ Deo, quam agenti creato, ergo si respectu istius subjectum est ex se potens recipere formam, & non per aliquid additum, multo magis respectu Dei. Tum quia ex Scoto qu. 1. Prol. Z. modus iste præcipue ponitur, ut subjectum proportionetur formæ supernaturali, ut est gratia; sed vel iste modus est ens naturale, vel supernaturale; si primum, ergo subjectum aequum cum ipso improportionatum erit respectu gratiæ, ac sine ipso; si secundum, ergo debet dari alius modus, quo subjectum potens reddatur recipere primum modum, & sic processus in infinitum; præstat igitur dicere, potentiam passivam obedientialem esse entitatem rei agenti supernaturali subiectam, & materialiter coincidere cum potentia receptiva naturali, & violenta, vel neutra, formaliter vero coincidere cum potentia passiva supernaturali, quæ a Doctore qu. 1. Prolog. cit. dicitur illa, quæ Deum ut agens supernaturale respicit; & hanc potentiam omnes admittunt. Solum est dubium de potentia obedientiali activa, quæ erit vis quedam insita rebus ad producendum effectum aliquem supernaturalem cum concursu Dei speciali, an detur in causis secundis, & si datur, quid sit, & ad quos effectus se extendat.

Aliqui absolute negarunt potentiam istam obedientialem activam, solum passivam admittentes, ita veriores Thomistæ, quos refert, & sequitur Martinez pag. 2. tom. 1. tr. de potentia obedientiali, & Caraffa de concursu disp. 2. & fere omnes Scotistæ, ut Faber in 4. disp. 2. qu. 4. Arer. ibidem d. 1. qu. 4. art. 6. Iribarnes disp. 4. sect. 2. qui Radam, & Herrera citat; Vulpes p. 1. tom. 1. disp. 23. art. 13. n. 4. & Cartagena de Sacram. disp. 3. dist. 2. c. 7. asserens, nec inter veteres, nec inter recentes scriptores, uno Suar. excepto reperiri, qui hanc potentiam admittant, quin potius illam omnes rejiciunt; & ut veram supponit Ruvius de Cælo tr. de Potentiis rerum qu. 4.

123 Ex opposito alii Recentiores; ut Suar. 3. p. tom. 1. disp. 31. sect. 5. & in Met. disp. 43. sect. 4. n. 6. & Hurt. in Phys. disp. 9. sect. 14. & de Incarn. disp. 57. sect. 3. Ariag. disp. 9. Phys. sect. 4. subiect. 3. præter potentiam obedientialem passivam in omnibus rebus respectu cuiuslibet formæ, aliam potentiam in omnibus rebus obedientialem activam agnoscunt, qua quodlibet potest a Deo elevari ad producendum quodlibet; quam potentiam alii ponunt consistere in qualitate aliqua supernaturali, qua res quælibet elevatur ad producendum effectum excedentem vires propriæ naturæ, alii dicunt, esse naturam ipsius rei connotantem extraordinarium concursum divinum, qui etiam differunt inter se; nam alii nullam activitatem ponunt in natura rei, sed fieri activam per solam conjunctionem, & subordinationem divinæ potentia; absque eo quod aliquid in se de novo recipiat, citatur a Caraffa pro isto modo dicendi Vincentius Asturicensis de natura Christi qu. 6. Suar. vero, & Hurt. cit. admittunt activitatem quandam ex parte naturæ; addit Suar. per istam potentiam causam secundam non constitui in ratione principalis causæ, sed instrumentalis.

Alii, ut Coninch. de Sac. qu. 62. art. 4. dub. un. Turrianus op. 2. disp. 2. qu. 1. 2. & 3. citantes Vasq. 3. p. disp. 123. nu. 95. & Moris. disp. 3. Phys. qu. 28. licet concedant potentiam obedientialem activam, non tamen in omnibus rebus, & ad quoslibet effectus producendos, sed solum ad aliquos habentes cum creatura aliquam proportionem, per quam potentiam causa secunda habet rationem principalis causæ, non instrumentalis, quem modum, ut magis Scoticum amplectemur. Est tamen valde notandum hoc quæsitum, quia ex ipso pendet solutio plurium quæstionum theologiarum.

124 Dicimus igitur 1. Potentia obedientialis activa (si datur, de quo in seq. con.) non dicitur quandam entitatem adventientem rei, per quam elevetur ad supernaturaliter operandum, ita ut nil activitatis habeat res illa, sed totam activitatem recipiat ab illa entitate, neque simplicem subordinationem potentia divinæ, sed dicitur quandam potentiam in creatura activam, & partialem, simpliciter loquendo, quæ nequeat compleri in ratione causæ ab aliquo creato, sed ab increato concurrente non cum concursu generali, sed speciali, & illi creaturæ minime debito ex ratione illa generali, per quam

potentiam causæ secunda non habet rationem causæ instrumentalis vere, & proprie, sed principalis in suo ordine. Concl. quæ ad omnes partes prob. & primo, quod non dicat entitatem de novo infusam patet; tum quia res elevata proprie non ageret, nisi secundum ultimam denominationem, non vere, & proprie, quia non se ipsa, vel per aliquid sui influeret in effectum, sed per qualitatem de novo adventientem, sicut aqua calida cum calefacit. Tum quia non posset dici res illa causa proxima, quia immediate non influeret in effectum supernaturalem, nec remota in genere causæ efficientis, quia illa talis dicitur, quæ efficienter ad proximam causam concurrat, modo res illa solum sustentando concurreret ad illam qualitatem, qui est concursus in genere causæ materialis non efficientis. Tum quia per potentiam obedientialem multoties dicitur res elevari ad effectus substantiales, nulla autem qualitas substantiam potest attingere ex dictis supra. Tum quia vel ista qualitas esset materialis, & sic improportionata esset ad effectus spirituales; vel esset spiritualis, & tunc improportionaretur cum effectibus materialibus, nec in materiali subjecto recipi posset, sicut nec materialis in spirituali; vel tandem multiplicaretur ad multiplicationem effectuum, ita ut si effectus est spiritualis, & subjectum, illa quoque sit spiritualis, si effectus, & subjectum sunt materialia, ipsa etiam sit materialis, & sic jam deberet in infinitum multiplicari, sicut infiniti possunt esse effectus supernaturales quo ad modum, & quo ad substantiam. Tandem vel ista qualitas haberet sufficientem virtutem producendum effectum, vel non; si primum, ergo effectus supernaturalis, qui dicitur excedere omnes vires, & leges naturæ, esset in virtute alicujus causæ creatæ; si secundum, frustra poneretur; accedunt etiam rationes sequentes conclusionis.

Secundo, quod non dicat illam simplicem subordinationem abique activitate in natura, probatur, quia actus primus præsupponitur actui secundo, & quando causa actu causat, debet in se habere virtutem causativam ex Scot. 4. d. 1. qu. 1. §. Ad quæst. 6. sed causa secunda ex ipsa secundum istos non habet activitatem aliquam respectu effectus supernaturalis, nec per illam simplicem subordinationem de novo acquirit vim activam, sed solum quandam denominationem extrinsecam, ergo neque physice influeret in effectum supernaturalem, nec proprie dicitur potentia activa.

Tertio ex dictis sequitur, quod ista potentia debet esse aliquo modo activa, & intrinseca causæ secunde, connotans divinum concursum speciale, & supplementem insufficientiam illius potentia, in qua connotatione consistit ratio potentia obedientialis ut sic. Quod vero per ipsam causam secundam constituitur in ratione causæ principalis, & non instrumentalis, patet ex dictis qu. 5. ubi cum Scoto 4. d. 1. qu. 1. ad ultimum, & d. 6. qu. 5. D. determinavimus, de ratione instrumenti esse, quod non attingat terminum principalis agentis, & dato, quod attingat, non tamen per virtutem in esse quieto, sed in actuali motione, ne causam principalem partialem cum instrumentali confunderemus; at per istam potentiam causam secundam attingeret effectum illum supernaturalem, quem etiam haberet in esse quieto. Tum quia causa secunda cum ista potentia non remanet extra rationem causæ principalis integræ, imo ingreditur.

125 Dicimus 2. dari in rebus creatis, saltem in aliquibus, potentiam obedientialem activam. Hanc concl. clarissime docet Scotus in 3. d. 4. qu. un. ubi duo dicit, & quod Beata Virgo ad generationem Christi activæ se habuit per potentiam activam innatam, qua erat secunda, secundo quod per istam activam virtutem potuit cooperari Spiritui Sancto ad formationem corporis instantaneam, ita ut per illam virtutem ut elevatam a Spiritu Sancto habuit actionem, quæ secundum modum excessus vires naturæ, nam non præcesserunt illa media prærequisita ad corporis formationem, unde post lit. E. habet hæc verba. *Sicut igitur natura, ad quam ut ad formalem terminum erat ista generatio, tantum erat in potentia obedientiali, ut uniretur Verbo, ita illa mater tantum habuit potentiam obedientialem, ut esset mater Verbi; est autem mater per potentiam activam, quæ a Scoto obedientialis vocatur, & infra G. ait, propter istam potentiam activam naturalem, quæ operabatur, potest dici naturalis mater Christi, & tamen propter modum exequendi actum hujus potentia duplicem non naturalem, potest dici non naturaliter, sed miraculose genuisse, quid clarus? & probatur Concl. Potentia obedientialis activa ex dictis est virtus ad causandum aliquid excedens vires naturæ, ita ut adhibito Dei concursu miraculoso, & speciali illi potentia minime debito possit agere aliquid supernaturale vel quoad substantiam, qualis ponitur visio beatifica, vel quoad modum, ut fuit generatio corporis Christi in utero Beate Virginis, sed datur in rebus talis potentia, ergo datur potentia obedientialis activa. Major patet ex dictis, quia talis potentia subicitur divino imperio, in qua subiectione ratio obedientia consistit, & respicit Deum ut agens supernaturale, in quo salvatur ratio potentia obedientialis strictæ sumptæ; tum quia hæc potentiam Scotus cit. obedientialem appellat. Minor probatur, nam virtus generativa Beate Virginis fuit activa respectu effectus improportionati illi virtuti non quoad substantiam, sed quoad modum, unde solo concursu generali Dei non potuisset effectum illum taliter causare. Similiter Doctor 4. dist. 49. qu. 14. ait, in anima reperiri virtutem naturalem motivam corporis inorganice quidem, attamen propter impedimenta, quæ ibi assignat, nequit pro ista isto corpus inorganice movere, sed solum organice, si vero Deus vellet in hac vita*

concurrere cum anima ad motum corporis inorganicum, talis potentia activa animæ concurreret activæ, & ideo potentia diceretur activa, sed quia concursus ille est specialis, vere potentia activa obedientialis dici debet: Rursum eadem dist. qu. 11. litt. K. docet, intellectum habere potentiam activam remotam respectu visionis beatificæ, non propinquam, quia concursus Dei in ratione objecti ad talem actum non est sibi debitus, ergo talis potentia obedientialis activa erit. Nec refert, Scot. non fuisse usum hoc termino potentia obedientialis, quia sufficit, ut in simili, scilicet in potentia activa B. Virginis illum usurpaverit, quam potentiam in 3. cit. cum non solum obedientialem, verum etiam remotam vocavit; signum evidens, hos terminos pro eodem haberi a Doctore, quare non erit ista potentia obedientialis activa omnino a nostra schola extrinsecam. Hinc non recte Cart. disp. cit. cap. 8. negat, potentiam istam inchoatam esse obedientialem, etenim nil aliud per potentiam obedientialem intelligimus, & esset quæ de nomine.

126 Aramen quia Thomistæ possent negare, potentias istas activas, quas nos assignavimus, reperiri in rebus, ut jam de facto dicunt de intellectu respectu visionis beatificæ, ideo contra ipsos ostendi debet, rem aliquam habere potentiam activam ad aliquod supernaturale faciendum; & hoc præcipue de intellectuvis potentia. Probatur igitur minor principalis argumenti ratione: Intellectus creatus virtutem habet activam in suo ordine producendi visionem beatificam, & reliquos actus supernaturales, sicut voluntas respectu fruitionis Dei, ergo &c. Antecedens probatur, quia visio habet duo, & supernaturalitatem, & vitalitatem, hanc nequit habere ab aliquo habitu, sed ab ipso intellectu, quia lumen gloriæ non est principium vitale. Accedit auctoritas Conc. Trid. sess. 6. can. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passivo se habere, anathema sit.*

Resp. Thomistæ, quos sequitur Caraffa cit. intellectum vere active concurrere ad visionem, non tamen per virtutem ipsi connaturalem, sed quam accepit a lumine gloriæ, qui habitus datur ad simpliciter operandum, sicut si aqua calida calefacit, vere active concurrat, non tamen proxime, & per potentiam activam connaturalem, sed ab extrinseco totaliter adventientem, qualis est calor. Addit Martinez, quod potentia specificatur ab effectu proximo, non remoto, modo intellectus duos effectus habet respectu visionis, primus est receptio potentia activæ, quæ est lumen, secundus est productio per talem potentiam ipsius visionis, primus est passivus, secundus activus, & hinc intellectus ex se solum passive se habet ad visionem, cum lumine tamen active, quia ex intellectu, & lumine, inquit Caraffa, unica formaliter coalescit causa effectiva beatæ visionis, quæ unica indivisibili actione, quæ vitalis est simul, & supernaturalis, attingitur.

127 Sed hæc solutio non tangit difficultatem, hoc enim impugnatur, scilicet quod lumen sit tota ratio agendi ipsi intellectui, quia debet præsupponi virtus activa ipsius intellectus, quia vitaliter nullo modo a lumine provenire potest; ergo præter actionem luminis, adest actio intellectus. Tum quia ex Scoto in 1. dist. 17. qu. 2. E. & F. arguendo contra Henr. ubi ex professo impugnat hanc resp. quas rationes late profertur Hurt. cit. libertas in actibus voluntatis non est ab habitu, qui est causa naturalis, ergo vel nullus actus voluntatis supernaturalis esset liber, si habitus est tota ratio agendi, vel voluntas immediate etiam, & proxime cum habitu ageret actione distincta ab actione habitus; imo sequitur, inquit Doctor, quod homo habens semel charitatem, nunquam potest peccare mortaliter, quia habens formam aliquam activam sibi prædominantem, nunquam potest moveri contra inclinationem illius formæ prædominantis, sicut nunquam corpus mixtum grave potest ascendere contra inclinationem terræ prædominantis, sed charitas, si est activum totale, prædominatur ipsi voluntati, quæ non potest in actum illum, ergo voluntas semper sequeretur inclinationem charitatis in agendo, & sic nunquam peccabit; eo vel maxime, quia actio charitatis non est in voluntatis potestate, cum hæc active non se habeat, & concursus sustentativus, & materialis non sit liber, sed necessarius. Tum quia intellectus eodem modo se haberet, ac aqua calida respectu calefactionis, sed aqua solum passive se habet recipiendo, & sustentando calorem, & active solum extrinsece per quandam denominationem propter receptionem passivam caloris, ergo vere, & proprie intellectus esset solummodo passivus, sicut & voluntas, & veluti inanime quoddam, quia concursus receptivus est mortuus, & materialis, quod est contra Concl. ergo concursus ut causa remota in sensu Thomistarum non sufficit, ut dicebamus in probatione primæ partis præcedentis concl.

128 Accedit, quod si habitus est tota ratio agendi, & non intellectus, & voluntas, ergo ubicumque, inquit Doctor, reperitur habitus, ibi potest actus reperiri, patet de calore, qui ubicumque ponatur, semper calefacit; & ratio est, quia omnis forma, quæ est principium totale agendi, ut est in subjecto, si per se est, potest operari, quia effectus virtualiter in illa adequate continetur, & solum existentiam requirit, ut agat; quare si habitus esset separatus, potest elicere volitionem, & esset potentia. Subinfert Hurt. si habitus separatus etiam per impossibile eliceret volitionem aliquam, voluntas non esset activa respectu illius actus, si postea uniretur habitus ille voluntati eamdem volitionem adhuc conservans, nec etiam voluntas respectu illius volitionis active,

libere se haberet, quia solummodo sustentat habitum, ergo, & si habitus in voluntate eliceret actum, voluntas nullo modo active, ac libere concurreret, nec ullo modo causa illius actus esset activa, quia eundem concursum, scilicet, passivum exerceret hic, & ibi. Tandem actus attritionis non provenit ab habitu charitatis, aut gratiæ habitualis in voluntate existente, sed a Deo secundum multos cum auxilio speciali extrinseco concurrente, & a voluntate, & tamen actus ille supernaturalis est etiam secundum substantiam per Adversarios, vel saltem ita potest provenire, nam probabiliter concursus habitus supernaturalis potest a Deo suppleri per auxilium extrinsecum, ergo tunc vel totaliter actus ab extrinseco proveniret, & solum voluntas passiva, & recipiendo se haberet, quod est contra Concil. vel immediate concurreret active, & haberetur intentum. Manca 2. Phys. qu. 6. dub. 1. respondet disparem esse rationem inter aquam calefacientem per calorem, & intellectum lumine gloriæ informatum, nam aqua solum concurrat sustentando, unde si calor per se subsisteret, adhuc calefaceret, ideoque solum denominative dicitur aqua calefacere, at intellectus non concurrat solum sustentando, quia lumen separatim non potest elicere visionem, sed etiam active, quia est talis natura, quod factus in actu per lumen totum compositum quod resultat ex intellectu, & lumine, secundum omnes partes active concurrat ad visionem, nam intellectus redditur per lumen in actu, & per lumen fit activus, licet actu non esset activus, affert exemplum de materia, quæ ex se non est activa, at unita in composito cum forma fit activa, quia totum compositum secundum omnes partes agit, idem de voluntate dicendum respectu charitatis, & actus supernaturalis. Hæc solutio solis verbis discrepat a nostra sententia, concedit enim intellectum per suam entitatem concurrere ad actum supernaturalem non nude acceptum, sed lumine elevatum, quod est admittere potentiam activam radicalem, & inchoatam in ipso, quæ postea completur per lumen, non enim intellectus intrinsece, & entitative mutatur per receptionem luminis, sed solum extrinsece, & accidentaliter, sicut paries cum informatur albedine, ergo si ut lumine informatus per suam entitatem active concurrat, ante luminis informationem necessariam habebat aliquam activitatem, quia habebat eandem entitatem, exemplum de materia non est ad rem, quia totum resultat ex materia, & forma est quid realiter distinctum a partibus in sententia nostra, hinc vere totum cathogorematicè sumptum dicitur agere, non tamen materia; forma vero est solum principium radicale, & remotum actionis, & quando totum non esset a partibus distinctum, eadem difficultas urget de materia, sicut urget de intellectu.

129 Dicimus tertio hanc potentiam obedientialem activam non esse in quolibet ad quodlibet producendum. Est contra Suarez. Hæc et alios, ipsamque docet Doctor 4. dist. 1. qu. 1. §. ad questionem ergo etc. ubi habet, *Et si enim posset Deus absolute creare frigus, non tamen per calorem, ita quod calor sit in aliquo ordine causa activa respectu frigoris*, & qu. 5. negat in Sacramento virtutem aliquam activam ad producendam gratiam, & d. 44. qu. 2. negat, ignem inferni malignos spiritus posse cruciare, & in 3. d. 2. qu. 1. in fine concedit, esse quasdam operationes repugnantes alicui naturæ, quas nequiret exercere etiam cum concursu speciali. Et potest 1. probari; potentia obedientialis passiva non est, in quolibet ad quodlibet, ergo neque potentialis activa; Consequentia patet; quia plus requiritur ad agendum, quam ad patiendum, ergo si quodlibet non potest recipere quodlibet, multo minus quodlibet poterit producere quodlibet. Antecedens probatur; tum quia docetur a Doctore in 4. d. 1. qu. 5. negante, corporalia recipere posse spiritualia, & d. 12. qu. 2. C. habetur, nec lapidem posse recipere sapientiam, nec Angelum albedinem; tum quia nulla forma spiritualis accidentalis, quæ a subiecto dependeat, potest esse in aliquo extenso, quia vel esset tota in toto, & tota in qualibet parte, sicut anima rationalis, & hoc non, quia simul dependeret a pluribus causis totalibus in genere causæ materialis, scilicet, ab illis partibus, quarum qualibet totaliter illam sustentaret, quod implicat, ut dicitur disp. seq. vel esset tota in toto, & pars in parte, & sic non esset spiritualis, sed materialis, nam extensio repugnat cum spiritualitate; tum quia albedo nequit inherere alicui indivisibili, quia vel aliqua pars, imo tota præter indivisibile aliquod extensivum esset sine subiecto, vel ipsa foret inextensa. Hoc clarius patet in rebus materialibus, nam nec oculus potest sonum, vel auditionem recipere, nec auris visionem, nec lapis alteram formam substantialem, aut vitalem operationem, quia nulla potentia potest extra suum objectum vagari. Nec valet Hurt. responsio, dicentis, hæc omnia esse vera, quia implicat, at cum dicitur, in quolibet talem potentiam reperiri, intelligitur, dummodo non adsit implicantia, non valet, imo confirmat nostrum antecedens, concedimus enim nos, in quolibet non reperiri talem potentiam passivam ad quodlibet, quia aliqua repugnant in quolibet recipi, & ideo negamus illam propositionem universaliter prolatam, at Adversarii in conclusione universaliter loquuntur, & solum in responsionibus illam coarctant.

Dicunt alii albedinem non posse poni in Angelo sic, ut denominaret illum album, nec sapientiam in lapide sic, ut denominaret illum sapientem, cuius ratio est, quia albedo non denominat album, nisi subiectum, in quo ponitur extenso modo, quo pacto nequit poni in Angelo, qui indivisibilis est, nec sapientia denominat sapientem, nisi potentiam, quæ sa-

pienter agere potest, qualis non est in lapide: Contra, ex hoc ipso quod subiectum est alicuius denominationis formalis incapax, sufficienter arguitur in eo incapacitas formæ, quia non est capax formæ, nisi ut similem capiat ab ea denominationem, ergo ex hoc ipso, quod Angelus nequit denominari album, nec lapis sapiens, sufficienter deducitur hæc non esse apta talium formarum subiecta; tum quia falsum est, albedinem non posse denominare, nisi subiectum in quo reperitur extenso modo, quia indivisibiliter reperitur in puncto quantitatis, & adhuc illum denominat album, ergo si potest recipi in Angelo, potest illum denominare album.

130 Secundo potest idem probari ratione Scoti, quia in 2. d. 3. qu. 10. probat, non posse dari habitum aliquem, qui sit ratio cognoscendi omnia, quam etiam rationem tangit 1. d. 2. qu. 1. X. & seq. si in quolibet daretur potentia obedientialis activa ad quodlibet producendum, esset infinita, quod implicat, sequela probatur, ubi pluralitas requirit majorem perfectionem, ibi infinita pluralitas requirit infinitam perfectionem, & virtutem, sed aliquid habere potentiam productivam quinque effectuum specie distinctorum, arguit majorem perfectionem, quam habere potentiam productivam unius, ergo si aliqua res creata haberet potentiam productivam producendi infinitos effectus specie distinctos, five non tot, quin plures, erit virtus infinita. Major prob. a Scoto exemplo, si posse ferre decem pondera simul, arguit majorem perfectionem, quam posse tantum ferre unum, ergo posse ferre infinita pondera, five non tot, quin plura, arguit infinitam perfectionem. Minor probatur, quia posse producere, quamvis partialiter, duos effectus specie distinctos, dicit majorem perfectionem, quam posse unum tantum producere, cum activitas ex se arguat perfectionem. Sed hæc ratio patitur instantiam præcipue de intellectu, qui successive potest infinitas intellectiones specie distinctas producere, cum tamen sit finita virtutis, quam solvit Lichet. in 2. d. 3. qu. 10. & nos diximus disp. 5. qu. 7. art. 2.

Tertio, & fortius prob. Concl. rationibus specialibus; Tum quia quantitas, & materia prima communiter ponuntur sine activitate, ergo nulla talem potentiam activam inchoatam habebunt. Tum quia nequit unum contrarium elevari per hanc potentiam ad productionem alterius contrarii, ut ignis v. gr. ad productionem aquæ, & calor ad producendum frigus, vel e contra, probatur, quia talis potentia, si daretur, deberet fluere ab essentia, & quidditate rei, imo esset eademdem quidditas, hoc autem repugnat, quia nulla res ex se habet potentiam intrinsece sibi convenientem a propria natura ad producendum, aliquid sui ipsius destructivum, quælibet enim res appetit propriam conservationem, & contrarium destruere. Nec refert, quod sit instrumentalis, aut inchoata, quia est vere principalis, & sufficit, ut sit eadem entitas rei ut concursus Dei specialem respicit, ergo nequit ullo modo esse productiva contrarii, cuius est etiam destructiva. Tum quia sequeretur, posse lapidem, & bruta elevari ad productionem visionis beatificæ, quod est falsum, quia capacia essent beatitudinis; item voluntas ad producendum intellectionem, & intellectus volitionem, & oculus auditionem, & auditus visionem, quæ omnia repugnant.

131 Respondent, concedendo isthæc omnia, sed modo mortuo, itaut non possint postea per illos actus in objecta tendere, quod requiritur ad hoc, ut sequatur, bruta posse beatificari, oculum audire &c. ratio huius est, quia actus vitalis, ut talis, petit determinatum objectum, a quo essentialiter pender, potentia autem in ratione potentia specificantur ab actibus, quare licet oculus v. gr. in ratione causæ possit concurrere ad visionem Dei, vel auditionem, non tamen in ratione potentia vitalis propter dictam rationem.

Contra; Tum quia ex hoc saltem habetur, non reperiri in quolibet potentiam istam obedientialem, scilicet in potentia vitalibus in ratione potentiarum. Tum quia magis distat inter se, & major improportio reperitur inter rem corporalem ordinis naturalis inanimatam, & rem spiritualement ordinis supernaturalis vitalem, ut sunt lapis, & visio Dei, quam inter visionem corporalem, & visionem beatificam, ergo si lapis potest elevari ad productionem visionis Dei, multo magis oculus bruti ad vitaliter videndum Deum, quia in ratione vitalitatis conveniunt cum intellectu, & licet sit improportio, quod illa sit vitalitas materialis, ista spiritualis, potest tamen auferri per Dei potentiam, si potest auferri in illa major improportio inter lapidem, & visionem Dei. Quod vero dicunt, potentias specificari ab actibus, & istos ab objectis, est contra ipsos, sustinentes, intellectum ex se petere actus naturales producere, nullo modo actus supernaturales, imo in nullo sensu ponunt Deum objectum naturale nostri intellectus, ergo sicut potest intellectus elevari etiam in ratione potentia vitalis ad elicitionem visionis Dei, quæ omnino est extra rationem formalem connaturalem intellectui in ratione potentia vitalis secundum ipsos, & ad tendentiam per istam visionem in objectum, quod omnino est extra suum objectum proportionatum, pariformiter oculus poterit elevari ad elicitionem visionis Dei, & ad tendentiam in Deum per ipsam, nam materialitas, vel spiritualitas nil faciunt, cum possit tolli hæc improportio in lapide respectu illius visionis; vel saltem elevari poterit ad auditionem.

132 Quæres, in quo igitur erit potentia ista obedientialis activa, & ad quod? Resp. quod sicut a posteriori solum possumus probare, aliquam causam activam esse, ut cum Scoto 1. d. 7. q. un. supra

supra notavimus, sic nonnisi a posterioribus possumus arguere, aliquam causam elevabilem per istam potentiam obedientialem activam esse ad aliquem effectum supernaturalem. Dicimus ergo, solummodo causam illam habere vim quamdam activam, quæ possit elevari ad producendum effectum naturæ vires excedentem, quæ ex se est aliquo modo saltem remote proportionata, itaut cum concursu generali Dei possit aliquem effectum producere, habentem saltem aliquam analogiam cum effectum supernaturaliter producibili, ut differat ab eo, sicut imperfectum a perfecto, idque vel intra eandem speciem, ut patet in exemplo adducto de Beata Virgine, nam Christus quatenus homo erat ejusdem speciei cum aliis hominibus, qui a Beata Virgine per suam productivam potentiam effici potuissent, vel si sit alterius speciei, & altioris ordinis, habeat tamen ordinem aliquem ad causam productivam, ut non petant ab alia causa produci, ut sunt intellectus Dei intuitiva, & abstractiva, nam licet illa sit supernaturalis, hæc naturalis, habent tamen ordinem, analogiam, & proportionem ad intellectum, quatenus non petunt produci ab alia causa, negari enim non potest, etiam si in voluntate talem potentiam productivam intellectionis admittamus, vel in aliqua alia re, habere adhuc intellectionem illam majorem connexionem cum intellectu, quam cum voluntate. Idem proportionaliter est dicendum de potentia obedientiali passiva, itaut res illa tantum possit elevari ad recipiendos effectus aliquos supernaturales, quæ proportionem aliquam habeat cum illis in ratione receptivi, & receptibilis, ut est anima intellectiva respectu gratiæ, oculus cæci nati respectu visionis.

Ex his facile diluitur, quod objicit Arriag. disp. 9. Physic. citatus num. 77. sustinens dari hanc potentiam in quolibet ad quodlibet, ait enim quod nequit taxari, in quo genere debeat esse talis proportio, analogia, & convenientia, nam eo ipso, quo ad rationem abstractam, & genericam recurritur, statim dici poterit, aquam posse concurrere ad productionem gratiæ, frigus ad productionem caloris &c. quia gratia, & calor conveniunt in accidente, & qualitate, in qua ratione generica conveniunt etiam quidam effectus ab aqua, & igne producibiles, etenim sicut quis ponit hanc convenientiam in tertio genere, alter ponit in quarto, alius in quinto, unde enim certa mensura desumetur. Dicimus namque mensuram desumi non ex simplici convenientia in genere proximo, aliter frigus posset calorem producere, cum quo convenit in genere tangibilis qualitatis, sed desumi ex hoc, vel quod effectus ille in substantia sit ejusdem speciei cum effectum naturaliter producibili, & solum in modo differat, vel quia effectus supernaturalis ex sua natura respicit pro causa productiva talem potentiam, ut diximus; & ubi talis analogia non reperitur, debemus omnino negare talem potentiam activam ob rationes allatas.

133 Quæres iterum, quomodo elevatur a Deo talis potentia activa ad producendos effectus supernaturales. Resp. quod cum causa partialis sit illa, quæ inadæquatam, & insufficientem virtutem habet respectu effectus producendi, ista virtus potest multipliciter compleri, vel enim nata est compleri ab aliqua causa secunda, ut est virtus intellectus ad intellectio nem, quæ per speciem objecti completur, & de uno homine trahente navim, qui ab alio completur, & hæc dicitur potentia naturalis; vel solum a Deo nata est compleri, ut est virtus Solis in productione ranæ, & tunc si attingit ultimam dispositionem ad effectum principalem, ut Sol attingit ultimam formam corporis, & homo ultimam dispositionem animæ, ad hoc talis potentia naturalis dicitur, quia petit suppleri a Deo ut auctore naturæ, cuius est supplerere defectus causarum secundarum (requiritur tamen quod ista ultima dispositio sit aliquid intrinsecum effectui totali, ut est forma corporis, non vero aliquid extrinsecum, aliter accidens dicitur causa principalis substantiæ, quia attingit ultimam dispositionem accidentalem ad formam substantialem) vel non attingit dispositionem aliquam, sed omnino insufficientem censetur; quapropter non tenetur Deus communi lege præbere concursum, & tunc dicitur potentia obedientialis, petique compleri a Deo: quod adhuc dupliciter potest esse, vel enim comparatur ad aliquem effectum excedentem vires naturæ quoad modum, non quoad entitatem, ut fuit conceptio Christi instantanea respectu potentia generativæ Beatæ Virginis, & motus inorganicus corporis pro statu isto ab anima, & in ista elevatione non requiritur auxilium per modum principii, sed tantum per modum concursus, quia adhuc causa habet actum primum respectu effectus, licet non ad talem modum, vel effectus excedit secundum entitatem, itaut quibuscumque modis non possit causa secunda effectum illum ex se producere cum concursu generali Dei, & tunc dupliciter, vel enim est ejusdem speciei cum effectum ab illa causa naturaliter producibili v. gr. motus localis majoris ponderis cum motu locali minoris ponderis; vel est alterius speciei, & solum analogiam aliquam habet cum effectum naturaliter producibili: ut sunt actus supernaturales; respectu primi effectus quamvis possit causa elevari auxilio per modum principii recipiendo aliquid, quod auget virtutem, potest tamen etiam elevari per modum concursus concomitantis, quia concipitur causa proportionata in ordine suo partialiter, & minus principaliter ad producendum effectum indivisibiliter indivisibilitate effectus, ut patet de puero simul cum cæteris trahente navim.

134 At difficultas est apud Scortistas, an scilicet respectu

posterioris effectus, ut est actus supernaturalis, petat potentia compleri, & elevari auxilio per modum principii, vel transeuntis, ut est auxilium actuale; vel permanentis, ut est habitus supernaturalis, vel possit elevari per solum concursum specialem extrinsecum, Pater Vulpes 1. par. disp. 23. art. 8. & 9. sustinet, sufficere elevationem per concursum extrinsecum, itaut si intellectus beatus absque lumine gloriæ videret Deum, non esset necesse, Deum supplerere concursum luminis ad simpliciter videndum Deum, quia secundum Scot. 1. d. 17. qu. 2. E. nullus habitus datur ad simpliciter operandum, aliter esset potentia, tum quia potentia habet in ordine suo sufficientem virtutem remotam, nec eam recipit ab habitu, & solum præsentia objecti indiget ex eodem in 4. d. 49. qu. 11. tum quia potest homo naturaliter efficere actum supernaturalem quoad ejus substantiam, intensionem, & bonitatem, & secundum omnem modum, quem experimur a parte rei in actu ex 1. d. 17. qu. 2. F. tum quia ejusdem sunt speciei actus naturalis, & supernaturalis ex quol. 17. & tandem quia potest acceptare Deus ut meritorius actus naturales, ex 1. d. 17. qu. 2. N. ergo non erit necessarium auxilium supernaturale absolute per modum principii, quo elevetur potentia ad supernaturalem operandum.

Sed non minus probabile est oppositum, eo quia ex Doct. 4. dist. 6. qu. 10. O. habitus supernaturalis in hoc differt a naturali, quod hic datur solum ad sic agendum, ille vero ad simpliciter agendum, idest supernaturaliter, cuius rationem reddit in 1. d. 1. qu. 4. ad 4. pro 4. art. quia scilicet actus secundus præsupponit actum primum proportionatum, & ideo actio supernaturalis præsupponit esse supernaturale, unde concedit, quod si voluntas eliceret actum fructuosus circa Deum clare visum absque charitate, talis fructio foret naturalis ob defectum charitatis, vel alterius qualitatis supplementis, eo quia agere præsupponit esse, & si voluntas supernaturalem ex parte sua operatur, debet præsupponit esse supernaturali constitutiva; quam doctrinam ipse Vulpes recipit disp. 45. art. 5. loquens universaliter de auxiliis per modum principii in ordine ad actus supernaturales, citans concl. 1. Scot. 1. dist. 17. H. h. & solvit rationes in oppositum. Ad quas potest dici, habitum non dare simpliciter vitaliter operari; sed simpliciter supernaturalem operari; nam potentia habet ex se sufficientem virtutem operandi vitaliter, sed non supernaturaliter. Insuper potest intellectus efficere actum supernaturalem quoad omnem modum, quem a parte rei experimur, & ita loquitur ibi Doctor, talis autem non est supernaturalitas. Sunt item actus naturalis, & supernaturalis ejusdem speciei in genere naturæ, & qualitatis, sed per supernaturalitatem differunt specie subalterna. Tandem potest Deus acceptare actus moraliter bonos, sed tunc non forent supernaturales, ut modo sunt, vide Doct. 4. d. 49. qu. 5. ad 2. princ. ubi dat modum utrumque tuendi.

Sed quicquid sit de hoc, sufficit nobis, quod vere potentia activa elevabilis auxilio, five per modum principii, five per modum concursus extrinseci a Deo reperitur in causis secundis, ratione cuius possunt principaliter in suo ordine concurrere ad producendos effectus excedentes vires naturæ, quæ propter illam subjectionem ad Deum supernaturaliter agentem, & concursu speciali concurrentem dicitur proprie potentia obedientialis activa.

Solvuntur Objectiones.

135 Contra arguitur 1. ostendendo, non dari istam potentiam obedientialem activam; Tum quia si in re datur potentia aliqua activa remota, & inchoata ad producendos effectus excedentes proprias vires, ergo concursus Dei, quoad tales effectus concurrat cum illa causa, erit naturalis, & debitus ex communi lege, & sic naturaliter intellectus Deum videret, Beata Virgo naturaliter concepisset, non miraculose etiam secundum modum, quod est falsum, sequela probatur, quia concursus respondens potentia naturæ activæ naturali debitus est ex communi lege, quo Deus tenetur concurrere cum causa secunda. Nec valet dicere, istam potentiam esse inchoatam, & incompletam; non valet, quia Deus tenetur supplerere omnem defectum causæ secundæ, ut patet de Sole ranam producente, qui non habet virtutem completam producendi ranam, & tamen completur a Deo concursu naturali. Tum quia intellectui saltem esset naturaliter debitus concursus Dei ad visionem beatificam, cum habeat ad illam ex se in ratione potentia sufficientem virtutem; & licet pro statu isto non esset debitus, quia est alligatus sensibus, esset tamen debitus animæ separata, & Angelis.

Resp. neg. sequelam, ad prob. dicimus, tunc concursus debitus esse ex communi lege, quando causa secunda ex se sufficiens est ad ponendum effectum in esse, vel si non est sufficiens, ut in Sole experitur, potest tamen naturaliter inducere in subiecto dispositionem proximam ad illum effectum, quæ dispositio cogit Deum, non simpliciter, sed supposito decreto concurrendi ad supplementum talis defectus, ut Scot. docet 3. d. 24. q. un. C. quando vero causa ex se non habet virtutem completam in ordine suo, nec potest naturaliter aliquam dispositionem inducere, tunc non tenetur Deus concurrere, & si concurrat, concursus erit specialis, non generalis; hinc est, quod supernaturaliter Deus concurrat ad infusionem gratiæ in anima; ex Scot. cit. quia anima nec potest virtutem naturæ gratiam producere, nec dispositionem aliquam pro-

ximam, quæ sunt opera supernaturalia, licet neque sint dispositiones physice, sed morales. Ad 2. concedimus, intellectum habere virtutem activam completam in ordine suo, negamus tamen concursum naturalem esse ad visionem beatificam, quia adhuc secundum unam opinionem intrinsece petit compleri per modum principii, & ex parte Dei requiritur præsentia objectiva, qui concursus licet sit in genere causæ efficientis, non tamen est quatenus causa prima, & universalis, alioquin eodem modo cum omnibus causis concurreret, sed ut causa specialiter concurrens ad sui assimilationem intentionaliter, & hinc est, quod nequit dici naturalis.

136 Secundo ad idem, sequeretur, fornicam habere potentiam ferendi quodlibet pondus in infinitum, & calorem ut unum habere potentiam producendi calorem in infinitum intentum, quia isti effectus habent proportionem cum causa, ergo ista potentia esset infinita, per regulam Scoticam supra assignatam: si posse producere plura dicit perfectionem, ergo posse producere infinita, infinitam dicit perfectionem. Tum secundo, quia potentia naturalis ex se non potest, nisi in actus naturales, ergo nequit esse ad actus supernaturales, & superiores se. Nec refert, valere antecedens de causa naturali proxima, non remota; non valet, quia tunc principium completum consistat ex naturali, & supernaturali causa, & effectus totus erit supernaturalis, quod est falsum, nam si nihil erit in effectu, quod a naturali principio possit produci. Tum tertio, quia si intellectus verbi gratia, elevatur ad productionem intellectiois, ergo etiam ad productionem gratiæ.

Resp. ad 1. concedendo primam, negando secundam sequentiam, ad prob. dicimus, regulam illam valere, quando pluralitas effectuum arguit majorem virtutem, modo quia effectus non excedit saltem secundum analogiam, latitudinem objecti illius potentie, potest eadem causa concurrere per eandem virtutem, quia totus excessus tribueretur Deo specialiter concurrenti; quemadmodum quia ad producendas plures intellectiones successive non requiritur major virtus in intellectu, ita nec ad producendas plures in infinitum successive; at contra Adversarios currit argumentum, quia posse producere quamlibet rem etiam partialiter, arguit distinctam virtutem, & alterius rationis in causa propter improprietatem effectuum cum illa. Ad secundum dicimus ut ibi, cum impugnat, respondemus, effectum ideo supernaturalem dici, quia nequit totaliter a principio naturali, quod remotum est, & inchoatum, produci, ideoque postulans compleri supernaturaliter, non dicitur tamen supernaturalis, quia sit totaliter improprietatis activitati potentie etiam remota, dicitur etiam totus supernaturalis, quia denominatio sumitur a nobiliori agente, & est a potentia nativa, non nuda, sed elevata. Ad tertium negatur paritas, nam ex dictis, inter causam elevatam, & effectum productum debet aliqua peculiaris proportio reperiri, qua effectus non petat ab alia causa secunda produci, & hinc est, quod intellectus potest ad visionem Dei concurrere, non vero ad gratiam.

137 Tertio ex Caraffa, vel talis potentia inchoata completur, aliquid in se recipiendo physice, vel nihil recipiendo, non primum, ut concedunt ponentes potentiam obedientialem; si secundum, ergo sicuti creaturæ ante imperium divinum vires non habebant ad operandum, nec postea. Tum 2. quia naturale nequit dici supernaturale incomplete, quia sunt diversi ordinis, sed hæc potentia obedientialis activa est ipsum esse naturale creaturarum, ergo hæc potentia non erit supernaturalis incomplete. Tum 3. quia modus operandi sequitur modum essendi, ergo si esse creaturarum est naturale, etiam modus operandi talis erit, ergo propria virtute non poterit creatura effectum supernaturalem attingere. Tum quarto quia superius non continetur in inferiori neque complete, neque incomplete, ergo effectus supernaturalis non poterit ullo modo in potentia naturali contineri. Tum quinto habitus supernaturales dantur ad simpliciter operandum, ergo non præsupponunt potentiam activam in causa. Tandem quia obedientia dicit subiectionem superiori, subijci vero est pati, non agere, ergo implicat dari potentiam obedientialem activam.

Resp. utroque modo posse compleri, nec sequitur, ante completionem non habere potentiam, imo totum oppositum deducitur. Ad 2. naturale, & supernaturale secundum substantiam sunt diversi ordinis, at supernaturale solummodo extrinsece, & terminative potest esse ordinis naturalis, sicut potentia obedientialis passiva intrinsece est entitas ordinis naturalis, quia dicit animæ verbi gratia entitatem, sed potest dici supernaturale extrinsece, & in ordine ad formam recipiendam, quæ est ordinis supernaturalis, idem de potentia activa obedientialis dicendum. Ad 3. dicimus, potentiam obedientialem ut elevatam esse aliquo modo ordinis supernaturalis, ut sufficienter ex parte sua possit concurrere ad effectum supernaturalem secundum substantiam, & hæc est ratio, cur supra diximus, debere potentiam intrinsece compleri in ratione principii, ut possit supernaturaliter operari. Ad 4. per idem, quod continetur in potentia ut elevata; vel melius, negando supernaturale non posse aliquo modo contineri in aliquo ente naturali ordinis, neque omne supernaturale ex 3. dist. 13. qu. 1. K. est perfectius, & superius quolibet ente naturali, qualis est substantia, & potentia vitalis ex 2. dist. 16. Ad 5. diximus, dari habitus supernaturales ad simpliciter supernaturaliter operandum, non tamen ad simpliciter operandum vitaliter. Ad

sexturn concedimus, rationem obedientie dicere subiectionem, & quamdam passionem ad imperio voluntatis, quæ sit denominatio quadam extrinseca, non sequitur tamen, quin intrinsece possit esse activa, sicut servus potest imperari ad agendum per virtutem, non ex imperio receptam, sed innatam, sic potentie aliæ a voluntate non dicuntur simpliciter passivæ, eo quia voluntati subordinantur, sed vere sunt activæ.

138 Quarto ex Cartagena. Tum quia si daretur hæc potentia innata, concursus illi erit debitus, & sic naturaliter, non supernaturaliter operaretur; sequela probatur, quia omnis potentia activa exigit actum habere modo sibi possibili, & appetit illum, ad quem ut ad finem ordinatur, ergo naturaliter appetit auxilium necessarium, sine quo haberi nequit ille actus, ergo tale auxilium, seu concursus erit illi debitus, cum natura solum exigit id, quod ei naturaliter debetur. Tum secundo, quia hæc potentia intrinsece supernaturalis erit, quod implicat, probatur sequela, quia intrinsece ordinem dicit ad actus supernaturales, ad objectum supernaturale, & ad concursum supernaturalem, a quibus omnibus potentia habet specificari; unde Deus ut hos actus, & concursum respicit, dicitur agens supernaturale; secundo, quia si hæc potentia esset qualitas quadam, esset supernaturalis, ergo hæc potentia innata erit supernaturalis intrinsece; tertio, quia si esset naturalis, aliquando saltem naturaliter deberet operari, quia modus operandi sequitur modum essendi; quarto quia non potest loquatur, quæ natura tribuat vim producendi effectus excedentes totam facultatem non solum naturæ creatæ, sed ipsius Dei auctoritatis naturalis, ut naturalis est præcise. Tum 3. quia naturaliter potentia ista concurreret ad actus supernaturales, quia nil connaturalius est alicui potentie, quam attingere suum actum eo modo, quo ab ipsa secundum suam naturam attingibilis est.

Ante solutionem prius esset querendum ab isto Doct. an sustineat cum Scoto in 4. dist. 49. qu. 11. intellectum habere potentiam activam innatam ad visionem beatificam, si ipsam admittit, quod facere debet, ut Scotice loquatur, tenetur quoque omnibus istis rationibus respondere; quod enim vocetur potentia ista obedientialis, vel non, parum refert, quia rationes adductæ non impugnant hunc terminum obedientialitatis; sed activitatem potentie erga supernaturales actus, quapropter dicimus. Ad primum concedendo, naturam habere inclinationem activam ad illos actus, quia habet potentiam activam, maxime quando actus perficit ipsam naturam, ut est visio beatifica, dicit etiam ordinem ad auxilium necessarium, negamus tamen, illud debitum esse ex communi lege; neque est verum, naturæ esse debitum, quicquid appetit, appetit enim beatitudinem, quæ tamen non debetur illi ex communi lege; unde debitum auxilii petendum est, quando in natura datur vis sufficientis vel ad totum effectum, vel ad dispositionem præviam, ad quam naturaliter effectus sequatur, ut diximus in conclusionis probatione.

139 Ad secundum negamus, talem potentiam esse intrinsece supernaturalem, ad primam prob. concedimus antec. negamus consequ. solum enim sequitur, esse extrinsece, terminative, & objective supernaturalem, non intrinsece, ad quod requiritur; ut sit entitas transcendens omnem ordinem naturæ; sicut nec potentia activa remota intellectus ad visionem beatificam, neque potentia obedientialis passiva, ello talem ordinem ad actus supernaturales dicant, sunt intrinsece supernaturales. Neque disparitas a Cartag. assignata valet, scilicet, quod potentia passiva primario respicit actum receptibilem, sub quo clauduntur actus tam naturales, quam supernaturales, & ideo non habet specificari primario ab aliquo supernaturali; Idem enim possumus dicere de ista potentia activa, quod videlicet respiciat primario ens producibile ab ipsa, sub quo clauduntur tam ens naturale cum auxilio naturali, quam supernaturale cum auxilio supernaturali, maxime quia non ponimus hanc potentiam in quolibet ad quodlibet. Deus quoque dicitur agens supernaturale, vel naturale, non quia modo habeat entitatem naturalem, modo supernaturalem, sed extrinsece, quatenus operatur juxta leges naturæ, vel supra illas, intrinsece tamen est quadam entitas infinita transcendens quocumque limites. Ad secundam probationem, illa qualitas esset supernaturalis intrinsece, quia nullo modo debita entibus naturalibus, non sic ista potentia, quæ est eadem entitas causæ secundæ, sicut si potentia obedientialis passiva esset quadam qualitas a Deo infusa, ut innunt Conimb. esset intrinsece supernaturalis, non tamen sequitur modo hanc potentiam passivam esse intrinsece supernaturalem, quia est eadem entitas rei. Ad tertiam probationem, dicimus, aliquando naturaliter operari, idem enim intellectus est qui intelligit creaturas, & Deum, diversimode tamen, sic potentia passiva obedientialis, cum sit natura rei, deberet recipere aliquod naturale, & tunc est, quando respicit agens creaturæ; licet reduplicative loquendo, ut obedientialis, tam activa, quam passiva respiciant semper aliquod supernaturale. Ad quartam probationem respondemus, naturam talem facultatem rei tribuere, eo ipso quod dat illi talem entitatem, quæ productiva est proxime effectus naturalis, & remote effectus supernaturalis habentis proportionem cum illo, & debet hoc percipere Cartagena, sicut percipit, intellectum habere potentiam activam, & passivam obedientialem ad visionem Dei transcendentem limites non solum naturæ creatæ, sed etiam ipsius Dei, ut est auctor naturæ.

Ad tertium dicimus, concludere tantum, potentiam illam naturaliter concurrere, prout naturale opponitur violento, non vero

vero supernaturali, quia occurrit ut elevata per aliquod supernaturale, vel extrinsecum, vel intrinsecum, quod probabiliter est ex dictis in fine probationis concl. Alias rationes adductas a Thomist. & Scot. omittimus, quia vel ex dictis solvi possunt, vel facienti contra sententiam admittentem istam potentiam in quolibet ad quodlibet. Similiter, quæ adducit Suarez ad probandum, hanc potentiam instrumentalem esse, non principalem, ex dictis qu. 5. solvuntur, confundit enim causam principalem cum causa adæquata, & totali, & causam instrumentalem cum causa principali partiali, inadæquata, & insufficienti, unde est quæstio de nomine.

140 Quinto arguit Hurt. probando, hanc potentiam esse in quolibet ad quodlibet, adest per nos in intellectu potentia aliqua ad actum supernaturalem visionis Dei, ergo in igne, v. gr. ad producendam aquam, & sic de aliis; & probat consequentiam, quia major improprietatis reperitur inter intellectum, & visionem Dei, cum intellectus sit naturalis ordinis, visio vero supernaturalis, quam inter ignem, & aquam, quæ omnia sunt ejusdem ordinis, ergo si potest per Dei potentiam tolli illa improprietatis, multo magis ista.

Resp. argumentum retorqueri posse quoad potentias vitales, nam major improprietatis est inter ignem, & aquam, quam inter visum, & auditionem, cum ista conveniant in vitalitate, ergo si per seipsum, hæc improprietatis nequit a Deo tolli, nec illa, vel ambæ poterunt auferri, quare dicimus, majorem proportionem esse inter intellectum, & visionem Dei, quia adest improprietatis potentie proximæ tantum, non remotæ, quia visio petit ab intellectu produci, & habet aliquam analogiam cum effectu ab intellectu naturaliter producibili, scilicet, cum alia intellectioe, at inter ignem, & aquam adest improprietatis quoad potentiam proximam, & remotam, quia nec aqua petit ab igne produci, nec aliquam analogiam habet cum igne, immo repugnantiam. Quod vero sint ejusdem ordinis, parum refert, quia non debet attendi proportio ordinis, & entitatis ex Scoto 4. d. 49. qu. 11. B. & C. & 1. dist. 3. qu. 3. §. Congruentia, &c. inter causam, & effectum, sed proportio activi ad passivum, & productus ad productum explicata, quæ potius est inter dissimilia, quam inter similia, imo addimus, quod si aqua ab igne produceretur per potentiam obedientialem activam, aqua ista erit effectus, & si non quo ad substantiam, saltem quo ad modum, ordinis supernaturalis, & sic semper erit major improprietatis inter hæc duos, quam inter illa.

141 Contra instat, talis proportio, quæ est inter intellectum, & visionem, erit vitalitas in utroque reperta, sed vitalitas visionis ex se supernaturalis est, vitalitas autem intellectus est naturalis, ergo adhuc improprietatis reperitur quoad proportionem assignatam. Tum quia Deus multa facit, quæ non exiguntur a natura, accidentia enim petunt effici, & conservari in substantia, & tamen Deus oppositum potest facere, ergo ex hoc, quod unus effectus petat ab una causa produci, non debemus implicantiam arguere, si ab alia causa produceretur.

Resp. proportionem non solum in vitalitate consistere, sed etiam in entitate ipsius visionis, quæ proportionata est intellectui in ratione potentie non proximæ, sed remotæ, non enim ponimus, intellectum tantum concurrere ad rationem genericam, habitum vero supernaturalem, vel objectum ad rationem specificam, cum dicitur, talem entitatem esse supernaturalem respectu intellectus, verum est in ratione potentie proximæ, at in ratione potentie remotæ potest dici aliquo modo naturalis, quatenus intellectus habet potentiam activam inchoatam, & innatam ad illam visionem, tum quia non requiritur proportio in entitate, aliter ut ait Doctor cit. materia, & forma, quia sunt valde inter se dissimilia in entitate, non possent proportionari ad constituendum unum per se in ratione actus, & potentie. Ad confirmationem concedimus, ex hoc solum, quod unus effectus petat ab una causa produci, non debere concludi implicantiam, si ab alia produceretur, neque id nos asserimus, sed implicantiam colligimus, vel ex contrarietate, vel quia si daretur ad unum effectum disparatum, & improprietatum, deberet ad quodlibet dari, & sic quodlibet agens esset virtutis infinitæ; ex illa vero exigentia tantum colligimus, dari in aliquo potentiam obedientialem activam, & conclusionem affirmativam particularem deducimus; non vero conclusionem negantem istam potentiam in aliis rebus, sed hæc inferimus ex absurdo, quod sequeretur, & ex contrarietate.

142 Sexto ex eodem; Deus est improprietatum objectum per cognitionem intuitivam nostri intellectus, ita ut extra suum objectum connaturale omnino sit, ergo si potest intellectus vagari extra suam sphaeram cognoscendo intuitivum Deum per elevationem, multo magis aliæ res, quæ non dicunt ordinem potentie vitalis ad suos effectus, sicut intellectus.

Resp. negando assumptum, proportionatum enim objectum intellectus nobis est ens ut ens, etiam si de objecto attingentia loquamur, quia sicut Deus est objectum inclinationis, ita etiam attingentia, cum hac differentia, quod dicitur objectum naturalis inclinationis, quia visio est juxta propensionem naturæ intellectuales, non tamen dicitur objectum naturalis attingentia, quia sic solum ens finitum est objectum, sed est objectum liberæ attingentia. Unde advertendum, quod naturalitas, & liberalitas attingentia non se tenent ex parte potentie, quia hæc habet naturalem, seu innatam potentiam in ordine suo ad attingendum ipsum Deum, sed se tenent ex

parte objecti, quatenus libere, vel naturaliter movent nostram potentiam, ideoque cum Deus sit objectum liberum, ita ut, si vult, videretur, si non vult, non videretur; hinc est, quod non est in nostra potestate præsentia Dei objectiva, quæ requiritur ad elicitionem visionis, & hoc est verum, si teneamus, potentiam non debere necessario elevari intrinsece per modum principii; at si hanc necessitatem asseramus, tunc non solum Deus non erit objectum naturalis attingentia, quia libere movet, verum etiam quia potentia insufficientis est atque elevatione; quomocumque tamen dicatur; semper antecedens assumptum est falsum, si absolute sine limitatione sumatur, quomodo facit Hurt. & quomodo esset accipiendum, ut nostram conclusionem posset urgere.

Q U Æ S T I O VII.

De causa Ideali, seu exemplari.

143 DE Ideis diferte agunt P. Sghemma digress. 14. & P. Vulpes 1. part. disp. 29. idea pauca de ipsis tangemus. Idea igitur est nomen Græcum derivatum ab *idea*, quod est video, & latine sonat, idem sonat exemplar, forma, ratio, secundum D. Aug. lib. 83. qu. 46. non quidem forma illa, quæ ut pars constituit compositum, sed quæ est exemplar, ad cuius similitudinem artifex operatur. Dividitur communiter ex Scoto 4. dist. 50. qu. 3. D. in externum, & internum exemplar, primum est, quod sibi ante oculos proponit artifex, ut ad ejus similitudinem aliquid efficiat, ut pictura, ad cuius similitudinem illam inspicendo pictor depingit; secundum est idolum illud, & exemplar, quod in mente artifex sibi efformat, ut ad illius similitudinem ad extra aliquid efficiat; & desisto proprie est sermo in præsentia, quia hoc semper est necessarium ad actionem artificis, non illud. Definitur tamen idea, quod sit ratio in mente artificis, secundum quam aliquid est formabile ad extra secundum propriam rationem ejus, ita potest colligi ex definitione ideæ divinæ, quam tradit Doct. in 1. d. 35. I. ex D. Aug. cit. dicitur ratio, quia artifex operando rationabiliter agit, quia habet rationem, secundum quam format, dicitur in mente artificis ad differentiam exemplaris externi, quod non semper est necessarium ad opus; dicitur se undem quam aliquid, &c. ut explicetur formalitas causæ idealis, quæ consistit in respectu similitudinis, & imitabilitatis ad opus causatum ab artifice ad ejus similitudinem. Ex qua definitione colligitur, ideas solum in agente intellectualliter reperiri, ut sunt Deus, & Angeli, & homines, eo quia idea vel est cognitio, vel res cognita, quæ inspecta, agens intendit similitudinem exprimere in opere externo, modo quæ nullam habent cognitionem, non possunt ita operari, bruta vero, etsi cognoscant, imperfecte tamen cognoscunt, quia non apprehendunt distincte ea omnia, quæ sunt necessaria ad effectum rei ideatæ, nec inveniuntur in actuali actione idolum internum, sed re confuse apprehensa, statim ex imperu naturæ agunt, & eodem modo semper operantur, sive prius simile opus effecerint, sive non: quod non evenit in agente per intellectum, qui perfecte apprehendit effectum, quem intendit producere, modum, quo produci debet, & media sumit necessaria propter illum, immo eligit potiora; in hoc igitur (nisi velimus extendere nomen ideæ) proprie ratio idealis causa reperitur. De qua duo videbimus, primum, quodnam sit illud, quod relationem ideæ fundat; cum enim in intellectu sint duo, conceptus formalis, quæ est cognitio, & species expressa; alter est conceptus objectivus, & est res cognita per intellectum, dubitatur, an idea sit conceptus formalis, vel objectivus; secundum est, ad quod genus causæ reducatur idea; loquimur autem præcipue de idea creatæ, & obiter aliqua de divina dicemus.

144 Quoad 1. est Thomistarum opinio, ideam in conceptu formali, non objectivo consistere, quam etiam sequuntur Fons. 7. Met. cap. 8. qu. 2. sect. 2. Suarez disp. 25. sect. 1. citans Alen. D. Bon. Capr. & alios, item Ruvius 2. Phys. tract. 6. qu. 2. & ex nostratibus Bonet. 2. Phys. cap. 8. Herrera 1. disp. 16. qu. 1. Smifinch. tr. 3. disp. 2. qu. 7. addens, conceptum objectivum prout rem cognitam externam significat, dici quoque ideam, non vero conceptum objectivum internum in creatis, licet in divinis utrumque conceptum ideam esse determinet; at Vasquez 1. part. disp. 72. putat, ideam in divinis esse conceptum formalem, in creatis conceptum objectivum. Ex alia parte Scotus in 1. dist. 35. rationem ideæ proprie tribuit objectivo conceptui, maxime in creatis, quam sequuntur omnes Scotistæ, Tatar. Lich. Vig. eadem. dist. Bass. dist. 36. qu. 2. Vulpes cit. art. 6. Nolanus in sua Pinacotheca qu. ult. Sghemma cit. qu. 3. Fuentes 2. Phys. quæst. 8. dist. 2. item Ocham, Gabr. Aliacenensis 1. dist. 35. Dur. Ric. Egid. dist. 36. Ferrar. 1. contra Gentes cap. 54. Suesf. 1. de Anim. com. 8. Conimb. 2. Phys. cap. 7. qu. 3. Averfa quæst. 15. sect. 3. Vasq. cit. quo ad creatas ideas, licet sit aliqua controversia inter istos Doctores, an scilicet debeat esse conceptus objectivus ejusdem rei faciendæ, an alterius distinctæ, sed similis, Amicus tr. 12. quæst. 12. dist. 2. omnes opiniones amplectitur, quamvis in primam magis inclinet.

Quoad 2. aliqui negant esse causam; Platonici affirmant, esse causam distinctam genus ab aliis constituentem, sequuntur Simplicius 2. Phys. com. 68. Tol. qu. 7. & alii. Peripatetici vero ad unum ex quatuor generibus reducunt, sed discrepant

inter se, nam Alii ad causam finalem, ita Vicomer. 2. Physf. Alii ad formalem, non intrinsecam, sed extrinsecam, ut Alber. 1. dist. 20. qu. 1. Cajet. 1. p. qu. 6. art. 4. & qu. 44. art. 3. Arg. 1. dist. 45. art. 2. Fons. 1. Met. cap. 7. qu. 1. sect. 5. Franc. de Raonis qu. de causa exempl. p. 3. Conimb. 2. Physf. cap. 7. qu. 4. Scotus vero dist. 36. qu. 1. B. & d. 2. qu. 17. X. ad genus causæ efficientis reducit, quem sequuntur omnes Scotista, insuper Suar. Ruvius, Averia cit. estque communiter apud Doctores.

ARTICULUS I.

Ostenditur, ideam esse proprio conceptum objectivum.

145 **D**icimus, proprie loquendo, rationem ideæ conceptui objectivo convenire, quamvis aliquo modo etiam formali adaptetur, ita Doctor cit. & prob. primo ex D. Aug. lib. 83. qq. qu. 6. ubi loquens de divinis ideis ait. *Si quidem tanta vis in ideis constituitur, ut nisi eis intellectus sapiens esse nemo possit, item quod sint formæ æternæ, incommutabiles in mente divina; & 5. Confess. de eisdem loquens, ait, Beatus est, qui 10, & illa novit, nec propter illa beator; ergo per D. Aug. si ideæ in Deo multiplicatur, & ad objectum beatitudinis non spectant, sequitur, esse non conceptum formalem, sed objectivum, scilicet creaturas cognitias. Arist. etiam 7. Met. 23. & 30. ait, sanitatem extra fieri ex sanitate intra, & domum extra e domo intra, & ne aliquis putaret, per sanitatem intra intelligere aliquid subjective in intellectu existens, para conceptum formalem, sed intelligere aliquid objective in ipso existens, ait in tex. 23. *Ab arte autem sunt, quorum forma in anima; formam autem dico ipsam, quod quidem erat esse uniuscujusque, & infra, Quare quodammodo ex sanitate sanitatem accidit fieri, & domum ex domo, que sine materia eam, qua habet materiam, dico autem substantiam absque materia quod quid erat esse. Tandem accedit autoritas Platonis, ait Socratis, nam termini id proprie significant, ad quod significandum a primo institutore sunt impositi, quia ad placitum, non naturaliter significant, primus inventor ideæ fuit Plato, vel Socrates, & uterque imposuit hoc nomen ad significandum, non quidem cognitionem, sed rerum quidditates.**

Secundo probatur idem ratione. Tum quia idea est id, cui agens, dum operatur, intendit assimilare suum opus, sed agens intendit assimilare effectum, non suæ cognitionis, sed rei cognitæ; architectus enim intendit assimilare domum externam, non suæ cognitioni, sed domui, quam mente concepit. Tum quia idea est, ad quod aspiciens agens operatur, quod non solum externo exemplari convenit, ut ait Amicus, sed etiam interno, quia istud, quod est directivum, & regulativum actionis agentis, concurrens ad effectum, quatenus ad ipsius similitudinem, & imitationem fit, ergo debet cognosci, aliter si nullo modo cognosci deberet, posset etiam in brutis, & inanimatis boni ratio ideæ, sed agens in agendo, non cognitionem suam, sed rem conceptam aspicit, ergo res concepta, non cognitio, erit idea, hæc minor probatur, quia cognitio cognoscitur cognitione reflexa, non directa, sed quilibet artifex experitur, non habere talem reflexam cognitionem, immo si nec posset habere, dummodo perfecte cognoscatur rem faciendam, perfecte operabitur. Tum quia artifex comparat in agendo suum effectum cum idea, quia ab ipsa regulatur, & dirigitur in actione, & uritur idea ad commenturandam, & determinandam formam, quam intendit effectui præbere, & nequit hoc facere, nisi comparando effectum cum idea, sed non comparat cum conceptu formali, sed cum objectivo, quia artifex comparando, sic dicit, domus, quam facere volebam, non erat tam ampla, erat quadrata, habebat tor fenestras, tot cubacula, &c. sed esse quadratum, amplum, habere fenestras, cubacula, &c. non convenit conceptui formali, sed objectivo, ergo, &c.

145 Resp. Suarez, cognitionem esse similem effectui, non realiter, sed intentionaliter, & cognosci, seu apici ab artifice, non cognitione reflexa formali semper, sed aliquando, semper autem cognitione reflexa virtuali, quia quælibet cognitio est aliquo modo cognoscitiva sui ipsius, & supra seipsam quasi reflexiva, hinc in Deo intellectio divina, quæ est conceptus formalis, non alio actu distincto cognoscitur, sed seipsa; & hoc sufficit ad rationem ideæ.

Sed manet explota ex dictis hæc responsio: nam similitudo illa intentionalis nil aliud est, quam representatio effectus, sed agens non intendit assimilare effectum suæ representationi, sed domui representatæ, ut probatum est, comparat enim effectum cum re cognita, & agit juxta omnia in ipsa re præcepta, unde a re præcepta regulatur in ratione exemplaris. Nec cognitio illa virtualiter reflexiva aliquid valet ad rationem ideæ, quia idea debet esse explicite cognita ut Quod, non ut Quo, nam effectus illi comparatur, comparatio autem, cum sit quidam actus collativus, debet habere duo objecta cognita ut Quæ; sed solum sufficit, ut objectum cognoscatur, non cognitio, ergo reflexio supra cognitionem parum facit ad rationem ideæ, unde licet in Deo talis reflexio reperitur, non tamen inservit ad rationem ideæ: Hinc nisi idea sit cognita, non poterit exercere suam causalitatem, & actu dirigere agens, sed cognitio ista, cum sit solum actualis representatio ideæ, sed habet tantum ut conditio sine qua non; sicut

finis, licet causet solum per suam entitatem, & bonitatem, tamen nisi cognoscatur, & intendatur, non potest causare, quæ cognitio est conditio sine qua non; ut dicemus qu. seq. Jo. de S. Thom. qu. 11. Physf. art. 3. & Manca 2. Physf. qu. 10. dub. 1. respondent Ideam non esse conceptum objectivum, nec formalem secundum se, & ut informat intellectum, ipsamque intelligentem reddit, sed esse conceptum formalem, ut dicitur habitudinem ad objectum, quod immaterializatum, & intellectum in actu reddit, & illuminat, quomodo constituitur in esse objecti imitabilis, & expressi. Verum hæc responsio verborum suorum involucris vel nostram circumscribit sententiam, vel magnam parit confusionem, quid enim est objectum immaterializatum, illuminatum, & ab intellectu expressum, & intellectum in actu, nisi conceptus ipse objectivus; ab omnibus enim pro conceptu objectivo intelligitur objectum cognitum habens esse diminutum in intellectu, id est illud esse de puratum a conditionibus materialibus, unde & ipse Jo. de S. Th. explicans suam opinionem concludit, exemplar formaliter esse ipsum objectum imitabile in ipso conceptu formali redditum immateriale, & intelligibile per modum expressionis. Si vero intelligit formalem conceptum, ut ordinem dicit ad objectum, jam redeunt omnia argumenta, quia ab artifice non inspicitur, vel imitatur cognitio, neque ut informat intellectum, neque ut ordinem dicit ad objectum, sed objectum ipsum cognitum, ut dicebamus.

147 Tertio prob. potest ex paritate exemplaris externi, a quo ratio interni exemplaris videtur derivata, unde Justinus Martyr. in Oratione panegyrica ad gentes, asserit, Platonem a Moyse accepisse rationem ideæ, cum Dominus Exod. 25. dicit, *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est, ubi de externo exemplari est sermo. In hoc igitur exemplari adest v. gr. pictura, ad cuius similitudinem pictor aliam imaginem depingit, est visio in oculo, qua pictura illa cognoscitur, & videtur, est visio passiva, seu terminatio visionis activæ in oculo existentis, qua pictura denominatur visa ab artifice; ratio exemplaris non consistit in visione activa, nam dicitur in auth. cit. *Inspice, quod significat visionem, a qua exemplar ponitur distinctum, cum dicitur, & fac secundum exemplar, neque artifex visionem propriam contemplantur, sed picturam, juxta quam suam regulat actionem; neque consistit in visione passiva, quia est simplex denominatio extrinseca, & per consequens nihil, ad cuius similitudinem agens nihil potest efformare, sed vere est pictura, quam contemplantur, juxta quam efficitur ideatum, ex cuius consideratione magis, vel minus perfecta, magis, vel minus perfectum evadit opus; requiritur tamen, quod vere terminet visionem, & visio se habet ut conditio sine qua non; ita pari passu ascendendum est in exemplari interno, nec apparet ratio aliqua disparitatis, cur externum debeat consistere in re objecta, & ab oculis inspecta, non in visione, internam vero non in re cognita, sed in cognitione.**

Quarto tandem, quod etiam idea conceptui formali possit adaptari aliquo modo, ostendunt Vulpes, & Nolanus cit. ex Scot. 4. d. 1. q. 1. Q. dicente, quod de cognitio dicitur objective, oportet in ipsa cognitione realiter invenire; & parum infra declarat, domum in intellectu artificis dici illud esse realiter habere, quod ipsa cognitio habet formaliter, hinc subdit, domum extra fieri a domo intra, quatenus scilicet, fit a cognitione domus in mente artificis, tamquam a principio formali, prout domus in mente, & universaliter res omnis cognita dicitur id esse participare, quod formaliter habet cognitio, ergo cognitio, five formalis conceptus, quatenus ad rem factibilem, ut ad ideam terminatur, rationem ideæ posset dici participare. Tum quia quamvis lapis Cæsarem representans, vel speculum, in quo alicujus effigies relacet, secundum esse formale proprium, non sint exemplar, & figura Cæsaris, & effigati, tamen ut continent illas figuras, possunt dici exemplar illorum, ergo a simili est conceptus formalis secundum proprium esse non sit idea, quia tamen est expressa species rei, imaginemque ejus continens poterit dici idea: hinc colligitur, Herreram non satis fundate ex hoc loco Scoti inferre suam sententiam, quam etiam tribuit Scoto, colligitur quoque questionem hanc esse quasi de nomine, magis tamen proprie Scotum locutum fuisse, quam fecerint Adversarii, si vim nominis ideæ inspiciamus.

Sed contra, insurgunt Adversarii, primo multis autoritatibus; nam D. Dion. cap. 5. de Divinis Nom. vocat ideas divinas prædestinationes, & æternas voluntates; D. Aug. cit. rationes æternas, incommutabiles, permanentes, & quod istarum visionem sit anima beatissima, quæ omnia nequeunt creaturis convenire, sed potius intellectio divinarum, & tract. 1. in Jo. super illud. *Quod factum est, in ipso vita erat, ait, quia quod factum est, in Deo habet rationem (id est ideam) que vita est, idque exemplo arcæ in mente artificis explicat, dicens, Quæ, (scilicet arca) in arte vita est, quia vivit anima artificis, & D. Ambrosius 2. Hexameron. cap. 1. & 2. reprehendit Platonis sententiam ponentem, Deum exemplaria rerum cognoscere extra seipsam. Tum quia Arist. 7. Met. 23. ait, *Faciens igitur, & unde convalescendi motus incipit, si ab arte, forma est in anima, quod supra etiam dixerat, ad esse formam in anima solum conceptui formali convenit, qui vere illum informat, non conceptui objectivo, qui solum per extrinsecam denominationem dicitur esse in anima.**

148 Resp. D. Dion. non debere intelligi formaliter, aliter idea ad divinam voluntatem spectaret, quod est falsum, sed præsuppositivè, quia creaturæ cognitæ præsupponunt in Deo actum intellectus, &

voluntatis; dicuntur etiam a D. Aug. æternæ, incommutabiles, &c. eo quia secundum illud esse reale actuale, quod participare dicuntur in mente Dei, talia prædicata ipsis conveniunt, quatenus scilicet, ut notat Doctor in 4. dist. 1. qu. 1. Q. & in 1. dist. 36. G. creaturæ ab æterno cognitæ a Deo nullum esse reale actuale proprium habent, sed principiative, aut terminative, & realiter dicuntur habere esse intellectiois divinæ, quia ab intellectu principiantur, ipsamque terminant, & quia intellectio divina est realiter vita creatrix, etiam ideæ vite creatrix Dei dicuntur, non formaliter, sed secundum esse intellectiois divinæ. Pertinent etiam ad visionem beatam, non quidem ad beatitudinem, quæ respicit objectum primum, aliter D. Aug. contradiceret sibi ipsi in 5. Confess. supra cit. sed ad illam beatitudinem totalem possibilem beato, quæ potest haberi in creaturis, non in eis formaliter, sed in objecto, cuius cognitio præsupponitur istis, & quasi concomitantur in istis, in quibus aliqua beatitudo est, licet non prima, ita Doctor 1. dist. 35. K. D. Ambr. arguit Platonem, ponentem ideas abstractas, & extra Deum, secundum quod ipse tribuit Arist. immo ex hoc deducitur oppositum, quia si secundum D. Ambr. Aug. & alios Patres, ideæ non debent esse extra Deum, sed in Deo, erunt quidditates rerum cognitæ ab intellectu divino. Ad Arist. dicimus, ideam dici formam animæ, non quia per physicam informationem illam informat, sed quia est quoddam exemplar, & imago effectus producendi existens objective in anima, quam artifex inspicendo incipit suam actionem extra, & motum.

Secundo Prob. idem ratione; tum quia idea habet determinare actionem artificis extra, dirigere, & regulare actionem artificis, ut in certum scopum tendat, ne casu opus fiat, & representare opus faciendum, hæc omnia conceptui formali conveniunt, non objectivo, nam determinat, quia sicut agens naturale constituitur in actu primo ad agendum per formam naturalem, ita agens intellectuale determinatur ad agendum per formam intellectualem, quæ est intellectio; dirigit, & regulat, quia est quoddam lumen, quod præit, ostendens viam, modum, & terminum actionis; conceptus objectivus non dirigit, sed est ad quem dirigitur; representat, quia est vera species objecti expressa, conceptus vero objectivus non representat, sed est res representata. Tum 2. quia idea est principium cognitionis, quod non debet intelligi de principio effectivo, aliter species intelligibilis esset idea, neque de conceptu objectivo, qui est terminus intellectiois, non principium, ergo de principio formali, quod erit conceptus ipse formalis. Tum 3. quia vel convenit rei cognitæ ratio ideæ ratione ejus esse, quod habet in mente, aut illius, quod extra habere potest, & ei non repugnat; non primum, quia illud non est nisi denominatio extrinseca, & nihil; nec secundum, quia secundum istud esse reale dicitur potius ideatum, quam idea. Tum 4. quia saltem in Deo sequeretur, ipsum perfici a creaturis, tam quoad cognitionem, quæ ex D. Aug. qu. 46. cit. nemo sapiens esse potest absque ideis, quam quoad omnipotentiam, quia agens intellectuale indiget ideis ad operandum. Tandem idea est, ad cuius similitudinem fit opus, sed hic est conceptus formalis, probatur ex 7. Met. 23. & 30. ubi Arist. ait, domum fieri ex univoco scilicet ex simili, non ex omnino univoco; ut naturalia, sed ex parte univoco, quia fit ex arte, ars autem est similis solum in representando, estque conceptus formalis, non objectivus.

149 Resp. ad 1. ideam debere determinare, dirigere, regulare & representare, non quidem tamquam rationem formalem cognoscendi, sed tamquam medium, & objectum cognitum, quia ad ideam requiritur, ut ab artifice aspiciatur directe, ut probatum est, quare conceptus objectivus est determinativus, & directivus, regulativus, & representativus, non in ratione cognitionis, sed in ratione objecti; præcipue quia, quod conceptus formalis habet hæc omnia, provenit ab objecto, ad quod terminatur; cum dicitur, conceptum objectivum esse terminum, ad quem agens dirigitur, hoc est verum de re secundum esse reale, non prout habet esse cognitum, ut dicemus infra. Verum est tamen, quod hæc omnia ideæ creatæ conveniunt, cuius cognitio est practica, divina vero idea solum habet representatæ, non dirigere, & regulare, ut habet Doctor in 1. d. 38. in calce, & hoc quia voluntas divina est prima regula factibilium ad extra, quorum cognitio in Deo non est practica, sed speculativa. Ad 2. falsum est, ideam esse principium cognitionis, nisi in eo sensu, quo objectum dicitur principium cognitionis, proprie tamen idea debet esse terminus cognitionis, quia concurrat, ut objectum cognitum, & si deberet esse principium cognitionis, jam non esset ipsa cognitio. Ad 3. dicimus, convenire rei secundum esse reale non ut existens a parte rei, sed ut cognitum ab intellectu, non quod ratio cogniti dicat rationem formalem, sed conditionem sine qua non, ut dicemus qu. seq. de Fine. Ad 4. resp. Doctor in hac qu. negando, sequi dependentiam in Deo, quia etiam creaturæ cognitæ non essent ideæ, adhuc Deus ex sua perfectissima scientia cognosceret creaturas, non tamen ab illis dependet, quia non sunt objecta motiva, sed terminativa; neque etiam dependet in operando, etiam si ponantur ideæ, quia non sunt in Deo practicæ, sed speculativæ, solum terminant, non movent, neque dirigunt. Ad 5. dicimus, probare solum 2. partem nostræ concl. scilicet posse conceptum formalem dici ideam, quatenus est representativa rei faciendæ; quod colligitur ex ipso contextu, nam inquit Arist. tex. 30. *Quodam modo omnia fiunt ex univoco, quemadmodum, que na-*

tura sunt; aut ex parte univoca, ut domus ex domo, aut ab intellectu, ars enim forma est; ubi patet, Philosf. distinguere hæc duo, domum fieri ex domo, & fieri ab intellectu, seu ab arte, quia domus in sua factioe pendet a conceptu formali, & objectivo; dicit autem, fieri ex domo, tamquam ex parte univoca, quia domus extra, & domus intra aequaliter differunt, ut mox dicemus.

150 Tertio, & est fundamentum Adversariorum. Si idea est conceptus objectivus, vel est eadem res, quæ fit ad extra, vel alia distincta; non primum, quia idea est causa ideati, est id, ad cuius imitationem agens agit, dirigit actionem physicam agentis; estque principium rei, quæ extra fit ad instar ipsius, idem autem non potest esse causa sui ipsius, nec esse id, ad cuius imitationem agens agit, etiam si diversum modum essendi habeat, scilicet esse cognitum, implicat enim, quod idem fiat ad sui imitationem, & ad instar sui ipsius, nec potest esse principium directivum sui ipsius; tum quia similitudo attenditur secundum unam formam communem his per indifferentiam, quæ similia sunt, quod inter similia arguit distinctionem realem; hinc videmus, artificem creatum nunquam præconcepere illud idem numero artefactum, cum nesciat, quodnam illud in singulari futurum sit cum determinatis circumstantiis; neque 2. quia hoc locum non habet in Deo, qui eisdem omnino res in singulari cognoscit, & aliquando artifex creatum agit per cognitionem ejusdem rei, quam intendit extra efficere, unde per accidens est, & propter agens imperfectionem, quod alia res distincta præconciatur, ergo vel Deus non ageret per ideam, vel non necessario requiritur ista distinctio, & per consequens conceptus objectivus rei distinctæ non erit idea, quæ per se requiritur ad actionem agentis intellectualis. Tum quia idea non constituitur per eam cognitionem, per quam inspicitur, tamquam id, ad cuius similitudinem res fit, sed præsupponitur constituta, juxta illud *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est, ergo res ex eo solum, quod cognoscitur, non erit exemplar, neque ante, ut nos etiam concedimus, ergo nullo modo erit idea.*

151 Resp. ex Vulpio cit. quod agens agendo intendit similitudinem inter ideam, & ideatum, quæ est duplex ex Scot. 1. d. 3. q. 2. D. imitationis scilicet, & univocationis; prima reperitur inter diversa, quæ solum convenientiam in aliquo habent, non in natura, ut sunt effigies, & effigiatum; secunda vero est inter eadem omnino quoad naturam, & essentiam, licet possint differre in modo essendi, sic creatura cognita a Deo est illam per a parte rei producta, differens solum in modo essendi, quia a parte rei habet esse simpliciter, in intellectu esse secundum quid, ut docet Doctor 1. d. 36. D. & E. secunda similitudo est perfectior quam prima, quia sicut nulla major, & verior unitas reperitur, quam numeralis, & ejusdem ad seipsam, sic nulla major, & verior identitas, æqualitas, & similitudo, quæ super unitatem fundatur ex 5. Met. cap. de aliquid, quam ejusdem ad seipsam, verior quidem, non quo ad veritatem relationis formaliter importatæ, quia ejusdem seipsam non est relatio realis, sed quo ad veritatem fundamenti, ut Scot. docet 1. d. 31. & quol. 6. Cum ergo de ratione ideæ sit, quod dicat similitudinem cum effectu, sequitur, eo perfectiore esse ideam, quo perfectior erit similitudo, sicut videmus in artefactis, ubi quo assimilatio in ipsis cum exemplari externo, vel interno fuerit perfectior, eo perfectiore rationem ideæ, & ideati habebunt; ergo si posset intercedere similitudo univocationis inter illa, maxime tunc haberet rationem ideæ; quapropter idea ut sic dicitur rationem similitudinis, contrahitur deinde ut in species per similitudinem univocationis, tamquam per differentiam perfectiorem, & imitationis, tamquam per imperfeciorem, & consequenter non est de ratione ideæ in communi, quod differat, vel eadem sit cum ideato, sed utrumque potest accidere, perfectior tamen erit, si non differat; hinc ideæ divinæ, quia non differunt, creatæ vero sæpe differunt, illæ perfectissimæ dicuntur, istæ secundum participationem, & metaphoram vocantur ideæ.

152 Cum igitur impugnatur identitas in argumento, dicimus; ideas divinas non esse causas, quia non sunt practicæ, sed speculativæ, creatæ vero dicuntur causæ, non reales, sed potius morales, ut dicemus, quomodo idem ut habet esse cognitum potest esse sui ipsius causa, ut habet esse reale, ut patet de fine. Nec est de ratione ideæ, ut sit id, ad cuius imitationem agens agit, sed ad cuius similitudinem, præciscendo a similitudine univocationis, vel imitationis, ut diximus; neque implicat, idem in esse reali fieri ad sui similitudinem in esse cognito, unde Seneca epist. 66. dicebat; *Exemplar est, ad quod respiciens artifex, id quod destinabat, efficit.* Idem tandem ut objectum cognitum potest dirigere in seipsam actionem ut in esse reali, & potest principium sui ipsius dici, sicut dicitur causa. Cum 2. probatur idem, dicimus, tunc similitudinem attendi penes formam communem per indifferentiam, quando similitudo dicit veram relationem realem, & quod ad veritatem relationis formaliter importatæ, non de similitudine vera tantum quoad veritatem fundamenti, sicut est similitudo numerica; & quamvis artifex creatum non possit omnino præconcepere eundem effectum (quod non est universaliter verum, nam saltem Angelus posset hoc facere) non sequitur, hoc esse de ratione exemplaris in Communi.

Cum vero impugnatur diversitas, dicimus, quod quamvis non sit de ratione ideæ in communi, & de per accidens est, quod sit diversa propter imperfectionem agentis, non tamen sequitur, quod cum concurrat hoc exemplar distinctum, per se non

concurrat, & suo modo non exerceat suam causalitatem erga effectum, præcipue quia non est causalitas physica, sed moralis, suo enim modo dirigit actionem agentis regulative. Tandem ad conf. principalem dicimus, assumptum esse verum de exemplari externo, de quo loquitur Sacra Scriptura ibi, non de interno. Vel dicendum, sicut dicimus in Log. de Enterationis, quod sit cognitio quasi practica, quo modo accipit esse sciam, & esse proprium simpliciter, deinde cognoscitur, & contemplatur cognitione, quæ dicitur speculativa, & primam supponit; sic idea primo fit cognitio quasi practica, qua producitur in esse obiectivo, deinde cum actualiter exigit agens in opus, recogitatur cognitione speculativa.

ARTICULUS II.

Resolvitur questum quoad causalitatem ideæ.

153 **D**uplex causalitas potest attribui causæ exemplari respectu operis extra faciendi, scilicet moralis, seu intentionalis, & physica; loquendo de ipsa, ut ab aliis causis omnino contradistinguitur; non vero ut ad aliquam illarum reducitur.

Dicimus 1. ideam neque creatam, neque increatam nullam causalitatem physicam posse in effectum exercere; at si loquamur de causalitate morali, solum idea creata illam exercet. Prima pars, quod nullo modo causa physice influens dicatur, probari potest. Tum quia nihil potest physice seipsum causare, ut dicitur disp. seq. qu. 2. Tum quia effectus cognitus ut possibilis nullum esse reale proprium habet, ergo reale causalitatem propriam nequit exercere. Diximus, nullum esse reale proprium habet, quia si consideratur, ut participat esse intellectiois, sic potest dici physice influere in actionem eo modo, quo cognitio practica, & ars principium ponitur actionis ad extra; & in hoc sensu intelligendum est Doct. dum in 4. d. 1. qu. 1. Q. & R. videtur velle, quod idea fit ratio producendi effectum ad extra, & principium formale elicitionis, sumit enim sibi ideam pro conceptu formali, ut notavimus articulo precedenti.

Secunda pars, quod in agente creato exerceat moralem causalitatem, docetur a Doct. in 1. d. 2. qu. 7. X. nam idea in artifice creato spectat ad artem, ars vero est in ipso notitia practica, cuius est dirigere, & regulare voluntatem in actionibus; unde hæc causalitas potest explicari per habitudinem, a qua agens intellectualem ad operandum dirigitur; ut scilicet, illud idem extra efficiat, quod mente præconcepit, & ad eius similitudinem quantum potest res extra producatur, fundat tamen istam habitudinem, quia intantum notitia distinctiva dirigit, & regulat opus, inquantum exprimit similitudinem illam, quam præfert obiectum in mente ad opus extra faciendum.

154 Tertio tandem, quod in agente increato nullam habeat causalitatem, nec moralem, habetur a Scoto 1. d. 38. in fine, & ratio est, quia ideæ in Deo pertinent ad scientiam simplicis intelligentiæ antecedentem omnem actum voluntatis, & mere naturaliter representant, quæ scientia est mere speculative, non enim est voluntatis divinæ directiva, nam divina voluntas, cum non subiacet errori, est prima regula contingentium, ut fufius docetur in Theologia. Nec refert, quod ideæ divinæ ad artem omnipotentis Dei dicantur spectare, & esse rationes æternæ, secundum quas Deus omnia format ad extra; nam ut ait Doct. dist. 38. cit. ars divina diminute dicitur ars, quia non est habitus regulativus, sed tantum apprehensivus rectitudinis agendorum post præfinitiones divinæ voluntatis, suntque rationes, secundum quas non regulative, & distinctivæ formatur omne formabile ad extra, sed speculative, scilicet ostensive, & representative, eo quia nil volitum, quin præcognitum.

Dices, figura in cera a sigillo impressa est physice, si non in genere instrumentalis, & activæ causæ, saltem in genere causæ formalis, causata ab exemplari in sigillo existente, ut diximus qu. 5. ergo saltem hoc genus exemplaris causæ aliquam causalitatem physicam exercebit in effectum. Resp. sigillum non esse causam idealem, sed instrumentalem, quia causa idealis non debet immediare, & proxime effectum attingere, sed mediate regulando artificem, nec est ad cuius similitudinem per inspectionem agens agit, quia, si ab aliâ causa naturali applicaretur, adhuc idem eveniret effectus, ut ex Durand. notat. Aversa.

155 Dicimus 2. ideam, prout in ordine ad effectum consideratur, non constituere genus causæ a quatuor distinctum, sed ad causam efficientem reduci, licet si ad ipsum agens intellectualem referatur, habeat aliquo modo rationem formalis causæ. Ita Scotus citatus, & 1. quod non dicat genus causæ distinctum, probatur, quia valde acceptata est illa divisio causæ in quatuor, nec erunt multiplicanda sine urgenti necessitate, quæ non adest in præfenti. Tum quia est quid complens causam agentem in esse causæ, estque quid spectans ad virtutem, & rationem agendi illius, ut dicimus, ergo non est genus omnino distinctum, quia ratio causandi est eiusdem generis cum eo, cuius est ratio.

Secundo, quod ad genus efficientis causæ reducatur, potest ostendi. Tum inductione, quia non reducitur ad genus materialis causæ, quia causalitas huius consistit in habitudine subiecti, ex quo aliquid fit ratio exemplaris causæ in habitudine eius, ad cuius similitudinem aliquid efficitur; quod licet quandam passivitatem dicat imitationis passivæ, non tamen est

vera passiva habitudo, sed tantum grammaticaliter. Neque potest ad finalem reduci, quia finis est, cuius gratia agens agit, & propter eius acquisitionem movet agens, ut habet bonitatem, & consequenter respicit potentiam appetitivam, non constituit agens in ratione agentis, nec agere dicitur, at idea non est, cuius gratia, sed ad cuius similitudinem agens agit, non propter acquisitionem ideæ, quam actu habet, pertinet ad intellectum, ipsum regulando, non ad voluntatem, complet agens in ratione agentis, qua ratione etiam ad actionem dicitur spectare, unde qui perfectiorem habet ideam, perfectius agit, ut dicimus; tum quia in qualibet actione agens intendit assimilationem formæ, vel virtutem, si agens est æquivocum, vel formale; si est univocum, ergo si propter huius assimilationem idea esset finis, quodlibet agens ageret per ideam, quod est falsum. Neque potest reduci ad causam formalem, quia causa formalis, sive intrinseca, sive extrinseca causat per suimet exhibitionem, idea non se communicat effectui, nisi inquantum effectus ipsi assimilatur, quo sensu etiam forma substantialis agentis naturalis potest dici concurrere ad effectum productum in genere causæ formalis, quia illi assimilatur.

156 Remanet igitur, ut ad causam efficientem reducatur, & rationabiliter. Tum quia Arist. 2. Phys. 33. ait, Policlem, ut statuarium, esse per se causam statuaris, statuarium autem est per se causa per artem, quæ non est principium efficiens statuaris nisi per ideam, quam continet, ergo afferens Arist. statuarium esse causam efficientem per se statuaris, sentit, exemplar artis, quo medio operatur, continere causalitatem efficientem. Tum quia 7. Met. 23. & 30. & 12. Met. 18. & 24. & 9. Met. 3. docet Arist. agentia naturalia producere sibi similia per formam, artificialia vero per ideam, quæ est principium, quo agens agit; ex quibus authoritatibus Doct. dist. 36. cit. deducit istam rationem; id. sine quo efficiens non est causa completa, debet reduci ad efficiens, tamquam aliquid eius, at causalitas hæc exemplaris est huiusmodi, quia per Arist. cit. sicut agens naturale completur in ratione principii præcise per formam naturalem; qua proxime agit, ita agens intellectualem in suo ordine complementum agendi proxime per exemplar sortitur, & ab ea recipit determinationem quandam ad talem effectum causandum saltem secundum specificationem, ergo, &c. quare completa causalitas ideæ erit actio intellectualis agens, ut mentiurata, & in certum finem directa ab eo procedit.

Tandem, quod si in ordine ad agens consideretur, possit dici formalis causa, probatur. Tum quia Arist. 2. Phys. 28. & 8. Met. 2. enumerat ideam inter causas formales, atque esse formam in anima, sicut ars est forma animæ, ita 7. Met. cit. Tum quia forma naturalis respectu agentis naturalis est causa formalis, ergo idem de idea respectu agentis intellectualis, non quod sit de essentia illius, sed ut quid complens in ratione agentis: & hoc probant rationes Conimb. afferentium, ideas esse formales causas.

157 Sed contra obijciunt 1. cum Platonis, probando, ideam esse genus distinctum causæ. Tum quia per ideam fatiscimus interrogationi propter quid, cui per nullam aliam causam fatisceri potest, ut si queratur, cur statua Petri est sima, dicimus, quia ideæ Petri in mente artificis erat sima. Tum 2. quia finis ideo est causa ab omnibus distincta, quia est id, cuius gratia agens operatur, ergo cum idea sit id, ad cuius similitudinem agens agit, debet esse distincta. Tum 3. quia causalitas finis etiam ad agens attinet, inquantum non agit nisi prius a fine moveatur, aut determinetur, & tamen est genus distinctum, ergo idem de idea dici potest.

Resp. dissolvi questum illud per ideam, non tamquam per causam distinctam ab efficiente, sed tamquam per principium, quo agens determinat quoad specificationem effectus, & rationabiliter agit, quare cum non concurrat peculiari modo physice in effectum, sed ut quid ipsius efficiens, non poterit causam distinctam constituere. Ad 2. inegamus pariter, quia idea per suam intentionalem causalitatem habet determinare, & complere efficiens in sua actione. Ad 3. dicimus, finem non se habere ad agens, tamquam quid proxime ipsum constituens aptum ad rationabiliter agendum, sed potius supponit illud ita in re constitutum, & tamen ipsum movere per modum amati, & desiderati ad agendum a proposito, quod si efficiens operari nequeat sine fine, hoc evenit, quia ad effectum producendum debent concurrere omnes causæ, unde nec sine materia potest agere; at idea non supponit agens complete constitutum secundum peculiarem eius agendi modum, sicut est agere per cognitionem præconcipiendo rem extra factibilem.

158 Secundo, quod reducatur ad finalem causam, probatur; Tum quia questio illa, cur statua Sortis sit sima, optime solvitur per causam finalem, si dicamus; quia Sculptor voluit representare Sortem. Tum 2. quia finis debet conjungi cum efficiente, ut hoc operetur propter finem, sed in agente per intellectum non conjungitur nisi per ideam, ergo est necessaria idea ex parte finis, quia nec finis potest causare, nisi sic uniat. Tum 3. quia sanitas, quæ est in mente Medici, movet Medicum ad medendum, & ut ad eius similitudinem inducat sanitatem in infirmo; ergo finis, & idea coincidunt, quia sicut finis est effectus producendus, etiam idea. Tum 4. quia res secundum omnes, ut habet esse intentionale, causat finaliter, ergo idea, quæ est res in mente, reducitur ad finem. Tum 5. quia imago heri potest, ut explicet ideam, ergo idea est, cuius gratia imago fit, quod est esse finem.

nem. Tandem quia assimilatio effectus est finis agentis, sed assimilatio est idea ergo &c.

Resp. 1. quod eadem questio potest solvi per plures causas, sicut plures causæ concurrunt, quare ut cognoscimus, si ea, quæ solvunt questionem, constituunt diversa genera, oportet videre, an habeant eundem modum causandi, & eodem modo dissolvant questionem, cum igitur finis, & idea non habeant eundem modum causandi, non pertinent ad idem genus causæ. Ad 2. conjunctionem finis cum agente requiri ex parte agentis, quia non est determinatum, nec completum ad agendum, nisi per ideam uniatu fini intentionaliter, & quamvis finis nec etiam causet, nisi fiat ista unio, attamen hoc est, quia nisi efficiens operetur, non potest causare, nisi autem efficiens sit determinatum, non operatur. Ad 3. dicimus, eundem conceptum obiectivum fundare rationem finis, & ideæ secundum diversas habitudines, est finis, ut habet esse amatum; & est id, cuius gratia agens agit, est idea, ut habet esse cognitum, & ad quod aspiciens agens agit; ut autem appareat, ad quam causam reduci debeat idea, oportet videre modum causandi, & cuius causæ sit aliquid; unde cum sit aliquid causæ efficientis in communi illam contrahens ad speciem efficientis per intellectum, consequenter ad ipsam pertinere. Ad 4. res, ut habet esse intentionale amatum habet rationem finis, non ut habet esse præcise cognitum, quamquam hoc ut conditio sine qua non prærequiritur. Ad 5. in tali casu finis non est idea, sed imago, quæ ideam representat, & est effectus efficientis. Vel sequi solum, quod materialiter finis, & idea coincidunt, non formaliter. Ad 6. assimilationem effectus esse finem, & effectum agentis, at causalitas ideæ est assimilatio passiva in conceptu obiectivo, vel dic ut supra, concludere tantum coincidentiam materialem finis, & ideæ.

159 Tertio, quod ad efficientem causam non reducatur, prob. Tum quia causalitas agentis non permanet causalitas ideæ utique, quia effectus, quando manet, semper est similis. Tum 2. quia agens est causa existentiæ effectus, idea vero causat conformitatem effectus. Tum 3. quia efficiens est principium unde motus, idea ad cuius similitudinem agens agit, ergo distinctas habent causalitates, quia imitari non est causæ efficientis. Tum 4. quia finis causat etiam determinando agens ad amorem sui, & tamen non reducitur ad efficiens, ergo idem de idea.

Resp. ad 1. post actionem actualem agentis non manere causalitatem ideæ, quæ consistit in determinando agens ad rationabiliter agendum, quod autem remanet similitudo inter illa, si exemplar est externum, hæc non est causalitas, sed potius similitudo insurgens propter qualitates in illis repertas, quia exemplar non causat, ut est a parte rei, sed ut concipitur ab intellectu, & ut terminat actualem inspectionem intellectus. Ad 2. idea simul cum agente est causa suo modo tam existentis, quam conformitatis effectus, quia intantum effectus recipit existentiam, inquantum determinatur ab idea ad operandum. Ad 3. est idea non sit principium unde motus, quia non est efficiens, est tamen aliquid illius, quod sufficit. Ad 4. licet finis causet determinando agens ad amorem sui, tamen cum effectus prodit ab agente, intelligitur esse simul gratia bonitatis finis, & ut agens consequatur finem, quare non respicit effectus finem, ut completivum agentis in esse agentis, sed potius ut movens agens constitutum in esse agentis ad agendum; non sic de idea, ut diximus ad primum principale.

Q U E S T I O VIII.

De Causa finali.

160 **H**ic finem non accipimus pro termino cuiuscunque rei, quo modo mors dicitur finis omnium, & punctum lineæ, sed pro causa finali, quomodo ab Arist. 2. Phys. 19. & 31. definitur quod sit id, cuius gratia aliquid fit, ita sanitas dicitur finis demulationis, non quia sit terminus illius, sed quia propter eam fit.

Iste finis multipliciter dividitur, & primum in finem cui, & finem cuius, ex 2. de Anim. 37. hic dicitur res illa, propter quam consequendam aliquis operatur, ut cum agrotus propter sanitatem consequendam sumit medicamina; ille est, cui volumus rem, quæ finis cuius dicitur, ut est agrotus, cui volumus sanitatem; hinc volitio terminata ad finem cuius dicitur amor, aut velle concupiscentiæ, quia est velle propter aliud, volitio finis cui dicitur velle, & amor amicitia, quia est amor alicuius propter se, ita Doct. 2. d. 6. qu. 2. A.

Secundo dividitur in finem Quo, & in finem Qui, seu in formalem, & obiectivum: finis Quo, & formalis est operatio, qua finem Qui consequimur, ut visio beatifica, qua consequimur Deum, acquisitio pecuniarum, &c. finis Qui, & obiectivus est, quem prædicta operatione assequimur, ut Deus, pecunia, &c. hinc ortum duxit divisio illa beatitudinis in formalem, & obiectivam.

Tertio in finem operantis, & operis, primus est, quem sibi præscribit agens, ut si quis ob vanam gloriam daret elemosynam; secundus est, ad quem ex natura sua illa operatio ordinatur, ut finis elemosynæ ex propria natura est pauperis sublevatio a miseria, primus solet dici extrinsecus, secundus intrinsecus.

Quarto dividitur in ultimum, seu remotum, & in non ultimum, seu proximum, qui etiam finis sub fine solet appellari, & est ille, qui appetitur quidem propter se, sed adhuc ad aliud ordinatur, ut actus elemosynæ factus propter sublevationem pauperis, & ad impetrandum Dei misericordiam; ultimus vero est, qui ita propter se appetitur, ut non ordinetur

Maffrii, & Bellui Tom. II. Physice.

amplius ad aliud; & hic est duplex, vel est simpliciter ultimus, & est ille, ad quem omnia ordinantur, ut Deus benedictus, vel secundum quid ultimus, & est ille, in quem ultimate tendit agens, ita ut ulterius actus non ordinetur ad aliud, quamvis sit ex se ordinabilis, & dicitur ultimus in sua serie, quæ remissio peccatorum est finis ultimus facientis elemosynam.

Quinto dividitur in finem generationis, & rei genitæ; primus est, vel forma, quæ per generationem acquiritur, vel compositum; secundus est, ad quem res genita ordinatur, & est operatio, iuxta illud Arist. forma quælibet est propter suam operationem. Aliæ divisiones etiam solent de fine assignari, sed hæc sunt principales: 1. ergo examinanda sunt istæ divisiones.

A R T I C U L U S I.

An quilibet finis dicatur causa.

161 **N**on est dubium de secunda divisione finis in formalem, & obiectivum, quia ratio finis, ut diximus, consistit in hoc, quod agens propter ipsum operetur; clarum est autem, quod homo in hac vita operatur propter affectionem visionis, & propter Deum visum: hinc advertendum, hos duos fines non esse distinctos inter se, ut unus sine altero possit movere, immo potius unum finem totalem integrant, quia visio appetitur propter obiectum, ad quod terminatur, & obiectum, quia operatione cum ipso conjungitur potentia; ita colligi potest ex Scoto 4. d. 49. qu. 1. ubi beatitudinem finem hominis ponit, eo quia ultimo fini terminatur, & qu. 1. Prol. Insuper finis operantis vere dicitur finis, quia propter ipsum agens agit, unde solum in agentibus per intellectum reperitur, finis vero operis dicitur finis, non quidem respectu agentis voluntarii, quod proprio arbitratu, relicto operis fine, in alium finem dirigit opus, tunc enim agens illud nullo modo, ut voluntarium est, agit propter operis finem, sed dicitur finis, quatenus illa actio est ens naturale creatum, & natura propter finem dicitur agere, ut infra, idem potest dici de ultima finis divisione. Solum ergo est difficultas de prima, & quarta divisione.

Nominales afferunt, finem cui esse proprie finalem causam, finem vero cuius solum se habere ut instrumentum. At Vasq. p. 2. disp. 2. oppositum sustinet, finem scilicet cuius esse proprie finem, idem tenet Salas ibidem sect. 1. Similiter de quarta divisione, nam idem Vasq. 1. p. disp. 82. c. 2. & p. 2. disp. 4. negat, illam divisionem bonam esse, eo quia putat, nullum finem intermedium dari, sed omnem esse ultimum, vel simpliciter, vel secundum quid, & aequaliter videtur favere Suar. disp. 23. Met. sect. 6. licet sect. 2. clarius oppositum doceat. Communis tamen opinio est, tam finem cuius, quam finem cui, & finem ultimum, & non ultimum esse proprie causam finalem; pro qua

Dicimus 1. finem cuius, & finem cui esse proprie finis, ita tamen, ut ex utroque unus fiat, eo fere modo, quod ex obiecto materiali, & formali alicuius potentis fit unum obiectum completum, & ex fine formali, & obiectivo unus totalis finis integratur, sic ex fine cuius, & fine cui unus totalis finis completur movens voluntatem ad operandum. Ita colligitur ex Scot. 2. d. 6. qu. 1. F. ubi habet, voluntatem simul velle id, quod vult, & cui vult; ex quo elicitur ratio, quia sanitas v. g. intantum appetitur, quia est hominis perfectio, & homo intantum est finis cui, quia est per sanitatem perfectibilis, quam non respicit ut medium, per quod ipse homo acquiritur, sed ut est perfectio, & bonitas ipsius, ergo ratio finis utrique convenit, non separate, sed conjunctim; quare finis in communi non dividitur in eos, ut in duos fines completos; sed quasi incompletos: hinc dicebat Cajet. p. 1. qu. 17. art. 5. non recte dici, volo bonum propter amicum, quia denotaretur, bonum non esse finem, sed medium, rectius dici, volo bonum amico, nam sic explicatur totale obiectum motivum voluntatis.

162 In oppositum dices, illud proprie habet rationem finis, in quo sistit intentio agentis, talis est finis cui, nam sanitatem nemo intendit, nisi propter hominem. Tum 2. questio. quia finis propter se amatur, medium propter aliud, ille amore amicitia, hoc amore concupiscentiæ, sed finis cuius amatur amore concupiscentiæ, finis cui amore amicitia. Tum 3. quia 2. Met. 8. habetur, finem esse id, quod non est alterius causa, sed ejus causa cætera. Tum 4. quia ita se habent finis cuius, & finis cui, sicut instrumentum, & agens principale, quia sicut appetibilitas finis cuius dependet a fine cui, ita actio instrumenti ab agente principali, sed instrumentum propter hoc non dicitur proprie causa efficiens, ergo, &c.

Resp. ad 1. solum probare dependentiam, & partialitatem finis cuius cum fine cui, neque enim finis cui haberet rationem finis, nisi ad finem cuius se haberet ut perfectibilis, unde voluntas in utroque sistit, non in uno tantum. Ad 2. dicimus, finem posse amare propter aliud, quando illi comparatur, non ut medium interserviens propter illius affectionem, sed ut perfectio illius, quo modo etiam amore propter se dici potest terminare, quia amatur propter propriam perfectionem, non absolute, sed ut bonam alteri; idcirco ut dicebamus non recte dicitur, sanitatem amari propter hominem, sed amari sanitatem homini. Ad 3. Arist. vel loquitur de fine ultimo, vel de quolibet fine respectu mediorum, non respectu alterius finis partialis, cuius est perfectio, quamvis hæc loquendi formula, unum propter aliud, non recte interservit fini cui, & fini cuius. Ad 4. negatur paritas, quia instrumentum non attingit active, ut instrumentum, effectum principalis agentis, at finis cuius est causa finalis, cur media assumentur, & hoc per suam perfectionem intrinsecam, non ut sic, sed ut est alteri perfectio.

263 Obijcies 2. quod finis cui non sit proprie finis; Tum quia Arist. 2. Phys. 24. ait, non omnium esse quodammodo finem, ergo non proprie. Tum 2. quia text. 79. ait, formam, & finem coincidere in unum numero; & in finem esse primum in intentione, ultimum in executione. 5. Met. 1. Tum 3. quia finis cui respectu finis habet rationem subiecti, cuius causalitas non est in genere causae finalis, Tum 4. cum finis cuius sit quaedam operatio, & habeat rationem finis formalis; quia iste cum sine obiectivo ex dictis integrat unum finem completum, tunc finis cuius est aggregatum ex fine formali, & obiectivo; & sic si finis cui haberet veram rationem finis, tunc homo esset finis beatitudinis tam formalis, quam obiectiva, scilicet Dei, quod est falsum.

Resp. ad 1. ly quodammodo non esse particulam diminutivam, sed stare pro alio modo; vel si est diminutiva, facit comparationem cum fine totali, & completo. Ad 2. in illis locis Arist. loqui de fine cuius, non de fine in communi. Ad 3. dicimus, finem, cui non exercere rationem finis cuius, immo potius esse subiectum, sed respectu mediorum intervencium affectioni finis cuius. Ad 4. per idem, non enim homo dicitur finis beatitudinis, quamvis improprie loquendo possit unus finis propter alium dici, ut intellectus propter operari, qui est finis rei genitae, ideo enim potentiae sunt a natura concessae, ut operentur, & operatio propter potentiam, scilicet ut ipsam perficiat.

164 Dicimus 2. etiam finem intermedium, & non ultimum proprie habere rationem finis; ita communis; & colligitur ex Scot. 4. dist. 14. qu. 2. H. & R. ubi docet, quod voluntas imperat actum cuiuscunque virtutis ex motivo cuiusque alterius virtutis, utens se circulariter, ita ut idem actus possit habere bonitatem ex duplici imperio, & motivo, ex uno proxime, ex altero remote; ergo per Scot. etiam finis proximus, non solum remotus, & ultimus, habebit veram rationem finis, quia, ut fere omnes Morales dicunt, bonitas in actu provenit, quando honestas obiecti propter se amatur, sic actus elemosynae factus ad sublevandam pauperis miseriam erit in specie misericordiae, quia sublevationem intendit agens tanquam finem, & si hoc totum fieret ad consequendam peccatorum remissionem a Deo, erit in specie penitentiae; & probari potest ex illo Arist. 2. Phys. 89. saepe a Doctore approbato in 4. d. 49. q. 9. & quol. 16. F. sicut se habet principium in speculabilibus, ita finis in agibilibus, ergo sicut contingit in demonstrationibus, ut quod est principium in una, ex quo inferitur conclusio, respectu cuius retinet rationem principii, sit tamen in alia conclusio illata ex priori principio, & ita procedatur usque ad unum primum principium, ex quo omnia inferantur, ut patet in scientiis subalternante, & subalternata; ita in actibus voluntatis datur finis particularis unius actionis, qui propter se diligitur in sua serie, & propter ipsum alia ad eius consecutionem intervientia, nihilominus quia finis ille non est summum bonum, poterit alio actu eligi, & ordinari ad aliud consequendum tanquam medium extra suam seriem, retinendo simul rationem finis. Tum quia si homo comederet propter sustentationem corporis, ut deinde fortius possit Deo inservire, electio commestionis proxime non est propter Dei obsequium, quia ex se est improprietatum medium huic fini, sed medium dicitur propter affectionem sustentationis corporis, ergo haec se habebit ut verus finis, quia vere propter ipsam aliquid fit; & medium ad finem habet referri.

Neque ordinatio ad ulteriorem finem tollit propriam rationem; Tum quia non tollit propriam bonitatem, qua propter se amatur, & cuius gratia fit aliquid. Tum quia una bonitas non repugnat alteri, nec virtus virtuti, ergo simul manent in eodem actu, idem obiectum habebit rationem finis, & medii. Tum quia sequeretur, actum unius virtutis non posse imperari ab alia virtute, quod est falsum, quia quilibet actus ex se bonus, & consequenter proprium obiectum propter se, ut honestum est, respiciens, (bonitas enim ut diximus, derivatur in actu e proprio obiecto, quando honestas illius per se intenditur, & non praecise propter aliud, ut si quis ex motivo charitatis jejunaret, & non ex motivo abstinentiae, actus ille jejunii esset in specie charitatis, non abstinentiae) potest a virtute praecipue charitatis, quae est omnium regina, imperari. Tum quia sequeretur, omnes electiones ab intentione eadem profectas simpliciter esse aequales in bonitate, ac proinde non melius esse amare amicum quam inimicum, catholicum, quam haereticum, si a motivo Religionis proveniret, quod est falsum, signum evidens, obiecta illa tribuere bonitatem aliquam, & consequenter habere rationem non solum medii, sed etiam finis; sequela probatur, eo quia eundem finem haberent, a quo omnes specificaretur: hinc est, quod aliquando ad assequendum finem eligitur potius unum medium, quam aliud, quia aliquam amabilitatem in se continet propter se, non solum propter aliud, quam non continet aliud.

165 Instat Valsq. Tum quia Arist. 2. Phys. 29. ait, de ratione finis esse, ut omnia sint ipsius gratia, ergo nequit ulterius ad alium finem ordinari. Tum 2. quia medium non potest appeti propter se, sed propter aliud, ergo non potest esse ratio, ut alia propter ipsum appetantur, & consequenter nequit habere rationem finis; Anteced. prob. quia medium ut medium solum habet bonitatem utilitatis; quae non est ratio volendi propter se, sed propter aliud. Tum 3. quia Deus non vult unam creaturam propter aliam, nam nulla creatura respectu Dei est ratio volendi aliam, sed solum a divina bonitate

moveretur, tanquam ab ultimo fine, ergo in nobis finis ultimus praecise habebit rationem finis, coetera vero rationem medii.

Resp. ad 1. Arist. ibi definit finem, quod sit id, cuius gratia, quae definitio convenit fini in communi, cum vero inferius addit, omnia propter ipsum, vel loquitur tunc de fine ultimo, vel ly omnia supponit pro omnibus mediis ad illum finem ordinatis in illa serie. Ad 2. dicimus, antecedens cum probatione esse verum reduplicative, non specificative, eadem enim bonitas potest esse in se honesta, vel delectabilis, & cum hoc alteri utilis, ideoque potest esse ratio propter se volendi, ut delectabilis, vel honesta, & propter aliud, ut utilis, exemplum est de specie subalterna, quae respectu diversorum est simul genus, & species. Ad 3. dicimus, nullam creaturam respectu Dei habere rationem finis, quia non se habet ut obiectum motivum, sed terminativum, ad recte potest dici, Deum velle unum esse propter aliud, & quia vult illud, ita ut iste ordo sit inter ipsas creaturas, non ex parte divinae volitionis; at in nobis, quia se habent ut obiectiva motiva, possunt habere rationem finis; aliter quia omnes creaturae sunt ad Deum ordinabiles, nulla in nobis posset habere rationem finis, si idem cum bonitate honestatis non possit simul habere rationem utilitatis, & ordinabilitatis ad aliud. Posset quoque contra istam conclusionem, argui rationibus illis, quibus Valsq. part. 2. disp. 51. probat, actum imperatorem non fumere bonitatem ex proprio obiecto, & actu imperante; sed id pertinet ad tract. de actibus humanis.

ARTICULUS II.

An bonitas sit ratio constitutiva finis in esse finis.

166 Cum ad rationem causae duo requirantur, primum sit virtus, actus primus, seu fundamentum causationis, secundum sit actus secundus, & causatio actualis, per quam actu causa, & formaliter dicitur, & ad effectum refertur; antequam examinemus, an finis habeat rationem verae causae realis, oportet prius inquirere, quomodo haec duo conveniant fini; & primo, per quid finis constituitur in esse finis tanquam per actum primum, & rationem fundamentalem fundandi relationem causalitatis actualis, & quia finis sit finis, habet movere appetitum, vel rationalem, & liberum, vel naturalem (ut dicemus infra) ad sui prosecutionem, & amorem, & inter appetitum nobis notior sit rationalis creatus, & maxime humanus; idcirco de fine in ordine ad nostram voluntatem loquemur, nam inde facile erit percipere ex dicendis infra, quomodo in ordine ad coeteros appetitus constituitur finis in esse finis; quapropter sensus quaestio erit, per quid finis constituitur in ordine ad nostram voluntatem, quod est quaerere, an finis moveat voluntatem nostram per bonitatem, ita ut si hanc non haberet, nullo modo posset movere, vel appeti, an vero hac remota, possit adhuc dici finis, & appetibilis a nostra voluntate.

Sed pro clariori notitia notandum, quod cum bonum idem sit, quod conveniens, convenientia autem ex Scoto 3. dist. 15. B. est relatio fundata in terminante relationem inclinanti ad seipsum, tanquam ad extrinsecum perfectivum, potest aliquid esse conveniens alicui dupliciter, vel scilicet ratione alterius boni tantum, & non per seipsum, & hoc dicitur bonum utile, vel per se ipsum praecise, & hoc dupliciter, vel quod sit ei conveniens in ordine ad delectationem, quam tale bonum secum affert, & hoc dicitur bonum delectabile, vel absque ordine ad delectationem, sed quia per se delectans, & conveniens est, & dicitur bonum honestum, quae divisio habetur a Doct. in 4. d. 46. q. 4. A. & quia quot sunt vera bona, tot esse possunt existimatione conficta, quia in omni bonorum genere, error, & falsa existimatio contingere potest, ideo quolibet horum bonorum dividitur in verum, & apparens, quae divisio habetur a Scoto in 3. d. 33. C. & aliis in locis; bonum verum est, quod in re est tale, sicut ab intellectu representatur, apparens vero est, quod solum in existimatione est tale, & est mera fictio, & error intellectus: idcirco duplex finis dari solet, verus, & apparens; additur tamen a Scoto tertius finis in 1. d. 1. qu. 1. art. 3. & 4. qui dicitur praefixus, seu praestitutus, & est, quando obiectum praecise est a ratione ostensum sub ratione mali, at voluntas ex sua libertate praefigit sibi tanquam finem; quod non est intelligendum, quasi quod voluntas feratur in malitiam per se, & vere tendat in malum sub ratione mali, sed quod ostenso voluntati obiecto ab intellectu sub ratione mali, & ex alia parte ostensa ratione boni, vel in se, in alio obiecto, potest voluntas ex sua libertate tribuere illi obiecto malo rationem boni in alio obiecto repertam, conficiens aliquid aggregatum, sicut facit intellectus, cum concipit finem apparentem, nam obiecto est se malo applicat bonitatem in alio inherentem; & hoc vult Doct. cum litt. E. ait, Sed in frustione finis praefixi ratio finis sequitur actum, quia vel dicit modum actus, vel modum obiecti, ut talis finis praefixus actus terminat ipsum actum, quia voluntas appetendo illud propter se, tribuit sibi rationem finis; & dum in 2. dist. 43. q. 2. ubi loquens de odio Dei ostenso praecise sub ratione mali, ait, si voluntas potest istud velle, pater propositum, quia nulla est bonitas in isto actu prior ipso actu volendi; si enim assignatur aliqua bonitas propter actum volendi, hoc non est in obiecto, ut praecedat actum, sed est in ipso, ut sequitur actum volendi; quibus in locis Doct. duo dicit, & quod obiectum non habet rationem finis, sed ab actu de novo accipit, ut in 1. & quod nullam habet bonitatem, sed illam recipit ab actu, ut

in 2. signum evidens, quod pro eodem accipit finem, & bonitatem, & in sententia Doct. finis praefixus erit ille, quem praefigit sibi voluntas, tribuendo illi bonitatem, quam tamen non habere obiectum prius ostenderit intellectus: unde voluntas non tendit in istum finem sub ratione mali, ita ut malitia sit obiectum formale tendentiae voluntatis, sed sub ratione boni, non quidem ostensi ab intellectu, a quo solum sub ratione mali praestatur voluntati, sed tributi, & applicati ipsi obiecto ab ipsa voluntate ex libertate sua. Haec doctrina insinuat a P. Vulpes 2. p. disp. 59. art. 1. & est valde notanda in hac materia propter nonnullos Scottistas, ut patebit ex dicendis.

167 Insuper notandum, ut certa a dubiis separemus, quod bonum utile nullo modo potest habere rationem finis, reduplicative loquendo, ratio est, quia illud bonum habet rationem finis, quod potest allicere voluntatem ad sui dilectionem propter se, absque ordine ad aliud, quia finis ut finis amatur propter se; medium ut medium amatur propter aliud, ille terminat actum intentionis, istud actum electionis, at bonum utile ideo amatur, quia alteri inservit ut medium, ergo medium ut medium non potest esse finis, nec bonum utile potest constituere finem in ratione finis. Non sic bonum honestum, & delectabile, nam faciunt, ut obiecta propter se amentur, ita docet Doct. in 4. d. 46. q. 4. A. ubi bonum utile non ponit ut distinctum a delectabili, & honesto. Solum ergo potest dubitari, an quocunque bonum honestum, & delectabile, sive verum, sive apparens, vel praefixum possit habere rationem finis, id est allicere, seu terminare actum volitionis propter se, an vero non solum haec bona, verum etiam mala sub ratione mali, & indifferentia sub ratione indifferentis possint esse obiecta actus intentionis, ita ut voluntas possit illa propter se appetere. Praecidimus tamen modo ab illa, an scilicet bonitas sit ratio formalis motiva voluntatis, vel conditio sine qua non; ut videtur docere Scot. 3. dist. 15. sup. C. sufficit nobis, si bonum aliquo modo requiratur ad terminandum volitionem voluntatis.

168 Prima opinio. Nominalium asserit, rationem constitutivam finem in esse finis non esse solum bonitatem, sed malitiam, & indifferentiam, ita ut voluntas possit velle aliquid obiectum propter se, non solum quia bonum, sed adhuc quia malum, vel indifferens, & propter illud operari; quae sententia tribuitur Scot. in 1. d. 1. q. 1. art. 3. & 4. & quaest. 4. ad argum. pro opin. & 2. d. 43. q. 2. quibus in locis asserit, posse voluntatem velle malum sub ratione mali, & sic defenditur a P. Fabro 1. disput. 13. c. 7. & de Penit. disp. 9. cap. 8. Iubar. tract. de Actib. hum. disput. 11. sect. 1. Sghemma 2. Phyc. digress. 11. quaest. 2.

Communis tamen opinio asserit, solum bonum sub ratione boni esse finem in ordinem ad voluntatem, sive hoc bonum sit verum, sive apparens, ita omnes Recentiores, & ex Scottistis sequuntur Lych. 2. d. 43. qu. 1. §. Dicit ergo Doct. & Cavellus de Anim. disp. 2. sect. 2. & disp. 3. sect. 12. Addit Vulpes, non solum bonum verum, & apparens, sed etiam bonum praefixum posse habere rationem finis.

Dicimus 1. solum bonum, posse esse finem voluntatis terminantem volitionem propter se, non malum, vel indifferens. Concl. docetur a Scoto quol. 16. Et & 2. dist. 43. quaest. 1. D. & d. 6. q. 2. M. & N. & 4. dist. 49. q. 10. E. & F. dist. 50. qu. 2. & 3. dist. 33. C. & 2. d. 23. A. & D. immo in 1. dist. 1. quaest. 1. art. 3. & 4. & in 2. dist. 43. quaest. 2. quae loca ab aliis Scottistis adducuntur pro opposita sententia, clare tamen se explicat Doct. pro eodem enim accipit finem, & bonum, atque in illo obiecto ostenso sub ratione mali ab intellectu repertis bonitatem non praecedentem actum voluntatis, ergo per Scotum etiam in obiecto ostenso sub ratione mali ratio terminandi volitionem voluntatis erit bonitas obiecti accepta ab ipsa voluntate, non malitia, vel indifferentia, probatur autem autoritatibus SS ut Anselm. de lib. arb. & Dion. de divin. nom. Arist. 1. Eth. dicentium saepe, Nemo aspiciens ad malum operatur, & bonum est, quod omnia appetunt, immo 2. Phys. 31. ait Aristot. finem, & bonum converti inter se; quas autoritates varie extorquent Adversarii, ideo rationibus probatur; sicut se habet intellectus ad verum, & falsum quoad assensum, & dissentium, ita voluntas ad bonum, & malum quoad velle, & nolle; sed non potest falsum ut falsum esse obiectum assensus, ergo nec malum, ut malum obiectum volitionis. Nec valet disparitas ab aliquibus assignata, scilicet quod voluntas est potentia libera, ideo potest in utrumque, at intellectus est potentia naturalis: non valet, quia libertas non facit, quod obiectum disconveniens sit conveniens, sed solum quod libere ponatur actus, ut possit non poni, ut saepe Scotus cit. docet, sic voluntas ita vult bonum, ut possit non velle, non tamen nolle.

169 Secundo impossibile est, potentiam elicere actum circa obiectum, quod nequit esse obiectum illius actus, sed malum ut malum non potest esse obiectum volitionis, ergo &c. Minor probatur, quia quod est volibile, est appetibile, hoc enim est appetere, ac velle, & e contra, quod est appetibile, est bonum, & conveniens, quia haec causalitas est vera, ideo aliquid appetitur, quia bonum, & perfectum, & abhorretur audire, malum ut malum esse appetibile. Tum quia sicut negatio utilitatis facit, ut obiectum aliquod ut inutile cognitum nequeat esse obiectum relectionis, non enim potest quis eligere aliquid medium, quod non solum non inservire sciat, verum etiam impedire finem, quem efficaciter desiderat, nam talis electio esset intentionis finis contraria, ergo multo magis negatio bonitatis

honestae, vel delectabilis faciet, ut obiectum taliter cognitum nequeat esse proportionatum volitioni, & amori. Patet consequentia, quia plus requiritur ad obiectum intentionis, quam electionis. Tum quia voluntas est essentialiter appetitus, sed appetitus fertur in conveniens, consequenter in bonum, quia malum ut sic est disconveniens, & destructivum. Tum quia abstractior actus quem Scot. asserit ex sua libertate voluntatem posse elicere, est actus ille neuter ab eo positus in 1. dist. 1. q. 3. sed Scot. vult ibidem, quod obiectum talis actus proponat voluntati sub ratione boni, praecidendo ab illis relationibus propter se & propter aliud, ergo non potest dari actus ita per intellectum abstractus a ratione boni, & mali, & quod in obiectum illius voluntas tendere possit.

Respondet, haec omnia probare, non posse malum ut sic esse obiectum amoris concupiscentiae, & propter aliud amatum, non tamen probare, quod non possit esse obiectum amoris amicitiae, & propter se volitum irreferibiliter ad aliud, si praecipiatur ab intellectu, ut disconveniens praecise in se, non considerando periculum imminens alicui.

Sed contra, quia probatum est, malum ut sic esse obiectum improprietatum amoris absolute, nam volibile amore amicitiae est appetibile, implicat autem, malum esse in se appetibile, & propter se. Tum quia malum habet duo, malitiam formalem, quae est negatio, & entitatem substratam; malitia non potest esse appetibilis, cum sit nihil, neque entitas, ut tali negationi subjacet, quia ridiculum est dicere, quod ad hoc ut ens voluntatem moveat, ipsum nihil sit conditio necessarii requisita. Tum quia quod est volibile in se, potest esse alteri volibile, & si non ut medium, saltem ut quid conveniens illi, unde diximus art. praeced. finem cuius, & finem cui integrare unum finem, ergo si malum non potest esse obiectum volitionis propter aliud, neque volitionis propter se simpliciter. Tum quia quilibet potentia in actu, quos potest elicere, naturaliter inclinatur, ut in proprias perfectiones, & consequenter in obiecta illorum actuum, a quibus actus specificantur; implicat enim, quod actus sit conveniens potentiae, & obiectum illius actus disconveniens, ergo si voluntas possit elicere amorem respectu mali ut sic, haberet naturalem inclinationem ad malum ut sic, & consequenter naturaliter inordinata esset creata a Deo, quod est falsum; & dicendum esset, quod malum haberet convenientiam, & consequenter non esset malum, quod de sua ratione formalis est disconveniens.

170 Dicimus 2. hoc bonum, quod motivum ponitur voluntatis, non esse dumtaxat verum, sed etiam apparens; & probabile esse in sententia Doct. bonum praefixum quoque habere rationem finis. Concl. quoad bonum verum, & apparens est Aristot. 2. Phys. 31. & Doct. in 3. d. 33. C. & d. 37. C. & D. & 2. d. 23. & fere in omnibus locis cit. in praeced. concl. & quotidiana experientia demonstrat; movetur enim non solum a bono in se vero, & tamen cognito, verum etiam a bono apparenti, eo quia perinde se habet in apprehensione, ac si esset verum bonum. Quod dicitur etiam finis praefixus in sententia Doct. clare habetur in 1. d. 1. q. 1. art. 3. & q. 4. & 2. d. 43. q. 2. quod dicitur praecipue fundamentum habet in libertate voluntatis. Diximus, probabile esse, quia in his locis, & in 2. d. 6. q. 2. M. dubitative videtur loqui, & aliis in locis cit. praecipue in 4. d. 49. q. 10. & quol. 16. supra cit. absolute ait, voluntatem circa actum miseriam non posse habere actum volitionis, nec circa beatitudinem actum volitionis, & in 2. d. 23. solum de bono vero, & apparenti, tanquam de obiecto adequato voluntatis mentionem fecit: unde videtur in hac re problematicus, sed magis inclinat in sententiam illam, ponentem bonum verum, & apparens praecise tanquam finem, & obiectum voluntatis.

Sed contra arguunt 1. Tum quia Scot. asserit locis cit. posse voluntatem velle malum sub ratione mali. Tum 2. quia eadem est potentia contrariorum, sicut eadem potentia visiva verfatam circa album, & nigrum, ergo eadem voluntas circa bonum, & malum. Tum 3. quia voluntas saltem per nolle tendit in malum, ergo malum continetur sub obiecto adequato voluntatis. Tum 4. quia voluntas non semper movetur a fine ad obtinendum aliquid, sed etiam ad vitandum aliquid, sed ad hoc movetur a fine ratione malitiae, ergo malum potest habere rationem finis. Tum 5. quia multi odio habent inimicum, quod est velle illi malum sub ratione mali; alii inferunt sibi mortem ex odio vitae, est cognoscant, mortem esse malum; unde inquit Doct. 4. dist. 50. qu. 2. damnatos appetere non esse, in quo nulla ratio boni potest apparere.

171 Resp. ad 1. Scotum in hoc esse problematicum, neque dicere, voluntatem tendere in malum sub ratione mali, quaerens reduplicative tendentiam, & terminationis actus voluntatis in obiecto, haec enim semper est bonitas, vel apprehensa, vel praefixa, sed ut specificat rationem ostensionis obiecti ab intellectu, ut dicemus. Ad 2. vel contraria in ordine ad potentiam sunt convenientia natura illius, & sic convenienter sub ratione universalis obiectiva illius potentiae, quae positive, & per modum prosecutionis tendit in illa, unde respectu potentiae non se habent ut formaliter contraria, sed materialiter, ut sunt album, & nigrum respectu visus; vel se habent, ut se formaliter opposita respectu potentiae, quia unum est ei conveniens, alterum disconveniens, & ista non respiciuntur a potentia per actum prosecutionis, sed unum tantum, scilicet conveniens, & disconveniens, vero per modum fugae, sic se habent verum, & falsum respectu intellectus, bonum, & malum respectu voluntatis. Ad 3. tantum sequi, malum esse materialiter sub obiecto voluntatis, quia omne nolle

præsupponit velle ex Scot. 2. dist. 6. quæst. 2. ideo enim nolumus malum, quia amamus bonum, vel illud, cui malum disconvenit, hinc nunquam potest habere rationem finis. Ad 4. per idem, motivum enim non est malum, quod se habet ut terminus, a quo potentia recedit, sed bonum, ad quod per fugam mali accedit, virtute cuius boni voluntas movetur. Ad 5. in odio inimici concipitur aliqua ratio boni, quatenus depresso ipsius est utilis nobis, cum impotens reddatur ad nocendum nobis; sic etiam mors, & non esse, concipiuntur ut bona, non simpliciter, sed ut fines sunt miseriarum; & si aliquis, ut exerceret suam libertatem, veller malum, ut sic motivum ipsius esset libertatis exercitium, quod ut bonum apprehenderetur.

Secundo ad idem; apprehendat aliquis intellectus odium Dei, nec erret in illa apprehensione, sed ostendat voluntati sub ratione mali, vel voluntas possit illud velle, & habetur intentum, vel non, ergo non esset libera; & simpliciter non possit velle odium Dei, nisi prius intellectus sit excecatus, ostendens odium Dei ut bonum, quod est falsum, quia excecatio non præcedit actum pravum, sed potius est effectus illius: tum quia non daretur peccatum ex certa malitia, quod tunc est, quando voluntas peccat, non propter ignorantiam, aut ex passione, sed ex propria pravitare, quale putatur fuisse peccatum Angelii, & primi hominis: quæ rationes tanguntur a Scot. 2. d. 43. qu. 2.

172 Resp. dato casu voluntas non possit velle odium Dei, non tamen necessario ipsum fugit, quia licet non sit libera circa odium libertate contrarietatis, & specificationis, est libera libertate exercitii, & contradictionis ad nolle, & non nolle, ut Scot. docet quod. cit. & 4. d. 49. q. 10. concedimus quoque odium Dei non esse volubile, nisi prius intellectus ostendat esse bonum, considerando Deum, non in se, sed ut author est iustitiz, & ultionis, qui error non necessario præcedit culpam, sed subsequitur. Tandem daretur in peccatum ex malitia, ut docet Doctor 2. dist. 22. & d. 43. quæst. 2. quando quis sciens, nec passione incitatus vult objectum, quod novit esse malum, sub ratione boni utilis, vel delectabilis contra legem Dei, quo casu non errat intellectus, quia ratio delectabilis, vel utilis vere reperitur in objecto. Vel 2. responderi potest iuxta aliam viam, concedendo, posse voluntatem eligere odium Dei, præsendo illud sibi tanquam finem ultimum, quo sensu vere daretur peccatum ex malitia in voluntate.

Sed contra istam secundam respon. potest instari. Tum quia voluntas ferretur in incognitum, nam hoc totum aggregatum, scilicet odium Dei bonum non ostenditur ab intellectu. Tum quia fingeret tunc voluntas quomodo intellectus, cum facit chimeram, & sic posset efficere ens rationis formale, contra Doctorem sepe sæpius asserentem, voluntatem in objecto delinquere dumtaxat denominationem voliti, quæ accedente in intellectu fit ens rationis formale.

Resp. bonum præfixum est cognitum, non ut quid aggregatum, sed secundum partes, videlicet intellectus cognoscit rem malam, & cognoscit bonitatem in se, non in illo objecto; quibus actibus non fingit, sed potest voluntas postea applicare bonitatem illi objecto, & formare ens fictum, iuxta illud Poetæ. *Video meliora, proboque, Avariura sequor*; sic Doctor 2. d. 6. q. 1. ad 3. ait, quod quis cognoscens albedinem, & corvum, potest velle albedinem corvo. Ad 2. dicimus, quando Scotus negavit, voluntatem electricam esse entis rationis formalis, non locutus est de actibus fingeribus, sed de actibus terminatis ad objecta prius cognita, quibus solum denominationes extrinsecas relinquit, non fingit, & voluntatem quoque posse ens rationis efficere, nam diximus disp. 3. Log. quæst. 4. art. 1. Vel locutus est de ente rationis stricte, quo sensu est id, quod provenit a potentia rationali, scilicet intellectu, ut explicat in 1. d. 45. q. 2. ad argum.

173 Tertio adhuc instatur. Tum quia in natura datur bonum, malum, & indifferentes, ergo omnia ista possunt esse volita, secus essent plura entia, quam volibilia. Tum 2. quia voluntas creata potest tendere in objecta sub ratione, sub qua nequit divina voluntas, ergo sub ratione mali, quia omne bonum est a divina voluntate volitum. Tum 3. quia dantur fines boni, mali, & indifferentes, ut si quis velit adire forum, ut occidat, erit ob finem malum, si ut sublevet miseriam alicujus, ob finem bonum, si recreationis causa, vel nihil intendens, ob indifferentem, ergo non solum bonitas constituit finem in esse finis, sed etiam malitia, & indifferentia. Tum 4. quia inferre malum alteri, & velle sibi bonum sunt realiter distincta, ergo potest unum esse volitum absque altero. Tum 5. quia si malum non potest esse volitum; maxime, quia necessario habet in se aliquid, cui repugnat illud velle, quod erit actuale nolle; sed nullum nolle necessario inest voluntati, ergo quando actu non habet nolle malum, potest habere velle. Si dicas cum Scoto 4. d. 49. q. 10. hoc esse, quia velle ad malum terminatum repugnat, quia non est objectum possibile istius actus, sicut videre sonum implicat. Contra ait Iribar, exemplum non valere, quia sonus nullo modo potest esse objectum convenientis visus, ad malum potest esse volitum, ut cum cognoscens malum delectabile, vult totum illud. Tum 6. quia ratio, propter quam voluntas non vult malum ut sic, est, quia intellectus concipit illud, ut sibi disconveniens, ergo si præconcipiat illud ut in se malum præcise, poterit illud velle, dicendo, volo esse in retum natura malum, & disconveniens. Tandem instatur de bono apparenti, quia bonum apparet ens rationis, & nihil a parte rei, ergo non potest realiter movere voluntatem, vel si potest, etiam malum, quamvis sit nihil, esse poterit finis movens voluntatem.

174 Respon. ad 1. reduplicative loquendo solum bonum est volitum, nec est in rerum natura ens, quod nullam bonitatis rationem habeat, & ideo omnia facta sunt volibilia, licet non ut mala, vel indifferentia. Ad 2. resp. Doctor in 2. d. 23. A. & d. 43. q. 2. quod voluntas divina, & creata habet idem objectum, sed non respectu cuiuscunque actus, nam bonum apparet est objectum fugæ respectu voluntatis divinae, sed potest esse objectum professionis respectu voluntatis create: tum quia idem bonum potest ordinari velle voluntas divina, creata vero inordinate, quia deordinatio non sumitur solum ex parte objecti, sed ex parte actus, & aliarum circumstantiarum. Ad 3. dicimus, divisionem illam esse in genere moris, non in genere naturæ, in quo omnis finis est bonus, sed si est iuxta rectum dictamen rationis, erit bonus moraliter, si contra dictamen, malus moraliter, si nec iuxta, nec contra dictamen præcipiens, aut consulens, sed solum permittens, erit indifferens moraliter. Ad 4. si non referatur ut bonum ad seipsum, saltem in illo malo alteri concipitur aliqua ratio delectabilis, secus nullo modo potest esse volitum. Ad 5. resp. cum Doctore ibi, & quod. 16. cit. rationem implicat: esse ipsam potentiam, quæ respicit malum ut objectum inproportionatum volitionis; cum impugnat, dicimus, voluntatem non velle illud totum sub ratione boni, & mali, sed sub ratione boni, per accidens deinde, & subsequenter dicitur velle illud malum. Ad 6. etiam ut sic præcise consideratum est inproportionatum objectum volitionis, ut diximus in concl. Ad ultimum dicimus, bonum apparet dupliciter considerari, vel ut dicit aggregatum illud, & hoc est ens rationis aliquando; vel ut dicit rationem motivam, & hæc semper est bonitas vera, & realis, quia fictio consistit in illa falsa applicatione realis bonitatis illi rei, ut patet in exemplo adducto de albedine, & corvo a Doctore: de hac re vide iterum disp. 7. de An. q. 5. & 6. ubi rursus hæc sent. firmatur.

Quarto tandem objicitur contra 2. conclus. quod bonitas præfixa non sufficiat ad exercendam causalitatem finis in actu primo, quia finis ante actum voluntatis debet habere virtutem, quæ possit movere voluntatem, & excitare ad talem actum, sicut universaliter loquendo objectum est prius actu in ipsum tendente, cum sit causa ipsius p. de Anim. 23. cum ergo bonitas præfixa sequatur actum voluntatis, non poterit circa ipsum præfixam exercere causalitatem. Tum 2. quia bonitas exercens causalitatem finis debet esse apprehensa; nam talis apprehensio est ad minus conditio necessaria requisita, ut moveat voluntatem, sed bonitas præfixa non supponitur apprehensa ab intellectu, qui potius proponit objectum sub ratione mali, ergo, &c. Tum 3. quia bonitas præfixa non apprehenditur ab intellectu, nisi facta prius a voluntate applicatione illa boni ad malum, ergo saltem nequit exercere causalitatem finis respectu istius actus, quo præfigitur. Tum 4. non apparet, quia ratione possit voluntas habere pro bono illud, quod non ostenditur illi ab intellectu esse bonum, nec quomodo possit tribuere bonitatem illi, quod cognoscit esse malum, & cuius malitiam auferre non est in manu sua. Tum tandem per hoc, quod voluntas velit aliquid esse bonum, quod non est bonum, nec concipitur ab intellectu, ut bonum, non sequitur, quod illud sit bonum, ut manifestum est, ergo per hoc, quod voluntas applicat bonitatem malo apprehenso, non sequitur, quod illud malum sit bonum, & sic re vera moveret sub ratione mali, quod est contra 1. conclusionem.

Resp. ad 1. bonitatem præfixam re vera nec antecederet, nec sequi actum voluntatis, quo præfigitur, sed comitari ipsum, & esse simul cum ipso, quod sufficit in objecto terminativo, ut de ente rationis diximus disp. 7. Log. respectu intellectus, & hoc satis est, ut possit præfixa bonitas causalitatem finis exercere circa talem actum; vel sicut ibi in intellectu in ordine ad ens rationis duplicem assignavimus cognitionem, unam directam, qua fingitur ens rationis, alteram reflexam, qua cognoscitur fictum, & factum, & hanc præcedit, sic pariter in voluntate duplicem possumus assignare actum in ordine ad bonum præfixum, unum directum, quo suo modo fingitur ab ipsa applicando bonitatem, ubi non est; alterum reflexum, quo tale bonum sibi pro fine præstituit; dato itaque, quod respectu primi actus nequeat illa bonitas causalitatem finalem exercere, poterit ad minus exercere respectu alterius. Ad 2. jam diximus, bonum præfixum esse cognitum, non ut quid aggregatum, antecedenter ad actum, sed secundum partes, quatenus intellectus apprehendit hinc malum, illinc bonitatem in se, & non in illo objecto, & voluntas ex sua libertate hanc applicat illi, formando suo modo ens fictum, & talis apprehensio sufficit, ut possit movere voluntatem; potest etiam totum aggregatum post præfixam applicationem a voluntate factam apprehendi, & sic voluntatem movere, in quo casu intellectus non erraret, nec fingeret, sed objectum a voluntate fictum ostenderet. Ad 3. patet per idem, quia se junctim quoad partes potest bonum præfixum ab intellectu apprehendi ante applicationem factam a voluntate, quod sufficit, ut possit finalizare respectu ejusdem actus, quo præfigitur: conjunctim vero quoad totum aggregatum apprehenditur post applicationem a voluntate factam, & sic etiam movere potest voluntatem ad alium actum sequentem, quo acceptetur ut bonum: Ad 4. satis explicatum est ab initio articuli, quo pacto id contingere possit ex mera libertate, & malitia voluntatis. Ad ult. sequitur tantum ex tali applicatione facta per voluntatem illud aggregatum, nec esse bonum reale, nec apparet ab intellectu fictum; sed esse bonum præfixum a voluntate ex sua libertate sibi præstitutum in finem.

ARTICULUS III.

Explicatur causalitas finis.

175 Vidimus, quid sit constituens finem in esse finis; modo de actuali causalitate inquirimus; non est autem sermo de causalitate fundamentali, quia sic idem dicendum, quod de causa effectiva, immo de omnibus causis supra statuumus cum Scoto 2. dist. 1. quæst. 2. E. nihil scilicet novi inter causam, & causam intervenientem præter ipsum finem voluntati objectum medio intellectu, & actum, vel effectum in voluntate inde resultantem, ceterosque subordinatos effectus usque ad ultimum, sed loquimur de causalitate pro formali, per quam finis actu causare dicitur formaliter, & finalizare.

Hæc autem quod. 1. q. 8. & quod. 2. q. 1. & Perer. lib. 8. c. 3. ab Averfa cit. asserunt, finis causalitatem maxime erga media consistere in communicatione bonitatis, utilitatis, appetibilitatis, & ordinis respectu finis. Averfa q. 13. sect. 1. ait, causalitatem finis universaliter consistere in ordinatione rei ad proprium finem, quod ordinatio aliquando non distinguitur ab essentia ejusdem rei, cum essentialiter ordinem dicit ad finem, at quando talem ordinem non habet, distinguitur, & dicit vel actionem, & actionis continuationem, qua sit res propter finem, & continuatur, connotando in agentibus voluntatis actum appetitus, vel significabit (præcipue quando una res a Deo ad aliam ordinatur) modum quandam positum distinctum a rebus, & ab actione, quo proprie res esse propter aliam dicitur, sicut causalitas materiæ est modus essendi in alio, causalitas agentis modus essendi ab alio.

Cominunis opinio asserit, causalitatem finis consistere in motione agentis ad actionem; quæ motio non eodem modo explicatur, nam aliqui dicunt, esse veram, & realem, ut Franc. de Raconis quæst. de causa finali, & P. Sghemma 2. Phys. digress. 11. q. 3. Alii vero dicunt, hanc motionem esse metaphoricam; sed neque eodem modo ipsam explicant; nam quidam nil aliud esse dicunt, quam bonitatem finis allicientem voluntatem ad actum, quæ transiit tempore antecedit actionem voluntatis, ita videntur sentire Conimbr. 2. Phys. c. 7. q. 21. art. 2. & 3. Quidam, quod sit actio ipsa voluntatis, ut tendens in finem, & propter finem facta; ita Suar. disp. 23. Met. sect. 4. Ruvius 2. Phys. tr. 5. q. 3. Alii in actione cuiuslibet agentis, quatenus facta propter finem, qui est id cuius gratia, ita Conimbr. cit. & Amicus tract. 13. qu. 4. dub. 1. Tandem Fuentes 2. Phys. q. 7. dist. 3. ait, causalitatem finis esse actionem voluntatis, qua eligit media, vel imperat potentis inferioribus, si fundamentaliter sumatur, at si formaliter, dicit relationem realem in fine fundatam, si finis realiter existit, vel intentionalem, si non existit.

176 Dicimus 1. causalitatem finis non consistere in communicatione appetibilitatis, utilitatis, & bonitatis mediis, neque in ordinatione rei ad proprium finem, sed in motione agentis ad agendum, est Scoti qu. 4. Prol. §. *Contra istam positionem, &c.* & 1. d. 2. q. 2. S. & d. 8. qu. 5. *Contra istam opinionem, &c.* & d. 1. quæst. 5. §. *Ad argumenta, &c.* & 2. d. 25. B. Prima pars, quod non consistat in illa communicatione, probatur. Tum quia non est universalis, cum respectu aliorum a mediis, finis dicitur causa, ut dicitur art. 7. Tum quia antequam finis actu causet, quod tunc est, cum agens agit propter ipsum assequendum, media habent aliam utilitatem, & appetibilitatem. Tum quia hæc communicatio nequit intelligi, nam si est sermo de reali communicatione, itant media a fine omnia illa habeant, non ab alio, hoc est falsum, quia pertinet ad genus efficientis causæ, non finalis; & etiam quia finis ut causa non existit, ergo se solo non potest tribuere alicui aliquid esse actuale reale; vel explicatur, eo quia media intantum appetuntur, & ordinantur secundum bonitatem, & idoneitatem, quam habent, in quantum finis appetitur, & desideratur, & hoc est verum, sed non explicat distincte causalitatem finis, neque recte communicatio appellatur, sed potius appetitio propter aliud.

177 Secunda pars, quod non dicat illam ordinationem, probatur; Tum quia causalitas ex dictis superioribus de causalitibus aliarum causarum non est in re causata, sed in ipsa causa, at ordinatio ista est in rebus, qui effectus finalis causæ dicuntur, non in fine. Tum quia finis cuius v. g. domus, ut est in re, dicitur effectus, ut est in mente, dicitur causa finalis, domus autem in re nullam ordinationem dicit ad seipsam, ut in mente, quamvis fini cui ordinetur. Tum quia causa finalis non dicitur aliquid causare actu, nisi cum efficiens actu simul operatur; est enim id, cuius gratia aliquid fit, at media, ut medicamenta, etiam ab agente actu non assumantur ad affectionem finis, habent istam ordinabilitatem ex propria natura, potentia ad actum ordinantur, etiam si non operentur, domus ad habitandum, quamvis nemo in illa permaneat, ergo finis tunc actu dicitur causare, & si nullum agens agat, quia causalitas in actu denominat causam in actu. Neque dicas, ordinationem actualem, non vero aptitudinalem esse causalitatem finis. Nam sic nulla ordinatio esset in creatis essentia rerum, ut ait Averfa, quia actualis ordinatio est accidens, accidit enim medicinæ, quod assumatur actu propter sanitatem. Tandem quia modus ille essendi propter aliud est impossibilis, nam quilibet modus debet esse causatus per efficientiam, vel resultantiam, aut emanationem, si non ut Quod, saltem ut Quo, quia omnis entitas creata etiam modalis est ab alio, non a se, iste modus non est ab efficiente, quia non est ejus causalitas, nec a materia, vel forma propter eandem rationem, neque a fine, quia tæpe non est, & ab eo, quod non est

existit, nequit realiter emanare, vel resultare aliquid reale; tum etiam quia hæc emanatio ad genus causæ efficientis reduci potest, unde quilibet finis esset efficiens.

178 Tertia pars, quod in motione consistat, patet ex Aristot. 1. de Gen. 55. ubi ait, causam unde principium motus existit, id est efficientem, activam esse, non ita eam, cuius gratia cætera fiunt, id est finalem; quæ non est activa nisi per translationem; idem confirmat commune proloquium, finem scilicet movere agens ad agendum, causare ut amatum, & desideratum, & magis explicabitur in sequenti conclusi.

179 Sed contra instatur; Tum quia secundum Doctorem 4. d. 46. q. 4. A. media ex seipsis non habent aliquam bonitatem, sed istam a fine, ad quem ordinantur, accipiunt, unde bonum utile non est quid a bono delectabili, & honesto distinctum, ergo finis vere mediis communicat bonitatem. Tum quia sunt quedam res, quæ essentialiter sunt ordinatæ ad alias, hoc est sunt propter alias, non solum in fieri, sed etiam in conservari, & in facto esse, sic actus essentialiter ordinatur ad objectum, potentia ad actum, materia ad formas, ut ad fines, ergo si ordinari ad aliud est esse propter illud, recte causalitas finis in tali ordinatione constituitur: immo Scot. ipse 1. d. 1. q. 5. §. *Ad argumenta, &c.* explicans, quomodo Deus agat propter finem, ait, hoc esse, quia omnia finibilia, qualia sunt omnia ordinabilia ad aliud, ordinat ad seipsum.

Resp. ad 1. ideo a Doctore bonum utile non recenseretur ut bonum distinctum; quia non movet appetitum ad se, & propter se, sed finis est, qui movet appetitum ad illa media, unde loquitur de bono, quod per se movet appetitum; non per hoc tamen sequitur utilitatem, & convenientiam in medio esse a fine, sicut loc. cit. in lib. de Anim. Ad secundum dicimus ex Scot. 4. d. 49. q. 8. F. quod etiam tangit q. 1. Prol. supra D. finem esse duplicem, vel qui est causa finalis, vel qui est ultima perfectio, ad quam res ordinatur, primo modo accipitur pro eo, propter quod ut amatum aliquid fit, secundo modo fit per se non pro causa, sed propter ultima perfectione perficente rem; quæ perfectio non semper habet rationem finis, nisi quatenus intenditur ab agente; ad propositum ordinatio potentia ad actum, actus ad objectum, &c. est ad finem secundo modo, non primo modo. Vel expeditius dicendum, etiam si illæ sint ordinatæ ad alia, ut ad finem, non ideo causalitas finis in tali ordinatione consistit, quia se tenet ex parte effectuum, & finibilia, non ex parte finis, & per hoc patet ad Scotum.

180 Dicimus 2. motionem hanc finis allicientis, trahentisque agens ad agendum non poni in actu secundo, nisi quando agens ipsum in actu secundo physice movetur, & quando sic ponitur in re non esse aliquid reale distinctum ab ipsa actione agentis, sed eandem esse; ut in gratiam ipsius factam, formaliter vero dicere imputationem illam, qua in genere moris effectus ipsi fini imputatur, unde non est equitas realis, sive absolutæ, sive relativæ, sed potius moralis, recteque metaphorica appellata. Concl. plures habet partes, quæ simul explicandæ, & probandæ erunt. Primo igitur, quod finis non moveat actu, antequam agens agat, est Scoti 1. d. 2. q. 2. S. ubi clare sentit, non esse in actu motionem causæ finalis, donec agens moveatur appetendo finem, unde ait, finem movere efficiens, esse efficiens amare finem, ecce quod motio finis non præcedit tempore causationem agentis, & quod nec etiam natura antecedit, habetur in 2. d. 37. V. ubi docet Doctor, omnes causas simul causare effectum, non unam prius altera; & probatur. Tum quia, ut ait Doct. cit. in 2. implicat, dari aliquid causatum in uno genere & non in alio, si in illo natum est dependere, ut non possit esse aliquid materiaturum, & non effectum, etiam in priori naturæ, ergo implicat, finem esse in actu secundo, & causare, non vero efficiens. Tum quia antequam agens agat, nihil de novo intelligitur causatum in quocumque genere, ergo finis non causat prius agente, quia causa in actu est simul cum effectui in actu 2. Phys. 27. quia sunt relativa. Antecedens patet, quia omne ens creatum debet esse efficiens causatum; cum non sit a se, ergo omne tale præsupponit causam agentem. Tum quia finis dicitur causa, quia agens propter ipsum agit, ergo non præcedit ipsius actionem. Tum quia ante actionem agentis non præsupponitur nisi finis ut cognitus, quo modo habet rationem actus primi, & ut debite approximatus, non autem est in actu secundo. Hinc non recte Ruvius cit. ait, actionem agentis, ut est causalitas finis, priorem esse seipsa, ut est causalitas agentis, quia etiam in illo instanti naturæ actio non intelligitur esse a se, sed ab agente; tum quia essentialior est dependentia actionis ab agente, a quo est, & in quo fundatur, quam a fine, a quo solum extrinsece dependet.

181 Secundo, quod quando actu movet, non sit aliquid reale distinctum ab actione agentis, est Scoti in 1. cit. & locis omnibus in præcedenti concl. allegatis. Et probatur, quia non est aliquid in fine, nam finis cognitus non habet esse reale existens, ergo non potest fundare aliquid reale in actu, non enim sufficit illud esse reale potentiale, & objectivum; quia ad fundandum aliquid reale in actu, requiritur, ut fundamentum actualiter existat, ne fundatum sit magis ens suo fundamento. Nec valet dicere cum Fuentes saltem finem realiter existentem, posse fundare relationem realem; non valet, quia finis sive existens, sive non existens non causat, nisi ut habet esse cognitum, ut dicitur in seq. art. sed ut sic nullum esse reale actuale habet in intellectu, ergo ut sic non potest esse fundamentum relationis realis. Neque istud esse reale novum potest esse in agente, vel in effectui, quia ut ait Doct. in 2. dist. 25. B. tunc finis efficiens moveret

quia produceret aliquid reale in rerum natura; & consequenter deberet alium finem habere, quia omne per se agens agit propter finem. Tum quia sicut finis ex eo, quod non habet esse reale actuale, non potest in se causare aliquid reale actuale, ita neque in alio, nemo enim dat, quod non habet, ut fufius diximus quæst. 4. art. 1. loquendo de causa efficiente, non ergo motio ista finis dici debet realis, ut ab actione agentis distinguitur, sed metaphorica, ut ait Aristot. 1. de Gen. 55. & Doctor saepe cit. quia movet in ratione allicientis, & trahens moraliter ad sui affectionem ex similitudine, qua magnes trahit ferrum, & succinum paleas: qua ratione effectus, immo actio ipsius agentis imputatur fini, sicut effectus a causa physica productus imputatur consulenti quæ non est causa physica, nec realem causalitatem in se fundat, sed solum denominationem illam extrinsecam, per quam effectus ipsi imputatur, ac si physice ab illa efficienter proveniret; & realiter non aliam causalitatem dicit, nisi illammet causam efficientis physice, quæ est actio realis; pariformiter de fine dicendum, quod cum moraliter solum moveat agens, & metaphorice ad agendum in ratione non consulenti, sed allicientis ad sui affectionem, hæc motio a parte rei, & materialiter erit eadem actio agentis non casu, sed propter finem ab ipso intentum, formaliter vero dicitur illam imputationem, & extrinsecam denominationem, quatenus finis terminat habitudinem actionis, vel effectus propter ipsum producti ab agente, quæ terminatio, & extrinsecam denominationem accedente opere intellectus fit ens rationis formale. Quomodo autem hæc motio metaphorica in rationibus agentibus propter finem reperitur, dicemus infra art. 6.

182 Ex his haberi potest non recte explicari causalitatem finis. Jo. de S. Thom. q. 3. Phys. art. 2. & Manca 2. Phys. q. 9. dub. 4. dum asserunt, causalitatem finis consistere in primo amore finis: non quidem ut est a voluntate elicitus, nam ut sic respicit agens, & est effectus finis, sed ut respicit obiectum appetibile, respectu cuius dicitur pondus appetibilis ab ipso spiritum in appetitu, & voluntate juxta illud August. *amor meus pondus meum, eo feror, quocumque feror*, ut sic enim inquit, est causalitas ipsius cum seipso realiter identificata. Hic modus non satis explicat, tum quia confundit effectum cum causalitate, nam ideo aliquid dicitur effectus causæ finalis, quia respicit finem, ut id cuius gratia, ergo amor ut passive pendens a fine non est causalitas, sed effectus finis, tum quia implicat dari causalitatem causæ in actu sine effectu, sed potest esse amor finis sine electione mediorum, quæ ponitur effectus finis; ergo causalitas finis saltem in ordine ad electionem non erit amor ejusdem, & tandem quia, ut saepe dicimus, causalitas non debet attendi ex parte effectus, & in effectu, sed in causa.

183 Sed contra objicitur 1. quod causalitas finis præcedat causalitatem, & actionem agentis; Tum quia clare habetur a Scoto 1. d. 2. S. ubi ait, causalitatem finis esse omnium primam saltem prioritate naturæ. Tum 2. quia bonitas finis apprehensa, statim ac voluntati representatur, excitat illam ad agendum, voluntas autem, quia libera est, potest suspendere actum; ergo hæc motio finis distincta est ab actione voluntatis. Tum 3. quia hæc causalitas est vera, quia finis movet, ideo agens agit; ergo motio antecedit actionem.

184 Resp. ad 1. Doctorem intelligi eo modo, quo se explicat in 2. d. 37. V. id est de prioritate a quo, & perfectionis, non de prioritate naturæ in quo, sicut dicitur de causa prima, & secunda, quæ simul causant, nec una prius attingit effectum, in quo priori altera non attingit, & tamen prima prius causare dicitur, quia perfectius, & independenter, & in hoc consistit prioritas a quo, & perfectionis, estque sufficiens, ut causa secunda dicatur agere, quia mota a prima, tanto magis idem possumus dicere de fine, & agente, puta quod agens non agit, nisi excitatum, & metaphorice motum a fine, non quidem antecedenter, & in actu primo, ita ut motio actualis prærequiritur, sed concomitauer, & in actu secundo; de quo ordine infra disp. seq. q. 1. art. 1. Ad 2. duplicem motionem metaphorice potest habere obiectum circa voluntatem, unam in actu primo proximo, & dicitur obiectiva, quæ potius est sufficiens approximatione finis cum voluntate, ut actu causare possit, quam ejus actualis causalitas, alteram in actu secundo, & dicitur formalis, & hæc habet, cum voluntas in actu secundo semetipsam physice movet; sicut nec etiam Concionator dicitur actu peccatorem movere formaliter, nisi cum ipse semetipsum per aliquem actum convertit ad Deum, toto enim tempore antecedenti voluntas nequit dici formaliter mota, cum ipsa nondum aliter se habeat, sed omnino immutata maneat. Ad 3. illa causalitas verificatur propter prioritatem a quo, non in quo, ut diximus ad primum.

185 Secundo instatur, quod causalitas finis sit quid reale; Tum quia finis est omnium dignissima causa, ut notat Doctor 1. d. 2. q. 2. S. ex Avicenna; ad causam metaphoricam non est hujusmodi. Tum 2. quia esse formale obiectivum finis est esse reale; ergo potest realiter movere. Tum 3. effectus non dependet essentialiter, & realiter a fine. Tum 4. quia non esset inter causas physicas numerandus finis, sicut nec idea numeratur, eo quia per se non physice, sed moraliter causat.

186 Resp. ad 1. finis est causa omnium nobilissima, non proprie, & in rigore, sed appropriate, eo quia causat, & movet non mota, & quia est radix omnis actionis agentis, quatenus agens non ageret, nisi finem intenderet, & nisi bonitas finis non moveret agens, vel est omnium nobilissima, quia ratio causandi

est bonitas, & perfectio. Ad 2. esse reale cognitum finis est esse reale nominaliter, & potentiale, non verbaliter, & actuale; ideo non sufficit ad realiter actualiter movendum principium agente. Ad 3. intrinsecum effectus dicitur realiter essentialiter a fine dependere, quia dependet ab agente, non casu, sed a proposito, & propter finem operante, ita ut si non esset finis, agens non ageret; unde tota dependentia immediate est ad agens a proposito operans, non ad ipsum finem precise, ita Tatar. 2. Phys. q. de causis dub. 2. Ad 4. finis numeratur inter causas physicas, non quia sit vera causa realis realem causalitatem fundans, ut dicimus, sed quia est radix, & origo omnis causationis; quatenus agens agit, quia motum a fine, & in omni causatione intervenit, ut idea non intervenit in omni causatione, & non est principium causationis, immo est quid complens agens in ratione agentis, ut diximus præced. q.

187 Tertio quod non dicatur actionem agentis factam propter finem, probatur; Tum quia actio est causalitas efficiens; ergo nequit esse causalitas finis, nam distinctæ causæ distinctæ postulant causalitates. Neque dicas, eandem actionem, ut ab agente procedit, esse causalitatem agentis, ut vero inquantum gratia finis sit, esse ipsam causalitatem, non valet, quia debet explicari, quid sit hoc, quod est fieri in gratiam finis superadditum actioni, quam constituit in ratione causalitatis finalis. Tum 2. quia finis est causa causalitatis agentis; ideo enim agens causat, quia finis movet ipsum ad agendum, ita ut actio sit effectus ipsius; ergo nequit esse ejus causalitas. Tum 3. quia causalitas est in ipsa causa, actio non est in fine, sed in agente. Tum 4. quia datur finis post transactam actionem, ut domus semper erit propter habitationem, potentia propter actum, materia propter formam. Tandem quia hæc motio solum respicit voluntatem, & actus ipsius, tamen finis causare dicitur in aliis agentibus naturalibus; ergo non explicatur adæquate causalitas finis in communi.

188 Resp. ad 1. actionem dici causalitatem finis materialiter, non formaliter, nam si queramus aliquid reale, per quod finis dicatur causa, nil aliud poterit assignari, quam actio agentis, non ut sic, sed ut habitudinem dicit ad finem moventem agens, & allicientem ad agendum, quæ habitudo non est simpliciter realis, cum non sit ad terminum realiter existentem, vere enim a parte rei agens intendit acquisitionem finis; formaliter vero dicitur habitudinem in fine conceptam ab intellectu, quatenus terminationem illam habitudinis actionis concipit ad modum relationis realis, sicut dicimus de causa denominatione solum extrinsecam. Ad 2. dicimus ex Scoto 1. d. 1. q. 5. ad 1. prima quæst. ubi docet Doctor, quod respectu nullius est causa finalis, nisi respectu cuius est causa efficiens, sicut ergo actio non dicitur effectivè causata, nisi ut Quo, ut diximus q. 2. ita neque dici finaliter causata, nisi ut Quo, non ut Quod. Ad 3. assumptum verum est de causa denominatione intrinsecam, non quæ talis dicitur extrinsecam denominationem, sicut est finis, ut diximus. Ad 4. dicimus, finem tunc actu causare, quando agens agit, vel etiam continuat suam actionem, si effectus dependet in fieri, & conservari, at si solum in fieri dependet, in fieri tantum a fine dependebit, sed post actionem potest esse, quod effectus ille intervaiat ad acquisitionem alicujus finis, ut pater de medicina, postquam est consecuta, quæ est utilis ad sanitatem, & tunc dicitur effectus finalis causa, non quoad entitatem, sed quoad usum, ut est de omnibus mediis, ut dicemus art. ult. sic se habet domus respectu habitatoris; potentia vero dependet in fieri, & conservari ab eo, cuius est potentia, ita etiam materia respectu Dei, a quo immediate dependet. Ad quintum patebit infra art. 6.

ARTICULUS IV.

An finis moveat secundum esse reale, vel cognitum.

189 Certum est fere apud omnes, finem saltem naturaliter non movere voluntatem, nisi prius ab intellectu cognoscatur, ita Doctor 4. d. 49. q. 5. E. & 1. d. 10. R. d. 11. q. 1. C. & patet ex illo communi principio, nil volitum, quin præcognitum, unde D. Aug. 3. de Trin. c. 1. & 2. *Invisibile amare possumus, incognita nequaquam*; & hujus ratio est, quia voluntas est potentia cæca, ideoque nequit in suum obiectum tendere, nisi ostendatur; & cum sit appetitus rationalis, duci debet in suis actibus a rationali lumine, scilicet intellectu, non a sensitivo, quod cum sit materiale, est improprietatum ad movendum directe, & immediate voluntatem, quæ spiritualis est solum indirecte potest movere, ut præcipue experitur in motibus primo primis, vel cum in sensu est aliqua vehemens passio, similis passio in voluntate redundat, tunc enim passio movet phantasiam; hæc intellectum, & iste voluntatem: immo etiam si voluntas possit immediate ferri in obiectum cognitum a solo sensu, non sufficeret hæc cognitio ad rationem finis, quia finis, ut possit movere tamquam proprie causa, debet præcognosci non solum bonitas ipsius, verum etiam eorum mediorum ad ipsum, qui ordo nequit a sensibus attingi. Ceterum una supernaturaliter possit voluntas ferri in incognitum, & quantum cognitio requiritur ad motionem voluntatis, an scilicet sufficiat, simplex apprehensio, an vero requiratur iudicium, non est presentis negotii examinanda, sed reservatur ad lib. de anim. disp. 7. de voluntate.

Cum igitur finis, ut causat, debeat habere esse cognitum, per istud esse cognitum duo possumus intelligere: vel illud esse reale; quod intel-

lectu agnoscerit sibi non repugnare, aut saltem taliter apprehenditur, ut est in bono apparenti, vel illud esse denominationis extrinsecam derelictum ex cognitione, quod est ens rationis materiale; primum esse potest dupliciter etiam accipi, vel ut habet esse extra causas, & ut existens, vel ut est possibile ab agente obtineri, quod esse possibile, seu futurum est duplex, vel simpliciter, si scilicet illud esse de novo fit, ut cum sit domus, vel secundum quid, quando scilicet jam est in rerum natura, sed non possiderit, ut Deus, licet existat, operatur tamen a viatore, quia perfecte ab ipso non possidet: querimus ergo, cum finis movet voluntatem, secundum quod esse moveat, an secundum esse cognitum, an secundum esse reale, & hoc vel existens, vel possibile; ubi ly *secundum* potest significare vel conditionem sine qua non, ut cum dicimus, ignis comburit flammam secundum quod flamma igni approximatur, vel potest significare rationem formalem causandam, ut cum dicimus, ignis secundum calorem calefacit; hoc modo sumitur in præsentibus; & loquimur de fine in ordine ad actus, & effectus consecutioni finis inservientes.

190 In hac difficultate est discrepantia inter Doctores, quæ videtur consistere in modo loquendi; nam Avicena 6. Met. c. 5. Cap. 2. d. 25. q. 1. ad arg. Hervæi cont. 3. concl. Socini. 5. Met. q. 3. & alii sustinent, finem causare secundum esse cognitum, & intentionale, non secundum esse reale; quam opinionem alii explicant solum de fine generationis, qui a nobis dicitur finis cuius, non de fine rei genitæ; quem appellamus finem cui, ita Tromb. 5. Met. q. 1. art. 2. concl. 3. & 4. Alii quod finis verus causat secundum esse reale, ad apparem secundum esse cognitum. Alii quod finis causat secundum esse cognitum, sed non pro illo esse, sed pro esse reali, ita Canon. 2. Phys. quæst. 3. art. 1. Parisiens. ibid. q. 3. & Bargius 1. d. 1. q. 4. S. *Ad principia* &c. P. Sghemma 2. Phys. digress. 11. q. 5. distinguit, quod aliud est esse rationem, qua finis causat, & movet, & aliud esse rationem propter quam causat, prima formalizat rationem movendi, & causandi, & in fine est esse cognitum, & obiectivum, secunda est formalitas terminandi; & est esse reale. Communis tamen asserit, finem causare secundum esse reale tamquam per rationem formalem, esse vero cognitum tantum conditionem esse sine qua non, ita Ocham 2. q. 3. art. 2. Val. Vasq. & alii p. 2. q. 1. Saar. dif. 23. Met. sect. 8. Tol. 2. Phys. q. 14. Comibr. cap. 7. q. 23. Ruvius q. 6. de causa finali Sanfon. 2. Phys. q. 4. Fuentes quæst. 7. diff. 7. Morif. in Ethic. disp. 7. dub. 4. Iribarne de act. hum. 10. sect. 4. Averfa q. 13. sect. 6. Hurtad. vero disp. 13. de Anim. sect. 6. addit, quod cognitio non est conditio sine qua non, sed principium movens, & impellens voluntatem ad amorem finis, obiectum autem, seu bonitas finis terminat actum amoris.

Dicimus tamen, quod licet finis, quando causat, habeat esse intentionale, non tamen secundum tale esse causat, sed secundum esse reale verum vel apparem, & futurum, cognitio vero se habet solum ut conditio sine qua non: ita Doctor 2. d. 25. Q. & R. ubi approbat dictum Aver. 12. Met. com. 26. forma balnei, prout habet esse extra animam, movet ut finis, quod intelligi debet, non ut extra posita, sed ut extra possibile, tunc movet ad agendum; & 3. d. 15. B. loquendo de appetitu sensitivo ait, formam absolutam obiecti, id est secundum suam entitatem, & non secundum relationem convenientiæ, ad secundum præsentiam per perceptionem quæ est alia relatio, quasi approxinatio agentis ad passum, esse rationem causandi delectationem, & 1. d. 1. qu. 4. arguendo contra 3. art. 5. *Item autem finis*, &c. ait, præsentiam obiecti cognitæ diversam se habere ad voluntatem tamquam approximationem quandam, quod etiam repetit in 4. d. 49. quæst. 5. E. idem quoque colligitur ex locis superius saepe allegatis, dum ait, bonum esse obiectum voluntatis, & ut sic habere rationem finis; hoc idem innuere voluit Canon. cit. dum dixit, finem esse causam, secundum esse intentionale, sed non pro illo esse, sed pro esse reali; quod etiam docuerunt Bargius, Tromb. cit. & Scotus, dum ait, finem ut in mente movere voluntatem.

191 Primo igitur, quod causat secundum esse reale, probatur, quia secundum illud esse finis movet voluntatem tamquam secundum rationem formalem, secundum quod trahit voluntatem ad se, allicit ipsam, appetit ab ipsa, terminat actum ipsius (hoc enim est movere, allicere, & trahere ex dictis art. præced.) propter quod consequendum agens agit, eligit media, ad quod media habent proportionem, & utilitatem, quod acquisito, cessat motus, satiatur appetitus agentis, quod cum bono convertitur, estque perfectio agentis; sed hæc omnia conveniunt fini secundum esse reale, non secundum esse intentionale, ergo secundum illud esse causat, & movet, non secundum illud tantum secundum rationem formalem; Major pater, quia illa omnia sunt finis attributa, quatenus est causa, deducta ex variis Arist. dictis, & Scoti in superioribus adductis, præcipue ex definitione ipsius finis; Minor probatur, quia sanitas v. g. secundum esse reale, quod habere potest a parte rei, & non ut mente concipitur, allicit voluntatem, appetitur, terminat actum amoris desiderii, propter ipsam consequendam agens assumit media, quæ ipsi proportionantur, & conferunt, ut utilia ad consecutionem ipsius, quæ acquisita cessat actio ad sanitatem, delectatur agens de illa tanquam de proprio bono, & perfectione: esse vero cognitum dicit solum extrinsecam denominationem, cui nequeunt hæc omnia convenire.

Respondent quidam, esse cognitum formaliter esse denominationem extrinsecam, ad participative, & realiter esse entitatem *Maffri, & Belluti Tom. II. Physicæ.*

tem cognitionis, & hoc modo esse cognitum potest esse ratio finalizandi, sicut potest effective concurrere ut principium formale ad rem producendam, ut monet Doctor 4. d. 1. quæst. 1. R. Alii cum Canon. & Tromb. respondent, argumentum concludere solum, finem causare pro esse reali, non pro esse intentionali, non tamen quod non causat secundum esse intentionale. Alii apud Fuentes distinguunt in fine duplicem rationem, aliam *quæ*, aliam *sub qua*, prima est, quæ attingitur a voluntate, estque bonitas finis, cui competunt omnia attributa relata; secunda est, quæ constituit bonitatem in ratione obiecti motivi voluntatis, & talis est cognitio, quæ ad rationem formalem finis spectat, non ut ratio *quæ*, sed *sub qua*.

192 Sed prima responsio deservit, nam neque cognitioni finis conveniunt relata attributa, ut patet, obiectum enim voluntatis non est cognitio, neque esse cognitum reduplicative, sed illud idem, quod est cognitionis obiectum, ergo nullo modo esse cognitum movebit voluntatem, sed esse reale, licet apprehensum, sed sicut apprehensio, vel esse apprehensum non attingitur a voluntate, ita neque ipsam movebit, quod enim movet, attingitur; ad autoritatem Scoti diximus q. præc. art. 2. Secunda responsio confirmat nostram sententiam; si enim est verum, hæc omnia fini competere pro esse reali, non pro intentionali, jam conceditur, rationem formalem finalizandi, quæ est id, cui tali conveniunt, esse entitatem realem finis, ut realis est, & hoc nos intendimus, cui dicimus, finem movere secundum esse reale; esse vero intentionale non est ratio formalis; sed solum conditio, quia finis, ut moveat, debet esse in tali esse intentionali; quod intendunt Canon. & Tromb. cum ajunt, finem causare secundum esse intentionale; idcirco diximus nobiscum in re sentire. Tertia responsio facit vim in verbis, nam si per rationem *sub qua* intelligitur esse, sub quo reperitur finis, dum causat, est nobiscum, sed istud esse non se habet ut ratio movendi, sed ut conditio; si vero intelligitur illud esse secundum quod movet, & sub qua ratione terminat actum amoris, tale non est esse intentionale, sed reale, interroganti enim cur voluntas vult finem, non recte responderet tanquam per rationem formalem, quia cognoscit finem, sed quia finis bonus est.

Ex his possunt etiam dilui responsiones, quas P. Sghemma tradit, vel enim coincidunt cum allatis, vel æquivocant in hoc, quod pro esse reali finis intelligunt esse finis a parte rei acquisitum, cum tamen nos idem esse intelligamus non ut acquisitum, sed ut acquisibile, & apprehensum; non quod ly *ut* reduplicat rationem formalem, hæc enim est bonitas realis finis, sed conditionem sine qua non, apprehensio enim, & futuro conditio sunt conditiones sine quibus agens non desideraret, & appeteret finem, nec propter ipsum acquirendum ageret, at bonitas, appetibilitas, & cetera attributa finis sunt conditiones, cum quibus finis amatur ab agente; nam finis simul cum illis terminat agentis amorem, & ideo dicitur transire in rationem formalem movendi voluntatem.

193 Secundo quod non tantum vera bonitas, sed etiam apparem moveat voluntatem, patet ex eisdem rationibus, quia ut diximus art. 2. in fine apparenti, quod moveat voluntatem, est bonitas vera, & realis, sed falso applicata ab intellectu, vel a voluntate, juxta aliam Scottiarum opinionem de fine præfixo, non tamen bonitas in se ficta, ne obiectum voluntatis adæquatam ponatur aliquid æquivocum; ergo etiam in fine apparenti non apprehensio, sed bonitas movebit voluntatem apprehensa ut possibile, eodem enim modo agens agit pro consecutione illius finis apparentis, quem putat possibilem, ac pro fine in se vero.

Tertio quod talis entitas debeat esse futura, probatur, quia proprie loquendo, finis in ratione causæ movet ad sui consecutionem, & quando jam possidetur, non habet amplius rationem finalis causæ respectu effectuum ad consecutionem finis ordinariorum, sed termini, unde Arist. 1. de Gen. 55. dicebat, habitibus præsentibus motum cessare, quia nullum agens operatur propter finem adeptum, ergo ut finis moveat voluntatem, debet esse futurus vel simpliciter, vel secundum quid; & si aliquando agens operatur propter consecutionem finis adepti, ut cum quis ad conservandam valerudinem medicamina adhibet præservativa, adhuc in tali casu finis habet rationem futuri secundum quid, quia movet ad continuationem possessionis finis tempore futuro; Non quod futuri sit ratio movendi, seu conditio, cum qua finis moveat, quia agens non appetit finem ut futurum reduplicative, immo potius præsentiam ipsius desiderat, & propter ipsam agit; sed est conditio tantum sine qua non appeteretur finis ab agente, nec propter ipsum operaretur agens.

Tandem, quod cognitio necessario prærequiritur, patet ex dictis in principio art. quod vero non se habeat ut principium movens, sicut dicebat Hurt. probatur, quia intellectus per cognitionem nihil causat in voluntate, unde art. præc. diximus voluntatem moveri a fine, esse, voluntatem amare finem, quia per amorem quæst ita ad obiectum, juxta illud, anima est magis ubi amat, quam ubi animat, sed obiecti bonitas est, quæ ita movet voluntatem, sicut ipsa terminat actum amoris; non cognitio, ergo non recte ait Hurt. ponens obiectum trahere ad se voluntatem, intellectum vero movere, & ipsam impellere, ut in obiectum tendat, hic enim impulsus attractione metaphorica obiecti distinctus est fictitius: remanet igitur, ut sit solum conditio sine qua non. Verum est tamen quod apprehensio plus facit in fine apparenti, quam in vero fine; quia finis verus, cum habeat ex se bonitatem intrinsecam, solum indiget approximatione quadam vitali, ut possit

possit movere voluntatem, & talis est apprehensio, unde se habet, ut simplex conditio sine qua non: at finis apparens, quia intrinsece non habet bonitatem, sed illam accipit ab intellectu falso applicante veram bonitatem objecto incapaci, licet cognitio non sit ratio finalitatis in illo fine, non est tamen simplex conditio sine qua non per modum approximationis, sed adhuc est occasio, seu causa præstans huiusmodi fini virtutem finalitatis, quæ est bonitas vera, per falsam applicationem.

194 Sed contra obicitur 1. Tum quia causa ut causa essentialiter includit aliquid, quod non sit posterior suo effectu, sed causa finalis secundum esse cognitum tantum habet, ut non sit posterior suo effectu, nam secundum actualem existentiam est posterior, ergo &c. Tum 2. quia finis est prima causa inter omnes, at non est prima causa nisi secundum esse intentionale. Tum 3. quia finis movet metaphorice, quæ morio procedit ab esse objectivo finis, quod allicit potentiam suam ei presentiam exhibendo. Tum 4. quia illud, quod semper est necessarium, ut finis causet, ceteri potius debet ratio finalitatis, quam aliud, quod non est ita necessarium, immo sine quo talis causalitas exerceri potest, sed cognitio semper est necessaria ad finalitatem, & sine bonitate reali finis id potest præstare, ut patet in fine impossibili. Tum 5. quia id, quod variat speciem, non se habet ut conditio, sed ut ratio formalis, quia potentia, & actus distinguuntur per diversas rationes formales objectorum, sed apprehensio objecti variat speciem appetituum; nam appetitus naturalis sensitivus, & rationalis differunt, quia primus tendit in rem ignotam ipsi agenti, sed cognitam intellectui separato, secundus in rem sensu cognitam, tertius in rem cognitam ab intellectu agentis, immo respectu eiusdem appetitus, si variatur cognitio, variatur quoque actus, nam Deus cognitus in via, & in patria terminat diversos specie amoris actus.

Resp. ad 1. finem tam secundum esse cognitum, quam secundum esse reale futurum esse priorem effectu, sed secundum esse reale tanquam per rationem formalem finalitatis, secundum esse cognitum, & secundum futuritatem tanquam per conditiones sine quibus non. Ad 2. per idem. Ad 3. motio procedit a reali esse, ut a ratione formali, sed ut est sub esse objectivo tanquam a conditione sine qua non. Ad 4. negamus, esse reale non esse semper necessarium ad motionem voluntatis, nam etiam in apparenti fine, ratio motiva est vera bonitas, licet falsa applicata. Ad 5. maiorem non esse universaliter veram, quia potentia, & actus solum extrinsece per objecta distinguuntur, & circa idem objectum formale variatis quibusdam conditionibus possunt esse specie diversi, ut patet in exemplo adducto de fructione in via, & in patria, & docet Doct. in 3. d. 31. C. & 1. d. 1. q. 4. contra 3. art. ut dicimus in lib. de An. attamen loquendo de appetitivis potentis, non solum habent diversas præsentias objectivas, sed diversas quoque bonitates apprehensas, alia enim est bonitas conveniens appetitui naturali, alia conveniens sensitivo, & alia tandem rationali.

195 Dices cum Hurt. applicatio diversæ agentis ad passum non variat specie effectum, parum enim refert, quod ignis ex isto, vel illo latere applicetur, & hoc, quia applicatio est conditio sine qua non, ergo si diversa cognitio variat actum specie, erit plura conditio. Tum quia præmissæ determinant intellectum ad conclusionem per formalem præsentationem objecti, sicut cognitio finis determinat voluntatem ad actum, in quem insuit saltem intentionaliter, hæc autem excedunt rationem conditionis sine qua non. Resp. quod licet applicatio agentis ex hac, vel illa parte non variat effectum, maior tamen, vel minor applicatio variat effectum, quandoque in eadem specie, quandoque in diversa, unde cognitio abstractiva, & intuitiva sunt de eodem objecto formali, tamen specie distinguuntur, propter variationem conditionum, scilicet præsentia, & latentia eiusdem objecti, ut docet Doctor quol. 13. & 3. dist. 23. de fide, & scientia. Ad aliud, negamus voluntatem, eo quia præmissæ vere causant conclusionis cognitionem, quam virtualiter continent, at nec finis in esse objectivo, nec ipsius cognitio virtualiter continent actum voluntatis, nec in illum insunt, nisi metaphorice, quod tamen soli fini convenit, non cognitioni.

Secundo ad idem. Tum quia finis debet esse quid optimum, 2. Phyl. 23. & 31. & 5. Met. 2. ut autem est in mente, nobilior esse habet, quia spirituale, quam ut extra existit ex Scoto 4. d. 1. q. 1. QR. Tum 2. quia finis causat secundum esse, quod habet, dum causat, sed talis non est nisi esse intentionale. Tum 3. quia secundum esse reale est potius effectus, quam causa. Tum 4. quia saltem in fine apparenti, quod movet, non est bonitas finis vera, sed falso applicata, nam unus per se effectus est una per se causa ex Scoto 1. d. 3. q. 7. N. at ex vera bonitate, & subiecto impossibili non fit unum per se, ergo quod per se movet, erit cognitio. Accedit, quod bonitas in communi dividitur in veram, & apparentem, ergo ratio movendi in fine apparenti non erit vera bonitas.

196 Resp. ad 1. Arist. loqui de fine in ordine ad media, quo modo perfectior est illis, saltem reduplicative loquendo, ut sic autem perfectior, & verius esse habet formaliter a parte rei, quam in intellectu ubi tantum habet esse diminutum; Scorus vero intelligitur realiter, & participative, nam ut habet esse cognitum, participat esse cognitivum, quod esse licet sit perfectior, non tamen est verius esse rei cognitæ. Ad 2. quod finis causet, habet esse reale, sed apprehensum, & re-

præsentatum, ideoque causat secundum esse reale tanquam per rationem formalem, sed apprehensum tanquam per conditionem. Ad 3. assumptum est verum de esse reali actuali, non de esse reali futuro, Ad 4. respondet Doctor ibidem, maiorem sic debere intelligi, unius effectus dari debet una per se causa, id est, una per se ratio causandi, quod eo vel maxime dicendum est in Scoto sententia, quia ipse formaliter actionem tribuit, principio Quo, & rationi agendi, principio autem Quo denominative tantum, & ultimate, ita docet 4. d. 12. qu. 3. Aa. immo dicimus, quod suppositum est Quod agit, natura Quo agit, & tamen tenendo, suppositivitate dicere duplicem negationem, suppositum ex ea, & natura constitutum est unum per accidens ex positivo, & negativo in proposito movendi est per se una, & si Quod agit sit unum per accidens. Ad aliud dicimus, quod bonitas in abstracto non dividitur proprie in veram, & apparentem, sed bonitas in concreto, id est ut huic, vel illi subiecto applicata, unde est divisio non per formas, sed per subiecta.

ARTICULUS V.

An finis sit vera causa realis.

197 Quamvis ex dictis art. 3. pateat resolutio huius difficultatis, ad uberiorem tamen doctrinam placuit seorsim illam examinare. Prima igitur opinio affirmat, ita Suar. disp. 23. Met. sect. 1. Averfa q. 13. sect. 1. Comibr. 2. Phyl. cap. 7. q. 20. Ruvius tract. de fine q. 1. Amicus tract. 13. qu. 3. ubi varie distinguit de fine, & ex nostris ipsam sequuntur Anton. Andr. 5. Met. q. 3. Tromb. q. 2. Sghemma 2. Phyl. digr. 11. q. 1. nec obscure insinuat a Canon. 2. Phyl. q. 3. & Iribar. de act. hum. disp. 10. sect. 1. Oppositam sententiam docent, Hurt. de An. disp. 13. sect. 5. Plaza disp. 6. Phyl. q. 1. Murcia 2. Phyl. disp. 2. qu. 2. insuper Sazo 2. Phyl. 23. Burid. q. 7. loquendo de fine non existente, & ex nostris docuerunt Cavel. disp. 1. de An. sect. 19. ad 2. Lich. q. 4. Prol. §. Respondeo primo, quod, & si obiectum, &c. & 1. d. 1. q. 4. ad 2. priusquam ait, finem nihil realiter causare, sed tantum metaphorice movere. Tatar. 2. Phyl. q. de causis dub. 2. dum inquit, finem nullo modo causare, & attingere effectum immediate, Sanson q. 4. ad hanc videtur inclinare, item Fuentes q. 7. dist. 2. qui tamen, ut consequenter loquatur, debet hoc asserere de fine non existente, nam existenti concedit diff. 3. relationem realem ad effectum.

Dicimus, nullum finem esse causam realem physicam, sed esse causam moralem. Concl. colligitur ex Scoto cit. art. 3. pro conclus. quibus in locis dum docet, finem intantum dici causam, inquantum movere efficiens ad agendum, & hæc motio ex parte finis cum non sit aliquid reale, sequitur secundum ipsius doctrinam finem non esse veram causam realem: Probari potest, quod non sit realis causa; Tum quia causa realis in actu duo dicitur, entitatem causæ, quæ fundamentaliter dicitur causa, & causalitatem realem, quæ in relatione consistit ad effectum ex dictis disp. 5. q. 2. finis, ut est actu causa, neutrum dicit reale; non primum, quia est actu causa, ut habet esse objectivum in intellectu, etiam si a parte rei existat, immo existentia non per se convenit fini, nam finis cuius non debet existens præsupponi, cum sit effectus productus, finis cui aliquando etiam non existit, ut quando pater divitias congregat propter filios nondum genitos; & licet existat, nequit tamen voluntatem movere, nisi habet esse apprehensum, sed esse objectivum non est ens reale actuale, aliter creatura cognita a Deo in æternitate habuissent esse reale actuale ab æterno contra Scot. in 1. d. 36. & solum ens reale actuale dicitur participative, quatenus participat esse reale cognitionis, quæ non est finis; neque dicit secundum scilicet causalitatem actualem, quia relatio requirit suum fundamentum in actu, non potest esse maioris entitatis fundatum, quam fundans. Tum quia in sententia nostra causa nunquam denominatur formaliter causa, nisi post effectum in esse, tunc enim relatio ad effectum insurgit in causa, at si finis causa realis effectus, jam post productionem effectus dicitur causa, quod est falsum, idem a seipso essentialiter dependeret, esset causa, & effectus, prius, & posterius; & maxime quando effectus dependet ab agente in fieri, & conservari, tunc enim deberet etiam permanere causalitas finis.

198 Resp. Tromb. quem omnes Recentiores sequuntur, finem, & si non habeat esse actuale existentia realis, habere tamen esse apprehensum, & objectivum, quod non est ens rationis, sed reale, & ratione huius esse, potest dici causa realis, non quæcumque, sed in genere finis, ad quam tale esse sufficit, quia causat ut amatus, & hoc est, quod dicunt alii, finem esse causam, non quoad entitatem, sed quo ad causalitatem. Addunt Recentiores, finem non fundare illam relationem ad effectum, quando finis non existit; sed effectum dicere relationem ad finem tanquam ad causam, & proter istam dependentiam terminationem potest dici causa saltem extrinseca denominationis, sicut Deus dicitur creator terminando dependentiam creaturæ.

Sed jam ostensum est, finem secundum illud esse objectivum, quod nihil est actuale, & solum ens reale nominaliter, non posse fundare illam relationem causæ, in qua secundum nos consistit causalitas actualis; quod etiam de fine existente, & cui concludit, eo vel maxime quia finis cui, & finis cuius in-

integrant unam causam totalem ex dictis art. 1. non. possunt autem illam integrare, nisi ambo uniantur in esse objectivo, & apprehensio, ergo ambo, ut habent tale esse & non ut sunt existentes in actu, causant, Quod addunt Recentiores nil iuvat, eo quia licet finis terminet illam dependentiam effectus, & mediorum, adhuc tamen ista terminatione non dicitur causa realis in actu, sicut Deus, quia causa actualis extrinseca denominationis debet saltem habere fundamentum reale actuale, quo dicitur fundamentaliter actu causa realis, at finis non habet tale fundamentum, ut diximus. Tum quia sæpe media assumpta ab agente non habent ex propria natura ordinationem ad finem ut patet, cum quis operatur propter finem apparentem, unde ordinatio illa dicit tantum extrinsecam denominationem in mediis provenientem a volitione voluntatis, estque ens rationis materiale, ergo in hoc casu finis non erit causa realis causalitate, quæ secundum Adversarios in dependentia ad causam consistit; & tamen etiam secundum ipsos non minus finis apparens dicitur vera causa, quam finis verus; Antec. patet, quia volitio in objecto volitio non causat aliquid reale, sed solum extrinsecam denominationem relinquunt. Remanet, ergo, quod causa moralis dicitur, quia concurrat eo modo, quo consules, vel supplicans se habet ad effectus productionem, ut diximus art. 3.

199 Manca 2. Phyl. q. 9. dub. 3. aliam dat solutionem non multum ab allatis discrepantem, concedit enim finem non habere virtutem causalitatem realem a parte rei, at in apprehensione negat non habere virtutem causalitatem realem non quidem in essendo, & intrinsece, sed in causando & extrinsece, in hoc enim efficiens a fine differt, quod efficiens, ut causet, debet habere propriam entitatem realem existentem, non sic finis, nam sufficit, ut habeat esse objectivum propter quod voluntatem allicit, esto in se sit ens chimericum, quo pacto sufficit, ut ens aliquod rationis dicitur causa realis alicuius physici effectus, non quidem efficiens, sed finaliter; ratio est, quia vere effectus pendet in sua entitate a fine apprehensio, ut bono, ita ut cessante fine, cessat quoque agentis actio, neque requiritur, ait, ut omnis causa realis funder relationem realem ad effectum, hoc enim præcipue est verum de causa efficienti creata.

Sed hæc solutio vel abutitur vocabulis, vel nihil valet, hoc enim est quod improbat, quoniam pacto, quod in se est, movetur ens rationis, possit habere virtutem realem in causando, eo vel maxime quod esse apprehensum non est ratio, sed conditio causandi, virtus enim causa non potest esse majus ens, eo cuius est virtus. Neque ex hoc, quod esse apprehensum finis prærequiritur necessario ad effectum, debemus inferre veram, & realem causalitatem in fine, aliter omnis conditio sine qua non dicitur realis causa, quod est falsum, cognitio enim necessario ad volitionem præexistit, non tamen est causa, idem quoque dicendum de objecto cognito. Et quamvis non sit de ratione causæ realis in communi, quod habeat entitatem physicam realem, ut dicebamus, nisi velimus de nominibus alterari.

Rationes in oppositum sunt soluta art. 3. respondendo ad 2. arg. principale contra conclusionem, eadem enim faciunt contra istam conclusionem.

Sed adhuc sic instat nonnullus præter ibi dicta, quia vere, & non per fictionem finis propositus per intellectum voluntati movet voluntatem, & effectus, qui ordinatur ad ipsum, habet veram, & realem dependentiam ab ipso fine, ut si finis non moveret voluntatem, voluntas non produceret illum effectum, sed nihil aliud præter hoc requiritur, ut sit causa realis, physica. Respondeo motionem finis non esse realem, ut ab actione efficiens distinguitur, sed metaphoricam, ut ait Arist. p. de Gen. 55. & Doctor sæpe cit. quia movet in ratione alliciens, & trahens moraliter agens ad sui consecutionem, quia ratione effectus agentis imputatur fini, & in hoc sensu finis dicitur vere movere voluntatem, & non per fictionem, & effectus habere veram dependentiam ab ipso fine, & non fictam, unde ea omnia salvantur per solum causalitatem moralem, ut ostendimus art. 3. Contra instat, quia nullum genus moralis causæ videtur ipsi posse adaptari, quia non se habet respectu effectus, nec ut consules, nec ut supplicans, nec ut dirigens, aut alio morali modo concurrens; Tum quia, quamvis esset causa moralis, non sequitur, quod non sit causa realis, hoc est habens actionem veram, & realem, nam causæ etiam morales vere causant suos effectus, & non fictæ, ut constat de sacramentis in nostra schola.

Resp. ex dictis art. 3. conclus. 2. neg. assumptum, movet enim agens in ratione amati, & desiderati, metaphorice per modum allicientis, & trahentis ad sui consecutionem, hæc autem est moralis causalitas, & efficacia, ut colligitur in illo Poete, *trahit sua quemque voluptas*, quo loquendi modo explicat efficaciam divinorum auxiliorum, qui eam ponunt moralem. Ad aliud sufficit nobis quod talis realis causalitas attribuitur fini, qualis tribuitur sacramentis in Schola nostra, sic enim salvatur quod non sit vera causa physica, efficiens, & cetera causæ physica.

Contra adhuc urget, quia finis non causat nisi saltem habet esse intentionale, & objectivum in intellectu, ergo saltem in tali esse fundari poterit verus, & realis respectus physica causalitatis, atque adeo dici vera causa physica. Resp. immo ex hoc capite non urget non esse veram causam physicam, quia illud esse objectivum, & apprehensum non est esse

reale & actuale, quare requiritur ad fundandam veram causalitatem physicam: Contra ait, licet tale esse non sit reale physicum, est tamen reale intentionale, quatenus est realiter ipsa cognitio finis apprehensa, ergo sufficit ad fundandam realem causalitatem finalis causæ. Neg. conseq. quia cognitio illa non habet rationem finis, nec est ratio finis; nec est ratio finalitatis, sed tantum conditio sine qua non, atque ideo causalitatem finalem fundare non potest.

Vide, quæ supra diximus in hac disp. q. 7. art. 2. ibi enim docuimus causalitatem ideæ non esse physicam, sed moralem, quia secundum talem causalitatem ideæ est causa sui ipsius; namque domus ut cognita in mente artificis est causa idealis sui ipsius secundum esse, quod extra habebit ab artifice iuxta illud 7. Met. 30. domus extra fit a domo intra, ex quo manifeste deduximus ideam non esse causam realem, & physicam, quia nihil potest physice seipsum causare, sed eadem ratio cadit in proposito, quia finis secundum esse reale possibile, vel futurum, & ut tale ab intellectu apprehensum causat seipsum ad extra, seu finis in intentione causat seipsum in executione, sub qua habet rationem effectus, ergo nequit poni causa physica, sed moralis, alioquin idem posset seipsum physice causare, est enim eadem res profusus; quæ prius est in intentione, & postea ponitur in executione.

ARTICULUS VI.

Quam agentia propter finem dicantur agere.

200 A gens aliud est intellectuale, & liberum, aliud naturale: primum dividitur in increatum, ut est Deus, & creatum, ut Angelus, & homo: secundum dividitur in agens per cognitionem aliquam sensitivam ut bruta, & in agens sine ulla cognitione, ut cætera naturalia; de his omnibus est breviter videndum, an agant propter finem, videtur enim aliquid quæstio de nomine.

De Deo postsumus loqui tripliciter, vel in ordine ad actus immanentes, & ad intra, vel in ordine ad actiones externas, & transeuntes, vel tandem in ordine ad effectus productos ab ipso, ut sunt creaturæ omnes. Sonc. 5. Met. qu. 2. ait, semper Deum agere proprie propter finem tam respectu actuum immanentium, ut est amor divinus, quam respectu transeuntium, & effectuum productorum.

Dicimus tamen non dari causam finalem propriam in Deo circa actus immanentes, neque circa actiones transeuntes formaliter, aut fundamentaliter inspectas, dari vero circa ipsam materialem consideratas, & circa effectus productos. Est communis, & quidem quod non detur vera causa finalis in Deo respectu actuum immanentium, docetur a Doctore in 1. d. 1. q. 5. ad 1. primæ quæst. & probatur ab ipso, quia respectu nullius est causa finalis proprie, nisi respectu cuius est causa efficiens, quia causalitas finalis causæ ex dictis consistit in metaphorica motione, quæ nil aliud est, quam actio agentis ut propter finem facta, ex dictis art. 3. sed actus divinæ voluntatis quoad entitatem sibi essentialem non habet veram causam in aliquo genere, cum sit ens per essentiam, & independens, neque etiam iste actus ut libere terminatur ad creaturas potest habere realem causam, quia ut sic nihil reale addit entitati necessariæ eiusdem actus, nec potest fingi causa realis, quæ habeat pro effectu solum ens rationis, ergo &c.

201 Secundo, quod nec etiam detur respectu actionum transeuntium (in quo discrepant Doctores, eo quia non consentiunt in formalitate actionis divinæ) probatur, quia actiones divinæ transeuntes formaliter dicunt vel solum terminationem realis dependentia effectus creati, ex Scoto 1. dist. 30. vel respectum rationis in Deo ex eodem 4. dist. 13. qu. 1. R. & 3. d. 8. qu. un. sup. H. quæ esse nequeunt terminus causalitatis, & effectus reales; at si fundamentaliter considerentur; præferuntur actum divinæ voluntatis omnino incausatum, & divinam omnipotentiam, tandem si de ipsis materialiter inspectis loquamur, quia ut sic dicunt ipsasmet res productas, idem iudicium faciendum est, ac de creaturis, ut mox dicemus.

Tertio, quod in ordine ad res productas dicitur Deus agere propter finem, habetur a Scoto dist. 1. cit. & dist. 2. q. 2. d. 2. R. & 4. d. 49. q. 8. F. & probatur; Tum quia causa finalis ut sic nullam includit imperfectionem, immo censetur esse omnium perfectissima, ergo convenit Deo proprie saltem respectu effectuum ad extra productorum. Tum quia Proverb. 16. *Omnia propter seipsum operatus est Dominus*. Tum quia convenit ipsi vera definitio finalis causæ, quia vere creaturæ sunt propter Deum, & Deus dicitur omnium finis; unde Doctor 1. cit. advertit, Deum non agere propter finem suum, sed propter finem sui effectus, ordinando illum ad seipsum amatum, in quo potest consistere causalitas talis causæ finalis, quatenus scilicet Deus dicitur producere creaturas propter seipsum prius amatum, & volitum, & a propria bonitate quasi movetur, & allicitur ad producendas creaturas. An tamen non solum a propria bonitate moveatur, verum etiam a bonitate creaturarum, saltem non ultimate, ita ut unam rem producat propter bonitatem alterius, quam vult, ut videtur loqui Doctor in 3. d. 7. qu. 3. C. dum ait, Deum voluisse naturam humanam uniri Verbo, quia ei voluit summam gloriam, & post prævisionem peccati Deum voluisse Incarnationem in carne passibili in remedium peccati, quod tenet Suar. disp. 24. Met. sect. 2. nu. 9. & 10. & relect. de liber.

liber. divin. vol. disp. 1. sect. 2. nu. 15. Egid. Lufit. par. 2. lib. 1. de fine q. 14. §. 4. n. 18. & 20. & Amicus tract. 13. q. 6. dub. 1. art. 3. an vero tantummodo a propria bonitate moveatur proxime, & ultimare, nullo modo a bonitate creata, quod docet Doctor 3. d. 32. D. ubi ait, quod si aliud a divina essentia ponatur ratio movendi divinam voluntatem, velle foret divina voluntas, & inde concludit, solum essentiam divinam precise esse rationem volendi omnia divinam voluntati, & sequitur Vasq. 1. p. disp. 82. & est negotium theologicum.

202 In oppositum arguitur, quod respectu actuum immanentium detur in Deo finalis causa; Tum quia divina bonitas movet voluntatem divinam ad amorem sui, quia Deus amat propter suam Bonitatem tanquam propter finem, ergo actus amoris divini vere habebit finalem causam, cujus causalitas in tali metaphorica motione consistit. Tum 2. quia Deus amat creaturas propter suam bonitatem, sed amare unum propter aliud nil est, quam ex amore unius metaphorice moveri ad amorem alterius, ergo amor Dei ad creaturas terminatus habebit finalem causam. Tum 3. quia aliter effectus Dei, ut ab ipso sunt, non haberent finalem causam, nam hoc nullum haberet effectum, nisi medio agente, quod movet ad agendum, ergo si circa ipsum agens nullam habet causalitatem, quod tunc est, quando causat finaliter actum amoris, neque circa effectus agentis poterit causalitatem habere. Tum 4. quia hoc innuunt illa vulgata dicta, quod scilicet Deus agit propter finem, & quod superioris agentis est superior finis, hic enim nequit esse, nisi sua bonitas; ergo datur vera causa finalis in Deo actionum ad extra.

Resp. ad 1. motionem illam non esse proprie motionem metaphoricam, quia cum hæc proprie a parte rei non dicatur, nisi actionem agentis factam propter finem, sicut non datur vera actio divinæ voluntatis erga essentialiam amorem propter realem identitatem, ita nec propria motio erit metaphorica, sed impropria, quapropter divina bonitas non erit proprie finalis causa respectu actus amoris divini, sed solum impropria, & rectius dicitur ratio volendi objectiva. Ad 2. per idem, quia ly propter in ordine ad amorem divinum circumscriptum non causam finalem, sed rationem volendi objectivam, sicut cum dicimus, Deum esse immortalem, quia immutabilem, ly quia non designat veram causam, sed rationem sine causalitate. Ad 3. negatur, semper necessariam esse propriam causalitatem finis erga actum amoris, ut dicatur causa effectus externi. Ad 4. Deus dicitur agere propter finem, ut explicat Doctor cit. quatenus ordinat creaturam ad seipsum amatum, ita ut non sit finis sui, vel alicuius ipsi Deo intrinseci, sed finis effectus producti, quapropter ly agere non debet sumi formaliter, vel fundamentaliter, sed materialiter pro re acta, quæ proprie dicitur esse propter finem.

203 Dices, Deus nullam accipit perfectionem a creaturis, ergo illas non producit propter seipsum. Pater conseq. quia finis cui, qualis esset Deus respectu creaturarum, est id, cui acquiritur aliqua perfectio & bonum: Antec. probatur, quia maxime recipere honorem illum redundante ex obsequio creaturarum, sed talis honor est solum extrinseca denominatio, quæ non potest esse causa finalis; & quamvis multoties homines propter extrinsecas denominationes tanquam propter finem operentur, ut cum propter dignitates aliquas laborat, hoc provenit, quia concipiunt illas denominationes extrinsecas, ac si aliquid essent reale, quod nequit in Deo evenire. Resp. Deum a creaturis accipere honorem illum, & obsequium, & quamvis sit extrinseca denominatio physice loquendo, attamen moraliter etiam apud Sapientes pro aliquo habetur, sic videmus, Deum propter similes denominationes extrinsecas multa ethice tanquam propter finem moralem, sic Verbum carnis assumptum, Christus instituit Sacramenta, & similia propter justificationem peccatoris, quæ in quodam morali formaliter consistit, quamvis sit cum physica mutatione, scilicet cum receptione gratiæ, attamen gratia non iustificat hominem ex natura rei, sed ex institutione divina ut sapie docet Doctor præcipue 1. dist. 17. q. 2. sic etiam propter possessionem divitiarum aliquid fit ab hominibus, & tamen ista possessio est quoddam ens morale, cum igitur honor sit quoddam testimonium de excellentia alterius ex 1. Eth. cap. 5. possessio talis testimonii, quæ erit actualis reverentia, & obsequium excellentiæ honorari æstimabitur tanquam aliquid morale dignum, ut gratia ipsius aliquid fiat; itaque omnis creatura est propter Deum, quia quilibet suo modo proprium factorem honorat, quatenus ex ipsis excellentia factoris dignoscitur, iuxta illud: *Celi enarrant gloriam Dei.*

204 De agente intellectu creato non est dubium, quin agat propter finem, cum enim sit liberum, & convenientiam cognoscat medii ad finem, poterit unum propter aliud velle, quod est agere propter finem; sic de Angelis multoties legitur in sacra Script. aliqua opera parasse in gratiam alterius, & isthac inferiora gubernare, quæ actio respicit finem: idem de hominibus, non solum quando habent expeditum usum libertatis; ut cum iuxta dictamen rectum rationis possunt agere, verum etiam quando illum habent impeditum, ut sunt dormientes, pueri, & amentes, videmus enim tales aliquas operationes exercere in gratiam alterius, quia licet non advertant honestatem objecti in materia morali, apprehendunt tamen delectabilitatem, vel apparentem, vel veram, & convenientiam unius rei cum alia, ex quo motivo exeunt in operationem; at si omni prorsus usu libertatis essent expertes, ut

tenent quamplurimi, ex Thomistis, tunc idem esset de illis dicendum, ac de agentibus naturalibus.

De agente naturali sine aliqua cognitione fuit Opinio quorundam veterum Philosoph. asserentium, casu omnino agere, vel propter diversitatem materiæ sic, vel sic agere, contra quos arguit Arist. & eorum solvit rationes, ut vidimus in expositione textus 2. Phys. c. 6. & 7. idcirco cum communi asserimus, ista agentia propter finem agere, quæ tamen sententia aliqua indiget expositione.

205 Dicimus igitur, agentia naturalia inchoative agere propter finem, si in seipsis ipsecentur, ita ut suo modo naturaliter quoad appetitum naturalem moveantur a fine cujus gratia operantur, ut complete vero propter finem dicantur agere, non sufficit, quod precise actiones egrediantur ab ipsis in proprios fines propensis, sed ab eis ut immediate substant directioni, & intentioni superioris agentis; ita Doct. in dist. 1. quæst. 4. ad 2. princ. & dist. 2. quæst. 2. R. & 4. d. 1. quæst. 1. Aa. & quol. 18. D. probantur, & explicantur singula; & primo quod aliquo modo propter finem operentur, præter rationes quas adduximus ex Arist. in expos. text. cit. posset adhuc probari. Tum quia appetitus naturalis, ut propro pondere feratur in suum objectum, nullam prærequirit cognitionem sui objecti, ut monet Doctor 1. d. 1. q. 5. in respons. ad ult. q. & arg. pro ea, sed sufficit habitualis directio, quod scilicet a Deo in primæva constitutione fuerit in proprium finem directus, & propensus, mediâq; ad illum consequendum ab eodem receperit, hinc si per impossibile Deus fineret causas secundas se solis agere, adhuc gravia deorsum, levata sursum tenderent ex propria, & innata natura in talem finem propensa. Tum quia si dicamus, agens naturale eo precise propter finem operari, quia jus finis, in quem tendit, amatur a primo agente secum concurrente, certe hoc esset affirmare, primam causam agere propter finem, non agens naturale. Quare agens naturale vere movetur naturaliter a proprio fine, in quem determinate tendit, ipsum naturaliter amat, & appetit, sicut agens liberum trahitur a proprio fine, cum tamen discrimine, quod motio in libero est proprie metaphorica, ac moralis, quia in eo fit cum præcognitione objecti amabilis modo libero, & interveniente libera elicitio actus secundi, qui est actus amoris, at motio in agente naturali non proprie dicitur metaphorica, & moralis, quia non fit prævia cognitione in ipso agente; neque per aliquem actum elicitum, quia ille amor naturalis est tantum inclinatio naturalis agentis in proprium finem, ut Scot. docet 4. d. 49. q. 10. A. sed est motio, quatenus naturali quodam pondere semper trahitur in proprium finem, & dicitur metaphorica, quia fit a fine per modum boni amabilis amore naturali, unde quod facit finis in apprehensione, & amore elicto agentis a proposito, hoc facit in inclinatione agentis naturalis, in quo nullum esse objectivum habet, sed tantum in Deo dirigente: & sic esse objectivum finis in mente agentis a proposito se habet ut conditio ad finaliter causandum, ut diximus supra, ita proportionate se habet esse finis in naturali inclinatione agentis naturalis, quia nisi agens naturale inclinaretur ad finem tanquam sibi bonum, nunquam ad illius consecutionem moveretur; & ita nunquam finis finalizaret, & tandem sicut in agente a proposito finis movet secundum esse possibile, quod habet in apprehensione, ita in agente naturali movet secundum esse, quod habet possibile in inclinatione, & propensione naturalis agentis.

206 Hac etiam ratione non dicitur se solo complete propter finem agere, sed potius tendere in finem, quia ad agendum complete propter finem requiritur, ut finis bonitas apprehendatur, & convenientia mediorum ad finem, in quem dirigantur, & ordinentur; quod potentiam exigit cognoscitivam; completur igitur a prima causa dirigente, & ordinante, cui immediate subditur; & hac distinctione conciliantur multa Doctorum dicta, quæ videtur inter se contraria.

Tandem de brutis, supposito ex dictis in libr. de An. quod bruta agunt quidem non per rationem, & discursum, neque ex naturali determinatione absque cognitione, ut lapis, sed naturali instinctu qui est actus phantasiæ, aut sensus interni, quo quasi practice indicat brutum, hoc esse sibi appetendum, vel fugiendum, quamvis non valeat rationem convenientiæ, vel disconvenientiæ discernere; hoc autem naturali iudicioposito, appetitus etiam naturaliter illud sequitur; ita colligitur ex Scot. 1. d. 3. q. 2. F. & ex Licher. ibidem, dum naturalem instinctum assignat Doctor pro ratione, cur ovis ad lupi intuitum fugiat.

Dicendum est cum communi, bruta, ut tendunt in objectum aliqua sensatione præcognitum, operari propter finem ex seipsis saltem materialiter, formaliter vero, ut subsum directioni primæ causæ, ita colligitur ex Scot. 1. dist. 1. q. 5. respondendo ad penult. quæst. & 4. dist. 45. qu. 3. D. & E. probatur, & explicatur simul, quia vere feruntur in objectum aliqua sensatione præcognitum sub ratione boni, & convenientis naturæ, & ut tale objectum ab ipsis appetitum consequantur, determinata media appetunt, & querunt tanta industria, ut quasi videantur ratione poltere. Attamen quia per cognitionem sensitivam non attingunt formaliter rationem finis, & medii, quia non possunt unum cum alio conferre, neque discernunt inter objectum convenientis propter se, vel propter aliud, nam ad hoc requiritur perfectior cognitio, hinc non dicuntur formaliter propter finem agere, sed materialiter; ut vero directioni su-

superioris causæ subsunt, cognoscentis finem, & media, possent dici formaliter agere. Tum quia si agentia absque cognitione dicantur agere propter finem, multo magis bruta, in quibus finis habet esse aliquo modo objectivum, quia appetitus sensitivus non fertur in objectum nullo modo præcognitum, & consequenter movetur appetitus non solum amore naturali, verum etiam elicto, unde potest melius salvari causalitas finis, seu modo metaphorico in brutis, quam in non sensitivis.

207 Solum posset dubitari, quomodo bruta tendunt in finem omnino incognitum; etenim formica hoc anno producta adhuc triticum congregat, ut hyemali tempore se possit conservare, hirundo nidum fabricat, quamvis nunquam pepererit, & similia exempla habentur apud naturalium rerum scrutatores, & tamen nec formica cognitionem habuit de transigendo hyeme, nec hirundo de pullis alendis. Resp. tamen, bruta duos fines habere proximos, & remotos, proximos agnoscunt, & ut convenientes apprehendunt, & per consequens appetunt, sic habet collectio tritici in formica, & palæarum in hirundine, remotos appetunt solum appetitu naturali, non cognoscunt, dirigitur tamen a prima causa; quare propter istos fines dicuntur agere eo modo, quo agentia naturalia in finem tendere diximus supra. Quod diximus de brutis, ut sensitiva sunt, affirmandum erit etiam de homine, quatenus potentis sensitivus operatur, immo ut etiam intellectiva potentia est præditus, sed in quantum actiones istæ præcedunt voluntatis actum, ut sic enim se habent ut agentia naturalia.

ARTICULUS VII.

Enumerantur effectus finalis causæ.

208 **A**dvertendum, ut colligitur ex Scoto q. 4. Prol. E. & 1. d. 1. q. 3. quod actus finem respicientes sunt diversi, quidam enim directe respiciunt finem, vel absolute, & secundum se, ut amor, & simplex complacentia finis, vel ut obtinendum, ut est intentio, & desiderium; alii versantur circa media, est ratio finis, talis est electio, consultatio mediorum, usus, & applicatio eorumdem, qui sæpe est actus alterius potentie imperatus tamen a voluntate; alii tandem versantur circa finem jam adeptum, & possessum, ut gaudium, delectatio, &c. ad sunt etiam effectus externi resultantes ex actionibus agentis, ut domus, medicina, &c. quorum aliqua possunt adhuc dupliciter considerari, vel ut ab agente aliquo casu proveniunt, & per accidens, & in hoc sensu de illis non loquimur, clarum enim est, a fine non causari, quia tunc non per accidens, sed per se fierent; secundo ut sunt effectus causæ physicae per se, & ex intentione finis operantur, & hoc modo de illis loquimur, & querimus, an omnes illi enumerati actus possint dici effectus finalis causæ. De quibus certum est, actus circa media versantes, immo & ipsa media causari a fine, quia vere sunt propter finem ab agente, & ex amore finis procedunt, saltem mediate, scilicet ut a voluntate a fine mota imperantur, in quo causalitas finis consistit, finis ex dictis supra solum agens immediate respicit: similiter idem terminus productus, & in executione positus potest dici effectus sui ipsius in genere causæ finalis, quia agens per se illum producit, & consequenter ut est agens propter finem, solum igitur remanet difficultas de actibus, quia circa finem versantur ante ejus consecutionem, & post ejusdem adeptionem; de quibus aliqui negant, inter quos est Fuentes 2. Phys. q. 7. dist. 4. videtur tamen fere quæstio nominalis.

209 Dicimus cum communi, omnes illos actus connumerari posse inter effectus finalis causæ; ita colligitur ex Scot. 1. d. 2. q. 2. N. ubi ait, omne infinitum, id est quod finem pro causa non agnoscat est incausabile, & e contra, & rationem assignat, quia omne agens per se, agit propter finem, ergo quia isti actus sunt per se causati in genere causæ efficientis, dicuntur quoque effectus finalis causæ; & in 2. d. 40. habet, omnes actus humanos finem respicere; & probari potest, nam agens eliciendo actus tendentes in finem acquirendum, vere agit propter finem, a fine movetur ad talem actionem, alliturque, nec temere, aut casu agit, sed ex instituto, & per se, ergo vere elicitio illa erit causalitas finis, finemque actus illi respiciunt, non solum ut terminum, sicut ait Fuentes, sed ut causam, non enim aliud requiritur ad finaliter causandum; hinc recte dicimus amare nos finem propter seipsum, & propter suam bonitatem. Idem dicendum de actibus consequentibus acquisitionem finis, quia vere sunt elicti a voluntate per se, & causati ab objecto per se bono, & a ratione proposito invitante voluntatem, ut in ipso, ejusque possessione quiescat, & gaudeat propter illius bonitatem, quæ dependentia ad genus pertinet finalis causæ.

In oppositum arguitur. Tum quia ex Scot. q. 4. Prol. E. & alibi sæpe cit. art. 3. finis causat in ratione amati, & desiderati, ergo amor, & desiderium præsupponunt causalitati finis. Tum 2. quia finis est causa mediorum, solum enim est id, cujus gratia aliquid fit, nullus autem ex his actibus vere, ac proprie medium ad finem obtinendum. Tum 3. quia intentio finis non procedit ex alia intentione, nec amor ex amore, aliter esset processus in infinitum; at illud est propter finem, quod procedit ex amore, vel intentione finis, nam ly esse propter dicit ordinem ad finem ex aliquo priori actu oritur. Tum 4. quia ex 1. de Gen. 55. habitibus præsentibus,

cessat motus, ergo sine adeptio; non est amplius actio, nec causalitas finis, Tum 5. quia ex Scoto 1. d. 1. quæst. 3. datur actus neuter, qui nec intentio fit finis, nec electio mediorum, & tamen hic actus est humanus; non fit a casu, sed ex instituto, neque erit effectus finis, quia voluntas illo actu præcindit ab omni ratione propter se, quæ est ratio finis, & solum in objectum tendit, ut bonum precise, non propter se, aut propter aliud, ergo non quilibet effectus agentis per se debet esse effectus finalis causæ.

210 Resp. ad 1. Sco. ibi non loqui de causalitate finis universaliter sumpta, sed in particulari, de ea, quam habet circa media; vel si loquitur universaliter, non est intelligendum Scoti dictum formaliter, & terminative, quasi quod non causet, nisi terminando amorem, & desiderium agentis erga seipsum, sed principiative in hoc sensu, quod finis non causet, nisi in ratione allicientis, excitantisque moraliter agens, ut semetipsum physice moveat ad producendum in se amorem, & desiderium sui, Ad 2. utique erga media expressius intelligitur finis finalizare, quia supponitur finis dilectus & amatus, non solum tamen media, sed quicquid est ex propria motione finis præconcepiti sub ratione boni propter se diligibilis a fine dicuntur causari. Ad 3. patet ex dictis ad primum, non enim ad causalitatem finis prærequiritur amor, & intentio, nec ly esse propter dicit ordinem ad finem amatum, sed ad finem allicientem ad operationem, ita ut vere agens in actum exeat propter finem, quod reperitur in elicitioe amoris. Ad 4. dictum Arist. non intelligi de omni motu, sed de eo, qui est tendentia ad consequendum finem non jam presentem: at delectatio non dicitur, per quam voluntas movetur ad finem, sed potius per quam quiescit, & possidet finem modo quodam vitali, qui est cum actione voluntatis. Ad 5. dicimus, actum illum esse aequaliter propter finem non formalem, sed virtualem, quia voluntas vult objectum præsentatum sub ratione boni precise propter bonitatem finis disjungit, scilicet vel in illo objecto existentem, vel in alio, ad quod ordinatur, & hæc virtualis tendentia in finem sufficit, ut actus ille humanus dicatur, & non temere, nec a casu productus, sed a proposito, ut fatus in lib. de Anim. disp. 7. cit.

QUÆSTIO IX.

De causis per accidens.

211 **P**ost tractatum de causis per se disputat Arist. de causis per accidens, scilicet de casu, & fortuna, sic nos Philosophi vestigia sectantes, post disputationes de causis per se, hanc subiungimus questionem de causis per accidens, casu, & fortuna, & quoniam monstra videntur esse effectus casus, vel fortunæ, & fatum opponitur casui, & fortunæ, idcirco aliqua de monstris, & de fato dicemus.

ARTICULUS I.

De casu & fortuna.

212 **S**cotus quol. ult. diserte agit de fortuna, P. Faber de præd. disp. 57. cap. 5. & nuper erudite, & fute Pater Sghemma 2. Phy. digress. 17. ideo breviter aliqua tangemus. Nominem fortunæ intelligunt omnes causas eorum effectuum agentis liberi, quorum determinatam causam nescimus assignare, cum raro eveniant, & præter intentionem agentis, quod patet experientia, multa enim accidunt non precise, nec intenta ab agente; unde falsum quidem Antiqui de medio tollebant fortunam; quam aliqui dixerunt esse Deam quandam rebus humanis præsentem, easque cui liberit, sine ratione distribuentem; alii esse causam aliquam per se, sed occultam, a qua effectus, quos fortuitos appellamus, proveniunt; alii apud Plutarchum in opus. de Rep. Stoic. dixerunt, esse causam quandam per universum diffusam, voluntatem humanam in unam partem inclinantem, cum est anceps. Tandem Arist. in lib. de bona fortuna, ut explicat Doct. cit. ait, esse impetum quandam a natura proveniente, quo aliquis absque ulla ratione movetur ad agendum aliquid, quod sibi in bonum vertitur, est bona fortuna, quia scilicet hac occasione aliquid bonum acquirit, vel evitat malum; qui impetus, ait Doctor, non est in anima, quia secundum Arist. ibidem, ubi plurimum de intellectu, ibi minimum de fortuna, & tamen si ab anima, vel in ipsa esset, oppositum eveniret, quia quo anima nobilior esset, eo perfectiorem impetum haberet; erit igitur in corpore, scilicet dispositio quædam consequens complexionem determinatam, qua anima, & si ignobilior, qualis est illa insipientis, melius agit, quia nobilior habet impellens, sicut navis male regibilis melius frequenter navigat, non ex se ipsa, sed propter perfectiorem gubernatorem, quam opinionem fute tradit, & tuetur Bonet. 3. lib. suæ Phys. c. 1.

212 Dicimus tum fortunam non esse aliquam peculiarem causam per se institutam ad talem effectum, sed esse causam efficientem a proposito creatam, quatenus per accidens, & præter intentionem cum effectu per se illius conjungitur alter effectus raro, & non intentus; quæ causa definitur ab Arist. Phys. 52. quod sit causa secundum accidens in his, quæ secundum electionem eorum, quæ propter aliquid sunt. Ita Doctor quol. citat. & primo, quod non sit aliqua causa determinata probatur, nam præcipue in homine, cum effectus fortuiti a

voluntate dependeat, non potest dari aliqua causa per se impellens voluntatem. Tum quia multitudo Deorum est inanis, & repugnans, ut Theologi omnes fatentur. Tum quia si esset aliqua naturalis causa, puta impulsus ille, tunc effectus fortuiti non raro, sed semper evenirent, & quia semel bene fortunatus, semper talis esset, & de fortuna in hoc sensu locuti sunt Patres, quando fortunæ nomen damnarunt, est igitur *Causa* (ut definitionem Arist. explicemus) quia fortuna quandoque accipitur pro effectu fortuito, ut patet ex 2. Phys. 55. & accipit Boet. 5. de consol. prof. 1. at in præsentide fortuna ut causa est sermo. Dicitur *secundum accidens*, quia non est causa per se, sed per accidens, non quidem ex parte causæ, sed ex parte effectus, ut diximus in expositione textus 2. Phys. cap. 4. quæ dicitur illa, cujus effectui per se alter non habens necessariam connexionem conjungitur, & consequenter, quod iste effectus neque semper, neque ut plurimum eveniat, quod raro, neque ab agente intentus. Additur *in his, quæ secundum electionem*, quia fortuna in hoc differt a casu, quod illa est in agentibus a proposito, iste vero in agentibus naturalibus, ut notavimus cum Arist. super tex. cit. Tandem dicitur *eorum, quæ propter aliquid sunt*, non quod effectus fortuitus sit ab agente intentus, sed quia semper est cum alio conjunctus per se intento ab agente.

Ex quibus colligitur 1. quod fortuna, si formaliter sumatur, dicitur habitudinem causæ ad effectus præter necessitatem, & intentionem evenientem, si fundamentaliter, non est aliqua causa per se distincta ab intellectu, & voluntate, sicut casus non est alia entitas distincta ab entitate agentis naturalis, quod enim dicimus de fortuna, intelligitur etiam dictum de casu, quia in omnibus conveniunt præter in hoc, quod fortuna est in agentibus a proposito, & per electionem, casus in agentibus naturalibus.

213 Colligitur 2. effectum fortuitum illum esse, qui per accidens, & præter agentis intellectualis intentionem conjungitur effectui ejus per se intento, vel saltem loco illius evenit, ut si quis fodiens terram, & aquæ inventionem intendens, cum aqua, vel loco illius invenit thesaurum: unde duo, & ad summum tria sunt de illius ratione, primum, ut raro eveniat, scilicet præter semper, & frequenter, facta tamen suppositione causæ, ut notat Doct. 1. dist. 2. qu. 7. S. sæpe enim est rarus effectus, quia raro ponitur causa, quamquam illa posita, semper, vel frequenter sequatur effectus; secundum, quod eveniat præter agentis intentum. Tertium quod tale agens sit intellectuale; nam si esset irrationale, diceretur effectus casualis: hinc si aliquis effectus non esset per se intentus ab agente, haberet tamen necessariam connexionem cum effectu per se intento, non diceretur fortuitus, ut cum quis extendit manum in aquam ad capiendum pisces, non intendens madefactionem, madefactio non esset a fortuna; & si effectus intenderetur, quamvis non haberet necessariam connexionem, neque esset fortuitus, ut cum lufor ex ludo percipit lucrum, quem intendit, quamvis raro, & absque necessaria connexionem illi eveniat.

Colligitur 3. effectus ad utrumlibet, scilicet qui sunt ab aliqua potentia, quæ est indeterminata ad operandum, & non operandum, vel ad oppositos actus efficiendos, ut sunt omnes actiones a nostra voluntate pendentes, non esse proprie fortuitos, contra Avic. 1. suffic. cap. 13. & alios oppositum afferentes, ratio est, quia effectus fortuitus debet esse conjunctus per accidens cum aliquo effectu per se, fitque semper præter intentionem agentis, quæ effectui ad utrumlibet non conveniunt, ambulatio enim, quamvis possit non produci a potentia motiva imperata a voluntate, si non imperaretur, attamen & intenditur a voluntate, & nulli effectui per se conjungitur contingenter, & raro extra semper, & frequenter. Tum quia vel ambulatio confertur cum potentia motiva determinata a voluntate, & ut sic non erit fortuita, quia provenit semper, vel frequenter, ut etiam fatetur Avic. vel cum potentia motiva, ut ab omni determinatione voluntatis præscindit, quomodo non est causa ambulationis proxime, & si hac ratione diceretur fortuita, tunc omnis effectus ad utrumlibet, & causæ indeterminatæ essent fortuiti, unde omnes generationes essent casuales, quia materia ex se indifferens est ad omnes formas, quod est falsum.

214 Colligitur 4. quod in quolibet effectu per accidens non solum datur causa per accidens, verum etiam causa per se, quia omnis effectus debet habere aliquam per se causam, a qua dependeat; v. g. voluntas est per se causa fossionis, per accidens vero inventionis thesauri, & ideo ad inventionem non satis est fossio, vel causa fossionis, sed requiritur, ut aliquis absconderit ibi thesaurum, ex quibus fit una causa totalis, & adæquata inventionis thesauri, tamen si inventio confertur cum utraque causa, a quibus fit simul unitis, non est fortuita, quia illæ causæ simul unitæ ut sic aptæ sunt efficere talem effectum semper, solum dicitur fortuita, quatenus concurrunt illarum causarum effectus fortuitus, & per accidens; at si conferatur cum alterutra illarum causarum, sic dicitur fortuita, quia per accidens unitur effectui per se, & præter intentum fodientis terram.

Colligitur 5. quod quamvis fortuna in omni genere causæ videatur reperiri, ut tenet Javel. 2. Phys. qu. 25. scilicet in causa materiali, si materia apta non sit ad effectum, ut si pannus est corrosus, in causa formali, ut pictor ille, qui projiciens indignatione motus pennicillum in imaginem equi, depinxit spumam ex ore cadentem, & in fine, ut cum inten-

dens unum finem, alium obtinet; & verum proprie loquendo, fortuna ad efficiens reduci debet, ut habet Arist. 2. Phys. 67. ratio est, quia fortuna est in agente a proposito, & propter finem operante, cui fini intento alter non intentus unitur, respectu cujus dicitur causa per accidens, sed talis causa est efficiens, ut patet; videtur autem in aliis generibus reperiri, quatenus conjunguntur cum agente ad causandum, unde esse corrosus, spuma depicta, & finis obtentus præter intentionem dicuntur effectus fortuiti non respectu panni, aut figuræ, sed respectu agentis.

215 Colligitur 6. respectu Dei nullum esse proprie effectum fortuitum, quia omnia prævidet, & nihil potest evenire præter ordinationem, vel permissionem Dei, quamvis enim peccata eveniant præter intentionem Dei, qua ratione Deus causa per accidens dicitur peccati, proprie tamen peccatum non debet dici fortuitum respectu Dei, quia est involuntarium sit ipsi Deo, non tamen est incognitum, quod requiritur ad rationem fortuiti effectus propriam. Dantur tamen effectus fortuiti, vel causales tam respectu Angelorum, corporum cælestium, & hominum a proposito agentium, quia virtus inferior non est ita universalis, & potens, ut virtus divina, ideoque poterit evenire aliquis effectus fortuitus respectu illius, si scilicet propter indispositionem materiæ, vel influxus alterius causæ impediatur agens ista sua causatione. Verum est tamen, quod pauca eveniunt fortuito per comparationem ad Angelos, & viros prudentes, quam ad insipientes, quia prudentes ut plurimum prævident, quid sint operaturi, quidque ea operatione sequi possit, turpe enim est viro prudenti dicere, *Non putavam*, & hoc est, quod ait Arist. in libro de bono. for. c. 1. ubi plurimum de intellectu, ibi minimum de fortuna; unde a puero, & amente abest omnis fortuna, quia non agunt a proposito, & propter finem, sed potius in agendo assimilantur agenti naturali, quamvis enim non careant actu primo intellectus, carent actu secundo expedito, & advertentia rationis in materia morali.

Tandem deducitur ex Scoto cit. fortunam esse duplicem, bonam & malam, bona, si bonus evenit effectus, mala, si malus, quod adhuc dupliciter potest esse, uno modo improprie, si effectus non est in nostra potestate, ut quod aliquis fit nobilis, vel ignobilis, natus ex divite, vel paupere, secundo proprie, si eventus est in nostra potestate, non per se, & primario, quia non evenit ex intentione, sed per accidens, & quasi secundo, quia est annexus effectui per se intento, & qui per se est in nostra potestate: si fortuna est bona, dicitur homo bene fortunatus, si mala, male fortunatus, ad quod requiritur, ut loquitur Doctor, ut non semel, aut semper bene, vel male eveniat, sed ut in plurimum non semel, quia una hirundo ver non facit, ex 1. Eth. c. 9. non vero semper, quia hoc non esset sine miraculo, cum enim causæ contingenter simul concurrant, nec sint in nostra potestate, non videtur naturaliter contingere posse, quod semper cum effectu per se intento fit alius fortuitus bonus, vel malus, sed aliquando variabitur fortuna; sufficit igitur, ut eventus fortuiti boni, vel mali ut in plurimum eveniant.

216 In oppositum arguitur 1. quod non dentur effectus fortuiti, vel casuales, nec casus, vel fortuna. Tum quia omnis effectus per accidens reducitur ad causam per se, ergo isti effectus per accidens reducuntur ad causam per se, ergo non erunt fortuiti, cum habeant per se causam. Tum 2. quia effectus fortuitus est ens verum, per se, ac determinatum, ergo non potest esse a fortuna, quæ est causa indeterminata, non vera: Tum 3. quia omnis actio est ad aliquem finem, nulla fortuita est ad aliquem finem, ergo non datur. Tum 4. sicut opinio nostra non facit ad esse rei, vel non esse, neque intentio nostra aliquid conferre potest ad esse per se, vel per accidens ipsius effectus, ergo non facit effectum fortuitum. Tum 5. quia inventio thesauri, quæ maxime dici solet fortuita, habet determinatam causam, scilicet fossionem, ergo non erit fortuita, cum effectus fortuitus non sit a determinata causa. Tum 6. quia omnia a Deo prævidentur, & disponuntur, ergo nullus effectus erit fortuitus, quia necessario eveniet; & si respectu Dei non datur effectus fortuitus, non videtur dari posse respectu agentis particularis.

Resp. ad 1. ex Sc. 2. d. 25. R. quod illa propositio, omnis causa per accidens reducitur ad causam per se priorem, intelligitur, vel quod reducitur ad seipsam, ut est causa per se respectu alterius effectus, sic fodiens terram est causa per accidens inventionis thesauri, sed est causa per se inventionis aquæ; vel reducitur ad causam per se priorem origine, vel perfectione, ut est Deus. Ad 2. antecedens est verum quoad entitatem, non quoad causalitatem, & intentionem agentis, unde thesaurus inventus potest habere innumerabiles causas per accidens, scilicet vel quia fodiens intendit invenire aquam, vel lapidem, vel lignum &c. Ad 3. major est vera de actione causæ per se, & de fine movente agens ad operandum, non tamen de actione causæ per accidens, quæ licet non habeat finem ut causam, & ut est id, cujus gratia, habet finem in ratione terminantis actionem, quamvis non intendatur. Ad 4. quamvis opinio, & intentio nostra non variant effectum quoad entitatem, variant tamen id, quod res habet ex parte agentis; patet enim quod ex intentione agentis potest effectus dici laude, vel vituperio dignus, ita ex ejusdem intentione dici poterit per se, vel per accidens, voluntarius, seu intentus, vel fortuitus. Ad 5. effectus fortuitus non dicitur

ARTICULUS II.

An monstra intenduntur a natura.

219 **M**onstrum definitur ab Arist. 2. Phys. 82. quod sit *Peccatum illius, quod propter aliquid agit*; & 4. de Gen. An. c. 4. est *Oblastio rei præter naturam ejus in eis, quæ non semper, sed ut plurimum agunt, ex quibus definitionibus a Doctoribus una completa colligitur; scilicet quod sit effectus naturalis a re, & solita dispositione secundum speciem notabiliter degenerans ob aliquid impedimentum*. Dicitur effectus naturalis loco generis, & ad differentiam artefactorum, in quibus proprie monstra non sunt, sed errores: dicitur *degenerans a re, & solita dispositione*, quia monstrum ut monstrum deficit a conditionibus requisitis ad res naturales ex vi generationis, unde formaliter in defectu, seu privatione debita perfectionis consistit, & hoc significat *secundum speciem*, non quod monstrum necessario alterius debeat esse speciei, sed quod conditio deficiens sit debita ex vi generationis illi specificæ naturæ, ut si homo quatuor manus habens nasceretur; additur *notabiliter*, quia si parvus esset defectus, non causaret admirationem, nec raro eveniret; tandem dicitur *ob aliquid impedimentum*, quia ad monstrum due causæ concurrunt, una impedita, quæ est virtus alicujus causæ perfectæ, & completæ, altera impediens, ne illa suum consequatur effectum in statu perfecto. Talis autem causa potest esse multiplex, sicut ex multiplici capite provenire potest impedimentum; 1. ex parte materiæ, si excedat, vel deficiat; 2. ex parte efficientis, sive principalis, ut est virtus formativa fœtus, sive instrumentalis, ut calor, vel alia qualitas; 3. ex parte loci, seu matricis, aut membranæ, qua tegitur fœtus, si scilicet scindatur, & semina, quæ loco distabant, miscantur, unde varia monstra ex varia seminum confusione oriuntur, de quo Scotus in 4. d. 6. q. 2. F. 4. potest esse ex timore matris, vehementi desiderio, & imaginatione, unde filii signati alioquoties procreantur; 5. ex aspectu, & influenza Cælorum secundum Alb. & Niphum, eo quia certis effectibus certa quoque constellatio requiritur, quæ si desit, & alia opposita adsit, monstrum generatur, unde proprie monstra in animalibus dantur, minus proprie in plantis, improprie in cæteris, quia pauciora requirunt; de quibus causis fuse agit Ant. Roc. 2. Phys. q. ult. ubi multa curiositati satisfaciencia declarat. Monstrum igitur potest considerari vel secundum naturam specificam præcisè, vel secundum id, quod fundat privationem conformitatis ad rectitudinem, debitam ex vi generationis illi speciei, quod potest esse quid positivum, ut si homo biceps oriretur, vel quid negativum, si esset absque manu, carentia enim manus fundaret aliam privationem conformitatis ad rectitudinem, & formam debitam humanæ naturæ, in qua privatione fundata consistit formalitas monstruositatis, ut in simili diximus disp. 4. q. 1. art. 2. de peccato: quæstio est, an monstrum dicatur casualis effectus, an vero effectus per se intentus a natura.

220 Prima opinio ait, esse causalem effectum, ita Them. 2. Phys. tex. 64. Burl. tex. 82. Tat. qu. ult. dub. 3. Sghem. digress. 19. qu. 1. Alii negant ut in Simpl. 2. Phys. 64. Niphum tex. 83. Alii distinguunt, monstrum intendi quidem a causa impediens, non tamen a causa impedita, respectu illius erit effectus per se, respectu istius effectus per accidens, & casualis, ita Tol. 2. Phys. q. 13. Alii Conimbr. c. 9. q. 6. art. 1. non intendi ajunt a causa impediens, vel impedita, seorsim sumptis, sed simul unitis. Alii quod intendatur a causis universalibus, non vero a particulari causa, ita Suar. disp. 10. Met. sect. 12. n. 4. Malus 2. Phys. disp. ult. sect. 1. quæst. ult. per causas universales intelligunt vel Deum ipsum, vel cælestia corpora, vel concursum omnium causarum, per particularem vero aliquod ens determinatum. Tandem Ruvis 2. Phys. cap. 9. quæst. ult. monstrum intendi etiam a causa particulari, secundaria, non primaria intentione.

Hæc tamen difficultas faciliter potest solvi; nam certum est, a Deo ut causa universalis monstra per se intendi, quia ut diximus, respectu ipsius nullus datur effectus fortuitus. Similiter si sumantur simul causa impedita, & impediens, tunc monstrum per se produci dicitur, quia habet causam certam, & determinatam, sicut si fossio terræ; & depositio thesauri in illo loco simul uniantur, inventio thesauri fortuita non erit ex dictis supra: attamen si de causis particularibus seorsum sumptis loquamur, non erit monstrum per se intentum neque primaria, neque secundaria intentione, ita ut a ratione casualis, vel fortuiti effectus excludatur, quod potest probari; nam effectus per accidens est, qui raro evenit, & causis per accidens conjunctis, ita ut per se non intendatur, monstrum raro evenit; causæ per accidens uniantur, ab illis per se non intenditur, quia tunc arguimus effectum aliquem per se intendi a sua causa, quando directe vult illum, si est libera, vel habet potentiam illius productivam, & in illum influit, si est causa naturalis, modo causa monstri impedita non habet potentiam productivam ipsius, immo totum oppositum, quia si posset, effectum perfectum produceret, neque causa impediens, quia hæc multoties est quid privativum, ut quando monstrum evenit ex defectu materiæ; tunc quia si est quid positivum, ex se potentiam habet producendi aliquem effectum per se, cui per accidens monstrum conjungitur, ut causa dirumpens mem-

tur esse a causa indeterminata, quia quando fit, nullam habeat certam causam, sed quia ex natura sua non potest esse ab illa causa, sed poterat esse ab innumeris causis, & per accidens est, quod illa causa simul concurrant, ut diximus ad 2. & in quarto corollario. Ad 6. Deus ita ordinat causas, ut si fiat motus suos agere, quapropter vere per accidens illa causa inter se conjunguntur, quia contingenter, non necessario, concursus enim Dei, & determinatio divina non tollit contingentiam a rebus, ut communiter docent Theologi, neque ex hoc, quod non datur effectus fortuitus ex parte Dei, sequitur neque dari ex parte creaturæ, quia quod intenditur ab uno, potest non esse intentum ab alio; est vulgatum exemplum de Domino, qui duos servos mittit ad loca diversa, sed ut sibi in medio itineris occurrant, nescientes tamen hanc Domini intentionem, occursum iste respectu servorum est fortuitus, quia præter intentionem utriusque, sed respectu Domini est effectus per se, quia ab eo prævidetur, & intentus.

217 Secundo arguitur contra definitionem fortunæ. Tum quia Arist. pluries in moralibus fortunam Deam quandam appellat, vel impulsam quandam, quo homo ad bene, vel male agendum impellitur. Tum 2. quia sine aliqua ratione moveretur unus ad actionem aliquam efficiendam, ex qua eventus sequitur bonus, non moveretur alter, ergo hoc provenit ab occulto aliquo impulsu. Tum 3. quia ad effectum fortuitum non requiritur hoc, quod est, non intendi, nam Arist. 2. Phys. 40. formans rationem veterum negantium fortunam, ait, *ut veniendi a fortuna in forum, & rependiendi quem volebat quidam, non autem putabat, causa est velle, cum venerit emovere, ergo si volebat invenire, illa inventio intendebatur a fortuna*. Tum 4. ecliphs raro evenit, & tamen non est fortuita. Tum 5. quis ludendo intendat vincere, & vincat, talis effectus est fortuitus, nec tamen præter intentionem. Tum 6. quia si operatio fiat ut plurimum, est illi conjungatur per accidens aliquis effectus, ut si quis frequenter venit in forum, si aliquando præter intentum recipiat pecuniam, talis receptio non est fortuita ex 2. Phys. 51. ergo aliquid aliud requiritur ad rationem fortunæ. Tandem quia ut aliquis bene fortunatus dicatur, ex dictis requiritur, ut non semel, sed ut plurimum bonus effectus eveniat, non solum in universali, inquit Doctor, verum etiam in particulari, scilicet in eadem specifica actione, qualis est militaria, mercatura &c. ergo non est necessesse, quod effectus fortuitus raro eveniat.

Resp. ad 1. Arist. in moralibus varie esse locutum, & potius secundum vulgi opinionem. Ad 2. non moveri ex impetu, sed potius ex sua libertate, & ex divina dispositione; ut dicitur in tract. de concursu Dei, & de radice libertatis. Ad 3. solum sequitur, effectus fortuitos esse in illis rebus, quæ appeti possunt, & eligi, ita ut *volebat* non intelligitur de volitione actuali, sed habituali, quatenus si prævidisset, voluisset effectum illum. Ad 4. ecliphs raro evenit, quia raro ponitur causa, cum qua necessariam habet connexionem, non vero raro evenit, quia raro conjungitur cum effectu per se, quod requiritur ad effectum fortuitum. Ad 5. lucrum illud simpliciter non esse fortuitum, quia intentum, sed secundum quid, respectu scilicet actionis, quæ ex natura sua non est ad talem effectum ordinata, & raro lucrum cum ipsa conjungitur. Ad 6. quando actio raro fit, & cum ipsa raro sit annexus effectus per accidens, maxime ille effectus fortuitus diceretur, at si actio ut plurimum sereret, dummodo raro effectus eveniat, adhuc esset fortuitus. Arist. vero loquitur, quando actio frequenter fit, & frequenter cum effectu conjungitur. Ad 7. dicitur, ad rationem fortunæ sufficere, quod actio ex sua natura non necessarii, nec ut plurimum cum effectu fortuito uniantur, quod vero respectu alicujus personæ effectus ille sæpe contingat, non tollit rationem fortunæ, quia hoc etiam raro evenit, unde raras ista, scilicet unionis, ut in plurimum victoria cum milite effectus esset fortunæ.

218 Tertio inflatur, quod fortunæ fundamentaliter non sit intellectus, & voluntas; tum quia Arist. supra cit. ait, ubi plurimum de intellectu, ibi minimum de fortuna; & vice versa, ergo fortuna non est intellectus. Tum 2. quia fortuna est causa indeterminata, intellectus, & voluntas sunt causæ determinatæ. Tum 3. intellectus est prior fortuna 2. Phys. 67. ergo non est fortuna. Tum 4. quia Arist. in lib. de bona fortuna ait, fortunam esse sine ratione naturam, unde cæca, fallax, inconstans dicitur. Tum 5. intellectus cum voluntate non est causa adæquata inventionis thesauri, ergo fortunæ fundamentaliter aliquid aliud erit.

Resp. ad 1. non loqui Arist. de intellectu in actu primo, quo modo re vera est fortuna, sed de intellectu in actu secundo. Ad 2. voluntas est causa determinata, ut respicit effectum per se, non in ordine ad effectum per accidens. Ad 3. fortuna formaliter sumpta est posterior intellectu, quia dicit relationem; vel loquitur de primo intellectu, & universali natura, qualis est Deus, qui causa universi dicitur. Ad 4. loquitur secundum vulgaram opinionem, quod sit impulsus quidam. Ad 5. concedimus, intellectum cum voluntate non esse causam adæquatam effectus fortuiti, quia nec fortuna talis est, concurrunt enim simul alia causa per se, quæ tamen non est fortuna.

membranas, ex qua scissione unio seminum sequatur, per accidens est quod deinde fetus generetur cum duplici capite, vel ore; item si monstrum ex nimio calore proveniat impediendo perfectam formationem prolis, imperfectio prolis per accidens unitorum calori producto, qui est effectus per se proveniens a causa impediendo; tum quia nulla causa per se intendit generationem impedire.

221 Nec valet, quod ait Ruvius monstrum a causa impedita intendit non primario, sed secundario, quatenus natura, quia non potest effectum ad debitam perfectionem reducere, intendit ad minorem, unde dicitur per accidens simpliciter, quia non intentum primario, per se secundum quid, quia secundario intentum: non valet quia nisi de verbis velimus contendere, nullus erit effectus pure casualis, quia quilibet saltem secundario intenditur.

Respondet, duplicem esse causam per accidens, unam, quae nec per se primo, nec per se secundo influit in effectum, sed est pure per accidens, & effectum pure per accidens causat, ut est percussio a lapide descendente, & lapis ipse descendens, qui nullo modo influit in percussorem, eo quia percussio non habet necessariam connexionem cum motu deorsum, quem primo lapis intendit, neque ad illum ullo modo pertinet: alia est, quae per se secundo saltem influit, quia effectus sequens habet connexionem cum eo, quem per se primo intendebat, aut propter imbecillitatem ejusdem causae per se, aut propter aliam contrariam naturaliter ei conjunctam, talis est causa monstri.

Sed etiam percussio lapis stante ista doctrina esset effectus non pure casualis, & inventio thesauri, quod est contra ipsum. Sequela prob. quia si causa illa est per se secundo influens, quia habet aliam causam naturaliter conjunctam, ideo influit in effectum sequentem, jam lapis supposito itinere Petri per illum locum, etiam per se secundo causabit percussorem, eo vel maxime quia habet potentiam positivam percutiendi, & causam aliam annexam, scilicet iter Petri; si vero per naturalem connexionem intelligitur quoddam vinculum ex naturis causarum inter ipsas proveniens, quia tale vinculum nec etiam est inter causas monstri, monstrum erit effectus pure casualis. Ex alio igitur cap. dicere possumus, monstrum alicqualiter deficere a ratione completa casualis effectus, quia ex parte causae impeditae non habet effectum per se, cui uniat, nisi loquamur de monstro formaliter sumpto, scilicet de illa negatione: tum quia habet fere causam certam, & determinatam; ideoque difficultas ista videtur aliquo modo nominalis.

222 Dices, natura agit propter finem, ergo cum causat monstrum, ipsum intendit. Tum 2. natura in generatione monstri, etsi impedita progreditur, non sinit, ergo intendit ipsum, quia generatio habet aliquid pro fine. Tum 3. quia quando unum alicujus speciei est per se intentum, etiam alterum ejusdem speciei, monstrum est ejusdem speciei cum aliis individuis ejusdem naturae. Tum 4. quia D. August. 21. de Civit. cap. 28. ait, monstra esse non contra naturam, sed contra notam naturam, ergo & si causae incognitae, adhuc natura intendit illa.

Resp. ad 1. ut ad tertiam confirm. primi arg. in praec. ar. Ad 2. natura progreditur intendendo finem, quo frustratur in fine actionis, & similitudinem cum figura debita illi speciei ex vi generationis, quia est agens naturale, quod semper agit, nisi totaliter impediatur, nunquam autem nec per se primo, nec per se secundo intendit dissimilitudinem, & monstruositatem. Ad 3. si monstrum est ejusdem speciei cum aliis individuis, sic quia adipiscitur natura similitudinem effectus in specie, & quidditate, ut sic non erit monstrum, neque effectus casualis, sed solum talis erit ratione deformitatis in figura; at si est alterius speciei, tunc totaliter erit monstrum, & casualis effectus. Ad 4. Aug. solum ait, causas monstri a nobis non cognosci, non vero quod ab illis intendatur.

ARTICULUS III.

De Fato.

223 Quoniam ex dictis patet, non omnes effectus fortuitos esse, quia multae secundae causae agunt per se, & finem intendunt, nec respectu Dei aliquem dici fortuitum, cum omnia praevideat, & ad omnes effectus concurrat, aliter omnisciens non esset; hinc multi putarunt, omnia ex necessitate fieri, & ex aeterna quadam, ac invariabili ordinatione, quam coordinationem, & collectionem necessariam causarum Fatum appellarunt, hoc est, aliquid quasi invariabile ordinatum, & constitutum, sunt autem praecipue tres modi explicandi talem necessitatem, & Fatum.

Primus est quorundam Astrologorum dicentium, omnes effectus in hoc inferiori mundo inevitabili necessitate fati evenire,

re, quod consistere, ajunt, in efficacia, & vi coelestium influxuum, non solum quoad effectus naturales producendos, sed etiam quia a nostra pendent voluntate, cum actionem directam, & immediatam ponant in syderibus respectu nostrae voluntatis ipsam necessitantibus ad agendum; quem errorem secuti praecipue Priscillianista haeretici. Secundus modus est aliorum, quia hunc ordinem causarum sic a divina voluntate procedere volunt, ut etiam ipsi divinae voluntati necessitatem tribuere dicant putantes forte, Deum ex necessitate naturae agere ad extra, & abique libertate, itaut non potuerit aliter res condere, & gubernare, quam modo faciat; ita multi ex Poetis de Fato locuti sunt, & ex haeticis Petrus Abailardus, ut refert Alphonsus de Castro verbo *Libertas*. Tertius modus explicandi dictam Fati necessitatem est Calvinii, Lutheri, & aliorum veterum haeticorum, qui necessitatem fati ponunt non in astris, sed a divina voluntate, volunt enim Deum ita movere, & applicare secundas causas ad agendum, ut omnes agant necessario id, ad quod determinantur a Deo, & applicentur ad agendum, & licet potuerit Deus ab aeterno alter confluere res, & ordinare, posito tamen, quod ita ordinavit, secundum fatalem necessitatem omnium causarum etiam voluntas humana necessario, & abique libertate agent.

Verum isti tres modi dicendi manifestum includunt errorem, nam vel tollunt libertatem, & omnipotentiam a Deo, ut facit secundus, vel saltem a nobis omnem auferunt libertatem, quo nihil absurdius, nec alio modo inquit Doct. satis argute 1. d. 39. §. *Quantum ad primum*, &c. contra istos esse disputandum, quam ipsos tormentis exponere, quousque concedant, quod possibile est, eos non torqueri; unde si fatum in uno ex istis sensibus fatum, vitandum est a Catholicis, & hoc asserunt sancti Patres, cum fati nomen tanquam impium abhorreant.

224 In alia igitur acceptione fati nomen usurpari potest a Catholicis, quatenus dicit dispositionem secundarum causarum in ordine ad suos effectus a divina providentia constitutam; quomodo definitur a Boet. 4. de cons. prof. 4. *Fatum est rebus mobilibus immobilibus inherens dispositio, juxta quam divina providentia suis quaque necesse ordinibus; quae definitio explicatur, nam fatum potest dupliciter sumi, uno modo pro actu divinae voluntatis omnia disponente, & ordinante, & hoc modo non differt a divina providentia, qua Deus cuncta gubernat, & regit, secundo ut talis ordo est in ipsis causis secundis dispositis, & ordinatis, & hoc modo sumitur in praesenti, ideoque recte dicitur *dispositio inherens rebus mobilibus, juxta quam* &c. additur *immobilis*, contra Aegyptios veteres, asserentes, fatum esse mobile, & mutabile, & quibusdam precibus, & sacrificiis posse mutari, quod tamen est falsum, quia tunc Deus non esset immutabilis, quod maximam diceret in ipso imperfectionem; posito igitur ordine causarum secundarum a divina voluntate constituto, necessario, & infallibiliter eveniunt effectus omnes, quos ab aeterno praevit fecerunt, non enim falli potest divina scientia; ista tamen necessitas effectus, & suppositionis, non necessitas causae, & simpliciter, quia Deus ita suaviter disponit, ut finat causas secundas motus suos agere, unde causa libera adhuc libere occurrit; quomodo autem cum ista infallibilitate salvetur libertas secundae causae, est res perardua, & theologica, illam pertractant P. Faber cit. art. praec. p. sent. disp. 57. P. Sghemma 2. Phys. digress. 18. & P. Vulpes 1. p. disp. 30. & 2. p. disp. 6. & 7. omnes Theologi.*

Ex dictis deduci potest 2. fatum formaliter esse relationem illam inter causas a Deo ordinatas repertam, fundamentaliter dicere entitates causarum secundarum: 2. quod a fato dependent omnia illa, quae a causis secundis eveniunt; quae tamen a solo Deo producuntur, non subijci fato, quia non respiciunt causas secundas ordinatas, & dispositas a Deo. 3. quod fatum si in ordine ad suum principium spectetur, quod est divina providentia, est unum, sicut unica est providentia, si vero in ordine ad effectus, vel ad causas ordinatas, & dispositas est multiplex, sicut multiplices sunt, & diversae causarum dispositiones. 4. quod fatum, licet spectet praecipue ad causam efficientem, potest tamen pertinere etiam ad alia causarum genera, non solum enim causae efficientes sunt dispositae a Deo, verum etiam materiales, & formales, in quibus propria series, & ordo reperitur, Tandem quod fatum differt a casu, & fortuna, tum quia in aliis causis ab efficiente reperitur, ubi casus, & fortuna sunt solum in genere efficientis causae; tum quia fatum intendit per se proprium effectum, eo quia dicit causas ut dispositas a Deo, quo sensu reduplicative respicit effectum, ut infallibiliter secuturum, at casus, vel fortuna respiciunt effectus per accidens, & illos non intendunt, nec praevident; de fato vide pulchra apud Bonet. cit. lib. 3. suae Physicae cap. 2.

DISPUTATIO OCTAVA.

De Collatione causarum inter se, cum suis effectibus, & e contra.

1. **C**onstat ex dictis disp. 5. & disp. praec. quatuor esse causarum genera, materialem formalem, efficientem, & finalem, & ad haec quatuor caetera reduci, quae aliquo modo rationem causae participare videntur, ut significat Arist. 2. Phys. 31. forma quocumque modo subiecti efficientes, & denominantes, ad causam formalem, dispositiones ad causam materialem, si praecedunt formam in ratione receptivi, vel ad efficientem, si praecedunt in ratione obstacula removens ad formam introductionem; instrumenta, exemplaria, casus, fortuna, & fatum ad causam efficientem, ad quam etiam spectat obiectum, quando concurrunt ad actum ratione motivi, ut docet Scot. 1. d. 3. q. 7. ex professo, nam quando concurrunt solum in ratione terminativi, proprie non habent rationem causae, ut bene notavit Suarez in Met. disp. 12. sect. 3. n. 17. terminus enim in ratione termini nil influit in rem terminatam, ut patet ex verbo respectu hypostaticae unionis, & de termino cujuscumque relationis; quare frustra laborant querenes reducere obiectum in ratione terminantis, aut ad genus causae formalis, quatenus actum terminando specificat illum, & distinguit, quod est munus formae; aut finalis, quatenus potentia, & actus in illud tendunt, ut in finem. Constat item, solum in rebus materialibus, & subalternis haec quatuor causarum genera esse connexa, quia effectus spirituales carent materia, & forma, ut notat Doctor 3. dist. 22. quae. un. §. Quantum ad istum, &c. & etiam corpora caelestia in sententia Arist. ut notat 2. d. 14. qu. 1. Concedunt etiam omnes praesatam divisionem non esse immediatam, immediatius enim dividi poterant causae in extrinsecas, & intrinsecas, aut in realiter influentes in effectum, quales sunt efficiens, materia, & forma, & intentionaliter solum, qualis est finis, aut alio consimili modo, & sine ulla ratione recedit Sghemma a communi 2. Phys. digress. 9. q. 1. dicuntur autem haec quatuor causarum genera, quia unum quodque sub se plures continet species, nedum materialiter ex parte rerum, quae causae denominantur, quarum aliae sunt substantiae, aliae accidentia, sed etiam formaliter ex parte ipsius causalitatis, nam in genere efficientis causa alia est causalitas prima causa, alia secunda, in genere finalis, alia est causalitas finis ultimi, alia non ultimi, & in genere materialis, aut formalis causae, alia est causalitas materiae in formam, alia in compositum, alia item causalitas forma in materiam, alia in compositum. Haec omnia quae susus videri possunt apud Fabrum 5. Met. disp. p. & alios Scotistas 2. Phys. a nobis in hac disputatione, ut ex dictis consequentia supponuntur, & quaedam alia tradere intendimus, quae nec sunt ita communiter concessa, nec ita clare deducuntur ex dictis, ad complementum tractatus de Causis.

QUESTIO I.

Ubi conferuntur adinvicem quatuor causarum genera, & causa prima cum secunda.

Conferemus primo causas ipsas adinvicem, & postea cum suis effectibus, sed maxime etiam conferre juvabit aliquam causam primam cum secunda, ut naturam divini concursus cum causis secundis praesertim ordinis naturalis insinuemus, quantum Philosophiae satis est, & praecipue explicabimus, quid sit de hoc dicendum in Arist. sententia; haec enim tractatio ex professo ad Theologum pertinet.

ARTICULUS I.

Quatuor causarum genera adinvicem varie conferuntur.

Primo conferri possunt haec quatuor causarum genera in ratione communi causae, & quaeri potest, an in hac communi ratione omnes, & singulae conveniant univoce, vel analogice, an potius aequivoce, convenite univoce tenet Averfa q. 11. de Causis sec. 3. Jo. de S. Thom. q. 10. Phys. art. 2. & Manca 2. Phys. q. 2. dub. 2. non univoce, sed analogice tantum tenet Suar. disp. 12. sec. 3. & ita passim loquuntur alii. Sed consequenter ad dicta potius asserendum est, non dari conceptum univoce causae communem his quatuor generibus, & praesertim quem assignavimus disp. 5. q. 2. non esse talem, quia ideo communiter admittitur, conceptum assignatum causae, ut a principio distinguitur, esse quatuor causarum generibus communem, quia etiam causam finalem ponunt esse veram causam realem, & physicam, ergo cum non teneamus, esse metaphoricam tantum, & a causa reali maxime distantem, consequenter asserere debemus, conceptum illum communem causae, quod sit, quae vere, & realiter influit esse in effectum, non nisi aequivoce fini convenire, finem autem physice, & realiter in effectum non influere satis probatum est disp. praec. q. 8. art. 5. cum finis causae quando non existit, signum evidens, causalitatem ejus realem, & physicam non esse, sed tantum metaphoricam.

Nec juvat dicere cum Averfa cit. id probare tantum, finem cum ceteris causis non convenire univoce ex parte rerum, quae participant rationem, & denominationem causae, quod est non convenire materialiter, at formaliter posse convenire, quia ejus causalitas est realis, & realiter exercetur. Nam hoc est, quod superius implicare dicebamus, quod actus secundus sit realis, & non actus primus, a quo procedit; quod relatio causalitatis sit realis, & fundamentum non sit reale; quod dependentia effectus ad causam sit realis, & propria per verum, & positivum influxum causae in ipsum, & causa sit non ens. Nec hic dici potest, quod de privatione dici solet in ordine ad generationem, quia privatio, eo quia est non ens, ideo ponitur ab omnibus habere rationem principii respectu illius, & non causae, signum evidens, quod ad hoc, ut aliquid fungatur vero munere causae, debet esse ens reale, & actu existere.

Accedit, quod Recentiores communiter negant, causas intrinsecas habere veram rationem causae, cum eas non ponant realiter distinctas & communi constituto, ut patet ex dictis disp. 5. q. 13. ar. 2. ergo consequenter non loquuntur, dum conceptum communem causae ajunt univoce convenire quatuor causarum generibus, nam ex vi illius, effectus ponitur aliud quid a causa etiam in alteritate naturae, ut patet ex communi omnium explicatione ipsius conceptus causae, ut distinguitur a principio; quae vero contra hoc obijci possent, ex dictis de Causa finali facillime solvuntur.

3. Secundo comparari possunt in modo causandi, & quaeri potest, an modi causandi singularum sint ita diversi, ut coincidere prorsus nequeant; & quidem hujusmodi causae formaliter inspectae, & sub ratione causae praecise coincidere nullatenus queunt, nam alia, & alia semper est singularum ratio causandi, & alia est causalitas materialis, alia formalis, alia efficiens, alia finalis, ut satis ex superioribus constat. At materialiter inspectae, nempe pro rebus ipsis causantibus coincidere possunt, ut expresse indicavit Arist. 2. Phys. 70. & quidem respectu diversorum effectuum potest eadem res exercere singula quatuor causarum genera, sic enim anima v.g. est forma corporis, & hominis, est efficiens actionum vitalium, & earundem receptiva, seu materialis causa, est denique finis generationis, sicut quaecumque alia substantialis forma. Arist. vero modo cit. significans, causas posse hoc modo coincidere, materialis non meminit, quia ut notat Scot. 1. d. 3. q. 7. S. loquebarur de materia, quae est in potentia pure passiva, at sumendo materiam in ampliori significato, ut se extendit ad quodcumque subiectum, plane negari nequit, quod cum aliis coincideret non possit, ut docet ibi Doctor. Respectu etiam ejusdem effectus possunt coincidere, sed non omnes, sic Deus est Alpha, & Omega, hoc est, principium, & finis omnium, sic eadem anima ex Scoto nunc cit. est causa efficiens, & materialis suarum operationum, sic denique forma est finis, & simul forma materiae, ex quo patet, efficientem, & finalem, formalem, & finalem, rursus materialem, & efficientem coincidere posse in ordine ad eundem effectum; at non ita formalis, & materialis, quia conditiones exigunt repugnantes; ut nimirum una sit actus, altera potentia respectu ejusdem; similiter nec efficiens, & formalis, ut discurrenti patebit.

At urgebis, quod Arist. ait 1. Phys. 70. finem, & efficientem in idem specie coincidere, non autem numero, & 12. Met. 24. formam, & efficiens in unum numero conjungi. Resp. 2. Phys. Arist. loqui de fine cuius gratia, qui efficiens esse non potest, cum sit effectus ejus, & loquitur de generatione univoce, sicut cum homo hominem generat, ita enim exemplificavit ibi Philosophus ipse, non loquitur autem de fine cui, hic enim bene cum efficiente coincidere potest, ut quando quis ambulat, ut sibi sanitatem acquirat; & 12. Met. solum significare voluit, eandem esse formam rei constitutivam, & efficientivam operationum ejus, unde non loquitur de formali, & effectiva causa in ordine ad eundem effectum, sed ad diversos, quo sensu utique coincidere possunt.

4. Tertio comparari possunt quoad ordinem prioritatis in causando, & quaeri solet, cuius causalitatis sit prior; & tunc distinguendum est cum Scot. 5. Met. q. 1. de ordine intentionis, & executionis, & in priori ordine dicendum cum Doctore ibidem, quod extrinsecae prius causant, quia enim illae causant, ideo & intrinsecae causant, non e contra, quae causalitas indicare solet prioritatem intelligendi saltem cum fundamento in re, extrinsecarum autem prius causat finis, ille enim quia movet efficientem in ratione amati, ideo agens agit, non e contra, quod iterum docet 1. d. 2. q. 2. Sex Avic. 6. Met. c. 5. in causis vero intrinsecis causalitas forma est prior, tum quia propinquior est agenti, & fini, agens namque mediante forma dicitur transmutate materiam; tum quia ideo materia hoc suppositum intrat, & constituit, quia est sub hac forma, non e contra, atque ita in hoc ordine materia est ultima. At in ordine executionis, & existentiae, inquit Doctor, quod efficiens primum est, secunda est materia, tertia forma, quae

quæ in esse pendet ab efficiente, & materia, & ultima finis, absolute tamen, ait Doctor, finis dici consuevit prima causa, & causa causarum, quia ipse est causa, cui ceteræ sunt causæ, & proprias exercent causalitates, & ita locutus est Arist. 2. Phys. 31. & 1. Part. animal. c. 1.

Hic autem notandum est ex Scot. 2. d. 37. q. un. V. quod prioritas naturæ, quæ inter causas intercedit in causando adinvicem comparatas, non est prioritas naturæ essendi, quæ includit ea, inter quæ talis ordo intercedat, posse esse sine se invicem absque contradictione, prius nimirum sine posteriori juxta definitionem talis prioritatis ab Arist. assignatam 5. Met. c. 11. non enim prius natura materia materiatur, quam efficiens efficiat, ait Doctor, quasi sine contradictione possit esse materiatum, & non effectum, nec prius finis finalizat, quam efficiat, quasi finis aliquam habeat causalitatem antecedentem agentis actionem, quia causalitas finis in hoc formalissime consistit, quod agens aliquid agar propter ipsum, quare nulla motio, vel causalitas ejus esse potest ante hoc, quod aliquid fiat ab agente propter ipsum, præfatus igitur ordo prioris, & posterioris servatus inter causas in causando effectum eundem indicat solam prioritatem intelligendi cum fundamento in re, quatenus causalitas unius est ratio causalitatis alterius, ut dicebamus; totam hanc doctrinam de ordine causarum prioris, & posterioris ex Scoto loc. cit. transcribit Averfa q. 16. sect. 6. quem tamen grati animi gratia nec etiam nominat, quod vitium Recentioribus factis est familiare.

Quarto comparari solent quoad ordinem prioritatis in perfectione, & dignitate, & quamvis perfectio hæc attendi etiam possit ex ipsa entitate causarum, tamen quia hucusque locuti sumus de causis pro formali, nempe quoad modum causandi, & causalitates earum, & in hoc sensu causas ad invicem comparamus in hoc articulo, ideo sic eas comparando, dicimus cum Scot. 1. d. 2. quæst. 2. R. causas extrinsecas esse intrinsecas digniores, & perfectiores, & ratio est, ait Doctor, quia causalitas causæ extrinsecæ dicit perfectionem sine imperfectione, causalitas autem causæ intrinsecæ necessario requirit imperfectionem annexam, quia causa intrinsecæ est pars causati, hinc Deo tribuitur utraque causalitas extrinsecæ, nulla tamen intrinsecæ; ex causis intrinsecis vero inter se collatis certissimum est, formam esse perfectiorem materia ex Scoto 2. dist. 12. qu. 1. in fine, nam forma est actus, materia est potentia, & hæc appetit illam ut turpe pulchrum est etiam perfectior in ordine ad commune constitutum, ex Scoto 3. d. 2. qu. un. quia forma est principalior pars quidditatis specificæ illud constituens, & distinguens, unde modus causandi formæ, quem exercet tam circa materiam quam circa compositum, nobilior est causalitate materiæ, quæ & in ordine ad formam, & in ordine ad compositum semper est per modum potentiæ. Ex causis tandem extrinsecis ad invicem collatis, finis nobilioris modum causandi exercet, quia movet agens ad agendum, & actiones agentis ordinantur ad ipsum, ita Scotus 1. d. 2. q. 2. S. ubi proinde docet ex Avic. 6. Met. quod si de qualibet causa esset scientia, ipsa, quæ esset de causa finali, esset nobilissima, quod etiam dixerat 5. Met. q. 1.

Ad quia contra hoc obijci multa solent, nimirum quod forma vere in suo esse causatur a materia, & non e contra, & quod finis metaphorice tantum causat, & non realiter, ut efficiens, & quod finis sæpe est accidens, ac proinde potius in causis intrinsecis causalitatem materiæ esse nobilioris, & in extrinsecis causalitatem efficiens. Breviter ad hæc omnia, & similia dicendum est, quod hic non ponderamus perfectionem causarum ex rebus ipsis causantibus, sed ex modo causandi ipsarum, quæ formalis comparatio causarum adhuc fieri potest secundum majorem, aut minorem rationem influentis causarum, & dependentiæ effectus ab illis, ut notavit Averfa cit. ita quod illa dicitur perfectior causa, quæ magis influit in effectum, seu a qua effectus dependet magis, quæ formalis comparatio causarum in causalitate longe est diversa ab assignata superius, juxta enim priorem comparationem forma est perfectior causa materia, at juxta hanc posteriorem, res e contra se habet, quia forma dependet in esse a materia, non e contra, ita Scot. cit. 2. d. 12. quæst. 2. in fine. Hoc igitur posteriori modo causas ad invicem formaliter comparando talis inter eas servatur ordo, quod prima, & maxima causa est efficiens, a qua proinde hæc ratione sumpta est per autonomiam denominatio effectus, deinde respectu compositi forma est perfectior causa, quam materia, sed in ordine ad se invicem materia est perfectior causa forma, quia materia dat esse simpliciter, & primum formæ ex ejus potentia educat, non ita forma materiæ, quia eam simpliciter supponit, & causat solum in tali, vel tali esse, unde non est absolute causa materiæ, sed materiæ, quatenus informata; finis tandem est imperfectior cæteris, quia vere, & realiter non influit in effectum, sed tantum metaphorice, ut ab efficiente distinguitur; argumenta igitur allata, & similia, ergo concludunt solum de causis materialiter comparatis, id est secundum proprias entitates, vel formaliter comparatis hoc posteriori modo, non autem priori; de hac re fufe Sghemma 2. Physicor. digress. 9. q. 2. & fufius Amicus tract. 14. q. 2. & Parisiensis 2. Physicor. 53. q. un. collat. 1.

6 Quinto præsertim comparari solent, quoad mutuum dependentiam, & quaritur, an possit esse sibi invicem causæ, ita quod una sit effectus alterius, & e contra, ita enim significasse videtur Arist. 2. Physic. 30. & 5. Metaph. cap. 2. & quamvis ibi

specialiter loquatur de causa efficiente, & finali, ut notat Licher. 2. d. 12. qu. 2. contra Cajet. & patet ex ipso contextu, hoc etiam probat; quia labor est causa fanitatis efficiens, fanitas vero est causa laboris, tamen Recentiores ampliaverunt hoc Arist. pronunciatum ad omne genus causæ, dicentes causas quasque esse sibi posse invicem causas in diverso genere causæ.

Absolute tamen dicendum est, nec in eodem genere causæ, nec in diverso posse esse causas sibi invicem causas secundum eandem rationem, sed secundum diversas esse posse modo infra explicando. Probatur assertum quoad 1. partem. Tum quia tunc idem esset causa, & effectus respectu ejusdem, quod est impossibile, quia tunc esset prius, & posterius, dependens, & independens respectu ejusdem, nam in ratione causæ esset prius, & independens, in ratione effectus posterius, & dependens. Tum quia simul esset, & non esset, nam ex quo causaret, esset, & existeret, & ex quo egeret causari, adhuc non esset. Tum tandem quia idem esset causa sui ipsius, sive immediate, sive mediate, quidquid enim est causa causæ, est etiam causati causæ, quare si A est causa B. & B. est causa A, jam A erit causa sui ipsius.

Respondent, hæc argumenta concludere, causas non posse esse invicem causas in eodem genere causæ, quasi altera alteram causet effectivè, vel materialiter; at non probant, quod esse nequeant invicem causas in diverso genere causandi, nam in hoc sensu idem esse potest prius, & posterius, dependens, & independens respectu ejusdem, addunt quoque, propositionem illam, quod est causa causæ, est causa causati, sumptam ex lib. de caus. propof. 1. valere; quando causalitas exercetur in eodem genere causæ.

7 Sed contra, causa realis, & physica prius natura supponitur existere ad suam causalitatem, quia actus secundus præsupponit actum primum, & præcisè existentiæ causa non est in actu primo, sed in mera potentia objectiva intelligitur, præsupponitur etiam existens ante suum effectum, quia per causalitatem effectui communicat essentiam existentem, ergo cum causa simpliciter, & absolute præsupponitur existens, & ad effectum, & ad causalitatem suam, non sufficit dicere, in eo priori existere in uno, & non in alio genere causæ, sed dici debet simpliciter, & absolute prior suo effectui, & si existantia in uno genere causæ sufficit, ut simpliciter, & absolute dicatur existere in rerum natura, implicat, ut rursus aliam existentiam recipiat ab alio, secundum quam non præexistere dicebatur; quia tunc idem bis produceretur in esse. Deinde causa antequam influat in effectum, habet totum id, quod est necessarium ad causandum, alioquin effectum causare non posset, at existentia est simpliciter necessaria ad causandum, ut patet ex dictis de Causa Efficienti, nam rationes illæ probant universaliter de quacunque causa physice, & realiter causante, ergo implicat, causam pendere ab effectui quoad suam existentiam, sive in eodem, sive in diverso genere causæ, quia absolute prius habet suam existentiam, quam habeat effectus. Accedit, quod si causa penderet in aliquo genere causæ quoad suam existentiam ab effectui, tunc effectus in eo genere, quo communicat existentiam suæ causæ præsupponeretur illi, ergo existeret, antequam causaretur a causa sua. Nec juvat dicere, quod existeret in uno genere causæ, non in alio, quia cum id, quod causat, absolute debeat existere, & id, quod causatur, absolute, & simpliciter non existere, absolute etiam de eodem verificabitur, quod simul existat, & non existat. Demum si A est causa B in uno genere causæ, & B causa A in alio, ergo A erit mediata causa sui ipsius, & propositio illa, quod est causa causæ &c. erit universaliter vera. De quo qui plura desiderat videat Suar. disp. 15. Metaph. sect. 8. Hurtad. in Phys. disp. 8. sect. 8. & Amic. tractat. 14. quæst. 3. art. 3. fufe, contra hoc paradoxum disputantes.

Neque hic locum habere potest commune effugium, quod etiam amplectuntur Complut. 2. Phys. disp. 8. q. 4. quod licet unum, & idem non possit secundum eandem considerationem esse prius, & posterius naturæ, quam aliud, bene tamen secundum diversas considerationes. Non valet, quia prioritas causalitatis est prioritas realis, & non tantum secundum rationem, alioquin idem posset seipsum realiter producere, quia secundum diversam considerationem idem potest esse prius seipso. Nec valet quod inquirunt, ad causalitatem materiale, & formalem non exigi existentiam causæ, sed sufficere quod habeant suam essentiam actualem, unde postea inquirunt, quod licet materia, & forma sint priores toto in genere causæ materialis, & formalis, tamen sunt posteriores eo in genere causæ efficientis, quia ipsæ non producuntur per se, sed ad productionem totius comproducentur. Plane mens id capere nequit, nam vel partes ideo dicuntur produci ad productionem totius ab efficiente, quia tunc accipiunt existentiam tantum, vel quia accipiunt essentiam, & existentiam simul; si secundum, ergo in ullo genere causæ præcedunt totum, nam ut præcedant in genere causæ formalis, & materialis, debent præcedere cum sua essentia actuali, ut ipsi dicunt; si primum, ergo earum essentia incausata erit ab efficiente, vel admittere debent actionem partialem efficiens prius natura terminatam, ad essentias partium, quod concedere nequeunt, quia constanter asserunt, partes in genere causæ efficientis esse omnino posteriores toto.

8 Quod autem causæ esse possint sibi invicem causæ in eodem, aut diverso genere causæ secundum diversas rationes; Prob. Tum quia quod una causa causat aliam in hoc sensu, nulla est implicantia intelligitur enim causare, tribuendo illi aliquam perfectionem, & intelligitur causari, recipiendo non illam, per quam causat, quia

tatum est disput. 5. quæst. 3. art. 2. ad secundum. Hic disputant nonnulli, num debeat dari status, vel potius dari possit processus in infinitum in causis, sed de hoc videatur Scot., & Tromber. 2. Met. qu. 4. Faber ibidem disp. 6. & rursus Doctor p. d. 2. quæst. § Quantum ad 1. art.

ARTICULUS II.

Conservetur prima causa cum secundis præsertim in sententia Aristotelis.

11 CUM in causis per se, & essentialiter ordinatis repugnet processus in infinitum, ut fufe probat Doctor 1. dist. 2. quæst. 2. & Arist. 7. Phys. a text. 3. & lib. 8. a tex. 33. & 2. Met. c. 2. ideo concedunt omnes deveniendum esse ad unam primam causam, cui ceteræ sint essentialiter subordinatæ, tam in essendo, quam in operando; & quia talis dependentia essentialis secundæ causæ a prima non salvaretur, nisi Deus, qui est causa prima, attingeret immediate suo concursu effectus causarum secundarum, ut supra probatum est contra Durand. hinc etiam concedunt omnes, Deum immediate concurrere cum omnibus causis secundis, cujuscumque sint generis, ad singulos earum effectus. Hic autem examinare non intendimus modum, quo Deus concurrat ad effectus earum, an scilicet concurrendo influat tantum in effectus, an potius etiam in causas, quia hoc est altioris negotii, sed an cum causis secundis cujuscumque generis concurrat solum in genere causæ efficientis, an potius cum singulis concurrat in proprio cujuscumque genere, & statuto, quod cum omnibus concurrat in genere causæ efficientis, an in Arist. sententia concurrat libere, vel necessario.

Quoad 1. putavit Fonseca 5. Met. c. 2. qu. 12. & lib. 7. cap. 7. quæst. 3. Deum cum causis secundis concurrere in proprio unicujuscumque genere, v. g. cum materiali, & formali causa, in genere causæ materialis, & formalis, quod falsum est, nam causalitates istæ a toto genere imperfectionem dicunt, sed sufficit, quod cum omnibus concurrat in genere causæ efficientis, & ita docuit Scot. in 1. dist. 5. quæst. 2. infra C. ubi inquit, totum genus causandi materialiter, & formaliter tamquam non dicens perfectionem simpliciter reduci debere ad aliquod primum in alio genere, quod non includit imperfectionem, scilicet ad aliquod in genere causæ efficientis, idem docet in quarta distinctione. 12. quæstion. 1. E. dum ait, Deum in genere causæ efficientis continere eminenter effectus omnium aliarum causarum, cujuscumque sint generis.

Neque difficile est concipere, quomodo Deus concurrat cum materia in genere causæ efficientis ad educationem formæ, & cum utraque ad constitutionem compositi, licet in hoc magnum faciat difficultatem Fuentes 2. Phys. quæst. 5. difficult. 4. act. 1. & 2. eo quia causa efficiens, cum sit extrinsecæ, ex vi suæ causalitatis remanet extra effectum, unde non videtur, quomodo Deus in genere causæ effectivæ possit cum materia, & forma compositum constituere, quo fundamento negat hic Auditor Deum concurrere effectivè cum materia, & forma ad constituendum compositum, & inquit numer. 35. concurrere solum quatenus conservat earum entitates, ut possint actualiter compositum causare.

12 Sed incidit in Scillam, cupiens vitare Charibdin, volens namque evitare opinionem Fonseca, incidit in opinionem Durandi, qui dicebat, intantum concurrere Deum ad effectus causarum secundarum, quatenus ab initio indidit eis virtutem causandi, & postea talem virtutem conservat in eis, ut possint actualiter causare, nec aliud interest inter Fuentes, & Durandum, nisi quod Durandus id asserbat de omnibus causarum generibus, Fuentes vero solum id asserit in causa materiali, & formali. Optime igitur concipitur, Deum immediate concurrere cum materia, & forma in genere causæ efficientis, ut in se invicem causant, quatenus efficit actum, quo materia recipit, & sustentat formam, & actum, quo formæ actus materiam, non autem in se recipiendo formam, nec se communicando materiæ, Deus etiam nedum in fieri, sed etiam in facto esse concurrat cum materia, & forma ad constitutionem compositi, concurrat enim per actionem, qua conservat, non solum entitates, ut dicebat Fuentes, sed etiam causalitatem materiæ, & formæ, quas continuo exercent erga compositum, non autem remanet ipsæ intra compositum, quia id esset concurrere in genere causæ materialis, & formalis.

Nec alia argumenta, quibus Fonseca oppositum probare contendit, aliquid valent, semper enim aliquid falsum assumit, ut v. g. quod subordinatio essentialis non sit nisi inter causas ejusdem generis: quod causalitas materiæ, ut formam sustinet, non dicat imperfectionem, quia Deus in Eucharistia sustinet accidentia, nec formæ causalitas, quia materiam denominat talem, quia hanc etiam causalitatem exercent attributa circa Deum, ipsum denominando bonum, justum, &c. & tandem quod causalitas generis suppleri nequeat per causalitatem alterius, cum una non continueatur in alia. Hæc propositiones assumptæ a Fonseca falsæ sunt, prima est falsa, quia per subordinatorem intelligendo dependentiam unius causæ ab alia, necesse non est, quod subordinatio sit in eodem genere; secunda propositio etiam falsa est, quia sustentatio in genere cau-

supponitur ex natura rei, sed aliam, & in hoc nulla cernitur implicantia. Tum quia ex hoc non sequitur, quod idem respectu ejusdem sit causa, & effectus, quia juxta hunc dicendi modum non ponitur eadem res secundum eandem rationem causæ, & effectus alterius, sed secundum unam rationem ponitur causa, secundum aliam effectus. Tum denique ostenditur manifestis exemplis, quia materia est causa formæ quoad ejus simpliciter, & primum, & forma est causa materiæ quoad esse formale, intellectus est causa efficiens intellectionis, & intellectio est causa formalis ejus, quatenus intelligens, imo exempla afferri possunt in eodem genere causæ; potest enim Magister docere discipulum, qui temporis decursu Magistro doctior evadens docebit illum, & in his casibus nulla cernitur implicantia. Non est autem necesse, id evenire in omnibus causis, imo in aliquo casu talis mutua causalitas implicat in quibusdam causis, sic forma producta per actionem transeuntem nequit esse formalis causa illius agentis, nec absolute loquendo potest materia esse materialis causa agentis; hanc etiam conclusionem partem tenet Arist. cit. concl. 4. Averfa quæst. 16. sect. 6. & Faber 5. Met. disp. 8.

Sed in oppositum plura obijci solent, & in primis, quod Arist. 2. Phys. 30. & 5. Met. cap. 2. clare significavit, in efficiente, & fine causas esse posse sibi invicem causas in diverso genere causæ, ergo id male negatur. Nec sufficit cum Alenf. 5. Met. cap. 2. dicere, finem, & efficientem non esse sibi invicem causas secundum eandem rationem, sed secundum diversas, quia agens est causa effectiva finis secundum entitatem, quia ponit illum in rerum natura, sed non est causa causalitatis ejus, & e contra, finis non est causa agentis secundum entitatem ejus, sed quoad causalitatem, quia movet agens ad agendum. Non sufficit hoc, quia licet id verum sit de agente primo, principali, quod intendit finem, & propter finem operatur; hoc enim utriusque a fine supponitur in esse, tamen considerando media, quæ propter finem assumuntur, ea sunt causa effectiva proxima finis, & vere etiam e contra finis in suo genere est causa eorum quoad entitatem, nam labor est causa fanitatis efficiens quoad esse, & fanitas est causa finalis laboris quoad esse, & hoc est exemplum ab Arist. allatum, ergo causæ possunt esse sibi invicem causas secundum eandem rationem, in diverso genere.

9 Resp. Averfa, id contingere in causa finali, quæ in suo causandi genere non debet præsupponi existens realiter, ad hoc ut causet, atque ideo sine implicantia potest esse causa, & effectus simul alterius causæ secundum eandem rationem, quando vero causa præsupponi debet existens, ad hoc ut causet, ut in cæteris causarum generibus, non possunt due causæ esse sibi invicem causas etiam in diverso genere secundum eandem rationem. Sed præstat dicere, quomocumque causam physicam, & realem præsupponi debere existentem, ad hoc ut causet, atque ideo in nullo genere causæ physice vere, & realiter causantis contingere posse mutuum causalitatem etiam in diverso genere secundum eandem rationem, & ideo contingere in causa finali, quia non est vera causa realiter influens in effectum, qua de causa bene Licher. cit. dixit, Arist. dictum debere tantum intelligi in causa efficiente, & finali, non autem in cæteris.

Deinde obijciunt. Tum quia actus in genere efficiens causant habitum, & hic vicissim est causa efficiens actuum. Tum 2. quia in genere materialis causæ ex pluvia generantur vapores, & ex vaporibus pluvia. Tum 3. quia piper calefacit stomachum, & stomachus piper, & due trabes ita inclinatæ, ut faciant angulum, mutuo se sustentant effectivè in aere, ne cadant. Tum 4. quia duo relativa mutuo dependent quoad existentiam. Tum 5. quia a substantia dimanant accidentia quadam, sine quibus existere nequit in rerum natura, ut Sol sine luce, ignis sine calore. Tum demum id probant exemplo introductionis novæ formæ, & expulsionis antiquæ, & aperitionis fenestæ, quæ est causa materialis ingressus venti, &ventus causa efficiens aperitionis.

10 Resp. ad 1. & 2. habitum utique generari ex actibus, sed non ex eisdem numero, quos postea ipse efficit cum potentia, sic etiam hic vapor est causa materialis hujus pluvie, sed hæc pluvia non est causa vicissim illius vaporis, sed alterius. Ad 3. stomachus, & piper non se calefaciunt per eundem numero calorem, sed per diversum, atque ita se invicem causant secundum diversas perfectiones, juxta quas unum alteri præsupponitur, & duo ligna angulum facientia se mutuo conservant in aere, ne cadant, non per mutuum causalitatem unius in aliud, sed potius quia vicissim unum impedit gravitationem alterius deorsum, & si interveniret mutua causalitas, hæc non esset quoad idem, & secundum idem. Ad 4. per illum loquendi modum explicari solet necessaria similtas, & concomitantia relativorum in existentia, proprie tamen dici nequit unum relativum ab alio dependere in sua existentia, tum quia dependentia directe repugnant similitati naturali duorum, cum necessario inferat prioritatem naturalem unius respectu alterius; tum quia Patet in divinis nequit esse sine Filio, & tamen non dependet ab eo, & Deus nequit esse sine creaturis cognitis, & tamen non dependet ab eis. Ad 5. accidentia conaturalia conservant substantiam, & dispositiones formam non aliquid influendo in ipsam, sed resistendo contrariis, quæ est conservatio improprie dicta, unde dici solet dependentia a posteriori, & veluti a contradictionibus naturaliter concomitantibus, & melius diceretur coexistentia. Ad 6. de introductione novæ formæ, & expulsionem antiquæ, & de exemplo aperitionis fenestæ ex professo disputa-

causa materialis essentialiter includit receptionem, ut suo loco dictum est, & sustentatio, quam exercet Deus circa accidentia Eucharistica, est in genere causa efficientis; denominatio vero, quam forma dat subiecto, fit per informationem, quae dicit imperfectionem, & illa, quam attributa divinae essentiae tribuunt, fit per identitatem, ut notat Scot. 1. d. 8. qu. 4. X. Tertia demum propositio falsa est, quia, ut supra diximus, omnis causalitas cujuscunque generis eminenter continetur in Deo in genere efficientis causae, & bene potest causalitas unius generis suppleri per aliam, quae aequivaleret illi.

13 Quantum ad 2. quid scilicet senserit Arist. de concursu primae causae cum secundis, negarunt aliqui, causam primam concurrere cum causis secundis immediate ad effectus earum, & dixerunt Arist. de concursu Dei cum causis secundis eam habuisse opinionem, quae solet Durando tribui. Fuentes 2. Phys. quaest. 5. dist. 2. artic. 1. & Complut. 2. Phys. disp. 3. quaest. 2. tenent in sententia Philosophi causam primam, non solum concurrere cum secundis ad effectus earum, sed etiam illas ad agendum promovere, & praedeterminare, quod probare conantur ex quibusdam locis 8. Phys. Breviter nos explicare debemus cum Scot. mentem Philosophi de hac re.

Dicimus 1. sententia Philosophi Deum concurrere cum causis secundis ad effectus earum, non tamen libere, & contingenter, sed necessario necessitate naturae. Conclus. quoad utramque partem est Scoti quolib. 7. & 1. d. 8. qu. 5. & alibi sepe, quam etiam tenent quicumque sentiunt, Deum agere ad extra necessitate naturae, ut Piccol. lib. de Colorum motoribus cap. 23. Bonamicus lib. 10. de Motu cap. 36. Pendafius lib. 8. Physicae textus p. 36. Prob. autem, & explicatur, in primis enim quod Deus secundum Philosophos concurrat cum causis secundis, docet Scot. quolibet 7. sub lit. M. & Arist. agnovisse ordinem essentialiter inter causam primam, & secundam, docet ibidem, & in 2. d. 12. q. 2. & in 4. d. 12. q. 1. inf. E. cum hoc tamen discrimine a Theologis, quod ubi Theologi ponunt subordinationem essentialiter causae secundae solum ad primam, non e contra, Philosophi dicunt, hunc ordinem essentialiter esse mutuum, ita, quod causa secunda nihil efficere potest sine prima, neque prima sine secunda, hunc autem ordinem essentialiter ex parte causae secundae posterius oriri, ut etiam Theologi dicunt, ex ejus indigentia, & imbecillitate; ex parte vero causae primae ad secundam dixerunt ortum ducere, tum ex imperfectione effectus causarum secundarum, ut monet Scot. in 1. d. 2. q. 2. sub Y. cum enim imperfectio effectus redundet in causam, & effectus causarum secundarum maximam habeant imperfectionem admixtam, si causa prima sine secunda concurreret, jam imperfectio effectus in primam causam referunderetur; tum etiam ex conditione ipsorum effectuum, qui ab ipso Deo produci expostulant interventu causarum secundarum, cum enim multitudine effectuum essentialiter distinctorum in rerum natura tanta sit, ut imperfectionem dicere videatur, quatenus opponitur unitati Dei, non videtur posse immediate a Deo proficisci, unde ista necessaria connexio causae primae cum secundis in agendo posita est a Philosophis ad salvandam Dei perfectionem, quamvis Theologi clare demonstrant, summam potius importare imperfectionem.

14 Quod autem Deus necessario concurrat cum causis secundis, & necessario agat ad extra secundum Arist. docet Scotus ex professo 1. d. 8. q. 5. & quidem talem fuisse Arist. mentem, clare colligitur ex variis ejus locis, nam 9. Met. tex. 17. docet, in aeternis nihil esse in potentia, sed omnia in actu, ex quo infert, timendum non esse ne Caelum quiescat, quia neque ipsam est in potentia ad quietem, nec motor ejus ad non movendum, & 12. Met. c. 6. concludit non satis esse ponere substantiam aeternam potentem movere, quia alias posset non movere, sed expresse mens ejus colligitur ex 8. Phys. fere per totum, praesertim vero tex. 7. & 8. probare volens aeternitatem motus, sic arguit; Si movens non movebat prius, oportebat auferri illud impedimentum, a quo prohibebatur, ut postea moveret, sed hac ratio nullius esset momenti, nisi supponeret Deum agere ex natura necessitate, poterat enim quis respondere, primum movens esse liberum, & libere agere ad extra, ac proinde sine aliquo impedimento prius non movisse, quia noluit, plane ex hoc Arist. Argumento colligitur sensisse, Deum ad extra agere necessario, non tantum necessitate immutabilitatis, & consequentia pendente ex immutabilitate suorum decretorum, ut putavit Celsar Cremoninus relatus a Raguseo suppresso nomine dist. 6. cap. 8. verum etiam necessitate inevitabilitatis, & consequentis, aliter ratio Arist. nihil concluderet, stante enim explicatione Cremonini, qui omnino praeter ejus morem Arist. trahit in Theologorum sententiam, quis respondere posset, Deum non prius movisse, non quia impediretur, sed quia decrevit nunc movere, & non prius.

Dices, imo ex illo loco colligi Deum esse agens liberum in Arist. sent. quia contra illam rationem adducit instantiam tex. 8. quod concludat de agente naturali, quod si prius non movit, id utique ex aliquo procedebat impedimento, non autem de agente libero, quod potest prius non movisse, non quia impediretur sed quia volebat, tale autem fuisset movens ab aeterno. Et Arist. ut ibi explicat Tar. & Paris. & nos diximus in expositione textus respondet id etiam in agentibus liberis contingere, quod si modo movent, & antea non movebant, hoc erit propter aliquam variationem dispositionum, vel extrinsecarum, vel intrinsecarum, adeunt, & ipsum agens liberum contraria non agit nisi secundum diversas dispositiones intrinsecas

non extrinsecas, & ista non possunt fieri sine motu; ecce quod Arist. fatetur primum movens esse agens liberum, & naturale. Resp. ibi Arist. more suo valde obscure loquitur, nec absolute concedere primum movens esse liberum agens ad extra, sed si esset liberum, adhuc argumentum tenere, non secus ac si esset naturale, quia nec agens liberum agit contraria, nisi per contrarias dispositiones; tum quia Arist. bene posuit Deum agens liberum, & non naturale, quatenus est agens a proposito, & per cognitionem, ut mox dicemus, ac cum hoc asseruit esse agens necessarium, eo modo quo statim declarabimus necessitatem posse stare cum libertate, quod colligitur ex eo, quod ait agens liberum non agere opposita, nisi secundum diversas dispositiones, & tandem aliis in locis manifeste indicavit Deum esse agens necessarium ad extra.

Hic tamen advertendum est, quod cum Scotus, & alii dicunt, Deum ad extra cum causis secundis agere secundum Arist. naturaliter, seu naturali necessitate, non est intelligendum de ea necessitate naturali, qua agens naturale v. gr. ignis absque ulla praevia cognitione comburit, quia optime Arist. agnovit, Deum esse agens per cognitionem, & a proposito, nec ea necessitate naturali praevia cognitione, & etiam voluntate adverbialiter sumpta, qua ponunt Theologi Patrem in divinis generis Filium, quia verisimile est, Arist. ut ex multis locis colligitur, praesertim 1. Met. c. 2. & lib. 12. tex. 51. cognovisse, Deum esse agens intellectuale ad extra per intellectum, & voluntatem etiam nominaliter sumptam, id est pro principio formalis agendi, sed ea necessitate tantum, quae stat cum libertate essentiali; & qua Spiritus Sanctus producitur a Patre, & Filio, idque colligitur ex Scot. in Prolog. q. 4. sub lit. M. ubi dicit, Arist. posuisse, Intelligentias inferiores naturaliter amare superiorem, & tamen secundum Scotum nunquam voluntati potest attribui actio naturalis; sed tantum libera est necessaria, unde accipit ibi naturaliter per necessario, & ita quoque explicari potest, dum dixit, secundum Arist. Deum ad extra naturaliter agere, id est necessario necessitate inevitabilitatis, cum qua naturalitate, & necessitate stat libertas essentialis. Hoc autem probari potest, quia sicut ex summa perfectione Dei oritur, quod est libere, adhuc tamen necessario producatur Spiritus Sanctus ex Scot. 1. d. 10. qu. un. ita etiam ex summa perfectione Dei oritur secundum Arist. quod necessario, est libere agat ad extra cum causis secundis.

15 In oppositum multas objicit Toletus 8. Phys. c. 2. q. 3. Arist. auctoritates, ut ostendat mentem ejus esse, quod Deus ad extra necessario non agit, sed contingenter, & libere exercitii, nam 4. Top. c. 5. ait, Deum quaedam facere posse, quae non facit, & 8. Ethic. c. 7. Deum habere erga bonos amicitiam, & lib. 10. cap. 8. eos, qui vere sunt sapientes, esse Deo carissimos, quae sunt munera libertatis, non necessitatis, & referente Laetio in ejus vita, antequam obiret, Deum oravit; quod non fecisset, nisi putasset, divinum nomen precibus flecti.

Resp. 1. posse dici, Arist. hac in re fuisse dubium, quia libertatem exercitii in Deo nescivit naturali ratione demonstrare, & putavit ejus immutabilitati esse noxiam, unde si aliqua ejus attendamus dicta, videtur concessisse, Deum ad extra contingenter agere; si vero perpendamus ejus principia, & rationes praesertim 8. Phys. adductas ad probandam aeternitatem motus, videtur ad necessitatem inclinare, itant hac in re de Aristot. sententia idem ferendum sit judicium, quod Scotus tulit in ejusdem sententia de immortalitate animae 4. dist. 43. Quod si Doctor existimavit, Arist. firmiter tenuisse, Deum ad extra necessario agere, tunc dicendum, aliqua circa hoc dixisse Arist. non ex propria sententia, sed populariter, & ita venit intelligendus in Top. aliqua vero inferunt tantum libertatem essentialiter, ut amicitia, quam ait in Ethic. Deum habere cum bonis, & alia plura, quae ad hoc Toletus adducit, possunt hoc modo exponi de libertate nimirum essentiali. Demum quod ex Laetio adducitur non cogit, quia potuit Arist. sensisse Deum flecti precibus necessario, non contingenter: videatur Raguseus cit. cap. 22. ubi explicat singula Arist. loca, quae adduci solent pro libertate Dei ad extra.

16 Dicimus 2. Arist. ita sentiendo de concursu Dei cum causis secundis, latentes admisisse contradictiones, implicat enim Deo ad extra necessario agente causas secundas agere, & libertatem in eis remanere, Concl. est Scoti in 1. d. 8. q. 5. R. & dist. 2. q. 2. infr. R. sequitur Rubion 2. dist. 1. q. 6. quam probat contra Philosophos, ducendo illos ad duo inconvenientia, unum altero majus, ex hoc enim sequeretur, quod nulla daretur libertas, vel contingentia in causis secundis, quod est primum inconveniens, immo quod nulla daretur actio in causis secundis, nec contingens, nec necessaria, quod est secundum inconveniens, majus primo; Prob. prima conseq. quia causa movens inquantum mota, si necessario moveretur, necessario etiam moveret, sed qualibet causa secunda agit inquantum mota a prima, ut etiam concedit Arist. ipse 8. Phys. 33. ergo si causa prima necessario ageret, necessario moveret causas secundas, quae proinde necessario mota, necessario etiam moverent, & ita periret contingentia in rebus, implicat enim ablata libertate per essentialia a causa prima remanere libertatem participatam in creatis rebus. Altera etiam conf. prob. prima causa prius naturaliter respicit causatum, quam secunda ex prima propositione de causis, non solum prioritate a quo, sed etiam in quo, si naturaliter causat, & secundum ultimum potentie in quo, si naturaliter etiam secundum Arist. ut Scot. docet loc. cit. suq. quae est infinita etiam secundum Arist. ut Scot. docet loc. cit. ergo in illo priori totaliter causaret se sola effectum, & nihil postea

postea causa secundae remaneret agendum, quia causa prima omnino praeveneret actionem secundae, si naturaliter ageret. Haec sunt latentes contradictiones, quae sequuntur ex positione Arist. quae an ita sint latentes, ut eas non agnovit, vel agnosceret non potuerit, certum omnino non est; plane prima contradictio ita evidens est, ut si Arist. eam non agnovit, excusari non possit, cum posuerit, causas secundas liberas non movere nisi motas a prima, sicut ponunt Theologi; quod si alteram contradictionem non agnovit, excusabilis est, ut notat Partes Vulpes tom. 1. part. 2. disp. 6. art. 5. quia Arist. licet posuerit Deum omnipotentem non tamen sicut Theologi, ita quod omnem effectum attingere possit se solo, quem attingit cum causis secundis, ut docet Scotus quol. 7.

Sed Suar. disp. 29. Met. sect. 3. num. 16. Molina par. 1. q. 14. a. 13. disp. 11. Vasq. disp. 100. & alii cum Cajetan. 1. par. quaest. 14. a. 13. negant sequi illa inconvenientia ex data hypothese, adhuc enim remaneret actio causae secundae, quia causa prima non ageret prius aliquo instanti durationis, in quo attingeret effectum, sed prius prioritate naturae, & prius prioritate a quo, non in quo, ait Cajet. Addit Suar. quod Deo per impossibile naturaliter agente adhuc actio remaneret in causis secundis, si uteretur eodem influxu, quod nunc utitur, & non majori, imo prima Scoti ratio, qua probat ex hypothese, omnes actiones secundarum causarum futuras esse necessarias, manifeste supponit, actiones causae secundae adhuc manere data hypothese, alioquin ratio illa nihil concluderet. Imo dicunt, quod remaneret actio causae secundae contingens, & libera, quia libertas actionis non solum provenit a causa prima, sed etiam a voluntate creata, alioquin sequeretur, actum voluntatis nostrae nunc non esse liberum, nisi quia Deus libere ad illum concurrat, quo sensu libera quoque forent actiones brutorum, subdit Suar. ita dicendum esse, dummodo Deus per impossibile agens necessitate naturae non majorem adhiberet concursum eo, quem nunc exhibet.

17 Sed nulla harum solutionum satisfacit, non id, quod ait Cajet. Deum data hypothese prius agere prioritate a quo, non in quo, quia licet ita de facto sit, eo quod libere concurrat, non tamen tunc ita foret, quia ex quo causa prima de necessitate in essendo est prior, quam secunda prioritate in quo, & in illo priori, quo est, & ut praecedens omnem causam secundam sit perfectissima causa, & nullo modo impedita, certe in illo priori necessario ageret, atque ita praeveneret causalitatem causae secundae. Nec minus satisfacit, quod ait Suar. data hypothese remanentur actionem in causis secundis, si uteretur eodem influxu, quo nunc utitur, & non majori, est enim implicans in adjecto, quod causa prima naturaliter agat, & non agat, quantum potest, & secundum ultimum potentiam suam, & prima ratio Scoti itaque supponit remanentur actionem in causis secundis data hypothese, sed postea in secunda ratione ostendit, non remanentur, deducens Philosophos ad majus inconveniens, quare secunda ratio non destruit primam, sed deducit ad majus inconveniens, ut explicatum est, quamvis libertas actionum humanarum non pendeat tantum a libertate divinae voluntatis, sed etiam a libertate voluntatis creatae, tamen deficiente illa, necesse omnino est, istam quoque deficere, cum implicet, remanere libertatem participatam, qualis est libertas causae secundae destructa libertate per essentialia, qualis est libertas primae, & frustra addit Suar. contingentiam remanere posse in nostris actionibus, si data hypothese non adhiberet Deus majorem concursum illo, quem nunc exhibet, nam implicat, ut diximus, quod causa prima naturaliter agat & non agat quantum potest, nam in casu potestatis non est agere, nec etiam est modus agendi, ut ostendit Doct. 1. d. 1. qu. 4. Unde falsum est tandem, quod Adversarii imponunt Doctori, ipsum ita sentiendo facere Dei voluntatem totalem causam contingentiae in nostris actionibus, atque ita nobis libertatem auferre; Scotus id non sentit, cum mille in locis doceat, contingentiam actionum non solum a voluntate divina, sed etiam creata provenire, quos refert P. Faber 1. disp. 53. c. 3. ut Doctorem ab hac calumnia tueatur, sed solum dicit, quod sicut divina voluntas est primum liberum, ita quoque ejus libertas est prima radix, & praecipua contingentiae in nostris actionibus, in quo de divina voluntate dignus sentit, quam Recentiores ponentes libertatem nostram primam, & praecipuam radicem contingentiae in rebus, cum tamen voluntas nostra sit secundum liberum, & non primum.

18 In oppositum objicitur, quod agente Deo per impossibile ad extra necessario, & naturaliter, adhuc remaneret actio in causis secundis, atque libertas. Tum quia cum plures causae concurrunt ad producendum effectum communem, ut ille sit liber, satis est, quod altera causarum sit libera, ut Scotus ipse docet de objecto, & voluntate quol. 16. illo naturaliter, ita libere concurrente, & tamen actio tota est libera. Tum 2. quia quando effectus dependet a pluribus causis defectus unius causae sufficit, ut in effectum redundet, ergo si altera causarum erit contingens, talis etiam erit effectus; unde videmus in Syllogismo ex una necessaria, & altera contingente conclusionem sequi contingentem. Tum 3. quia si data hypothese actio voluntatis humanae necessaria foret, ut calefactio, libertas non foret intrinseca illi, & essentialis, sed extrinseca, & accidentalis. Tum 4. quia concursus causae primae modificatur a concursu secundae, ergo etiam in eo casu non necessario traheret voluntatem humanam. Tum 4. quia tunc magis praesto foret concursus Dei causae secundae, quam modo, nam tunc Deus ne-

Mastrii, & Bellari Tom. II. Physicae.

cessario illum exhiberet, ergo non tolleretur ex hypothese actio a causis secundis, quia adhuc haberent omnia ad agendum requisita. Tum denique quia sunt quaedam actiones, quae petunt necessario a causis creatis produci, ut sunt actiones nostrae vitales, quae necessariam prorsus habent connexionem cum nostris potentis vitalibus, ergo haec saltem non tollerentur in illo casu.

19 Resp. ad 1. concedendo assumptum, quando causa principalis est libera, ut est de objecto, & voluntate, & voluntate principaliter concurrat ad actum, sed data hypothese causa principalis foret necessaria, & ideo etiam tota actio, tanto magis, quia causa secunda agit, ut mota a prima, at potentia licet sit mota ab objecto, non tamen est movens mota, ut Doct. declarat 2. d. 3. qu. 8. sub F. Ad 2. admissio antecedit. negatur conseq. quia tunc nulla daretur causa secunda contingens, & libera quantum ad usum, ut supponere videretur argumentum: unde instantia de Syllogismo non est ad rem, tum quia ille supponitur constare ex propositione necessaria, & contingenti, at in casu nulla daretur causa contingens, tum quia si in Syllogismo tali sequitur conclusio contingens, id est ratione formae, non ratione materiae. Ad 3. libertas est essentialis voluntati, at non usus libertatis, & ideo negatur conseq. in eo enim casu non tolleretur libertas intrinseca voluntatis, sed solum impediretur ab ejus usu. Ad 4. si Recentiores, qui concursum Dei statuunt genericum, & determinabilem a causa secunda, hoc argumentum afferrent, mirum non esset, sed mirum est, quod afferatur ab assertoribus physicae praedeterminationis; si concursus Dei in causa receptus secundum ipsos determinat concursum causae secundae ad hunc actum, quomodo modificari poterit a concursu ejus; & quando etiam concederemus, ita de facto evenire, quia Deus modo causis secundis se accommodat, tamen in eo casu, quo Deus ageret secundum ultimum potentiam suam, est prorsus negandum. Ad 5. negatur assumptum, nunc enim concursus Dei est in potestate causarum secundarum, quia Deus sua libertate finit illas motus suos agere, eas expectando, at data hypothese eas non expectat, sed omnino praeveneret earum actiones tam prioritate naturae, quam temporis. Ad 6. negatur assumptum, quia actus vitales possunt a Deo immediate produci in potentia vitali, ut in lib. de An. & concessio assumpto, dicendum, quod omnes ille actiones vitales necessario exercerentur, & non libere; alia quaedam argumenta adducit Faber. cit. quae ex dictis facile solvantur.

QUESTIO II.

Ubi causa comparatur cum suis effectibus.

Post collationem causarum inter se, nunc comparanda veniunt cum suis effectibus, primo quoad distinctionem, deinde quoad prioritatem, postea quoad perfectionem, demum quoad determinationem ad effectus tam in specie, quam in individuo, quomodo nimirum, & determinentur causae ad certos effectus in specie, & quomodo ad certos effectus in individuo.

ARTICULUS I.

Conferuntur cause cum suis effectibus quoad distinctionem.

20 Circa distinctionem causae ab effectu Recentiores communiter hanc negant inter causas intrinsecas, & earum communem effectum, scilicet compositum, ut vidimus disp. 5. q. 13. artic. 1. sed aliqui ulterius perrexerunt, & eam negare quoque aucti sunt inter causam efficientem, & ejus effectum, asserentes, idem posse semetipsum producere etiam omnino in prima productione: at alii licet fateantur, idem esse non posse causam sui ipsius quoad primam actionem, per quam accipit esse, dicunt tamen, non repugnare, quod eadem res habens jam esse per unam actionem, sit causa sui ipsius per aliam secundam actionem posteriorem, quia in hoc casu jam supponitur cum tota sua entitate independentem a secunda actione; ita de facto tenet Suar. humanitatem Christi concurrere ad conservationem sui in Eucharistia disp. 26. Met. sect. 5. & 3. p. tom. 3. disp. 49. sect. 1. & fufius disp. 50. sect. 4. quibus in locis ait, quod licet corpus Christi ante consecrationem sufficienter conservetur per actionem, qua pendet a Deo, tamen post consecrationem incipit dependere per aliam novam actionem a seipso procedentem, quae quidem actio non dicitur proprie productio, sed conservatio corporis Christi, eo quod per illam non incipit de novo existere causa: ceterum si antea non existeret, hac ipsa actio talis est, ut per ipsam sufficienter produceretur de novo, & in hoc sensu posse de potentia Dei absolute idem producere seipsum, & ad sui existentiam concurrere, probabile putat Amicus tract. 14. qu. 4. dub. 1. art. 2. num. 19. & Ariag. disput. 7. Phys. sect. 9. qui influxus ejusdem in seipsum, si fiat post existentiam sui secundum aliquam durationem, ut contingit de influxu humanitatis Christi in seipsum, rationem habebit conservationis, sed si fiat in eodem instanti temporis in aliquo solum posteriori signo naturae, tunc dicit non poterit conservatio, quia non connotaret existentiam termini priorem secundum durationem, sed habebit rationem productionis, sed non primae productionis, quia existentia rei supponitur haberi prius natura ex vi alterius causae, solum igitur habebit rationem secundae productionis; ita explicat idem Amic. num. 22.

21 Dicendum tamen est, in quocumque genere causæ realis, & physicæ causam ab effectum realiter distingui, & præsertim in genere efficientis causæ idem non posse seipsum producere, non solum per modum primæ productionis, sed nec etiam per modum secundæ productionis, aut conservationis. Concl. colligitur ex Scot. 2. d. 23. qu. un. l. ubi inquit, quod relationes omnes, quæ importat dependentiam essentialem inter relata, ut causæ ad causatum, repugnant in eadem natura, & supposito, & relationes simplicis originis, etsi non repugnent in eadem natura, adhuc tamen repugnant in eodem supposito, quia nullum suppositum producit se, sequitur Turr. opusc. 14. disp. 1. dub. 5. & 6. citans Valquez, & Valent. & D. Tho. p. 1. qu. 104. art. 2. ad 2. Et 1. Probatur potest ex definitione causæ in communi, quæ definitur esse id, ad cuius esse sequitur aliud, vel quæ influit esse in aliud, ubi ly aliud importat diversitatem naturæ numericam saltem ut omnes explicant, nam ponitur in definitione causæ, ut per eam particulam productio in creaturis distinguitur a productione in divinis. Respondet Amicus, causam secundum se sumptam defini debere esse id, ad cuius esse sequitur aliquid, quod quia naturaliter est diversum a producente secundum naturam, ideo dicitur aliud, at supernaturaliter potest illud aliquid esse non aliud, sed idem. Sed hoc parum juvat, quia definitio explicat essentiam rei, quæ per nullam potentiam variari potest, unde si hoc effugium admittatur, quod causa sic definiatur juxta communem naturæ causam, idem quoque dicere quis posset de quacumque alia definitione, & asserere, quod homo supernaturaliter possit esse irrationalis, nec per definitionem hominis communiter receptam poterit convinci, dicit enim, quod illa hominis definitio valet spectato homine secundum communem naturæ causam, nam supernaturaliter aliter fieri potest.

22 Secundo relatio realis verari debet inter extrema realiter distincta, præsertim quando importat dependentiam essentialem, ut omnes concedunt, sed relatio causati ad causam hujusmodi ex Scoto cit. ergo &c. Respondet Amic. diversam esse rationem relationis, & productionis, quia relatio semper exigit distinctionem realem extremorum: non sic influxus, nisi naturaliter, sed supernaturaliter idem, ut præexistens potest habere rationem principii, & ut subsequens, rationem termini respectu ejusdem actionis. Sed contra, quia influxus de sua ratione formalis est relatio realis secundum nos, & secundum Adversarios est via quadam ab uno in aliud, & ideo exigit duo extrema realiter distincta. Item ex allata respons. eadem prorsus existentia respectu ejusdem actionis antecederet in ratione principii, & subsequeretur in ratione termini, quod prorsus repugnat. Respondet, sufficere, quod influxus sit inter duo ratione distincta, nam sicut intellectus uti potest uno, ut duobus, in propositionibus identicis, ita Deus de potentia absoluta potest uti uno, ut duobus in productione, atque adeo ut causa, & effectus, ut principio, & termino actionis ejusdem; addit, repugnare, eandem existentiam antecedere, & subsequi respectu ejusdem, & secundum idem, sed in proposito non ita esset, nam præcedit, ut independentem existens ab actione sua ex vi primæ productionis, & subsequitur, ut dependens ex vi secundæ productionis. Sed contra, influxus est realis, ergo extrema ejus esse debent realiter diversa, & unum aliud præcedere prioritate reali, & non rationis tantum, & exemplaria allatum est prorsus dissimile, quia hic loquitur de vera productione, & reali, non de productione ficta per intellectum, qua Petrus a parte subiecti postus producitur etiam a parte predicati; falsum est, quod existentia eadem præcederet, & subsequeretur secundum diversam rationem, nam dicere, quod præcedit ut existens independentem ab actione sua ex vi primæ productionis, & quod subsequitur, ut dependens ex vi secundæ actionis, hoc totum salvat solum veram prioritatem inter ipsas actiones, non vero inter existentiam sub una productione cum seipsa sub alia productione, seu inter existentiam eandem sub ratione principii, & termini, causæ, & effectus.

23 Tertio si idem produceret seipsum, esset antequam fieret, atque ita simul esset, & non esset; esset, quia concipi nequit operari nisi existere concipiatur; non esset, quia fieri deberet, & generatio substantialis est transitus de non esse ad esse; Item idem esset prius, & posterius seipso a parte rei, quod implicat, nam causa secundum illud esse, per quod causat, debet præsupponi ad suum effectum prioritate naturæ (nam prioritas, temporis per accidens, se habet ad causandam) Respondet, hæc non contradicere, quia non sunt de eodem respectu ejusdem, aut eodem modo, idem enim esset per primam productionem ex vi alterius causæ, non esset per secundam productionem ab ipso producentem, & ut existens ex vi primæ actionis esset prius, ut vero existens ex vi secundæ esset posterius. Sed contra, quia si per primam actionem supponitur esse in rerum natura, ergo implicat substantialiter reproduci per secundam, quia huic secundæ terminus a quo assignari non posset, scilicet non esse rei, cum supponatur esse ad primam productionem, nec dicere valet, terminum a quo fore non esse rei secundam, quia sicut hoc esse secundum habitum per secundam productionem non esset a primo esse diversum secundum rem habito per primam, ita hoc non esse secundum nequit esse diversum a primo non esse, nisi secundum modum, quæ diversitas non sufficit ad novam productionem substantialem, ut fuit in lib. de Gen. nec ad salvandam contradictionem, quod idem simul esset, & non esset. Nec etiam sufficit ad salvandam contradictionem de prioritate, & posterioritate ejusdem rei cum seipsa, licet enim actio prima, qua intelligitur res existere ex

vi alterius causæ, sit prior, quam secunda actio, qua intelligitur de novo a seipsa pendere, & inter illas duas actiones concipere possumus ordinem prioris, & posterioris, & per consequens rem, ut productum per primam actionem esse prius seipsa, ut producta, vel conservata per aliam, tamen tota hæc prioritas veraretur inter ipsas actiones, non inter eandem rem cum seipsa, quia cum res producta, & conservata per illas actiones diversas sit omnino eadem in se etiam ratione, non potest intelligi, quod sit prius seipsa a parte rei, prioritas enim realis essentialiter est ad aliud; & quando dicimus, causam naturæ præcedere effectum, non solum intendimus prioritatem actionis ad effectum, sed præsertim intendimus ipsius causæ secundum suam entitatem ad effectum, ut postea dicemus.

24 Quarto ex hac doctrina non parum infirmantur præcipua nostræ fidei dogmata, nimirum quod Deus sit improductus, quod una Persona divina procedat ab alia, ut Filius a Patre, & non a seipso, posset enim aliquis dicere, Deum ut præ-existentem in uno esse independentem ab alio posse esse principium productionis, quia iterum accipiat idem esse a seipso, atque ita rueret ratio Aug. 1. de Trinit. cap. 1. qui hac ratione probat, Deum esse ingenitum, quia nihil potest generare seipsum, posset etiam quis dicere, Filium, ut procedentem a Patre, & ut præintelligitur in suo esse accepto a Patre per generationem, posse esse principium generandi se ipsum. Respondet Amic. negando utranque consequ. quia nec Deus est capax causalitatis passivæ, nec Filius est capax alterius generationis ab ea, quam nunc terminat, est enim terminus illius totalis, & adequatus. Sed contra, quia protervum dicere posset ex doctrina Adversariorum, quod licet Deus non sit capax causalitatis passivæ ab alio, quia est primum ens, tamen est capax productionis passivæ a se ipso, atque ita dicitur productus a se, licet improductus ab alio, & similiter dicit, quod licet Filius sit terminus adequatus paternæ generationis, quatenus illa ad alium Filium extendi nequit, adhuc tamen esse potest terminus generationis, quia se ipsum producat; male quoque ex productione in divinis probaretur realis distinctio personarum, posset enim protervum dicere, quod secunda Persona non est realiter distincta a prima, sed eadem a se ipsa genita, quamvis enim Pater non sit productus ab alio, poterit tamen dici productus a se ipso, & quatenus improductus, dici Pater, quatenus productus, dici Filius.

Postremo tota hæc opinio fundatur in ruinoso principio, quod nimirum idem effectus possit terminare duas causalitates totales per potentiam Dei, cujus implicantiam ostendemus q. seq. Accedit quod illa secunda actio, ex vi cujus res existit dependenter a seipsa, non esset actio adequata respectu effectus, ut isti prætendunt, quia actio adequata dicitur illa, ex vi cujus nulla alia intellecta terminata ad eundem effectum potest poni sufficienter effectus a parte rei, at ista secunda actio non est talis, cum necessario præsupponat rem eandem existere ex vi alterius causæ; ergo ista actio de suo conceptu non est adequata, quia per istam solum nunquam poni potest sufficienter effectus.

25 In oppositum objicitur 1. probando, idem posse se ipsum producere etiam secundum primam existentiam, & productionem de potentia Dei absoluta; inter producentem, & productum non est necessaria distinctio realis ex parte principii formalis, & Quo, ergo neque est necessaria ratio principii Quod, saltem de potentia Dei absoluta, patet antecedens ex divinis Productionibus, ubi principium Quo producendi est natura, in qua non distinguuntur persona. Probatur consequ. quia producentis, & formæ, qua producentem producit, eadem est relatio ad productum, ut colligitur ex 2. Phys. 38. & 5. Met. 2. ubi vult Arist. quod ad idem genus causæ, & principii pertinet ars, & edificator.

Resp. Scotus 1. d. 7. q. un. inf. Z. concessit antec. cum sua prob. in divinis, negando consequ. inde deductam, nam quamvis ibi terminus formalis non producatur de novo in supposito producto, sed ei a producente communicatur idem numero, quem in se præhabebat, tamen quia nihil communicat sibi ipsi id, quod habet, ideo suppositum, quod communicatur naturam, distinguitur a supposito, cui communicatur; sed in creatis non solum necessaria est realis distinctio inter producentem, & productum, ut Quod, sed etiam ut Quo, seu inter principium formale, & terminum formalem, quia in generatione creata terminus formalis habetur in producto per veram productionem, & non per simplicem communicationem ob alietatem naturæ, & ita loquitur Philosophus loc. c. & hæc de causis potest utique essentia divina in ratione principii formalis in Patre præcedere se ipsum in Filio, ut terminum formalem, quia communicatur præexistere potest communicationi, non sic productum productioni, ut patet ex Bassol. 1. dist. 7. quæst. un. in fine.

26 Secundo si aliquid obstat, quod nihil se ipsum producat, maxime foret, quia ad efficiendum requiritur existentia efficientis, sed hæc non debet præcedere actionem, & effectum, sed sufficit, quod sit in eodem instanti cum actione, & effectus ipso, unde in eodem instanti dabit, & recipiet existentiam a se ipso. Confirm. quia etiam si prærequiritur prioritas nature, hæc tamen non tollit ab actione, quin sit prima productio effectus, nam adhuc in hoc instanti veritatur, quod traducitur de non esse simpliciter ad esse simpliciter.

Resp. ad minorem, quod licet existentia causæ non debeat præcedere effectum ordine durationis, debet tamen pcedere necessario ordine nature, qui consistit in dependentia hujus ab illa: implicat autem, idem esse prius, & posterius se ipso etiam natura, implicat,

placit, esse dependens, & independens a se ipso; nec sufficit dicere, esse independens, ut producat, & esse dependens, ut producat, cum enim causa, & causatum essentialiter includant illa prædicata repugnantia respectu ejusdem, scilicet esse prius, & posterius, dependens, & independens, plane producat, & productum respectu ejusdem ita repugnabunt, sicut esse prius, & posterius, dependens, & independens. Ad Confirm. concedimus totum, sed negamus in eo instanti posse illum influxum ab eodem exerceri respectu sui ipsius.

Tertio probat Amic. posse idem se ipsum producere per modum secundæ productionis, quia hic nulla est repugnancia ex parte causæ, vel ex parte effectus, vel modi agendi; non primam, quia supponitur causa habere existentiam necessariam ad actionem ex vi suæ causæ; non secundam, quia terminus per potentiam Dei est capax duplicis influxus totalis, quare sicut existens ex vi unius causæ potest recipere influxum ex vi alterius, ita & a se ipso; non tertium, quia in eodem instanti temporis potest, ut existens per primam productionem, res dici prior se ipsa, ut producta per secundam. Resp. repugnantiam esse, quia idem effectus non est capax duplicis influxus totalis, & quando etiam esset capax, non potest hunc influxum a se ipso recipere, quia nihil sibi ipsi realiter præsupponitur, ut iterum a se ipso recipiat illud idem esse, quod habuit ab alio.

27 Quarto omne producatum primario intendit effectum producere sibi simile, & secundario a se distinctum, ergo ex vi productionis non repugnat inter causam, & effectum assimilatio identica sine ulla distinctione a parte rei. Nec respondere valet, intendi distinctionem effectus saltem secundario, quia hoc intantum verum est, quatenus naturaliter idem non potest producere seipsum, at hic est sermo de potentia Dei absoluta.

Respond. saltem secundario semper intendi distinctionem inter producatum, & productum, ut Quod, etiam ubi terminus formalis habetur in producto per simplicem communicationem ut est in divinis, quia nihil sibi communicat, quod habet; in creatis vero ubi terminus formalis habetur per productionem, non solum est necessaria distinctio inter producatum, & productum ut Quod, sed etiam ut Quo, & hoc non tantum juxta communem naturæ causam, sed etiam ex absoluta rei necessitate, quia in creatis producatum, & productum nequeunt per quamcumque potentiam convenire in eadem numero naturam, & hoc solum cernitur in divinis, ubi natura est infinita, communicata, non producta. Accedit hoc argumentum a quo probare, quod idem possit seipsum producere in prima productione, quod non concedit Amic. &c.

28 Quinto tandem objicitur; Tum quia potentia activa, & passiva in eodem non repugnant respectu ejusdem, quia idem potest esse in potentia formali, & actu virtuali, ut sæpe Scot. docet, ergo sic etiam in proposito; Tum quia finis est causa formæ, quæ producitur ab agente, & tamen non distinguitur ab ipsa forma, qua ratione dixit Arist. 2. Phys. 70. finem, & formam coincidere in idem numero; Tum tandem quia ait Arist. 2. de Anim. 47. quod licet idem nequeat generare seipsum, potest tamen conservare.

Respond. ad primum ex Scot. 2. dist. 25. quæst. un. l. concedendo assumptum, & negando consequentiam, si per potentiam activam intelligatur transmutativa, & per passivam intelligatur subjectiva, quia sic sunt relationes importantes dependentiam accidentalem inter activum, & passivum, quæ utique non repugnant in eodem subiecto, quia idem potest efficere in se perfectionem suam accidentalem, & sic accidentaliter a se dependere, at negatur assumptum, si per potentiam activam intelligatur productiva, & per passivam objectiva, quia terminus existens in potentia objectiva necessario supponit in esse suam causam, & in creatis sunt relationes importantes dependentiam essentialem inter activum, & passivum. Ad secundum conceditur totum in causa finali, quia non est vera, & realis causa physica. Ad tertium loquitur ibi Arist. non de conservatione proprie dicta, quæ exercetur per verum, & continuum influxum in rem conservatam, sed de conservatione improprie dicta, & indirecta, quatenus a substantia dimanant dispositiones quædam, & accidentia, quæ ipsam tuerunt, impediendo actionem contrarii per resistentiam, de hoc vide, quæ diximus disp. 5. de Gener. & Cor. quæst. 8. num. 184.

ARTICULUS II.

Conferuntur causa cum suis effectibus quoad prioritatem, & perfectionem.

29 Circa prioritatem possunt causæ cum suis effectibus comparari tum ordine temporis, tum ordine naturæ: possunt autem causa, & effectus dupliciter considerari, vel formaliter quantum ad ipsas formales relationes, secundum quas sunt correlativa, vel materialiter quoad entitates scilicet eorum absolutas per se inspectas, & certum est apud omnes, in primo sensu causam, & effectum esse simul, nedum tempore, ut docuit Aristoteles 2. Physicæ 37. & 5. Metaph. cap. 2. dum ait, causam in actu, & effectum in actu simul esse, ubi per causam in actu intellexit causam actu causantem, & effectum actu terminantem influxum causæ, sed etiam natura, quia peculiaris proprietates relativorum est, quod relativa ut sic, sint simul Majrui, & Bellui Tom. II. Physicæ.

natura, ad quam simultatem cum duæ conditiones exiguntur ex Arist. in Postprædicamentis cap. 3. Una, quod quæ sunt simul natura, convertantur secundum sufficienti consequentiam, quæ sola non sufficit, quia ita se habet subiectum, & passio, & tamen subiectum est prius natura passione, & ideo alteram subdit Arist. quod nimirum neutrum sit causa alterius; optima ratio causæ, & effectus quoad denominationes relativas ceteri debent simul natura, quia sub tali ratione posito uno ponitur & reliquum, & comparando ipsas relationes inter se una non causat aliam, sed est entitas absoluta effectus, quæ sequitur ad virtutem absolutam causæ.

Difficultas igitur est de causâ, & effectû materialiter consideratis, num sit necesse, quod causa secundum entitatem suam absolutam antecedat effectum duratione, ut effectus possit, & debeat sibi attribui in ratione causæ, an prius ad hoc sufficiat sola naturæ prioritas, quæ stat cum simultate temporis: Thomistæ negantes, Angelos potuisse peccare in primo instanti, videntur exigere prioritatem durationis, nam ut referunt Scot. 2. dist. 5. quæst. 2. § Respondeo primo &c. præsertim hanc eorum sententiam fundant in ista propositione, quod omnis operatio, quæ simul incipit cum esse rei, est effectiva a causâ producente rem in esse, quod probant exemplo lapidis, quia descensus gravis simul incipit cum esse ejus, ideo descensus ille causatur a generate grave; & præsertim in causis liberis talem prioritatem temporis exigunt Nominales, negantes, voluntatem esse liberam eo instanti, quo operatur, & volunt dici liberam, quatenus ante instantis operationis poterat illam elicere, & non elicere.

30 Dicendum tamen est, prioritatem durationis in causa ad suum effectum non esse necessariam, sed solum prioritatem naturæ, hancque solum sufficere, ut effectus ei tribuatur in ratione causæ. Et Scoti 2. dist. 1. quæst. 3. § Tenentes &c. ubi ait, quod causa non causat, in quantum præcedit effectum duratione, sed est causa, in quantum præcedit effectum natura, quod prius de causa libera docuerat 1. dist. 39. sub E. & repetit 2. dist. 5. quæst. 2. supra C. & in 3. dist. 18. quæst. un. K. & alibi sæpe, quem omnes sequuntur Recentiores, Averfa quæst. 16. sect. 1. Hurtad. disp. 6. Phys. sect. 6. & 7. Amic. tract. 14. qu. 5. dub. 1. & art. 3. Suar. disp. 26. Metaph. sect. 2. & alii passim, qui notant utique contingere posse, ut experientia docet, quod causa secundum entitatem suam præcedat tempore entitatem effectus, immo in aliquo casu id esse necessarium, si verb. gr. effectus effici debeat per actionem successivam, tunc enim necesse esse, quod causa præxiterit in aliquo instanti temporis, post quod immediate effectus produci incipiat, at hoc totum mere illi accidit in ratione causæ, sicut mere accidit, quod causat in instanti, vel in tempore, quia ad rationem causæ sola sufficit prioritas naturæ.

Probatur autem quoad primam partem ex Scot. cit. Tum quia causa non est causa, nisi eo instanti, quo causat, antea enim erat tantum causa in potentia, ergo in ratione causæ non exigit prioritatem temporis; Tum quia si ponamus voluntatem creatam habere esse tantum in uno instanti, posset pro eo instanti elicere actum liberum, & ita fuit de actu divinæ voluntatis, quo in instanti æternitatis Petrum prædestinavit, ergo ut voluntas dicitur causa libera, non oportet, quod tempore præcedat actum suum, non enim modo est contingens causa, quia præexistebat ante illud instans, in quo causat, & tunc ut præexistens potuit causare, & non causare, quia sicut hoc ens, quando est, est necessarium, vel contingens, ita causa, quando causat, tunc dicitur causare necessario, vel contingenter; Tum tertio voluntas in primo instanti, ut prior natura suo actu ita contingenter elicet actum suum, sicut si per diem præcessisset actum elicatum, ergo per solum naturæ prioritatem in eodem temporis instanti salvatur in voluntate ratio causæ liberæ; Tum quarto, quia sic etiam res se habet in causis naturalibus, nam si Deus crearet, vel agens creatum generaret solum substantiam ignis, illa haberet in se causalitatem respectu quantitatis, & caloris, unde in eodem instanti temporis, in quo esset secundum substantiam, esset quantus, & calidus, quamvis non in eodem instanti naturæ, posito etiam, quod ignis uno tantum instanti existeret; & de facto ita resultant in rebus proprietates, & connaturales earum affectiones in eo nimirum prorsus instanti, quo ipsæ in lucem prodeunt; Tum denique, quia illud necessario, & per se est supponendum in causa, quod exigitur ad productionem effectus, sed ad hoc sufficit, quod causa existat in eo instanti, quo ipse producitur, ergo existentia causæ ante illud instans prorsus per accidens se habet ad hoc, ut causa dicitur.

31 Quoad alteram partem, quod nimirum causa sit necessario prior natura effectui, probat Hurtad. loc. cit. cum Valf. 1. part. disp. 167. nu. 3. quod ex Arist. 5. Met. cap. 11. prius natura dicitur, a quo non convertitur subsistendi consequentia, quod nimirum esse potest sine alijs, sed alia non sine ipso, sed ab existentia causæ non valet consequentia ad existentiam effectus, quia causa est separabilis ab effectui, valet tamen e contra, ergo, &c. Sed ut bene notat Amic. hæc probatio non valet, quia licet prioritas secundum consequentiam sit verus quidam modus prioritatis ab Arist. recensitis in Postpræd. c. 2. & ab eodem 5. Met. c. 11. appelleretur modus prioritatis secundum naturam; de hoc enim loquitur ibi, ut notat Scot. in eum textum, tamen confundi non debet cum alio modo

modo prioritatis naturalis, quæ verfatut inter causam, & effectum, & dicitur prioritas causalitatis, seu independentiæ, tum quia hos modos prioritatis refert ibi in Postprædicamentis Philosophus, ut condistinctos, ut Suarez notat loco cit. num. 8. tum quia, ut notat Scot. 1. dist. 7. qu. un. in fine prius secundum consequentiam non semper est prius secundum causalitatem, sequitur enim ignis, igitur calidus, & non e converso; ergo calidus est prius secundum consequentiam, & tamen ignis est prius secundum causalitatem; tum quia etiam e contra, ut notat Scot. 3. d. 2. q. 2. ad 3. ex Arist. cit. prius secundum causalitatem non semper est prius secundum consequentiam, nam subiectum dicitur causa passionis, & prius ea secundum causalitatem, non tamen secundum consequentiam; materia, & forma unitæ sunt priores composito prioritate causalitatis, non tamen consequentiæ, quia mutuo se inferunt, nec partes unitæ separari possunt a suo communi effectu; tum tandem quia Arist. ipse in Postprædicamentis cap. 3. inter ea, quæ se mutuo consequuntur, agnoscit interdum prioritatem secundum causalitatem, unde negat, ea esse simul natura, quorum unum est causa alterius, etiam si convertantur secundum subsistenti consequentiam, ergo prioritates istæ sunt condistinctæ, & male ex una arguitur alia.

Ex alio igitur cap. probanda est necessitas prioritatis naturalis causæ ad effectum, quia nimirum prius causa est in se, quam communicet esse effectui, & implicat concipere effectum habere esset a causa, quæ omnino simul sit cum ipso, alioquin non esse major ratio, cur effectus sit a causa, quam causa ab effectu. Accedit, quod independens est ex natura rei prius eo, quod ab ipso dependet, cum debeat supponi existens, ad hoc, ut det esse alteri, idque totum est verum nullo cogitante intellectu, etiam si ista duo existere ponantur in uno solum temporis instanti, sed ita se habet causa respectu effectus, etiam si ponatur ei cœvus, quod effectus dependet a causa, & non e contra; ergo, &c. Et hæc est illa naturæ prioritas, quam recenset Arist. in Postprædicamentis cap. 2. in ultimo loco, & Trombeta in Formalit. art. 4. §. *Alia prioritas* &c. ubi eam vocat ordinem essentialis dependentiæ, quem ait cadere inter ea, quorum unum pendet in esse ab alio, & ab eo progreditur ut a causa: vide, quæ diximus de prioritate naturæ disp. 9. Log. q. 2. artic. 2.

32 In oppositum obiicitur 1. probando, quod causa in actu primo, & secundum virtutem suam, qua dicitur potens agere, necessario debeat præcedere effectum duratione, ideo enim causa dicitur præcedere effectum, quia ut illum producat, & ei communicet esse, debet ipsa supponi esse, & existere, sed existentia est in duratione reali, nec mensurari potest per instans naturæ, ut sæpe diximus, & notat Rada 1. par. contrav. 7. ergo supponi debet præexistens saltem in aliquo temporis instanti.

Resp. quod licet nullius rei existentia mensuretur per instans naturæ, sic quod in aliquo instanti existat id, quod dicitur natura, prius, & independens, in quo non existat, quod est natura posterius, & dependens, sed ambo simul existant, adhuc tamen bene intelligitur cum fundamento in re, & juxta existentiam objecti, quod unum existat dependenter ab alio, qui ordo essentialis dependentiæ cum sit realis, & non fictus, infert necessario inter extrema prioritatem, & posterioritatem aliquam realem, semper enim ordo includit prius, & posterius, juxta naturam ejus, & cum existentia sit necessario prærequisita ex natura rei ad causalitatem, & effectum, in hoc sensu dicimus, existentiam ex natura rei prius præsupponi in causa, quam in effectu, licet simul sit in ambobus quoad durationem.

Secundo, causa libera ita habet potentiam ad operandum, ut simul habeat potentiam ad non operandum, sed operatio, & non operatio non possunt esse in eodem instanti, ergo causa libera debet præcedere duratione actum liberum. Resp. ex Scoto cit. 1. d. 39. quod in eodem instanti temporis, quo voluntas operatur, intelligitur prius natura habere potentiam ad actum, & posterius natura illum elicere, & in illo priori naturæ habet indifferentiam, sive potentiam ad eliciendum, vel non eliciendum non quidem conjunctam, sed divisam, & sic operatio, & non operatio sunt possibiles divisim in eodem instanti; habere autem voluntatem talem potentiam ad opposita disjunctam, ex eo patet, quia immediate ante instans temporis, quo actu habet hujusmodi potentiam, & in eodem instanti temporis, quo operatur, adhuc hanc potentiam retinet, ut est prior natura ipsa operatione.

33 Tertio probatur ulterius, quod causa præcedat effectum tempore etiam ut est sub ipso influxu. Tum quia Deus ab æterno est causa in actu, non solum primo, sed etiam secundo; nam actio est in agente, & hæc non potest Deo advenire de novo, & tamen nullus fuit ab æterno effectus, sed tantum in tempore. Tum quia ut notat. Sone. 5. Metaph. q. 7. quando effectus est res permanens, & per motum producit, contingere potest, quod causa agat, & effectum non attingat ob aliquod impedimentum, quod sæpius evenit. Tum quia omne agens per motum est prius tempore suo effectu, quia motus esse non potest in instanti; Tum tandem, quia ait Philof. 5. Metaph. causam in potentia non esse simul cum effectu, ergo idem esse poterit de causa in actu, quia ita se habet actus ad actum, sicut potentia ad potentiam.

Resp. ad 1. negando assumptum, licet enim Deus sit volens ab æterno, non tamen pro æterno, & utriusque potest voluntate antiqua rem creare in tempore, & dici de novo agens absque ulla sui mutatione per solum terminationem essentialis dependentiæ

creaturæ noviter productæ, ut Scot. ex professo declarat 2. dist. 1. quæst. 2. Ad 2. in tali casu, quando agens impeditur ab ultimato effectu intento, attingit saltem dispositiones ad illum, & in hoc sensu sicut causa est sub influxu incompleto, ita etiam intelligitur esse cum effectu incompleto. Ad 3. sicut quando effectus instantanee producitur a causa, est totus simul cum ea, sic etiam quando producitur successive, erit simul cum ea secundum partes correspondentes partibus influxus. Ad 4. per causam in potentia non accipit Arist. causam, quatenus est potens ad existendum, sic enim urget paritas, sed quatenus actu existens est in potentia ad causandum, & ita sumptam negat esse simul tempore cum effectu in actu.

Sed dices, causa sub actuali influxu, si non tempore, saltem natura præcedit effectum, nam licet influxus non sit virtus, a qua ponitur effectus, est tamen via, per quam ponitur, & via est prior termino. Respond. quod licet Recentiores id communiter concedant, tamen concedendum non est, nam rationes omnes, quibus probatur, causam sub actuali influxu effectum non posse tempore præcedere, probant etiam non posse præcedere natura, quia actio concipi nequit sine termino, nec concipi potest causam influere, nisi simul concipiatur in fieri terminus influxus, & denique secundum nos influxus est relatio, quæ terminum supponit in esse, & in quo sensu dicitur via ad illum, satis explicatum est disp. 5. quæst. 2. Si tamen causalitas, vel influxus fundamentaliter sumatur, quo sensu dicitur virtutem absolutam causam in exercitio, ad quam sequitur immediate absolutum in effectu, ita admitti potest, quod causa, ut sub ipso actuali influxu est, adhuc præcedit effectum.

54 Quarto obiicitur e contra, causam ex ratione causæ non debere necessarium effectum suum natura præcedere, tum quia forma præsertim corruptibilis non est prius natura in se, quam informet, ergo non præcedit natura effectum formalem, quem in materia causat, quia effectus ille formalis est ipsamet forma communicata subiecto, tum quia si materia, & forma unitæ comparantur composito, non videntur existere in aliquo priori naturæ, cum potius existant ad existentiam ejus, quæ ratione inquit Doct. 4. dist. 1. quæst. 1. B. formam esse in materia, est compositum habere esse, ut omnem excluderet prioritatem partium unitarum ad compositum, & si essent priores natura composito, possent esse sine illo; priora enim natura dicuntur, quæ possunt esse sine aliis, sed alia non sine ipsis ex Arist. 5. Met.

Ad 1. multi laborant pro solutione, præsertim Snar. cit. sed breviter dicendum est, quod sicut effectus formalis formæ erga materiam non in toto rigore est quid distinctum ab ipsa forma, differunt enim solum ut concretum, & abstractum, sicut notavimus disp. 5. n. 23. ita non est curandum ponere inter illa verum ordinem prioritatis naturæ, at tamen etiam inter ea suo modo potest assignari, quia ut patet ex dictis disp. cit. forma non pendet in sua existentia a materia per unionem, sed per concursum sustentativum, & prius est formam in materia sustentari, quam uniti, unio enim est duorum jam existentium, & ideo forma non dependet ab unione, nisi a posteriori, quatenus concursus sustentativus formæ corruptibili non debetur, nisi dum materiam format.

Ad alterum, negatur assumptum, quamvis enim existentia totali, & completa partes participative existant existentia totius, existentia tamen partiali, & quæ res a non esse recedit, prius existere partes intelliguntur ex Doctore quol. 9. art. 5. & in 4. dist. 1. q. 1. per illum loquendi modum noluit negare prioritatem naturæ inter partes unitas, & totum, sed tantum insinuare necessitatem impedibilem per quancunque potentiam intrinsecæ causalitatis; & demum Arist. 5. Metaph. loquitur de prioritate naturæ per inconvertibilitatem, ut notat Doctor ibi, non autem per causalitatem, de qua hic est sermo.

36 Circa perfectionem conferri possunt causæ, tam intrinsecæ, quam extrinsecæ cum suis effectibus, neque est difficultas de causa sub ratione formali causæ, sic enim causa quælibet est perfectior effectu, nam causa sub hac reduplicatione dicit independentiam, & effectus dependentiam, unde hæc ratio concedit Doctor in 2. dist. 12. quæst. 2. in fine, formam esse imperfectiorem materia; difficultas igitur est de causis, & effectibus quantum ad entitates eorum absolutas, & quidem de causis extrinsecis nihil hic dicendum occurrit, nam efficiente fise dictum est superius, quod causa totalis esset perfectior, vel saltem æque perfecta cum suo effectu, licet partialis possit esse imperfectior; de fine etiam dicendum est, posse esse perfectiorem, vel imperfectiorem suis effectibus juxta intentionem agentis, quod interdum inordinatè agens rem perfectiorem ordinat ad imperfectiorem, & de hoc parum est curandum, quia causalitas finis non est realis.

De causis igitur intrinsecis est hic præcipua difficultas, tam inter se collatis in ratione effectus, & causæ, quam in ordine ad compositum, si enim materia conferatur cum forma, quæ est effectus ejus, ex una parte videtur nobilior, cum sit ejus causa totalis, quæ semper est effectui præstantior, ex alia parte veritas obstat, & communis omnium sensus, formam sustentantem materiam nobiliorem, unde hæc de causa Flandria 5. Met. q. 2. art. 1. ad 1. negat, omnem causam totalem esse suo effectu nobiliorem. Deinde si causæ intrinsecæ conferantur singule per se sumptæ cum suo communi effectu, qui est compositum, dixerunt Averroistæ quamplures, formam esse perfectiorem composito, quamvis sit ejus tantum causa.

causa partialis, ita Jand. 5. Met. Zim. Theo. 10. & 39. Perer. lib. 6. cap. 5. cum Aver. 2. Phys. com. 4. in quod inclinat Scot. 7. Met. quæst. 6. Deniq; Recentiores, quamvis communiter concedant, compositum esse perfectius singulis partibus per se sumptis, addunt tamen, quod simul sumptæ, & unitæ non exceduntur a toto, sed sunt æqualis perfectionis cum ipso, ita Amic. tract. 14. qu. 6. dub. 1. art. 3. & tenet Fuentes 2. Phys. quæst. 2. dist. 2. artic. 1. secuti Snar. disput. 26. sect. 1.

36 Dicendum tamen est, formam esse perfectiorem materia quoad entitatem, & compositum esse perfectius nedum materia, & forma singillatim sumptis, sed etiam unitis. Concl. habet tres partes; quoad primam est Scoti 2. d. 12. quæst. 2. in fine ubi ait, formam esse nobiliorem materia, licet ab ea dependeat, quia est ipsa actualior, quæ ratio fundatur in regula, quam tradiderat in 1. dist. 8. quæst. 1. ad 1. ubi inquit, quod quando in duobus entibus creatis reperiuntur duæ perfectiones simpliciter una in uno, alia in altero, illud ceteri debent ens perfectius, quod habet perfectionem absolute nobiliorem alia (quia etiam inter perfectiones, simpliciter dantur gradus in perfectione) quia ratione ibi docet, quod licet materiæ competat simplicitas, quæ composito repugnat, quia tamen composito convenit actualitas, quæ est perfectio major simplicitate, ideo compositum perfectius est materia prima, & hæc ratio etiam in proposito concludere debemus, formam esse materia perfectiorem.

Quoad alteram partem, scilicet quod compositum sit perfectius forma, docet Doctor quol. 9. art. 3. & cum eo Ant. Andr. 7. Met. quæst. 5. Zerb. quæst. 3. Faber disp. 8. ex eodem fundamento, quia licet forma sit actus, tamen compositum est perfectior actus, quia non est actus informans, sed subsistens, & probatur, tum ex Aristotele, qui capit. de Substantia dixit; primam substantiam dixit, per quam intelligit compositum, esse maxime substantiam; tum etiam ratione, quia illud, quod includit omnem perfectionem alterius, & ultra hoc aliam superaddit, est perfectius illo, sed compositum est hujusmodi respectu formæ, nam supra illam addit perfectionem materiæ, & propriæ entitatis, ergo &c. Nec valet, quod ait Perer. & Zimar. materiam non adungere perfectionem, sed potius imperfectionem. Nam hoc rejicit multis Trombeta 12. Metaph. qu. 5. concl. 3. tum quia materia habet gradum perfectionalem determinatum in entibus, per quem distat a summo ente, & mensuratur ab ipso; tum quia materia est substantia, cum sit principium intrinsecum compositi substantialis, tum quia est perfectior quolibet accidente, & quodlibet accidens in suo genere dicit aliquam perfectionem; tum quia est essentialiter ens, ergo habebit bonitatem primariam, quæ est perfectio modalis formæ; tum denique quia quando etiam nullam superadderet formæ perfectionem ex inclusione materiæ, addet illam ex additione propriæ entitatis.

37 Quo ad tertiam partem, scilicet quod compositum sit perfectius partibus etiam unitis, est Scoti 3. dist. 2. quæst. 2. & dist. 22. quæst. unic. & Prob. tum quia sicut ultra partes unitas addit propriam entitatem ex Doctore ibidem, ita & propriam perfectionem; tum quia licet sit dependens ab eis, tamen est actualius illis, actualitas autem est major perfectio, quam sit independentia. Nec valet, quod ait Fuentes citatorum distingui a partibus unitis, & aliquam perfectionem includere, quam ipsæ non includunt; nempe causationes actuales, sed totum physicum non debere comparari cum partibus utcumque, sed ut influunt in effectum, & connotant causationem, sic enim æqualis sunt perfectionis. Hoc enim nili satisfact: tum quia falsum est, perfectionem, quam addit totum partibus unitis, esse solum causationes actuales earum, nam istæ sunt relationes, & perfectio, quam addit, est substantialis; tum quia si istæ causationes sumantur fundamentaliter, ut videtur ipse sumere 1. Phys. quæst. 6. num. 18. & 20. ubi asserit, totum esse partes unitas actualiter causantes, adhuc falsum est, totum non distingui a partibus etiam sic sumptis, nam totum non est partes unitas actualiter causantes, sed terminus talium causalitatum, ut fuisse supra probavimus.

In oppositum obiicitur 1. quod forma sit perfectior composito, tum auctoritate Arist. 7. Met. tex. 7. ubi ait *si species materia est prior & magis ens ipso quoque quod est prior erit ob eandem rationem*, tum ratione quia forma est essentialiter actus, compositum vero est in actu per formam, ergo forma erit perfectior.

Resp. ad auctoritatem illam, in communi codice non sic legit, sed potius opposito modo, *si forma prior est materia, & magis ens, illud quoque, quod ex ambobus est, prius erit*, quod si etiam illi lectioni adhaerere velimus, adhuc auctoritas non cogit, quia ut notat Tromb. cit. Arist. ibi permittit, quod forma est prior, & magis ens materia, & sic tangit duo, comparando formam ad materiam quatenus informatam, scilicet prioritatem, & majoritatem in entitate, cum vero comparat formam ad compositum, comparat secundum prioritatem, non secundum majoritatem, unde inquit, *ipso, quod ex utrisque est prior erit*, non autem magis ens. Ad rationem compositum est perfectior actus forma, quia subsistens, & non informans, & est actus completus non incompletus, & hanc suam consummatam actualitatem non habet ratione formæ præcise, sed etiam ratione materiæ, quia etiam materia suo modo est pars quidditatis, licet minus præcipua, & habet suum actum entitativum, de quo vide Scotistas præcitatos.

38 Secundo obiicitur, quod compositum saltem non sit perfectius materia, & forma unitis ex Amic. & Fuent. quia effectus

omnem perfectionem, quam habet, a causa totali habet, quæ ratione Doctor in 4. d. 12. qu. 3. inquit, causam totalem non posse esse suo effectu imperfectiorem, sed materia, & forma unitæ sunt adæquatæ causæ totius, ergo totum non addit aliquam perfectionem, quam partes unitæ saltem virtualiter non contineant, & hæc ratio etiam probari potest, formam non esse perfectiorem materia, cum ab ea pendeat ut a causa totali. Accedit, quod totum solum est suæ partes unitæ, & actualiter causantes, ergo æqualis est perfectionis cum ipsis, quatenus actu causant.

Respond. quod licet materia, & forma unitæ sint causa totalis, & adæquatæ in genere causalitatis intrinsecæ respectu compositi, quatenus sunt omne id, quod intrinsecè concurrunt ad constitutionem ejus, non tamen sunt causa totalis simpliciter, & absolute, id est non sunt omne id, quod concurrunt in quocumque genere causæ, concurrunt enim etiam efficiens, quod vere, & physice attingit tertiam entitatem, ut notat Scot. 1. d. 8. qu. 1. D. & sic etiam dicendum ad illud de forma, quod utique causatur totaliter a materia in genere causæ materialis, sed etiam efficiens concurrunt in proprio genere. Ad confirm. negatur assumptum, quod si in hoc sensu tenet Fuent. totum distingui a partibus unitis, quatenus addit super illas actuales causalitates, valde decipitur, nec mentem Doctoris percipit, qui per tertiam entitatem partibus unitis additam non intelligit causalitates partium, sed terminum harum causalitatum, quod si dicat causalitatem sumere materialiter, & ita inspectam esse entitatem effectus in fieri, & ut a causis penderet, ut sapius ipse docet Tract. de Causis, adhuc etiam decipitur, nec mentem Doctoris percipit, qui in 2. d. 1. q. 2. & alibi sæpe vult, virtutem absolutam causæ esse causalitatem fundamentaliter sumptam, & in 4. d. 13. q. 1. solum æquivoce ait actionem dici de re acta, quatenus est ab agente, nam proprie dicit terminus actionis, & non effectus.

ARTICULUS III.

Conferuntur causa cum effectibus quoad determinationem eorum tam in specie, quam in individuo.

39 Circa primam determinationem est difficultas, quia esto causa quælibet creata in omni genere causæ determinata sit ad certum genus effectuum, ut ipsa experientia docet, & inductione probari potest, nam non omne agens creatum non potest omnes effectus producere, non quilibet finis ad quælibet operationes movere, non quocumque subiectum recipere quancunque formas, nec quælibet forma cunctos effectus formales tribuere, sed singula harum causarum genera ad certum genus effectuum determinata sunt: adhuc tamen ad unam certam speciem non sunt determinata, nam finis unus, & idem, sicut acquiri potest mediis specie diversis, ita ad varias specie operationes potest movere; idem quoque subiectum potest diversas specie formas recipere, ut constat de materia prima: & in genere efficientis causæ, quamvis agens univocum ad unum speciem effectuum limitetur, tamen agens æquivocum virtutem habet ad effectus speciei diversos, immo, & quandoque oppositos, & contrarios, quod non solum in causis liberis verum est, sed etiam in causis naturalibus; Sol enim lutum indurat, & ceram liquefacit, in lacte dulcedinem causat, in asinthio amaritudinem, quod etiam in quibusdam causis inferioribus cernitur, & etiam in aliis causarum generibus, nam idem subiectum recipit formas contrarias successive, idem finis movet ad operationes contrarias; difficultas igitur est, unde hujusmodi causæ sic illimitatæ determinentur ad effectum in certa specie.

Dicendum est, causas naturales in quocumque genere ad plures specie effectus indeterminatas, ad certum effectum in specie determinari ex variis causis secum concurrentibus, & variis conditionibus concurrentibus. Concl. colligitur ex Scot. 1. d. 3. quæst. 7. Bb. ubi docet, intellectum ad multas intellectioes specie differentes illimitatum determinari ad unam, vel alteram in certa specie a certo objecto concurrente, & Solem ad generationem hominis determinari ex concursu hominis, bovis ex concursu bovis, sic etiam ex diversitate dispositionum materiæ, circa quam agit, lutum indurat, & ceram liquefacit, in materia lactis dulcedinem producit, in materia asinthii amaritudinem; sic etiam e contra materia ab hoc, vel illo agente, cujus actioni subternitur, determinatur ad hanc, vel illam formam recipiendam. Immo Scot. 9. Met. q. 15. §. *Per dicta potest responderi, &c.* ad hoc propositum docet, quod licet causa naturalis sit quandoque illimitata, & principium oppositorum in materiis disparatis, postis tamen necessario requisitis, ita est determinata ad unum illorum, sicut causa univoca, quæ est unius tantum effectus specie productiva, nam cum materia sic disposita necessario hunc speciem effectuum ita producat, ut sic manens alium producere nequeat, & sic intelligenda sunt axiomata illa de causis naturalibus communiter a Philosophis pronuntiata, *Natura est determinata ad unum*, quod colligitur ex 2. Phys. & idem manens idem semper facere idem, quod colligitur ex 2. de Gen. 18. hæc dicta sunt intelligenda de causis naturalibus eodem modo se habentibus cum eisdem concavis, & conditionibus, sic enim determinantur semper ad unum, & eundem speciem effectum, ut explicat Doct. quol. 2. F. & d. 1. q. 2. F. ex quo deducitur, causam naturalem non efficere contraria, nisi per accidens, ut judicavit Arist. 2. Ph. 20.

& 5. Met. c. 2. exemplo nauar, qui per presentiam est causa salutis per se, quia per artem suam positive operatur salutem navis, per absentiam vero est causa per accidens naufragii, licet Suarez disp. 26. sect. 6. & Averſa q. 16. sect. 2. velint, nauam esse per se causam contrariorum, quatenus ex sua libertate potest assistere, aut recedere a navi, unde dicitur Aristot. exemplum pertinere ad causam liberam.

40 Causam vero liberam unanimes inquit omnes se ipsam determinare ex sua libertate ad certum actum in specie, v. gr. ad amorem, vel odium, ad volendum, aut nolendum, idque intelligi debere etiam positis omnibus conditionibus necessariis, & prerequisiteis ad operandum, & in hoc distingui a causis naturalibus, ita Suarez & Averſa cit. & sequitur Amic. tract. 14. q. 9. & colligitur ex Arist. 9. Met. text. 3. ubi ait, potentiam rationalem posse esse principium effectuum contrariorum, irrationalem vero unius tantum. Sed hoc absolute intelligendum non est, si teneamus, bonum esse non posse, nisi obiectum amoris, & malum odii; nam cum a talibus obiectis necessitate voluntas quo ad actus specificacionem, plane per talem indeterminationem ad effectus contrarios causa naturalis a libera secerni non valebit in universum, sed tantum circa quaedam objecta, que bonitatem habent admixtam alicui imperfectioni, aut malitia vere, vel apparenti, nam circa talia objecta voluntas est libera, etiam libertate contrarietatis, & specificacionis, id est ad oppositos actus, vel le, & nolle, & in hoc sensu intelligendus est Philof. cum 9. Metaph. text. 3. penes indifferentiam ad contraria potentiam rationalem ab irrationali secernit.

Absolute igitur loquendo, & in universum, causa libere discerni debet a naturali per indeterminationem ad contradictoria, scilicet ad agere, & non agere, positis enim omnibus necessario prerequisiteis ad agendum, voluntas potestatem habet agendi, & non agendi, ac causa naturalis remanet prorsus determinata ad alteram contradictionis partem, scilicet ad agendum, & penes hanc indifferentiam contradictionis nimirum essentialiter distinguit Arist. 9. Met. text. 18. potentias rationales ab irrationalibus, quod illa, positis omnibus requisiteis ad agendum, possunt operari, & non operari: at ista, positis omnibus requisiteis, nequeunt non operari; indeterminatione igitur ad contradictoria, non ad contraria est illa, que essentialiter, & universum distinguit causas liberas a naturalibus, ita docuit Scot. 1. d. 1. quest. 4. ad 3. & 4. dist. 12. quest. 3. M. & quof. 18. art. 2. quibus in locis tradit ex professo hanc doctrinam, idque totum accurate notavit Lich. 1. d. 6. qu. 2. §. In ista littera &c.

41 Circa determinationem causarum ad certos effectus in individuo censent aliqui, sumendam esse a circumstantiis, & conditionibus individuantiis obiecti, & dispositionum, ignis v. grat. circa hoc lignum, hoc loco, & tempore sibi approximatum non potest, nisi hunc numero inducere calorem, & materia sic, & sic disposita non potest ab hoc agente, nisi hanc numero formam recipere, nec forma aliam numero materiam informare, ita iudicavit Fonseca 5. Metaph. capit. 2. quest. 14., sequitur Franciscus de Ranconis in Physica sect. 3. de concursu Dei cum causis secundis question. 2. & Faber inclinat 1. disputat. 54. numer. 48., & enixe tuetur Vasquez tom. primo in 3. part. disp. 74. cap. 8.

Opposita sententia, causam scilicet secundam tam naturalem, quam liberam determinari ex concursu primae ad singularitatem actus, est communis, quam docuit Rubion cum ceteris Nominalibus 2. d. 34. quest. 2. in corpore questri, idem sentiant Bassol. 4. d. 43. quest. 2. Tatar. in pradicam. c. de oppositis, §. Tertio sciendum &c. ubi inquit, non posse naturaliter eundem numero effectum redire, quia de lege ordinaria nunquam Deus eundem numero prestat concursum, P. Vulpes tom. 1. p. 2. disp. 5. art. 3. num. 11. & disp. 7. art. 5. & videtur sententia Doctoris 4. dist. 43. q. 3. ubi inquit, quod quantum est ex parte naturalium causarum, possent interdum redire idem numero effectus, quia multae combinationes causarum possunt naturaliter iterum poni, unde quod non redeant, videtur secundum ipsum in divinam voluntatem reduci debere, hanc sequuntur communiter Recentiores, Averſa quest. 16. sect. 3. Suarez disputat. 5. Metaph. sect. 3. numer. 34. Conimbr. 2. Phys. cap. 7. qu. 15. Hurtad. disp. 10. Phys. sect. 4. & alii passim.

42 Dicendum igitur est cum hac posteriori sententia, qua est communior, & Scoti principis conformior, quod cum causa creata, quantum est ex se sit indifferens ad producendum in hoc tempore, & loco cum omnibus aliis circumstantiis in hoc subiecto varios effectus numero distinctos, determinat a Deo, ut certum quandam singularem effectum producat. Concluf. est Scoti, & Scotif. loc. citat. & Prob. 1. ex P. Vulpes cit. quia causa naturalis etiam sub requisiteis ad agendum considerata, est indifferens ad plures effectus numero producendos, quia hac ad agendum requisiteis dicunt determinatum ordinem ad unum effectum specie, non autem numero, ergo talis determinatio in concursu divinum per se primo revocanda est tamquam in causam propinquam, & proximam. Confir. ex Rubione, quia licet causa naturalis sit determinata ad agendum certum effectum in specie, ut ignis ignem, non tamen individuum, ergo licet ignis non indiget aliquo determinante ipsum ad producendum ignem, indiget tamen aliquo determinante ipsum ad certum, & determinatum individuum producendum, non enim magis hic ignis produceret nunc istum

ignem, postea alium a priori distinctum, quam e converso, & ita, vel utrumque simul produceret, vel neutrum produceret. Accedit ex eodem, quod nisi ita dicamus, nulla videtur assignari posse ratio, quare eadem res corrupta non possit naturaliter reparari, cum enim ignis iste corruptus non magis sit nihil, nec impossibilis, postquam corruptus est, quam fuerat, antequam esset ab alio igne productus, non minus nunc est in potentia materia, & virtute agentis, quam antea, plane si eadem ignis applicetur eidem materia, non videtur quare eundem ignem reproducere nequeat, nisi quia prima causa non vult coagere secundam ad eundem effectum numero, nisi semel, & hac est ratio, quare Sol quotidie idem lumen in universum non producit, & intelligentia eundem motum in Caelo.

43 Respondent, individuationem effectus prodire ex variis circumstantiis occurrentibus, quia nimirum agens agit in hoc subiectum hic, & nunc, ex quibus determinatur illuminatio virtutis agentis ad unum numero effectum. Contra hac limitatio in primis ex parte subiecti provenire non potest, nam sicut agens, v. gr. ignis, est de se indifferens ad unum, vel alium calorem numero producendum, ita e contra subiectum v. gr. aqua est de se indifferens ad recipiendum hunc, vel illum numero calorem. Nec provenire potest hac limitatio ex parte loci, quia locus non est causa activa caloris, nec determinativa ignis ad hunc calorem producendum, aut aquam ad recipiendum, quia successive in eodem loco idem ignis producit in eadem aqua calores numero diversos, & idem numero calor in eadem numero aqua possit replicari a Deo in alio loco. Nec provenire potest ex parte temporis, quia tempus est omnino extrinsecum effectui, nec aliquid imprimere videtur in causa, vel in effectu, nam duo agentia eodem tempore applicata producant diversum effectum; & sunt aliqui effectus, qui nullum prorsus sibi determinant certum tempus, & indifferenter existere possunt, & produci in hoc, vel illo tempore, ut notat Doctor cit. sub E; sic Christus fuisse idem, qui nunc, si in ventre Virginis fuisset in uno instanti conceptus prius, vel posterius, quam fuerit de facto; idem esset mundus, si per annum prius, vel posterius fuisset productus, quam de facto fuerit; idem denique foret Angelus a Deo productus mense Martio, vel Augusto, & stultum prorsus foret asserere oppositum, nec dicamus erroneum, quod si negaretur eundem esse Angelum mense Martio productum, & Augusto, tunc ut ait Hur §. 67 distinguendi forent Angeli, sicuti fructus in vernos, & autumnales, vel activos, nam aliqui forent Angeli, qui non peterent produci, nisi vere, alii nisi astate, alii nisi autumno.

44 Respondent, quod licet nulla singularis causa, aut circumstantia per se determinat hunc effectum, sed omnes sint indifferentes per se sumptae, tamen tota collectio illarum potest determinatum effectum; Contra, si nulla singularis causa, aut circumstantia potest determinatum effectum, ergo una alteri conjuncta nequit eam determinare, ergo tota collectio illarum ita manet indeterminata ad singularitatem effectus, sicut singularis per se sumpta. Probatur consequ. a pari, quia sicut ex multis universalibus, licet fiat aliquid minus universale, nunquam tamen fieri potest aliquid particulare sine hæcitate, ita in proposito, &c. Accedit, quod omnis, aut saltem aliqua combinatio causarum secundarum potest naturaliter iterum poni, præsertim in effectibus, qui non dependent directe a tempore reali, ut est motus Cæli, qui a tempore non dependent directe, cum ipsemet sit formaliter tempus extrinsecum reale mensurans motus inferiores, imo de facto hoc die est idem Angelus, qui movet Cælum, est idem Cælum, quod motum suscipit, est idem locus, in quo fit motus, cur igitur Cælum hoc numero motu volvitur hodie, non motu æterno, vel crastino? Neque dicas, id esse, quia hodiernus motus dependet ab hoc numero tempore, imaginario, quia cum tempus imaginarium nihil sit, non videtur, quomodo determinare possit causas ad unitatem numeralem effectus, talis enim determinatio est quid reale, & non imaginarium.

Secundo hac eadem determinatio ad virtutem naturalem effectus per concursum primae causae necessaria est in causis liberis, tum quia rationes allate de naturalibus eodem modo concludunt de liberis; tum quia experimur, nos non esse liberos ad eliciendum potius hunc actum numero, quam alium circa idem obiectum, neque enim de ea re fit a nobis consultatio, vel deliberatio, quia nec agnoscimus rationes individuales eorum, ad hunc ergo unum numero actum determinatur a Deo, sicut determinatur alia causa naturalis, tum tandem quia hoc satis consentaneum est divinæ scientiæ, & providentiæ, quod sicut ab æterno decrevit in tali rerum serie, & circumstantiis me volitarum obiectum, decrevit quoque simul me volitarum per talem numero volitionem, alioquin distincte non videret actum a me in tali tempore, & loco eliciendum.

45 In oppositum Obiiciunt 1. Tum quia Arist. 2. Phys. 38. effectibus in genere assignat causas in genere, & effectibus singularibus causas singulares. Tum 2. quia causa secunda propria actione attingit effectum secundum omnem eius formalitatem etiam individuum, ergo eius actio ex se determinata est ad hunc numero effectum. Tum 3. si causa est indifferens ad unum effectum, erit etiam indifferens ad infinitos, quod repugnare videtur eius virtuti finitæ. Tum denique si haberet vim ad plures numero effectus, possit quoque effectum jam præteritum reproducere, nam habet virtutem ex se indifferenter ad omnes, ex quo sequitur, posse eundem hominem decidere semen idem, & dif.

& disponere materiam ad unionem animæ filii mortui, atque ita ad ejus suscitacionem virtute nativa cooperari.

Resp. ad primum, sensum Arist. ex ipso contextu colligi, ait enim quod sicut secundum rationem generam assignatur causa, & effectus, ut statuarii statua, ita etiam assignari debent secundum rationem individualement, ut hic statuarius hujus statua, non quia hæc statua determinaret præcise hunc statuarium, vel e contra, sed cum actiones sint singularium, non potest hic artifex efficere, nisi statua singulararem, non tamen determinare hanc, vel illam. Ad secundum attingit utique causa secunda per suum concursum formalitatem etiam individuum effectus, sed non nisi quatenus ejus concursus ex se indifferens ad plures numero effectus distinctum, determinatur ex conjunctione cum concursu primæ ad hunc numero effectum. Ad tertium causa secunda est indifferens ad infinitos numero effectus sinecategorice, non quidem collective, sed divisive, & successive unam post aliam, quod non est inconveniens, quia unus effectus non postulat majorem virtutem in causa, quam alter, sed eadem sufficit ad singulos ponendos successive. Ad quartum non potest reproduci a causa secunda effectus jam præteritus, quia ut supra diximus, decrevit Deus non concurrere ad unum, & eundem effectum, nisi semel, ut continetur varietas individuorum in universo, unde repugnancia non est intrinseca ex causarum, & effectuum naturis exorta, sed ex decreto Dei extrinseco: hinc Scot. cit. §. De secundo art. &c. concedit, possibile esse naturæ reducere corpus mixtum idem animæ susceptivum, sed inquit, non esse possibile reducere eadem eodem modo, quo fiet in die Judicii, in quo illico tota corpora extrahentur ex animalibus, ex terra, & tota millia animarum infundentur in ea, totaque homines sine concursu maris, & feminæ reproducentur, ex quibus capitibus miraculosa erit resurrectio mortuorum, & viribus naturæ impossibilis.

46 Secundo obijciunt, quod ita dicendo, læditur libertas in causis liberis, quia non solum dicitur libera voluntas ad actum in specie, sed etiam in individuo, non enim solum est libera voluntas ad amandum, & non amandum, aut odio habendum, sed etiam ad amandum hoc amore ita intenso, sic arguit Vasq. loc. cit. Addit Franc. de Raconis, quod si ad quamlibet actionem in particulari, & in individuo Deus determinaret causam secundam, eam pariter ad actus malos in particulari, & in individuo determinaret v. gr. ad hoc in particulari homicidium, quod impium est. Denique ex eodem concursu Dei, quem causis secundis exhibet, est uniformis, nam Deus uniformiter omnia operatur, ut docet Div. Dion. 4. de Divin. nom. ergo sicut diversitas specificæ effectuum sumitur ex concursu causæ secundæ, qui determinat concursum primæ quoad speciem actus, sic etiam diversitas individualis ex parte causæ secundæ cum his, vel illis circumstantiis positæ sumi debebit, nam prorsus implicat, causam primam determinari a secunda ad speciem actus, & postea ipsam determinare secundam ad individuationem, plane si concursus Dei est determinatus quoad individuum, erit quoque determinatus quoad speciem.

Resp. negando assumptum, in nobis enim nulla alia solet poni libertas, quam specificacionis, qua est ad oppositos actus, & exercitii, quæ est ad actum, & suspensionem actus, nec ulla ulterior ponitur libertas ad eliciendum potius hunc numero actum, quam illum, ad prob. dicimus, ideo nos libere amare amore sic intenso, quia per illum ita libere amamus, ut cum suspendere possimus, & non quia alium consimilem sine determinatione primæ causæ elicere valeamus; neque per hanc determinationem cogimur ad hunc numero actum amoris eliciendum, quia cum tali determinatione stat libertas exercitii, sed supposito, quod aliquem actum sic intensum elicere velimus, cogimur ad hunc numero actum eliciendum, & non illum ex vi talis determinationis, quæ proprie non est coactio, quia non est in nobis libertas ad hunc, vel illum actum in individuo, id est ad hunc vel illum amorem circa idem obiectum.

47 Ad secundum determinat Deus actum illum in individuo quo ad excitatem, non quoad malitiam, nam in ordine ad istam permissivæ se habet, neque ob id dicitur causa peccati, quia peccatum ut peccatum reduplicat modum, quo peccaminose oritur a sua causa, sicut vitalitas formaliter reduplicat modum vitaliter producendi actum, vel tendendi in obiectum, ut notavit Hurt. cit. §. 72. actus autem malus in individuo non oritur a Deo modo peccaminose, & imputabili, quia Deus non tenetur dare restitutum actui, sed sola voluntas creata, & si actus non elicitur rebus, id voluntari divini imputari non debet, quia per ipsam non stat, quin eliciatur actus rebus, quicquid enim Deus dat antecedenter, daret etiam consequenter, nisi humana voluntas obviaret, ita docuit Scot. 2. dist. 37. T. quem sequitur Rubion. dist. 34. qu. 1. prope finem, de quo fufius agere spectat ad Theologum.

Ad tertium concursus Dei materialiter inspectus non solum est uniformis, sed unus, & idem numero ad effectus, quantumvis specie diversos, quia est simplicissimus actus divinæ voluntatis, virtualiter tamen est multiplex ob suam illimitationem pro effectuum diversitate, neque indiget determinari ad hunc, vel illum effectum specie a concursu causæ secundæ, nam sicut Scot. 1. dist. 35. qu. unic. ad 3. princ. loquens de divina essentia inquit, quod non indiget determinari, ut

sit distincta ratio intelligendi hoc, vel illud ens creatum, quia eadem ratio intelligendi illimitata potest esse propria ratio intelligendi quodcumque eorum, ad quæ est illimitata, sicut si esset limitata ad unum, tantum, in eodem modo dicimus de concursu divino. Et verissimum est, quod qui ponunt concursum Dei indeterminationem quoad speciem, & individuum, magis consequenter loquuntur, quam qui illum ponunt determinatum in individuo, & indeterminationem in specie; plane hæc est manifesta repugnancia, quam frustra evadere conatur Hurt. cit. §. 62. & 63. ubi distinguit de specie ut contrahitur singularitate ad compositionem individui, vel secundum suam rationem communem præcise, & in primo sensu concedit, concursum primæ causæ esse determinatum quoad speciem, quia omnes gradus superiores sunt a parte rei idem cum individuatione, non autem in alio sensu, immo sic determinari a concursu secundæ, nam eadem actio procedens ab igne, & a Deo tantum dicitur calefactio, quia oritur ab igne, & sic determinatur voluntas Dei per calorem, ut velit cum eo concurrere ad calefaciendum.

Hæc ipsa resp. convincit Hurt. nam si concursus Dei est terminatus secundum speciem, ut contrahitur ad singularitatem, quia a parte rei gradus superior est idem cum individuo, plane concedit id, quod contendimus, concursum nempe Dei esse a parte rei determinatum, ut exhibetur causis secundis, tam in specie, quam in individuo, quod vero sit indeterminationem secundum speciem, ut est conceptus communis ab individuis præcise per intellectum, parum refert, quia loquimur de concursu Dei, ut est a parte rei, & ut attingit effectus causarum secundarum, non autem secundum nostrum considerandi modum; actio autem, qua cum igne concurrat, dicitur calefactio, quatenus est ab igne, & non a Deo, non quia concursus ignis determinat concursum Dei, sed quia actio semper sumit denominationem a causa propinquiore, quæ assimilatur effectui formaliter, & non a remotiori, quæ assimilatur tantum virtualiter, ut notat Doctor 1. dist. 3. qu. 7. sub Aa.

QUESTIO III.

Ubi comparantur effectus cum suis causis.

48 PRO complemento hujus disputationis conferendi sunt tandem effectus cum suis causis, & quamvis in ista colatione multa examinari possent scitu digna, duo tamen sunt, quæ præsertim disputari solent, primum est, an effectus certas causas sibi determinant, ita quod, qui ab una producitur, non potest ab alia etiam consimili formaliter, si est univoca, vel virtualiter, si est æquivoca, & sub eisdem circumstantiis produci, an potius potuerit in eisdem circumstantiis indifferenter a qualibet consimili produci. Alterum est supposito, quod divisim possit esse idem effectus a pluribus causis consimilibus, & totalibus, num etiam possit esse conjunctum ab utriusque.

ARTICULUS I.

An idem numero effectus possit produci a pluribus causis totalibus ejusdem generis, & ordinis diversim.

PROponitur quaestio de identitate effectus numeralis, quia quantum ad speciem concedunt omnes, posse eundem effectum a pluribus causis etiam genere differentibus produci, ut v. gr. eundem calorem ab alio calore, ab igne, a Sole, a motu &c. quod non solum conceditur in genere causæ efficientis, sed etiam in aliis generibus, nam eadem materia subijciunt formis specie diversis, & idem opus efficitur ob varios fines. Proponitur etiam quaestio de causis secundis ejusdem ordinis, & totalibus, nam pariter concedunt omnes, posse Deum producere eundem numero effectum a causa secunda sibi subordinata producibilem, quia continet eminenter, non solum perfectiones specificas, sed etiam individuales causarum secundarum. Et quamvis quaestio examinari possit de causis secundis in quolibet genere causæ, cum tamen tractabimus solum de causis extrinsecis, præsertim efficientibus, nam si loquamur de intrinsecis, certum est, quod hic numero effectus harum causarum intrinsecarum, v. gr. compositum ex hac materia, & forma, non potest idem numero esse ab aliis causis intrinsecis; tum quia unitas numeralis effectus pendet ex unitate causarum intrinsecarum, ut docet Scot. 2. d. 20. qu. 2. sub C. tum quia causa intrinseca concurrunt ad suos effectus, communicando, & exhibendo se ipsas, ergo sicut una causa non potest esse realiter idem cum alia causa, a qua realiter distinguitur, ita hic numero effectus, cum includat hanc numero materiam, & formam, & non aliam, non poterit esse effectus alterius materiae, & formæ. Et demum intelligitur quaestio non solum de causis univocis, & formaliter consimilibus, sed etiam de æquivocis continentibus in se virtualiter totam speciem alicujus effectus, unde non solum quaritur, an ignis hic, & nunc productus ab hoc igne, potuerit ab alio igne produci cum eisdem circumstantiis, sed an pariter potuerit produci a Sole, a silice, & ferro, quæ sunt causæ æquivocæ.

49 In hac controversia tres extant sententiæ, duæ extremæ, & una mediæ. Prima tenet, effectum eundem numero, qui pro-

produci ab una causa, potuisset etiam ab alia consimili formaliter, vel virtualiter produci, præsertim si fuisset sub eisdem circumstantiis, & sicut Scoti 2. dist. 20. qu. 2. & 4. dist. 43. qu. 2. quem sequuntur Recentiores fere omnes, Suar. in Met. disp. 26. sect. 5. Ruvius 2. Phys. tr. 7. qu. 2. Morisanus disp. 3. Phys. qu. 25. Averfa qu. 26. sect. 4. & est communis inter Nominales.

Altera sententia affirmat, quemlibet effectum determinare sibi certam causam singularem, ita quod hæc numero forma non possit ex natura sua, nisi ab hoc agente produci, & ex hac materia educi, & addunt aliqui, oppositum nec per divinam potentiam fieri posse, unde consequenter inquirunt, quamlibet causam singularem continere in sua virtute certam quandam seriem individuorum distinctorum ab iis, quæ continentur in virtute alterius, ita Perer. 8. Phys. cap. 15. Conimb. 1. Phys. cap. 9. qu. 11. art. 4. & 2. Phys. cap. 7. qu. 15. Masius 2. Phys. tract. de Causis sect. 5. qu. 3. qui citat plures Thomistas, Amic. 2. Phys. tract. 14. qu. 7. dub. 2. art. 3. & Compl. 2. Phys. dist. 15. qu. 4. Jo: de S. Thom. qu. 10. Phys. art. 5. Manca 2. Phys. qu. 8. dub. 6. licet aliqui ex his auctoribus non satis exprimant, an hoc sit impossibile spectata etiam absoluta Dei potentia.

Tertia demum opinio negat, eundem numero effectum, qui est ab una causa, posse naturaliter ab alia produci, concedit tamen, id fieri posse per absolutam Dei potentiam, ita Murcia 2. Phys. disp. 4. qu. 8. citans pro hac sententia Scotum, sed immerito, Ranc. de Fraconis tract. de Principiis sect. 2. de Causis in specie qu. 3. art. 4. memb. 2. & alii quamplures hanc sententiam tenent, qui solent promiscue citari pro secunda.

50 Dicendum est pro resolutione quæstionis, nullum dari effectum in individuo, qui ex suis intrinsicis principiis postulet hanc numero causam, ita quod non poterit produci ab alia causa consimili formaliter, vel virtualiter. Concl. est Scot. loc. cit. quem præter exteros jam cit. sequuntur Scotistæ omnes circa illa loca, & Fab. theor. 42. & 5. Met. disp. 6. cap. 1. Sghemma 2. Phys. digress. 16. qu. 2. Fuentes 2. Phys. qu. 9. dist. 4. solet hæc Concl. a diversis probari diversimode, quæ rationes ut plurimum non concludunt, ut notat Averfa cit. & præsertim Suar. & Ruvius rationes Scoti ad hanc concl. reuocantes ut inutiles, quasdam adducunt ipsi, quæ nihil profus concludunt, & sunt facillimæ solutionis, ut notat ibidem Averfa, unde potiores rationes pro hac sententia sunt Scoticæ, ex quibus Physicæ adducimus, nam Theologia, qua probat, electos modo natos a patre reprobo, fuisse in statu innocentie nascituros ab electo, supponit, prædestinationem factam fuisse ante præscientiam lapsus naturæ, quod Theologicum principium in Scholâ Subtilium excedit Physicæ limites.

Relicta igitur hæc theologica ratione, quam asserit in 2. dist. 20. qu. 2. Probatur medio philosophico ab eodem ibidem adducto, ad hoc ut effectus sit idem numero, sufficit, si habeat eandem numero materiam, & formam, unde in resurrectione mortuorum homo quilibet erit idem numero, quia divina virtute forma cuiusque hominis iterum unietur cum eadem numero materia, sed materia, ex qua ignis A. generat ignem B. potest applicari igni C. & ex qualibet materia educi potest quilibet forma, materia enim est indifferens ad omnes formas, ergo ignis B. æque potest generari ab igne A, & ab igne C, quia a quocumque generetur, erit eadem numero materia, & forma. Respondet Amic. art. 4. cum Thomistis ad identitatem numeralem effectus subicere utique eandem materiam, & formam, sed ex eadem materia non posse quamlibet formam a quovis agente educi, sed unam seriem formarum non posse, nisi ab hoc agente produci, & in hac numero materia recipi, & sustentari.

51 Sed contra, nam hæc determinatio vel oritur ex parte forma, ita quod series quædam formarum non exigit recipi, nisi in hac numero materia, vel ex parte materie, ita quod hæc materia non petat nisi hanc numeralem formarum seriem, vel ex parte agentis; non primum, quia videmus in nutritionem hominis eandem animam successive informare aliam, & aliam numero materiam, & si constituat aliqua series animarum, quæ suapte natura petat informare corpus sic organatum, v. gr. rectum, & alia series, quæ postulet informare corpus gibbum, hoc nil aliud est, quam consistere, ut ait Hurt. disp. 10. sect. 4. §. 69. animas gibbas, firmas, & coclites. Non secundum, quia pariter videmus, eandem materiam successive subijci variis formis, nedum numero, sed etiam specie. Nec denique tertium, nam ponatur series formarum, quæ non possit esse, nisi in hac numero materia A, & ab hoc numero agente B, si huic agenti B. applicetur alia numero materia, aut eidem numero materia applicetur alia agens C. vel facta hac approximatione sequitur actio, vel non, secundum dici non potest, quia cum sit agens necessarius v. gr. ignis, & habeat materiam combustibilem approximatum necessario comburet; si primum, ergo ignis B, & C, producat formam ignis extra seriem illarum formarum, ad quas unquique ponebatur determinatus, ergo falsum est, dari seriem, & collectionem effectuum, qui ex natura sua postulet esse ab hac numero causa, & non ab alia.

Deinde dum inquirunt, hunc ignem continere in virtute sua infinitos alios ignes, quos efficere queat, & alium ignem alios nec istum posse producere effectus illius, vel id asseritur evenire ab extrinseco tantum scilicet a Decreto Dei, qui deter-

minavit hos numero effectus esse ab hac numero causa, vel ab intrinseco, idest a conditionibus individuandibus; si primum, jam ex natura rei omnia individua unius speciei se habebunt uniformiter, ita ut effectus, qui possunt ab uno produci, poterunt & ab alio, & solum extrinsecum Dei decretum erit in causa, cur hic effectus numero ab hoc agente fit, & non ab alio consimili formaliter, vel virtualiter, & hæc est vera sententia; si primum, tunc ignis B. se habebit ad ignes producibiles a C. sicut glacies, vel frigus, & tamquam si non essent agentia ejusdem speciei, unde neque per potentiam Dei absolutam posset ignis B. elevari ad producendos ignes a C. producibiles, nam tales sunt profus extra ejus individualem sphaeram activitatis, sicut sunt extra speciem glaciei, & frigoris.

52 Secundo. Probat Concl. quia in hoc nulla apparet repugnantia; neque ex parte causa, neque ex parte effectus; non ex parte causa; quia si hæc sit æquivoca, virtus ejus extenditur ad totam speciem, & quodlibet ejus individuum, si est univoca virtus ejus extenditur ad quodlibet individuum suæ speciei (modo intra eandem speciem sint æqualis perfectionis) nam ut docet Doctor 4. dist. 43. qu. 3. §. De secundo, &c. in agentibus univocis identitas secundum speciem æquivalere identitati numerali, & ratio agendi est natura communis, in qua omnia individua ejusdem speciei conveniunt, singularitas vero est tantum conditio agentis, non autem ratio agendi, ut docet 1. dist. 3. qu. 6. ad 1. princ. cum ergo omnia individua habeant virtutem ejusdem rationis, poterunt eundem numero effectum producere. Neque videtur assignari posse repugnantiam ex parte effectus; tum quia sicut idem effectus specie potest esse a diversis agentibus specie, ut calor idem a Sole, & igne, ita similiter idem numero effectus a diversis numero agentibus esse poterit; tum quia causa efficiens est penitus extrinseca entitati ipsius effectus, cujus unitas pendet tantum a causis intrinsicis, ut ait Doctor 2. dist. 20. qu. 2. sub C.

Respondet Amic. esse repugnantiam ex parte causa, quæ ex natura sua determinatur ad certam seriem effectuum, & ex æqualitate virtutum in causis univocis aut inferri non posse identitatem, sed solum æqualitatem effectuum; nam sicut virtutes, licet sint æquales, tamen sunt distinctæ, ita & ipsi effectus possunt esse distincti cum æqualitate, quod ex Suar. desumpsit loc. cit. qui hac ratione dixit, argumentum allatum non valere. Addit, repugnantiam quæque assignari posse ex parte effectus, qui sibi talem numero causam determinat in creatis, & non valere paritatem assumptam de unitate specifica, & numerica, quia plura requiruntur ad unitatem numeralem, quam specificam, & bene perfectio specifica unius potest contineri formaliter, vel eminenter in alio ente creato, sed non sic perfectio individualis, per quam ullo modo res conveniunt, ita loquitur num. 46. quam responsum adhuc magis explicans num. 53. inquit, agentia diversa speciei posse convenire in virtute productiva effectus ejusdem speciei, sed non in principio numerali, quia hoc nequit esse commune pluribus, nec intra eandem speciem, nec extra, alioquin non foret unum numero, & sub num. 17. ait, non esse inconveniens, eundem specie effectum esse a pluribus causis specie distinctis, quia adhuc remanent alii effectus, ex quorum productione distinguuntur, at due causæ numero si haberent eodem effectus, non haberent radicem, ex qua sumeretur eam distinctio.

53 Sed sufficienter non ostendit Amicus repugnantiam, nec ex parte causa, nec effectus, cum enim id ostendit ex parte causa, quia ex se determinatur ad talem seriem numericam effectuum, & non aliam, hæc est aperta principii petitio, hoc enim est, quod controvertitur, an detur talis collectio effectuum, quæ postulet esse ab ista causa, & non ab alia. Et male cum Suar. ait, ex æqualitate virtutis in agentibus univocis solum deducit æqualitatem effectuum ab ipsis producibilium, non identitatem, nam cum ratione istius æqualitatis in virtute habeat agens univocum pro adæquato objecto suæ potentie activæ, quodlibet individuum suæ speciei extra se ipsum poterit consequenter non solum æqualem effectum producere, sed etiam eundem numero ab alio agente ejusdem speciei producibilem. Nec bene sub num. 46. & 53. negat paritatem de unitate specifica, & numerali, quia principium numerale respectu ejusdem effectus non potest convenire pluribus, bene tamen specificum, hoc non fatiscit, quia ex hoc sequeretur, neque Deum posse eundem numero effectum producere ab hac secunda causa producibilem, quia nequit esse in Deo idem principium numerale respectu ejusdem effectus. Quod si dicat, in Deo esse æquivalentes ob ejus eminentiam; idem quoque nos dicemus de ente creato, quia licet ens creatum non habeat tantam eminentiam, ut continere possit perfectiones omnes specificas, & individuales omnium causarum secundarum, potest tamen continere perfectiones individuales unius speciei, immo & specificas aliarum, ut patet de Sole, neque ad talem continentiam requiritur virtus infinita. Denique falsum etiam est, quod ait sub num. 17. quia causæ non distinguuntur per effectus nisi a posteriori, & extrinsece; a priori vero, & intrinsece causæ specie diversæ distinguuntur suis differentiis specificis, & causæ individuales suis hæcæntibus, eadem enim sunt principia constitutiva, & distinctiva; & sicut omnes potentie unius speciei ferri possunt in quodlibet objectum individuum contentum sub objecto communi po-

tertia illius speciei, manente adhuc distinctione numerali ipsarum, ita quoque poterunt in proposito plures causæ numeraliter distinctæ ferri in eadem numero effectum manente distinctione numerali ipsarum.

54 Tertio determinata dependentia, quam habet unus numero effectus ad unum numero efficiens, vel est ita illi essentialis ut secundum suam realitatem repugnet ab alia causa per se produci, vel non; si secundum, habetur intentum; si primum, ergo neque a prima causa poterit ille idem numero effectus produci, quia pro unitate sua numerali ex principiis intrinsicis determinabit sibi talem causam secundam, quod tamen nec Adversarii ipsi concedant. Respondet Amic. cum Thomistis non valere paritatem de causa prima, & secunda, five univoca, five æquivoca, quia Deus ob suam eminentiam continet virtutem omnium causarum particularium, atque adeo effectus causatur ab eadem virtute numero, five formaliter, five virtualiter contenta in causa prima, quod de causis secundis dici nequit, quia principium numerale respectu ejusdem effectus non potest pluribus convenire, quia tunc non esset unum numero.

Sed hæc resp. ex dictis satis confutata manet; tum, quia sicut ipse ponit ob eminentiam primæ causæ contineri in ipsa virtute omnium causarum particularium eminenter, & virtualiter, sic etiam nos dicemus de aliquibus causis creatis, quod ob aliqualem earum eminentiam continere possint perfectiones aliquas specificas, & etiam omnes individuales ejusdem speciei, quia id non arguit eminentiam infinitam in causa. Tum quia falsum est, principium producendi individuum simile in natura specifica esse principium numerale; idest ipsam singularitatem, cui repugnet esse in pluribus, quia hoc principium est natura ipsa, ut docet Scot. 1. dist. 7. qu. unic. & singularitas est tantum conditio agentis. Tum tandem quia quando etiam hoc principium esset unum numero, & singulare eo modo quo ponitur ab A. refertur in Deo respectu omnium effectuum, ita a nobis videtur in causa secunda respectu aliquorum, virtualiter nimirum, & eminenter.

Postremo opposita sent. contradicit Arist. 2. Met. cap. 2. & 3. Met. cap. 11. quibus in locis admittit ordinem essentialium solum inter species, non autem inter individua, quia quod homo sit ab homine, & bos a bove, non ab equo, ordo essentialis est, sed quod hic homo sit ab isto, & non ab illo, ex accidenti est, & non per se, quia eadem vis reperitur faciendi hunc hominem, tam in uno, quam in alio; & quamvis aliqui hanc rationem parvi faciant, quia inquirunt, in alio sensu negare ibi Arist. ordinem essentialium inter individua, tamen ratio est valida, quia hic etiam sensus intenditur ibi a Philof. si bene perpendatur.

55 In oppositum Arguitur primo ex variis absurdis, quæ sequerentur, nam sequitur primo, quod idem effectus dependeret a sua causa, & non dependet, dependeret ex hypothesei, non dependeret, quia potest ab alia produci, vel si ab ea dependeret, hoc non esset nisi per accidens, atque ita quælibet esset causa per accidens; secundo. Sequitur in causis univocis producere seipsum, quia virtus causæ univocæ ponitur extendi ad omnia individua illius speciei, in quibus ipsa includitur; tertio. Quod causa univoca possit produci a suo effecto, & pater a filio, cum filius habeat virtutem æqualem patri, nec pater determinet sibi individuum, a quo producat diverfura a filio; quarto. Tunc causa univoca omnes effectus suæ speciei poterit producere, unde calor ut duo, calorem ut quatuor producere valebit; quinto. Sequeretur, esse infinitæ virtutis, nam posse producere infinitos effectus in eadem specie, quod sufficit ad arguendam virtutem infinitam in causa, ex hoc enim capite colligitur infinitas divina virtutis, ut Scotus docet 1. dist. 2. qu. 2. Z. sexto. Quod idem effectus posset naturaliter sæpius reproduci, nam ex actione, quam habet unum agens, non destruitur virtus alterius agentis; septimo. Demum sequitur, eandem virtutem posse produci a pluribus objectis, ut ab albo A, & ab albo B, nam posset produci eadem species, atque ita posset per speciem A, videri B, & e contra etiam absente objecto.

Respondeo ad primum, quod alius dependeret a causa, a qua producitur, potuisset tamen non ab ea dependere, sed ab alia, in quo nulla est contradictio, neque ex hoc sequitur, quod ab ea, a qua actu dependet, dependeret per accidens, & non per se, quia ad rationem, nec se causa sufficit, ut secundum propriam naturam directe influat in effectum, & non per aliquod sibi accidens, & indirecte, sicut musicus dicitur edificare, ut Scotus docet 1. dist. 2. I. Nec est de essentiali effectus causæ per se, ut secundum suam realitatem non possit procedere ab alia causa per se, alioquin effectus causarum secundarum non posset a solo Deo per se produci; immo in eo instanti, in quo fit effectus ab ista causa, dici debet ab ea essentialiter dependere (licet id negat Suar.) non enim est de ratione dependentiæ essentialis secundum quid, qualis est dependentia effectus a secunda causa, quod sine ea existere non possit, nec ab alia produci divisim, sed tantum, quod non possit ab alia causa totaliter produci in eo instanti, quo producitur ab ista conjunctim, ut notat Lichei. quæ. 12. ab initio.

56 Ad secundum licet causa æquivoca possit in totam speciem, & quodlibet ejus individuum nemine excepto, causa tamen univoca potest in quodlibet individuum præter seipsum, quia nihil potest seipsum producere. Ad tertium concedimus,

entitatem rei, quæ modo est causa, potuisse produci ab entitate rei, quæ est effectus, & patrem a filio in alio rerum ordine, & quando dicimus, causam non posse a suo effecto pendere, loquimur de causa pro eo instanti, quo producit effectum; implicat enim, ut causa in eam influat entitatem, a qua actualiter suum esse accipit, successive tamen, & in diverso tempore posset causa corrupta a suo effecto reproduci, & pater a filio, si Deus vellet concurrere. Ad quartum negatur sequela, cum enim dicimus, causam univocam posse in quemlibet effectum suæ speciei, loquimur de individuis omnino similibus, ut notat Doctor 2. dist. 20. qu. 2. C. quia si individua non essent omnino similia, sed quasi individualiter æterogenea, tunc perfectus non posset ab imperfectis produci. Ad quintum negatur sequela, quia eadem virtus sufficit ad singulos effectus, nec simul applicari potest ad plures in infinitum, sed successive tantum: Doctor autem cit. colligit infinitatem divinæ virtutis ex infinitis effectibus sincategorematicæ, vel alterius rationis, quorum unus ascendendo semper arguit majorem virtutem in causa, vel ejusdem rationis, sed producendis per virtutem simul applicatam ad plures, & plures in infinitum sine termino intrinseco. Ad sextum non potest reproduci, quia Deus decrevit concurrere cum hoc agente ad hunc effectum, & non cum alio agente, unde impedimentum reproductionis est ab extrinseco Dei decreto, non ex natura causa, vel effectus.

Ad septimum species representativa albi A, non potest effici ab albo B, quia ex earum individuatione habent proprias habitudines ad sua objecta, quatenus sunt naturales similitudines eorum, & ideo censetur effectus dissimiles, & hæc de causa Album A, non poterit producere speciem albi B, etiam si objectum sit causa æquivoca speciei, non enim quælibet causa æquivoca est semper virtualiter contentiva cujuscumque individui, & hoc idem dicendum est de actibus immanentibus, qui sunt species expressæ objectorum. Neque valet, quod contra objicit Amic. num. 31. quod sicut visio, & species, quia est participatio talis objecti, hoc sibi determinat, & non aliud, ita & quilibet effectus, cum sit participatio suæ causæ, sibi illam determinabit. Non valet, quia effectus ex generali ratione sua non est participatio suæ causæ, sicut species objecti, quæ est similitudo naturalis illius, hæc enim de causa petit necessario produci ab hoc objecto, & non ab illo, quare determinatio effectus a causa non est ponenda, nisi ex aliqua peculiari ratione, ut est in proposito.

57 Secundo objicitur præcipuum Thomistarum fundamentum, quia actio unius causæ non potest esse alterius, ergo neque effectus, nam hæc actio numero tendit in hunc effectum numero, & 3. Phys. 47. terminus, & actio non differunt. Tum secundo, quia virtus specifica, ut determinatur per hecæntiam, ita limitatur ad certa individua contenta sub specie, quæ non possunt produci per eandem naturam specificam determinatam per aliam individuationem, sicut essentialis divina determinata per paternitatem est in potentia generandi filium, non vero determinata per filiationem. Tum tertio, quia sicut differentia specifica impediunt, quo minus quodlibet possit produci a quolibet secundum speciem, etiam si continentur sub eodem genere, ita & differentia individua impediunt, quo minus quolibet individuum possit produci a quolibet, etiam si continentur sub eadem specie. Tum quarto, quando effectus producitur, non potest alia reddi ratio, cur tale individuum producitur, nisi quia fit ab hoc agente, non enim sufficit assignare subiectum, cum sit indifferens ad plures formas, nec tempus, aut locum, cum sint valde extrinseca, & ideo Arist. 8. Met. tex. 11. ait, quod si agens est diversum, & materia diversa, effectus erit diversus, & quod contingit una materia existente fieri diversa propter moventem causam. Tum denique quia 2. Phys. 38. & 5. Met. 2. effectus determinatus debet esse ex causa determinata.

Respondeo ad primum concedendo, non posse eandem actionem, & causalitatem esse, nisi a tali agente, & ad talem terminum, quibus variatis, vel altero illorum, ipsa quoque variari debet, & hoc verum est in universum de quacumque relatione, cujus unitas numeralis necessario pendet ex unitate numerali extremorum: addimus tamen, posse eundem effectum ab una causa fieri per unam actionem, & ab alia per aliam, & posse esse distinctas actiones ad eundem terminum, ut Scot. docet 4. dist. 13. qu. 1. D. & qu. 3. §. Tertia opinio, &c. ubi inquit, quod similis influentia sufficit ad identitatem effectus, non enim necessario substantialiter variantur effectus ex eo, quod procedat ab hoc, vel illo agente per diversas actiones, sed accidentaliter tantum; fides enim docet, eundem hominem a Deo fore resuscitandum, ubi tamen interveniet diversa causa, & diversa actio, & quod ait Phil. 3. Phys. 47. terminum, & actionem non differre, loquitur de actione pro re acta, ut Scotus declarat 4. dist. 3. qu. 1.

Ad secundum negatur assumptum; & in divinis essentiali dicitur determinata per paternitatem, ut sit ratio generandi Filium, quod non habet cum filiatione, quia virtus generativa memoriæ secunda adæquatur ab uno solo filio, sed non ita in creatis virtus causæ univocæ adæquatur ab uno effecto, vel certa collectione plurium, potest enim in omnes extra se ipsum.

Ad tertium assumptum non est universaliter verum, constat enim, calorem ejusdem speciei ab igne, & Sole produci, unde retorqueri posset argumentum, sed concessio assumpto, negando

conseq. quia natura specifica est ratio agendi, non autem singularitas, quae est tantum conditio agentis, quatenus actiones sunt suppositorum: unde homo generari debet ab homine, & non ab equo, qui caret ratione agendi, & generandi hominem, sed quilibet homo poterit generare hunc hominem, quia natura humana est aequae in omnibus ratio agendi, & parum refert, quod sit determinata per hanc, vel illam singularitatem.

58 Ad quartum negatur assumptum, quia causa identitatis numeralis effectus non est identitas agentis, sed identitas materiae, & forma simul, quod autem materia sit indifferens ad plures formas, infert, non sufficere tantum unitatem materiae, sed requiri etiam unitatem formae, ut sit idem numero compositum. Et verum est, quod ait Arist. 8. Met. tex. 11. quod si materia est diversa, & agens diversum, diversus etiam est effectus, hoc autem dixit, non quia diversitas agentis sufficeret ad diversitatem effectus, quia ut inquit Ambr. de Incarnat. & August. ad Deogratias relati a Scoto 3. dist. 14. qu. 3. §. *Contra*, &c. disparitas ortus non facit distinctionem naturae, sed ideo hoc dixit, quia materia, cum sit pars intrinseca compositi, hanc individuum differentiam praestare potest; potest etiam dici, Arist. loqui de diversitate agentis secundum speciem, non secundum numerum, & plane ita loquitur, cum dicit, contingere una materia existente fieri diversa propter moventem causam, exemplificat enim de artifice, qui ex eodem ligno arcam efformat, & lectum, modo causa movens respectu arcae dicitur distincta specie a movente respectu lecti, quia per aliam, & aliam specie ideam, quae est principium activum artificium, efficitur arca, & lectus.

Ad ultimum, multi exponunt Philosophum, quod loquatur de causa determinata in specie, sed verum etiam est, cum effectus sit, habere determinatam causam in individuo, a qua fiat, non tamen ex natura rei, quasi determinate potius hanc causam postulet, quam illam, sed quia Deus decrevit concurrere cum hoc agente ad hunc effectum, & non cum alio agente. Sed dices, singularis effectus similitudinem habet cum singulari causa, videmus enim, filium similem esse patri in calore, figura, &c. ergo singularis effectus singularem causam postulat determinate, & non vage. Resp. talem similitudinem esse prorsus accidentalem, nec aliquid conferre ad unitatem numeralis effectus per se, & intrinsece, & sine tali similitudine potest aliquis esse filius ejusdem patris, & denique sicut hic filius modo est similis huic patri, ita fuisset similis alteri, si ab eo genitus fuisset, quia haec diversitas similitudinis non facit diversitatem in entitate. Sed iterum urges, effectus particularis per se dependet a Caelo, ergo variato Caeli, & siderum aspectu, quem omni temporis momento variari necesse est, non potest idem numero effectus produci. Respondent Scotum loqui in eodem instanti, ita quod hic effectus, qui nunc producitur sub tali aspectu siderum ab hoc agente, potuisset in eodem instanti, & sub eodem aspectu ab alio produci; tamen absolute loquendo necessaria non sunt eadem circumstantiae temporis, & loci ex Doctor. loc. cit. tum quia unitas effectus sumitur solum ex intrinsecis ejus; tum quia tempus, & locus magis extrinseca sunt effectui, quam agens, & ideo si unitas ejus non pendet ex unitate agentis, tanto minus ex unitate temporis, & loci.

Achilles vero, quo Compl. cit. putant evertere precipuum Scoti fundamentum, quia nimirum individua ejusdem speciei habent similem naturam, non autem unam, & eandem numero, ideoque posse producere solum similes effectus, non autem eisdem numero, & quia differentia individualis limitat naturam, & virtutem operativam ad certam effectuum seriem, unde licet abstracta esse possit facultas ad omnia, & singula ejusdem speciei individua efficienda, contracta tamen non potest, nisi in particularia, & aequalia, facile sternerit ex dictis; coincidit enim cum Amici rationibus jam solutis.

ARTICULUS II.

An idem numero effectus possit produci a pluribus causis totalibus ejusdem generis, & ordinis conjunctim.

59 **Q**uestio non de causis partialibus, has enim plures simul concurrere ad eundem effectum, certissimum est, & necessarium, sed est de causis totalibus, & aequatis, & hic per causam totalem non intelligimus illam, a qua sola procedit effectus, alia quacumque inclusa in eodem genere, quia tunc questio ridicula foret, cum implicet in adjecto, dari in hoc sensu duas causas totales ejusdem numero effectus, sed per causam totalem intelligimus illam, a qua procedit effectus tamquam a virtute sufficienti, & sine dependentia necessaria ab altera ejusdem generis, & ordinis, ut sensus questus sit, num idem numero effectus possit simul recipere totum suum esse a duabus causis, quae in ipsum influant tali influxu, ut unaquaque sola sit per se sufficiens eodem suo influxu ad ponendum effectum in rerum natura.

Et quantum questio sic intellecta examinari posset de causis tam intrinsecis, quam extrinsecis, quia tamen de intrinsecis res apud omnes explorata est, non posse plures tales esse totales ejusdem effectus, non enim dari potest compositum per se unum ex pluribus materiis, aut pluribus formis totalibus, ex his enim potius fieret aggregatum quoddam per accidens, hinc tota questio reducitur ad causas extrinsecas, finalem, &

efficientem, & quia de finali parum curare debemus, eo quia cum non sit vera, & realis causa, & effectus etiam essentialiter, & proprie ab ea dependere non dicitur; ideo praeriter de causa efficienti quaestione tractabimus, etiam de finali aliqua dicentes ex hypothesi, quod esset causa realis, & physica. Est autem questio, ut patet ex titulo articuli, de causis efficientibus ejusdem ordinis, idest quae sint omnes causae secundae, quia certum est, causam primam, & secundam ejusdem effectus esse causas totales, prima enim est simpliciter totalis, quia fe sola sufficiens est ad dandum esse effectui, causa etiam secunda dici potest totalis, faltem secundum quid, quatenus fe sola praebet totum concursum necessarium ad effectum in suo ordine; de causis igitur secundis totalibus, idest sufficientibus singillatim ad dandum esse effectui, ut de duobus ignibus, quaeritur, utrum dare possint esse idem numero effectui, idest eundem numero ignem simul producere, quem alter illorum solus produxisset, & eodem modo de causa finali, utrum quis possit exercere aliquod opus ob duos fines aequae principaliter, ob quarum singulos adhuc per se sufficienter moveretur ad illud idem opus; & questio haec est diligenter examinanda, quia ex ea pendent multae quaestiones theologicae.

60 In hac controversia tria leguntur Auctorum placita; quidam opinati sunt, id contingere posse etiam naturaliter, pro qua opinione citantur Ocham quol. 4. qu. 12. & in 3. qu. 1. Gabr. in 3. dist. 1. qu. 1. art. 2. dub. 3. & ceteri Nominales; Bonet. 2. Phys. cap. 3. Caraf. de natural. concurs. disp. 20. concl. 4. citans Cajet. part. 1. qu. 52. art. 3. & praeriter in genere causae finalis id naturaliter contingere posse, immo de facto saepius contingere, docet Hurt. disp. 13. de Anima sect. 6. Suarez disp. 26. Met. sect. 5. num. 32. Averf. qu. 16. sect. 5. concl. 3. quod prius etiam ex nostris docuerat Franciscus Sanf. 2. Phys. qu. 6. Alii ex opposito docent, nec per Dei potentiam id fieri posse, ut prorsus implicariorum, ita Scot. 1. dist. 2. qu. 3. D. & 2. dist. 20. qu. 2. & 2. dist. 1. qu. 2. A. & 4. dist. 10. qu. 2. sup. Q. & ejus Expositoris circa eadem loca, Fuentes 2. Phys. qu. 9. dist. 3. Sghemma digress. 16. qu. 1. Tatar. 2. Phys. qu. 2. de Causis dub. 1. Regent. Parisiensis 2. Phys. qu. 3. collat. 2. Faber 5. Met. disp. 5. cap. 2. Et tenent Thomista graviores, Capreol. 2. dist. 2. qu. 1. & 3. dist. 1. qu. 1. Ferrar. 3. Con. Gen. Cajet. 3. part. qu. 67. art. 6. (licet citentur etiam pro opposita) ex D. Thom. 1. part. qu. 52. art. 3. & 3. part. qu. 82. art. 2. ad 2. & sequuntur ex Recentioribus Valq. 3. part. tom. 1. disp. 24. cap. 4. Masius secund. Phys. cap. 3. sect. 5. qu. 2. Compl. 2. Phys. disp. 16. qu. 3. Joan. de S. Thom. qu. 10. art. 5. & Manca 2. Phys. qu. 8. dub. 4.

Alii demum media incedentes via docent, id fieri non posse naturaliter, bene tamen supernaturaliter per absolutam Dei potentiam, ita Recentiores fere omnes, Fons. 5. Met. cap. 2. qu. 15. Suar. disp. 26. sect. 4. Aver. loc. cit. Ruvinus 2. Phys. tract. 7. qu. 1. Hieron. Pla. disp. de Causis part. 3. quest. 4. Murcia 2. Phys. disp. 4. qu. 7. Hart. disp. 8. Phys. sect. 10. Amic. tract. 14. qu. 7. dub. 3. art. 5. Arias. disp. 3. Phys. sect. 10. & mirum est, multos sequi hanc sententiam ex illis Auctoribus, qui art. praec. distinguebant in eadem specie feriem effectuum ab uno agente producibilem a serie contenta in virtute alterius agentis, ac proinde dicebant, hunc numero ignem, vel calorem ita ab hoc igne fieri, ut nullatenus ab alio fieri potuerit; plane consequenter non loquuntur Auctores isti, dum afferunt in hac quaestione, posse eundem calorem a duobus ignibus adaequate prodire, cum nequeat secundum ipsos effectus contentus in virtute unius agentis attingi ab alio, in cuius virtute nullo prorsus modo continetur.

61 Dicendum tamen est, prorsus implicare, eundem numero effectum a pluribus causis totalibus ejusdem ordinis prodire, & totaliter causantibus, ac proinde tam naturaliter, quam supernaturaliter est impossibile; ita Scotus loc. cit. in libr. Sent. & Tract. de primo principio cap. 3. Prima ratio, qua Doctor his in locis hanc conclusionem probat, deducitur ex natura dependentiae per se, & essentialis, quam effectus habet ad causam suam totalem, nam si a pluribus talibus penderet simul, & semel, a neutra penderet essentialiter, vel simul ab eadem penderet, & non penderet essentialiter, quod implicat, probat hanc consequentiam Doctor, a nullo aliquid dependet essentialiter, quo non existente, nihilominus esset, sed si ignis habet duas causas totales A, & B, tunc non existente A, nihilominus ignis esset a B, cum ponatur ejus sufficiens causa totalis, & non existente B, adhuc esset ab A, eadem ratione, ergo a neutra essentialiter penderet, vel ab eadem penderet simul, & non penderet essentialiter.

Resp. omnes cum Suar. num. 20. negando conseq. & ad prob. negant majorem, quia ut una res ab alia per se dependeat, & non per accidens, non est necesse ut illa ablata hac auferatur, sed satis est, quod ab illa vere, & proprie recipiat esse, etiam si illa non dante esse, & cessante dependentia ab ea, possit adhuc retinere esse, ut datum ab alia, & hanc respons. ajunt, nos cogi recipere, qui eundem numero effectum defendimus posse a pluribus per se causis totalibus prodire divisim, quod tueri non possemus, si de ratione per se dependentiae dicamus esse, quod effectus ita sit ab ista causa, a qua actu ponitur in esse, ut non possit ab alia prodire; quae fuit responsio Ocham in qu. 1. quol. & Bonet. 2. Phys. cap.

cap. 3. hac de causa Masius 2. Phys. cap. 3. qu. 3. ait, Scotum non fuisse consequenter locutum in decisione hujus praecedentis articuli.

Sed contra, quia licet non sit de ratione effectus causae per se, ut secundum suam realitatem nequeat ab alia causa per se procedere divisim, est tamen de ratione illius, ut dum actu sit ab ista, nequeat esse sine illa in eo instanti, in quo sit (licet esse possit in tempore sequenti, si etiam ab ea non pendet in conservari, & etiam absolute potuerit habere esse ex vi alterius causae,) Probatur hoc assumptum, quia dependentia per se supra dependentiam absolute sumptam aliquam conditionem perfectivam addit, quae esse nequit, nisi necessitas, omnis enim perfectitas aliquam semper involvit necessitatem, sicut omne per accidens aliquam contingentiam, sed haec necessitas nequit esse absoluta, nisi respectu causae per se primae, quia in secundis effectus univocus, qui est ab una, potuit absolute esse ab alia ejusdem speciei, ergo ex hoc cap. erit attendenda, quod cum actu totaliter sit ab ista causa, virtute istius per se dependentiae ita necessario connectitur cum ista causa, ut pro illo instanti implicet, effectum esse sine illa, alioquin per se ab illa causa non penderet, ergo de ratione per se dependentiae non est tantum quod effectus vere, & proprie recipiat esse a causa, sed etiam ita necessario, ut in sensu composito, quod sit ab ea nequeat simul esse ab alia pro eodem instanti, licet bene in sensu diviso, & in hoc consistit vis hujus rationis, quae a multis non percipitur, neque id repugnat his, quae diximus art. praec. Quod adhuc magis explicari potest ex pronuntio Arist. de causis per se 2. Phys. 37. & 5. Met. cap. 2. causa in actu, & effectus in actu simul sunt, & non sunt, ergo si ejusdem numero ignis A, & B, sunt per se causae, ex vi perfectitatis dependentiae effectus a singulis, implicat ablata causa A remanere adhuc ignem in esse ex vi alterius causae, quia ex hoc manifeste deduceretur, ignem non per se dependere ab A, ut a causa totali, quia causa per se actu influens, & effectus actu per se a tali causa esse recipiens sic se habent, quod cessante influxu causae, cessat effectus.

62 Accedit, quod Scotus in argumento allato non tantum loquitur de per se dependentia, sed etiam essentiali, & inquit, effectum sic dependentem necessario coexistere causam, a qua sic dependere dicitur, quia dependentia essentialis semper fecum affert necessitatem concursus causae pro existentia effectus, quod etiam Adversarii ipsi fatentur. Sed respondent cum Suar. sect. 5. num. 7. negando, ullum effectum creatum, quatenus est a causa efficiente, pendere essentialiter a causa creata, sic enim pendet a solo Deo, unde inquit, Scotum confundere terminos, causam scilicet per se cum necessaria, & dependentiam effectus per se cum dependentia essentiali, dum enim effectus est, vel esse potest a pluribus causis, nulla determinate est necessaria, & a nulla determinate essentialiter dependet, ab omnibus tamen, & singulis effectus per se dependet, quia a singulis totaliter suum esse agnoscit.

Sed contra primo, quia, est effectus creati non dependente dependentia essentiali simpliciter, nisi a solo Deo, negare tamen eis dependentiam essentialem, faltem secundum quid a causis secundis, faltem in instanti, quo sunt ab eis, est prorsus irrationabile, immo actus vitales ita essentialiter pendunt secundum Adversarios a suis principis vitalibus, ut a Deo se solo produci nequeant, ergo falsum est, nullum prorsus effectum essentialiter a causis secundis pendere in genere efficientis causae. Tum deinde quia effectum pendere essentialiter ab aliqua causa non est, effectum absolute, & simpliciter existere non posse sine illa, nisi sit sermo de dependentia essentiali simpliciter, quae solum datur in ordine ad causam primam, sed significat, existere non posse sine illa, a qua actu producitur, in sensu composito, quia si ab alia totaliter tunc fieret, utique ab ista essentialiter non penderet, ut Lichet. declarat quol. 12. ab initio, sed potius accidentaliter, cum sine tali causa possit in eodem instanti existere, pro quo ponitur ab ea dependere, & ideo neque Scot. confundit terminos, quia causa per se est etiam in aliquo sensu necessaria, cum omnis perfectitas aliquam inferat necessariam connexionem effectus cum causa, & dependentia effectus per se dici debet essentialis, quatenus ab accidentali distinguitur. Denique quando effectus totaliter ab aliqua causa procedit, dicitur ab ea essentialiter, & per se dependere, non quia ab alia causa in sensu diviso non possit produci, ut putavit Masius cit. qui hac de causa dixit, Scotum non loqui consequenter, sed quia non potest produci in sensu composito, sed tantum ab ea, a qua actu producitur, ideo in eo instanti ab ea essentialiter dependet, & nequit existere tunc ex vi alterius. Si dicas, haec esse petitionem principii, id enim est, quod probari debet, effectum scilicet pro eo instanti ita essentialiter pendere ab A, ut pro eodem nequeat esse simul a B. totaliter. Contra, idest, quod ratio probat, ut implicariorum, ex vi dependentiae per se, & essentialis, nam talis dependentia non solum infert verum, & positivum influxum causae in effectum, sed etiam necessariam connexionem effectus cum causa in eo instanti, pro quo ponitur ab ea dependere, nam si in eodem instanti potest simul esse ab alia totaliter, signum est, non dependere ab ista per se, & essentialiter, cum nullam necessariam connexionem habeat cum ea.

63 Respondent, ignem in illo casu perfectitate necessitatis a neutra causa determinate dependere, sed indeterminate ab altera, ex quo tamen non sequitur, quod absolute a neutra non pendeat, sicut ex eo, quod ad videndum homo determinate non indiget hoc oculo, vel altero, non sequitur, quod actu non videat per utrumque. Contra, dependentia effectus a causa fundatur in indigentia, quam habet causa ad existendum, ergo si quis in hoc instanti ita procedit ab A, ut pro ejus existentia A, non indigeat, & similiter ab B, signum est, a neutra per se dependere, quia conceptus dependentiae necessario imbibit conceptum indigentiae, sicut e contra Deus dicitur independens, quia nullo prorsus indigere potest; quod autem indeterminate altera indigeat, infert solum, quod distinctum ab altera illarum potest effectus per se dependere totaliter, non vero conjunctim; & exemplum visiois adductum non est ad rem, quia quando utroque oculo utrimur ad videndum, visio illa determinate procedit a singulis, ut a causis partialibus, si est unica visio, de quo in lib. de Anim.

Resp. quod utique effectus determinate non indiget, nisi una causa totali, & facta suppositione, quod habet unam, non indiget alia, bene tamen potest Deus ei dare id, quod non eget, ut corpus eget una ubicatione, quae posita, alia non eget, eam tamen potest ei dare Deus, ita Hurt. cit. §. 194. Sed haec resp. ex sequenti ratione rejicitur.

64 Secunda ratio deducitur ex totalitate dependentiae, ait enim Doctor 3. dist. 1. qu. 2. sub A, quod cum dependentia alicujus fuerit totaliter terminata ad aliquid, ipsum non potest dependentia ejusdem rationis dependere ad aliud, quod magis explicans infra B. inquit, talis enim si est una ad terminum totaliter terminantem, non relinquit fundamentum dependens dependentia simili ad quodcumque aliud, quia tunc non esset dependentia totaliter terminata. Vis hujus rationis consistit in eo, quod dependentia totalis effectus fundatur, ut dicebamus, in indigentia effectus, cum enim effectus nequeat a seipso esse, vel conservari, ex necessitate naturae indiget causa efficiente, vel conservante, & quia de ratione causae totalis, & adaequatae est, quod exhauriat, & expleat totam effectus indigentiam, hinc est, quod eo ipso, quod ab una causa totaliter dependet, nequit ab alia simul totaliter dependere, & in hoc fundatur alia ratio, quam Lichet. adducit 1. dist. 1. qu. 3. §. *Ad hanc rationem*, &c. & nos infra, quod scilicet, implicat, eundem effectum bis produci in eodem instanti, cum effectus per unam actionem totalem simpliciter capiat totum suum esse, & consequenter eo instanti alia actione non indigeat, quae capiat esse. Nec valet allata responsio Hurt. posse Deum tribuere rei id etiam, quo non eget, dependentiam nimirum ad aliam causam, qua non egebat, ut existeret sicut corpori, dum est in uno loco, alium simul tribuere potest, quo corpus non eget. Non valet, quia ut bene notat Valq. cit. cap. 4. cum fundamentum talis relationis dependentiae debeat esse indigentia naturae, si talis indigentia per unam causam totaliter ablata est, nulla remanet ratio fundandi aliam consimilem relationem ad aliam causam, nisi augetur indigentia effectus, quod fieri nequit sine mutatione naturae ipsius; nec minus valet paritas de corpore in ordine ad locum ab Hurr. assumpta, quia ut notat Doctor quol. 11. C. longe major est indigentia, quam habet effectus respectu causae, quam corpus respectu loci, quia dependentia, quae est locati ad locans, non est simpliciter necessaria ex parte ejus, quod dicitur dependere, sicut est dependentia causati ad causam, sed est dependentia aequalis, tamquam ad illud, quod natum est conservare rem in sua dispositione naturali; tales autem relationes, quae non important dependentiam essentialem posteriori ad prius, non implicat super idem fundamentum pluralitari ex Scot. 3. dist. 1. qu. 2. B. quia per eas non suppletur intrinseca rei indigentia, ut sit.

Resp. Amicus cit. num. 63. quod licet naturaliter indigentia sufficienter expleatur ratione totali unius agentis, non tamen in ordine ad potentiam Dei, sicut materia per unam formam naturaliter expletur, non tamen supernaturaliter ob latitudinem potentiae obedientialis. Contra; quia ut ait Valq. pro Scoto, si effectus ex natura sua, & ab intrinseco non indiget aliqua causa, ut sit, eo quia ab alia sufficienter ponitur in esse, ergo neque potentiam obedientialem habebit, ut ab intrinseco reddatur indigens tali causa, & per consequens ab ea dependere non poterit simul & semel, hoc enim est ab aliqua causa per se dependere, indigere nimirum ejus influxu ad existendum. Probatur consequentia; tum quia in re creata potentia naturalis passiva, & obedientialis entitative non differunt, sed tantum in ordine ad agens; tum quia Deus pro sua voluntate efficere non potest, ut effectus suapte natura pendeat ab eo, a quo non pendeat, quia ab intrinseco non indigeat. non enim Deus potest immutare indigentiam rei non immutata natura.

65 Resp. Amic. cit. effectum habentem esse totaliter ab una causa posse alia indigere, non ad existendum simpliciter, sed ut perfectiori modo existat, firmius nempe, & stabilius, cum enim existentia ejus sit defectibilis, & sit minus defectibilis, quia ut desinat esse, non sufficit desitio unius actionis, sed utriusque. At hac solutio ruit ex doctrina ipsius Amici n. 27. quia explicari non potest, quid dicat hic perfectior existendi modus, aut roboratio effectus in esse, vel enim diceret novam intensiorem formam, & aliquam novam perfectionem ejus, & hoc non, quia id locum non habet in formis substantialibus, & in accidentalibus supponitur, formam esse ab uno agen-

agente productam cum tota intentione, & si aliqua perfectio additur effectui ex vi influxus alterius causae, jam non erunt causae ejusdem effectus, sed majoris, aut saltem non tali modo, quo ab una foret, in quo sensu tantum movetur quaestio, vel diceret novam conservationem, & hoc non; tum quia loquimur omnino de primo instanti, in quo effectus dicitur produci, & non conservari; tum quia multi effectus non indigent; eorum indigentia totaliter exhauritur per dependentiam ab una tantum causa conservante; tum tandem quia sicut non datur influxus sine effectu recipiente esse, ita nequit cessare influxus, nisi cesset effectus, ergo sicut res per duplicem influxum totalem bis produceretur, ita per subtractionem illius duplicis influxus bis corrumpetur, quod implicat, quia si res desinat esse ex vi definitionis unius tantum influxus, taliter definit, ut amplius non sit, unde non nisi semel potest res corrumpi, dum existit; si dicas, ex vi definitionis hujus influxus conservativi effectum non corrumpi, quia adhuc conservatur ex vi alterius. Contra, ergo per illum priorem effectum non conservabatur, quia nihil profus amittit effectus ex vi definitionis ejus, nec illo profus indigebat, non solum ad existendum simpliciter, sed neque ad existendum firmiter, & stabiliter. Si dicas, ex vi definitionis unius influxus effectum definire, non secundum substantiam, sed secundum aliquam dependentiam. Contra, hac dependentia, quae effectui deperit ex definitione unius influxus, vel in effectu dicitur quid distinctum ab ipso influxu, vel non; si non, est quod distinctum, ergo ex vi definitionis hujus influxus non desineret, nisi ipse influxus; si vero quid distinctum est ab ipso influxu, & effectu, & perit ex definitione influxus, adhuc remanente effectu secundum substantiam, ergo non substantia effectus conservabatur per illum influxum, sed tantum aliquod accidens ejus.

66 Tertia ratio deducitur ex praecedenti, non potest res eadem in eodem instanti bis produci, ergo nec effectus duabus causis totalibus totaliter causantibus. Consequenter patet, quia si per duplicem actionem totalem res accipit esse, bis utique in eodem instanti producitur. Probatur assumptum, non potest res eadem in eodem instanti bis corrumpi, ut nuper dicebamus, ut enim res tota, & totaliter desinat, sufficit una corruptio, qua perfecta, nil amplius rei remanet destruendum, ergo pariter de productione dicendum. Ravius quod cit. in fine negat consequenter, quia licet in casu effectus duplici actione totali fiat a duobus agentibus, semel tantum exit extra causas suas, quod ex modo procedendi a diversis causis subordinatis ait intelligi, a quibus, licet procedat effectus, non bis, sed semel producitur, quia semel ab illis egreditur. Contra, exemplum ipsum a Raviio adductum in confirmationem sui responsi est ejusdem destructio, quando enim effectus procedit a diversis causis partialibus, & subordinatis, utique concipitur semel exire, quia actio unius non sufficit ad ponendum effectum sine actione alterius, nec sufficienter exit ab una sine alia, at in proposito utraque causa totalis esset, & utriusque actio totalis, & sufficiens pro positione effectus, ergo effectus ad singulas relatus sufficienter intelligitur egredi ab una quaque, atque ita si in eodem instanti concurrunt tales causae ad effectum, bis ponitur in esse, semel ab una, & semel ab alia simul.

Amicus vero concessa consequenter negat assumptum. Ad prob. inquit, posse rem bis corrumpi in eodem instanti, si in eo desineret per subtractionem duplicis influxus totalis, quo prius conservabatur. Contra, ambo hi influxus non sunt ita inter se connexi, ut unus necessario cessare debeat ad desinendum alterius, cesset igitur unus influxus alio remanente, vel definit effectus secundum substantiam, vel non; si non, ergo per influxum priorem non conservabatur, nec ille influxus ad hunc effectum profus attinebat, cum ex definitione ejus nihil substantiae huic effectui deperat; quod si dicat deperire dependentiam, jam hoc impugnatum est supra; si definit effectus secundum substantiam, vel ita definit, ut nihil amplius destruendum remaneat, & sic habetur intentum, quod res non potest bis corrumpi in eodem instanti; si remanet aliquid, & aliquid destruitur, signum est, quod non conservabatur id, quod remanet ex vi illius influxus, sed tantum, id quod destruitur, & hoc semel destructum nequit amplius corrumpi, nisi iterum producatur.

67 Postremo nullus fingi potest casus possibilis, in quo duae causae totales aequalis activitatis, & eodem modo eadem passio applicatae producant totaliter eundem effectum, ut docet Scot. 4. dist. 10. qu. 2. Q. tali enim modo ab utraque sic applicata causabitur, qualis a singulis divisim causari non posset, nam si effectus est divisibilis secundum perfectionem, tunc perfectior effectus ab utraque exibat, quam non exiret ab altera foris; ut duo luminosa eidem aeri, vel corpori diaphano aequae applicata, & invicem penetrata producent intensum lumen; si vero effectus est indivisibilis secundum perfectionem, ut ponitur forma substantialis, tunc utique idem effectus ab utroque prodiret, qui ab altera foris, sed non eodem modo, nam ab utraque erit citius, & in majori distantia, quam esset ab altera foris, sic duo ignes eidem stuppe aequae applicati producerent eandem ignis formam, sed post ita brevem alterationem (ait Doctor) quae non sufficeret ad ignitionem ab altero istorum praecise agente, si denique constituitur casus, quod effectus sit indivisibilis, & etiam indivisibiliter producibilis, scilicet in instanti, ut v. gr. quod duo

ignes applicentur materiae ultimo dispositae, dicunt aliqui neutrum agens operatum, quia unum impediret actionem alterius, quod non videtur verisimile, cum sint agentia ejusdem rationis, & aequalis virtutis, non vero contraria, unde potius se coadiuvare debebunt in actione quam impedire. Dicunt alii, unam tantum fore operatam, & hanc a Deo esse determinandam; sed non videtur, cur altera debeat otiosa relinqui, cum sit sufficienter applicata passo. Dicunt alii, utramque attemperare suum concursum, ita quod non totam exeant virtutem, sed partem, at hoc non videtur bene dictum de causa naturali, quae applicata passo, agit quantum potest, cum in sua potestate non habeat agere, nec etiam habet modum agendi.

Rectius itaque dicitur, quod in tali casu duo illi ignes totaliter agentes duplicem formam producent in eadem materia, cum enim virtus amborum simul sumpta sit major extensiva, quam alterius tantum, poterit attingere duplicem formam, & cum potentia materiae sit incapax quarum formarum simul solum respectu agentis naturalis, ut dictum est disp. 5. qu. 6. art. 2. consequenter in casu nostro, cum materia subesset actioni agentis supernaturalis, qui duos ignes applicuit aequaliter illi, consequenter nullum est inconveniens dicere, quod materia tunc duplicem reciperet formam. Sed dices, si facta tali applicatione, de cetero Deus sineret tales causas operari juxta naturam suam, certe ex natura rei non producerent plures formas in eadem materia, quia istae ex natura rei sunt impossibiles, & supponimus, Deum ulterius non impedire talem effectum. Resp. teneri ad solutionem argumenti etiam Adversarios, negantes, naturaliter eundem effectum posse totaliter procedere ex virtute naturali duarum causarum; itaque dicimus, quod neuter ignis ageret secundum totam virtutem, impedimentum autem oriretur ex incapacitate subjecti, sicut si in subjecto sint sex gradus caloris, ignis huic subjecto applicatus non agit in illud secundum totam suam virtutem, etiamsi sit causa naturalis, quia reperit subjectum non receptivum nisi duorum graduum, & per hoc solvitur instantia, quam urget Bonet. cit. de duobus ignibus eidem stuppae applicatis.

Solvuntur rationes.

68 IN oppositum objiciunt primum, quod de facto si plures Sacerdotes simul super eundem panem verba proferant consecrationis, & simul compleant, omnes simul consecrant; & similiter si plures simul eundem hominem baptizent, pariter conferent eundem effectum gratiae, &c. Respond. quod licet in sententia asserente, Sacerdotem, & Sacramentum esse causas physicas gratiae argumentum vim aliquam haberet, tamen in altera sententia, quae Sacramentum virtutem duntaxat morale concedit respectu gratiae, nullam profus vim habet, immo addit Masius, neque in illa priori sententia argumentum urgere, quia in ea sententia ponuntur Sacramenta causae physicae instrumentales, non principales, de quibus tantum verum est, plures totales ejusdem effectus esse non posse ob rationes allatas, esse autem plures instrumentales non inconvenit, quia non proinde multiplicatur virtutes influentes, cum instrumenta non agant propria virtute; Caraffa tamen, & Averfa volunt rationes urgere aequae de causa instrumentali, ac de principali, quia si possent adhiberi plura instrumenta totalia ad eundem effectum, idem quoque sequeretur de pluribus principalibus.

Sed quicquid sit de hoc priori responsioni standum est, quam Scot. dedit 4. dist. 6. qu. 2. §. De primo, &c. ubi argumentum hoc conficit in terminis, & respondet, propositionem illam, idem esse non posse a duabus causis totalibus, valere de causa inducente formam effectivae, id est physicae, & talem causam ait esse Deum, non Ministrum. Sed objicit Doctor, saltem formam Baptismi, ut est Sacramentum, inducit Ministrum; & sic sunt duae causae totales ejus in eocasu. Respondet, neutrum Ministrum in abluendo esse causam totalem, quia sive ablutio fiat per immersionem, sive per aspersionem, tamen quando simul movent, neuter uritur tota sua virtute motiva, sicut quando duo portant pondus, quod alter solus portare posset; dubitat tamen adhuc, quia saltem respectu prolutionis verborum uterque est causa totalis, & sic quantum ad unam partem effectus exterioris, qui est Sacramentum, erunt duae causae totales. Et respondet, difficile esse, quin alterius verba superfluant, ita quod non sint per se pars unius Sacramenti, quia ponere duo ejusdem rationis esse partes unius, quod simpliciter esset perfectum, habendo alterum eorum pro parte, videtur superfluum, quae autem superflua, & cujus preferentis, difficile est assignare, ait Doctor; addit tamen in extra, quod baptizatio illa valerit, quam Deus acceptaret. Posset dici, Deum instituisse ad exhibitionem talis signi inducere in baptizato effectum supernaturalem, sive hoc exhibeatur ab uno ministro, sive a pluribus, quia id non importat in signato respectu signi physicam, & essentialem dependentiam, quam tantum negamus in effectu ad plures causas totales, & Sacramentum unum aequae constitui ex absolute, & verbis ab uno, vel pluribus prolatis, quia ad unitatem Sacramenti non videtur necessario requiri prolutio verborum ab uno tantum ministro.

69 Secundo non implicat, idem duplici actione totali conservari, ergo neque produci. Consequenter patet, cum enim creatio,

rio, & productio eandem importet dependentiam, paritas debet admitti. Probatur assumptum, quia Scot. quol. 10. sub L. admittit possibilitatem transubstantiationis productivae, ita quod transubstantiatio sit vera actio substantialis de se sufficienter productiva Corporis Christi, si alibi non existeret, sed quia de facto supponitur Corpus Christi praexistens, ideo non habet rationem productionis, sed conservationis, juxta quem dicendi modum, quem sequitur Suar. 3. par. disp. 50. sect. 5. & putat probabilem in via Scoti P. Faber. 4. disp. 45. cap. 7. & Aretinus 4. dist. 11. qu. 3. art. 7. per unam actionem totalem conservatur in Caelo, & per aliam totalem in Eucharistia ex vi conversionis, quarum una cessante, adhuc Corpus Christi existeret ex vi alterius.

Resp. negando assumptum, ab Prob. dicimus, Doctorem de facto non admittere transubstantiationem per productivam, sed tantum adductivam, etiam quol. illo 10. nam ibi sub L. explicat, quomodo possit fieri transubstantiatio in aliquod praexistens abique aliqua mutatione, nec priori, nec concomitanti in termino ad quem, quod transubstantiationi panis in Corpus Christi, quam de facto in Eucharistia fieri credimus, nullatenus potest convenire, in qua Corpus Christi sit de non praesenti speciebus, praesens, & consequenter necessario debet mutari mutatione acquisitiva: solum igitur ibi ostendit, in quo sensu sit possibilis conversio unius in aliud praexistens, productiva, sive conservativa, & ait, esse possibilem, non eo modo, quo ponit Suar. quasi actioni, qua conservatur in Caelo, addatur alia actio Eucharistica, per quam iterum sub speciebus conservatur ex vi conversionis panis in ipsum independentem profus ab actione, qua conservatur in Caelo, sed in hoc sensu, quod si Deus conservaret Solem in suo esse ex vi definitionis vermis, ulterius ipsum non conservaturus, si vermis non desineret, tunc optima ratione vermis diceretur in Solem converteri, & Sol perseveraret in esse ex vi definitionis vermis, at si tale decretum non interveniret de non ulterius conservando Sole, nisi vermis in terra desinat, plane vermis desinens conversus in Solem dici non posset, quia secundum hoc, inquit Doctor, posset dici, Deum, quidquid annihilat, convertere in Solem, quia vult Solem manere in suo esse post esse illius annihilati. Ex quo patet juxta hunc modum possibilem conversionis productivae a Scoto assignatum non intervenire duplicem actionem conservativam, sed terminum ad quem conversionis perseverare in esse per actionem, qua prius conservabatur, sed dependentem a definitione termini conversi, ita quod si haec res non desineret, illa non amplius conservaretur.

70 Tertio causa secunda non sunt de se, & ex natura sua determinatae adhuc effectum numero potius, quam ad alium in eadem specie, ergo quod Deus facit per unam causam, potest etiam facere per aliam, & hoc totum patet ex praeced. art. ergo simul existentibus, & applicatis duabus causis totalibus, poterit per ambas eundem numero effectum totaliter producere. Confirm. quia dependentia adequata effectus ad causam totalem utique ex natura rei connotat eandem concursus alterius causae, sicut quantitas in loco excludit ex natura rei aliam quantitatem ab eo, ergo sicut haec actualis incompossibilitas duarum quantitatum potest a Deo impediri in ordine ad locum, ita actualis incompossibilitas duarum actionum totalium in ordine ad eundem effectum. Demum eadem forma potest de potentia Dei plures informare materias, & idem accidens esse in pluribus subjectis, quod contingeret, si duo corpora in eodem loco ponerentur, quod divina potentia non denegatur, tunc enim haberet idem ubi, ergo idem effectus tunc foret a pluribus causis totalibus in genere causa materialis.

Resp. concessa prima consequenter disjunctum, negando alteram ob rationes allatas. Ad Confirmationem negatur paritas, potest utique Deus impedire incompossibilitatem formarum in eodem subjecto, & quantitatem in eodem loco, non tamen dependentiarum essentialium adequatarum in eodem effectu, nec rationes, quae militat de istis, concludunt aequae de illis. Ad aliud negat Scot. assumptum, quod etiam nos ex professo docuimus disp. 4. qu. 7. art. 2. Ad prob. ait Doctor ad 4. quod illa duo corpora utique habent eundem locum pro materiali, quatenus forent in eodem spatio penetrata, & eadem superficiei ambita, at singula haberent distinctas praesentias, & ubicationes ad eundem locum extrinsecum.

71 Quarto possunt esse plures formae ejusdem rationis in eodem subjecto de potentia Dei, ut plures albedines in eodem pariete, immo de facto in eodem fundamento reperiuntur plures relationes ejusdem rationis, ut plures paternitates in eodem homine, plures similitudines in eodem albo, ergo & plures dependentiae ejusdem rationis in eodem effectu. Confirmat. non minus partes est formaliter albus per albedinem, & homo pater per paternitatem, quam effectus sit formaliter albus per dependentiam, ergo sicut partes potest esse formaliter albus per duplicem albedinem, & homo pater per duplicem paternitatem, ita & effectus per duplicem dependentiam. Confirm. adhuc, quia non sunt impossibiles simul in causa plures activae productiones totales, nam in divinis de facto admittitur in Patre generatio activa respectu Filii, & activa spiratio respectu Spiritus Sancti, ergo neque erunt impossibiles plures passivae in effectu, immo de facto in Spiritu Sancto producit a Patre, & Filio duplici spiratione totali, neuter enim partialiter, ac insufficienter spirat.

Resp. Scotus, non repugnare, quod plures formae, & relationes ejusdem rationis sint in eodem, sed aliquibus specialibus relationibus repugnat, puta dependentiis essentialibus, talis enim si est una ad terminum totaliter terminantem, non relinquit fundamentum dependens dependentia simili ad quodcumque aliud, unde negat paritatem assumptam. Ad Confirmationem, quando plures sunt paternitates in eodem patre, & plures forent albedines in eodem subjecto, numquam sequitur, eundem effectum formalem esse a pluribus causis totalibus, cum enim effectus formalis sit ipsamet forma communicata per plures informationes, ita plures essent effectus formales ejusdem rationis, at per plures dependentias ejusdem rationis haberetur idem numero effectus a pluribus causis totalibus. Dices, effectus formalis secundae albedinis sufficienter haberetur per primam, & adhuc non repugnat haberi per secundam, ergo ita in proposito. Negatur paritas; tum quia per alteram albedinem non habetur idem numero effectus, sed tantum idem specie; tum quia per albedinem, & ceteras formas accidentales non accipit subjectum esse simpliciter, sed tantum secundum quid, potest autem res plures eandem recipere denominationem accidentalem, ut pluries dici alba, pluries dici similis, sed non potest dici pluries esse, vel pluries produci in esse simpliciter, nec simul, nec successive, quamvis existit. Ad aliam confirm. negat Scot. 1. dist. 11. qu. 2. ad secundam paritatem, quia major est incompossibilitas productionum passivarum, quam activarum in eodem supposito, unde postea dist. 12. qu. 1. negat, Patrem, & Filium esse duo principia Spiritus Sancti, & duos spiratores, quia spirant per eandem numero virtutem spirativam in utrisque existentem.

72 Quinto si duo corpora aequalia in eodem loco circumscriptive a Deo ponantur, tunc repletio illius loci, & distantia laterum sufficienter haberetur per singula, quia quocumque amore, adhuc locus dicitur plenus, & non vacuus, & latera continentis distare. Deinde potest res praexistens iterum produci, in quo casu ex vi duplicis actionis haberet esse totaliter. Probatur assumptum, quia ita de facto contingit in cujuscumque rei conservatione, quod eadem res continuo producitur, & si ejus esse multo antea praecesserit. Denique in genere causa finalis id non videtur posse negari, nam ut ait Arist. 2. de Anim. 88. lingua ordinata simul est ab ipsa natura, & propter gustum, & propter loquelam, & potest aliquis plures fines intendere aequae primo, ita quod altero cessante, adhuc agens operaretur, & eodem modo ob alium finem, idque saepe contingere in moralibus, saepius commo peremptum est.

Resp. ex Scoto quol. 11. M. & N. negando, in eo casu unam esse repletionem, & distantiam, tot enim sunt, quot corpora interjecta, quia facere latera distare formaliter, est occupare locum, & replere, itaut vere ab illo loco corpus contineatur, at in casu per unam repletionem locus ille non dicitur continere, nisi unum corpus, nec ejus latera distare dicuntur, nisi semel, addito igitur novo corpore, additur nova repletio, & nova distantia laterum loci in genere causa formalis, & licet prima repletio sufficeret, ut absolute locus non diceretur vacuus, & tamen per alteram, & alteram locus dicitur magis plenus, quatenus magis a vacuitate recedit, unde numquam eodem modo dicitur locus plenus per unam repletionem, & plures, nam perfectiori modo plenus dicitur per plures, quam per unam.

Ad secundum negatur assumptum, cum enim actio productiva rei ad hunc finem sit destinata, ut fiat per eam res de non existente existens, plane implicare videtur, quod res praexistens possit iterum produci, ut fultus in lib. de Gener. & falsum est, in conservatione rei id contingere; quia conservatio non est distinctus influxus a prima rei productione, sed est eadem permanens, & continuata productio ejusdem termini, ut patet ex dictis disp. praec.

Ad tertium jam dicimus, non multum esse de fine curandum, quia ejus causalitas non est vera, & physica; adhuc tamen praestat etiam in moralibus negare, eundem actum virtutis fieri posse ob plures fines totales, & aequae primos, cum enim in moralibus finis totalis, vel principalis det speciem actui essentiali, & primam in genere moris, si actus aliquis aequae primo ex duplici motivo virtutis exerceretur, jam actus ille aequae primo poneretur in pluribus speciebus essentialibus, quod repugnat in moralibus aequae, ac in physicis; sicut ergo dicimus in causis efficientibus totalibus, quod simul applicatae numquam eo modo effectum producent, quo facerent seorsim, nam vel eum producent perfectiorem, vel in minori tempore, aut in majori distantia, & alia consimili disparitate, ita in causis finalibus intentionalibus si duo motiva virtutis intuitati applicentur ad talem actum ponendum, ad cuius productionem alterum illorum sufficeret, dicendum, vel quod voluntas in actum duplo perfectiorem prorumperet, vel in actum in aequali gradu, sed citius, & velocius in duplo, & demum, ut ait Tatar. quol. 18. numquam voluntas ex uno operabitur motivo eo modo, quo ex duobus, quia cum his semper operabitur cum majori promptitudine, alacritate, &c. in qua vero specie virtutis poneretur actus ita genitus, pertinet ad tract. de actibus humanis; Tatar. cit. ait, pertinere ad quamdam virtutem mixtam, quod satis probabile est.

73 Sexto tandem communis urgetur, sed solida difficultas; de

de facto ejusdem effectus sunt duae causae, scilicet Deus, & creatura, quarum prima est simpliciter totalis, & se sola sufficiens ad ponendum effectum, altera vero partialis; sed eadem est difficultas de superfluitate partialis causae cum totali, sicut totalis cum totali, ut patet consideranti, ergo si illud est possibile, immo est de facto, etiam & istud. Nec sufficit communis evasio, quod istae sunt causae alterius ordinis, non ejusdem. Quia difficultas aequae urget in illis, sicut in istis, si ibi ponatur altera causarum simpliciter, & absolute totalis, & non tantum in ordine suo, ut est in proposito de causa prima. Nec sufficit dicere, quod causa prima est totalis in actu primo, quatenus de se habet virtutem sufficientem ponendi totum effectum, si veller, at in actu secundo partialis est, & ejus concursus est insufficientis secundum rem, ut detur locis actioni causae secundae, quae est communis resp. Recentiorum. Non sufficit, quia tam indignum est vilificare causam primam in actu primo, quam in actu secundo, sicut igitur in actu primo non ponitur causa prima dependens a secunda, ita neque concursus ejus secundum rem tam debilis poni debet, & attemperatus, ut necessario indigeat concursu causae secundae, & sine illo sit secundum rem insufficientis, sic enim in actu secundo dignior non esset concursus primae causae, quam secundae, de quo satis dictum est superius. Nec absolute satisfacere videtur solutio P. Vulpes tom. 1. part. 2. disp. 7. art. 6. num. 6. quod divinus concursus licet sit secundum rem sufficiens, & totalis, adhuc tamen secundum modum est insufficientis, & partialis, quatenus sua libertate, non necessitate finit causas secundas secum agere. Non valet, nam si secundum modum ideo est insufficientis, quia secum assumit creaturas ad causandum, ergo pariter si essent plures causae totales, influxus earum singuli dicentur sufficientes secundum rem, quatenus singuli attingerent effectum totum a totaliter, non tamen secundum modum, quia cum una causa concurrat alia, licet non ex necessitate. Nec sufficit, si dicas, effectum non dependere essentialiter simpliciter a causa secunda, sed tantum secundum quid, quia potest sine illa esse; nam hoc modo dici potest effectum pendere posse a duabus causis totalibus essentialiter secundum quid.

74 Resp. hanc difficultatem tangi a Scoto 2. dist. 37. M. & N. cui nullam assignat resp. ibi, & ideo Licher. eo loco, & Bassolius adhibent vulgarem resp. de causis subordinatis, quae non sufficit, ut diximus, quando in subordinatis una est simpliciter, & absolute totalis; tangit iterum hanc difficultatem Doctor 4. dist. 12. qu. 1. sub S. ubi similiter non solvit, sed ait, difficile esse salvare causalitatem causarum secundarum, si ordo inter primam causam, & secundam non est necessarius, quae necessitas ordinis non videtur posse poni, nisi ponendo cum Recentioribus concursum causae primae insufficientem secundum rem, ac proinde suapte natura exigentem consortium influxus causae secundae, ex cuius conjunctione integretur influxus sufficiens; tergitur etiam nos hanc difficultatem disp. 2. qu. 3. art. 3. ad 1. sed eam sicco pede ibi pertransivimus, communi solutione contenti, & quidem hic etiam porius audiremus, quid alii dicant, quam aliquid proferre; tamen ne argumentum penitus intractum relinquamus, recolimus ex dictis hac disp. qu. 1. art. 2. concursum Dei fundamentaliter sumptum esse unicum, & simplicissimum ad omnes effectus, eundem scilicet actum efficacem divinae voluntatis, sed ob suam eminentiam, & illimitationem esse virtualiter multiplicem, & diversis necum numero, sed etiam specie in-

fluxibus aequivalere majori, & minori, ut liber divinae voluntati, nam utique major est concursus, quo Deus utitur cum equo ad eum generandum eo, quo utitur cum calore ad alium calorem producendum, sed talis diversitas notari nequit in divino concursu secundum rem, quia a parte rei est idem prorsus numero actus, quo cum equo producit equum, & cum calore calorem, sed tantum in modo applicandi eundem actum ad plures, & plures effectus exigentes juxta eorum naturam varios, & varios influxus, qui modus applicandi divinum concursum satis arcanus est, utpote spectans ad suam Dei dispositionem, qua universum gubernat, & in hoc sensu dicitur Deus causis secundis suum attemperate concursum, non quod hoc faciat secundum rem, remittendo nimirum, vel intendendo suum influxum, sed quia id facit in modo applicandi illum, & in hoc sensu etiam dicitur influxus Dei insufficientis non secundum rem, sed secundum modum, quatenus ex modo, quo applicatur, indiget consortio causae secundae; ita quod sine ea sic applicatus non attingeret effectum, & in hoc demum sensu poni potest ordo necessarius inter primam, & secundam causam; haec autem attemperatio locum habere nequit in duabus causis totalibus totaliter concurrentibus ad eundem effectum.

75 Sed diceo, causam praesertim liberam se applicare ad agendum formaliter per ipsam effectus productionem, & Deum se applicare ad agendum cum causis secundis quatenus eis exhibet concursum suum, exhibet autem illum, dum actualiter concurrat cum eis, ergo haec varia applicatio modo major, modo minor concipi nequit, nisi in ipso concursu exhibitio, quatenus secundum se modo major est, modo minor. Resp. assumptum verum esse in sensu formali, sed non in sensu causali, non enim virtus activa causae ideo hic, & nunc est applicata ad agendum, quia agit, sed ideo agit, quia applicata est, & magis agit, quia magis applicata, unde voluntas in nobis tanto magis applicat suam virtutem, quanto intentionem actum vult elicere; sicut ergo per eandem actum absque ulla prorsus mutatione in ipso potest Deus velle, & non velle aliquod objectum, ita eundem actum potest modo magis, modo minus applicare ad varios effectus producendos, qui tamen in se consideratus praecisa hac, vel illa applicatione sufficientissimus est sine causa secunda ad ponendum effectum, Ais; ita dicendo, nos incidere in modum dicendi Recentiorum, qui influxum Dei faciunt insufficientem, ut hic, & nunc applicatum, atque ita cum ipsis vilificare causam primam in actu secundo. Negatur assumptum, cum enim Recentiores concursum Dei ponant aliquid creatum ex parte effectus se tenens, non solum in modo exhibendi concursum, sed etiam in ipso concursu exhibitio insufficientiam agnoscent, & ideo secundum rem ipsum statuunt partialem, & insufficientem, & consequenter vere in actu secundo causam primam vilificant: sed nos, qui ponimus, concursum Dei exhibitum esse actum efficacem divinae voluntatis, ad cuius absolutam virtutem sequitur immediate effectus in rerum natura, nullam prorsus agnoscent insufficientiam in entitate ipsius concursus, sed solum in applicatione illius, unde solum in modo exhibendi concursum agnoscent insufficientiam, & attemperacionem non in ipso concursu exhibitio, & ideo non vilificamus causam primam, nec etiam in actu secundo, quia ejus concursus secundum sibi intrinseca sufficiens est, & totalis.

DISPUTATIO NONA.

De Continuo.

In priori parte librorum de Physico auditu egimus de principiis, tum in fieri, tum in factio esse corporis naturalis extrinsecis, per se, & per accidens. Nunc alteram partem aggredimur, in qua de affectionibus, ac attributis ejus in communi agendum est; & quamvis initio 3. Phys. unde haec pars incipit, Philosophus sermonem de motu instituat, quantum sufficit ad ejus quidditatem insinuandam pro majori explicatione definitionis naturae, quam praemisit in 2. quia tamen exactam ejus tractationem non prosequitur in hoc 3. quem potius fere totum insumit in declaranda infiniti natura, sed in 5. ubi agit de speciebus ejus, unitate, & pluralitate numerica, & contrarietate, & in 6. ubi agit de continuitate motus, & ejus partibus, & in 7. de comparatione motuum ad invicem, & de causa efficiente motus, ex quo tandem viam sibi parat ad investigandum in 8. primam omnium causam efficientem motus, scilicet primum Motorem: hac de causa nos quoque disputacionem de motu ad ultimum differemus, praemittendo disputaciones illas, quae nobis viam sternunt ad ejus cognitionem, talis autem in primis est disputatio de Continuo, quia & motus est de genere continuorum, & corpus mobile ejus adaequatum subjectum, & consilio, quod continuum non componatur ex indivisibilibus, sed ex partibus in infinitum divisibilibus, agemus subinde de infinito, ut inde pateat, qualis partium infinitas sit admittenda in continuo, & quia inter species motus principem obtinet localis sedem, ut a quo ceteri pendunt motus, naturam loci, & vacui, in quibus motus iste peragitur, investigabimus: & quia motus, ut successivus, tempore mensuratur, de tempore sermonem instituemus; & hinc postremo exactam cognitionem motus deducemus, & trademus.

QUESTIO PRIMA.

In quo consistat ratio quantitatis continuae, & an ea substantia corporea, aliisque ejus accidentibus realiter distinguatur.

In principio hujus disputacionis quaestionem hanc proponimus, non quia contumacitatem in sola quantitate agnoscamus, cum admittenda sit etiam in ceteris rebus corporeis seclusa quantitate, nec quia de quantitate hic intendamus agere ex professo, cum alibi sit locus ejus; sed ideo quaesitum istud praemittimus, eo quia peculiari quodam modo, & quasi appropriate solet continuas in quantitate designari, & quia cum sit affectio quaedam insignis corporis naturalis ceteras origine praecedens, & illi ratio essendi in loco circumscriptive, non debet in his libris ejus natura prorsus vel silentio praeteriri; specialiter autem inquirimus hic de ratione quantitatis permanentis, nam de successiva inferius agemus sub ratione temporis, & motus.

Circa 1. quaesiti partem variae sunt opiniones. Prima opinio, quae tribuitur Thomistis, constituit rationem essentialiam quantitatis in ratione mensurae, tum activae tum passivae, ita insinavit S. Tho. p. 1. qu. 29. art. 1. & opusc. 12. Secunda constituit essentialiam quantitatis in divisibilitate in partes entitativas, & integrales ad differentiam rerum spiritualium, quae sunt penitus indivisibiles in hujusmodi partem, tribuitur Scoto 5. Met. q. 9. & in Praedicam. q. 17. Tertia opinio communior statuit essentialiam quantitatis in extremitate, seu extensione partium, & hunc esse effectum formalem, quem tribuit substantiae; Verum Aescla hujus sententiae non eodem modo loquuntur de ista extremitate partium, & extensione; cum enim haec duplex possit in rebus constitui, una in ordine ad se, seu partium in toto, alia in ordine ad locum, seu partium in loco, & prima adhuc dupliciter cogitari possit, uno modo, quod solum importet pluralitatem partium in toto, & distinctionem entitativam unius ab alia, alio modo, ut ultra hanc distinctionem addat etiam ordinem unionis earum ad invicem, quatenus quaelibet certa pars immediate unitur alii parti, & non immediate omnibus, sed servant ordinem, quem postulat totum ipsum integrale nulla habita ratione loci, ut aliae sint mediae, aliae extremae, & cum secunda extensio in ordine ad locum adhuc duplex sit, alia actualis, per quam singulis partibus rei correspondent singulae partes loci, alia aptitudinalis, per quam etiam si actu essent omnes corporis partes in eodem spatio compenetratae, adhuc tamen actualem extensionem petunt in eo, & unam esse extra aliam etiam localiter; Hinc aliqui constitunt essentialiam quantitatis in extremitate partium in ordine ad se in primo sensu, itaut effectus formalis quantitatis sit afferre pluralitatem partium integralium, & earundem distinctionem rebus, quas afficit; ita Aureol. 2. d. 12. q. 2. art. 4. Capr. 2. d. 18. q. 1. Dur. 1. d. 34. q. 1. Scot. in Log. q. 2. de quant. Tol. 1. Phys. q. 7. Compl. disp. 13. Log. q. 3. Mas. 1. Phys. c. 2. qu. 1. Valq. 3. p. disp. 190. c. 3. & quicumque negant, substantiam esse divisibilem in partes entitativas, ac integrales quantitate seclusa; Alii constitunt essentialiam quantitatis in extensione partium in toto in secundo sensu, ut scilicet dicit non solum entitativam distinctionem partium, sed etiam dispositionem, & coordinationem earum in toto, ut aliae sint mediae, aliae extremae, & non inter se confute, & complicatae, ita Fons. 5. Met. c. 3. q. 1. Jo. de S. Th. qu. 16. Log. art. 1. & videtur fuisse sententia Doctoris in 4. d. 10. q. 1. M. ubi explicat essentialiam quantitatis per positionem partium in toto, quae extensionem partium in ordine ad se in hoc secundo sensu importare videtur, nam extremitatem partium in primo sensu tribuit Doctor substantiae seclusa quantitate 2. dist. 12. q. 2. & d. 3. q. 4. ad argumenta, & alibi saepe, sequuntur hunc dicendi modum, ut de mente Scoti, P. Faber, Aretin. Irribarnes in 4. sent. eum locum, & rursus Faber 5. Met. disp. 13. c. 5. Ex his vero, qui explicant essentialiam quantitatis per extensionem in

ordine ad locum. Alii constituunt in actuali extensione locali, ut nuper Averfa q. 22. sect. 2. Alii in extensione tantum aptitudinali, ut multi ex nostris, P. Sghemma 1. Phys. digress. 3. q. 3. Fuentes in Log. q. 15. diff. 1. art. 2. Roccus 1. Phys. qu. 7. Postremo Suar. disp. 40. Met. sect. 4. considerans substantiam corpoream quantitate exutam adhuc ex natura rei futuram esse in loco extensive, & divisibiliter tracta extensionem partium, quam in se habet, constituit essentialiam quantitatis in impenetrabilitate, vel in radice illius, ita ut effectus formalis quantitatis sit afferre rebus impenetrabilitatem, sicut quirit Ruvius 1. Phys. c. 3. qu. 4. Amicus tract. 15. qu. 4. dub. 4. art. 7. Hurtad. disp. 13. Met. sect. 5.

Circa alteram quaesiti partem est famosa Nominalium sententia, qui non distinguunt quantitatem velut accidens quoddam a substantia corporea, ceterisque ejus accidentibus realiter, sed esse ipsam earum rerum entitatem, ita ut substantia sit per se quanta, & extensa, pariter, & qualitas, atque ideo in quacunque re non unam assignant quantitatem, sed tot, quot sunt entitates physicae in ea, ita quod alia est quantitas materiae, alia formae, & alia aliorum accidentium, ita Ocham in 4. dist. 4. sed fufius in tract. de Corpore Christi Domini c. 17. Gabriel in 2. dist. 16. Major in 2. d. 12. q. 2. Rubion 4. d. 12. q. 5. & faver Hurt. disp. 13. Met. sect. 2. & Ariag. disp. 5. sect. 1. At opposita sententia receptissima est, & plausibilis, utpote, & magis consentanea naturali rerum constitutioni, & magis apta ad explicandum Sacramentum Eucharistiae Mysterium, ubi Catholici credunt, quantitatem manere cum ceteris accidentibus sine substantia panis, & vini, quam fufse tractat Faber 5. Met. disp. 13. cap. 2.

ARTICULUS I.

Explicatur essentia Quantitatis continuae.

Dicimus, essentialiam quantitatis continuae consistere in extremitate partium incompossibilium ex natura sua, & in actu primo, in eodem spatio, seu consistit in immediata existentia extensionis impenetrabilis in ordine ad locum. Conci. est contra omnes relatos dicendi modos excepto ultimo, qui bene intellectus, & explicatus cum isto coincidit, & expresse colligitur ex Doct. 4. d. 49. qu. 16. ubi S. Alii dicunt, &c. docet, rationem impenetrabilitatis in corporibus a quantitate praecise provenire, itaut hic sit effectus formalis quantitatis primarius, secundarius vero actualis expulso, & impenetratio, docet enim ibi ex Philos. 4. Phys. 76. & 77. quod si duae dimensiones a substantia separari possent, adhuc se penetrare non possent, quod nobis fides ostendit in duabus hostiis consecratis se invicem compenetrare non valentibus, & in 4. dist. 1. q. 5. infra F. inquit, ideo ferram lignum dividere, quia est incompossibilis ratione suae quantitatis eum partibus dividendis in eodem loco, unde juxta mentem Doctoris per quantitatem habent corpora in actu primo, quod possunt se ab eodem loco pellere, & in actu secundo, quod actu se excludant, & si Deus hunc effectum suspenderet, ponendo duo corpora simul in eodem loco circumscriptive, per quantitates suas haberent, quod possent, & deberent se invicem pellere, ergo in principio exitivo hujus expulso, & in existentia impenetrabilitatis essentialia quantitatis continuae sita est; & in hoc fundatur demonstratio Arist. 6. Physicor. ab initio, quod indivisibile additum indivisibili non facit molem, quia non habent quantitatem, qua se invicem excludant.

Probatur autem, rejiciendo singulos relatos dicendi modos; non enim recte constituitur essentia quantitatis in ratione mensurae, aut divisibilitatis, quia vel accipitur mensura, & divisibilitas quomodocunque, & in hoc sensu essentialiam quantitatis nequeunt constituere, cum competant ceteris rebus, omne enim scibile est mensura scientiae ex Aristot. cap. De Aliquid, quia perfectio scientiae mensuratur a perfectione scibilis, & ut dixit Comment. in unoquoque genere est unum, quod est metrum, & mensura omnium aliorum, & substantia, ac qualitas corporea divisibilis est in parte

entitativas, ac integrales extra quantitatem, non enim quando quantitas supervenit substantiæ, reperit eam profus indivisibilem, sic enim non foret subjectum capax quantitatis, ita docet Scot. de Materia in 2. dist. 12. q. 2. de forma materiali in 4. d. 44. q. 1. & de qualitate corporea in 4. dist. 12. q. 2. B. & plane cum hæc omnia habeant extremitatem partium entitativam, & in ordine ad se, ut mox dicemus, consequenter ex se divisibilia erunt in partes integrales, si vero loquamur de mensura per applicationem unius extensi ad aliud, quo sensu specialiter tribuitur quantitati, ut docet Scot. quodl. 13. art. 2. ex Philof. 10. M. cap. 2. & de divisibilitate in partes integrales impenetrabiles, quæ fit per instrumentum materiale, quo sensu est affectio quantitatis, ut notat Scot. 4. d. 1. q. 5. F. adhuc in eis essentia quantitatis consistere nequit, sed potius sunt affectiones eam consequentes, ut monet Doctor in Log. q. 17. predicamentali, & 5. Met. q. 9. & An. And. ibidem, unde mirum est, quomodo ibi citentur pro opposita sententia; nam ideo quantitas potest esse mensura activa, seu ratio cognoscendi aliam quantitatem ignotam per ejus applicationem, quia est extensa, & habet plures partes integrales extra se positas, secundum quas potest se coextendi alteri quantitati, & eadem ratione similiter potest mensurari, quia extensa est. Pariter ideo quantitas est divisibilis instrumento corporeo, quia habet plures partes ad invicem impenetrabiles in eodem spatio, ergo tam ratio mensuræ, quam divisibilitatis non potest esse in quantitate prima omnino ratio, quia quantitatem habere est prius, quam esse mensurativam, & mensurabilem, & divisibilem, ad summum igitur poterit a posteriori per hujusmodi affectiones essentia quantitatis circumscribi, & ita fecit Philof. 5. Met. cap. 13. dum descripsit quantitatem per divisibilitatem dicens, *quantum esse divisibile in ea, quo insunt*, ut notat Ant. Andreas loc. cit.

4. Secundo. Neque consistere potest essentia quantitatis in extremitate partium entitativa in primo sensu, ut nimirum dicit pluralitatem solam partium, & distinctionem entitativam illarum, quatenus hæc pars non est illa. Tum quia hanc extremitatem habet, & partium pluralitatem substantia corporea ex se citra quantitatem, nam utique citra quantitatem distinguatur essentialiter a substantia incorporea, & spiritali, nec per aliud distingui potest ab ea, quam per dictam extremitatem, quandoquidem quantitas substantiam corpoream ab incorporea essentialiter non distinguit, cum sit accidens. Tum quia cum quantitas in substantia recipitur, vel tota quantitas recipitur in tota substantia, & pars in parte, vel tota in tota substantia indivisibiliter, itaque omnes ipsius quantitatis partes applicantur eidem entitati indivisibili substantiæ; si primum ergo pluralitas partium substantialium in substantia præcedit quantitatem; si secundum, ergo accidens divisibile recipitur in subiecto indivisibili, quod repugnat. Tum quia eisi quantitas adveniens substantiæ possit illi tribuere partes extensionis accidentales, non tamen substantiales, quia accidens non causat suum subiectum, nec partes accidentis partes subiecti sui adequati, sed e contra. Tum quia manifestum est, non solum in capite esse distinctam partem quantitatis, quæ est in pede, sed etiam aliam partem substantiæ, alioquin eadem substantia indivisibilis secundum entitatem esset in pede, & in capite, immo & in toto corpore. Tum tandem, quia si consecraretur hostia secundum unam medietatem, & non secundum aliam, tunc pars substantiæ consecrata designaret esse, alia remanente, quæ & a Deo expoliari posset sua quantitate, ergo ista quantitas in parte substantiæ remanente, etiam antequam fieret consecratio, subiectionatur, & non in alia, quæ desinit, atque ita necessario admittenda est pluralitas partium in substantia citra quantitatem. Vide Regentes Parisienses P. Physicor. q. 5. quæst. collat. 2. ubi optime hanc rationem deducunt de receptione accidentis divisibilis in subiecto indivisibili.

5. Nec valet communis Thomistarum responsio, substantiam, ut natura præcedit quantitatem, habere pluralitatem partium in potentia, non in actu, & in hoc distingui a re spiritali; quia vel per habere partes in potentia intelligunt, quod potentia excludat actum divisionis, & separationis, vel actum existentis, & distinctionis, itaque vel illas non habeat sed quantitatem expectet, vel saltem non habeat distinctas, sed distinctionem expectet a quantitate; si primum, per hoc non tollitur, quin sint distinctæ, quia etiam cum subsunt quantitati, ita se habent in potentia, quatenus non sunt divisæ, ac separatæ; sed neque dici potest secundum, nam substantia nequit mendicare entitatem suarum partium a quantitate, sicut nullum subiectum universaliter accipit suam entitatem a forma, quam recipit, neque distinctionem earum, quia si partes substantiæ sunt plures entitates ante quantitatem, & non una simplicissima, & indivisibilis entitas, jam etiam erunt distinctæ, quia distinctio super pluralitatem fundatur, & si entitas unius partis non est distincta realiter ab entitate alterius, utique per accidens superveniens non poterit hujusmodi realis identitatis destrui, & per ejus ablationem iterum reparari, ita quod ablata quantitate, quæ substantiæ partes fecit distinctas, iterum istæ identificentur, & in unam coeant simplicem entitatem. Et pars substantiæ, quæ remanet in medietate hostiæ non consecratur, & a Deo expoliari potest sua quantitate, utique sic remanens censeri debet realiter distincta, seclusa quantitate ab alia portione substantiæ destructæ ex vi consecrationis. Denique eadem sunt principia constitutiva, & distinctiva essentialiter, ergo si partes substantiæ non recipiunt entitatem

a quantitate superveniente, neque distinctionem, vide Can. 1. Ph. q. 9. d. 3.

Nec minus valet alia responsio, quæ a Thomistis etiam solet afferri, & Compl. utuntur disp. 13. Log. qu. 3. quantitatem inesse substantiæ divisibili, non quidem supponendo eam divisibilem sed faciendo eam divisibilem, alioquin idem argumentum fieri posset contra omne aliud accidens, sic lux est in corpore non tenebroso, sed lucido, non quod lux supponat illud lucidum, sed quia efficit lucidum, quam responsum probabilem putant Amic. & Averf. cit. qui ait, substantiam, quatenus ordine naturæ præcedit quantitatem, esse indivisibilem privative, id est non habere in se formaliter divisibilitatem, sed aptam esse fieri divisibilem per quantitatem, atque ita substantia non subijcitur indivisibiliter quantitati, sed coextenditur, & redditur secundum diveritas partes vere divisibilis per eandem quantitatem.

Sed contra, quia sicut forma præsupponit subiectum, & non efficit illud, ita etiam partes formæ materialis supponunt distinctas partes subiecti, e quibus educantur, & non illas efficiunt, ergo partes quantitatis supponunt partes substantiæ, sicut tota quantitas supponit totam substantiam, atque ita substantia, ut quantitati supponitur, divisibilis est positive; exemplum de luce nobis favet, tum quia sicut lux præexigit subiectum aptum, ut in ipso recipiatur, non vero tenebrosum, sic quantitas subiectum præexigit capax ejus, & consequenter divisibile, non indivisibile; tum quia falsum est, lucem recipi in subiecto lucido formaliter, esto etiam verum sit, non recipi in tenebroso, tum tandem quia nullum accidens constituit subiectum, ut est susceptivum ipsius, at partium pluralitas reddit ipsum capax accidentis materialis. Vide disp. 7. Log. qu. 2. art. 2. ubi rursus hæc responsio rejicitur, & Compl. confutatur.

6. Tertio. Neque consistere potest essentia quantitatis in extremitate partium in secundo sensu, ut nimirum dicit talem ordinem, & dispositionem partium in toto, itaque una pars fit immediate uni parti, & hæc immediate alteri unita, & non confuso modo, in quo distingui videret ab extremitate partium in primo sensu, per quam quilibet pars potest esse immediate unita cuilibet parti, sicut se habent partes intentionis, inter quas talis ordo non observatur, sed quilibet est immediata cuilibet in eadem parte subiecti. Tum quia ut etiam notavit Averf. loc. cit. conclus. 2. extensio in hoc secundo sensu, scilicet partium in toto, non est distincta ab extensione partium in primo sensu, vel saltem illa concipi nequit sine illa, neque e contra, unde cogitari nequit substantia corporea cum distinctione entitativa partium sine unione, & continuatione illarum ad invicem, nam si conciperetur sine unione illarum facta per indivisibilia substantialia, jam non esset entitas corporea, sed potius in indivisibilia resoluta, & si conciperetur cum unione partium, conciperetur necessario etiam cum aliquo ordine illarum ad invicem, quia indivisibile, quod copulat partem A. cum parte B., non utique copulat immediate cum parte C., & nec mente concipi potest substantia corporea sine tali ordine, itaque unaquæque pars fit omnibus, & singulis immediate unita, & non potius una mediante alia. Tum quia etiam in partibus intentionis adhuc hic ordo observari potest, ac debet; quamvis enim omnes gradus qualitatis sint invicem compenetrati in eadem parte, vel puncto subiecti, adhuc tamen distinctus est primus gradus a secundo, & tertio, adhuc ad invicem per indivisibilia uniti, & adhuc sic ordinati, ut primus sit immediatus secundo, & secundus tertio, quamvis hic ordo immutari poterit, si ponatur homogenei; Tum tandem, quia quando etiam extensio accepta pro isto ordine, & dispositione partium in toto distingueretur ab extensione entitativa primi generis, & illa sine ista reperiri posset, non adhuc in hac secunda extensione essentia quantitatis poni deberet, cum talis ordo partium in toto haberi possit sine quantitate, ut patet in corpore humano, quod ut fit idoneum animæ subiectum, petit talem dispositionem partium inter se, quæ appellari solet proinde organizatio substantialis seclusa quantitate, ergo non habetur hic ordo partium substantialium per quantitatem. Vide disputacionem cit. Log. ubi etiam hic modus rejicitur.

7. Quarto. Neque essentia quantitatis constitui potest in actuali extensione locali, nam qui ita philosophantur, vel per hanc extensionem intelligunt præsentiam situationalem, per quam corpus toti loco actu coextenditur, & partes corporis partibus loci, & in hoc sensu nullo profus modo sustineri potest hic dicendi modus; Tum quia Arist. distinguit positionem de genere quantitatis a positione de genere situs, & hæc supervenit illi, ergo non sunt confundendæ. Tum quia quantitatis est accidens absolutum, præsentia situalem respectivum, & concipi nequit sine actuali in ordine ad locum; Tum quia præsentia situalem separari potest a quantitate, & hæc sine illa existere, ut absolutum prius sine respectu posteriori, & ita de facto contingit in venerabili Sacramento, ubi corpus Christi existit cum sua quantitate sine locali extensione de genere situs, quæ omnia solide probat Doctor in 4. dist. 10. q. 1. M. vel per extensionem localem intelligunt, non illam præsentiam situationalem, sed extensionem priorem illa, quæ aliud non sit, quam formalis, & actualis extrapositio partium corporis in loco, de se tamen indifferens ad hunc, vel illum locum, præsentia vero situalem illi adveniat, & illam determinat, ut sit in hoc, vel illo certo loco, itaque per extensionem priorem substantia habeat, ut una pars non sit, ubi est alia; per posteriorem vero de genere situs habeat substantia, ut per singulas partes sit hic, vel ibi, & extensio prior non

va-

variatur in mutatione loci, sed semper eadem permaneat, posterius vero varietur: in quo sensu sustinet hanc sententiam Averf. loc. cit. addens, quod stante illa extensione locali licet substantia reduci nequeat in punctum indivisibile loci, quia hoc foret utique contra essentiam hujus extensionis, potest tamen certa quædam pars per Dei potentiam compenetrari cum alia parte, ut in ligno bialmari unus palmus cum alio, quia tunc non auferitur extensio, & extrapositio suarum partium, ram unius, quam alterius palmi per se, & ut magis explicat inferius q. 27. sect. 5. non est de ratione hujus extensionis, ut quilibet pars actu sit extra omnem aliam partem in loco, sed satis est, ut sit extra aliquas, quod tandiu servatur, quando non reducitur ad punctum. Sed neque sic explicata hæc opinio defendi potest; tum quia adhuc in hac opinione defendi nequit, corpus Christi esse in Eucharistia cum sua quantitate, ut ibi ipsemet Averf. fatetur, quia omnes ejus partes reductæ sunt etiam ad punctum specierum. Tum quia effectus formalis hujus extensionis per ipsum est constituere unam partem substantiæ, ubi non est alia, at facta penetratione unius partis cum alia, ut in ligno bialmari unus palmus cum alio, non adest talis effectus, quia unus bialmus est, ubi alter existit, ergo non adest quantitas bialmaris. Tum quia si quantitas absoluta exigit extensionem localem absolute, ita quod sine illa servari non potest, ergo tanta quantitas necessario requirit tantam extensionem localem, ut bialmaris bialmarem, sicut enim essentia quantitatis constituitur per extensionem localem vage sumptam, ita individua essentia hujus quantitatis constituitur per tantam extensionem, ut bialmaris per bialmarem, unde nunquam dari poterit penetratio unius palmi cum alio servata quantitate bialmari. Tum quia sicut actu esse in loco supponit existentiam rei locatæ, ita & existentiam quantitatis, quæ locatur, locus enim posterior est re locata. Tum quia licet quantitas communiter ponatur ratio fundamentalis essendi in loco circumscriptive, non tamen ponitur ratio formalis, & actualis, qualis est extensio localis. Tum quia Philof. posuit ultimum Cælum extensum, & quantum, & tamen negavit esse in loco. Tum tandem, quia quantitas est accidens absolutum, ergo male statuitur ejus essentia in actuali ordine ad locum.

8. Quinto, neque essentia quantitatis constitui potest in extensione aptitudinali ad locum, ut illa aptitudo indicat in substantia formam quandam accidentalem, quæ reddat eam proxime capacem præsentia extensionis, & divisibilis in loco, immo quæ naturaliter exigit, & requirit hanc præsentiam, non tamen actu eam collocet sic divisibiliter in loco, quod etiam probabiliter sustinet Averf. loc. cit. Tum quia talis capacitas reperitur etiam in substantia materiali, & oritur ex partibus ut habent extensionem in ordine ad se, & ad totum, sicut enim in se una est extra aliam, ita quoque citra quantitatem petunt naturaliter, ut una sit extra aliam in loco. Tum quia ex hoc, quod substantia spiritalis partibus caret, connaturalis modus ejus essendi in loco est simplex, & indivisibilis, ut nimirum sit tota in toto loco, & tota in qualibet parte loci, ergo ex opposito substantia materialis ex hoc, quod non est simplex, sed habet extremitatem partium, connaturalis modus ejus essendi in loco erit extensus, & divisibilis, intantum ut quamvis naturaliter non sibi repugnet compenetratio cum alia, & ejus partium ad se invicem, sibi tamen repugnat naturaliter, ut sit tota in toto, & tota in qualibet parte spatii divisibilis. Tum quia partes extensionis in qualitate per hoc distinguuntur a partibus intentionis seclusa omni quantitate, quod illæ petunt extensionem in subiecto, non istæ. Tum tandem quia si substantia maneret sine quantitate, adhuc ex natura rei haberet præsentiam divisibilem, & extensam in loco, licet partes ejus non haberent repugnantiam ad compenetracionem, nec illa substantia corporea cum alia, ut fere probabimus art. seq.

9. Restat igitur, ut essentia quantitatis constituitur in illa extremitate partium incompossibilem ex natura sua, & in actu primo in eodem loco, seu in immediata exigentia extensionis impenetrabilis in ordine ad eundem locum; ita quod quantitas aliud non sit quam forma quædam accidentalis absoluta, quæ superveniens substantiæ, ubi de se capax erat extensionis localis sine repugnantia ad compenetracionem, eam reddit capacem, immo naturaliter exigitivam extensionis impenetrabilis, unde non differt quantitas a substantia, vel qualitate corporea per habere plures partes extra se positas etiam in loco, sed per habere tales partes, quæ suapte natura sint incompossibiles in eodem loco, quales non sunt neque partes substantiæ, neque qualitates, quia licet istæ sint capaces extensionis localis, & juxta naturalem earum constitutionem quodammodo petant unam esse extra aliam etiam in loco, non tamen est talis exigentia, & necessitas, ut oppositum etiam sine miraculo contingere nequeat, sicut est de partibus quantitatis. Prob. autem hoc pacto assertio nostra; quando a priori ratio formalis rei dignosci non potest, tunc investigari debet a posteriori, recurriendo ad aliquem effectum illi proprium illius rei, ut non ab alia re oriatur, tunc enim principium illius effectus est ratio formalis illius rei, at videmus de facto, substantias corporeas esse impenetrabiles: igitur videndum est, quodnam sit principium istius effectus, certe substantia corporea plures in se claudit rationes, scilicet materiam, & formam, si est composita quantitatem, & cætera accidentia: at sane effectus hic a substantia non oritur, quamvis enim ex sua constitutione petat extensionem localem, hæc tamen exigentia

Maffrii, & Bellui Tom. II. Physicæ.

non est talis, ut penetrationem profus excludat; nec oritur a materia, & forma, quæ se compenetrant in composito, nec oritur a qualitate, quæ dicatur grossities, nec a quocumque alio accidente, sed præcise, a quantitate, itaque posita quantitate, omni alio ablato, ponitur impenetrabilis, posito omni alio, & sola quantitate seclusa, tollitur impenetrabilitas, ut fute probat Scotus 4. dist. 49. q. 16. §. *Alii dicunt*, &c. ergo principium istius impenetrabilitatis, & exigentia hujus localis extensionis impenetrabilis erit ipsamet essentia quantitatis. Accedit, quod essentia rei illa judicatur, a qua manant proprietates, quæ illi tribuuntur, sed omnes quantitatis proprietates fluunt ab ista forma exigentia extensionis localis per partes suapte natura incompossibiles in eodem loco, ergo in ea consistit ratio quantitatis. Major patet. Prob. minor, nam impenetrabilitas, quæ est prima passio, fuit a tali forma, ut Scotus docet loc. cit. divisibilitas physica per instrumentum corporeum, quæ est passio quantitatis a tali quoque exigentia diversotum locorum originatur, ut idem declarat 4. d. 1. q. 5. F. provenit etiam ratio mensuræ tam activæ, quam passivæ, ex eo enim quia quantitas habet partes extensas impenetrabiles, potest una applicari alteri, & eam mensurare, vel mensurari, ergo &c. & ita etiam determinavimus disp. 7. Log. q. 2. art. 2.

Solvuntur Objectiones.

10. IN contrarium objicitur 1. probando, quod essentia quantitatis consistat in divisibilitate, & extensione entitativa partium, vel saltem quod hic sit formalis effectus quantitatis; Tum quia Philof. 5. Met. c. 13. inquit, divisibilitatem per se primo competere quantitati, & cæteris per quantitatem; & communis responsio de divisibilitate in partes entitativas, & quantitativas, videri inventa ad illudendum, nam ita possemus dicere, divisibilitatem etiam esse propriam qualitatium, ut est in partes qualitativas. Tum 2. quia Scot. ipse 4. dist. 12. q. 2. ait, qualitatem corpoream a quantitate separatam non esse actu divisibilem, sed tantum potentia remota. Tum 3. quia habere partes extensas est effectus formalis accidentarius, ut esse album, ergo talem extensionem ex se substantia non habet, sed a quantitate. Tum tandem quia si substantia haberet partes citra quantitatem, femota quantitate, una esset extra aliam, & una ubi non alia, atque ita extensio partium in ordine ad locum haberetur sine quantitate.

Resp. ad 1. ex Scot. 4. dist. 1. q. 5. F. divisibilitatem, quæ est passio quantitatis, non esse quamcumque, sed eam, quæ reducitur ad actum per incompossibilitatem duorum in eodem loco, ratione cujus terra dividit lignum, & utique divisibilitas hæc cæteris competit per quantitatem. Ad 2. recte dixit Scotus ibi, qualitatem a quantitate separatam non esse actu divisibilem ab agente naturali, quod dividere nequit, nisi instrumento corporeo, at divisibilitas in partes entitativas & integrales in eodem spatio compossibiles non est passio quantitatis. Ad 3. negamus, quod habere partes entitative extensas, hoc est unam extra aliam, ita quod una non sit alia, accidat rei materiali, & corporeæ, cum potius sit de conceptu ejus essentiali talis partium pluralitas ut sic, & per hoc essentialiter distinguatur a re spiritali; verum tamen est, quod extensio in ordine ad locum sibi accidit, sicut & habere partes ad invicem incompossibiles. Ad 4. si quantitate expoliaretur, certum est, adhuc una parte extra aliam remansuram entitativam, quia non coirent in unam simplicem entitatem, sed an etiam una maneret extra aliam localiter, seq. art. discutiemus.

11. Secundo probatur, quod consistat in alia extremitate, & coordinatione partium in toto. Tum quia structura illius coordinationis partium in toto fieri nequit sine superficiebus, & lineis, & punctis, quæ omnia sunt de genere quantitatis, atque ideo statui nequit in substantia corporea anteedenter ad quantitatem, etiam si ea præcedat extremitas partium entitativa. Tum 2. quia extremitas partium in ordine ad locum etiam in actu primo relationem involvit ad locum, ergo non potest in ea consistere essentia quantitatis, quæ est profus absoluta, sed potius consistet in extremitate partium in ordine ad se, vel ad totum. Tum 3. quia & Philosophus in predicamento quantitatis explicuit essentiam quantitatis permanentis per positionem partium in toto, & ordinem ad invicem, quod etiam fecit Doctor, Philosophum imitatus, in 4. d. 10. q. 1. M. Tum tandem quia ordo partium ad locum est positio de genere situs, non de genere quantitatis, ut ait Doctor *ibid.*

Resp. ad 1. negando, quod extremitas partium in toto sumpta pro illa coordinatione non reperitur etiam in substantia, seclusa quantitate, & quod etiam suo modo indivisibilia illa, quæ ad continuum necessaria sunt, non reperiantur in substantia, & qualitate, ut enim seclusa quantitate habent partes suas integrales unitas, & continuas, ita quoque habent continuativa illarum, ut ex nostris notat Smidinch. de Deo uno tract. 2. dist. 6. n. 213. & magis constat ex dicendis. Ad 2. concedimus, essentiam quantitatis esse mere absolutam, & consistere non posse in extremitate partium in ordine ad locum, ut expresse tales respectus involvit; sed sicut licet essentiam accidentis absoluti circumscribere per inaherentiam aptitudinalem, ita per extremitatem aptitudinalem partium in ordine ad locum licebit in proposito explicare essentiam quantitatis, quæ utique erit principium exigitivum talis extremitatis impenetrabilis. Ad 3. quando Philof. explicuit essentiam quantitatis per positionem partium in toto, certe positionem non sumpsit pro coordinatione illa partium præcise in toto, ut una sit alteri immediate unita, & non immediate

diat omnibus, quia & distinctio partium, & illarum unio, & ordo ad invicem in substantia reperitur exclusa quantitate, sed ut ultra hunc ordinem addit extremitatem in loco impenetrabilem in actu primo, quia actualis extremitas in actu secundo est positio de genere situs, non igitur insinuat Philof. essentiam quantitatis, & ejus positionem praescindendo ab omni ordine ad locum, sed tantum praescindendo ab actuali extensione locali, & in actu exercito, quod etiam Scot. notavit 4. d. 49. q. 16. §. Alii dicunt, &c. ubi ait, dimensionem non fuisse a Philof. definitam, nec definiti posse sine aliquo ordine ad situm, & colligitur ex ipso Aristot. contextu in praedicamento quantitatis, ubi ait, substantiam ratione talis positionis de genere quantitatis habere partes in toto, ita quod una in ordine ad aliam sit dextera, alia sinistra, una sursum, alia deorsum, quae plane sunt differentiae loci; & in hoc sensu etiam locutus est Scot. Philosophum imitatus; & re vera ibi Doctor contendit tantum excludere ab essentia quantitatis positionem de genere situs, quae importat actualem ordinem ad locum, quae ideo illi accedit, per quod patet ad 4.

12. Sed contra hanc nostram expositionem arguunt Scotista aliqui, dicentes non trahere Scoti doctrinam ad doctrinam Recentiorum, quod & in multis aliis saepe nobis obijciunt, quando tritam viam nolumus ambulare Scotistarum, nam si Scotus dicit, positionem de genere quantitatis dicere ordinem partium ad totum, & ad se invicem in toto sine respectu ad locum, ergo expositio illa non est ad mentem Doctoris. Insuper ille respectus aptitudinalis extensionis ad locum est passio proveniens a quantitate, ergo illi debet assignari ratio formalis, quae sit fundamentum ejusdem. Denuo quantitas est accidens absolute actum denominans subiectum quantum, & extensum, ergo effectus ejus formalis non potest consistere in aliquo respectu aptitudinali; quare concludunt ipsi, effectum formalem quantitatis esse extensionem impenetrabilem partium in toto, hoc est, facere, ut una pars sit extra aliam impenetrabiliter, non aptitudine, sed in actu, non quid impenetrabiliter quod situm, sed impenetrabiliter in ordine ad se invicem, hoc est, quod una non possit subintrare aliam per identitatem, & inquit, hoc esse proprium significatum impenetrabilitatis, & non abuti vocabulis, dum impenetrabilitatem rerum attendimus penes spatium, & res adinvicem compenetratas dicimus, quando coexistunt in eodem spatio, nam proprie compenetratae dicerentur, quando una transiret in aliam per identitatem, quae penetratio est impossibilis; ex actuali igitur extensione impenetrabili in hoc sensu partium in toto pullulat illa aptitudo, quam habent eadem partes ad extendi in loco, replere locum, & expellere se, & quaecumque aliam quantitatem ab earum loco.

13. Resp. quando nos hic, & alibi aliquam amplectimur opinionem, quae Recentioribus placuit, & eam offendimus fuisse Scoti opinionem, & ex illius principiis necessario deduci, certe non praetendimus trahere Scoti doctrinam ad doctrinam Recentiorum, sed potius ostendere, Recentiores solidiores eorum opiniones non ex sua indole, sed ex antiquis Scholasticis, & praesertim Doctore nostro elicuisse; & in praesenti negotio Suar. quae nostrae est opinionis, cum ab initio amplexus fuisset Scoti cum principium contra Thomistas, quod substantia divisibilis est, seclusa quantitate, semper locutus est consequenter ad hoc principium in explicanda essentia quantitatis, & statum substantiae seclusa quantitate; & quando Doctor in 4. dist. 10. q. 1. M. explicuit essentiam quantitatis per ordinem partium in toto, secludendo respectum ad locum, utique non excludit, nisi respectum de genere situs, de quo ibi tantum loquitur, hic autem est ordo actualis quantitatis ad locum, non autem aptitudinalis; adhuc tamen recte locutus est Doct. hanc extensionem impenetrabilem vocans extensionem in ordine ad se, & partium in toto non experimento ordinem ad locum, quia ut adnotavit quoque Hurt. disp. 13. Met. sect. 4. §. 39. hanc impenetrabilitatem bene vocatur extensio in ordine ad se, quia per illam partes extenduntur, & quantitates extra se quasi pelluntur unde, & Christus in Eucharistia dicitur hac ratione retinere extensionem partium in ordine ad se, non tamen in ordine ad locum; at non ob id excluditur ordo aptitudinalis ad locum, & quamvis hic sit passio ipsius quantitatis, adhuc tamen per passionem licet nobis ejus essentiam describere, ut moris est in multis aliis, & ejus effectum formalem, & quamvis quantitas sit ens absolute, poterit adhuc per respectum describi, quod etiam hi Scotistae faciunt, dum explicant essentiam quantitatis per ordinem partium ad totum, & ad se invicem, hic enim ipse ordo etiam respectus est. Et dum ipsi assignant pro effectu formali quantitatis actualem extensionem impenetrabilem partium in toto, non quoad situm, sed quoad entitatem, quatenus una potest aliam subintrare per identitatem, & una non est, nec esse potest alia entitative, certe talis impenetrabilitas reperitur inter partes substantiae antecedenter ad quantitatem, quia una pars integrals substantiae non est alia, nec esse potest, & hac extensio partium impenetrabilis in hoc sensu aliud ingenium non est, quam extensio vel extremitas entitativa partium, quam Scotus enixe contendit substantiam esse se habere, & non a quantitate. At certe ipsi vocabulis abutuntur, dum penetrabilitatem, vel penetrationem attendunt penes transitum unius rei in alteram per identitatem, & non potius per simultaneam ambarum in eodem spatio, hoc enim ex vi nominis sonat penetratio duorum, id est coexistencia illorum in eodem loco, & in hoc sensu accipiunt Doctores omnes penetrationis vocabulum & Theologi, dum

tractant de dote subtilitatis, per quam inquit corpus beatum posse penetrare corpus non gloriosum, & Philosophi omnes, dum inquit, non posse naturaliter dari corporum penetrationem (in alio enim sensu est etiam supernaturaliter impossibilis) in hoc sensu, quod magis est, etiam accepit D. Paulus, cum dixit ad Hebr. 4. *Habemus Pontificem, qui penetravit Coelos, Jesum Filium Dei*, ut ibi communiter explicant Patres; neque enim voluit in Ascensionem Christum se identificasse cum Coelis, sed Coelos transisse absque eorum scissione coexistendo in eodem spatio; denique Scotus ipse in hoc sensu utitur nomine penetrationis in 4. d. 49. q. 16. D. & E. per duas integras paginas.

14. Tertio arguitur, probando, essentiam quantitatis consistere in actuali extensione locali, Tum quia quantitas est forma dans suum effectum formalem in actu, ergo cum effectus ejus formalis sit extendere rem in ordine ad locum, utique actualiter extendat subiectum, in quo reperitur. Tum 2. quia in hoc sensu appellatur quantitas moles, nimirum quia constituit magnitudinem per actualem extensionem; & per hoc designatur species ejus, linea est longitudo, superficies addit latitudinem, corpus profunditatem, igitur esse quantum aliud non est quam esse extensum, longum, latum, & profundum, quod certe non est praecise in ordine ad se, sed maxime in ordine ad locum, & spatium, in quo ponuntur partes extra partes. Tum 3. quando dicimus, in Sacramento remanere quantitatem cum ceteris accidentibus, aliud non intelligimus, quam remanere extensionem illam, per quam occupatur locus, & spatium, ita arguit Averfa loc. cit. Tum 4. quia, ut obijcit Gabriel, non potest quantitas separari a figura recta, vel curva, & figura concipi nequit sine actuali extensione. Tum 5. quia, ut obijcit Ocham, extremitas per ordinem partium in toto qualis est positio de genere quantitatis, non solum facit, ut una pars sit distincta ab alia, sed etiam ut sit distans, quatenus omnes partes non sunt inter se immediate unitae, sed mediante quantitate, ut est distantia quadam, & talis distantia non potest esse sine ordine partium in loco, cui quantitas commentetur. Tum 6. quia effectus formalis quantitatis est actu reddere partes substantiae unam extra aliam, vel hoc igitur significat, unam esse extra entitatem alterius, & hoc non; quia talem extremitatem habet de se substantia; vel extra locum alterius, & habetur intentum. Tum denique quia si essentia quantitatis non consistit in actuali extensione, & extrinseca; sed in aptitudinali tantum, & intrinseca, ad actum primum pertinere, extensio quantitativa non erit distincta ab extensione entitativa substantiae, & aliorum accidentium, quia tunc sub extensione quantitativa poterunt pedes hominis esse in eodem puncto indivisibili cum ceteris membris, in quo casu nulla remanet extensio, aut partium extremitas praeter entitativam, quae etiam convenit partibus extensionis aliarum rerum, immo, & partibus intensiois qualitatis, quae compenetrata simul in eodem puncto indivisibili, una tamen remanet extra aliam entitative.

15. Respond. ad 1. formam semper actu praestare effectum suum formalem actu, & cum quantitas sit principium exigitivum extensionis localis impenetrabilis actu communicat talem effectum subiecto, quod efficit, illud dominando actu exigitivum talis extensionis, unde actualis exigentia extensionis localis est effectus formalis primarius quantitatis, non actualis extensio. Ad 2. quantitas appellatur moles, & magnitudo, quia reddit partes substantiae, quas afficit, impossibiles in eodem spatio, & distincti loci occupativas, non autem actu distinctum locum occupantes, & in hoc sensu corpus quantum dicitur longum, latum, & profundum, quia habet principia exigitiva actualis extensionis in loco per longum, latum, & profundum, & haec principia sunt linea, superficies, & corpus de genere quantitatis. Ad 3. cum dicimus, quantitatem remanere in Sacramento cum ceteris accidentibus, ideo intelligimus, remanere illam extensionem localem accidentium, quia intelligimus remanere quantitatem cum suo connaturali modo quantitativo, qualis est positio de genere situs; & contra, asserimus, corpus Christi esse in Sacramento cum sua quantitate nullam ibi concipiendo extensionem localem illius. Ad 4. duplex est figura, una intrinseca, & quantitativa, quae fundatur in positione de genere quantitatis, altera extrinseca, & situalis, quae fundatur in positione de genere situs, & de hac verum est concipi non posse sine actuali extensione locali. Ad 5. si Ocham accipit distantiam pro dimensione media inter unam partem, & alteram, cui illa non est immediate unita, verum est, positionem de genere quantitatis facere actu distans partes substantiae impenetrabiliter, ubi prius distans penetrabiliter, sed si per distantiam accipit spatium interjectum, falsum est, positionem de genere quantitatis facere sic actu distans partes substantiae, sic enim facit eas distare in actu primo, & in aptitudine, quatenus suapte natura petunt diversa loca, & in hoc sensu dicimus caput Christi in hostia localiter pede distare, & non tantum entitative. Ad 6. constituit quantitas partes substantiae unam extra aliam in ordine ad locum, at non in actu secundo, sed tantum in actu primo sensu nuper explicato. Ad 7. neg. conseq. quamvis enim sub extensione quantitativa possint membra humani corporis se etiam in puncto spatio compenetrare, ut est modo de corpore Christi in Eucharistia, negatur, in isto casu pedes extra caput esse solum entitative, & in ordine ad se, seu ad totum, adhuc enim pedes sunt extra caput, & ma-

gis distantes aliis membris in ordine ad locum in actu primo, & aptitudine, quatenus suapte natura petunt loca distata cum naturali repugnantia ad compenetrationem, quod non evenit de partibus substantiae, & qualitatis, non est tamen de ratione quantitatis, quod actualiter ponat partes substantiae extra se invicem actualiter, sicut non est de essentia accidentis absolute actu inhærere, sed tantum esse principium intrinsecum actualis inhærentiae exigitivum, quare sicut Deus salva essentia accidentis actualem inhærentiam tollit ab eo, ita salva essentia quantitatis actualem extensionem potest ab ea auferre.

Sed contra urgebis, talis extensio partium, & extremitas in toto cum ordine ad locum in actu primo competit etiam partibus extensionis qualitatis, ut distinguatur a partibus intensiois, nam partes extensivae qualitatis per hoc distinguuntur ab intensivis, quod licet omnes aequaliter petant unam esse extra aliam entitative, tamen partes extensionis petunt etiam extremitatem situalem, ubi partes intensiois eundem situm exposcunt. Resp. adhuc esse discrimen manifestum inter partes quantitativas, & partes extensivas qualitatis, quod illae petunt distinctum situm impenetrabilem, quia sunt suapte natura impossibiles in eodem spatio, at partes substantiae, & qualitatis minime, quia licet petant diffundi divisibiliter in loco ob suam materialitatem, non tamen est talis exigentia, ut una naturaliter debeat necessario excludere aliam, ut est in partibus quantitatis, unde videmus in qualitate partes extensivas posse evadere intensivas, dum in eodem situ congregantur.

16. Quarto probatur, quod consistat in simplici extensione aptitudinali ad locum divisibilem, praescindendo ab impenetrabilitate. Primo, tum quia est communis sententia Scotistarum, substantiam materialem sine quantitate non remanere in loco, nisi definitive, & praesentialiter, sicut Angelus, quod ex Scoto desumpserunt in 2. dist. 12. qu. 2. D. & solum quantitatem esse rationem fundamentalem essendi in loco circumscriptivae, & dimensionis, quod Scot. docuit 4. dist. 10. qu. 3. & quol. 10. H. ergo principium aptitudinalis essendi in loco divisibiliter est ipsa quantitas. Tum 2. quia praesentia divisibilis, & situalis est modus ipsius quantitatis ex Scot. 4. d. 10. qu. 1. M. ergo quantitas consistit in principio exigitivo istius modi, quod circumscribimus per extensionem aptitudinalem ad locum. Tum 3. quia si praesentia divisibilis, & circumscriptiva etiam naturaliter debet substantiae materiali ex vi suae materialitatis, jam frustra ponitur quantitas accidens ab ea realiter distinctum, nullum enim effectum formalem posset tribuere substantiae, cum inveniat illam actu extensam in ordine ad se, & aptitudine in ordine ad locum. Tum 4. quia secundum communem omnium conceptum quantitatem a substantia distinguuntur, quantitas est forma quadam accidentalitatis, reddens substantiam proxime capace praesentiae extensivae, & circumscriptivae in loco. Tum 5. quia si semel admittimus, & substantiam materialem ex vi suae materialitatis extensivam suarum partium etiam in loco exposulare, jam quoque impenetrabiliter peteret esse in loco, itaut actualis penetratio sibi repugnaret, si enim natura sua petat extremitatem localem, jam contra ejus naturam directe erit penetratio; quae est intereitas localis.

Resp. nequaquam esse novum in Schola Scotistarum substantiam materialem quantitate expoliatam adhuc retinere praesentiam divisibilem in loco, hoc enim asserunt & vetustiores Scotistae, & Recentiores; Regentes namque Parisenses in suo Cursu 1. Phys. qu. 5. quaestione 4. collat. quærentes an materia seclusa quantitate sit in loco, & quomodo, dicunt (& sunt eorum formalia verba) quod si de facto separaretur quantitas a materia, una pars materiae posset manere extra aliam, & non esse in loco alterius praesentialiter, & definitive, quia propter separationem quantitatis a materia non oportet partes ejus alium locum praesentialiter habere ab eo, quem prius habuerunt dimensionis, addunt tamen posse se invicem illas partes penetrare in eodem loco, quia non habent dimensiones, quae penetrationi obstant. Tat. 1. Phys. qu. 3. nor. 2. non semel ait, si substantia materialis in loco existeret, & a quantitate separaretur, adhuc ejus partes futuras inter se distantes, etiam distantia praesentialitatis, Jo. de Magist. 1. Phys. qu. 6. ait, praecisa quantitate a materia unam partem materiae adhuc esse extra aliam praesentialiter; unde subdit; quod ablata quantitate non mutantur partes materiae a suis locis: Pater Sghemma loc. cit. ad sextum, inquit, quod separata quantitate a substantia, adhuc una pars substantiae esset hic, alia illic; Fuentes in Log. qu. 15. dist. 1. art. 5. expresse idem docet; cum vero inquit Doctor, materia seclusa quantitate fore in loco definitive; sicut Angelus, & non circumscriptivae, quo loquendi modo utuntur etiam Scotista modo citari, accipit modum essendi in loco circumscriptivae impenetrabiliter, qualis est circumscriptivae; quam asfert quantitas substantiae; & modum essendi in loco definitive, ut excludit talem circumcriptionem, non autem ut excludit divisibilitatem, & extensionem praesentiae, quia ratione suae materialitatis adhuc substantiae materiali repugnat; ita in loco constituitur, ut sit tota in toto, & tota in qualibet parte, ut dicemus art. seq. Cum etiam inquit Doctor, solum quantitatem esse fundamentum; & rationem aptitudinalem essendi in loco circumscriptivae, loquitur de circumscriptivae impenetrabili, quia alioqui fundamentum praesentiae divisibilis, & principium aptitudinis sic essendi in loco est corporeitas ex Scot. quodl. 11. art. 1. quae in substantia materiali quantitate praecedit. Ad 2.

distinguendus est duplex situs, alius est cum repugnantia penetrationis partium rei situate ad invicem, & hic est modus quantitativus, de quo loquitur Doctor loco citato, alius hinc repugnantia praefata penetrationis, & hic convenit omnibus entibus materialibus, prout a spiritibus feceruntur. Ad 3. quantitas non additur frustra, quia sicut reddet partes substantiae adinvicem impossibiles in loco, ita asfert illi aptitudinem essendi in loco cum extensione impenetrabili; ex quo etiam patet ad quartum. Ad 5. jam pater ex dictis non esse tantam exigentiam extremitatis localis in partibus substantiae, sicut in partibus quantitatis, nam eam superare potest agens naturale, & comprimens partes substantiae, & compenetrando in eodem spatio, sicut superare potest exigentiam frigiditatis in aqua, inducendo calorem in ea absque miraculo, at nequit superari exigentia partium quantitatis absque speciali miraculo, & ratio hujus est, quia materialitas non est principium exigitivum loci divisibilis, ut excludit penetrationem, sed ut excludit modum essendi in loco spiritualement, nempe totum in toto, & totum in qualibet parte, qui proinde competere nequit substantiae materiali, nisi intervenit specialis miraculi, sicut ratione quantitatis nequit competere corpori quanto penetratio absque speciali miraculo.

17. Quinto demum arguitur, quod non consistat in extremitate partium impossibilium in eodem loco in actu primo, seu in principio exigitivo extensionis impenetrabilis. Tum quia prior est in quantitate ratio replendi, & occupandi locum, quam ratio expellendi aliam quantitatem, ideo enim expellit, quia occupat, ergo melius explicatur quantitas per virtutem occupativam, quam expulivam, quae est impenetrabilitas, vel radix illius. Tum 2. quia si per virtutem hanc expulivam explicetur, sequitur, quantitatem fuisse a natura primario ordinatam non ad extendendum substantiam, sed ad impediendum alterius corporis penetrationem. Tum 3. quia etiam habere partes inter se impossibiles respectu loci convenit substantiae seclusa quantitate, ideo enim una pars est impenetrabilis cum alia, ut ajebat Averfa loco citato, quia habet esse extra aliam, & ideo una res est impenetrabilis loco cum alia, quia est in se extensa per suas partes, & e contra res spirituales, quia non habent hanc entitativam extensionem, ideo coexistere possunt cum aliis rebus, cum ergo extremitas impenetrabilis in loco oriatur proxime ex extremitate entitativa rerum, & haec reperitur in substantia materiali ante quantitatem, etiam & illa reperiri debet. Tum 4. quia si impenetrabilitas esset ratio formalis, non posset quantitas fieri penetrabilis, sicut ex eo, quod brutum est irrationale, nequit fieri rationale. Tum 5. quia si non dicitur ratio quantitatis, sed passio, & essentiam quantitatis esse radicem impenetrabilitatis, sic etiam aequè bene poterit explicari essentia quantitatis per radicem divisibilitatis, & cujuscumque alterius passionis ejus. Tum denique quia eadem quantitas naturaliter per rarefactionem, & condensationem occupat spatium majus, & minus, ergo essentia quantitatis non consistit in ratione partium se excludentium ab eodem spatio, cum in condensatione contiguntur in eodem spatio.

Resp. rationem replendi, & occupandi in quantitate esse priorem ratione expellendi, seu impenetrabilitate prioritate universalitatis, quia ceteris rebus corporeis etiam convenit, sicut animal in homine dicitur prius rationalitate, non tamen prioritate causalitatis, non enim absolute verum est, unam quantitatem expellere aliam, quia locum replet, sed cum addito, quia locum replet impenetrabiliter, unde impenetrabilitas se habet velut ratio specifica non trahens rationem replendi locum rebus omnibus corporeis convenientem, & ideo distinctius per ipsam explicatur ratio quantitatis specifica. Ad 2. neg. conseq. quia in quantitate idem effectus est extendere substantiam impenetrabiliter, & impedire alterius quantitatis subingressum. Ad 3. falsum est, impenetrabilitatem ex sola extremitate partium entitativa provenire, cum potius proveniat ex entitativa extremitate partium, quae suapte natura exigunt proflus necessario distincta loca, quales sunt partes quantitatis; ex extremitate vero entitativa solum sequitur, quod petant res corporeae esse divisibiliter in loco, non ut divisibilitas excludit penetrationem, sed ut excludit modum essendi in loco distinctivum; & spiritualement, totum in toto, & totum in qualibet parte, qui rei corporeae proflus repugnat naturaliter; & Averfa in hoc sibi contradicit, cum ibidem asserat, impenetrabilitatem sequi essentiam quantitatis; si id verum est, jam non oritur ex sola extremitate partium entitativa, quae etiam secundum ipsam substantiam reperitur ante quantitatem. Ad 4. quantitas, dum impeditur a Deo a sua actuali impenetratione, & expulsiōe, dicitur a Deo reddi penetrabilis, ut dicit negationem actus secundi, scilicet impenetrabilitatis, non negationem actus primi scilicet impenetrabilitatis, quo sensu dicitur brutum irrationale, quia irrationalitas in bruto nedum dicit negationem ratiocinandi, sed etiam actus primi. Ad 5. melius explicatur ratio quantitatis per impenetrabilitatem quam per ceteras passiones, quia haec est omnium prima, & rationi formalis proximior. Ad 6. qui tenent, per rarefactionem, & condensationem acquiri novam quantitatem, & antiquam deperdi, facile se expediunt, negando assumptum. Alii dicentes manere semper eandem quantitatem, negant consequentiam, quia sicut ratio, cur motus localis fiat in tempore, est essentia ipsius motus, ratio vero, cur fiat tanto tempore, vel tanto, provenit ex potentia motiva, ex varia ejus applicatione, ex resistentia medi, & aliis, ita nunc dicendum, quantitatem in secundum se esse exigitivam loci extensi indeterminate, itaut naturaliter non possit esse

tanta condensatio, quæ redigat corpus quantum ad indivisibile loci, quod vero habeat tantam, & tantam extensionem, non provenit a quantitate præcise, sed ab aliis accidentibus, sicut etiam, quod fit in hoc, vel illo loco, ubi accidit ab extrinsecis, quæ responso pro nunc sufficiat, res enim pertinet ad lib. de Gen. hoc certum est, condensationem non fieri per com-penetrationem, ut ibi dicemus disp. 4.

ARTICULUS II.

Ostenditur distinctio realis quantitatis a substantia corporea, & cæteris ejus accidentibus.

13. Dicendum est, quantitatem esse accidens realiter distinctum a substantia, & aliis accidentibus materialibus. Concl. est Scot. in 4. d. 12. q. 2. §. Ad questionem, &c. & in 2. d. 2. q. 9. & d. 12. q. 1. quem omnes Scotistæ sequuntur, alii i. Phys. alii in 4. dist. 12. & D. Tom. 3. p. q. 77. art. 2. & in 4. dist. 12. q. 1. art. 1. & est communis omnium sensus contra Nominales; & prob. 1. auctoritate Philosophi, qui i. Phys. tex. 15. distinguit quantitatem, sicut qualitatem, a substantia, & 4. Phys. 76. ait solam quantitatem seclusa substantia esse loci occupativam, & 2. de Anim. 65. docet, substantiam esse sensibilem per accidens, quantitatem vero per se, & 3. Met. tex. 17. ex professo probat, quantitatem realiter non esse substantiam, quod iterum discrete repetit 7. Met. tex. 8.

Deinde probatur ex principiis nostræ fidei, quæ docet, in Eucharistia desinente substantia panis, & vini remanere dup-taxat species, scilicet accidentia eorum, ut declarat. Concl. Trid. sess. 13. can. 2. sed si destrueretur etiam quantitas panis, non remaneret omnia accidentia panis, & converso, quæ ibi fit, non solum debet dici transsubstantiatio, sed etiam transaccidentatio, quia non sola substantia panis, sed etiam ejus quantitas converteretur in corpus Christi; nam, & si Nominales non ponant, quantitatem substantiæ esse accidens realiter distinctum ab ea, adhuc tamen aliquam distinctionem agnoscunt inter ea, aut ex natura rei, aut penes connotata, nam alia ratione res dicitur substantialis, & alia ratione quanta. Accedit, quod si quantitas non maneret, in qua veluti in communi subiecto illæ qualitates hærent, sapor, color, odor, non posset assignari ratio, quare uno illorum accidentium motu, moveatur etiam alia simul ab illo dissoluta, quod si Nominales dicant, id esse miraculum, in contrarium est, quod non fuit fingenda miracula, ubi necessitas non cogit, alioquin etiam dicere possemus, quod in hostia consecrata disgregare visum est miraculum, quia ad hoc, ut albedo naturaliter visum disgreget, requirit proprium subiectum, quod ibi, non est in Nominalium sententia. Insuper secundum eam quantitatem formaliter est extensio localis, seu substantia ipsa, vel qualitas, quatenus habet partes extra partes in loco, at substantia, & qualitates corporis Christi in Eucharistia reperiuntur sine hac extensione, ergo sunt a quantitate realiter distincta. Resp. Rubion. cum cæteris Nominalibus loc. superius cit. negando conseq. quia Deum facere substantiam, vel qualitatem sine quantitate, non est, ipsum facere substantiam sine quantitate tanquam sine aliqua re ab ipsa distincta, sed est, ipsum facere substantiam partes penitus indistantes, quod fieri potest nullo distincto a partibus destructo, sicut e contra partes substantiæ, vel qualitates indistantes possunt distendi, & extendi nullo eis addito in re extra, quia eadem res dicitur substantia, vel qualitas, ut absolute sumpta, dicitur vero quantitas, ut sic disposita habens partes. Sed hoc commune, & frequens Nominalium effugium ad connotata satis præcluditur virtute illius principii, quod sæpe supra ursumus, & inferius urgebimus, nempe dari non posse mutationem physicam in rebus ante intellectum absque aliqua re, aut modo reali denuo producto, vel acquisito, neque dari transitum eadem a contradictorio in contradictorium sine mutatione reali in aliqua re, quia non posset assignari ratio, cur hæc pars contradictionis modo verificetur, & non prius, cum igitur substantia est in loco extensa, & deinde fit inextensa, vel e contra, transit a contradictorio in contradictorium, & modo a parte rei realiter se habet nunc, quam prius, ergo fit extensa, vel inextensa alicujus rei, vel modi acquisitionem, vel deperditionem; & inquit Rubion, rem esse quantam; aliud non esse, quam ipsam habere partes sic dispositas in loco, quas ita dispositas non habebat, cum erat in puncto deducta, quærimus, vel illa talis partium dispositio addit aliquid super partes substantiæ, vel non? si nihil, ergo semper fuit substantia illa quanta, & per locum extensa, cum semper illas partes habuerit; si aliquid, ergo cum in puncto existens id non haberet, clarè deducitur, substantiam esse a quantitate realiter distinctam; nec curamus, an sit quid distinctum, ut res a re vel modus, ut quid positivum, vel negativum, nobis sufficit ita distingui, ut substantia esse possit sine illo.

14. Postremo prob. nostra Concl. naturali ratione; si quantitas realiter identificatur cum substantia corporea, & cæteris accidentibus materialibus, sequitur, unam quantitatem naturaliter penetrari cum alia, quod est falsum; Probatur sequela, nam in unoquoque composito materiali, entitas materiæ, forma substantialis, & accidentium sunt simul in eodem loco, sed per Adversarios singulæ istæ entitates sunt etiam quantitates, ergo una quantitas penetratur cum alia. Resp. Nominales; illa entia quanta solum non posse naturaliter penetrari, quæ per se subsistunt, nec ordinantur ad constituendum, & perficiendum aliud, idque a natura factum est ad servandum debitum ordinem universi, nam si hujusmodi entia se penetra-

vent, contingeret vacuum in universo, quæ vero ordinatur ad constituendum aliud, cujusmodi sunt forma, & materia, & accidentia materialia, posse utique naturaliter, immo & de facto penetrari. Contra, quia partes entitativæ, ac integrales ejusdem corporis v. g. aquæ, non subsistunt per se, & ordinantur ad perficiendum totum integrale, sicut materia, & forma ordinantur ad constituendum essentiale, ergo possunt, ac debent se naturaliter penetrare, sicut de facto penetrantur materia, & forma; & certe accidentia eucharistica, albedo, sapor, odor, ex natura sua ordinantur ad aliud perficiendum, sicut reliqua accidentia, ergo deberent penetrari cum aliis accidentibus, & corporibus, & tamen una hostia consecrata non penetratur cum alia, nec cum alio corpore. Respondent, non penetrari, quia miraculose existunt per se, & in tali statu se habent, ac si non ordinarentur ad perfectionem, & constitutionem alterius, unde sicut habent modum per se subsistentis, ita habent modum rei impenetrabilis. Contra, ergo albedo & sapor in eadem hostia se penetrare non deberent, quia utrumque illorum accidentium habet modum per se subsistentis, quod tamen est contra experientiam.

Resp. Ariag. disp. 5. Met. sec. p. ut defendat hoc Nominalium argumentum, quod licet recedat substantia ex vi consecrationis, manent tamen ubicationes ejus, quæ proxime fundant impenetrationem. Hæc solutio confutata est disp. 7. Log. q. 2. ab initio, tum quia modus qualis est ubicatio, non potest conservari sine re, cujus est modus, tum quia nunquam posset Deus duo corpora in eodem loco compenetrare, quia unumquodque peculiare petit ubicationem, cum tandem quia hæc ratione albedo, & sapor, in hostia non se penetrarent, quia peculiariter, & distinctas habent ubicationes, ut suo loco dicemus, & ipse concedit.

20. In contrarium obijciunt Nominales. Primo, quia idem corpus invariatur quoad omnia esse potest magis, & minus quantum, eadem enim aqua, quæ prius occupabat duos palmos, per congelationem deinde restringitur ad locum palmare, ergo quantitas non est accidens realiter distinctum a substantia, sed est eadem substantia ut respondens loco extenso, quæ cum respondet majori loco, dicitur magis quanta, cum minori minus quanta. Deinde quia substantia, circumscripto quocumque accidente a se realiter distincto, habet omnes effectus, qui dicuntur a quantitate formaliter provenire, nulla enim extremitas partium, vel extensio cogitari potest a quantitate provenire, quam substantia materialis de se non habeat; habet enim extremitatem partium, ut dicit alitatem entitativam illarum, habet extremitatem ut dicit ordinem partium in toto, habet etiam extremitatem partium adinvicem incompossibilem in eodem loco, quia hæc extremitas originatur ab illa, ideo enim una pars est impenetrabilis cum alia, quia habet esse extra illam entitativè, unde & locum distinctum petit ab illius loco; nulla itein divisibilitas excogitari potest a quantitate in substantiam derivari, quam prius ex se non haberet, & sic de aliis, ergo &c.

Resp. neg. antec. quia ut diximus, implicat, corpus magis, vel minus extendi nullo penitus invariato, præsertim cum rarefactione, & condensatio sint veræ mutationes; unde etiam in Nominalium sententia, qui quantitatem substantiæ dicunt esse localem ejus extensionem, implicat illud antecedens; in sententia autem communiori dicendum, quod cum aqua ex loco bipalmari reducitur ad palmarem, vel deperditur quantitas secundum unam viam explicandam rarefactionem, & condensationem, vel si maneat eadem, variatur actualis extensio in ordine ad locum, quæ non est quantitas, sed modus quantitatis ex Scot. 4. dist. 16. q. 1. M. speculans ad prædicamentum Sitius, & sic idem corpus dicitur quidem magis, vel minus extensum, non tamen magis, & minus quantum; & quando etiam dicitur magis, vel minus extensum per rarefactionem, & condensationem, adhuc non dicitur tale nullo penitus invariato.

Contra hanc resp. arguit Rubion. loc. cit. quantitas, & extensio sunt penitus idem, ergo similiter quantum, & extensum; Prob. assumptum; tum quia alicui posset dari quantum nullo modo extensum ex hypothesi, quod Deus extensionem a quantitate auferret, immo posset dari quantum indivisibile, quia, inextensum est indivisibile, & corpus minoris quantitatis posset esse majus, & majoris minus, casu, quo illud magis extenderetur, & istud minus, omne enim corpus quanto extensius, tanto majus. Hæc, & alia argumenta congerit ibi Rubion, quorum solutio pertinet ad Disputationem de Rarefactione, & Condensatione, quantum ad præsens spectat, negatur assumptum, ad prob. concedimus, posse dari quantum nullo modo localiter extensum in esse exercito, & in actu secundo, extensum tamen in actu primo per principium exigivum extensionis localis, & cæteris partibus, quod est exigivum majoris extensionis, dicitur majus, quod minoris, minus, unde majoritas, vel minoritas corporum attenditur penes principium exigivum extensionis tantæ, vel tantæ, non penes æqualem extensionem; diximus cæteris partibus, quia ut judicemus de majori, vel minori corporum quantitate, comparari debent in eodem statu, scilicet vel ambo rarefacta, vel condensata, & quantum sine actuali extensione locali, ut corpus Christi in Eucharistia, licet sit indivisibile per physicam divisionem instrumento corporeo factam per cessionem unius quanti alteri quanto, adhuc tamen est divisibile, ut divisibilitas importat solam partium separabilitatem. Sed ais divisibilitatem physicam, & instrumentum corporeo factibilem, esse passionem quantitatis ex dictis, ergo implicat, quod

quod est quantum, non esse sic divisibile, at quod est sic divisibile, est actu localiter extensum. Resp. quantum sine actuali extensione esse sic divisibile, at hanc divisibilitatem non posse ad actum proxime reduci, nisi quantum illud sit sub modo quantitativo, & in hoc sensu dicimus, non esse sic divisibile, scilicet non potentia proxima, quo sensu lignum sub humiditate diceremus non esse combustibile.

21. Ad aliud neg. assumptum, ad prob. negamus, substantiam, & qualitatem habere extremitatem partium incompossibilem, & physicam divisibilitatem seclusa quantitate, quamvis enim habeant plures partes extra se positas etiam in ordine ad locum, & ex sua materialitate petant præsentiam divisibilem, attamen hæc exigentia non excludit necessario penetrationem, sed tantum modum spiritualem essendi in loco, totum in toto, & totum in qualibet parte, & profus falsum est, extremitatem partium in loco impenetrabilem, ex sola, & absoluta partium extremitate entitativa provenire, ut dictum est art. præc. n. 17. nam & duo Angeli sunt extra se positi entitativè, nec tamen inde petunt extremitatem quoque localem impenetrabilem, igitur extremitas ista impenetrabilis non oritur ex qualibet extremitate partium entitativa, sed ex extremitate talium partium entitativa, scilicet ex natura sua adinvicem incompossibilem, quales sunt solummodo partes entitativæ quantitatis, sic etiam dicimus, quod licet substantia, & qualitas citra quantitatem sint divisibiles, hoc est absolute separabiles a Deo, vel Angelo, non tamen sunt divisibiles physice, & instrumentum corporeo, sed hanc divisibilitatem habent solummodo merito quantitatis supervenientis.

Contra hanc solutionem etiam arguit Rubion. loc. cit. quoniam nulla apparet ratio, quare partes accidentis diversæ diversas substantiæ partes præsupponentes extra se positas, & entitativè, & situative, magis sint aptæ naturaliter inter se distare positive, scilicet cum repugnantia ad penetrationem, quam partes substantiæ, quas præsupponunt, ergo extremitas localis positiva competit etiam naturaliter partibus substantiæ, & non privativa tantum, idest sine repugnantia ad penetrationem. Resp. neg. assumptum, hic enim est effectus formalis quantitatis, partes substantiæ, quæ prius repugnantiam positivam in ordine ad locum non habebant inter se efficere incompossibiles; quod etiam cernimus in cæteris accidentibus, partes albedinis reddunt partes parietis albas, nec eas præsupponunt tales, partes caloris reddunt partes manus calidas, quas non præsupponebant tales, & sic de singulis, ad hoc enim instituta sunt forme, ut per eam communicationem tribuant subiectis effectus formales, quos de se non habebant.

22. Secundo obijciunt. Tum quia non solum substantia materialis, sed etiam singulæ qualitates ei inhærentes sunt extensæ, non solum entitativè, sed etiam quantitativè, ergo quælibet habebit suam extensionem, atque ita non dabitur sola quantitas substantiæ, a qua & qualitates dicantur quantæ, quia forma non denominat, nisi subiectum, quod informat, sed tot quantitates erunt, quot accidentia in subiecto illis realiter identificantur. Tum 2. quia eadem sunt species quantitatis, & substantiæ, & qualitates, in quantum sunt res corporeæ, & divisibiles, in his enim omnibus reperitur linea, superficies, & corpus, ergo quantitas non est nisi substantia, & qualitas quantæ extensæ, & divisibiles. Tum 3. quia qualitas non est intensa per accidens superadditum, sed tantum quia sunt plures partes qualitatis in eodem situ, ergo pariter substantia dicitur extensa, & quanta sine accidente superaddito per solam pluralitatem partium in alio, & alio loco.

Resp. ad 1. negando conseq. unica enim quantitas existit in quolibet individuo, quæ sicut per se formaliter extendit substantiam, ita etiam extendit reliqua accidentia quantitativè, scilicet impenetrabiliter, & sufficit, quod singula inhærent subiecto extenso, ut postea dicantur quanta, & extensa; tum quia omne, quod recipitur, per modum recipientis recipitur, cum in suo esse a subiecto recipiente dependet, & quantitas non derivat denominationem suam in qualitates per modum formæ informantis, sed potius per modum subiecti recipientis, ut diximus disp. 3. q. 3. art. 2. Ad 2. concedimus, absolute loquendo, assumptum, cum enim tam substantia, quam qualitas corporea seclusa quantitate habeant suas partes integrales unitas, & continuas, etiam & indivisibilia continuativa debent habere, appropriate tamen, & peculiari quodam modo admitti debent in quantitate, quia hæc sola est, quæ molem facit, & corpora magnificat per longum, latum, & profundum, immo in sensu, quo loquitur Phil. de Continuo 6. Phy. continuatas in sola quantitate reperitur, quia ut patet ex demonstratione, quam ibi facit de punctis, loquitur de continuitate, quæ facit molem, & ponit unam partem extra aliam impenetrabiliter, quæ plane continuatas non nisi in quantitate reperitur, & in cæteris rebus per ipsam. Ad 3. dicimus intentionem, extensionem comparari posse, & ad partes, quæ formaliter constituunt intentionem, vel extensionem, & etiam ad subiectum, cui communicatur intentio, & extensio, ut igitur tenet paritas, debent uniformiter comparari, sic enim ut intentio non distinguitur realiter a partibus, ita, neque extensio, & sicut qualitas subiectum intendens realiter distinguitur ab eo, ita etiam quantitas subiectum extendens.

23. Tertio obijciunt, quod si quantitas est accidens a substantia realiter distinctum, poterit utique Deus substantiam in instanti a quantitate separare, tunc autem vel manebit substan-

Maffrii, & Bellii Tom. II. Physica.

tia illa adhuc extensa per totum spatium, ubi prius erat, vel in punctum confluet illius spatii, hoc secundum dici non potest, quia talis fluxus fieri deberet per motum localem, & sic in tempore, ergo cum quantitas auferatur in instanti, toto illo tempore sequenti, quo duraret fluxus partium substantiæ ad indivisibile loci, partes illæ existerent divisibiliter in spatio; si dicatur primum, quod maneat extensa per totum illud spatium, vel ita intelligitur, ut sit tota in toto, & pars in parte, & sic jam adhuc erit quanta, cum fundamentalis ratio essendi in loco tali modo, scilicet circumscriptivè, sit sola quantitas, vel ita intelligitur, ut sit tota in toto, & tota in qualibet parte ad modum Angeli, & hoc ex natura rei absq; interventu novi miraculi contingere non potest, quia hic modus essendi in loco naturaliter solum convenit rebus spiritualibus ob carentiam partium integralium, quas cum adhuc retineat substantia corporea sine quantitate, habet etiam repugnantiam ex natura rei ad esse in loco modo spirituali. Resp. Soncin. 5. Met. q. 22. substantiam corpoream sine quantitate existere non posse, quia implicat, entitatem divisibilem in partes integrantes posse simul dividi in omnem suam partem, quod contingeret in tali separatione, quia tunc auferretur a substantia principium formale, quo partes illæ uniebantur, nam illæ habent unionem continuationis, quæ est formaliter a quantitate, igitur ex distinctione reali quantitatis a substantia, ait Soncin. sequi solum, posse substantiam conservari sine hac, aut illa quantitate, non tamen sine omni. Sed male negatur, substantiam a quantitate posse separari, & sine ea a Deo conservari, tum quia de facto videmus separari quantitatem a substantia in Eucharistia, ergo tanto magis poterit substantiam separare a quantitate, & separaram conservare, magis enim pendet quantitas a substantia, quam e contra, sicut universaliter magis pendet accidens a subiecto, quam e contra; tum quia omne absolutum prius altero, a quo realiter, & essentialiter distinguitur, (ut excludamus subiectum respectu passionis, partes physicas respectu totius) potest esse sine illo, tum quia non minus necessarium connexionem, si ad hanc recurrant (ut solent) videtur habere actualis extensio localis cum quantitate, quam quantitatis cum substantia, ergo sicut de facto separatur quantitas corporis Christi in Eucharistia ab extensione locali, ita poterit substantia a quantitate, tum tandem, quia falsum est, substantiam non habere suam continuitatem ante quantitatem, & ut est totum integrale pendere a quantitate in genere causæ formalis, & ideo esse a quantitate inseparabilem, ut dixit Maffrius i. Phys. c. 2. q. 1. in fine.

24. Resp. Hier. Pli i. Phys. cap. 2. q. 2. & videtur accepisse a Durand. i. dist. 37. p. 2. q. 1. concedendo, posse substantiam a quantitate separatam conservari, sed tunc non habere ullam ubicationem, vel presentiam, quare diceretur esse in seipso, non in loco, ut dicit Thomista de Angelo non operante. Sed neque hoc bene dicitur? Tum quia in eo loco non solum erant partes quantitatis, sed etiam partes substantiæ quantitative affectæ, ergo ad hoc ut partes substantiæ cessent esse in dicto spatio, non satis est, si in eo cessent partes solius quantitatis. Tum quia substantia præcisa quantitate ratione suæ entitatis nata est fundare præsentiam ad spatium, ut videmus in substantiis immaterialibus, ergo & substantia materialis poterit eam fundare seclusa quantitate, quia ita potest dici indistans ab hoc loco sine quantitate, sicut Angelus. Tum quia quantitas non affert rebus præsentiam, & ubicationem, cum hæc conveniat singulis rebus per suam entitatem indistantem a loco, sed solum affert præsentiam impenetrabilem, & circumscriptivam, ergo cessatio quantitatis in loco non est cessatio substantiæ in loco, sed tantum cessatio tali modo, scilicet impenetrabiliter. Tum tandem quia etiam si responso hæc admitti posset, ex hypothesi, quod substantia quantitate expoliata extra Universum foret, ubi locus non est, attamen supposito, quod sit in universo, necessario dici debet esse in aliquo loco, si enim in instanti, quo spoliatur a Deo esset in hoc gymnasio illa substantia, sane etiam post expoliationem inter latera hujus gymnasii adhuc remaneret, nec per fenestras evolasset.

Resp. Averis qu. 22. sect. 1. cum multis aliis, quod in eo casu tota substantia reduceretur in punctum, vel ad exiguum quandam partem illius spatii; sed quomodo fieret ista reductio in punctum, non omnes conveniant, licet enim concedant omnes, non posse fieri per motum localem, quia hic nequit fieri in instanti, sed in tempore, & in eo tempore substantia occuparet locum extensum, dicunt tamen aliqui, quod fieret per mutationem localem, quæ non includit totam realitatem motus ejusdem rationis cum ea, quæ Angelus virtute sua transit ab extremo ad extremum non transeundo per medium & cum ea, quæ Christus sit prærens in Sacr. in instanti terminatio consecrationis sine motu e Cælo ad terram, & hanc mutationem translativam in instanti partium singularum ad punctum spatii, quidam volunt fieri virtute divina; quidam sequi ex natura rei esse sola quantitatis ablatione, quia sicut Angelus existens in sphaera divisibili potest in instanti se ponere in puncto, ita partes illius substantiæ ablata quantitate possunt in punctum se colligere, quia tota repugnantia simulatis oriebatur ex quantitate. Alii tandem dicunt, hanc reductioem partium substantiæ in punctum fieri sine ullo motu, aut mutatione locali, sed per solam ablationem rationis formalis, quæ partes illas extendebantur in spatio, & inter se distabant; nam dupliciter possunt partes non distare, vel quia proxime sunt per motum, aut mutationem localem, vel per ablationem rationis formalis, quæ distabant, & hoc secundo modo fierent indistantes ex natura rei in illo casu.

25 Sed fluxus iste in eo casu substantiæ materialis in punctum nullo illorum modorum bene saluatur; Non in primis bene saluatur per solam ablationem rationis formalis substantiam extendentis in spatio; Tum quia hæc non est quantitas, ut nuper dicebamus, cum unaquaque res per propriam præsentiam dicatur a spatio, in quo est, indifans, atque ideo alia est præsentia partium substantiæ, alia partium quantitatis, quare sicut entitas substantiæ potest manere sine entitate quantitatis, ita respectus præsentia fundatur in partibus substantiæ manere potest sine respectu fundato in partibus quantitatis. Tum quia intelligi nequit rem esse alicubi, ubi prius non erat, nisi sit ibi de novo producta, vel adducta, at non possunt partes substantiæ constitui in puncto, ubi non erant prius per productionem, quia supponimus, substantiam conservari, & solam quantitatem destrui, adducto vero intelligi non potest sine mutatione locali. Tum quia ablatio quantitatis est actio negativa, & constitutio partium substantiæ in puncto est actio positiva, & acquisitio novæ præsentia. Neque bene saluatur per mutationem localem ex vi ablationis quantitatis ex natura rei sequentem; Tum quia, ut nunc dicebamus, ablatio quantitatis est actio negativa, ergo transitus ille simultaneus partium in punctum, cum sit actio positiva, nequit formaliter esse ex vi ablationis quantitatis. Tum quia etiam si concedamus, Angelum in instanti posse se transferre ab extremo ad extremum, non transiendum per medium in sensu, quo Scot. docet 2. dist. 2. q. 12. C. ratione suæ simplicitatis, in nullo tamen sensu id potest concedi de substantia materiali ratione suæ materialitatis. Tum quia ex 4. Phyl. habetur, quod si a vase in instanti tolleretur medium, quod ejus latera faciebant distare, non propterea illa latera concurrerent in instanti, ergo etiam si admittamus, partes substantiæ esse inter se distantes ratione quantitatis, non idcirco si illa auferatur in instanti, debemus dicere, statim sequi ex natura rei concursum, & fluxum instantaneum omnium illarum partium ad punctum. Tum quia etiam si concedamus, absque novo miraculo posse contingere penetrationem omnium illarum partium ad punctum, quia ablata est quantitas, quæ eas reddebat impossibiles, non propterea sequitur, quod ad ejus ablationem statim ex natura rei debeat materialis substantiæ non quantæ punctum indivisibile ut locus; cum hoc non debeat substantiæ immateriali ex natura rei; de qua magis videtur. Tum tandem quia quando sunt duo entia absoluta, quorum unum est prius alio, ex mutatione facta circa posterius, non sequitur necessario mutatio circa prius, nisi in eis, quæ pendent a posteriori absoluto, at substantia nec in se, nec in sua præsentia pendet a quantitate, ergo. Nec tandem bene saluatur per mutationem a Deo factam, quæ translativa sit in instanti omnium illarum partium in punctum, ut ait Averfa, quia questio est de substantia suæ naturæ relicta sine interveniendi novi miraculi præter illam ablationem, queritur enim si Deus expoliaret substantiam quantitate, nec ullam profus positivam adjungeret inuratonem, qualem statum, qualemve præsentiam sit habitura ad spatium, in quo prius erat; nulli enim dubium est, quod si Deus adjungere vellet talem mutationem, utique ex vi illius singulæ illius substantiæ partes in punctum fluere.

26 Resp. Fonseca 5. Met. cap. 13. q. 2. sect. 3. ad 4. substantiam in tali casu mansuram in eodem toto loco priori, non tamen eo modo, quo prius circumscriptive per partes extra partes, sed definitive ad instar substantiæ spiritualis, totam in toto, & totam in qualibet parte, quam repositionem multi amplectuntur Scoti, veluti expresse innuatam a Doctore 2. dist. 12. q. 2. D. & quia talis mutus partium transitus ad locum alterius fieri nequit sine locali mutatione, quidam ajunt, talem mutationem ex natura rei contingere ex sola ablatione quantitatis; quidam vero fieri divina virtute in eodem instanti, ut toto illa substantia, & singulæ ejus partes collocentur in omnibus partibus spatii sine transitu per medium, & ita ubi caput esset, ibi manus, ibi crura, ibi pedes existerent, & e contra.

Sed plane responsio hæc cæteris est intolerabilior, quamvis enim gratis concedamus, Deum efficere posse, ut substantia materialis sit tota in toto, & tota in qualibet parte spatii, ut de facto manet Christi corpus in hostia, id tamen fieri nequit sine novo miraculo etiam posito priori, scilicet separatione quantitatis. Tum quia hic modus effendi in loco indivisibiliter conaturalis est spiritibus, quia carent multitudine partium integralium, & hac ratione ubicunque sunt, etiam in puncto, ibi sunt secundum se totos, & necessario ibi habent totum suum esse, ergo quia substantiæ materiales circa quantitatem habent talem partium multitudinem, & extremitatem, non necessario ubi sunt ex natura rei habent totum suum esse, sed sicut totum suum esse ex multis constat partibus, ita secundum unam partem est præsens huic spatio, & secundum aliam alteri. Tum quia si substantia materialis non habet esse divisibiliter in loco præcise per quantitatem, ergo ex vi ablationis hujus non remanet indivisibiliter in loco. Tum quia etsi Angelus naturaliter esse possit in pluribus locis inadequatis; non tamen in pluribus adequatis sine miraculo, ergo eadem ratione non poterit sine miraculo substantia non quanta esse indivisibiliter in loco tota in toto, & tota in qualibet parte, quia naturaliter ejus partes essent in pluribus locis adequatis; ex vi enim talis modi effendi qualibet pars est in suo loco, & in loco aliarum, atque ita in pluribus locis sibi adequatis, licet tota substantia dicatur in uno loco sibi adequato. Tum quia pars exigit maiorem locum toto ex natura rei, at si ad ablationem quantita-

tis poneretur substantia materialis tota in toto, & tota in qualibet parte, tunc quilibet pars ex natura rei tantum exigeret locum, quantum exigit totum; Tum quia repugnantia existendi in duobus locis non oritur a quantitate, sed a limitatione rei, ergo substantia materialis ex simplici ablatione quantitatis non redditur apta, ut in multis locis adequatis simul possit existere, quod tamen sequitur, si ex natura rei ad ablationem quantitatis ei talis modus debeat, quia licet substantia materialis respiciat adequate secundum omnes partes totum illud spatium, tamen idipsum spatium respectu singularum est inadequate, & excedens. Tum quia si substantia materialis antecederet ad quantitatem est supra natura capax talis præsentia indivisibilis in loco divisibili, ita ut sit sibi connaturalis, sicut Angelo, ergo per supervenientem quantitatem violentatur, dum per eam redditur capax præsentia divisibilis, immo tantum aberit, ut substantia materialis de se sit capax quantitatis, quæ eam reddat spatii divisibiliter præsentem, quod potius ad eam naturaliter haberet repugnantiam. Tum denique, quia si hæc penetrabilis in substantia materiali resultans ex ablatione quantitatis debet statim reduci ad actum in instanti, præterquam quod hæc instantanea localis mutatio de extremo in extremum sine transitu per medium substantiæ materialis non conceditur ob suam materialitatem, debet ab assignari ratio, cur potius debeat reduci ad actum hoc modo indivisibili, ut sit tota in toto, & tota in qualibet parte, & non potius per fluxum omnium partium ad punctum, cum hæc sit reductio facilius illa, & naturæ rei magis consentanea; sic enim solum fit, quod plures partes ejusdem corporis eundem locum subintrent, quod non repugnat suæ naturæ absente quantitate, at reductio ad actum priori modo ultra hoc exigit etiam, quod eadem pars ejusdem corporis sit simul; & semel in pluribus locis adequatis, & exigit ex natura rei tantum locum, quantum exigit totum corpus. Quod si concedatur hujusmodi mutationem, qua tota substantia constituitur in instanti in toto loco, & tota in qualibet parte, fieri immediate a Deo per superadditum miraculum, jam ista responsio non satisfacit questio, quod movetur de substantia suæ naturæ relicta post expoliationem ejus a quantitate, absque quod Deus novam mutationem adjungat; quo nam vero sensu Scot. dixerit l. c. in 2. substantiam materialem quantitate denudatam fore in loco definitive, explicatur est articulo præcedenti in solutione ad 4.

27 Restat igitur dicendum cum Scoti loco proxime citato relatis, substantiam quantitate exutam ex natura rei remanere secundum omnes, & singulas sui partes in eodem situ, in quo prius erat sub quantitate, quem dicendi modum sequuntur Suar. disp. 4., Met. sect. 4. Hurt. disp. 13. Met. sect. 5. Amic. tract. 15. q. 4. dub. 5. art. 3. & alii quamplures, & plane sequitur ex dictis, cum enim substantia a quantitate separata sit alicubi, & non in puncto sed in toto spatio, ubi prius erat sub quantitate, & quidem in eo non indivisibiliter ad modum Angeli, sed divisibiliter, sane erit tota in toto, & pars in parte, ad huc tamen quanta dici non potest, quia non maneret quantitate, id est impenetrabiliter extensa, sed penetrabiliter, nec molem corpoream faceret aliis corporibus obfistentem, nec ejus partes essent inter se invicem in eodem loco impossibiles.

At hanc resp. impugnat Averfa loc. cit. Tum quia adhuc argueri potest difficultas, ut sicut Deus absulit quantitatem a substantia, ita etiam auferat effectum illum, seu modum effendi, & præsentialem, & tunc adhuc quaerendum superest, quomodo substantia remaneret. Tum 2. quia quamvis ille modus effendi in loco dicatur effectus formalis præsentia divisibilis, non vero quantitatis; tamen talis, ac tanta est dependentia hujusmodi præsentia a quantitate, ut necessario illam præsupponat in subjecto, nec possit substantia coextendi sic loco, nimirum circumscriptive, nisi supponatur habere quantitatem, tanquam fundamentum talis præsentia, ut colligitur ex Arist. 1. Phyl. tex. 15. ubi docet, non posse concipi substantiam, aliamve rem infinitam, nisi per quantitatem, quia scilicet, nulla res potest esse extensa sine quantitate. Tum 3. non recte dicitur, substantiam sic extensam in loco non manere extensam quantitativè, & impenetrabiliter, nam cum illo modo effendi in loco extensive per partes extra partes necessario connexa est impenetrabilitas, sicut eo remoto statim una substantia est cum alia penetrabilis. Tum demum queri potest, cur eo ipso quod substantia est a quantitate superveniente impenetrabilitatem habuerit, statim hæc reducitur ad actum, & actu ponitur in loco per situm impenetrabilem, non etiam eodem modo penetrabilis, quam acquirit ad ablationem quantitatis, statim reducitur ad actum, ita ut omnes ejus partes, vel statim in puncto se penetrant, vel tota sit in toto spatio, & tota in qualibet ejus parte.

28 Resp. ad 1. communem esse opinionem, nullam rem extare posse in universo sine aliquo Ubi, sine ulla profus præsentialem sibi proportionatam: ut etiam ipse Averfa fatetur q. 28. sect. 2. & eundem casum possumus illi proponere, quod Deus auferat substantiam, quæ desluxit in punctum, præsentiam illam punctualem, & querere, quomodo tunc illa substantia remaneret, & quod ipse responderet, dicemus & nos: & si admitteretur, quod talis præsentia pesseret a Deo auferri, dicendum esset quod remaneret adhuc præsens divisibiliter toti illi spatio, non quidem formaliter, ut prius, sed tantum fundamentaliter. Ad 1. art. 2. præcedenti dictum est quantitatem esse fundamentum præsentia circumscriptivæ impenetrabilis, non autem

penetrabilis, & hac ratione dixit Philof. 1. Phylcorum, non posse concipi rem magnam sine quantitate, quia per quantitatem solum constituitur moles, & magnitudo sensibus apprens, quatenus per eam una pars necessario excluditur a loco alterius, & ita fit moles occupativa loci. Ad 3. pariter dictum est artic. præcedenti, falsum profus esse, quod impenetrabilitas oriatur ex sola extremitate partium entitativæ, & quod idem sit esse impenetrabiliter in loco, ac esse divisibiliter per partem extra partem. Ad 4. diximus, quod impenetrabilitas vere est passio corporis quanti, & ideo effectus ejus naturalis, id est actualis impenetratio, impediri non potest a naturali agente, ne statim sequatur, sed non ita penetrabilis est passio corporis non quanti, quia si foret, tantum abest, ut supra natura foret capax quantitatis, quæ illud reddit impenetrabile, quod potius ad eam haberet naturalem repugnantiam, & in ejus adventu ad statum reduceretur violentum, cum igitur divisus, substantiam quantitate expoliatam esse penetrabilem, sensus est, quod sibi non repugnat penetratio, quod est esse penetrabilem negative, non tamen hinc sequitur, quod sit positive talis, id est apta suapte natura ad eam recipiendam, sicut neque aqua, ex eo quia non sibi repugnat calefieri, sequitur, quod aptitudinem habeat ad calefactionem.

Q U E S T I O II.

An Continuum ex solis indivisibilibus, vel solis divisibilibus, vel ex utrisque simul constituatur.

29 NOME Continui hoc loco non solam quantitatem intelligimus, sed substantiam quoque corpoream, ejusque cætera accidentia materialia, cum enim hæc omnia sua habent entitativas partes, unam extraliam quantitate seclusa, propriamque compositionem habeant integram, consequenter continua erunt, & sub hoc communi nomine Continui poterunt comprehendere, & dum querimus, an continuum ex solis indivisibilibus constituatur, vel solis divisibilibus; vel potius ex utrisque simul, per divisibilia intelligimus partes, quæ rursus in minores, & minores dividi possunt; per indivisibilia vero intelligimus indivisibilia mathematica, qualia sunt puncta, lineæ, & superficies, quæ nullas profus habent partes, ex eo capite, quo indivisibilia sunt; per quod excludimus indivisibilia tum Phylsica sicut sunt minima naturalia, ut oculus pulvis, capis acutissimæ acus, & similia, quæ indivisibilia dicuntur, non quia careant partibus, in quas a Deo saltem possint dividi, & a nobis saltem mente distribui, sed quia talis divisio fieri nequit ab agente naturali per instrumenta naturalia, tum Metaphysica, sicut sunt res spirituales, quia licet ista careant partibus integranibus, ut Mathematica, possint tamen locum occupare divisibilem ratione extensionis virtualis, qua carent Mathematica, & in hac q. tam celebri sic intellecta, tres tantum extant sententia, & hæc extrema, & una media ut notatur Parisiens. 6. Phyl. q. 1. Prima extrema est Stoicorum, quibus præsertim Zeno componentium continuum ex solis indivisibilibus, lineam nimirum ex solis punctis, superficiem ex solis lineis, & corpus tandem ex solis superficiebus. Altera extrema est Nominalium negantium indivisibilia, constituentium continuum ex solis partibus semper divisibilibus, quos sequuntur Averfa qu. 22. sect. 4. Arif. 1. de Gen. disp. 2. q. 23. at Fons. 5. Met. c. 13. q. 6. sect. 4. Negat indivisibilia continuativa, quod etiam probabile putant Comb. 6. Phyl. c. 2. qu. 1. art. 4. unde solum superficiem terminantem in corpore admittit. Tertia sententia est media, quæ ex utrisque continuum constituit ex divisibilibus quidem, ut ex partibus componentibus, & integranibus molem corpoream, ex indivisibilibus vero, ut continuantibus, ac terminantibus partibus, & hæc est germana sententia peripatetica, quam sequitur Scot. 2. d. 2. q. 9. T. & communiter tam antiquiores, quam Recentiores, ut Suar. disputat. 40. Metaph. sect. 5. R. us 6. Phyl. c. 2. tract. de Continuo, Masius q. 1. Hurt. disp. 5. Phyl. sect. 2. & alii infra citandi, licet Arriag. disp. 16. Phyl. valde trepidet.

A R T I C U L U S I.

Phylsice, & mathematice ostenditur repugnare compositionem Continui ex indivisibilibus.

30 DICIMUS, profus implicare compositionem Continui ex indivisibilibus. Concl. est Arif. ex professo contra Zenonem disputantis 6. Phyl. & Scoti in 2. d. 2. qu. 9. Philosophus eam probat duabus præsertim rationibus phylsico omnino hanc veritatem demonstrantibus; Scotus vero eam corroborat duabus Mathematicis, quibus omnino ostenditur sententia Stoicæ impossibilitas.

Prima ratio Phylsica ab Arist. desumpta 6. Phyl. ab initio fundatur in eo principio, quod indivisibile additum indivisibili non potest facere majus extensive, & quoad molem, nec consequenter constituit continuum: nam si unum indivisibile additum alteri faceret majus, deberet in indivisibili assignari pars tæla, ratione cujus esset unum alteri, & pars non tæta, ratione cujus esset extra illud, nam ut fiat aliquid majus ex duobus unitis, quam ex uno solo, debet ita inter se uniri, ut secundum aliquid sui sint extra se, sed in indivisibili non sunt partes, unde de toto adæquate in eodem spatio coexistit alteri indivisibili, & ambo se penetrant, ergo ex illis non potest constari continuum, quod importat magnitudinem molis.

Respondent 1. hanc rationem, si quid valet, etiam contra nos concludere, ex illa enim sequitur, quod si illa duo corpora se tangunt in superficie, superficies erit pars corporis, cujus oppositum intendimus probare, & quod si duæ lineæ se tangunt in punctis extremis, puncta fore partes lineæ, quia quæcumque duo se tangunt, vel se tangunt secundum se totum, vel secundum aliquam sui partem. Sed hoc subterfugium nil valet, si bene intelligatur ratio Arif. & eo modo, quo eam declarat suus Comment. 6. Phyl. Comment. 2. & Canon. 6. Phyl. qu. 1. & Parisiens 7. Phyl. 1. super text. nec fiat vis in verbis, quia quando Phylol. dub. ait text. 1. *Tanger autem omne, aut totum totum, aut pars partem, aut totum pars*, non accipit ibi partem proprie, sed vocat partem omne illud, quod est aliquid per se alicujus, dummodo non sit totum, quo sensu sub nomine partis etiam terminus rei venit intelligendus, quia terminus etiam rei est aliquid rei, & non est tota res; propositio ergo Philosophi sic intelligitur, quod illa, quæ se tangunt, vel secundum totum se tangunt, vel se tangunt secundum aliquid sui, & secundum aliquid non, sed puncta non se tangunt secundum aliquid sui, & secundum aliquid non, cum punctus sit simplex, & indivisibilis, ergo tactus punctorum est secundum se totum, & sic eorum tactus erit superpositio, & penetratio, non autem extrapositio, & consequenter magnitudinem non facit, quoniam omnis magnitudo habet partem extra partem. Ex quo patet, duas illas instantias demonstrationem Arif. non infirmare, quæ proportionaliter applicata lineis respectu superficiebus, & superficiebus respectu corporis, pariter probat, ex suppositione lineæ super lineam non posse fieri magnitudinem in latitudine, & ex suppositione superficiebus in superficiebus non posse protendi magnitudinem in profundum, & denique cum hac ratio fundetur in natura indivisibilium, & in natura continui, probat, compositionem continui ex illis repugnare, five finita stantur, five infinita, quia finitas, & infinitas indivisibilium non mutat naturam eorum, quare si suapte natura sunt profus inepta ad compositionem continui, erunt etiam talia, si infinita ponantur.

31 Respondent 2. quod licet unum indivisibile additum alteri non faciat majus, plura tamen, & plura inter se ordinata constituunt molem, quia si punctum B addatur puncto A, utriusque illud secundum se totum, at si deinde puncto B, addatur punctum C, licet hoc immediate tangat B, non tamen immediate attingit A, & in hoc sensu extra se ponuntur, & molem constituunt. Sed hoc parum valet, quia si ex natura indivisibilium est, quod molem nequeant constituere, quotquot illa ponantur, semper erunt ejusdem naturæ, sicut in Arithmetica, quia unum 0, alteri additum, numerum non constituit, ideo quotquot illi addantur, nullus unquam numerus ex eis resultat, & in proposito profus falsum est, punctum C non tangere secundum se totum punctum A, vel enim punctum B, medium tangitur a C, secundum illud idem, in quo tangitur ab A, vel secundum aliud; si secundum aliud, ergo non est amplius indivisibile, quia poterit dividi in id, per quod tangitur ab A, & in id, per quod tangitur a C, si primum, ergo punctum C tangit A, secundum se totum, & secundum omne id, per quod tangit B.

Respondent 3. Alii, indivisibilia se tangere secundum se tota, non tamen se penetrare, sed esse immediate unum post aliud, quemadmodum se habent extrema superficies, in quibus corpora se tangunt, & ideo posse facere extensionem, qua solutio utitur Arriag. cit. num. 88. ut ostendat insufficientiam rationis Arif. Sed contra, quia implicat, unum indivisibile esse alteri immediatum, & extra illud positum; nam si A, B, C, sint tria puncta sibi immediata, vel B, medium tangeretur secundum se totum ab utroque collateraliter, vel secundum aliud, & aliud hoc est contra rationem indivisibilis, illud vero manifeste ostendit, illa tria puncta esse invicem compenetrata; & ita se habent extrema superficies, in quibus corpora se tangunt, quando ex parte unius corporis illis duabus superficiebus una tantum superficies correspondet, signum evidens compenetrations ambarum, ut patet exemplo superficiebus continuativæ baculi in aqua, correspondentibus superficiebus aquæ, & aeris.

Respondent 4. Alii, unum indivisibile alteri additum facere majus, quia licet se tangant secundum totum, & se penetrant, non tamen sunt in eodem loco adæquate, sed inadæquate, quatenus unumquodque eorum occupat locum divisibilem, ut duo Angeli, quorum alter occupat medietatem hujus gymnasii, alter vero aliam medietatem, qui se contingunt, & penetrant in medio gymnasio, & non in extremis illius, unde ajunt, punctum esse indivisibile formaliter, divisibile vero virtualiter, & extensionem virtualem habere sicut Angelus; hac via teneatur passim Doctores Salmaticenses continuum ex indivisibilibus componi, ut refert Amic. tract. 15. quæst. 7. art. 4. quorum sententia fulcra etiam possent exemplo rarefactione deducto, ut notavit Hurt. disput. 15. sect. 5. §. 95. sicut enim eadem quantitas densa occupat palmum, rara autem occupat duos palmos, sic & punctus poterit occupare spatium seipso majus, scilicet divisibile, & hoc modo ratione loci indivisibilis extra se ponatur, & molem poterunt constituere.

32 Sed hæc Salmaticensium opinio nova est, & profus irrationalis. Primo enim falsissimo nititur fundamento, quod nimirum indivisibilia rerum corporearum sint virtualiter divisibilia, & habeant extensionem virtualem, ut Angelus, & anima, quia substantia spiritualis ob sui perfectionem caret partibus, & quarumcumque extensione formali, non sic indivisibilia rerum corporearum, alioquin perfectiora forent ipsis corporibus, ergo diversa est indi-

indivisibilibus horum, & illorum, & ideo non sequitur, quod si Angelus est virtualiter divisibilis, & extensus, talis etiam sit punctus. Tum quia modus existendi in loco divisibili indivisibiliter totum in toto, & totum in qualibet parte, perfectior est modo existendi in loco divisibiliter, unde & ille modus supponit perfectiorem entitatem in re locabili, quam ille, ergo non potest puncto convenire, alioquin punctus esset longe perfectior corpore. Tum quia si ratione virtualis extensionis potest punctus spatium occupare divisibile, poterit etiam corpus naturaliter occupare locum ampliorem, quam sua quantitas exoptat, nam licet ratione extensionis formalis ei tantus locus competat, & non major, poterit tamen competere ratione extensionis virtualis, quae si puncto tribuitur, utique nec corpori denegari debet. Tum quia si corpus non habet pro partibus nisi sola puncta, & haec omnia sunt in loco divisibiliter, tota in toto, & tota in qualibet parte, sic etiam erit corpus in loco, non enim totum est alio modo in loco, quam ejus partes. 1. Caeli text. 19. Tum quia sicut Angeli, & si habeant extensionem virtuales, tamen ratione indivisibilitatis formalis possunt esse in eodem loco, ita & de punctis dicendum erit, ergo non repugnabit corpori habere naturaliter omnes ejus partes in eodem loco, cum haec sint illa puncta, quae naturaliter se possunt componere non obstante virtuali extensione, ad duo Angeli. Tum quia sequeretur, punctum lactis palmarum locum occupans ratione extensionis virtualis non posse unquam dividi, quantumvis gementur istus, quia punctum illud in se est indivisibile. Tum quia si punctum de genere quantitatis potest habere extensionem in loco, habebit etiam illam in subjecto, quod informat, atque ita informabit illud ad modum animae rationalis. Tum denique quia in ordine ad locum in hoc distinguuntur res corporeae ab incorporeis, quod illas habent esse in loco per extensionem formalem, istae per virtuales, quare a toto genere repugnat, & corpori, & ejus partibus, & earum indivisibilibus extensio virtualis in ordine ad locum; Imo ita de facto videmus hac ratione instans non habere virtuales indivisibilitatem quoad coexistentiam cum duratione imaginaria, unde intrinsece incipit, & definit, ergo idem dicendum de puncto respectu puncti imaginarii, quia ita se habet punctum ad spatium loci, ut instans ad spatium durationis.

33 Deinde admissa etiam hac virtuali extensione indivisibilium, imo quod de facto occupent spatium divisibile, adhuc implicat; Continuum ex talibus constitui indivisibilibus. Tum quia ens permanens formaliter, & virtualiter successivum non potest intrinsece constituere ens formaliter successivum, ut patet de durantibus Avo, ergo nec pariter ens formaliter indivisibile, & virtualiter solum divisibile, ut puncta ab his posita, poterit componere molem formaliter divisibilem. Tum quia partes extendunt totum, quod constituunt in genere causa formalis, quia extendunt illud per semelipsas extensas, ergo ad hoc, ut puncta possint constituere molem formaliter divisibilem, requiritur, quod in se formaliter sint talia, & non virtualiter tantum, quia haec extensio procedit ab eis in genere causa formalis. Tum tandem quia stante hac extensione locali puncti in spatio, vel continuum componitur ex substantia ipsorum punctorum praecise, vel ex formaliter extensioe praecise, vel ex utroque simul: non primum, quia ut sic sunt prorsus indivisibilia; non secundum, quia corpus Christi in Eucharistia quantum est sine tali extensione punctorum in spatio; nec tertium, quia nemo unquam dixit, ad compositionem integram substantiam necessariam exigi accidens, qualis est illa formalis extensio, sive ubicatio punctorum.

Postremo quando etiam haec assumpta a Salmanticensibus forent omnia vera, adhuc nec difficultatem evitant ortam ex infinitate continui, ob quam praecise hac indivisibilia virtualiter divisibilia excogitantur, nec incommoda mathematica, nec fatisciant quae sit; non evitant difficultatem illam, quia cum punctum ratione virtualis extensionis occupat palmarum loci, hic jam habemus extensionem ipsam formalem in loco formaliter divisibilem, & spatium, cui coexistitur punctum, supponitur quoque formaliter divisibile: querendum igitur manet, ex quibus sit constituta illa localis extensio puncti, & ex quibus item sit constituta magnitudo spatii, cui coexistitur punctus, si ex partibus proportionalibus idem dici poterat de re locata; si ex punctis, iterum querendum manet de ipsis, quomodo sint apta constituere molem, & dabitur processus in infinitum. Non evitant incommoda mathematica, quia non potest reddi ratio, cur unum punctum petat majorem extensionem alio, & ita si aequae extensa ponantur puncta circuli interioris, ac exterioris nunquam esse poterunt in circulo interiori rot puncta, quot in exteriori; ex quo sequitur ab omni puncto in centrum non posse duci lineam, & alia absurda mathem. ut infra dicemus. Nec demum fatisciant quae sit, quia concessio, posse constitui continuum ex indivisibilibus formaliter, sed virtualiter divisibilibus, adhuc remanet quae sit de indivisibilibus formaliter, & virtualiter, de quibus instituitur disputatio Arist. 6. Phys. contra Zenonem, qui ex talibus indivisibilibus continuum componebat. Neque etiam exemplum de raritate corporum, ratione cuius acquirunt locum ampliorem, quam prius habent, illis suffragatur, quia corpora rarefcere possunt, & condensari, cum suas partes habere possint sub majore extensione, & minori, at punctum rarefcere, quod nullas habet partes, prorsus impossibile est.

34 Resp. proinde s. alii, concedentes, puncta singula in seipsis re veta constare pluribus particulis, & ita habere ali-

quam minimam extensionem, at in tales partes prorsus dividi non posse nec etiam per potentiam Dei, & hoc modo assignant in puncto partem tactam, & non tactam. Sed etiam haec resp. vel prorsus vana est, vel recidit in opinionem continuum ex divisibilibus continuum componentem, vel enim partes illius minimae extensionis constent ex aliis partibus, vel non; si secundum, ergo tandem ad indivisibilia, & puncta devenitur, quae nulla prorsus particula constabunt, & sic urget Arist. ratio; si dicatur primum, rursus dici debet illas alias partes constare ex aliis, & sic in infinitum, quae est opinio communis, nec refert, quod ista partes non possint in actu exercito in ultiores dividi etiam a Deo (licet hoc gratis negetur) sufficit enim, quod vere tales partes habeant.

Respondent demum alii, concedentes quidem punctum carere partibus prorsus, addunt tamen in puncto latera extrinseca assignari posse, & posse tangi punctum per unum latus, & non per aliud, atque ita putant, solum esse argumentum, quia licet in puncto distingui nequeat pars tacta, & non tacta, potest tamen distingui latus tactum, & non tactum, quod sufficit ad hoc, ut unum punctum non dicatur penetrare aliud, quod tangit, penetratio enim supponit tactum rei penetratae ex omni latere. Quod vero talia latera extrinseca distingui possint, & debeant in indivisibilibus, ostendit Gerardus nosser de Odonis, qui est auctor responsionis, ut refert Canon. loc. cit. exemplo superficiei, in qua licet non distinguamus partes versus profunditatem, distinguimus tamen intra, & extra, dicimus enim quod corpus est intra superficiem, & non extra, sed corpus tangens est extra, non intra, & sic superficies indivisibilis existens per partes dividitur per latera extrinseca per intrus, & extra; ostendit idem exemplo puncti, qui in medio quadrati existens potest terminare diametrum venientem ex parte dextra, non terminando illud ex parte sinistra, ergo in puncto potest assignari latus dextrum, & sinistrum, secundum quorum unum tangatur, & non secundum aliud.

35 Sed insufficientiam responsionis hujus, quae etiam utitur Ariag. cit. num. 92. ostendit optime Canon. cit. quae vel haec latera extrinseca in puncto entitate absolutam dicunt, quae sit aliquid ipsius puncti, vel solum diversos respectus ad partes universi; si primum, ergo in puncto intrinsece distinguitur aliquid, & aliquid, & secundum hoc tangitur, & secundum illud non tangitur, atque ita non erit prorsus indivisibile; si secundum, vel isti respectus fundantur omnes in eadem entitate indivisibili puncti, vel in diversis partibus ejus; non secundum ut patet, si primum, ergo realiter, & physice tangitur totus punctus, & undequaque, quia fundamentum illorum quatuor laterum formaliter sumptorum, ut respectus important ad partes universi, est simplex, & indivisibilis entitas puncti ad diversa comparata, hoc autem sufficit ad penetrationem puncti cum puncto: exemplum autem de superficie, & puncto adductum probat solum, quod in eis possint assignari formaliter diversa latera extrinseca, non tamen diversa latera fundamentaliter, ut assignantur in corporibus, quae fundant diversa latera per partes diversas, atque ideo cum ex uno latere tanguntur, non propterea penetrantur, at non sic est de indivisibilibus.

Altera ratio physica deducitur ex velocitate, & tarditate motus, data enim sententia opposita, sequitur, mobile velocius, ut aequalem, atque tardissimum, v.g. teludinem, aequali tempore aequale spatium conficere; Probat. sequela, sit spatium centum punctorum, & utrumque incipiat simul omnino moveri, certe cum aquila primum decurrit divisibile, teludo quoque aliquid transibit, & plane id nequit esse minus indivisibile, & idem dicitur cum aquila percurrit secundum indivisibile, unde tandem sequitur, aequali tempore fore ab utroque spatium illud decurrendum. Forte dices, mobile velocius in uno instanti percurrere duo puncta, quo tempore mobile tardius percurrat unum. Sed contra, quia quo tempore aquila pertransit primum punctum, aliquid etiam pertransit teludo, cum non quiescat, & non potest pertransire minus indivisibile, ergo aequali tempore illud decurrat, ut aquila. Similiter inferri posset, instans esse divisibile, si argumentum formetur ex parte instantium. Inferri etiam posset eodem argumento, quod velox insequens tardissimum, nunquam ipsum pertinget, ut notavit Ocham quod. 9. si semel supponamus pro uno solum instanti prius incipere motum mobile tardum.

36 Resp. motum non esse quantitatem continuam, ut argumentum supponit, sed discretam per morulas imperceptibiles, quae, quo breviores sunt, motum velociorem efficiunt, & quo longiores, tardiores, quarum merulam brevitas, & longitudo provenit ex majore, vel minori conatu mobilis, atque ideo dicunt longitudinem tardius moveri, quia plus sistit in morulis, aquila vero minus, & sic ponendo motum discretum, omnes difficultates se putant effugere; ita respondet Ariag. sect.

Sed contra 1. quia illae morulae sunt omnino fictae, ut disp. 3. de Gen. & Cor. q. 5. dicemus, nam si darentur in motu, utique perciperentur, sicut universaliter quies percipitur ex definitione motus, & quamvis morulae aequali dici possent imperceptibiles, quia parum sistit, morulae saltem teludinis deberent percipi, quia sunt longiores; & si sensu dignificetur tarditas motus teludinis in comparatione ad motum aquila, utique & morulae teludinis deberent percipi, si tarditas causetur ab eis. Deinde si istae morulae darentur in motu, sequeretur rotam citissime concitaram non moveri secundum omnes partes, quia partes exteriores rotae, ut a centro remotiores, velocius moventur interioribus, quia aequali tempore majorem circumulum efficiunt,

ciunt, quare si ex morulis intercidentibus provenit tarditas motus, pars interior rotae aliquando quiescet, cum exteriores moventur, sequeretur, saxum ingens e turri deturbatum sepiissime in descensu quiescere, & in medio aeris sistere per aliquod tempus, imo & semper ibi quiescet, quia si in tempore illo medio non vincit aeris resistantiam, tanto minus superabit in instanti sequenti, cum in eo non sint auctae vires mobilis, nec imminuta vires resistentis; alia demum sequeretur absurda, & impossibilia, quae fute, & evidenter probat Hurt. loc. cit. s. 127. & sequentibus, occasione desumpta a Canon. nostro 6. Phys. q. 1. art. 1. ubi haec, & alia infert absurda ex hujusmodi positione, quae frustra conatur Ariag. effugere.

37 Prima demonstratio mathematica Scori est haec; si continuum componeretur ex indivisibilibus, tunc major, & minor circulus essent aequales, quoniam tot essent puncta in minori, quot in majori, & ita componeretur ex partibus aequalibus in magnitudine, & multitudine; Consequentia probatur: describantur duo circuli, unus major, alter minor circa idem centrum, quod vocetur A. ducatur ab isto centro una linea recta ad circumferentiam majoris, & terminetur in puncto B, & iterum ducatur alia, & terminetur ad punctum illi immediatum, quod sit C, vel ista duae lineae transeunt per circumulum minorem, ipsum interfecant in uno puncto, vel in duobus; non primum, quia duae lineae parallelae nunquam concurrunt, nec coincidunt, & de ratione linearum descendendum a centro ad circumferentiam est, quod in progressu semper magis inter se distent, & tandem tunc ab illo puncto usque centrum non esset nisi una linea, quoniam inter duo puncta non cadit nisi una linea recta, hoc autem est contra hypotheseum, quia supponimus, quod duae sint protractae; si in duobus, vel ista tunc mediat, vel immediata, si primum, minor circulus, seu interior, erit major ipso exteriori; Si secundum, erit illi aequalis, quia cuiuscunque puncto majoris correspondet punctum in minori, & sic quot sunt partes in majori, tot sunt in minori in magnitudine, & multitudine.

Respondet Gerard. de Odonis apud Canon. quod ista duae lineae ductae a centro ad circumferentiam circuli majoris non accipiunt de circuli circumferentia, nisi quantum acciperet una eorum, quia transeundo per circumulum minorem, se invicem aequarent, ac superponerentur. Sed quod ista duae lineae non se aequarent, ac concurrant in circulo minori, jam probatum est, hoc autem suppositum, est manifesta contradiotio, quod duae lineae sic ductae, cum perveniunt ad circumferentiam circuli majoris tantum accipiant de illa, quantum caperet una tantum; eodem fere modo Ariag. cit. a num. 116. huic rationi respondet, ait enim plures lineas a circulo exteriori ductas concurrere in interiori in uno puncto priusquam ad centrum perveniant, nec sequi obliquas, quia non habent brevioram viam, qua possint ad centrum pergere: Sed haec solutio eodem quoque modo refellitur, quia de ratione linearum rectarum est, ut statim ab a centro exeunt, & paulatim incipiunt disiangi, nec unquam concurrant, ut magis infra declarabimus num. 80.

Resp. Salmanticenses, quod cum puncta interioris circuli sint virtualiter extensa; linea una ducitur ad partem loci minorem, & indivisibilem, & similiter alia, & sic transibunt per idem punctum virtualiter extensum. Sed frustra, nam si puncta circuli interioris sint aequae extensa, ac puncta exterioris; ut ipsi fatentur tenentur in corpore aequae raro, quia in tali casu praesertim non est major ratio de extensione virtuali unius, quam alterius; tunc reddit argumentum, cum in tali casu omnes lineae rectae constent punctis aequae tumentibus, & virtualiter extensis.

38 Altera demonstratio mathematica est haec; data opposita sententia; sequitur, diametram esse commensurabilem costa, quod repugnat. Conseq. prob. accipiendo quadratum se habens lineam diametralelem, & a duobus punctis immediate se habentibus in costa protrahendo duas lineas rectas usque ad aliam costam; tunc vel illa duae lineae secabunt diametrum in duobus punctis, vel in uno; non in uno, quia tunc costa longior esset diametro; si in duobus, vel mediatis, vel immediatis; non mediatis, quia tunc ab illo puncto medio poterit duci linea inter duas lineas praedictas usque ad costam, quae necessario terminabitur ad punctum medium inter puncta costae, quoniam parallelae nunquam concurrunt, quod tamen est impossibile; quoniam illa duo puncta costae supponuntur immediata; si immediata, sequitur intentum, quod tot erunt puncta in costa, sicut in diametro.

Resp. Gerard. Odonis apud eundem Canon. & Licher. 2. 2. q. 9. quod cum duae lineae ducuntur a duobus punctis immediatis unius costae ad duo puncta alterius, interfecant unaquaque diametrum in duobus punctis; ratio est, quia unaquaque illarum diametrum secat non per directum, sed per obliquum; & transversum ratione positionis diametri, ratione enim talis positionis linea qualibet intercipit diametrum in longum, & non in latum, quod declarari potest exemplo unius virgae super aliam cadentis oblique; plus enim ita cadoendo tangit de illa, quam si super eam directae caderet per modum crucis; & sic etiam respondet Ariag. cit. n. 123. ubi ait opus esse, ut linea ducta a costa in costam aliquando transeat per duo puncta diametri.

Sed quamvis solutio haec aliquam praesertim evidenciam, tamen est prorsus intelligibilis, quia si qualibet linea cadens super diametrum accipiat plus, quam unum punctum per longum, sequitur, quod illa linea non erit recta, quia descendere per punctum diametri, quod ita declaratur ex Canon. quia cum linea dicitur ab una costa ad aliam, & diametrum inter-

secat, vel exit a diametro per illud idem punctum, per quod intravit; vel per aliud immediate inferius descendendo; si exit per unum punctum, non accipiet nisi unum punctum; si non per idem, sed descendendo per diametrum plus quam per unum, jam manifeste patet, quod linea illa obliquabitur per descensum illum. Addit Licher, quod cum linea interfecans tangat per idem punctum duo puncta diametri, sequitur, punctum lineae tangentis esse simul in diversis locis, & sibus; nimirum ubi sunt puncta diametri tacta, quod est impossibile; exemplum de virga tangente aliam oblique non est ad rem, quia, quando virga, vel aliud corpus cadit super aliud oblique, tunc multas partes virgae cadentis tangunt multas partes alterius virgae, quas prius non tangebant, & sunt aliae partes cadentis, & tangentis quando tangunt oblique, quam quando tangunt recte, & ideo non mirum, si plures partes tanguntur in tactu obliquo, quam in recto; at in proposito semper est idem punctus lineae tangentis diametrum directe, & oblique; de quo rursus dicemus n. 80.

39 Sed istas demonstrationes contendunt propugnatores indivisibilium contra partes retorquere, nam quando linea a circulo majori ducta transeunt per partes minoris ad centrum, vel transeunt per aliam, & aliam partem circuli minoris, & sic erunt partes aequales in utroque, aut per eandem, & tunc illa pars per majoritatem circulorum corresponderet mille partibus, & esset in mille sibus, ut dicimus de puncto, si esset idem, per quod transeunt plures, & plures lineae ex circulis majoribus ductae. Resp. Licher. loc. cit. non esse aliquam partem in majori circulo, cui non corresponderet aliqua pars in minori, licet multo minor; & ideo non sequitur, quod sint aequales partes ejusdem quantitatis in utroque, sed si componantur ex punctis; tunc duobus punctis immediatis in majori circulo, aut correspondent duo puncta immediata in minori, aut idem punctus utriusque; si primum, aequalia erunt puncta utriusque circuli; si secundum, tunc erit idem punctus in diversis sibus; & ideo argumentum urget de punctis, non de partibus, quia partes circuli minoris correspondentes partibus circuli majoris semper sunt minores illis, uti circulus exterior constat quatuor partium interiori constabit quatuor semipalmis; de numero vero partium proportionalium, an sit aequalis in utroque circulo, tot nimirum in minori, quot in majori, infra dicemus a n. 80. & 92. & ex ibi dicendis adhuc magis constabit intelligentia harum demonstrationum mathematicarum, & patebit solutio ad omnes instantias, quas contra illas urget Ariag. a n. 116. & 124.

Postremo hanc Stoicorum sententiam esse errorem in Philosophia statuit Concil. Constantiensis sess. 12. ubi inter alios errores Jo: Hus, hunc etiam retulit, & condemnavit, continuum scilicet componi ex indivisibilibus, ut refert Concilii verba P. Fuentes 5. Phys. q. 1. diff. 2. art. 2. & sunt ista, *linea autem mathematica continua componitur ex duobus, sibus, vel quatuor punctis simpliciter sibus: vel tempus est, sicut, vel erit compositum ex instantibus immediatis. Item non est possibile, quia tempus, ex linea; si sint, aliter componantur, & statim subdit: Prima pars est error in Philosophia, sed ultima erit circa divinam potentiam.*

ARTICULUS II.

Ostenditur implicare compositionem continui ex solis partibus divisibilibus.

40 **D**icimus, dari actu indivisibilia, tam terminativa, quam continuativa in continua partibus realiter distincta; ita Scot. 2. distinct. 2. q. 9. Ll. estque Arist. pluribus in locis, sed praecipue 5. Met. c. 12. ubi tres quantitatis species enumerat, scilicet lineam, superficiem, & corpus; quo in loco ex propria loquitur sententia, quia ex professo, & non obiter quaerit species quantitatis, & 4. Physicorum definiendo locum, post longam disputationem asserit, esse ultimam continentis superficiem, & alii in locis infra adducendis, estque etiam communis Mathematicorum consensus supponendum ista indivisibilia a parte rei, & non secundum nostram imaginationem, aliter interfacientias reales Mathematica numeranda non foret; neque solummodo praecisione, considerando scilicet unam dimensionem, alteram non intelligendo; quia saltem considerando punctum, omnem divisibilitatem excludens, ut est quid positivum, vere fallerentur; nec vera esset propositio illa de ipsis maxime pronuntiat. *Abstractivum non est mentiacium.*

Primo ergo Prob. quod datur ista indivisibilia in continuo realia & a parte rei ex Doct. cit. lit. L. Tum quia acquisitio cuiuslibet indivisibiliter acquisibilis, sive substantiale sit, sive accidentiale, non fit in tempore, ut contra Averroem suse ostensum est disp. 14. q. 2. art. ult. sed in instanti, ut illuminatio, generatio animalium, &c. ergo instans temporis non est aliquid privativum ens, sed positivum, quia mensura debet esse proportionata mensurato, nec privativum potest esse mensura positioni. Nec valet, quod ait Greg. 2. distinct. 2. q. 2. art. 1. tales generationes dici in instanti fieri, non quod vere detur instans in tempore, sed quatenus negatio illa tempore concipitur ad modum entis positivi ab intellectu. Non valet. Tum quia istae generationes sunt vere mutationes reales a parte rei, ergo propriae debent habere durationem intrinsecam, quia duratio nequit ab existentia rei separari, talis autem duratio intrinseca est instantanea; non successiva, ergo aliquid instantaneum coexistens positivum erit in tempore, quia per Philosoph. 8. Physic. eodem modo se habent magnitudo, spatium, motus, & tempus, & semper simul sunt; ergo non potest dici, generationes in non tempore in sensu ipsius fieri. Tum quia vere realiter

incipit, non per intellectum, ergo nequit in non tempore incipere. Tum quia si simplex negatio temporis instans esset, ergo partes temporis essent interruptae, & consequenter non continuæ, quia nunc non est pars præterita, neque futura, neque aliquid, quod si utriusque, quale ponitur instans ab Arist. 4. Phys. c. 11. quæ ratio probat de continuativis tempore.

41. Secundo idem probatur alia ratione Scoti; pleraque sunt, quæ corpori insunt ratione superficiei tantum, ut sunt colores, & præcipue lumen in corpore opaco, nam in hoc differunt corpus opacum, & diaphanum, quod primum solummodo in superficie recipit lumen, at secundum etiam in profunditate, ergo saltem dari debent indivisibilia terminativa; idem argumentum fieri potest quoad locum, & contactum, sed de hoc infra in rationibus mathematicis. Respondet Greg. lumen recipi in corpore lato, & profundo, non tamen quatenus profundum est, sed quatenus latum reduplicative, negat vero consequentiam, quod hæc latitudo indivisibilis sit secundum profunditatem; & hoc est, quod alii dicunt, dari actu indivisibilia, sed non actu distincta, scilicet datur longitudo, non tamen a latitudine distincta.

Contra, saltem debemus, quod lumen in corpore opaco est aliquid latum non profundum, quia subiectum ipsius est subiectum quatenus latum, non ut profundum, ergo dabitur aliqua entitas, quæ indivisibilis erit secundum profunditatem, hoc enim lumen non est idem cum lumine in aere, quia hoc, & illud sunt in subiectis realiter distinctis, ergo inter se realiter distinguuntur; quod lumen potest a Deo separatum a corpore opaco conservari (modo enim nomine continui, ut diximus, quamcumque entitatem ex partibus integranibus compositam intelligimus.) Tum quia admittitur indivisibile terminativum ex parte subiecti, quia datur in subiecto aliqua entitas luminosa, & aliqua non luminosa, scilicet latitudo, & profunditas opaci corporis, quæ vel sunt entitates realiter distinctæ, & sic habetur intentum; vel non, ergo idem esset, & non esset luminosum, & sic contradictio. Si dicas, non esse respectu ejusdem, sed diversorum. Contra, ista duo diversa vel dicuntur entitates diversas, physicas, & sic realiter distinguuntur, vel metaphysicas, & sic dicuntur unam entitatem physicam, licet diversas formalitates, at corpus est subiectum accidentis materialis, & corporalis secundum physicam, & non metaphysicam entitatem, hujus enim non est sustentare accidentia, sed illius, ergo respectu ejusdem esset luminosum, non & luminosum; facit etiam contra hoc tertia ratio principalis pro Conclusione.

Resp. aliter Averfa, cui favent Amic. tract. 15. q. 10. art. 6. & Hurt. cit. lumen non recipi solummodo in superficie, sed in parte aliqua determinata, vel indeterminata, & profunda. differentia autem diaphani, & opaci est, quod illud totum illuminatur, hoc vero secundum modicum sui partem, ut patet experientia, una enim subtilis pagina transmittit lumen, non totus liber; & dum ex lignis, lapidibus, aut metallis subtilissima quædam folia conficiuntur, hæc pervia sunt luminis. Sed contra, ista pars determinata, vel indeterminata, quæ subiectum est luminis, est ejusdem omnino rationis cum aliis partibus, cum sit totum homogeneum, ergo, si una est capax luminis, altera etiam erit talis, deberet enim assignari disparitatis ratio: exempla etiam nihil concludunt, nam hoc provenit, non quia lumen in profunditate recipiatur opaci, sed quia propter subtilitatem aliqui pori interponuntur, per quos transit lumen, ut etiam Amicus concedit, pori autem non sunt profunditas corporis, sed potius cavitates in profunditate aere repletæ; unde si responsio esset vera, non in poris, sed in ipsa profunditate deberet recipi lumen, at contra Hurt. infra in rationibus mathematicis fufius arguemus.

42. Tertio prob. præcipue dari indivisibilia continuativa. Continuum ex 5. Phys. 26. est, cujus partes ad aliquem communem terminum copulantur, contigua vero, quorum non copulantur communi termino, sed sunt simul, & juxta positæ, quæ definitiones non solum sunt ab Arist. traditæ secundum famofam opinionem admittentem indivisibilia, ut asserunt Greg. & Conimbr. sed in se sunt veræ, quia ad hoc, ut aliquid dicatur continuum, debet habere partes copulatas, & unitas unione continuationis, est enim unum per se tali unione, ubi contigua sunt unum aggregatum per accidens, quæ unio est quid a partibus distinctum, quia partes possunt esse absque ista unione, sed non potest esse ista unio partium, nisi terminum aliquem habeant indivisibilem, cui copulantur, ergo &c. Minor Prob. quia non poterit attendi unitas continuationis, eo quia continuum est ejusdem rationis, contigua vero habent aliquam diversitatem, ut ait Fons. Quia etiam in entibus ejusdem rationis potest continuas, & contiguas reperiri, ut in lapidibus, &c. Neque eo, quod partes seipsas uniantur per negationem extremorum, ubi prius terminata erant in extremitatibus per indivisibilia terminativa, ut videntur velle Conimbr. Quia negatio, vel ulterioris extensionis, vel extremitatis utrique parti convenit, sicut qualibet poterat esse ex se terminata, ergo non una, sed duplex negatio ibi reperiretur, & sic continuæ ille partes non erunt. Tum quia indivisibile terminativum arguit continuativum, ergo vel utrumque debet admitti, vel utrumque negari. Anteced. probatur; si aliquid medium continuum tantum secundum partem calefieret, calor ille haberet suum indivisibile terminativum, saltem extensivum, & tamen non subiectaretur in superficie terminata medium, quæ supponimus, partem aliquam, non totum medium alterari; neque potest esse in aliqua mediæ parte divisibili, quia non est sub-

jectum proportionatum, ergo erit in superficie mediæ continua. Quod vero terminus iste communis sit indivisibilis, patet, quia aliter deberet habere alium terminum suarum partium copulativum.

Averfa concedit, definitionem illam ab Arist. traditam esse secundum famofam opinionem de indivisibilibus, sed inquit, reduci posse ad bonum sensum, ita ut continua dicantur illa, quorum partes sunt inter se unitæ peculiari modo unionis integralis, contigua vero solummodo partes habent juxta se positas, & loco propinquas, non unitas; & explicans infra modum istum unionis, ait, quod quædam entitas absoluta divisibilis per totum continuum diffusa, quæ pars v. g. mediæ unitur tam cum parte antecedenti, quam cum sequenti, tum per unionem, quam habet in se cum illa parte; tum per unionem illius partis ad se; quæ unio ita in toto continuo subiectatur, ut ad quamvis divisionem ipsius dividatur entitas illius unionis, aliter deberet dari alia unio, quæ partes istæ uniantur, sed totaliter deperderet, quæ prius erat, & alia de novo fiat in una, & alia continui parte, quæ remanent divise. Hanc tamen unionem tantummodo ponit in continuis permanentibus, sed successiva, ait, continuari per ipsorum existentias absque mediæ unione, non enim potest intelligi (inquit ipse) talis unio in partibus præteritis ad futuras, & in futuris ad præteritas.

43. Sed contra istam respons. arguitur; tum quia sequeretur, quod si aliquis e mari guttam aquæ separaret, totam maris unionem destrueret, quod est falsum præcipue ex distantia, & improprietate agentis ad passum. Tum quia si modus iste est extensus, ergo partes habet realiter distinctas, quæ ab invicem possent separari, cum non videatur essentialis dependentia unius ab alia. Tum quia Oceani Mare non fuit secundum partem divisum ex eo, quod gutta e Mediterraneo fuit extracta, ergo non amisit propriam continuitatem, quam prius habebat; Probatur consequ. quia continuas per divisionem deperditur. Tum quia anima petit corpus continuum, licet eterogeneum informare, ita ut si partes principales corporis per instans solummodo discontinuarentur, statim cessaret informare, & homo moreretur, ergo si quando ab homine abscinditur digitus, tota corporis continuas dissolveretur, cessaret etiam unio animæ ad corpus. Neque dicas, denuo reuniri partes corporis inter se per novam unionem; Quia parum hoc refert, cum isti novæ reunioni dissolutio præcedentis unionis præcesserit, imo si successive fit divisio, semper successive nova, & nova unio fieret partium, ad informationem autem præsupponitur continuas corporis, & non sufficit, ut concomitetur. Tandem quia deberet unionem istam admittere in continuo successivo, vel negare illam in permanenti, quia secundum Arist. 6. Phys. & 17. ejusdem rationis sunt quoad continuatam, & divisionem magnitudinis, tempus, & motus, unde si partes motus possunt per propriam existentiam uniri ad invicem, multo magis partes permanentes, quæ minus variabiles sunt. Si dicas, hoc esse, quia permanentes potest dividi in partes, quæ adhuc existerent, ideoque dicere debemus aliquid amittere, scilicet unionem, at successivum, si interruptum, non remanet, sed totaliter deperditur; Contra, quod partes permanentes in divisione, vel fluant, nihil facit ad rationem continui, quæ communis est ad successivum, & permanentem, ergo quod dicit de sua ratione formali in uno, debet dicere in alio, sic enim se habent omnia genera respectu suarum specierum; imo contiguum se habet, ut continuum successivum. Tum quia est petitio principii, hoc enim queritur, cur partes illæ, quæ fluant, seipsas possunt uniri, & continuari, non vero partes permanentes: præcudimus enim a divisione.

44. Quarto potest idem probari quibusdam Mathematicis rationibus, quas tangit Scot. cit. lit. T. si corpus perfecte sphericum tangeret perfecte planum, non nisi in puncto illud tangeret, ergo &c. Antecedens præterquam quod est Arist. 1. de Anim. 13. probatur, quia si tangeret in aliquo divisibili, sequeretur, quod esset in corpore spherico aliquid planum, sed hoc est falsum, ergo &c. Sequela prob. quando corpora divisibilia se tangunt, adæquantur in eo secundum quod sit contactus, sed planum nequit adæquare nisi plano, ergo &c. Tum quia totum illud sphericum esset aliquid planum, & tota illa circumferentia circuli esset una linea recta, quæ illa pars circuli, secundum quam primo esset contactus, totam tangeret plani partem, quæ utique, est recta, & per consequens tota coaptatur illi, & extrema ejus tangunt extrema recti, & medium ejus medium recti, & per consequens ipsa est recta, cum autem rectum illud secundum illam eandem partem possit successive tangere totum circumulum, sequitur, quod tota circumferentia circuli sit ex rectis lineis præcise composita, & totum corpus sphericum ex corporibus planis. Et tandem si in parte divisibili tangeret, non esset perfecte sphericum, quia illud tale dicitur, a cuius centro omnes lineæ rectæ ad circumferentiam distat sunt æquales, si vero ducerentur tres lineæ a centro circuli ad duas extremitates, & ad medium illius partis, secundum quam sit contactus, longiores essent lineæ distat ad extremitates, quam ad medium, ut patet, ergo &c. Simile argumentum huic fit de columna perfecte rotunda, quæ cylindrum vocat, quæ cadens super planum, tangeret in linea propter eandem rationem; & de cubo, seu perfecte quadrato, nam si per angulum tangat perfecte planum tanget in linea, & de duobus planis, & solidis, quæ tantum in aliquo indivisibili secundum profunditatem, scilicet superficie se tangunt.

Resp. multipliciter huic rationi Adversarii, quas omnes responsiones tangit Ocham quol. 1. qu. 9. Aliqui enim, ut Buccafier. 1. ad Gen. text. 10. & Aresius cit. lect. 7. negant, dari posse corpus perfecte

sphericum Mathematicæ, sed solum Physicæ, & secundum apparentiam propter minimam inæqualitatem, circulus enim constituitur ex partibus rectis, non in rectum connexis, sed oblique in circulum, unde nec lineæ ad circumstantiam distat proprie sunt æquales, nisi apparetur; rationem hujus assignant, quia aliqui duo sequuntur absurda, primum, quod duæ quantitates distantes inter se propter solum punctum medium, quod locum occuparet, nam pars illa lineæ in spherico immediata sequens punctum distat a plano, cum illud non tangat, sed non distat nisi per punctum, quia solum punctum inter illa mediatur, ergo &c. secundum, quod punctum esset divisibile, quia circulus minor in majori inclusus illum tangit in puncto, & si ambo super planum ponerentur, per punctum distarent a plano, ut dictum est, & tamen major minus distaret, quam minor, ergo minus puncto, quapropter negari debet perfecte sphericum; huic responsioni etiam annuit Amicus cit. art. 7. conclusione 1.

45. Sed falsum negant talem figuram saltem de potentia Dei, & si non secundum totum corpus, saltem secundum aliquam partem; aliter sequeretur, non dari sphericum, nec etiam physicæ. Prob. partes rectæ quando oblique in circulum sectantur, vel faciunt angulum, vel perfecte circulariter sectantur: si secundum, ergo non constat sphericum ex omnibus partibus rectis, sed aliquam perfecte circulearem habet, quod sufficit ad argum. quia hæc non nisi in puncto tangit, aliter non esset perfecte spherica: si primum, vel angulum ille est indivisibilis scilicet in punctum, vel lineam dicat, & habetur intentum, vel divisibilis, ita ut planitium habeat; sed hoc est contra rationem anguli, & potius partes illæ essent in rectum connexæ, quam in obliquum, ergo &c. Ad illa absurda dicimus, falsum esse, sphericum, & planum per punctum distare, imo per punctum sunt simul, cum se tangant, sed distant per spatium interjectum, quia statim post punctum linea circularis incipit per inflectionem a plano recedere, & distare.

Dices cum Amico cit. non magis distat a plano linea circularis sequens punctum, quam illa, quæ recte, & perpendiculariter tendit ad centrum, sed hæc non distat nisi per punctum, quia inter illam, & planum non est nisi spatium a puncto occupatum, ergo &c. Major prob. quo magis lineæ circulares a plano recedentes accedunt ad perpendicularem tendentem in centrum, magis distant a plano, quia majorem angulum acutum faciunt cum plano, unde perpendicularis maxime distat, quia facit angulum rectum. Sed debebat Amicus probare minore, falsum enim est, perpendicularem per punctum distare a plano, imo per punctum est simul cum plana superficie, quo ipsam interfecat, distat vero per partem immediate sequentem punctum; sicut quando duo corpora se tangunt, non distant per superficies, sed per partes immediate sequentes ipsas superficies, quibus unum corpus est extra aliud.

46. Alii vero, inter quos est Averfa admittentes globum, negant tangere planum, sed ajunt debere aliquantisper distare, & hoc propter improprietatem istorum corporum, nam sphericum, cum sit incommensurabile cum plano secundum omnes partes, debet a plano distare, quamvis hæc distantia non esset ex natura rei determinata, sed a Deo determinaretur, & major, vel minor posset esse. Vel si deberent se tangere, fieret iste contactus per penetrationem modicæ partis utriusque corporis, idem dicit de cylindro; ad id vero de perfectis planis respondet in fine sect. 5. contactum fieri per immediatam juxta positionem unius profunditatis cum alia absque penetratione, quomodo etiam in loco advenit, non tamen sequitur, dari superficiem terminantem: quod aliqui dicunt etiam de globo, scilicet planum, & globum esse summe approximata, ut nihil mediet inter illa tota categorematice sumpta, quamvis sine categorematice, & secundum quamlibet partem mediet aer, & retorquent contra nos argumentum propter tactum indivisibilis cum divisibili parte sequente; quod art. 5. adducemus.

Sed hæc responsio multa continet falsa; quod enim primo dicit de illa distantia, est voluntarie dictum, grave enim naturaliter tendit deorsum, si non est impeditum; & naturaliter vincit medium, illud dividit, & frangit, vel secum desert, modo aer ille intermedius non est tantæ activitatis, ut patet, cum sit ejusdem rationis cum alio a globo diviso, ergo non potest impedire descensum, neque planum, quia ad hoc requiritur contactus, nam expulsio unius quantitatis ab alia fit per contactum, imo sequeretur, planum leve, ut esset papyrus, posset impedire motum deorsum plumbeo globo. Tum quia si aer destrueretur intermedius, posset globus ille distantiam mediæ superare, & usque ad planum pervenire: tandem posset iste contactus fieri a Deo. Secundum quod asserit de penetratione, est falsum, quia naturaliter implicat penetratio, & si illa corpora secundum aliquas partes posset penetrari cum sint ejusdem rationis, naturaliter se penetrarent secundum omnes partes. Tertium, quod de duobus planis adjungit, coincidit cum responsione Greg. ad 2. Scoti rationem, quam respons. ipse rejicit, & eodem modo potest confutari, ut patet; Tandem contra immediationem globi est, quod responsio illa admittit tactum in puncto, etenim si inter illa tota categorematice sumpta nihil mediet, ergo se tangunt, sed non secundum partes, quia partes omnes sunt incommensurabiles, ergo secundum aliquid punctum, aliter si neque per punctum se tangenter, inter illa mediet aer, sicut inter quaslibet partes, maxime quia tactus fit propter indistantiam duorum corporum, & sic immediata non essent.

47. Alii concedunt, globum tangere planum, negant vero, ipsum tangere in puncto, sed in parte divisibili, indeterminata,

quia scilicet non potest signari pars tam parva, in qua tangit, quin alia minor in infinitum assignari possit, secundum quam tangat, quod est tangere indivisibiliter in parte divisibili. Hanc respons. dat etiam Hurt. qui licet nobiscum teneat indivisibilia, asserit tamen hoc argumentum nihil concludere, quia non solum sphericum tangit planum in puncto, sed etiam in parte proportionali propter rationem art. 5. adducendam; addit tamen, ex hoc non sequi, sphericum adæquare plano, nec aliquam corporum penetrationem, quia ad utrumque requiritur pars determinata; planum enim est, quod habet certam magnitudinem extensam æqualiter, penetratio autem est duorum contactus secundum se tota; quæ doctrina utitur etiam in successivis; ait enim S. So. quod quando datur instans, datur etiam aliqua pars temporis existens, non tamen determinata, sed indeterminata; nec ex hoc sequitur, partem istam esse permanentem, quia ad hoc requiritur, ut sit determinata pars. Hanc quoque respons. amplectitur Fuentes 6. Deth. qu. 1. diff. 1. art. 2. eo quia inquit ipse, secundum Scot. potest indivisibile successive moveri, quomodo necessario correspondere debet partibus indeterminatis, & minimis spatii.

Contra istam respons. multipliciter instatur; Primo quod iste contactus, si hoc modo fieret, necessario esset secundum partem determinatam, sint duo plana se tangentia, posset Angelus stylo parvissimo unum planum percurrere usque ad extremum, quo alterum tangit, tunc vel antequam perveniat ad superficiem terminantem, tangit aliquid alterius plani, vel non; si secundum, ergo totum planum est extra illud, nec erit in aliqua parte etiam indeterminata penetratum, si primum, ergo dabitur prima pars, quæ simul est cum altera, quia potuit cognoscere, ubinam sit superficies alterius plani, & quando primo ipsam tangit, ergo cognoscit quantum restat illius plani accipiendum, & consequenter non erit indeterminata pars, sed determinata, saltem extrinsece. Tum quia magis patet lumine, quia concedit etiam lumen penetrare corpus opacum secundum aliquam indeterminatam partem, nam indivisibile terminativum luminis non potest recipi in aliquo divisibili corporis, sed indivisibili, quia forma in subiecto extenso necessario, vel est tota in toto, & pars in parte, si est divisibilis vel tota in toto, & tota in qualibet parte, si est indivisibilis, ut anima rationalis, quæ virtualiter divisibilis est, quod nequit superficiem convenire, ergo pars corporis lumen recipiens, cum istud lumen proprium etiam habeat indivisibile, erit determinata, duobus enim clauditur extremis, scilicet indivisibili terminativum ipsius ex una parte, & indivisibili continuativo, quod subiectum indivisibilis terminativum luminis ponitur ex alia.

48. Deinde Probatur, quod neque in parte indeterminata posset tangere, quia pars ista est quædam dimensio, ergo si duæ dimensiones indeterminatæ sunt simul, erant etiam penetrata, quod est falsum, quia penetratio repugnat in naturaliter partibus, non ex determinatione, vel indeterminatione ipsarum, sed ex formali ratione dimensionis, ergo cum dimensio formaliter de utraque parte dicatur, nulla pars simul cum altera potest esse. Tum quia si mille partes palmaris divisæ perfecte, per contactum unirentur, non efficerent longitudinem mille palmarum, & quia bis mille partes indeterminatæ efficiunt aliquam extensionem, quæ dependere propter similitudinem illarum partium simul existentium. Tum quia nullum continuum esset extensum, nam si partes indeterminatæ simul cum puncto sunt, non faciunt extensionem, aliter punctum extensum esset, & consequenter nec alie partes istis continuæ, quia inter ipsas mediatur punctum, sic simul esset, & idem de aliis dicendum. Tum quia locus nunquam esset æqualis locato, quia corpus continens tangeret contentum etiam secundum partem indeterminatam, & sic propter istam partem major est locus, quamvis excessu indeterminato.

Tandem in successivis hoc est absurdum, nam tunc pars aliqua indeterminata temporis duraret per instans, & instans per tempus; Tum quia divisibilis esset in alias partes, quæ simul essent, ergo permanentes essent, nam indeterminatio non officit, quia licet pars indeterminata continui permanentes permanentes dicitur, & si indeterminata, non ob aliud, nisi quia partes, ex quibus constat, sunt simul, sic idem esset dicendum de parte successiva indeterminata. Tum quia continua esset, ergo haberet alia instantia, quibus partes illæ continuarentur, & sic unio instanti essent infinita instantia. Tum tandem quia instans est continuativum partis prioris, & posterioris temporis, quæ tunc non sunt, ergo si cum instanti esset pars aliqua temporis indeterminata, se tota esset cum illis partibus continuata, sicut instans, aliter si per partes continuarentur, non solum instans mediaret, verum etiam tempus, cui instans coexistet, quæ omnia sunt falsa. Contra Fuentes est ipse Scot. cit. aperte dicens, sphericam in puncto tangere planum; licet in motu postea lineam describat, tamen semper punctum sphericæ est, quod describit, non pars aliqua sphericæ indeterminata; aliter, quod describit, non pars aliqua sphericæ successive moveri; imo lit. Y. ait, dum moveretur, in quolibet instanti illius temporis esse in spatio indivisibili, & sibi æquali.

49. Fons. ait, in casu punctum reduci ad actum per solum intellectus designationem; vel contactum fieri in puncto solum eminenter, non formaliter in plano existente; ut Conimbr. ajunt, hunc contactum non esse positivum, sed negativum, quatenus fit per punctum ab intellectu designatum, quod nil aliud dicit, nisi negationem ulterioris extensionis. Sed contra, quia neque contactus duorum corporum arguet species terminativas,

nativas, quod est contra ipsos. Tum quia tactus presupponit, non efficit tangibilia. Tum quia realiter tanguntur, & actualiter, ergo per aliquid reale actuale, nam per aliquid factum a ratione, vel eminenter contentum. Tum quia si non distant, hoc vel est per aliquid, vel per nihil, si primum, ergo positive non distant; si secundum, ergo per nihil non distant, quod est falsum, quia sequeretur, quod distarent, duæ enim negationes affirmant.

Quinto. Tandem principaliter Prob. indivisibilia realiter a partibus distingui, quod etiam allatis rationibus est demonstratum; Tum quia partes sine indivisibilibus remanent, ut in divisione. Tum quia essent realiter identificata cum rebus realiter distinctis, ut sunt illæ partes, quas copulant, quod soli essentie diuine convenit. Videatur de hac re Faber 6. Metaphysic. disp. 14. sed non multum quis fidat solutionibus argumentorum, quia ibi gravia absurda concedit, scilicet quod linea constet ex folis punctis, quod punctum sit immediatum puncto, &c. nos autem tutius respondebimus infra.

A R T I C U L U S III.

Astruitur compositio continui ex partibus, & indivisibilibus.

50 **P**ARTES continui alia sunt proportionales, alia æquales, seu ut alii dicunt, alia sunt ejusdem proportionis, alia ejusdem quantitatis; proportionales sunt, quæ inter se sic se habent, quod licet sint inæquales, semper tamen servant inter se aliquam proportionem duplam, vel subduplam, & sic deinceps, ut si dividatur una linea in duas medietates, & iterum una medietas in alias medietates, tunc proceditur per partes ejusdem proportionis, & partes primæ divisionis habent proportionem duplam respectu partium secundæ divisionis, & sic deinceps. Partes æquales sunt, quarum una non excedit aliam, & ideo dicuntur ejusdem quantitatis, & hæc sunt duplices, quedam determinatæ, quedam indeterminatæ: pars æqualis determinatæ dicitur illa, quæ est unius certæ, ac determinatæ mensuræ, tales sunt duo semipalmi in palmo, & octo palmi in ulna; pars æqualis indeterminatæ dicitur, quæ non est unius certæ, ac determinatæ mensuræ, sed indeterminatæ, talis est pro varia partium divisione, partes enim primæ divisionis quantitatis bipalmaris essent æquales secundum quantitatem palmarum, & partes secundæ divisionis æquales essent secundum semipalmarem, & sic deinceps; sed partes æquales determinatæ adhuc sunt duplices, alia communicantes, & alia non communicantes; illæ sunt, quarum una aliquid accipit alterius, & ideo dicuntur communicantes, istæ vero sunt, quarum una nihil accipit de alia, & ideo dicuntur non communicantes, sic in quantitate bipalmarum assignantur duo palmi non communicantes, nempe unus, & alter palmarum extra se invicem, sed assignari possunt tres communicantes, quia designari potest palmus medius ex dimidio primi, & secundi palmi constans. Hinc duplex oritur difficultas, una de existentia, & distinctione harum partium in continuo præsertim proportionalium, multi enim ad evitandum questionem de numero, & multitudine earum, negant dari tales partes actu distinctas in continuo, & dicentes, dari tantum, & distingui in potentia, quatenus possunt omnes hujusmodi partes in continuo assignari per mentis designationem, & etiam a continuo realiter extrahi per divisionem, & ita pariter loquuntur de indivisibilibus, quare concludunt, continuum esse entitatem quandam simplicem extensam sine ulla partium actuali compositione, & distinctione, ita quamplures ex Interpretibus Aristot. Thomist. 2. Phyl. 19. & 8. Phyl. 68. ubi Divus Thom. Simpl. Averr. & Alex. 5. Met. 2. Niphus 5. Met. cap. 31. Durand. 2. dist. 1. quest. 3. Fons. 5. Met. c. 13. q. 6. sect. 4. & alii.

51 Altera difficultas est de numero, & multitudine partium continui, quæ licet præcipue urgeat admittentes eas actu distinctas in continuo, tamen non totaliter evitatur a negantibus talem partium distinctionem, cum enim etiam apud eos non sit continuum entitas simplicissima, sicut Angelus, vel punctum, consequenter debent & ipsi in aliquo sensu admittere in continuo partium multitudinem, de qua quæri poterit, qualis, & quanta sit; & cum duplex sit multitudo alia finita, alia infinita, & hæc iterum duplex, alia actu infinita, & categorematische, quæ nimirum intrinsece attingit numerum infinitum infinite distantem a numero finito, alia infinita potentia, sine categorematische, quæ caret utique termino, nec certo numero concluditur, sed non proinde attingit intrinsece numerum infinitum, unde hæc multitudo censetur veluti media inter multitudinem actu finitam, & actu infinitam, & ideo dici solent multitudo finita in infinitum, & per hoc explicari, quod ejus partes non sint tot, quin adhuc sint, vel esse possint plures; de quo solius infra, hinc dubitatur, an partes continui sint numero finitæ, nec ne, & si sunt infinitæ, an earum infinitas sit primi, vel secundi generis.

Et ut in hac re, concessa a controversis, & certa ab incertis fecernamus, concedunt omnes, partes non communicantes æquales uni certæ esse finitas, & certo numero conclusas, ut in ulna sunt octo palmi, in die horæ viginti quatuor, & in milliario passus mille, & ista sunt partes illæ, quæ dici solent aliquotæ, quæ quia aliquoties sumptæ reddunt ipsum totum, & de quibus Arist. 3. Phyl. 59. ait, continuum per ablationem partium partium tandem consumi, & plane si partes istæ æqua-

les uni certæ, & non communicantes infinitæ ponantur uno, vel altero modo, quantumcumque sint exiles, & parvæ, molem constituerent infinitam, nam pars determinatæ quantumvis modica infinities replicata in infinitum actu constituit, si non communicat cum alia; concedunt item omnes & contra partes proportionales non esse finitas, & certo numero conclusas, nam assignato uno certo numero, quæritur, num illæ partes sint divisibiles, vel indivisibiles, non secundum, quia tunc continuum ex indivisibilibus componeretur, ergo primum, atque ita numquam poterit assignari numerus certus istarum partium in continuo, quantumvis parvo, nec indivisibilibus eas continuantium; idem etiam concedunt de partibus æqualibus indeterminatis, eadem est ratio de istis, & proportionalibus, tum quia sunt communicantes cum illis, ex quarum divisione procedunt; tum quia si fiat divisio secundum istas, proceditur in infinitum versus minoritatem, quod manifestum erit, si fingamus aliquam lineam in duas medietates æquales dividi, & unam medietatem alteri superpositam rursus dividi, & sic deinceps, ex ista enim superpositione, & divisione semper orientur partes æquales, semper minores, & minores in infinitum communicantes cum majoribus. Demum id etiam concedunt de partibus æqualibus determinatis, & communicantibus, si enim accipiatur quantitas bipalmaris, poterunt in ea assignari infiniti palmi communicantes, si enim primo dividatur in duos palmos, & secundo sumatur semipalmus ex uno, & semipalmus ex altero palmo, habebimus tertium palmum communicantem, & si rursus assumatur semipalmus remanens ex uno, & alter remanens ex altero, habebimus quartum palmum communicantem, & sic deinceps potest in infinitum protrahi hæc distributio, & communicatio palmarum, quo plus, vel minus de uno, vel alio palmo usurperetur in communicatione, sic intelligitur Arist. dum ait. 6. Phyl. mobile in quolibet instanti esse in spatio sibi æquali, sumit enim spatium sequens, ut communicat cum præcedenti.

52 Difficultas igitur est de istis partibus continui, per quas videndo proceditur in infinitum, an sint infinitæ categorematische, & simpliciter, vel sine categorematische solum, & secundum quid, id est finitæ in infinitum; esse actu infinitas, & categorematische docuerunt Nominales omnes Greg. 2. d. 2. concl. 2. & 1. d. 45. q. 5. art. 2. ad 2. Major 1. d. 18. q. 2. art. 2. Bursius 6. Phyl. text. 68. dub. 3. & sequuntur multi ex Recentioribus, Conimbr. 3. Phyl. cap. 8. quest. 1. Ruvius 6. Phyl. tract. de Continuo, Morian. disp. ult. Phyl. q. 4. & idem videtur asserere Suarez disp. 40. Met. sect. 5. licet infinitatem istam vocet non finitatem simpliciter, sed secundum quid, eo quia non est entium per se existentium, & sequitur ex nostris Fuentes 6. Phyl. q. 1. & licet de partibus non satis se explicet, de indivisibilibus tamen expresse habet diff. 1. art. 3. ad 5. esse infinita in actu simpliciter, Licher. in 2. d. 2. quest. 9. & Vulpes tom. 1. p. 1. disp. 27. art. 7. & Nominales addunt, posse per Dei potentiam dividi totum continuum in omnes istas infinitas partes, ita quod dentur actu infinitæ partes separatae, & infinite divisiones. Sed esse tantum sine categorematische infinitas docuit Aureol. quem refert, & sequitur ex professo Canon. 3. Phyl. q. 3. & 6. Phyl. q. 1. & Tatar. 3. Phyl. qu. de Infinito. Not. 2. Joann. de Magistr. 6. Phyl. qu. 1. Parisiensis ibid. Gabriel. 2. d. 1. qu. 3. & hæc sententia modo communis est, & planibilis, inter Recentiores eam tenet Averr. q. 22. sect. 8. Hurt. disp. 14. Phyl. sect. 6. Amicus tract. 15. qu. 8. conclus. 5. Tolet. 6. Phyl. ad primum dub. post quest. 1. & alii passim; Sed pro resolutione utriusque difficultatis.

Dicimus. 1. in continuo vere, & realiter dari partes tum æquales, tum proportionales actu ab invicem realiter distinctas; Concl. hæc est communis apud Recentiores, & veteres, exceptis quibusdam Arist. Expositoribus, qui sensum philosophi non intelligentes, vel intelligere nolentes, dum pluries dixit, esse partes in continuo potentia, non actu, obstinate contendunt, & faciunt continuum potius simplicem entitatem, ut est Angelus, quam ex partibus integrantibus compositam; eam tenet Scot. in 2. d. 1. q. 3. & 2. q. 9. ubi ponit partes, & indivisibilia actu in continuo, & 4. d. 11. qu. 4. §. De quarta transmutatione, &c. ubi docet, partes esse actu distinctas in continuo, & explicat, in quo sensu dicantur esse in potentia, quia scilicet secundum eandem entitatem positivam erant in toto, & postea extra totum, sed in toto habuerunt continuationem qua prohibuit illam actualitatem includentem præcisionem, extra totum autem habent eam. Et Prob. primo author. Concil. Trid. sess. 13. c. 3. ubi ait, quod totus, & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie, & sub ejus partibus existit, ergo sicut Christus actu existit sub speciebus partibus, ita quoque actu existunt partes earum, idem docuit Arist. in Prædicamento quanti, ubi de ratione quantitatis in communi ponit esse, quod habeat plures partes, & continuam a discreta distinguit, non quia hæc habeat partes actu distinctas, & illa non, sed quia partes quantitatis continua copulantur termino communi, non vero partes discretæ, idem docuit 1. Phyl. 17. ubi manifeste supponit, continuum habere multitudinem partium, & quod pars in toto continuo non est idem cum toto, & 4. Phyl. 23. numerat inter modos essendi in actu illum, quo pars est in toto, & 5. Met. text. 18. definit quantum continuum quod sit divisibile in ea, quæ insunt, quod utique intelligi debet de actuali existentia, sicut materiam definitis 1. Phyl. dixit esse primum subjectum, ex quo fit aliquid, cum insit, tum quia ita se habet in ratione componendi actualiter pars integralis ad totum integrale, sicut essentialis ad essentielle, tum quia sicut totum essentielle physicum resolvitur in materiam, & formam, quia

quia actu constat ex illis, ita integrale; ideo est divisibile in partes integrales, quia actu ex eis integratur, nullum enim totum quivis potest in partes, quas actu non habet; tum denique quia particula quæ insunt, ut notant Scot. & D. Thom. in eum textum, ponitur ad differentiam mixtorum, quæ componuntur ex elementis in illis virtualiter existentibus. Demum probatur auct. D. Augustini 2. de lib. arb. cap. 15. ubi ait, quicquid corporis sensu attingitur, jam non est unum, sed multa esse convincitur, corpus enim est, igitur habet innumerabiles partes.

53 Deinde prob. ratione; Tum quia de ratione quantitatis est, ut facit partem extra partem, & de ratione continui, ut partes ejus copulentur termino communi. Tum quia si partes producerentur, dum actu dividitur continuum, tunc agens naturale dividendo materiam crearet ejus partes. Tum quia non possunt naturaliter contraria recipi in eodem subjecto, nec eadem res esse simul, & semel in pluribus locis, sed quantitas palmaris potest esse simul alba, & nigra, ergo non nisi secundum diversas partes Cælum occupat Oriens, & Occidens, ergo non nisi per diversas partes.

Respond. aliqui, hæc argumenta demonstrare solum, continuum non esse simplicem entitatem, sed plures, sed quia sunt unitæ, & totum continuum dicitur unum, ideo non probant, tales entitates, ut in continuo existentes esse actu distinctas. Contra, tum quia si sunt plures entitates in continuo in actu; ergo sunt actu distinctæ, quia distinctio fundatur super multitudinem entitatum, sicut identitas super unitatem 5. Met. text. 20. Tum quia argumenta allata non solum probant pluralitatem actualem entitatum in continuo, sed etiam distinctionem, nam qualitates contrariæ, & diversæ præsentis locales naturaliter arguunt distincta subjecta; Tum quia potest a Sacerdote consecrari sola medietas hostiæ, & tunc Christus non diceretur esse sub alia; potest in vino consecrato infunditur aliud non consecratum, & tunc sub isto non esset sanguis Christi, sed tantum sub illo, quæ omnia inferunt actualem distinctionem.

Resp. Fons. 2. Met. cap. 2. q. 1. sect. 8. partes quantitatis, dum sunt in continuo, non solum esse plures, fed etiam distingui inter se realiter non quidem in actu, sed in potentia tantum, quatenus possunt separari. Contra, tum quia argumenta allata concludunt actualem distinctionem; Tum quia potentialis separatio supponit actualem distinctionem in rebus, quæ separari possunt, ut patet de partibus physicis, quæ ideo separari possunt, quia sunt actu realiter distinctæ; tum tandem quia, ut aliqua dicantur realiter distinctæ, non est necesse, ut sint actu separata, sed sufficit, ut separari possint.

54 Respondent alii, concedendo, partes actu distingui, etiam dum sunt in continuo, non tamen realiter, sed per designationem intellectus ex eo, quod distinguimus, & assignamus unam partem ab alia diversam. Contra, tum quia argumenta allata concludunt distinctionem realem actualem præter quodcumque opus intellectus, nam ante quamcumque designationem una pars est separabilis ab altera, & diversis atque contrariis possunt accidentalibus subjacere, tum quia quantitates palmarum ex duobus constare semipalmis non est quid ab intellectu fictum, sed ita est a parte rei; tum tandem hoc totum manifestum est in continuo successivo, cujus partes sunt in continuo fluxu, & cum una existit, altera est corrupta, ergo una pars actu ab altera distinguitur.

Respondent alii, duplicem esse unitatem, altera est, quæ negat distinctionem intrinsecam fundatam in negatione termini intrinseci, qui est hæcitas cujuscumque rei, altera, quæ negat distinctionem extrinsecam fundatam in negatione termini extrinseci, & hæc est unitas, & identitas, quæ reperitur inter partes continui, unde Arist. 5. Met. text. 11. docet partes continui esse unum, quatenus non habent divisionem, itaque argumenta concludunt distinctionem actualem primi generis in continuo, non autem secundi generis. Contra, tum quia ex unione partium in toto bene colligitur identitas illarum, ut patet de partibus physicis, unio namque, sicut non destruit rationes formales extremorum, ita non destruit eorum distinctionem, & unio excludit separationem, non distinctionem; tum quia aliud est unitas, aliud identitas, & ex eo, quod continuum sit unum quid, non recte inferitur, partes ejus esse idem inter se, sicut etiam constat de toto physico; tum quia hæc eadem unitas continuationis orta ex negatione termini extrinseci, necessario supponit plura, inter quæ sit continuatio, ut docet Phil. 5. Met. text. 8. nam continuatio non est ejusdem rei ad se ipsam; tum tandem quia hæc responsio concedit, quod præterdimus, distinctionem nimirum entitativam, actualem inter partes continui, ortam ex termino intrinseco illarum, id est ex hæcitatibus singularum, quæ semper eadem manent tam post divisionem, quam antea, per divisionem enim non acquiritur nova hæcitas, & terminus intrinsecus, & entitativus, sed solum novus quantitativus, & nova denominatio totius.

55 Resp. alii, quod licet partes continui singulæ singulas habeant hæcitates, tamen dici nequeunt in toto plures entitates in actu, ut sunt in toto, quia sic existunt per unam existentiam totius, & hæc ratio dicitur unum, & idem ens, quam solutionem approbant Complut. 3. Phyl. disput. de Infinito. qu. 1. Contra, tum quia falsum est, partes non habere in toto suas partiales existentias; Tum quia etiam si tales non haberent, sed existentia totius existeret, adhuc non concluditur, non esse distinctas entitates, nam in schola Divi Thomæ materia, & forma existunt per existentiam totius, & tamen adhuc sunt diversæ entitates; Tum tandem quia id solum concludit, quod

partes quædam existunt in toto, nequeunt dici plura entia per modum totius, & ut hoc aliquid, ut Arist. significat 5. Met. text. 18.

Resp. denique alii concedendo, clari in continuo hæc plures entitates, non tamen actu partes denominari, sed tales dici solum post divisionem respectu totius jam corrupti. Contra, tum quia Arist. loc. cit. & 5. Met. text. 30. & 31. vocat partem in toto id, in quod totum dividi potest, tum quia pars ut pars debet componere totum, ergo tunc est actu pars, quando actu componit, & solum pars in potentia, quando componere potest; Tum quia si posse componere faceret actu partem, cum pars divisa possit plura tota componere successive; tunc esset actu pars plurium compositorum; Tum tandem quia isti non ob id effugiunt difficultatem, ob quam ad negandas plures actu partes in continuo ducti sunt, difficultatem scilicet de numero illarum, an sit finitus, vel infinitus, nam de his quoque pluribus entitatibus urgeri potest eadem difficultas, an sint finitæ, vel infinitæ.

Dicimus 2. Partes continui, tam proportionales, quam æquales indeterminatæ, & communicantes non sunt infinitæ actu, & categorematische, sed sine categorematische tantum, & finitæ in infinitum. Concl. traditur in terminis a Canon. 6. Phyl. qu. 1. art. 2. ubi eam probat tribus rationibus, quarum prima est, quod admissa hac partium infinitate in continuo, sequitur, dari actu a parte rei infinitum in actu, si non secundum extensionem, saltem secundum multitudinem, quatenus in continuo includerentur infinitæ actu entitates. Resp. Ruvius in præsent. & 3. Phyl. q. 1. de Inf. Conimbr. ibid. & alii quamplures negando consequentiam, nam partes istæ multitudinem actu infinitam non constituunt, quia estis sint distinctæ, non tamen sunt discretæ, & divisæ, numerus autem, & multitudo dicit actualem discretionem, vel separationem, potius ergo dicuntur omnes istæ partes unum simpliciter, cum unum continuum unitæ componant, hoc autem modo diminuto admittere infinitum, nullum est inconveniens, nec infinities infinitum (ait Ruvius) quia omnes istæ partes sunt res incompletæ, ordinatæ ad constitutionem unius rei completæ, neque hoc infinitum intendit negare Arist. sed solum infinitum rem separatarum, & completarum in genere discreto.

56 Sed hæc solutio frivola est, & mera fuga argumenti; nam si partes in continuo non possunt dici, nec multæ, nec pauca, cum ibi nullam constituant multitudinem, cur ab istis appellatur infinitæ? cur quaritur ab istis, quot partes sint in continuo? nonne hæc omnia multitudinem sonant? forte dicent, ipsos non loqui in rigore, sed accipere nomen multitudinis, prout cum pluralitate convertitur; etiam nos loquimur in hoc sensu, & contendimus, hanc pluralitatem actu infinitam repugnare, quia demonstrationes contra infinitum tam impugnant infinitam pluralitatem partium separatarum, quam solummodo distinctarum, cum vim sumant ex ipsa infinitudine rerum, non autem ex earum separatione, Accedit, quod Aristot. in Prædicam. quanti non distinguit discretam quantitatem a continua, quia hæc non habeat multitudinem partium actu distinctarum, & illa sic, sed supponens, multas utramque habere partes, distinguit unam ab alia, quia partes continuæ sunt copulatæ termino communi, non autem discretæ, ergo nomen ipsum multitudinis poterit tam ample sumi, ut transcendat genus quantitatis discretæ, & conveniat continuæ; Cum autem Aristot. dixit, numerum causari ex divisione continui, loquebatur de numero prædicamentali, cujus partes molem important, & discretionem, non autem de transcendentali, quo numerare solemus octo gradus qualitatis, decem relationes, viginti Angelos, &c. ergo quamvis partes in continuo numerum non subeant prædicamentalem, quia non sunt ab invicem discretæ, tamen quatenus sunt distinctæ, subjacent numero transcendentali, & rationes impugnantes actualem infinitudinem aque procedunt contra omnem talem multitudinem, sive prædicamentalem, sive transcendentem.

Sed ne fiat lis de nomine, partes relinquamus, & loquamur de relationibus distinctionis, quas fundant ad invicem, plane cum istæ sint reales, & actu infinitæ, habebitur infinita relationum multitudo. Resp. Conimbr. ex Capr. relationes partium ad se invicem, non esse reales, fed rationis, quia non sunt inter entia actu plura, id est separata inter se, & ab aliis; sed Ruvius ipse vidit sufficientiam responsionis, quia partes continui non fundant præfatas relationes solum quando sunt separatae, sed etiam quando sunt conjunctæ, quia etiam tunc entitas unius non est entitas alterius, & etiam si essent relationes rationis, dummodo sint infinitæ in actu, & categorematische, subjacent eidem impugnationibus, quæ vim sumunt ex ipsa entium infinitudine præcise sive sint realia, sive rationis, & ideo concedit Ruvius infinitas relationes in actu inter partes continui, sed incompletas, quemadmodum etiam natura partium incompleta est, & talem infinitatem admittere in rebus incompletis non reputat absurdum. Sed certe rationes impugnantem infinitum categorematicum pariter impugnant infinitudinem entium incompletorum, quia infinitudo non repugnat in entibus, eo quia sint realia, vel rationis, completa, vel incompleta, separata, vel non separata, sed ratione sui ipsius præcise, & ideo omnes allatæ responsiones eorruunt.

57 Suarez disput. 40. sect. 5. num. 43. fatetur quidem, partes, & puncta esse actu infinita in continuo, subdit tamen, hanc infinitudinem non esse vocandam infinitatem simpliciter, sed tantum secundum quid, quia talis partium multitudo non facit extensionem infinitam, neque implet infinitum spatium, sed

tota hæc inter certos, ac definitos terminos continetur. Sed sic dicendo evitat solum Suarez infinitum in magnitudine, non autem in multitudine, quod hic urgemus, & impertinens est velle per finitatem magnitudinis evitare infinitatem multitudinis partium proportionalium; plures enim, & plures proportionales in infinitum continentur in una certa, & determinata quoad extensionem. Sed neque etiam evitat universaliter infinitum secundum extensionem, nam urgeri potest argumentum de linea tortuosa per columnam girante per innumerabiles circulos ab una extremitate in aliam, conflatur enim ista ex pluribus & pluribus circulis æqualis, ac determinata longitudinis circularis, quam tum nempe columna ipsa ambit, eruntque infiniti in actu in sententia istorum, sicut infinitæ sunt partes proportionales columnæ, quas continuat. Nec audiendus est Suarez cum iterum dicit, hanc lineam tortuosam ex infinitis partibus æqualibus conflata, ideo non esse simpliciter infinitam, quia clauditur terminis, hæc enim duo manifeste repugnant, quod reperitur continuum aliquod ex partibus infinitis in actu æqualibus, & non communicantibus constitutum, & postea fit terminis conclusum, ac definitum. Nec etiam audiendus est Ruvius, cum difficultatem subterfugere studuit, dicendo hanc lineam tortuosam non esse unam sed plures. Quia sane talis una linea girans infinitas columnam in circuitu ab una extremitate in aliam continuata per totum cogitari potest, & talem de facto circuire columnam tenentur fateri omnes, qui indivisibilia continuativa admittunt, videatur Ariag. cit. sect. 3. ubi bene hanc solutionem refutat.

58 Secunda ratio Canon. Si in quolibet continuo essent infinitæ partes in actu, sequitur, quod omnia continua essent æqualia, componerentur enim omnia ex partibus æqualibus multitudine, & magnitudine; multitudine quidem, quia tam sunt infinitæ partes proportionales in grano milli, quam in toto universo, cum utrumque sit indivisibile in infinitum; haberent etiam æquales partes in magnitudine, quia si partes unius essent majores, possent dividi in partes æquales partibus alterius continui, & adhuc non essent plures illis, quia cum partes alterius continui sint infinitæ in actu, non potest in isto assignari major pluralitas, quia infinito nihil est majus, per quod impugnatæ manent responsiones Ruvii, & Suar. qui dicunt, unum continuum esse majus alio, quia habet partes majoris magnitudinis, & efficacioris; quamvis enim in omni continuo admittant infinitas partes in actu proportionales, in majori tamen plures, & majores admittunt, quam in minori; impugnat directe hæc responsio per argumentum Canon. Quod si dicant, quod tales partes in utroque continuo non essent æquales, nec inæquales, quia æqualitas, & inæqualitas sunt passionis quantitatis finitæ. Contra arguit Canon. quia licet æqualitas, quæ est commensuratio duarum quantitatum passio sit quantitatis finitæ, & nequeat convenire infinitæ, æqualitas tam negativa, idest non excessus, reperiri potest in infinitis, unde personas divinas dicimus esse æquales perfectionis, quoniam infinitum neque excedit, neque exceditur, & ita si partes unius continui non excedunt partes alterius, neque totum excedet totum.

Et si dicatur, partes continui majoris esse plures, & non esse inconveniens, quod sint in continuo majori plures partium infinitates, & partes infinitas infinitas, ut de facto concedit Ruvius ea ratione sifus, quia partes sunt quid incompletum. Contra, arguit Canon. quia multitudo semel infinita totam multitudinem partium possibilem absorbet, ergo implicat alia partium infinitates supra illam. Accedit, quod hoc admissio in omni continuo, ut Ruvius admittit, non potest amplius defendi, unum esse majus alio, nec quoad majoritatem, nec quoad pluralitatem partium, ubique enim erunt infinitas infinitæ, & ideo Ruvius non videtur in hac re consequenter locutus, omnes enim auctores, qui asserunt, quamlibet infinitam multitudinem non posse semel infinitam, sed debere esse infinitas infinitam, negant pariter, unum infinitum esse majus alio tum formaliter, tum materialiter. Et tandem si dicatur, quod in multitudine infinita non est totum, vel pars. Contra, arguit Canon. talis multitudo est divisibilis, sed omne divisibile habet partes, quia nihil dividitur, nisi in ea, ex quibus componitur; cujus rationis efficacitas magis patet ab disp. seq.

59 Tertia ratio Canon. si in continuo darentur infinitæ actu partes, & cathegorematicæ, tunc componeretur ex indivisibilibus, quia quælibet illarum partium numero infinitarum est divisibilis, vel indivisibilis; si primum, ergo erunt in continuo plures partes, quam infinitæ, quod supra improbatum est; si secundum, habetur intentum. Vel aliter deduci potest hæc ratio, ut facit Averfa, & erit efficacior, admissa enim tali partium infinitate, tunc in continuo dari deberet pars infinite minima, atque adeo indivisibilis. Consequenter probatur, quia partes certæ, ac determinatæ sunt simpliciter finitæ, ergo partes simpliciter infinitæ debent in infinitum simpliciter ab his distare, ergo debent esse infinite minores, seu in maxima minoritate, quod esse nequit, nisi ponantur minimæ, & indivisibiles; Prob. hæc conseq. nam nisi tales partes sint infinite minores, vel sunt finitæ, ac determinatæ minores, vel finitæ indeterminate, hoc est semper magis, ac magis minores, non primum, quia sic essent finitæ; si secundum, ergo erunt infinite sinecathegorematicæ solum, seu finitæ in infinitum, hoc est semper plures, ac plures, nunquam tamen actu infinitæ, quæ ratio certe demonstrat.

Resp. aliqui, dari in continuo aliquam partem infinite minorem, non tamen minimam, quia adhuc illa pars habet aliam

se minorem. Contra, id implicat in adjecto, nam si hæc pars infinite minor habet aliam minorem se, jam non esset infinite minor, nec infinite distaret in minoritate a parte determinata, cum magis alia distet. Hinc alii negant, dari aliquam partem infinite minorem, quia non datur ultima, quæ deberet esse infinite minor. Contra, id est, quod intendimus, quod non datur ultima pars, & infinite minor in continuo, sed quacumque data, sive in re ipsa, sive in cognitione divina, semper datur alia, & alia minor, cum quælibet sit divisibilis in plures seipsa minores, & hæc est infinitas sinecathegorematica. Resp. Alii, hanc infinitam minoritatem esse in aliqua parte indeterminate. Contra, tum quia saltem eam cognosceret Deus, tum quia est dicere, quod non possit dari pars ita minor, ut adhuc minor assignari nequeat, & hoc est assignare minoritatem indeterminate in parte indeterminate, non autem minoritatem infinitam, quod verissimum est; tum tandem, quia infinita minoritas repugnat tam in parte determinata, quam indeterminate. Hæc est opinio Canon. loc. cit. ubi ait, omnes in hac materia dubie loqui, & nunquam ab aliquo Doctore potuisse illam bene intelligere.

60 Eodem modo de indivisibilibus loquendum est, nam hæc in continuo ponuntur ad continuandas partes, ac propterea mediant inter partes, multiplicanda ergo sunt ad multiplicationem partium, sed partes multiplicari in infinitum sinecathegorematicæ, ergo, & indivisibilia, quod adhuc declarari potest in hunc modum: sicut partes eo plures dicuntur, quo sunt minores, & quia nunquam attingunt maximam minoritatem, ideo nunquam dicuntur actu infinitæ, sed solum plures, & plures in infinitum, ita servata proportio indivisibilia eo plura erunt, quo inter minores partes mediabunt, & sibi invicem proximiora erunt, & quia nunquam reperitur in maxima approximatione, ita ut sint sibi invicem immediata, sed semper proximiora sint, ad proximiora in infinitum, sicut partes minores, & minores, & ita semper plura erunt, & plura, sed nunquam maxime plura, hoc est actu infinita, sed tantum finita in infinitum. Ea ergo est conditio hujus admirabilis compositionis continui, ut ad eam concurrant necessario tam partes, quam indivisibilia, non quasi indivisibilia sint partes continui, sed quia cum partibus componunt continuum, duo enim reperitur in continuo, extensio, & continuatio; extensio est potissimum a partibus continuatio ab indivisibilibus, & partes in continuo sunt ita dispositæ, ut nunquam signari possit prima, & ultima pars ejus, quia aliqua signata sicut prima, adhuc extat aliqua re vera prior illa, & alia signata velut ultima, adhuc extabit alia posterior ea, cum quælibet signata sit adhuc divisibilis in alias, & alias: indivisibilia vero ita disposita sunt per totum continuum, ut inter singulas partes mediant copulando eas ad invicem, ex quo fit, nunquam reperiri posse indivisibile ita alteri immediatum, ut non sit inter ea aliqua pars interjecta, & hæc de causa inter quælibet duo puncta in linea quantumvis propinqua mediant plura alia, & alia puncta, quia mediat pars divisibilis adhuc in infinitas partes, quarum quælibet puncto copulatur cum alia: ex quo rursus sequitur, non esse possibilem in continuo unam divisionem immediatam alteri, quia cum diviso cadat supra punctum, sive in puncto fiat, sane sicut divisiones possent sibi immediate succedere, jam duo puncta forent sibi immediata, inter unam ergo, & alteram divisionem possunt alia, & alia in infinitum mediare divisiones, sicut inter quælibet duo puncta mediant alia, & alia in infinitum juxta numerum partium interjacentium.

61 Ex his sequitur demum, continuum nec etiam per potentiam Dei absolutam posse esse divinum in omnes suas partes collectivæ, licet singillatim, & in quocumque signo possit in singulas dividi, imo in plures, & plures simul in infinitum, admittit enim tali divisione in omnes partes plane continuum in indivisibilia resolveretur, vel enim illæ singulæ partes infinitæ, in quas divinum ponitur, sunt rursus divisibiles in alias partes, vel indivisibiles; non primum, quia est contra hypothesin, qua supponimus, continuum esse divinum in omnes prorsus partes in quas est divisibile, ergo secundum. Nec valet responsio Gregor. in 2. dist. 2. quæst. 2. art. 1. ad quintum contra 1. concl. dum ait, indivisibile posse sumi dupliciter, vel pro carente partibus quibuscumque actu divisio, vel possibilibus quoquomodo dividi, ut est punctum, vel pro eo, quod licet habeat partes, quælibet tamen est actu divisa ab alia, & per oppositum divisibile posse sumi dupliciter, vel ut opponitur indivisibili primo modo, vel secundo modo; divisibile primo modo est, quod habet partes actu, vel potentia dividas; divisibile secundo modo est, quod habet partes non actu dividas, subditque partes continui in omnes divisi remanere indivisibiles secundo modo tantum, non autem primo, quia adhuc quælibet includit partes in potentia, in quas est actu divisa, & ita non concluditur in potentia, in quas est actu divisa, & ita non concluditur (ait ipse) continuum divinum in indivisibilia simpliciter resolvi. Hæc responsio prolixus vana est, & intelligibilis, potest quidem una pars ab alia distincta illam adhuc includere, quia distinctio inclusionem non excludit, sed una pars ab alia divisa, & separata nequaquam potest illam includere, nec potest intelligi, aliquid esse divisibile in ea, quæ actu non habet, ergo si continuum possit esse actu in omnes partes divinum, certe quælibet indivisibilis remaneret ad modum puncti. Accedit, quod etiam admittendo illud indivisibile secundi generis a Greg. dictum, ut argumentum solveret, adhuc rationabiliter non possumus concedere, continuum ex similibus indivisibilibus esse conflatum, quia quælibet continui pars, ut distinguitur ab indivisibilibus simpliciter, includit actu partes alias, in quas dividi potest, & non in potentia tantum, ut hæc excludit actum inexistentiæ in sensu Greg. ergo continuum per nullam potentiam potest esse divinum in omnes suas partes, ut fute Doctor ostendit in 2. dist. 2. qu. 9. sed in quocumque partes ponatur divinum, illæ adhuc divisibiles remanent in alias, & alias. Hinc solvitur argumentum de totali divisione continui, quod objicit Ariag. cit. sect. 6. contra sententiam Arist. quia talis divisio etiam de potentia Dei absoluta est impossibilis, ut rursus infra dicemus n. 69. ubi rationem repugnantiam assignamus, quæ adhuc magis apparebit infra disp. 10. qu. 3. in solutione argumentorum, ubi etiam solvuntur instantiæ, quas hic facit Ariag. contra allatam responsum; vide ibi a nu. 53. & Scotum 2. dist. 2. qu. 9. lit. K. ubi solvit argumentum in terminis.

ARTICULUS IV.

Solvuntur rationes Zenonistarum pro compositione continui ex solis indivisibilibus.

62 **E**sto explorata sit veritas, continuum ex indivisibilibus non componi, & satis a nobis art. 1. cum Arist. demonstrata, tot tamen, ac talibus impetitur difficultatibus, ut veritas cum falsitate (sicut ait Amicus) æquo Marte pugnare videatur, unde hic entendum est, argumenta in oppositum quantum fieri potest relicturi.

Primo se offert vulgaris quidem, sed satis molesta difficultas de corpore spherico supra planum moto, nam sive volutetur, sive trahatur per planum, tanget illud semper in punctis, ergo totum planum erit ex punctis compositum. Prob. assumptum, quia toto illo tempore, quo sphaera planum percurrit, semper tangit aliquod nunquam divisibile, ergo immediate post hoc instans tangit indivisibile immediatum, quia contactus non intermittitur.

Resp. mirum esse, quantum Peripareticos terruerit globus iste a Zenonistis ejaculatus, nam aliqui negarunt, fieri posse globum ita perfecte sphericum, ut nulla sui parte sit planum. Alii concedunt, esse possibilem, sed negant, quod positive tangeret planum, tantum enim negative diceretur indistans; alii concedunt, quod tangeret positive, non tamen in puncto, sed in parte determinata tamen, minori semper, & minori in infinitum; vel quod cum illo penetraretur in aliqua modica sui parte, qui singuli modi dicendi art. 2. sunt resutati, ubi conclusum est, quod si sphaera ponatur super planum, illud tangit in puncto. Compl. disp. 25. Phys. qu. 2. ad 1. ajunt, quod licet corpus illud sphericum continuo moveatur per aerem circumfusum motu continuo, per ipsum tamen planum non moveatur, nisi discrete, & quasi per saltus de puncto in punctum, ita ut inter unum, & aliud tantisper cleverat a plano, quod explicat exemplo pilæ, quæ in planum projecta per saltus moveatur, quod etiam affirmant, si globus trahatur per planum, & non volutetur, subdit tamen saltus in tali casu non esse ita perceptibiles, & sic etiam respondet Jo. de S. Th. qu. 10. art. 3. sed sane potius Compl. saltant, ut argumentum istud prætereant, non vero globus sphericus, præsertim quando trahitur super planum, & ut excludatur motus iste per saltus globi super planum, ad quem dicere possent conferre figuram sphericam, sit columna perfecte rotunda, cylindrus dista, quæ super planum moveatur, aut corpus quadratum, & perfecte cubum, quod secundum latus angulare definit in linea, trahatur per planum tangens illud tantum secundum latus angulare; utique in his casibus saltus horum corporum fingere non licebit, & tunc argumentum procedit, sicut de corpore spherico. Tum quia esto verum sit globum moveri per aerem quoque circumfusum, & hunc ab ipso non tangi in puncto, adhuc tamen negari nequit moveri quoque continuo per planum, illudque continuo tangere, neque sensus, neque ratio demonstrat cur, & a quo globus ille interpolate debeat elevari a plano, sicut homo pedes elevat in motu, quo exemplo nititur Joan. de S. Thom.

63 Resp. ergo faciliter, quod si sphaera volutetur, argumentum non habet difficultatem, quia non tanget planum in puncto, sed secundum lineam circulare, & non idcirco linea curva congruet recte, quia hujusmodi contactus non fit simul, sed successive; si autem sphaera trahatur super planum, dicimus in instanti tangere planum in puncto; sed immediate post in tempore tangit in linea, ut Scotus docet 2. dist. qu. 9. ad 3. princ. neque ad mirum videri debet, quia quodlibet corpus, dum moveatur, occupat majus spatium, quam occupet, dum quiescit, dum enim quiescit, occupat tantum spatium, quanta est propria extensio; at dum moveatur, toto illo tempore occupat totum illud spatium, quod suo motu percurrit, nam in instanti terminativo motus verum est dicere, quod toto tempore antecedenti occupavit mobile totum illud spatium. Quare hoc argumentum, quod multi tanti faciunt, non habet specialem difficultatem in puncto, quam non habeat in corpore, nam tota difficultas consistit in hoc, ut notat Doctor cit. sub Y. quod dum punctus moveatur, semper est in spatio sibi æquali, & sic pertransit totum spatium, ergo totam lineam suppositam commenturatur, atque ita tota linea erit ex punctis composita; sed idem argumentum urget de quolibet corpore, quod dum moveatur, semper est in æquali loco, ergo cum locus, sibi æqualis, sit secundum profunditatem indivisibilis, quia est superficies ipsum immediate circumdans, totum illud spatium, quod percurrit, erit ex talibus superficiebus sibi immediate succedentibus compositum. Ad hoc autem argumentum respondent omnes

Maffii, & Belluti Tom. II. Physicæ.

ex Arist. 6. Phys. 74. falsum esse, quod corpus, dum moveatur, sit in spatio sibi æquali, solum enim in quolibet instanti est in spatio sibi adæquato, quod & in instanti acquirit, sed in tempore immediato est in spatio majori, quod non est inconveniens, quia successive occupat illud: sic igitur de globo spherico supra planum moto dicendum est cum Scot. cit. quod punctus, in quo fit tactus, licet semper, idest in quolibet indivisibili sit in spatio sibi æquali, non tamen semper, idest in quacumque temporis parte, quia sic tangit lineam contractu inadæquato, seu successive, & quidem si semel concedatur, punctum in tempore posse occupare locum majorem seipso, consequenter admitti debet, quod successive possit lineam tangere contractu inadæquato, & plane non videtur major difficultas de puncto, quod in motu sit in majori loco seipso, quam de corpore, & ita respondent Tolet. Averfa, Morif. Amic. & alii ex Scot. cit. Canon. & Tromb. 2. Met. qu. 1. ad 2. princ.

64 Sed dices ex hoc sequi, lineam mensurari posse per replicationem puncti, & ita ex punctis componi. Negatur sequela, nam quantumvis punctum replicetur, nunquam lineam reddet, & aliud est aliquid moveri super aliquod spatium, aliud vero illud commenturatur, motus enim fit continue super spatium, at mensuratio fit interpolate in singulis replicationibus rei motæ super spatium; ad quod assumitur dimetiendum, & tunc res moveatur super spatium, cum occupat successive majus spatium sua propria extensione, mensurat vero spatium, cum replicatur semper est in loco sibi æquali in singulis replicationibus. Et quando etiam concederemus, digitum ideo assumi posse ad mensurandum pannum, quia super illum potest continue moveri, non propterea concedere debemus id ipsum de puncto super lineam, in tantum enim illud verum effect, quia continuas motus digiti non sumitur tantum ex spatio, sed etiam ex mobili, quod in se divisibile est, at non ita continue moveatur punctum super lineam, quia continuas motus illius sumitur tantum ex divisibilitate spatii, ut Scot. docet loc. cit. V. & X.

Sed iterum urgebis; si ponatur punctum separatim motum super lineam, quod non negaret Doctor, licet acquirat aliud, & aliud ubi, non tamen amitteret semel acquisitum per potentiam Dei, qui rem ponere potest in diversis locis, tunc in fine motus tanget totam lineam, & non nisi in puncto, quia permanenter. Respondetur, in casu hunc non fore motum puncti per lineam, sed replicationem potius ejusdem in singulis lineæ punctis, & sicut indivisibile non potest esse ita alteri immediatum, ut illud tangat manens extra illud, & in spatio distincto, sic neque idem punctum potest a Deo ita sibi immediate pluries replicari, & ideo punctum permanenter existens in linea, & a Deo pluries replicatum per totam lineam, erit distans a seipso, pro ut est in uno, & in alio lineæ puncto. Sed adhuc dices, potest saltem facere Deus, quod contactus spherici super planum fiat per id, quod immediate sequitur ad punctum, in quo tangit, tactus in tali casu erit permanens, & non successivus, atque ideo adæquatus, ergo debet admitti in plano indivisibile immediatum indivisibili. Resp. immediate post non posse fieri contactum, nisi successive in linea, & sicut postea contactus permanens in puncto post partem sequentem, quod omnes de divisione concedere debent, si enim continuum in una parte dividatur, plane nec per divinam potentiam poterat divisio cadere immediate post, quia quod sequitur, est divisibile, nec assignabilis est prima pars.

65 Secundo indivisibile additum indivisibili potest facere majus, ergo coincidit fundamentum sententiæ Perip. Prob. assumptum a simili in Angelo, & anima rationali, quæ per plures spirituales, & indivisibiles replicationes spiritali extensione se possunt extendere ad majus spatium, quam per pauciores. Et Christus Dominus existens modo spiritali in Eucharia pro majori, vel minori replicatione coextenditur speciebus continuis majoribus, vel minoribus, vel minoribus, ergo poterit etiam indivisibile quantitative facere extensum, sicut enim se habent indivisibilia spiritalia ad extensionem spiritalem, ut multiplicatæ sint extra se, & sibi immediate succedant, vel continue, ut in Angelo, & anima rationali, vel contigue, ut in Eucharia, ita se habent indivisibilia quantitativa ad extensionem quantitativam, ut immediate sibi succedentia extra poni possint continue, & aliquid majus efficere. Confirm. quia unitas prædicamentalis, quamvis sit indivisibilis, tamen aliis unita facit numerum, qui est quantitas extensa, sic etiam, & instans temporis cum parte temporis longiorem facit durationem, quia Angelus durans per horam, & instans terminativum ejus plus durat Angelo, qui per totam horam duraret, & in instanti ejus terminativo desineret, quia in eo instans de priori verum esset dicere, quod est, de posteriori, quod non est.

Resp. difficultatem hanc quibusdam tam arduam esse visam, ut Morif. disp. ultim. Phys. qu. 4. art. 2. ingenue fateatur, nisi nil hæcenus occurrisset, quod difficultati satisfaceret, & tribus adhibitis responsonibus, viam insinuat declinandam vim argumenti, sed non solvendi; & quidem sistendo in illo communi modo explicandi extensionem virtualem spiritalium substantiarum per iteratas replicationes per singulas partes loci, quibus est præsens, argumentum est difficillimum, & forte insolubile, unde potius eligimus dicere, substantiam spirituales replere locum, non per tot replicationes sui esse, sed per unam, & æqualem totius sui esse diffusionem in loco adæquato, sic ut totus quidem Angelus sit in quolibet puncto, & quilibet loci parte, non tamen complere; si autem Angelus poneretur a Deo in pluribus locis adæquatis, hoc utique per replicationem ejusdem Angeli in illis locis fieret, sicut etiam dicimus

de corpore, ac sicut corpus, quando est in loco sibi adæquato, non est ibi per replicationem sui esse, sed ratione suæ quantitatis molis semel occupat, totum illud spatium per unum, & æquabilem totius sui esse diffusionem, sic etiam spiritus in loco sibi adæquato semel diffusus erit per unam, & æquabilem totius sui esse diffusionem absque ulla replicatione, quia quicquid corpori convenit per quantitatem molis, & partium diversitatem, id totum convenit Angelo per quantitatem virtutis, & illimitationem sui esse in ordine ad locum, & sic dicendo, nullum est assignare indivisibile, alteri, vel sibi ipsi immediate succedens, quod faciat majus, nec enim spiritus habet in singulis punctis esse aliquod omnino completum ab eo, quod in aliis punctis est omnino divisum, sed unum integrum esse per totum spatium instar alicujus continui diffusum.

66 Et ex hac doctrina bene percepta colligitur ratio, cur indivisibili corporeo repugnet virtualis extensio, non autem incorporeo, & cur res indivisibiles spirituales immediate sibi succedentes possint facere aliquid spirituale extensum, non ita indivisibilia corporea extensionem corpoream, hæc enim est ratio, quia quod in corporibus efficitur quantitas molis, hoc in Angelis efficitur quantitas virtutis, atque ita sicut per quantitatem molis occupat locum divisibilem corpus, ita per quantitatem virtutis spiritus, & cum Angelus id habeat per simplex quoddam esse, quod corpus habet per diversas partes, hinc ut Angelus concipiatur extensus per aliquem locum, debet concipi idem numerò esse ipsius per totum illud spatium diffusum, & tamquam suapte natura illimitatum ad omnes illas præsentias, quare sibi ipsi succedens, vel alteri, poterit facere majorem extensionem, quod de materiali indivisibili est impossibile, quia rebus corporeis dedit Deus esse in loco suo per quantitatem molis, quæ cum in puncto non reperitur, non poterit punctus loco extendi; & hic modus essendi in loco fati consentaneus est naturæ spirituali, cum enim in aliis videamus, quæ sunt dispersa in inferioribus esse unita in superioribus, quia virtus nobilioris entis est illimitata virtute inferioris, ac proinde munera, quæ exercet ens inferior per plures facultates, ea omnia exercet superius per unicam virtutem illis æquivalentem, ut in multis induci potest, ita in proposito esse per locum extensa convenit corporibus ratione plurimum entitatum, & partium, sed substantiæ spirituali convenit ratione unius simplicis entitatis illimitatæ in ordine ad locum, & æquivalentis illis partibus, quibus constat corpus: postquam hæc excogitavimus de modo essendi in loco substantiarum spiritualium, invenimus non sine ingenti gaudio (ne hac in re singulares videremur) Coninch. de Sacram. qu. 75. art. 4. dub. 3. ita adamussim explicantem modum essendi spirituum Angelum in loco.

Ad Confirm. concedimus, indivisibile additum indivisibili facere plus, non tamen majus, aut extensio, & ideo cum ad quantitatem discretam sola sufficiat pluralitas entitatum, hinc est, quod unitas alteri addita facit majus in genere quantitatis discretæ, hoc est plus; pariter etiam concedimus, instans additum temporis facere majorem durationem, non tamen majus tempus, id est extensionem successivam; potest autem dici, quod faceret majorem durationem, quia duratio abstrahit ab extensione, & res in instanti dici potest indivisibiliter durare, loquendo autem de duratione successiva, seu extensione in duratione, quam tempus importat, non plus duraret Angelus durans per mille, & infinita instantia sibi immediata, Angelo durante per unum solum. Immo si quis concederet, quod punctum additum lineæ, & instans tempori faciant majorem extensionem, adhuc negare deberet hanc consequentiam, quod indivisibile additum indivisibili faciat majus, nam posset dicere, indivisibile tali modo se cum indivisibili conjungere, ut cum eo faceret quid majus, quod tamen cum alio indivisibili conjunctum facere non valebit, sicut in Arithmetica dicimus, quod 0 additum cum numero aliquo facit majus, & additum cum alio 0 nihil facit.

67 Tertio occurrit alia difficultas, quæ infirmare videtur alteram Arist. rationem, qua 6. Phys. probat, continuum ex indivisibilibus non componi; eo quia numquam mobile velox posset velocius moveri, quam mobile tardum, quæ ratio non videtur concludere, militat enim etiam contra nos, nam licet continuum ex indivisibilibus mathematicis non componatur, componitur tamen ex indivisibilibus physicis, quæ scilicet, non possunt a nobis per instrumenta naturalia dividi, & secari: potest igitur idem argumentum, & eodem modo formari de indivisibilibus physicis, ac conficit Arist. de mathematicis, numquam enim mobile posset pertransire medietatem physici indivisibilis, priusquam pertransiret aliam medietatem, aliqui divisibile naturaliter esset, immo de facto divideretur per instrumenta naturalia, scilicet, per motum. Resp. negando assumptum, nequaquam enim concludit contra indivisibile physicum Arist. demonstratio, quia licet hoc sit physice indivisibile, adhuc tamen a parte rei est indivisibile in duas medietates, quarum una pertransiri nequit, nisi prius alia pertransiretur, quod dici nequit de indivisibili mathematico. Et cum urgetur, quod illud indivisibile physicum esset jam physice divisibile, immo quod de facto divideretur per instrumenta naturalia, scilicet per motum, hoc quoque negari debet, quia per motum non dividitur continuum, sed indivisum pertransitur successive, licet ergo minimum illud naturale possit successive pertransiri per motum, non enim potest acquiri per

instans, cum sit divisibile, adhuc tamen indivisum remanet a parte rei, ac etiam indivisibile per instrumenta naturalia.

Quarto objicitur. Tum quia linea est in triangulo, & punctum in linea, ut ea ex quibus substantia ipsorum est; ex Arist. 1. Post. cap. 4. & sicut numerus componitur ex unitatibus, ita linea ex punctis, nam ita se habet punctum ad lineam, sicut unitas ad numerum 1. Top. cap. 14. Tum 2. quia punctus dicitur esse ubique in linea 1. de Gener. tex. 8. & 9. quia ubique potest dividi, & divisio fit in puncto. Tum 3. quia vel inter punctum terminans in linea, & quodlibet aliud est aliquid lineæ interjectum, vel non; non primum, quia cum in qualibet parte lineæ sint infinita puncta, tunc inter punctum terminans, & quodlibet aliud interjacerent infinita puncta, quod implicat; si secundum, ergo puncta sunt sibi immediata. Tum 4. lignum existens partim in aqua, partim in aere, necessario debet habere in medio duas superficies immediatas, quæ respondeant superficibus immediatis aquæ, & aeris, a quibus tangitur. Tum 5. quia a mathematicis dicitur lineam esse fluxum puncti, superficiem lineæ, & corpus superficiei, ex quibus fluxibus haberi nequit, nisi vel longa, vel lata, vel profunda series indivisibilium sibi immediate coherentium. Demum quando linea dividitur, divisio non cadit super partem, quia per eam non minuitur quantitas lineæ, non super punctum, quia est indivisibile, ergo inter duo puncta immediata cadere debet.

68 Resp. ad 1. Arist. illa asserere ut exempla ex famosa Antiquorum opinione, continuum componentium ex indivisibilibus. Vel indivisibilia ingrediuntur definitionem continui, non ut partes ejus, sed ut continuativa, & terminativa partium, unde sicut in composito essentiali physico unio proprie non est de essentia totius, licet sit aliquid necessario requisitum; sic quoque dicendum est de indivisibilibus in Continuo, Primo Top. 14. non comparat Arist. punctum cum unitate. quoad rationem componendi quantum, sed quoad rationem principiandi, nam sicut unitas est principium numeri, ita lineæ punctum; disparitas vero, quare linea componi nequeat ex punctis, sicut numerus ex unitatibus, est, quia linea est quantitas continua faciens extensionem, quæ ex indivisibilibus confurgere nequit, numerus vero minime. Ad 2. negatur, punctum esse ubique universaliter in linea, & posse ubicumque dividi, nam facta divisione lineæ in certo puncto non potest immediate fieri alia divisio, verum est igitur assumptum solum in hoc sensu, quod non potest signari punctum in linea, in quo non possit fieri divisio, & quod ubique potest divisio fieri, ubi sunt puncta, & sic intelligitur Arist. cit. sic quoque solvendum est argumentum; si fiat de linea, quod possit super corpus imponi, vel protrahi ubicumque, verum enim est, ubicumque linea corripit, non autem universatim ubicumque, & hoc est, quod ait Doctor 2. dist. 2. qu. 9. M. ly ubique posse distribui universaliter pro partibus lineæ, & indivisibilibus ejusdem, vel præcise pro istis, vel illis, & juxta hanc variam distributionem debere argumentum dissolvi. Ad 3. vel ly quodlibet aliud supponit confuse, vel determinate; si primo modo petitio est impertinens, cum enim punctum continuans confuse sumptum nulli sit, quia ut sic non habet determinatam positionem, non potest dici inter hoc, & illud aliquid esse interjectum, vel non esse, si vero supponat secundo modo, linea interjacet, & per consequens infinita puncta; neque hoc est inconveniens. Velly quodlibet aliud sumitur collective, vel distributive; si primo modo sumatur, fallacia committitur, quia cum illa multitudo punctorum sit indeterminata, & confusa, non potest tota colligi; si secundo modo sumatur, interjacet linea, & tunc negatur consequentia. Ad 4. duabus superficibus aquæ, & aeris correspondet in ligno una tantum superficies, cum enim duæ illæ superficies aquæ, & aeris sint omnino simul veluti penetratæ in eodem situ, bene una tantum ex parte ligni ambabus illis correspondere potest, sicut si datur linea a centro usque ad ultimum Cælum, secabit Cælus contiguos in uno puncto. Ad 5. Mathematici unum eo modo loquendi, non quia vera est fluxus puncti, & aliorum indivisibilium aliquid continuum constituitur, sed ut ostendant indivisibilitatem omnimodam lineæ in latitudinem, & solum divisibilitatem secundum longitudinem; & quando etiam non fiet linea, nisi per fluxum puncti, adhuc constaret ex divisibilibus, & non ex solis punctis, puncto enim fluenti, & in transitu correspondent partes divisibiles lineæ, ut patet ex dictis. Ad 6. ait Canon. quod divisio cadit super punctum, non quod punctus dividatur, nec quod punctus iste, qui continuabat partes lineæ, remaneat facta divisione, sed corrumpitur, & sunt duo puncta de novo, quia prius erant in potentia objectiva.

69 Quinto tempus non est nisi series instantium immediate se consequentium, ergo componitur ex indivisibilibus. Prob. assumptum; tum quia nihil est in tempore, quod aliquando non sit præsens, sed de tempore nihil est præsens, nisi nunc, ergo est continuata series istorum; tum quia potest Deus spatio unius horæ creare semper Angelos successive, unum immediate post alium, quia non cogitur expectare per aliquam temporis moram: quo casu erunt instantia sibi immediata, sicut Angeli, quorum singuli postulant creari in instanti. Confirmatur, quia etiam motus localis non est nisi series plurium Ubi indivisibilium, se invicem in mobili consequentium, quia de isto Ubi, quod nunc acquirit mobile per motum, aut erit aliquid post hoc instans, aut non; si secundum, habetur intentum, quod instanti acquiritur, & deperditur; si primum, vel in eadem parte mobilis, vel alia; si primum ergo illa pars quiescit; si secundum, ergo migraret de subiecto in subiectum. Dein-

Deinde, aut omni parte continui est aliqua minor, aut non; si secundum, ergo hæc erit minima, & indivisibilis, si primum, aut illa est divisibilis, aut indivisibilis; non divisibilis, quia tunc non esset minor omni parte continui, non esset minor parte sua, ergo indivisibilis. Tandem Deus distincte, & simul cognoscit omnes divisiones continui possibiles, ergo cognoscit illud ex indivisibilibus componi: Consequentia patet, eo enim ipso, quod cognoscit omnes divisiones continui prorsus possibiles, novit etiam, partem illas non esse amplius divisibiles, aliter non intellexerit omnes divisiones.

70 Resp. neg. assumptum. Ad prob. 1. dicimus cum Scoto 2. dist. 2. qu. 9. sup. M. nihil utique existere de tempore, nisi punctum indivisibiliter, & simul, at negatur de existentia successiva, hoc enim modo partes temporis existunt, & copulantur termino communi, nec habent aliam continuationem, quam existentiam successivam immediatam, successiva enim talis sunt naturæ; ut quando sunt, sunt, & eorum esse in fieri consistit, ut docet Doctor quol. 22. de quo fuit disp. 13. qu. 4. art. 1. post igitur instans immediate non sequitur instans, sed tempus. Ad aliam prob. dicimus, non posse Deum ita immediate unum Angelum creare post alium in instanti creatum, quin poterit adhuc magis, & magis immediate illum creare, quia post instans sequitur tempus, necessario igitur expectat Deus aliqua mora divisibili, ut creet alium Angelum, in qua potest expectare minus, & minus in infinitum, neque hoc absurdum est asserere, quia talis necessitas oritur ex suppositione, ut ait Moris. supposito enim quod velit successive creare, consequenter etiam vult expectare, quia de ratione creationum sibi succedentium est, ut una sequatur aliam, & distat ab alia, non distant autem, si solo indivisibili se jungerent, quia duo instantia coexisterent, nec durationem extenderent ex dictis. Ad Confir. negatur assumptum, quod Ubi successivum, quod in motu acquiritur, sit forma indivisibilis. Ad cujus prob. dicemus ex professo infra disp. 15. qu. 6. art. 5. Ad aliam dicimus, omni parte continui esse aliquam minorem, distributive loquendo, non collective, & si ly omni repetitur collective, committitur fallacia, quam ex professo detegemus in simili modo arguendi inferius disp. seq. Ad ultimum dicimus ex Tromb. qu. de præsentia Dei ad 3. princ. divisiones continui possibiles simul actu, & distincte a Deo intelligi stare dupliciter, vel similitate, & distinctione se tenente ex parte actus comprehendentis, vel ex parte objecti, seu partium divinarum, primo modo Deus intelligit, & distincte cognoscit simul, & actu omnes divisiones continui, sed secundo modo nequaquam; non intelligit simul omnes divisiones possibiles, quia talis intellectio implicat, esset enim intelligere divisiones continui sub modo eis repugnanti, neque in hoc sensu omnes partes continui distincte cognoscit, sed confuse, quia cognoscit illas, uti sunt, quatenus scilicet divisibiles in alias, & alias, quas singule in se continent, & si intelligeret distinctione se tenente ex parte objecti, illas intellexerit modo sibi repugnanti, quia ut sic, non nisi confuse possunt intelligi. Instar Ariag. cit. sect. 6. contra hanc solutionem, ad quas instantia patebit ex dicendis disp. 10. qu. 3. & magis qu. 4.

ARTICULUS V.

Dilatatur Rationes Nominalium pro compositione continui ex solis divisibilibus.

71 Indivisibilium hostes acriter etiam contra indivisibilia jam posita invehuntur, sive terminativa, sive continuativa, præcipue Greg. & Aversa, sive autoritaribus, tum rationibus. Primo igitur objicitur ex D. August. lib. de Quant. An. cap. 10. ubi volens ostendere, animam incorpoream esse, probat ex hoc, quod ista indivisibilia intelligit, quæ, ait, esse incorporea, Nam sola longitudo, inquit, non nisi intelligi animo potest, in corpore inveniri non potest, & 7. super Gen. cap. 15. dicit, quod si anima esset corporea, nullo modo posset cognoscere tales lineas. Confirmatur Arist. autoritate 8. Met. 18. faciens mentionem punctorum, ait, Utpote puncta, si sint quidem; ex quo loco colligitur, ait Aversa, de indivisibilibus loqui potius ex suppositione, si dentur, quandomcumque de illis agit; tum quia 3. Met. 17. asserit, superficies, lineas, & puncta solum in potentia esse in corpore, sicut Mercurius in rudi lapide; tum quia 1. Met. 43. docet contra Platonem, magnitudinem non constare ex superficibus, lineis, & punctis, per hoc autem noluit asserere, & magnitudinem non constare ex solis indivisibilibus, quia neque hoc Plato assererat, sed absolute voluit illa negare; tum quia 3. de Anim. 26. ait; punctum negatione cognosci, & in lib. de Com. Anim. motu cap. 2. docet, polos, quæ puncta dicuntur esse, nullam habere substantiam.

72 Resp. mentem D. Aug. non esse omnino talia indivisibilia negare, nam ibidem loquens discipulo ait, posse intellectum illa concipere, quia corpus illis non caret, & cap. 11. & 12. docet, lineam a puncto terminari, figuram non posse rectis lineis fieri, nisi puncto angulus claudatur, lineam per punctum dividi, & puncto alteri lineæ copulari, in lib. 11. Confess. cap. 16. expresse admittit in tempore momentum, & præsens indivisibile; sed negat, puncta, & lineas in corpore reperiri, ut a sensibus cognoscibilia, qui folium corporea percipiunt, unde si anima corporea esset, nullo modo posset ista indivisibilia apprehendere. Ad 1. Arist. autoritate docimus, *Mastrui, & Belluti Tom. II. Physica.*

textam illum varie ab Interpretibus adduci, nam licet vulgata lectio sic habeat, versio tamen Argyropoli, quam sequitur Doctor in Met. legit. Quoniam vero quedam sine generatione, & corruptione sunt, & non sunt, ut puncta squidem sunt, & equaliter species, & forma, ex quo patet, Arist. solum asserere, puncta esse talia, scilicet, quod sine generatione, & corruptione sunt, & non sunt; artamen admissa communi lectione nihil aliud sequitur, nisi quod loquatur Arist. conditionaliter; non tamen ex hoc debet inferre Aversa, dubium fuisse Arist. de punctorum existentia, quia ubi ex instituto aliquid de illis quaerit, vel disputat, resolute loquitur, ut vidimus art. 2. & quod mens ipsius non possit ex hoc loco cognosci, colligitur ex 3. Met. 17. ubi eandem adducit rationem, scilicet, quod indivisibilia ista non generantur, neque corrumpuntur per generationem, & corruptionem, ait enim; Puncta vero, & lineas, & superficies non contingit neque fieri, neque corrumpi, quandoque quidem existentes, quandoque non existentes; hic dubitative non loquitur, quamvis ex professo quaerat, an sint substantia, vel accidens. Ad 2. auctoritatem dicimus, non loqui de continuativis actu, sed quæ terminare possunt, & ista in potentia sunt, & ad actum reducuntur per divisionem, quæ expositio habetur in eodem textu paulo intra, ubi explicans, quomodo indivisibilia quandoque existentia, quandoque non existentia sunt, ait, Nam quando copulantur, aut dividuntur corpora simul, quandoque quidem una copulantur, quandoque vero due dividentur, quare non compositorum est, sed corruptum est divisorum, quia sunt prius non existentes; id est quando continuum dividitur ex una superficie continuativa non sunt duæ, sed illa corrumpitur, & de novo duæ adveniunt, quæ prius erant non existentes, similiter quando duo corpora copulantur, pereunt duæ superficies, & fit una copulativa. Ad tertium dicimus, Arist. improbare Platonem ponentem diversa esse principia constitutiva lineam a principis constitutivis superficiei, & ista esse diversa a principis constitutivis corpus, unde arguit, quorum principia sunt diversa, & ipsa sunt diversa, ergo nequit lineam in superficie esse, & hæc in corpore, quia diversa sunt, unde non negat indivisibilia, sed expositione Platonis deducit absurdum, dicens, At quomodo habebit aut planum lineam, aut solidum lineam, & planum? quasi diceret, non videtur, quare potius est ad oppositum, quia pro absurdo habet, ista indivisibilia in corpore non inveniri; istas expositiones docet Doctor in Comm. Met. Ad 4. dicimus, nihil determinate ex illo colligi, quia comparat punctum nigredini, & malo, quorum primum est positivum, secundum negativum; quapropter comparatio non est quoad entitatem, sed quoad cognitionem, nam unum contrarium per privationem alterius cognoscitur. Ad ultimum, non negat Arist. polos esse puncta quadam, immo ipsos supponit existentes, sed negat esse substantias virtutum motricem habentes, aliter idem motus duos motores haberet, hæc est ratio Arist.

73 Secundo instat Greg. ratione; aut præter singula, & omnia puncta collective lumpa in linea est, & mediæ aliquid, vel nihil; si secundum, ergo continuum ex indivisibilibus constaret; si primum, tale erit divisibile, & extensum absque punctis, alioqui præter singula, & omnia puncta daretur punctum, quod est falsum, ergo si datur pars lineæ continua sine punctis, tota erit sine punctis. Tum secundo, quia partes, & indivisibilia realiter distinguuntur, ergo saltem de potentia Dei separari possunt, destruat igitur Deus omnia puncta, aut omnes partes lineæ palmaris remanentibus punctis in eodem situ, ubi prius; vel inter illa puncta, aliquid mediæ spatium, vel nullum; si secundum, ergo puncta erunt immediata; si primum, ergo partes illa spatium occupantes non habebant puncta, aliter non remansissent omnia puncta, & tamen erant continuæ. Neque dicas cum Suar. non posse omnia puncta a partibus separari, licet possit quodlibet in particulari separari, eo quia partes, quæ debent destriui a Deo, sunt extensæ, debent idcirco aliqua puncta continuativa ad definitionem illarum desinere. Non valet, inquit Amicus qu. 10. art. 10. quia licet partes quoad existentiam pendeant a punctis propter continuationem, non tamen e contra puncta a partibus lineæ dependent quoad existere, aliter nullum posset separatum esse per Dei potentiam, ergo non est necesse, ad definitionem partium lineæ etiam puncta desinere. Tum tertio, quia saltem posset Deus, vel alius separatus intellectus cognoscere omnia puncta; si nihil superest, continuum ex indivisibilibus componeretur, si aliquid, ergo puncta non includeret. Si dicas, non posse cognosci omnia puncta, quin partes etiam apprehendantur, hoc est falsum; tum quia partes a punctis dependent ut a continuativis, quibus partes continuantur, ergo prius sunt, quam continentur, & continuationi præsupponuntur, & ut sic possent intelligi præcendendo a punctis; tum quia si realiter distinguuntur, posset cognosci ut realiter distincta, & ut unum ab altero se junctum; tum quia licet linea includat puncta, attamen puncta non includunt lineam, ergo ut sic possent apprehendi sine linea.

Resp. antecedens posse habere duplicem sensum, vel scilicet, quod omnia puncta sint separata, & distincta in continuo a partibus, non solum in entitate, sed etiam situ, & hoc est falsum, vel quod ista puncta sint cum partibus, quas continent, permixta, & est verum, tunc ad argumentum dicimus, quod præter omnia puncta sunt partes in continuo, quæ divisibiles sunt, continuæ, & extensæ includentes illa omnia puncta, a quibus, ut continuæ sunt, essentialiter dependent, ut diximus art. 3. in fine. Ad secundum aliqui respondent, indivisibilia esse talis exigue entitatis, *R 2 ut*

ut per Dei potentiam nequeant a partibus existere separata. Alii vero, & probabilius, talem dependentiam non admittunt, & ad rationem respondent ut ibi, ad impugnationem vero dicimus, puncta, etsi distributive a partibus lineæ in existendo non dependant, collectivè tamen dependent a partibus lineæ, quia cum linea sit non solum extensa, verum etiam continua, quando destruitur, non tantum extensum destruitur, sed etiam continuum, & consequenter aliquod includens puncta; tum quia daretur secundum punctum post primum, quod tamen in continuo non erat assignabile, sicut nec prima pars proportionalis, quamvis post punctum divisibile immediate sequatur. Ad tertium cognitæ illis punctis, cognoscitur etiam aliquid aliud, scilicet partes extensæ includentes illa puncta, namquam tamen cognosci possunt partes, ut non includentes puncta. Ad primam impugnationem dicimus, partem ut continuum posse duo respicere, vel aliam partem, cui copulatur per indivisibile continuativum, vel partes illas copulatas, quas includit, & a quibus constituitur, & integratur; partes ut respiciunt indivisibilia continuativa cum aliis comparibus, & prioris generis, præsupponuntur illis, non vero ut respiciunt indivisibilia continuativa partes integrantes, & inclusas in qualibet illarum, ut dicimus art. seq. n. 85. Ad 2. impugnationem dicimus, cognosci quidem ut realiter distincta, sed non ut realiter sejuncta, quia partes includunt puncta. Ad tertium respondemus, nihil ex hoc sequi, nam adhuc deberet postea linea apprehendi includens illa puncta; vel dicimus, nec posse apprehendi omnia, non considerando partes, quia esset cognoscere primum, & secundum indivisibile, licet quodlibet in particulari sit cognoscibile ex se.

74 Tertio impugnantur indivisibilia, quia non potest assignari, in quo subjectentur; nam cum sint accidentia, debent inherere, vel ergo subjectum puncti v. gr. est aliquid divisibile, vel indivisibile; si primum, ut afferunt Massius 6. Phys. sect. 1. qu. 1. Conimb. cap. 2. qu. 1. art. 3. ad 6. & Tarat. cap. de Quant. qu. un. dub. 2. scilicet, quod sit in subjecto partis terminata, quia non est adæquatum, sed inadæquatum. Contra hoc est, quia tunc punctum esset extensum saltem virtualiter, sicut est anima rationalis, quod est falsum. Sequela prob. quia omnis informatio fit per penetrationem formæ cum subjecto, ergo si punctum esset indivisibile subjecto, esset cum illo penetratum & consequenter vel formaliter extensum, vel saltem virtualiter, seu naturaliter replicatum, quæ omnia sunt falsa ex dictis art. præc. tum quia subjectaretur in partibus, quas non unit, quod etiam est absurdum, quia unio est solum in rebus unitis per illam, Sequela prob. quia istud divisibile, quod est subjectum puncti, est in infinitas partes divisibile, quæ per alia indivisibilia sunt unitæ, ergo punctum in illis omnibus esset, quas tamen non unit; tum quia partes quantitatis essent naturaliter penetratæ, nam punctum, quod subjectari ponitur v. gr. in parte A, cum qua penetratur, esset etiam penetratum cum mediataribus partis A, absque sui replicatione, quia replicatio in pluribus subjectis non fit naturaliter, ergo illæ medietates essent etiam inter se penetratæ, quia occuparent solummodo locum puncti. Neque distinctio adversariorum de forma completa, & incompleta aliquid valet; nam si forma completa, quæ est perfectus ens, non potest informare, nisi subjectum adæquatum, non vero excedens, & inadæquatum, multo minus forma incompleta, quale est punctum, nam posse informare majus subjectum absque sui extensione formali dicit majorem perfectionem ex dictis disp. 5. q. 7. Neque secundum potest admitti, scilicet, quod istud subjectum sit aliquid indivisibile: nam hoc necessario esset substantiale, quod est falsum. Tum quia ex 8. Met. 15. prædictorum indivisibilium nulla est substantia. Tum secundo, quia punctum non uniret partes lineæ, sed potius indivisibile substantia cum partibus lineæ, quia unio est essentialis ratio unendi id, in quo subjectatur.

Resp. admittendo secundum, quod in indivisibilibus substantialibus subjectentur, quia enim substantia seclusa quantitate suas partes habet entitativas, erit etiam ex partibus integrantes, & extensis composita, ac propriis indivisibilibus continuatis, ut dictum est qu. 1. Cum impugnantur ex Arist. dicimus, ibi loqui de indivisibilibus quantitativis, quæ negat esse substantias, quærit enim ibi, an sint substantia, vel accidentis. Ad secundum negamus sequelam, cum probatur, dicimus unionem esse duplicem, alteram informationis, quæ secundum nos est relatio ex dictis disp. 5. qu. 9. & hæc denominat unitum subjectum, in quo fundatur, quia quæ per talem unionem unita dicuntur, uniantur immediate inter se; alteram continuationis, & per modum nexus, & ista non denominat subjectum, in quo recipitur unitum; sed potius partes, quas afficit, & quibus adheret, non inheret, quia partes per talem unionem non dicuntur immediate unitæ, sed in aliquo tertio ad modum glutinis unientis partes tabulæ, in hoc sensu indivisibilia dicuntur uniones partium.

75 Sed contra instatur, quia posset dubitari de istis indivisibilibus substantialibus, nam in divisione continui non solum quantitas, sed etiam substantia dividitur, unde non tantum indivisibile quantitativum continuans deperditur, & duo quantitativum terminativa generantur, verum etiam idem de indivisibilibus substantiæ dicendum; quamvis autem non sit magna difficultas de indivisibilibus formæ; quippe quæ ex indivisibilibus materiæ dici possent educi; dubium tamen est de indivisibilibus materiæ, nam hæc non habent subjectum, tale enim esset necessario divisibile, cum non dentur alia priora indivi-

sibilia, & sic indivisibile subjectaretur indivisibili, quod esse falsum supra ostendimus: si ergo non habent subjectum, ergo crearentur, & annihilarentur, & per consequens non possent agens naturale dividere aliquid corpus, quia non potest creare, vel annihilare. Si dicas, non proprie creari, aut annihilari; quia creatio excludit omnem concursum secundæ causæ in ratione materiæ non solum per se, sed etiam reductive, modo materia concurrat ad productionem horum indivisibilium recipiendo aliquo modo illa, etsi non recipiuntur ut forma in subjecto, saltem ut terminus in suo terminabili, nam ista indivisibilia vere sunt suo modo in materia, ab ea resultant, & terminant ipsam, propter quam dependentiam a materia cui pertinent uniri, & fieri in ipsa naturaliter, nequaquam creari dicentur; sicut dicunt de substantia, quæ a natura substantiali dimanat ut terminus, non tamen creatur. Contra, quia resultantia ista est vera actio ex dictis disp. 7. qu. 3. art. 3. ergo materiæ, quæ est pura potentia passiva, nequit convenire. Tum quia hoc admisso, aliquid materiæ esset vere generabile, & corruptibile, contra naturam ipsius; non enim esset subjectum primum indivisibilium formæ, quæ ex indivisibilibus materiæ educerentur.

Resp. concedendo, indivisibilia illa materiæ non habere subjectum inhesionis, aut informationis, sed quasi inhesionis modo explicato in responsione allata, quæ efficientia non debet a materia excludi, ut diximus disp. 2. qu. 8. art. ultim. qua ratione etiam creatio dici non debet ista resultantia. Nec quoque est absurdum, non materiæ, sed aliquid materiæ esse in hoc sensu generabile, & corruptibile, non enim esset rigorosa generatio, cum non educatur de potentia subjecti, quod informet.

Dices etiam, si indivisibilia quantitatis in indivisibilibus substantiæ subjectantur, ergo in speciebus vini consecrati dum agitantur, vel dividuntur, multa de novo indivisibilia essent, sub quibus non esset Christus, nam non est sub novis speciebus sine nova consecratione, & quæ non essent in aliquo subjecto. Tum quia non possent agens creatur species illas dividere, quia non possent per divisionem producere illa indivisibilia, quæ creari deberent, cum careant subjecto. Resp. Christum Dominum de novo fieri sub illis indivisibilibus etiam absque nova consecratione, quia illa non sunt proprie novæ species, sed sunt aliquid pertinet, vel ut continuativum, vel ut terminativum ad species consecratas, & hoc quia Christus ex decreto debet omnia munera substantiæ panis exercere, si adesset, cum ergo sub illis novis indivisibilibus eadem substantia panis cum suis indivisibilibus reperiretur, & non alia simpliciter de novo adveniret, etiam Christus erit sub illis speciebus.

Ad aliam dicimus, proprie illa indivisibilia a Deo immediate produci propter defectum concursus substantiæ in genere causæ materialis, agens autem creatur dicitur dividere illas species, quatenus Deus concurrat ad illum motum, & actionem, quæ divisio causatur; quod de indivisibilibus materiæ non æque commode dici potest, quia ista materiæ non sunt nata inherere, sicut indivisibilia quantitatis, quæ proprie inherent, & educuntur. Sed adhuc contra hæc indivisibilia substantia inflant Jo: de S. Tho. qu. 20. Phys. art. 2. & Manca 6. Phys. qu. 1. dub. 4. quia his admisis tunc haberet substantia materialis sufficiens principium impenetrationis, quod neque nos concedimus, cum hoc sit sola quantitas. Probat sequela, quia minus indivisibilium in quantitate nedum est terminare partes, sed etiam illas ita unire, & copulare adinvicem, ut continuæ inter se dicantur, & non compenetratæ, si enim per suas extremitates non unirentur, sed se totis, se utique penetrarent, & una intraret divisibilitatem alterius, ergo si substantia haberet ex hæc indivisibilia, haberet sufficiens fundamentum impenetrabilitatis. Resp. neg. conseq. Ad probationem dicimus minus indivisibilium in quantitate esse partes terminare, & continuare, non autem extendere, & unam extra aliam ponere, immo potius hoc eis repugnat, quia indivisibile additum indivisibili, vel divisibili non facit majus; partes ergo quantitatis seipsas extenduntur, & extraneantur ab invicem, & indivisibilia inserviunt solum ad earum continuationem; in hoc autem differunt partes substantiæ materialis, & quantitatis, ut dictum est qu. 1. hujus disp. art. 2. & disp. 7. Log. qu. 2. art. 2. quod licet omnes sint extra se invicem, tamen extremitas partium substantialium non facit repugnantiam ad impenetrationem, quia non sunt partes naturæ suæ in eodem loco impossibiles, ut sunt partes quantitatis, quæ sola est radix impenetrabilitatis. Dices si simul jungerentur duæ partes quantitatis præcis indivisibilibus, tunc unirentur se totis per intromissionem, & penetrationem unius cum alia, ergo vera ad sola indivisibilia spectat partes quantitatis ponere extra se invicem & impenetrabiles reddere. Neg. conseq. sicut enim non bene argueretur dicendo, si materia, & forma unirentur præcis dispositionibus, totum substantiale constituerent non possent, ergo ad solas dispositiones spectat substantialiter constitui totum; inde enim solum inferri potest, quod sint necessaræ conditiones ad talem constitutionem; ita in proposito ex assumpto in argumento solum inferri licet, quod indivisibilia in quantitate necessaria sunt, ut impenetrabiles quæ illis convenit ex natura sua etiam indivisibilibus præcis, reducatur ad actum: in substantia vero materiali licet indivisibilia ita uniant ejus partes, ut una sit extra aliam, & in solo indivisibili copulerentur, quia tamen illæ partes non sunt suapte natura impenetrabiles, ideo absque miraculo compenetrari possunt adinvicem, & cum aliis corporibus; non ergo indivisibilia sunt principia impenetrabilitatis in quantitate, sed requiruntur solum, ut talis aptitudo reducatur ad actum, &

ideo non sequitur, quod eis in substantia admisis, habeat substantia sufficiens principium impenetrabilitatis; seu resistendi generationi, ut infer Jo: de S. Tho. quæritur ad hoc induendum sola indivisibilia non sufficiunt, sed requiruntur etiam partes suapte natura in eodem loco impossibiles, quales non sunt partes substantiæ.

76 Quarto ostenditur, non dari indivisibilia, propterea quod nihil juvant; nam primo non inserviunt propter contactum, quia (& est argumentum Hurt. quod contra contactum puncti conficit) adhuc pars debet esse simul cum compare, non enim indivisibile est extra locum partis, sed simul cum illa, ergo quod est simul cum indivisibili, est etiam simul cum parte, & sic quia in continuatione utraque pars est simul cum indivisibili continuativo, erunt etiam simul ipsæ partes, & in eodem loco; & idem dicendum de partibus duorum corporum se tangentium, quare possent poni simul sine illo indivisibili. Tum secundo, quia sphaera tangens planum vitreum, frangeret illud; ergo non in puncto tangit, sed in parte aliqua. Pater consequentia, nam fractio provenit ex resistentia unius corporis respectu alterius impellentis illud, ergo cum illa puncta sphaeræ, & plani sint simul, nec unum alterum expellat, sequitur, quod fractio proveniat ex partibus, secundum quas illa corpora se tangunt, & ad invicem resistent. Tum tertio, quia nequit assignari, quod immediate tangat indivisibile in continuo, non aliud indivisibile, quia non datur immediatum; non partem, quia nequit indivisibile alicui divisibili coexistere, ut contra Masium diximus in præc. argumento, ad quid ergo ponenda erunt? Tum quarto, si quantitas esset absque superficie, posset tangi, illuminari, videri, ut si ignis esset prope aerem, & uterque propria careret superficie, posset ignis in aerem agere, ipsum illuminando, & calefaciendo. Item esset adhuc finita, non enim est intelligibile, quod si Deus punctum auferret a linea, confluere deberet linea in infinitum, ergo esset vere finita. Neque dicas, negative tantum fore finitam, non positive; nam cum ratio termini, & finis proprie in negatione ulterioris perfectionis consistat, vere, & proprie linea illa terminata, & finita intelligitur absque puncto. Si dicas, non posse Deum punctum separare absque eo, quod aliud insurgat in linea. Contra, quia in aliis continuis a quantitate hoc evenit, tam si aliquid quantum ex una parte haberet unam formam, ex alia alteram oppositam, vel disparatam, si substantiales essent (ut est in corpore humano, quod continuum debet esse, ut sit aptum informationi animæ, & tamen ex partibus constat specie diversis) tunc in indivisibili continuativo medio non essent indivisibilia duarum formarum, quia hoc naturaliter repugnat, & per Arist. specie diversa nequeunt continuari, ergo altera illarum esset extrinsece terminata, & consequenter absque indivisibili terminativo, immo de quantitate idem esset dicendum, nam quantitas formæ extrinsece terminata erit etiam extrinsece terminata, sicut proprium subjectum, in quo invenitur.

77 Resp. ad primum esse maxime necessaria propter contactum, ut probatur est art. 2. cum impugnat, dicimus, indivisibile non esse extra partem, sed simul cum ipsa, non quidem quoad existentiam, ita ut vere indivisibile in parte existat, & subjectetur, ut dictum est, sed quoad extensionem, & motum, nam non reddit quantitatem magis extensionem, ac esset sine illo, & consequenter non occupat distinctum locum quoad extensionem, sed sicut est extra partem per existentiam, quia in illa non existit, ita ipsi correspondet aliquid in loco partis, quod erit aliquid indivisibile loco ipsi proportionatum, ut si indivisibile locati est continuativum, correspondet in loco aliud continuativum, si est terminativum, aliud terminativum; quapropter pars, quia est cum indivisibili simul quo ad extensionem, non quoad existentiam, non erit simul cum alia parte quoad existentiam, ita ut una pars sit in alia, & cum ipsa penetraret, sed sequitur dumtaxat, quod illæ partes simul sumptæ non faciant majorem extensionem, nec majorem locum occupent cum illis indivisibilibus, ac sine illis. Ad secundum negamus fieri contactum per partes, sed per puncta, resistent tamen, & franguntur, non quia adæquantur secundum aliquas partes, & commententur, sed propter summam approximationem, quam habent illa corpora sumpta non syncategorematicè, id est, secundum partes, quia cum quælibet pars plani sit plana, & spherici sit spherica, secundum istas dicant inter se, cum non commententur, sed categorematicè, quatenus inter illa corpora non potest contingere major approximatio secundum lineam rectam, ex quo sequitur, contactum fieri secundum punctum, & quia sunt maxime approximata, propter virtutem motivam unius aliud impellitur, & frangitur.

Ad tertium. Resp. ex Scot. 2. dist. 2. qu. 9. S. divisibile esse indivisibili immediatum stare dupliciter, vel quod secundum se totum est cum indivisibili statim, seu post indivisibile, vel quia inter ipsum secundum se totum, & indivisibile nihil mediatur; primo modo, inquit Doctor, divisibile non tangit, nec est immediatum indivisibili, quia nihil secundum se totum sequitur indivisibile, sed secundum priorem partem in infinitum sequitur, secundo modo, concedit, quia inter indivisibile, & partem nihil mediatur; ex qua doctrina dicimus ad argumentum, quod iste contactus, seu immediatio indivisibilis cum parte non est per existentiam, quasi quod aliqua pars sive determinata, sive indeterminata secundum se totam sit simul cum indivisibili, ut vult Hurt. sed sit secundo modo, quatenus scilicet inter indivisibile, & partem nihil mediatur, unde iste contactus est per quamdam juxta positionem, quia post partem im-

mediate sequitur punctum. Neque ex hoc evanescunt argum. Mathematica de contactu, ut infer Averfa, quia ait, posse dici, partes seu duas quantitates juxta se poni sine indivisibilibus. Non evanescunt, quia sequeretur puncto, nullam esse differentiam inter continuum, & contiguum, ut art. 2. probavimus. Secundo, quia ista juxta positio partium, seu quantitatum inter se nequit intelligi, nisi secundum aliquid indivisibile, in quo uniantur, & tangantur, nam quod juxta ponitur alteri debet esse determinatum, & terminatum; nequit autem ut sic intelligi, nisi aliquid indivisibile, ut terminus ejus ponatur, nam partes esse non sunt determinatæ, cum non sit prima pars, hoc autem non est necesse in juxta positione partis cum indivisibili, quia indivisibile ponitur ut terminus ejus, & hinc bene dicere possumus, nihil primo uniri cum indivisibili, sed post ipsum sequi partem tamquam aliquid indeterminatum, immo hoc est necessarium, quia res sine termino esset necessario indeterminata, & interminata, at si una pars alteri juxta ponitur absque indivisibili, nec postemum in continuo dicere, post istam partem sequitur altera, quia ly *ista* supponit pro aliquo determinato, non indeterminato, & tunc quod sequitur, vel est determinatum, vel indeterminatum; vel secundum per ipsos, quia eodem modo se habet utraque pars; si primum, jam non erit quid continuum. Similiter in contiguis non possemus dicere, ista corpora sunt secundum aliquid simul, nam vel ly *aliquid* supponit pro divisibili, vel pro indivisibili; si secundum, habemus intentum; si primum, daretur penetratio. Dices, sunt simul, quia statim sequitur aliud corpus post alterum, sicut indivisibile est simul cum parte, quia statim post ipsum sequitur. Contra, similitas non arguit diversitatem loci, ut pater in parte, & indivisibili, quæ in eodem sunt loco, ergo si contigua sunt aliquo modo simul, debent aliquo modo non habere diversum locum, sed eundem, ergo esset necessario aliqua penetratio concedenda. Dices, etiam si unum indivisibile unitur parti, ergo per unionem, talis autem unio nequit esse divisibilis, sed indivisibilis, ergo duo indivisibilia immediata, & idem quantum de isto alio in infinitum. Resp. unionem illam secundum nos non esse quid absolutum, sed relativum, ut diximus disp. 5. qu. 9. de unione substantiali, ideo negatur sequela.

78 Ad quartum dicimus, quod si quantitas careret superficie, ex una parte deberemus concedere, posse illuminari, videri, tangi, &c. quia hoc est proprium quantitatis, ex alia deberemus admittere penetrationem, negare opacitatem in corpore, & similia, ut vidimus art. 2. ex quo apparet falsitas opinionis negantis indivisibilia, sicut si esset per impossibile infinitum actu, non posset ipsi fieri additio ex ratione infiniti, & tamen concedendum esset adhuc, quod Deus posset illud diminueri, & postea addere numerum aliquem, ex qua implicantiâ concluditur improbatio opinionis affirmantis, dari posse infinitum in actu. Dicendum igitur est, quantitatem nunquam posse esse sine superficie terminante, licet enim Deus destrueret unam superficiem, statim per necessariam sequelam altera resurderet, quamvis realiter distinguatur a quantitate, quod colligitur ex Scot. 2. dist. 2. qu. 9. sub M. ubi habet; quod quantitas ratione superficie habet multa, scilicet esse subjectum coloris, luminis, visionis, &c. unde si subjectum est ratione superficie, sine ipsa non posset esse subjectum: quod ratione patet de figura, nam licet possit quantitas esse sine hac, & illa figura, non tamen sine omni. Neque in generatione substantiali, aut in continuo atherogeneo, ut est corpus animatum, quantitas est extrinsece terminata, quia eadem superficies est continuativa utriusque quantitatis, & quamvis in diversis subjectis illæ quantitates inexistant, ex hoc enim solum sequitur, realiter distingui, non tamen realiter esse distincta, nam illæ quantitates sunt ejusdem rationis inter se, & per consequens si una est interminata, vere erit alteri terminatæ continua; propositio enim illa Arist. quæ specie differunt, nequeunt continuari, intelligitur, quod quatenus specie differunt, non possunt habere aliquid unum indivisibile, quod ejusdem rationis sit cum illis partibus specie distinctis, unde ignis, & lignum non possunt habere unum indivisibile continuativum, & ejusdem rationis cum igne, & ligno, sub illo enim indivisibili quantitatis continuativo quantitatis ligni, & quantitatis ignis non est aliquid indivisibile substantiale ejusdem rationis cum forma ignis, & ligni, sed vel est indivisibile ignis, vel ligni. Neque est eadem ratio quantitatis, & alterius formæ continuæ, quod si ista potest esse extrinsece terminata, etiam quantitas, ratio desumitur a posteriori, nam alia formæ solummodo indivisibili indigent, ut terminatæ dicantur intrinsece, & positive, ideoque si propter aliquid impedimentum istis indivisibilibus carerent, nihil sequitur implicantiæ; at quantitas non solum indiget superficie terminante, ut positive dicatur finita, & terminata (non enim ratio termini semper quid negativum dicit, quamvis per negationem explicetur) sed etiam ut per ipsam munera exerceat, quæ non possent præstare sine superficie.

79 Quinto sit corpus perfecte pyramidale, quod est illud, cujus nulla pars est æque ampla cum altera, sed quæ basi est propinquior, est latior; quæ propinquior *cuspidi*, est arctior; figuratur aliqua superficies in medio, hæc vel est æqualis parti inferiori tantum, vel superiori tantum, vel utrique; si primum, ergo remanet aliquid superficie, quod parte superiori non cooperitur, & sic angulum faceret, nec esset perfecte pyramidale; si secundum, jam aliquid partis inferioris non cooperitur superficie; si tertium, ergo non quælibet pars est inæqualis alteri, quod est contra naturam corpo-

zis pyramidalis, quod clarius intelligitur, si pyramis illa esset in duas partes divisa, non ergo danda erunt hæc indivisibilia. Tum secundo, quia motus localis non potest esse ratio productiva alicujus, ergo nequit agens per divisionem aliquod indivisibile producere. Tum tertio, quia per divisionem quantum fieret majus, nam haberet duo indivisibilia, & per consequens plures entitates. Tum quarto, quia res materialis nequit esse indivisibilis, cum de conceptu rei materialis sit partium multitudo extensiva, de conceptu rei spiritualis parentia istarum partium; sed punctum, si esset, deberet esse materiale, ergo non posset omni parte carere contra rationem ipsius puncti, ergo si negatur punctum, debent omnia alia indivisibilia negari.

Resp. ad 1. retorqueri posse contra ipsam Averfam de partibus, nam si ex partibus duntaxat esse compositum continuum, dividatur pyramis illa in medio, quando postea superponitur pars superior inferiori, vel est illi æqualis, & sic non esset perfecta pyramidalis, vel minor, & tunc remaneret inferior in aliqua parte cooperta: qua propter dicimus, vel argumentum loquitur de parte determinata, vel indeterminata, determinata non datur post superficiem, pars indeterminata datur, sed non prima, & immediata, quare non poterit superficies dici illi æqualis, vel inæqualis, quia hoc convenit partibus determinatis, unde partes illæ erunt inter se inæquales, sed ut in superficie uniantur, erunt æquales, quia ut sic sunt simul; potest hoc exemplo declarari, nam corpus locans est majus corpore locato, quia illud continet, & tamen si ambo secunda superficies considerentur, ducuntur æqualia, quia secundum illas sunt simul; sic Cælum superius secundum superficiem concavam non est majus inferiori secundum superficiem convexam. Ad secundum motus localis non est ratio formalis productiva alicujus, sed conditio sine qua non, nam indivisibilia resultant ex partibus corporis. Ad tertium quando continuum dividitur, non fit majus ens, sed habet plura entia, scilicet indivisibilia, quæ non faciunt majus. Ad quartum res materialis non solum dicitur illa, quæ partes habet entitativas, sed etiam quæ ad istam habet attributionem, & pertinet, & in hoc sensu punctum est quid materiale, quia est continuativum, vel terminativum rei materialis, qualis est linea.

So Sexto, si revera darentur ista indivisibilia, sequeretur, tot esse puncta in circulo minori, quot in majori, etiam si iste circulus esset magnitudinis Cæli, ille vero aliqua palmaris linea circa centrum, patet, quia omnes lineæ a punctis Cæli ductæ ad centrum transirent per distincta puncta circuli minoris; hoc autem est absurdum, quia si illa linea palmaris concipitur juxta Cælum parum curva, adæquate corresponderet omnibus punctis illius partis palmaris correspondentis in Cælo, ergo nequit adæquate correspondere, quando est circa centrum, omnibus punctis Cæli, quia Cælum multo plura puncta continet, quam pars illa palmaris, cum contineat omnia puncta illius partis, & alia omnia aliarum partium: quod etiam demonstrari posset in diametro posito in quadrangulo in rarefactione quoque; nam idem corpus absque additione novæ quantitatis coexistit adæquate minori loco, quando est densum, sed rarefactum majori centies ampliato: rursus idem motus per horam factus adæquate correspondet instantibus horæ per sua mutata esse, & tamen si idem motus fieret tardius, ut per annum duraret, adhuc deberent singula mutata esse singulis instantibus correspondere, quæ omnia sunt intelligibilia. Compl. disp. 25. Phyl. qu. 4. non audent negare, plura puncta esse in circulo majori, quam in minori, ut dicebant Conimb. ut huic responderent argumento, negarunt, posse a quolibet puncto circuli majoris duci lineam ad punctum circuli minoris, sed ad centrum per minorem circulum transentem, sed plures lineas ortas ex punctis circuli majoris terminari, antequam accedant ad circulum minorem, ut in figura, quam conscribit, conspici licet.

Sed isti Doctores errant in principiis Mathematicæ; certum est enim, quod a centro ad circumferentiam possunt duci lineæ ad omnia puncta circumferentiæ, sicut e contra, a quolibet puncto circumferentiæ ad centrum, quæ lineæ non nisi in centro concurrent, quia lineæ parallele sunt talis naturæ, quod nunquam coincidunt inter se, etiam si in infinitum protrahantur; unde lineæ a centro ductæ quo magis a centro dilantantur, eo magis inter se distant, & consequenter solum in puncto coincidunt, extra punctum vero statim spatio divisibili in infinitum incipiunt se jungi, per quod alie lineæ in infinitum possunt duci a circumferentiâ ad centrum, ergo falsum est, quod lineæ a circumferentiâ circuli majoris ductæ antequam ad circulum minorem perveniant, uniantur inter se, & terminentur. Figura vero illa ab ipsis formata est nimis grossa, & materialis, non enim conscribuntur lineæ parallele, & ad centrum directe protractæ, sed potius in latera flexentes; hinc est, quod terminantur, antequam ad circulum minorem perveniant, unde se habent ut lineæ incidentes, & oblique, cum causent incidentes in lineam rectam a centro ad circumferentiam angulos inæquales. Accedit etiam, quod a quolibet puncto diametri ad costam possunt duci lineæ in infinitum, nunquam tamen istæ lineæ erunt terminatæ ad idem punctum costæ, sed ad diversa, quia sunt parallele; tum quia ab isto puncto costæ ad aliud siterius costæ unica tantum linea recta duci potest, quæ diametrum interfecisset in uno puncto, non in duobus, aliter vel ista puncta erunt simul in diametro, vel illa linea prope diametrum in duas partes se divideret, quarum una descenderet, ut per punctum inferius secaret diametrum; deinde

iterum in unam lineam unirentur; igitur si a quolibet puncto diametri potest duci linea ad puncta costæ, quamvis diameter longior sit costæ, etiam a quolibet circuli minoris duci poterunt lineæ, absque eo quod antea terminentur.

81 Resp. ergo, quod ista ratio non solum infert difficultatem contra indivisibilia, sed etiam contra divisibilitatem partium in infinitum, nam non posset assignari pars aliqua in Cælo, quin correspondeat sua pars in circulo minori, & palmari circa centrum, & tamen si juxta Cælum poneretur, non posset correspondere nisi parti palmari ipsius Cæli; idem de diametro dicendum, ac de corpore rarefacto, & de motu, quæ non solum correspondent loco, vel tempori, aut costæ secundum indivisibilia, sed etiam secundum partes, ut scilicet quælibet correspondeat cuilibet parti, in quas fieret divisio. Nec solvit difficultatem paritatis, quod ait Averfa, scilicet quia partes sunt in infinitum divisibiles, posse optime intelligi adæquationem istam, Non satisfacit, quia annus plures habet partes, quam hora, etiam si hora sit in infinitum divisibilis, nam continet partes horæ, & plures alias, quomodo ergo potest idem motus omnino adæquari horæ, & anno secundum proprias ejusdem partes? nisi dicatur totum non esse majus sua parte; quicquid igitur responderetur ad hanc difficultatem de partibus, optime adaptari poterit, quatenus contra puncta formatur.

Ex his autem, quæ art. seq. ad 4. dicimus, & disp. seq. respondere possumus, quod sicut plures partes sunt in continuo majori, quam in minori, ita plura indivisibilia reperiuntur in majori, quam in minori, & sicut cum ex hoc excessu in majori continuo fiat adhuc, quod divisio in utroque possit in infinitum protrahi, quamvis plures partes majoris continui semper remaneant accipiendæ, ita ut quoad designationem actualem non tot partes proportionales possint actu assignari in majori, quin possint in minori assignari, cum hac tamen differentia, quod quælibet pars proportionalis majoris continui excedat proportionalem minoris eadem proportionem, quæ continuum majus excedit minus, at si divisio fieret secundum partes ejusdem magnitudinis, non posset tot partes accipi in minori, quot in majori, sed illud semper illud excederet; ita de punctis dicendum, quod non obstant excessu punctorum in majori circulo, possent adhuc in infinitum designari puncta in utroque, quamvis plura semper in majori remaneant accipiendæ, cum hac tamen differentia, quod si designatio fieret secundum partes proportionales, totidem puncta erunt accepta in utroque, sed in majori magis inter se distantia, quam in minori, sicut partes sunt etiam majoris molis, at si fieret per partes ejusdem magnitudinis, plura puncta erunt semper accepta in majori, quam in minori; tunc ad argumentum responderemus, concedendo, quod a quolibet puncto majoris circuli ad quodlibet minoris distributive potest protrahi linea, non vero collective, nam ut sic major excedit minorem in multitudine punctorum, sicut divisio in partes potest in utroque in infinitum fieri, non collective, sed distributive; cum improbat per positionem lineæ minoris prope Cælum, dicimus, idem secundum diversas positiones posse aquari, vel correspondere minori, & majori continuo, quia diversimode posset fieri divisio in partes, & designatio per lineas, sic quoad lineam est circa centrum, designatio fieret per partes proportionales, & ideo potest in isto processu adæquari toti Cælo, at quando est prope Cælum, tunc per partes æquales, & ejusdem magnitudinis fieret designatio, quomodo non potest toti Cælo adæquari.

82 Eadem doctrina resp. potest aliis exemplis adductis, nam diameter quando est in quadrato, divisio fit secundum partes proportionales, quia si costæ a linea dividitur secundum partem quartam, octavam, aut decimam, secundum eandem proportionem dividitur diameter, sed quælibet proportionalis diametri excedit proportionalem costæ, sicut diameter costam excedit; unde longior est linea diametri interjacentis inter lineas secantes, quam pars costæ inter illas inclusa, nam lineæ secantes costam conscribunt angulos rectos, at cum diametro faciunt angulos obtusum, & acutum: cum vero diameter est extra quadratum, divisio fieret secundum partes æquales, quo modo diameter nequit costæ commensurari. Per idem ad alia exempla de corpore rarefacto, & de motu tardiori, quia cum per rarefactionem in corpore non acquiratur nova quantitas, ut dicimus in lib. de Gen. sed solum fiat mutatio positionis de genere situs, ita ut partes, quæ prius per densitatem correspondebant minori loco, postea nulla facta variatione positionis inter se extendantur in ordine ad situm, & minores partes correspondeant majori loco, unde si corpus locans est densius, habebit in se plures partes quantitatis, & plura puncta, quam pars locati, attamen propter illam positionem de genere situs, quam habet de novo quantitas rarefacta, se habebit situs circulus minor correspondens majori, cum hoc tamen discrimine, quod divisio circuli majoris, & minoris sit penes molem partium, ita ut æqualitas, vel inæqualitas attenditur penes extensionem quantitativam localem partium; at in rarefacta quantitate, & in loco comparato in æqualitate, non fit penes occupationem loci, & spatii, quia in hoc conveniunt, sed penes partes quantitativas illorum, nam plures partes quantitatis sunt in densio, quam in raro, in eodem tamen spatio, & per hoc salvatur majoritas corporis densi; sic idem motus velox correspondet horæ, at tardus potest anno correspondere, quia ubi prius alicui parti motus velocis correspondebat tanta pars temporis horarii, eidem parti, & minori correspondere deinde tempus diurnum, unde adæquantur in duratione; sed plures partes sunt in motu Cæli, quam in motu isto sublunari, quamvis si fieret divisio in partes, tot partes proportionales essent in uno acceptæ, quot in alio, &

in utroque in infinitum fieret divisio, licet plures partes semper remanerent accipiendæ in illo motu veloci, quam in tardio. Sed de his plura in lib. de Gener. vide tamen art. seq. ubi alie responsiones ad istam rationem adducuntur, & confutantur. Postremo Arriag. quoque nuper disp. 16. Phyl. sect. 4. nonnullas facit contra indivisibilia difficultates, quæ cum allatis coincidunt, vel certe ex dictis facillime diluuntur, quare eas missas facimus.

ARTICULUS VI.

Enodantur difficultates contra existentiam actualem, & multitudinem assignatam partium in continuo.

23 **C**ontra compositionem continui ex partibus explicatam art. 3. graves sunt difficultates in hoc art. expendendæ. Et 1. obijciendo probando, quod partes actu non existant in continuo inter se distinctæ. Tum quia Arist. ubique de continuo locutus est, semper dixit habere plures, & infinitas partes, non actu, sed potentia, ita pronuntiavit 5. Met. 14. & 31. & 7. Met. 49. 3. de Anim. 23. 9. Met. tex. 11. & per hoc. etiam solvit 8. Phyl. 69. argumentum quoddam Zenonis, qui ex infinitate partium negabat motum. Tum secundo, quia quicquid est actu, debet esse determinatum, ut colligitur ex 7. Met. 49. & præsertim quælibet actualis quantitas habet propriam figuram, sed in continuo nulla facta signatione, aut divisione, nulla quoque haberet determinatio, aut figura in partibus, quia ratione numeri possunt sumi semper plures, & plures, & ratione divisionis possunt sumi variaz figurae in infinitum triangularis, cubica, &c. Tum 3. quia si admittantur actu partes in continuo, tunc quoque deberent dici plures, quod est falsum, quia unum dicitur, quod est indivisum in se, & divisum a quolibet alio, sed partes continui sunt indivisæ, ergo sunt unum, & etiam quia si quantitas continua haberet plures partes, non differret a quantitate discreta, nam multitudo est ratio quantitatis discreta, & numerum constituit. Tum quarto, quia si plures, & multæ constituantur partes continui, deberent quoque poni actu distinctæ, quod dici nequit absque manifesto periculo incurrendi eandem difficultatem, ac si poneremus eas esse actu divisas, nam sicut si partes forent divise, una non includeret aliam, ac proinde continuum in indivisibilia resolveretur, ita si ponantur omnes inter se distinctæ, una non includeret aliam realiter, & etiam quia si sunt inter se distinctæ, jam nulla pars manet amplius distinguibilis in plures, atque ita nec divisibilis, quia divisibilitas fundatur in distinguibilitate. Tum quinto, quia quælibet pars continui est magis una in se, quam cum alia comparet, nam alioqui vel non distingueretur a comparet, vel distingueretur a seipsa, sicut distinguitur a comparet, sed ante designationem, vel divisionem nulla pars est magis una in se, quam cum alia comparet, cum in non habeat aliam rationem unius, quam continuitatis, quo modo etiam est una cum comparet, ergo ante designationem, vel divisionem non sunt plures actu, nec distinctæ partes in continuo. Tum denique, quia si partes continui sunt plures entitates in actu abinvicem distinctæ, continuum non erit ens per se unum, sed per accidens.

84 Resp. sensum phrasim Arist. esse, quem ipse indicavit 5. Met. tex. 18. definiendo quantum continuum, dum ait, esse divisibile in ea, que insunt, quorum unumquodque hoc aliquid aptum est esse, atque ita non negat, partes esse actu in continuo in ratione partium, sed in ratione totius, & entium completorum, per se, id est, solitarie existentium, quantum enim ad hunc essendi modum solum sunt in potentia, quousque dividantur, quem etiam sensum ipsomet Arist. aperitissime dedit 7. Met. tex. cit. 49. dum reddens rationem, quare continuum unum non potest fieri ex multis actu inexistentibus, sed potentia, ut duplex ex duobus dimidiis in potentia, subdit, quia actus separati, &c. de sensu vero Arist. 8. Phyl. 69. mox dicemus in solutione argum. Zenonis; satis nunc erit advertere, argumentum ejus urgere, sive partes sint distinctæ, sive non, quia argui posset, quod mobile per motum designaret partes continui, atque ita nunquam posset insipere motus, quia incipere non posset designatio primæ partis. Ad secundum duplex est rei determinatio, alia, quæ fundatur in termino rei intrinseco, seu in hæcitate rei, & hæc a divisione non pendet, alia, quæ fundatur in termino extrinseco, & hæc a divisione pender, & proprie spectat ad res corporeas, quæ tantæ, vel tot judicantur, cum sunt separate, & divise, major illa intelligitur de determinatione extrinseca, & accidentali, quæ habetur ex termino indivisibili per divisionem resultantem, quæ determinatio est in toto, & non in partibus, non autem intelligitur de intrinseca, & essentiali, quæ oritur ab hæcitate; & etiam figura sequitur ad quantitatem determinatam, non in primo, sed in secundo sensu, quia oritur ex varia quantitatis terminatione, ut notat Doctor 4. dist. 12. qu. 4. F. Ad tertium duplex unitas in partibus continui considerari potest, una transcendentalis, & entitativa, altera predicamentalis, & quantitativa, seu integralis; illa oritur ex propria rei hæcitate, ista ex accidentali copulatione ad eundem terminum communem, partes continui in ipso dicuntur unum in hoc secundo sensu, non autem in primo, quia unitas continui non excludit pluralitatem partium, nec tollit hæcitates earum. Neque ob id confunditur ratio quantitatis continuæ cum discreta, falsum enim est, multitudinem partium esse rationem propriam discretæ,

cum potius sit ratio quantitatis in communi, & postea distinguatur per habere proportionem ad invicem, vel non habere, ut docuit Arist. in predicamento quanti, & patet ex dicti art. 3. concl. 1.

85 Ad 4. conceditur, partes continui, & esse plures, & esse actu distinctas, & negatur, easdem difficultates incurri, ac si ponerentur divise, quia cum distinctione unius partis ab alia stat adhuc inclusio istius in illa, & pars includens distinguitur ab inclusis distinctione inadæquata, quæ proprie veritatem inter includens, & inclusam, at divisio omnem inclusionem excludit, ut de se patet. Negatur etiam ex hoc, quod ponantur actu distinctæ, sequi esse indivisibiles, potius enim sequitur esse divisibiles, quia divisibilitas fundatur non in distinguibilitate, sed in actuali distin. partium, & potius e contra, si non essent realiter distinctæ, indivisibiles forent, quia separari nequeunt, quæ sunt realiter idem. Ad 5. variaz sunt solutiones, quia argumentum aliquam habet difficultatem, sed breviter. Resp. ex Scot. in 4. dist. 10. qu. 3. ad 4. & dist. 43. qu. 1. D. quom resp. amplectitur Amic. tr. 15. qu. 6. n. 80. duplicem esse quantitatem in parte, unam intrinsecam, vel inclusam, alteram extrinsecam, seu conjunctam; prima dicitur intrinseca, quia sibi convenit ratione partium, quas includit, altera dicitur extrinseca, quia sibi quasi ab extrinseco advenit, ex conjunctione nimirum cum alia comparet, ex quo colligitur, partem majorem habere in se unitatem, quam cum parte, cum ista enim habet tantum unitatem continuationis extrinsecæ, quatenus ab extrinseco, & per accidens ei conjungitur, sed in se est una unitate continuitatis intrinsecæ, & inclusa, quatenus in se constituitur, ex partibus, quæ habent continuationem. Ad 6. negatur conseq. quia aliud est loqui de toto physico essentiali, & ejus partibus, & aliud de integrali, nam essentialia, ut sit unum per se, tales utique exigunt partes, quæ nec sint entia in actu, nec hoc aliquid esse possint, etiam si separeantur, ut est de materia, & forma, & de hoc toto loquebatur Arist. 7. Met. dum dixit, ex duobus entibus in actu non fieri per se unum, at totum integrale non exigit partes sic in potentia, immo Arist. 5. Met. 18. significavit has esse posse hoc aliquid, si ab invicem separentur, sed petit partes in potentia, ut potentia excludit actum totalitatis, & subsistentiæ, & proprium terminum extrinsecum, quia isto carere debent, & copulari uni termino communi, & hoc sufficit, ut faciant unum per se unitate continuitatis.

86 Secundo occurrit contra infinitatem partium Zenonis arg. antiquum quidem, cujus tamen vis nunquam debilitata est ob senectutem, data enim hac partium infinitate, ajebat Zeno, motum de medio ablatum iri, quia antequam mobile pertranseat aliquod spatium, debet prius pertranfire illius medietatem, & rursus illius medietatis dimidium, & sic deinceps quavis designabili minorem, & minorem in infinitum, ergo nunquam incipit motus, quia infinitum pertranfiri non potest ex 3. Phyl. 34. Resp. Arist. 6. Phyl. tex. 19. quod sicut in spatio sunt partes minores, & minores in infinitum, ita, & in tempore, unde in infinitum secundum partes proportionales pertranfiri potest, pariter in tempore infinito secundum easdem partes. Sed hæc solutio est ita frivola, ut ipsamet Arist. 8. Phyl. 68. ingenue fateatur insufficientiam ejus, utpote quæ transferat quæsitum a spatio ad tempus, qui adhuc posset quis inflare, quomodo pertranfiri possit ipsum tempus confinis partibus infinitis, & ideo ibidem aliter solvit, dicendo, in continuo esse infinita dimidia, & partes non actu, sed potentia, & ideo bene pertranfiri posse, qua responsione postea usi sunt Peripat. omnes, quorum tamen nullus clare dedit intelligentiam ejus.

Quidam enim dixerunt, esse ibi infinitas partes in potentia, non in actu, ita quod voluerit negare Philoophus actualem distinctionem inter partes continui, cujus expositionis falsitas patet ex dictis, nam partes vere sunt actu in continuo distinctæ, & quando etiam non forent nisi in potentia, adhuc urgeri potest difficultas ob designationem partium factam per motum. Alii vero dicunt, Arist. negare in continuo esse actu infinita dimidia quoad divisionem, vel designationem, quasi possint esse actu divisa, vel assignata infinita dimidia, & affirmat esse infinita in potentia, hoc est, posse semper assignari plura, & plura absque termino, ita tamen ut nunquam assignanda sint actu infinita, & ideo posse per motum omnia pertranfiri, & videtur expositio Simplicii. Sed non apparet, ex quo cap. per hoc solvatur argumentum Zenonis, & quomodo ex hoc, quod partes non sunt infinitæ in actu, & categoremate, sed in potentia, & syncategoremate, sequatur per motum posse pertranfiri, quia tam infinitum primi generis, quam secundi est impertranfibile. Licher. 2. dist. 2. qu. 9. §. Contra 3. Or. explicat, quod partes dicuntur esse in potentia in continuo quoad ad subsistere, sed esse in actu quoad existere; unde inquit non esse inconveniens, quod infinita in actu inexistentiæ possint pertranfiri, esset tamen inconveniens de infinitis in actu subsistentiæ. Sed neque hoc satisfacit; nam si daretur spatium actu infinitum ex infinitis partibus æqualibus constitutum, adhuc pertranfiri non posset, & tamen partes illæ forent infinitæ in actu existendi, non subsistenti, quia non essent divise.

87 Compl. 6. Phyl. disp. 25. qu. 5. inquirunt, quod post primum instans temporis, quamvis non fiat aliqua determinata pars, qua prior, ac immediatior prædicto instanti fluxerit, nihilominus datur aliqua indeterminata, & confusa, quæ indeterminata, & confusa modo sit immediata instanti, & sic ratione istius potest tempus indeterminata, & confusa incipere, sicut etiam potest desinere ratione alterius partis indeterminatæ, & confusæ, quæ eodem modo sit immediata instanti terminativo temporis, & sic patet in

spatio, & in motu admittunt immediatam partem indivisibili initiativo spatii, & motus, & in ea parte dicitur motus incipere, & eam primo pertransire. Sed plane repugnat admittere primam partem motus, vel temporis etiam indeterminatam, repugnat admittere partem temporis, vel motus sententiam in eo sensu immediatam indivisibili initiativo motus, vel temporis, aut terminativo; tum quia ex tali primitate, & immediatione dici deberet determinata, unde implicat in adjecto dari primam partem, & immediatam indivisibili initiativo indeterminatam, & confuse; tum quia saltem Deus, qui eam creavit, perfecte discerneret, potius ergo eam non discernit, quia nec est, nec dabilis est aliqua pars etiam indeterminata ita prima, & immediata indivisibili initiativo, ut aliqua alia prior non sit assignabilis, nam utique pars illa indeterminata, quae sic immediata ponitur, adhuc divisibilis foret.

Aversa qu. 22. sect. 7. explicat, ideo Arist. dixit, partes continui esse infinitas in potentia, & hac ratione pertransiri posse, non autem si ponantur infinitae in actu, quia partes infinitae primo modo dumtaxat constituunt magnitudinem finitam, eo quod sint semper minores, & minores, & una in aliam inclusa, & ita facile pertransiri poterunt, quatenus concluduntur intra finitam extensionem, quod certe de partibus actu infinitis dici non potest; subdit tamen, has infinitas partes pertransiri non posse, quatenus infinitae sunt in multitudine, hoc est non posse distincte numerari omnes a prima ad ultimam, sed pertransiri tantum, quatenus constituunt finitam magnitudinem, quae sicut expositio Pendasii 8. Phys. part. 85. ubi docet, partes continui, ut plures, esse impertransibiles, non ut faciunt unum, & ideo continuum absolvi per motum, ut unum quoddam totum extensum, non ut multa; itaque Arist. ait, infinitas partes esse in continuo potentia, non actu, quatenus in eo non terminantur propriis terminis, nec sunt extra se invicem, sed minores includuntur in majoribus; eam vero determinationem accipiunt partes per divisionem, vel signationem, dum in continuo, in quo est unum punctum continuus partes, concipiuntur duo, quorum unum est principium, & alterum est finis alterius partis; motus igitur non ita tangit partes, ut eas determinet, vel designet, vel ita quod per eum numerentur partes continui, nec proportionales, nec aequales, quia numeratio fit per signationem partium modo explicato, unde falluntur illi, qui dicunt, motum fieri non per partes proportionales, sed per aequales, nam neque aequales designantur per motum, quo continue sine interposita mora a termino a quo ad terminum ad quem decurritur.

88 Hac Pendasii expositio ceteris antecellit, & hunc genitum arbitramur fuisse Arist. sensum; verum Amic. tr. 15. qu. 7. art. 9. eam vexare conatur; quamvis paulo infra in eodem art. iunctis pedibus probatur in ipsam, ait enim, impossibile esse pertransire continuum, ut extensum, nisi pertransiantur partes, nam essentia extensionis non consistit ex aliis, nisi ex illis partibus, ergo non potest pertransiri continuum, ut unum, sed ut constat ex illis partibus, quia motus magis respicit terminum, ut dicit pluralitatem, quam ut dicit unitatem, quia consistit in acquisitione partis post partem. At hoc a praefata expositione nos non debet retrahere, quamvis enim verum sit, quod concomitanter ad motum nos numeramus per designationem partes aequales continui, eo quod videmus, mobile acquirere modo hanc, modo ulteriores spatii partem, tamen formaliter ipse motus non est instrumentum, quo dividantur, vel designentur partes continui, sed respicit illud ut unum quoddam extensum continue pertransendum; non tamen ob id asserere intendimus, quod respiciat continuum, ut unum quoddam simplex, immo constanter asserimus respicere illud, ut compositum ex pluribus partibus actu inter se distinctis, sed quia cum tali distinctione fiat inclusio unius partis in alia, & infinitarum in una determinata, ideo dicitur pertransire infinitas per accidens ex Arist. 8. Phys. 68. quatenus nimirum proportionales continentur in aequalibus, & hoc est, quod dixit Scot. 1. diff. 3. qu. 2. ad 3. infinitum pertransiri posse, & cognosci, non tamen secundum modum suae infinitatis, qui est accipere numerando unam illius partem proportionalem post alteram.

Sed licet vis argumenti Zenonis factum de partibus spatii quoquo modo declinari possit, dicendo, quod mobile pertransit successive spatium sine numeratione partium ejus, quia pertransit sine determinatione, & alia est ratio motus, alia numerationis, ut notat Arist. lib. de lineis infsec. ex quo fit, partes continui per numerationem successivam pertransiri non posse, posse tamen per motum; tamen si argumentum a fluxu motus ad fluxum temporis transferatur, dissimulari non potest, nam dum fluit tempus, certe singulae partes ejus numerantur, una enim horum medietas prius accipitur, quam alia, & prius dimidium hujus medietatis, & sic deinceps, & tamen non obstante tali partium proportionalium enumeratione ad finem horum pervenitur, ergo partes proportionales in tempore non erunt infinitae, & sic quoque erit de partibus motus.

89 Adhuc tamen per eandem doctrinam vis argumenti declinanda est, negando, quod transitus temporis, & horum fiat per numerationem partium, transit enim hora, ut totum quoddam unum habens extensionem successivam, habens plures, & infinitas partes minores, & minores in majoribus tamen, & determinatis inclusas, horum autem divisio in partes aequales, & proportionales determinatas fit a nobis (nam alio-

quin a parte rei sunt invicem mixtae, & continuae,) & potest utique protrahi in infinitum. Hac de argumento Zenonis, quibus acquiescere debemus, tum ob reverentiam majorum, qui ita respondent; tum quia nihil adhuc occurrit, quo plene huic argumento satisfieri poterit, neque id nos a sententia Peripar. deterere debet, quia ut docet Arist. 8. Phys. 22. infirmitas est intellectus propter apparentes rationes sensatim relinquere probationem, & lib. de Lineis infsec. dicit, imbecillitas, & ignavi ingenii esse opinionem aliquam, quam evidens ratio vincit, ideo deserere, quia alicui argumento non potest plene satisfieri, sunt enim apud nos, inquit, falsa permixta veris, & ea saepe mens nostra aegre distinguit.

Tertio, quia Arist. fundamentum ad solvendum Zenonis nodum in eo consistit, quod numerus partium infinitarum incerta magnitudinis possunt pertransiri, quatenus sunt ita ad invicem dispositae majoribus minores includentibus, quod constituunt finitam magnitudinem, & magnitudo absolvitur per motum, non multitudine. Probatum modo, ex tali partium multitudine, infinitam quoque extensionem confingere debere, cum enim omnes hujusmodi partes sint quantae, ac proinde secum aliquam afferant magnitudinem, nec una se penetrat cum alia, sed distinctam loci partem occupat, ex his certe, quamvis sint proportionales, confluet infinita magnitudo, si sunt infinitae.

90 Resp. neg. sequelam, infinita enim magnitudo confingere nequit, nisi ex partibus infinitis determinatis, quarum una non continetur in alia, at ex partibus infinitis indeterminatis, hoc est, minoribus semper, & minoribus in infinitum, non nisi finita magnitudo confingere potest, licet enim omnes istae partes sint infinitae, tamen etiam infinitae decreverunt, & minores semper includuntur in majoribus, ex quo fit, quod licet in quantitate bipalmaris palmus unus non compenetratur cum altero, semipalmus tamen, quia communicat cum palmo, potest hac ratione dici penetrari cum eo, quia ratione talis communicationis non magis palmum extendit, quam si palmus illum non includeret, sed esset entitas quaedam omnino simplex carens partibus realiter distinctis, ex quo tandem fit, omnes illas partes infinitas in quibusdam certis inclusas non esse occupaturas, nisi spatium toti continuo proportionatum, neque confingere extensionem majorem, quam faciant illae determinatae, in quibus includuntur. Exemplo res manifesta fiet; sit certa aquae copia, dividatur in decem decimas, confundatur iterum, tum de novo dividatur in centenas proportionales respectu decimarum, plane illae centesimae non conficient extensionem majorem, quam illae decimae, & si iterum illae centesimae dividantur in millesimas, non facient majorem extensionem, quam illae centesimae, & illae decimae, & hoc non alia ratione, nisi quia, ut dicebamus, iste processus fit semper versus minoritatem, & versus partes inclusas, & communicantes cum majoribus; & paucioribus, quae proinde non faciunt extensionem majorem, quam faciant illae majores, & pauciores, & per hoc solvitur argumentum, quo nititur Arriag. cit. num. 35. ostendere esse in continuo infinitas partes determinatas, cum enim una pars est minor alia, atque in ea inclusa dicitur indeterminata, ut explicavimus num. 50.

Sed urgebis, hoc ipso, quod partes proportionales sunt infinitae, non sunt communicantes, ergo infinitam constituent extensionem. Probatum assumptum, ideo enim pars una dicitur communicare cum alia, quia in ea includitur, ut medietas ejus, ut semipalmus cum palmo, nam extensio semipalmi includitur in extensione palmi, at si partes proportionales continui sint infinitae, inter singulas mediabit punctum, ratione cujus erunt continuae, & una extra aliam, atque ita neutra alteram includet. Resp. negando assumptum, ad cujus probationem dicimus, partes proportionales non esse ita inter se dispositas, ut inter hoc, & illud punctum mediaret aliqua certa, & sic deinceps, sed ita sunt dispositae, ut quaecumque assignata inter duo puncta, adhuc aliae minores, & minores sint assignabiles cum ea communicantes, & quamvis verum sit, unam partem non communicare cum alia, ad cujus integritatem non spectat, sed tantum cum ea copulari in puncto, ut palmus cum palmo, vel semipalmus cum alio semipalmo, comparando tamen partem minorem cum majori, ut semipalmum cum palmo, non dicitur cum ea puncto copulari, sed in ea realiter includi, ut pars minor in majori.

91 Sed iterum dices, infinitae partes proportionales inferunt infinitas aequales, ergo infinitam molem constituunt. Probatum assumptum, nam in quolibet continuo sunt duae medietates aequales, & in quolibet medietate duae aliae aequales, & sic deinceps, atque ita in prima divisione duas habebimus medietates aequales, in secunda quatuor aequales, postea octo, deinde sexdecim, & sic in infinitum dabitur processus per medietates hinc inde aequales. Resp. concedendo in hoc sensu infinitas partes aequales in continuo non invicem communicantes, quia istae sunt indeterminatae, & in divisione fit semper processus versus minoritatem, unde de istis idem judicium ferri debet, ac de proportionalibus in astruenda magnitudine, sunt enim semper minores, & minores, & quamvis una aliam non includat, tamen singulae includuntur in majoribus, ex quarum divisione oriuntur; quando autem negantur infinitae partes in continuo, sermo est de determinatis aequalibus unice certae. Infinitas adhuc, partes proportionales infinitas inferre aequales etiam determinatas, & ejusdem quantitatis infinitas, non data magnitudine longitudinis palmarum decem, & latitudinis

ais palmi unius, si divisio fiat per primas duas medietates, & postea per medietates medietatum in infinitum, certe quilibet illarum erit latitudinis palmaris. Resp. negando sequelam, quia divisio, quae procedit in infinitum, non fit secundum eam rationem, secundum quam est aequalitas, sed secundum longitudinem, secundum quam est inaequalitas partium, nam primae duae medietates erunt singulae quinque palmarum, aliae sequentes duorum & dimidii, & sic deinceps, unde quando negantur in continuo infinitae partes aequales, & determinatae, sermo est de partibus aequalibus secundum omnem dimensionem, sic enim molem infinitam constituerent.

Ex dictis colligitur, quare si invicem continuarentur infinitae partes aequales non communicantes, molem infinitam constituerent, non sic vero infinitae proportionales, discernimur enim colligi debet ex diverso modo existendi in continuo harum, & illarum, partes enim aequales essent actu in continuo determinatae, tam quoad existentiam, quam quoad tantitatem, singulae enim essent determinatae magnitudinis, & singulae extra se invicem, ita quod non communicarent, nisi in puncto, partes autem proportionales non ita sunt dispositae in continuo, esto enim determinatae dici possunt quoad existentiam in continuo, & distinctionem unius ab alia, tamen quoad tantitatem sunt prorsus indeterminatae, cum una femper includatur in alia, nec aliqua tam modica assignari potest, quin adhuc possint assignari minores, & minores in ipsa inclusa, quae distinctum locum non occupant, cum sint partes ejus, qua ratione possunt dici minores quasi penetratae cum majoribus, at partes aequales sunt prorsus determinatae, & ejusdem quantitates, & una prorsus extra locum alterius, & ideo si sunt infinitae, infinitam facient extensionem eo prorsus modo, quo sunt infinitae.

92 Quarto, ex hac partium proportionalium infinitate sequitur, non esse plures partes in uno continuo, quam in altero, non plures in majori, quam in minori, non plures in Caelo, quam in grano milii, non plures in toto, quam in parte, ex quo deinde sequitur, omnes magnitudines esse inter se aequales, nec totum esse majus sua parte. Resp. Comb. cum Greg. in 2. dist. 2. quaest. 2. ad 12. concl. 2. Lich. 2. qu. 9. S. Respondeo ad primum, &c. gratis concedendo, non dari plures partes proportionales in continuo majori quam in minori, quia si darentur duo circuli, quorum major minor intra se contineat, tunc omnes lineae a circumferentia maiore ductae ad centrum transirent per circulum minorem. Ex quo patet, tot puncta in uno reperiri, quot in alio, negant tamen consequentiam alteram hinc illa tam, quod omnes magnitudines essent inter se aequales, & totum non majus sua parte, quia magnitudo non oritur ex multitudine partium proportionalium, sed ex earum magnitudine, eo quod partes proportionales continui majoris semper sunt majores partibus alterius.

Sed male conceditur prima sequela, & negatur altera inde deducta, male conceditur, quoad multitudine tot esse proportionales in continuo majori, & minori, in toto, & parte; tum quia pars respectu totius non solum potest considerari secundum magnitudinem, sed etiam secundum multitudinem, & in utroque debet excedi a toto, quia totum continet quicquid est in aliqua parte, & aliquid amplius, tum quia si linea minoris circuli, & majoris extendatur in lineas rectas, & una ponatur sub alia cum aliqua distantia, clarum est, lineam majoris circuli fore duplo longiorem, & tunc a singulis punctis lineae minoris circuli poterunt duci lineae ad singula puncta unius medietatis lineae majoris circuli, sed non ad puncta alterius medietatis excedentes, ut demonstravimus art. praeced. ad 6. ubi doctrinam Compl. circa hos circulos referavimus.

Idcirco Suar. in Metaph. disp. 40. sect. 5. nu. 49. Ruvius tract. de Inf. & de Cont. & lib. de Gener. tract. de raref. nu. 137. & 138. admittunt, non solum majores, sed etiam plures esse partes continui majoris, quam minoris, plura puncta in circulo majori, quam in minori, atque ita concedunt, unum infinitum posse esse majus alio materialiter, licet non formaliter. Contra; tum quia ut sequent. disp. dicemus, implicat, unum infinitum esse majus alio etiam materialiter, nimirum quoad res ipsas, ex quibus componitur, hoc enim directe destruit rationem ipsam formalem infinitudinis in hoc consistentem, quod non habet terminos, eos autem haberet admissa hac materiali majoritate, ut ibi ostendemus, ibi enim terminaretur unum infinitum, ubi inciperet ab alio excedi; Tum quia infinito repugnat excedi in eo genere, in quo est infinitum; Tum quia, ut inquit Canon, tandem deveniendum erit ad hoc, quod in continuo quolibet sit infinitas infinitae partes, cum enim continuum quolibet contineat infinitas partes proportionales in actu, quarum quilibet est similiter divisibilis in infinitas partes, plane in quolibet continuo erunt infinitas infinitae partes.

93 Comp. gratis concedunt, esse in quolibet continuo infinitas infinitas partes, adhuc tamen affirmant, plures esse in continuo majori, quam in minori, quia plures partes sunt possibiles, quam infinitas infinitas, si enim multitudo partium infinitas infinitas, & plures multiplicetur, major est, quam praedicta multitudo, unde si in una medietate certae sunt infinitas infinitae partes, tot etiam sunt & in altera, sed multitudo partium totius adhuc erit major, quia talis multitudo infinitas infinita bis sumitur toto, semel in singulis partibus. Sed multitudo hujusmodi partium in quolibet continuo infinita,

ties infinita, infinitas infinitas patitur difficultates, ut seq. disp. dicemus: nam praeterquam quod multitudo sic infinita implicat ex 3. Phys. 37. hac admissa multitudine partium in omni continuo, non potest amplius defendi, plures esse in continuo majori, quam in minori, ubique enim erunt infinitas infinitae, unde auctores admittentes infinitum esse possibile, & dicentes, quamlibet infinitam multitudinem non posse esse semel infinitam, sed debere esse infinitas infinitas, negant prae-ter, unum infinitum esse majus alio, & cum quolibet continuum contineat infinitas infinitas partes, quarum singulae tot alias continent, & toties, tandem ad hoc deveniendum erit, quod in unoquoque continuo erit infinitas infinita partium multitudo, & infinitas quoque multiplicata, & ideo sicut Ari non potest multitudo infinita semel, sed debet esse infinitas infinita, sic quoque dari non poterit multitudo infinitas infinita, & semel sumpta, sed debet quoque esse infinitas multiplicata, & si est plus multiplicata in toto, quam in parte, redit difficultas, quod unum infinitum sit majus alio. Ex hoc patet quam difficulter hunc laqueum effugiant, qui ponunt partes proportionales in continuo infinitas in actu, & categorematice.

94 Praeter igitur ponere illas infinitas syncategorematicae tantum, sic enim salvatur, partes in continuo majori esse majores, & plures numero, quam in minori, etiam si utrobique sint infinitae, quamvis enim infinitati categorematice repugnet habere majus ratione suae actualitatis, & multitudinis in gradu supremo, tamen infinitas syncategorematica potest habere majus ratione suae potentialitatis, & indeterminatae, & ideo in infinito syncategorematico non repugnat dari magis, & minus. Sed quomodo infinitum syncategorematicum possit majus, & minus recipere, varie explicatur ab auctoribus hunc dicendi modum sequentibus, quidam enim distinguunt in isto infinito partes acceptas, & accipiendas, & ratione partium acceptarum ajunt, unum infinitum syncategorematicum esse majus, vel minus alio, licet non ratione accipiendarum, cum enim per divisionem palmaris habebimus duos semipalmos, per divisionem bipalmaris in partes ejusdem quantitates habebimus quatuor semipalmos, & ita semper erit in toto processu, quod plures partes in actu ejusdem quantitates erunt acceptae dividendo continuum majus, quam dividendo minus, sed in potentia tot partes ejusdem quantitates erunt accipiendae in majori, quot in minori. Sed modus iste dicendi tenendus non est; tum quia secundum hanc viam de partibus accipiendis redeunt difficultates omnes, quae obijciuntur contra tenentes, tot esse partes in continuo minori, quot in majori; tum quia recipere majoritatem secundum partes acceptas est eam recipere secundum partes finitas, quia acceptae semper sunt finitae, sed etiam infinitum categorematice secundum tales partes magis, & minus potest suscipere. Ideo dicendum est, syncategorematicum infinitum etiam secundum partes accipiendas, quae dicuntur infinitae, posse magis, & minus suscipere, unde Caelum si dividatur simul cum grano milii, dicitur majus eo, non solum quia partes ex ejus divisione acceptae, vel accipiendae semper sunt majores, sed etiam quia sunt plures accipiendae ex uno quam ex alio. Et hujus ratio est, quia de ratione partium syncategorematicae infinitarum, non est, ut ultra, vel praeter illas non sint aliae partes, ut de infinito categorematice, sed solum ut sint tot, quod illarum acceptio successiva finem habere possit; ut fufse disp. seq. quaest. 1. art. 2.

95 Quinto urgetur alia ardua difficultas, quae totam videtur evertere doctrinam in praeced. responsione allatam de infinitate syncategorematicae partium, nam si sunt actu in continuo, & non sunt finitae, sed infinitae, ergo erunt categorematice infinitae, & non syncategorematicae; Probat. consequent. hanc enim est differentia inter utrumque infinitum, quod categorematice est, vel esse potest totum simul in actu, syncategorematicum vero partim est in actu, partim in potentia, unde semper includit successionem, & potentialitatem, ita Arist. distinguit utrumque hoc infinitum 3. Phys. 56. & 57. & Scot. quol. 5. ab initio.

Resp. difficultatis hujus solutionem pendere ex 1. qu. disp. seq. art. 1. ubi aperiemus discrimen inter infinitum categorematice, & syncategorematicum, multi namque falluntur in hac materia, supponentes, infinitatem syncategorematicam non posse in rebus actu existentibus reperiri, sed tantum in illis, quae sunt in potentia quoad existentiam, sive partim in actu, partim in potentia, sed hoc fundamentum est prorsus minus, quia esto infinitas syncategorematica potentiam dicat actu admixtam in praefato sensu, adhuc tamen reperiri potest in rebus actu existentibus cum potentia actu admixta in alio sensu, & adhuc bene distinguetur ab infinito categorematice, nam de conceptu intrinseco infiniti categorematice non est, quod omnino abstrahat a potentia, neque syncategorematicae, quod abstrahat ab actu, quia ante mundi creationem nihil erat in actu, nisi Deus, sed omnia in potentia, & tamen conceptus utriusque infiniti inter se differant, sed propria ratio infiniti categorematice est haec, ut tanta sit multitudo, quod nequeat esse major, & sint tot ejus partes, quod plures esse nequeant, hoc est in maxima, & suprema multitudine, & ita contra infinitum syncategorematicum illud erit, cujus partes non tot sunt, quin adhuc sint plures, aut plures esse possint, nunquam tamen attingere maximam multitudinem, quae ratio infinitatis etiam reperiri potest in rebus actu existentibus, de quibus affirmari possit, quod non sunt tot, quin adhuc sint plures, nunquam tamen dici possit, quod sint simpliciter infinitae,

nitæ, & in suprema multitudine. Ex quo colligitur, numerum syncategorematicæ infinitum, sive sit in rebus actualibus, sive potentialibus, mediare quodammodo inter simpliciter finitum, & simpliciter infinitum; nam numero finita simpliciter dicuntur, cum tot sunt, & non plura; infinita simpliciter, cum dantur ea, quæ dici possunt simpliciter infinita, & in maxima, & suprema multitudine; infinita syncategorematicæ tandem, cum quæ dantur, sint actu plura, aut potentia sine termino, nunquam tamen in tanta multitudine, ut dici possint simpliciter infinita, & ideo dici solet numerus iste finitus in infinitum; Id autem genus infiniti, infinitum in potentia dici consuevit, & penes potentialitatem explicari, non quia partes illius omnes esse debeant in potentia objectiva, vel partim in actu, partim in potentia, ut omnes fere imaginati sunt, sed propter illam innatam indeterminationem, quam semper includit, sive sit totum in actu, sive totum in potentia, sive partim in actu, partim in potentia, in quocumque enim statu semper hanc indeterminationem habet, quatenus omnes ejus partes nunquam possunt simul, & semel accipi, idest numerari, & signari, sed quibuscumque acceptis, vel signatis remanent adhuc alia infinita, seu finita in infinitum signanda, & accipienda, unde modus infinitatis ejus consistit in accipiendo partem post partem successive, ut docet Scot. 1. d. 3. q. 2. ad 3. quæ doctrina de infinito syncategorematico traditur a Scot. 2. Mer. qu. 6. §. *Ad rationes etc.* & sequitur Tromb. tr. de plurif. anim. cont. Averr. art. 2. p. 2. in resp. ad 6. & Aversa q. 22. sect. 8. ad 3. & quamvis hæc indeterminatione infinito quoque categorematio conveniat, tamen peculiari modo tribuitur syncategorematico, ut explicabitur disp. seq. q. 1. Et ex hac doctrina bene intellecta solvitur argumentum, quo Ariag. cit. sect. 3. probat in Arist. sentent. partes nedum proportionales, sed etiam determinatas poni debere, actu, & categorematicæ infinitas.

96 Sexto demum obicitur probando, quod continuum non sit in infinitum divisibile, quia tunc saltem a Deo posset secundum omnes partes dividi, & tunc vel essent divisibiles, quod est contra suppositum, quod continuum sit in omnes, & singulas sui partes divisum, vel indivisibile, & tunc ex indivisibilitate componeretur; Assumptum probatur, quia omni potentia activæ correspondet passiva saltem supernaturalis. Resp. ex Arist. 9. Mer. tex. 10. duplicem esse potentiam una est ad actum perfectum, & adæquatum, qui potest totus, & simul acquiri, altera ad actum imperfectum, & inadæquatum, qui non potest simul acquiri, divisibilitas ergo continui, seu potentia ad dividi non est potentia aliqua passiva, quæ possit uno actu adæquato perfici, sed est potentia ad actum semper inadæquatum, & imperfectum, ut docet Arist. 3. Phys. 57. Sed contra id obicitur, paradoxum videri, quod Deus per totam æternitatem nequeat dividendo exhaurire cuspidem acutissimæ ac, oculum pulicis. Resp. utique paradoxum hoc esse visum P. Fabri Theor. 52. ubi proinde in fine negat, continuum esse divisibile in infinitum etiam secundum partes ejusdem proportionis, nam etiam secundum istas dividendo, ait, continuum consumi. Sed plane toto aberrat Cælo, quamvis enim per instrumenta Physica dividendo tandem sit devenire ad partem, ita minimam, ut amplius non possit Physice dividi, unde solet dici nimirum naturale, & indivisibile Physicum, tamen hoc ipsam a parte rei plures in se continet partes, in quas potest a nobis saltem cogitatione distribui, & a Deo etiam realiter dividi; neque hoc est paradoxum, quia id manifeste ratio Phys. & Mer. demonstrat, & difficultas id capiendi oritur ex nostra falsa imagine, quæ concepit divisionem fieri per partes sensibiles, & ex hac difficultate derumescere discant humana ingenia, quorum imbecillitas tanta est, ut nec compositionem unguis percipere valeant. Hinc etiam solvas aliud simile paradoxum, quod obicit Ariag. c. sect. 6. nimirum ex divisione acus tot partes extrahi posse, quot sufficiunt ad totum Cælum tegendum.

Q U E S T I O III.

An quilibet continuum terminos habeat sua magnitudinis, & parvitas.

97 Hucusque quasi Mathematicæ locuti sumus de continuo quoad suam compositionem, quatenus ex partibus semper divisibilibus constat, & nulla datur prorsus indivisibilis, sicut punctum; in præsentem consideramus ipsum secundum dispositionem quandam naturalem, an scilicet ex propria natura perat terminos tam versus magnitudinem, ut non possit sub quacumque magnitudine existere, quam versus parvitatem, ut nequeat actualiter in quacumque partem dividi, an vero indifferens sit ad quamlibet magnitudinem, & parvitatem; quod potest inquiri tum in ordine ad naturalem potentiam, tum in ordine ad supernaturalem. Diximus ex propria natura, nam per accidens continua possunt esse utroque modo determinata, imo de facto sunt terminata tam versus magnitudinem, quia nullum corpus Cælum transcendit, & quælibet qualitas est determinata intentionis, quia consequitur naturam subiecti, & potentiam agentis, quæ finita, & determinata sunt, quam versus parvitatem, quia cum sublimitate præsertim contrariis sint prædita, non potest reperiri continuum aliquid in infinitum minus, & minus, quamvis taliter sit divisibile in potentia, quia statim converteretur in continens aliquo modo contrarium, cui non posset resistere, sic notat Scot. 2. d. 2. q. 9. F. & hoc est, quod alii dicunt, in toto dari partes per se existentes, quæ

scilicet propter suam magnitudinem possunt separatim existere, alias dici inexistentes, quæ licet non possint per se, & solitarie existere, inexistant tamen in toto.

98 Secundo accipiendum est, utrumque terminum, & versus magnitudinem, & versus parvitatem dividi in intrinsecum, & extrinsecum. Terminus magnitudinis intrinsecus est magnitudo illa, ad quam res potest pervenire, non tamen potest sub majori reperiri, ut si leo nequeat esse sub majori magnitudine octo palmorum, magnitudo octo palmorum erit terminus leonis, quia ultra illam nequit pertransire, erit etiam intrinsecus, quia potest illam attingere, ideo quæ appellatur *maximum quod sic*, quia inter magnitudines, quas potest attingere leo, hæc est omnium maxima. Terminus magnitudinis extrinsecus est magnitudo illa, ad quam nequit res pervenire, bene tamen esse potest sub quacumque minori, ut si leo non potest esse sub magnitudine octo palmorum, sed sub quacumque minori, hæc magnitudo erit terminus extrinsecus, quia non potest attingi a leone, & vocari solet *minimum quod non*, quia inter magnitudines, quas nequit attingere leo, quales sunt novem, decem palmorum, &c. magnitudo octo palmorum est omnium minima. Terminus parvitas intrinsecus est parvitas illa, sub qua potest reperiri res non tamen sub minori, ut si leo non potest esse minor palmo, parvitas palmaris erit terminus intrinsecus parvitas leonis, & dicitur *minimum quod sic*, quia inter omnes quantitates minores, sub quibus esse potest leo, palmaris est omnium minima. Terminus extrinsecus parvitas est parvitas illa, sub qua nequit esse leo, sed sub quolibet majori, ut si leo non posset esse sub quantitate palmaris, sed sub quolibet majori, & *maximum quod non* appellatur, quia inter quantitates omnes, sub quibus nequit esse leo versus parvitatem, ut sunt medietas palmi, quarta pars, & c. palmaris est omnium maxima. Hic autem est adverteendum, quod sicut in modis incipiendi, & desinendi tam intrinsecis, ut sunt primum esse, & ultimum esse, quæ explicatur (ut disp. 14. dicemus q. 2.) per hoc, quod est, nunc res est, antea non erat, si incipit, vel, post non erit, si desinit, tam extrinsecis, ut ultimum non esse, & primum non esse, & explicatur, nunc res non est, post erit si incipit, vel antea erat, si desinit; *lyætes*, vel *post* significat tempus divisibile, sic in præsentem hi termini *maximum quod sic*, &c. dicunt indivisibile illud terminans partes continui intrinsecas, vel extrinsecas rei divisibilis. Et ut ordinate procedamus, ad duo capita possumus res omnes divisibiles reducere, vel enim sunt animata, ut plantæ, & animalia, vel inanimata, ut reliqua corpora substantialia, quantitas ipsa, & qualitates, tam secundum extensionem, ut omnes, sive materiales, sive spirituales, & quia solum de rerum divisibilitate terminis loquimur, non agemus de terminis potentiarum, de quibus commodius in lib. de Gen. dicimus in disp. de actione, & reactione q. 5. de qualitatibus vero loquimur, non quidem ut dispositiones sunt ad generationem substantialem, ut sic enim ad eosdem libros attinet in disp. de alteratione q. 6. sed tantum secundum proprias ipsarum naturas.

99 Circa res inanimatas est prima opinio asserens terminum intrinsecum magnitudinis habere, quam sustinent Scotista illi, qui infinitum syncategorematicum versus maximum negant, ut disp. seq. dicemus, Jand. quoq; 1. Phys. q. 16. compl. disp. 27. Phys. q. 1. & Ferr. ib. q. 7. quod asserit etiam Masius 1. Phys. sect. 2. q. 2. concl. 4. de mixtis inanimatis atherogenis. Alii vero licet terminum magnitudinis non admittant, ponant tamen terminum parvitas, ita communiter Tho. cum D. Tho. 1. p. q. 2. a. 3. Dufan. in 2. d. 18. q. 1. Greg. in 1. d. 17. q. 2. a. 3. Tol. 1. Phys. q. 9. Comp. c. q. 2. Masius sect. c. q. 4. & sect. 3. q. 3. Zanar. 8. Phys. q. 9. Son. 8. Mer. q. 2. unde tam alterationem, quam generationem substantialem negant successivas esse, sed vel totas morulis interpolatas, ut in instanti aliquo agens solum alteret subiectum, vel generet, & in tempore sequenti quiescat usque ad aliud instans, in quo aliud minimum producat, ut Sonc. vel quod solum in primo instanti agens producat minimum aliquod qualitatis, vel substantiæ, sed postea continue alteret subiectum, vel generet, & hoc quia cum præcedat aliquid qualitatis, vel substantiæ, nunquam existet medietas minimi qualitatis, vel substantiæ separata, nam præexistenti continuatur, ut Greg. Ar. Conim. 1. Phys. c. 4. q. un. a. 7. concedunt in generatione substantiis materialibus minimum quod sic, sed in conservatione terminari dicunt maximo quod non, & extrinsecæ; in qualitatibus nullum terminum admittunt. Scot. tamen in 2. d. 2. q. 9. C. & seq. & lit. N. nullum terminum in non viventibus agnoscebat tam quoad magnitudinem, quam quoad parvitatem, sive substantialem sint, sive accidentalia, quem fere omnes Recentiores sequuntur, Ruv. 1. Phys. c. 4. q. 2. Aresius 1. de Gen. q. 35. Dand. 2. de An. digress. 21. Aversa q. 38. sect. 2. 2. Amic. tr. 16. q. 2. dub. 3. & q. 3. & Scotista omnes præcipue de termino parvitas, ut Lich. in 2. c. Fab. theor. 36. Tat. 1. Phil. q. 4. Schemma digress. 3. q. 5. nam de termino magnitudinis est dissidium, ut innuimus, & Reg. Paris. p. Phys. q. 6. collat. 3.

Non minor dissensio est circa viventia, nam aliqui in ordine ad naturam admittunt terminos magnitudinis, & parvitas, sive extrinsecos, ut Venet. 1. Phys. tex. 38. not. 1. ad 4. sive intrinsecos, ut communis; Alii vero distinguunt, nam vel termini considerantur, ut ex propria natura haberi possunt, & sic intrinseci sunt, vel quatenus per accidens acquiruntur, s. inflatione, infirmitate &c. & hoc modo sunt extrinseci, ita Tol. Sot. Murcia Conib. vero ar. 2. distinguunt, ut de non viventibus.

viventibus substantiis dixerunt. In ordine tamen ad potentiam supernaturalem, aliqui omnem terminum negant, ita Pater Schemma cit. & Paris. Alii utrumque admittunt; Alii ut Masius sect. 2. q. 5. negant terminos, sed addunt, non posse postea proprias operationes exercere, Quas opiniones probabiles putat Amic. q. 2. dub. 4.

ARTICULUS PRIMUS.

Decidit quæstio, quoad continua inanimata.

100 **D**icendum est, nullum inanimatum continuum ex propria ratione terminum habere magnitudinis, & parvitas; nisi velimus dicere habere terminos extrinsecos, qui versus maximum sit infinitum actu, & versus minimum sit punctum. Concl. est Scot. cit. & quo ad magnitudinem probabitur commodius sequenti disp. ubi ostendetur, possibile esse infinitum syncategorematicum in quolibet continuo, & rationes in contrarium adducuntur. Quo vero ad parvitatem prob. 1. rationibus communibus omnibus continuis: Tum quia inquit Scot. essentialiter est continuo posse dividi in partes, ergo essentialiter erit cuiuslibet parti posse per se esse, ergo si daretur minimum, adhuc esset divisibile, & partes per se existere non erit impossibile, quia possibile posito in esse, non sequitur impossibile, aliter non esset possibile, Tum quia partes illæ sunt ejusdem rationis cum toto, ergo si per existere convenit toti, conveniet etiam partibus omnibus. Tum quia quod habet naturam specificam, non repugnat illi esse individuum illius speciei, & consequenter per se existere, quia hoc præsupponitur illi, nam individuum est individuum a se, & divisum a quocumque alio, sed partes omnes participant eandem naturam, ac totum, & independentem a toto, & a qualibet parte, non enim una pars est talis natura propter aliam partem, ergo una pars potest simpliciter esse independentem ab alia, ergo non est dabilis pars aliqua continui, quin alia minor sit possibilis. Nec valet, quod ait Greg. quod sicut partes inexistentes minores minimo possibili per se existere non possunt, ita non possunt esse individua illius speciei, & utrumque illis repugnat ex propria natura, ut in vivente, cujus pars separata nequit existere. Non valet, quia hoc improbat argumentum, si enim quælibet pars habet quidditatem, & essentiam ignis v. gr. contractam per differentiam individuaalem distinctam a quidditate alterius partis, propriam habebit existentiam distinctam, & sic posset, cum sit individuum completum, per se existere. Exemplum de animali non currit, quia animalia determinat sibi minimum, ut dicemus art. seq. imo est ad oppositum, quia ratio hoc ostendens non militat in non viventibus. Tandem partes sunt priores toto, quod constituent, ergo non repugnat illis esse sine toto, quia omne prius sine posteriori potest esse.

101 Resp. Masius ex Capr. esse in potentia, seu possibile, dupliciter intelligi potest, vel quod reducatur ad actum per propriam existentiam quomodo secundum nos aliquid dicitur esse in potentia objectiva, & ad actum revocatur, cum actualiter existit; secundo quod revocetur ad actum per existentiam non propriam, sed alienam, ut homo est in potentia abus, quæ potentia actualiter non per existentiam hominis, sed abeandem in ipso, & dicitur a nobis esse in potentia subjectiva; in proposito dantur in minimo naturali partes inexistentes, in quas potest dividi totum, non quod revocentur ad actum per proprias existentias, ita ut separata a toto existant, aut possint existere, sed in quas dividi potest secundo modo, ita ut existant per existentiam totius; quæ proinde hujusmodi divisio nunquam revocabitur ad actum, quia requireretur, ut existerent per propriam existentiam, quod est impossibile, illa vero propositio: *Possibile posito in actu, non sequitur aliquid impossibile*, est vera de possibili, quod separatum ex se potest existere, non vero quod nequit esse per propriam existentiam, ut sunt illæ partes inexistentes minimo naturali.

Sed ista responsio, præter quamquod manet ex dictis impugnata, eo quia ostensum est, quamlibet partem posse per se existere, cum sit completum individuum speciei, adhuc de se ruit, nam divisio actualis dicit separationem partium a toto, ita ut propria existentia existant, non existentia totius, ergo si partes in minimo existentes non possint ab ipso separari, nec etiam poterunt inter se dividi, ergo nullo modo totum est potentia divisibile, patet hæc consequentia; quia non datur potentia ad impossibile, sicut homo non habet potentiam ad formam lapidis recipiendum, quia hæc potentia non posset actualiter, nec existentia propria hominis, nec existentia aliena, scilicet formæ lapidis in ipso.

102 Secundo prob. de qualitate (nam de quantitate, ut sic, omnes concedunt) si datur minimum in qualitate, ergo in instanti, non in tempore acquireretur, quia indivisibile nequit in tempore produci, unde animalia per hoc incipiunt per primum sui esse, ut fufe in disp. 14. dicemus, sed hoc est falsum, ergo &c. falsitas probatur, vel enim tota qualitas producitur per ista minima ab agente, vel agens solum in primo instanti producit primum minimum, sed postea intendit illam successive, quomodo non datur minor qualitas, quam minima, quia quæ advenit, non separate existit, sed præcedenti unitur, non primum, quia agens quiesceret per tempus, quia post instanti non est aliud instans sed tempus, & tamen esset applicatum, non impeditum, in quo tempore nequit subiectum disponere, ut aliqui dicunt, quia ista dispositio esset qualitas, & cum in tempore produceretur, jam minimum non haberet pri-

mo productum. Tum quia Sol per motum medio applicatus continue illuminat medium, & in tempore, non in instanti, quia in tempore approximatur, non in instanti, & agens quo est proximius, eo magis qualitatem intendit. Tum quia si habet potentiam producendi totam qualitatem, nec adest impedimentum, quia potest in instanti vincere resistantiam passivæ, cur in primo instanti unum minimum qualitatis tantum producit, & non totam qualitatem? nihil enim recipit agens in tempore medio, per quod ejus potentia augeatur, vigor enim ille, quem ponit Sonc. de novo advenire, est secundum ipsum propter majorem approximationem, ergo quia in tempore vigoratur, cum approximat in tempore fiat, in tempore quoque producet qualitatem, & consequenter non poterit aliqua minima pars assignari, quin minor fuerit præexistens in instanti. Si vero solum in primo instanti produceret primum minimum, sed postea successive ageret, & in tempore sequenti prius produceret medietatem minimi, quam aliud minimum. Contra, quia daretur primum mutatum esse motus, contra Arist. 6. Phys. ut videbimus disp. 14. de motus inceptio. Tum quia successio in motu provenit ex aliqua resistantia, vel mobilis, vel formæ, vel contrarii ipsi agenti, ergo cum in minima subiecti parte, in quam primo agit, sit qualitas contraria, non poterit in instanti calorem illum inducere; Prob. consequentia, si in tempore sequenti successive alterat propter frigiditatem resistantiam, multo magis in principio alterationis ubi major est resistantia frigiditatis, quia ponitur in principio partem determinatam frigiditatis destrui, sed in tempore sequenti indeterminatam, quo autem majus est resistens, & extensive, & intensive, fortius resistit. Faciunt etiam contra hunc modum dicendi rationes contra præcedentem assignatæ.

103 Tandem principaliter prob. assumptum de qualitatibus, quod non habet minimum in extensione si hoc esset, tunc in ultima parte sphaeræ agentis deberet in tale minimum qualitatis assignari, applicetur aliquod corpus totam partem minimam sphaeræ occupans, jam agens produceret in illo corpore minimum qualitatis, tunc elongetur corpus per medietatem, ita ut minima illa sphaeræ pars occupetur secundum medietatem proximioræ agenti ab aere subintrante, & secundum remotioræ ab illo corpore, quærimus, vel adhuc aer, & corpus illud habebunt in se qualitatem aliquam, vel nullam, vel aer solum, aut corpus solum; si primum, ergo cum illæ qualitates actu sint divisæ, quia in subiectis dividit, licet contiguas repererentur, daretur minor qualitas, quam sit minima signata, quod est nostrum inrentum, idem sequitur, si unum illorum tantum haberet qualitatem; si secundum, ergo agens non ager per totam sphaeram, etiam si a nullo impediatur; divisio enim illorum corporum non impedit, aliter si talis applicatio fieret in primo minimo sphaeræ proximo agenti, impediretur tota activitas agentis, quia non potest agens agere in distans actione ejusdem rationis, & quando medium est susceptivum, nisi prius agat in medium; & si hoc Adversarii non habent pro absurdo, non possumus alio modo absurditatem ostendere, nisi ipsos maximo igni in tali dispositione applicare, nam runc experientia victi nostram faterentur sententiam veram esse; faciunt insuper rationes, quibus in lib. de Gen. alterationem successivam esse demonstratur, præcipue ex actione uniformiter difformi agentis in passum, scilicet quod agens intensiorem qualitatem in propinquius producit, & debita proportione remissiorem in remotius.

104 Tertio idem prob. de continuis substantialibus non viventibus, præterquam quod rationes adductæ pro qualitate probant etiam de istis; Detur minima pars subiecti, in qua primo petit v. gr. esse forma ignis, ista pars est divisibilis secundum omnes dimensiones, & consequenter non erit agens agenti approximata, ergo prius agens introducet dispositiones prævias in prima medietate, quam in secunda, quia agit uniformiter difformiter, quando ergo disponit secundam medietatem, vel agit in primam, vel non; sit agit, ergo cum omnes dispositiones introduxerit, remanet introducenda forma ignis, & sic habetur intentum; si non agit, ergo quia secundum Adversarios dispositiones ultimæ expellunt substantialem formam, jam illa medietas materiæ disposita erit omni substantiali forma spoliata. Tum quia cum non omnia corpora eandem terminum sibi determinarent, posset dari pars aliqua stuppeæ, vel sulphuris igni applicata, quæ minor sit illa mole, quam sibi determinat ignis, quæ nunquam combureretur, & tamen pars aliqua major longius existens combureretur; dicere autem, hoc provenire, quia caret debita dispositione molis, est petitio principii, hoc enim impugnat. Tum quia si ignis minimum, quod sic haberet generationis, ergo lignum non haberet minimum quod sic, sub qua petat necessario esse; Prob. consequentia; si moles illa esset minimum quod sic respectu ignis, & ligni in eodem instanti erunt formæ ignis, & ligni in materia, quia utraque requisitam quantitatem haberent, quod est falsum, & e contra ipsos Adversarios, vel materia esset fufe forma tempore illo medio inter instans, in quo lignum fuit sub minimo quod sic, & instans, in quo ignis habuit suum minimum quod sic.

105 Dices cum Conim. quam responsonem videntur sequi Compl. cit. lignum, & quolibet inanimatum in generatione esse intrinsece determinatum per minimum quod sic, at in conservatione solum terminari per maximum quod non, & extrinsece, quod erit minimum quod sic formæ ignis, & sic nullum inconveniens, plus enim requiritur ad generationem rei, quam ad ejus conservationem. Contra, per generationem res accipit existentiam.

existentiam, per conservationem eandem retinet existentiam, ergo quod necessario simpliciter requiritur ad generationem rei, quae recipit existentiam, requiritur etiam ad conservationem eiusdem existentiae, quia est eadem omnino existentia, ergo vel res nullam habebit terminum parvitatis intrinsecam, vel tam in generatione, quam in conservatione habebit. Dices, saltem habebit terminum extrinsecum in generatione, & conservatione, quod sufficit. Contra quia eadem ratio heret postea de igne generando, qui si haberet maximum quod non in generatione, & per ultimum non esse incipere, lignum habebit minimum quod sic, & per ultimum esse desinere, vel materia esset sine forma, quapropter rectius omnem terminum negare debemus inanimatis, & generationem, & corruptionem ipsorum non ex magnitudine, vel parvitate petere; ita ut sit dispositio necessaria, sed potius ex qualitatibus ipsis convenientibus, vel contrariis. Ista ratio non recte percipi potest, nisi de modis incipiendi, & desinendi perfecta prius cognitio habeatur; quam trademus disp. 14. Tandem contra Comib. sustinentes generationem ignis v. g. post acquisitionem primae partis successive deinde fieri, est argumentum de ultima ligni parte, quando enim pervenitur ad maximum quod non ligni, iam in illa materia non est amplius ligni forma, aliter non esset maximum quod non; neque est forma ignis, quia cum sit illa materia divisibilis, consequenter non erit tota disposita, sed uniformiter difformiter alterata, scilicet solum propinquior pars erit disposita perfecte, non remotior, unde ut hoc evitetur, deberet dici, quod tunc forma ignis in instanti in tota illa materia introduceretur in instanti disposita ab agente, quod est falsum, quia vel agens talem habet virtutem ante, & sic semper in instanti disponderet, & generaret, vel non habet, & sic nunquam instantanee ageret, vel quod introduceret formam in materia indisposita secundum qualitates, quod etiam est falsum, quia si forma potest esse absque dispositionibus propriis qualitativis, multo magis absque dispositionibus quantitativis, & sic si divideretur minimumligni; non per hoc forma ligni destrueretur.

106. Quod tandem posset dici habere terminos extrinsecos magnitudinis, scilicet quod sit infinitum in actu, & parvitas aliquid punctum, quae erat secunda pars concl. Patet, quia infinitum in actu non est debile de potentia Dei absoluta, ergo quodlibet continuum non potest esse sub magnitudine actu infinita, bene tamen sub qualibet minori. Neque continuum potest esse sub puncto, quia continuum est essentialiter in partes divisibile, punctum essentialiter indivisibile, ergo continuum nequit esse sub puncto, sed bene sub qualibet quantitate majori. Hoc tamen non proprie dicitur, quia inter punctum, & molem, & inter infinitam magnitudinem, & finitum non est proportio, ergo nec majoritas, nec minoritas proprie; unde non recte in actu minimum quod non, nec punctum maximum quod non appellatur.

In contrarium objicitur, probando, res naturales determinatam molem exposcere. Tum quia Arist. 1. Phys. 36. & 38. ait, dari minimam carnem, ex qua non possit alia extrahi, & de Anim. 41. habet quod omnium natura constantium est determinata ratio magnitudinis, & augmenti, & in lib. de Sensu, & Sen. c. 6. videtur velle, passiones naturales, sensibiles scilicet qualitates non esse in infinitum divisibiles, quia tunc sensus posset intendi in infinitum, quia ad percipiendum minus, & minus requiritur acutior sensus. Tum 2. quia omne ens ratione sui, & omne corpus ratione formae habet finitam & determinatam naturam, ergo secundum hanc exposcit certam quantitatis mensuram, sicut determinatas exposcit qualitates; unde Ar. 2. Phys. 38. habet, quod causa, & effectus commensurantur ad invicem, & determinatae causae determinatas habent effectus, & 2. de Anim. 24. actus activorum est in agente bene disposito. Tum 3. quia natura producit rem quamlibet propter aliquam operationem ab eadem re exercendam 2. de Caelo 17. & 1. Eth. c. 7. sed non potest res qualibet operari, nisi determinatam habeat quantitatem, ergo &c. tum 4. quia in mixtione quidam liquores, ut aqua, & vinum, dum inter se miscentur, amittunt propriam naturam, & in aliam convertuntur, & hoc quia adeo inter se comminuantur, ut in tam parvis partibus per se conservari non possint. Tandem quia actio provenit ex proportione majoris inaequalitatis, ut dicitur in lib. de Gen. id est fit propter excessum activitatis agentis supra resistantiam passivi, sed iste excessus est determinatus, ergo qualitas propter talem excessum producta erit determinata, & in instanti producibilis.

107. Resp. ad Arist. ex Scot. 2. d. 2. q. 9. M. quod in 1. Phys. arguit contra Anaxagoram ponentem ex quolibet generari, & extrahi posse quodlibet; contra, inquit Arist. datur res, ut caro, quae determinatam habet magnitudinem, quare non poterit ex qualibet minima aqua fegregari, unde sufficit, quod aliqua res detur, quale est vivens, determinatam exposcens magnitudinem, ut verificetur ratio Arist. hinc loquitur de homogeneis, & non simpliciter, sed ut constitunt aethereogeneum animatum, & quatenus fegregatio fieret secundum partes aequales, & determinatas. In 2. de An. loquitur de animatis, de quibus est verum assumptum, ut dicemus art. seq. in lib. de Sensu, & Sens. inquit Scotus, quod loquitur de qualitate sensibili non secundum se, sed ut sensibilis est, quo modo requirit determinatam magnitudinem: Ad 2. antecedens est verum de essentiali, & quidditativa perfectione, non de quantitativa, ad quam pertinet major, vel minor rei ex-

tensio, & in hac ratione requiruntur determinati gradus intensiois qualitatis, quia isti consequuntur perfectionem intensivum, quae sicut determinata est, ita determinatos postulat gradus, ac sicut substantia indeterminata est in extensiva perfectione, ita in quantitate; non sequitur tamen ex hoc, qualitates determinatas esse, quia aliud est loqui de ipsis secundum proprias naturas, aliud, ut dispositiones sunt formarum. Ad 3. propositionem Arist. esse veram de rebus perfectis tantum, & conservante non indigentibus, vel sufficit, ut saltem res illa potentiam habeat exercendi propriam operationem, etiam non solitarie, saltem cum altero adjuncto, quod competet particulae illi admodum parvae, ut notat Scot. cit. lit. N. & in 4. d. 44. q. 2. §. Quantum ergo ad istum art. &c. Ad 4. non semper in mixtione liquores in tertiam naturam transeunt, sed vel remanent, vel unus in alium prevalenter convertitur, cum vero transeunt, non provenit ex ratione assignata, sed potius quia ex mutua actione, & reactione talis qualitatum temperies resultat, ut alia tertia entitas sequatur. Ad 5. quando potentia agentis est ad formam successive producibilem, excessus requisitus est determinatus non intrinsece, sed extrinsece, ita ut tantus non sufficiat, sed bene quilibet major ut dicitur in lib. de Gen. disp. de act. & react. hinc negatur, formam primo productam esse determinatam; quando vero est ad formam in instanti producibilem, qualis est anima, excessus est intrinsece determinatus.

ARTICULUS II.

Ostenditur, quomodo termini viventibus competant.

108. D. I. dicimus, viventia ex propria natura terminos habere magnitudinis, & parvitas, non extrinsecos, sed intrinsecos in quocumque statu; at supernaturaliter, excepto puncto, & infinito nullam terminum agnoscunt, praeter viventia illa indivisibili anima praedita, quae versus magnitudinem etiam de potentia Dei sunt intrinsece terminata; probantur singula. Primo quod sint naturaliter terminata, habetur a Scot. 2. d. 2. q. 9. N. habetur quoque ab Arist. 1. Phys. 36. 2. de Anim. 41. 2. de Gen. An. c. 11. & 7. Prol. c. 4. ubi aperte ipsam asseruit, & patet ratione, quia anima est actus corporis organici, cuius membris utitur tanquam instrumentis ad varias operationes exercendas, ergo nequit quodlibet corpus sub quacumque magnitudine, vel parvitate existens informare, quia possent ob magnitudinem, vel parviteriam improporcionata evadere, ut patet in instrumentis artificialibus. Tum quia virtus animae est finita, & limitata, augentur quoque viventia non ab extrinseco, ut inanimata, sed propria virtute, ergo ad certam magnitudinem poterunt pervenire.

109. Secundo, quod isti termini sint intrinseci, non extrinseci, colligitur ex Scot. cit. ubi loquens de principio augmentativo in animatis, ait, quod debet esse determinatum ad quantitatem perfectam illius speciei, ut illam solum producat & non ultra illam, quod est habere terminum intrinsecum. Probatur de termino versus magnitudinem tum ex Arist. cit. praecipue ex 2. de Gen. Anim. tum ratione, quia rem aliquam habere terminum intrinsecum magnitudinis est attingere quantitatem aliquam determinatam proprio indivisibili, ut ultra illam nequeat procedere, habere vero terminum extrinsecum, est non posse pervenire ad aliquam quantitatem determinatam proprio indivisibili, bene tamen ad quamlibet infra illud indivisibile, quae proinde indeterminata erit, ita ut tota differentia in hoc consistat, ut habens terminum intrinsecum, habeat magnitudinem, & indivisibile illam terminans, habens vero extrinsecum, habeat solummodo aliquam magnitudinem incompletam, & absque indivisibili ipsam terminante, sed impossibile est dari rem aliquam, quae pertingere possit totam magnitudinem, & non indivisibile illam complens, ergo impossibile est dari aliquod vivens termino extrinseco tantum terminatum, cui scilicet magnitudo aliqua illi non repugnet, sed indivisibile illam complens repugnet. Min. probatur, quia indivisibile additum divisibili non facit majus extensive, ut dictum est supra q. 2. ar. 4. ergo potest attingere totam magnitudinem divisibilem, attingit quoque indivisibile terminativum illius, aliter si excluderetur ab illo indivisibili, hoc esset, quia excederet suam magnitudinem naturalem; ergo indivisibile additum divisibili faceret majus. Dices, indivisibile facere majus indivisibilitate; & entitative. Contra, sufficit, ut majus non faciat extensive, implicantia enim sumitur in ordine ad majorem, vel minorem extensionem, & molem, ergo cui non repugnat extendi aliqua magnitudine, non repugnat habere indivisibile terminans illam. De parvitate idem patet, quia anima praesupponit corpus perfecte organatum, unde in instanti introducitur in illo; ergo etiam determinatum, & completum, seu intrinsece terminatum, eo vel maxime quia membra supponit ut instrumenta apta ad agendum, de quorum ratione est, ut in actu primo sint entia completa, & intrinsece terminata, aliter si deberent novam quantitatem recipere, ut apta redderentur, non essent perfecta organa, nec corpus illud esset vere organicum; verum est tamen, quod isti termini diversi sunt pro diversitate specierum. Ex dictis patet falsitas asserti a Masio art. praec. cit. quod mixta aethereogenea terminos habeant magnitudinis, non enim ab intrinseco augentur, sed ab extrinseco, nec partibus utuntur ut instrumentis, & universaliter cessat in istis omnis ratio, qua terminus magnitudinis in viventibus probatur.

Tertio,

Tertio, quod de potentia Dei non possint esse sub puncto, & sub infinito in actu, Patet ex dictis art. praeced. & maxime, quia anima est actus corporis organici, punctum autem ob suam indivisibilitatem nequit organa habere.

110. Quarto, quod versus magnitudinem viventia animam divisibilem habentia non habeant terminum determinatum, bene tamen quae indivisibilem habent animam, ut homo, quamvis expresse non habeatur a Scot. colligitur tamen evidenter ex duobus principiis eius; primum est, animam etiam de potentia Dei non posse informare plures materias simul, ut vidimus disp. 5. q. 7. art. 2. cum ipso in 3. d. 1. q. 2. alterum desumitur ex 4. d. 44. q. 1. quod in augmentatione in aliis viventibus ab homine acquiritur nova pars formae, eo quia divisibilis est, ex quibus probatur assumptum; nulla forma esse potest quae unquam materiam informare, sed limitata est ad materiam proportionatam, nisi virtus informativa ipsius augeatur, sed in anima indivisibili nequit augeri hac virtus, bene tamen in divisibili, ergo &c. Min. probatur, indivisibiles nullum augmentum possunt habere, at divisibiles possunt augeri per novas partes advenientes, quibus nova partes materiae possent informari, posset ergo Deus impedire, ne in nutritione partes fluant, sed solum quod fiat nova conversio alimenti absque deperditione alicujus partis praecedentis; unde in infinitum heret accretio, eo quia semper augetur vis digestiva, attractiva alimenti, & conversiva in proprias partes.

Sed quod versus parviteriam nullum habeant terminum, patet ex eo, quod corpora homogenea sunt in infinitum divisibilia ex dictis in praec. art. ergo aethereogenea etiam in infinitum possunt minui, cum ergo de ratione animae fit partes corporis dissimilares informare, non videtur essentialiter a quantitate, & magnitudine illarum dependere, praecipue quia Deus posset omni qualitate vivens expoliare, ergo etiam dispositionibus quantitativis, a quibus minus dependet. An vero possit tunc aliquas operationes exercere, de potentia Dei videtur affirmative responderi posse, nam posset saltem Deus potentiam elevare ad illas operationes, cum major improporcionis addit inter potentiam naturalem, & visionem beatificam, quam inter hanc potentiam diminutam, & propriam operationem.

Sed 1. obijcies, probando nullum terminum viventia habere. Tum quia non habent terminum parvitas, aliter anima esset cum quantitate incompossibilis, quod probatur ratione Scoti in 2. d. 2. q. 9. D. quam contra minimum naturale conficit; si per se consequentia aliqua sunt incompossibilia, & illa, ad quae consequuntur, incompossibilia erunt, sed divisibilitas in partes essentialiter consequitur quantitatem, indivisibilitas in partes secundum nos consequitur animam, quae duo sunt incompossibilia, ergo &c. Tum 2. quia potest esse in puncto, ut patet de Christi corpore in Eucharistia, Tum 3. quia nec terminum magnitudinis habent, nam virtus activa, quantum est ex se, in infinitum tendit, hinc Gigantes ultra statum naturae excreverunt, Crocodilli etiam, dum vivunt, semper crescunt. Tum 4. quia si esset homo in termino magnitudinis, & illi esset parum alimenti applicatum, in propriam substantiam converteretur, cum haberet potentiam nutritivam, ergo non erat in termino.

111. Resp. negando assumptum, cum probatur ex Scot. explicamus ipsum; nam ibi impugnans minimum naturale tres modos dicendi assert, quibus tale minimum declaratur; primum est, ut minimum naturale sit illud, quod partibus integralibus omnino caret; secundus, quod possit naturaliter existere, licet in eo reperitur alia pars minor, non tamen potens per se existere; tertius, ut sit pars aliqua formae sine materia, & omittendo tertium tanquam falsum, impugnat primum, & secundum; & contra primum adducit rationem jam ornatam, quae utriusque concludit, nam si omne quantum ratione quantitatis est in partes divisibile, ergo idem ratione formae non potest dici minimum, ut omnibus partibus careat, & simpliciter indivisibile dicatur, quia sic forma naturalis, & quantitas essent incompossibiles, sicut effectus formales ipsarum incompossibiles sunt; & quod hic sit sensus Scoti, patet ex his, quae postea subiungit, nam ait, si istud minimum daretur, omnes rationes Arist. concluderent contra illud, quas 6. Phys. contra compositionem continui ex indivisibilibus efforant, nam si est quantum, ergo habet partes; ergo datur aliqua pars minor in eo existens, ergo nequit esse simpliciter indivisibile, ut caro punctualis, nec possent ista minima facere majus, quia indivisibile additum indivisibili non facit majus, ecce intentum Sc. praeterquam quod si illud minimum in priori sensu partes haberet, jam coincideret cum secundo modo; id propositum, ergo ratio Scoti concludit contra illum modum, quia habere partes est de essentia quantitatis, & divisibilitas non illas est ejus passio, ergo omne quantum partes habere debet, non erit igitur simpliciter indivisibile; at nos non dicimus, viventia partibus carere, etiam quatenus viventia, sed

solum non posse sub minori, & minori quantitate existere id quod est cum quantitate; Tum quia quantitas proprie afficit formam corporeitatis, & corpus, non animam, unde remanet adhuc post examinationem; hinc non recte aliqui Sc. ex ista ratione negant minimum in non viventibus, quia neque ad hoc probandum utitur illa Doctor.

112. Ad 2. potest esse in puncto in ordine ad locum, non vero in ordine ad se, ut partibus omnino careat. Ad 3. negatur, potentiam nutritivam naturaliter posse in infinitum tendere, differit enim viventium augmentum ab augmento non viventium, quod istud fit ab extrinseco, & per juxta positionem materiae, idcirco potest in infinitum crescere; at illud fit ab intrinseco per alimenti intus susceptionem, nec solum est conversio alimenti in viventibus, sed etiam restaurati deperditio, & ideo non semper fit augmentatio, quamvis semper sit nutritio, ut in lib. de Gen. dicimus. Gigantes autem non praeterierunt terminum magnitudinis naturae humanae, sicut nec Pigmatae (si dantur) terminum parvitas, nam inter parvitas, & magnitudinis terminos alicujus speciei datur latitudo, quae individua illius speciei alia sunt majora, alia minora, quod praecipue convenit ex conditionibus extrinsecis, licet loci, temporis, materiae, &c. & idem in plantis videmus, quae in aliquibus regionibus mirum in modum excreverunt, in aliis vero valde sunt diminutae; Crocodilli, si diu viverent, non semper augeterent, sed quandoque ad statum augmentationis pervenirent. Ad 4. in casu fieret tanta alimenti conversio, quanta viventis substantiae per actionem caloris naturalis fuisset facta deperditio.

Secundo quod non habent necessario terminos intrinsecos, sed extrinsecos; detur maximus homo, & morsu venenoso infletur, vel morietur, vel non; si non, daretur major maximum, si primum, ergo quia tunc non est homo, cum incipit inflatio, & hac per ultimum non esse incipit, cum sit motus, homo desineret per ultimum esse, quod est contra Arist. 8. Phys. 69. dicentem, formam permanentium per primum esse incipere, ergo forma sequens ad mortem hominis taliter inciperet, ergo vel duo infantia immediata, vel homo necessario per primum non esse desinere debet; idem potest dici versus parviteriam, si restringeretur, & condenseretur.

Resp. negando assumptum, tum quia inflatio est quaedam actio per extrinsecum humorem inanimum; tum quia non implicat, vivens per ultimum esse desinere, ut disp. 14. in fine dicimus; Arist. vero loquitur, ut in plurimum, & quando forma subsequens per primum esse incipit; modo non datur nova forma adveniens, quia forma corporeitatis jam praerit. Per rarefactionem vero, & condensationem non acquiritur, vel deperditur nova quantitas, ut innuimus q. 1. & in lib. de Gen. fultus dicimus.

113. Tertio ad idem contrariationem fundamentalem, si quod est potest pertingere qualitatem aliquam, potens quoque est attingere indivisibile completivum, sequitur, nullum dari terminum extrinsecum in rerum natura, sed omne intrinsecum esse, quod patet esse falsum, quia isti termini sunt ab omnibus accepti, & nos in praecedenti diximus, excessum ad agendum, quando forma in tempore producit, esse intrinsece determinatum; multae enim qualitates, ut dispositiones sunt formarum substantialium, extrinsece determinatae dicuntur tam versus magnitudinem, quam versus parviteriam. Sequela prob. eadem ratione, quae probatum est, quodlibet vivens terminum intrinsecum, non extrinsecum habere.

Resp. quod si loquamur de termino extrinseco versus magnitudinem, concedimus, nullum dari extrinsecum terminum ex natura rei, quia ut optime probat argumentum, quod potest pertingere aliquam quantitatem, pertingit quoque indivisibile terminativum illius, at potest dari ratione alterius, & per accidens, si scilicet forma aliqua substantialis ad sui existentiam requireret necessario determinatum gradum qualitatis, ita ut ad desitionem illius gradus etiam secundum minimum partem desinat quoque substantialis forma tunc agens, quod non potest destruere formam substantialem, neque poterit gradum illum corrumpere, unde solum erit extrinsece terminatum ad introductionem qualitatis oppositae, non quia ex se nequeat attingere indivisibile terminativum, sed quia a forma contraria impeditur: At si loquamur de termino extrinseco versus parviteriam, negamus non dari istum terminum ex natura rei in aliquibus, nam poterit esse quod res aliqua nequeat reperiri sub determinata quantitate, puta palmari, sed bene sub quacumque majori, contra quem terminum non urget ratio, nam res illa non debet pertingere indivisibile alicujus quantitatis, sed quantitatem quamlibet subsequentem indivisibile, quod terminus extrinsecus ponitur, quae cum sit divisibilis, vere ad illam pertingendam requiritur major virtus, urget ratio, si diceremus attingi debere aliquod indivisibile, sicut ponitur in termino extrinseco versus magnitudinem.

DISPU.

DISPUTATIO DECIMA

De Infinito.

Post tractationem de Continuo consulto sequitur proposita disputatio de infinito; finitas enim, & infinitas proprie magnitudini, & continuo conveniunt, & cum præced. disput. sancitum sit, partes continui proportionales esse infinitas tantum syncategorematicas, & in potentia, non autem categorematicas, & in actu, hic necessario differendum erat de natura utriusque infiniti, ut hinc aduocemmagis innotescat, quam rationabiliter id ibi statutum sit, & quidem etiam Arist. ipse in hujus rei gratiam tract. de Inf. 3. Physic. insinuat, ut protelatur text. 24. dicens, quoniam naturalis scientia est circa magnitudines, & motum, & tempus, quorum unumquodque necesse est, aut infinitum, aut finitum esse, conveniens utique erit de natura pertractantem speculari de Infinito.

QUESTIO PRIMA.

De natura infiniti, & ejus affectionibus.



Quamvis spectat ad quid nominis; Infinitum est id, quod caret fine, vel termino; unde si consideretur secundum id, quod significat, dicitur quid positivum, & connotat negationem finis, ac termini in tali positivo reperitur: si vero consideretur secundum id, per quod explicatur a nobis, negationem præferat finis, ac termini, connotando illud positivum, quod tali termino caret, quare est infinitas a parte rei quoad significatum nominis videatur significare negationem limitis, & termini, dicitur enim infinitum, quod non est finitum, seu quod sine caret, extendendo rationem finis ad terminum, quo aliud finitur; non tamen inde deduci debet, infinitatem quoad significatum rei acceptam, id est ut a parte rei est aliquid in re modificans ejus entitatem, esse puram negationem limitis, ac finis, ita colligitur ex Scot. quol. 6. B. & F. in hunc modum loquente de infinitate Dei. Sicut vero res multis modis finitæ intelliguntur, ac limites habere, scilicet, quoad perfectionem essentiae, intensionem, extensionem, numerum, & durationem, ita etiam concipi potest aliquid esse infinitum in essentia, intentione, extensione, numero, & duratione. Rursus quia rem creare termino, & sine potest intelligi dupliciter, vel extrinsece tantum, ita quod determinari non possit, quanta sit alicujus rei perfectio, vel extensio, aut duratio, nec alicujus numeri, quanta sit multitudo, sed solum, quod magnitudo illa, vel multitudo non est tanta, quia adhuc fit major; vel intrinsece, ita quod intrinsece infinitatem attingat, & asseri possit, quod illius rei extensio, aut perfectio, vel plurimum multitudo sit simpliciter infinita, & in supremo gradu ita quod nequeat esse major, hinc duplex cogitari potest infinitum in essentia, quantitate, & qualitate, categorematicum, seu in actu, syncategorematicum, seu in potentia, illud constituitur in esse per carentiam finis intrinsecam, & istud per extrinsecam solum, & utriusque natura hic explicanda est, deinde utriusque affectiones.

ARTICULUS I.

Quid sit infinitum categorematicum, & syncategorematicum.

Definit Arist. 3. Physicor. text. 62. & 63. infinitum quod sit, cujus semper est aliquid extra accipere, sed dubium est, cui infinito conveniat hæc definitio. Vāq. 1. p. disp. 26. c. 3. na. 20. inquit, Arist. ibi definire infinitum categor. & in actu. Scotus quol. 5. § De primo etc. docet esse illam definitionem infiniti syncategorematici, seu in potentia, sequuntur Canon. 3. Phys. qu. 3. art. 1. Bargius 1. d. 3. q. 1. § Ad tertium dico etc. Parisiens. 3. Phys. qu. 2. collat. p. Durand. 1. d. 23. q. 2. Alber. 1. 2. corol. 6. in Prædic. quant. dub. 4. q. 3. & citantur Averf. Burf. & Vicomer. in eum textum. Alii tandem putant, hæc definitionem esse communem utrique infinito, & convenire illis secundum rationem communem infinitatis, licet non secundum rationes proprias, ita significare videntur Simpl. Them. Philop. & D. Tho. in eum textum, & tenent Ferr. 3. Phys. q. 3. not. 1. & Amic. tract. 18. q. 1. dub. 3. art. 2.

Dicendum tamen est cum Scoto, & Canon. citat. præfata definitionem convenire infinito syncategor. tantum: probant hæc Concl. Doctores ex his, quæ habet ibi Philof. de Infinito ab ipso descripto, ait enim, quod sicut illud infinitum habet esse in fieri, & in potentia, ita enim habet rationem partis, & non totius, habet rationem incompleti, & imperfecti, sed hæc de infinito categor. intelligi non possunt, quia cum secundum omnes suas partes sit positum, & nihil desit spectans ad gradum infinitatis ejus, habet rationem totius perfecti, & completi, ergo definit ibi infinitum syncategorematicum, id enim quia non ponitur in actu secundum omnes sui partes, ita quod extra nihil remaneat spectans ad gradum infinitatis ejus, bene dicitur habere rationem partis, & incompleti, quia semper fieri potest additio, vel numerorum in quantitate discreta, vel partium in continua. Deinde probatur ex processu Arist. ibi, cum enim text. 62. posuisset definitionem infiniti traditam ab antiquis, quod sit id, cujus

nihil est extra, hæc postea definitionem impugnat text. 63. & seq. dicens, hæc definitionem potius esse totius, quam infiniti, probat enim contra antiquos non dari infinitum in actu, quod ipsi definebant, sed tantum in potentia, & postquam id probavit, tandem deducit, infinitum esse id, cujus semper est aliquid extra accipere, ergo definit ibi tantum infinitum in potentia.

Denique si hæc definitio exponatur, ut vulgo solet, ita quod ly cujus referatur ad partes tantum, & sensus sit, infinitum esse id, cujus semper est aliquid extra, hoc est quod habet partes in tanta copia, ut quacumque parte accepta, extra illam, vel ultra illas semper accipi possit alia, sane si in hoc sensu explicetur, convenit hæc definitio utrique infinito, utrumque enim est id, cujus semper est aliquid extra accipere, si ve enim sit categorematicum, si ve syncategorematicum dum acceptio fit successiva, seu per partem post partem, semper aliquid manet accipiendum, quia nunquam exhauriri possunt. Sed hæc expositio non est integra, esto enim ly cujus referri debeat ad partes modo exposito, adhuc tamen, sit notat Doctor, referri debet ad totum, nam in constructione referatur ad ly id, quod utique significat ipsum totum infinitum, de quo prædicatur in recto, ita quod integer sensus definitionis sit iste; infinitum est id, cujus semper est aliquid extra, id est, quod habet tantam partium copiam, ut quacumque parte accepta, semper ultra illam sit aliam accipere, sed hoc non obstante, adhuc extra totum ipsum aliquid remaneat spectans ad gradum, & ordinem infinitatis ejus; Sic autem explicando cum Doctore definitionem allatam, certe infinito categor. applicari non potest, nam de ratione istius est, ut extra illud nihil penitus remaneat, spectans ad gradum infinitatis ejus, nam magnitudo sic infinita dicitur, extra quam alia magnitudo reperiri non potest, infinita hominum multitudo, extra quam nec unus homo potest reperiri.

Ex hac vero definitione infiniti syncategorematici, & in potentia sic explicata facile deducitur, inquit Doctor quol. citat. definitio infiniti categorematici, & in actu, & erit illa tradita ab antiquis, si recte intelligatur, infinitum est id, cujus nihil est extra, id est cui non solum nihil deest eorum, quæ spectant ad constitutionem ejus, sed extra quod nihil penitus remanet in illo gradu, & ordine; unde tale infinitum actu, ait Scot. vere esse totum, & vere perfectum totum, quia nihil sui esset extra; perfectum, quia nihil sibi deesset in illo gradu, & ordine, unde nihil posset addi secundum rationem quantitatis, tum quia tanta esset in actu illa quantitas, quanta esset in potentia; tum quia tunc posset excedi quod est contra rationem talis infiniti, & hoc in sensu etiam explicat, & retinet Averf. q. 24. sect. 1. definitionem antiquorum ab Arist. rejectam; Canon. vero cit. definit Infinitum in actu cum Arist. 1. Cel. 130. quod sit, id quo non est major, nec esse potest.

Verem ex definitionibus allatis orta est alia gravis difficultas; cum enim ex vi illarum non discernantur hæc duo infinita, nisi ratione æqualitatis, & potentialitatis; hinc aliqui dixerunt hæc duo genera infinitorum non differre in extensione, si ve continua, si ve discreta, sed tantum in modo essendi potentiali, vel actuali, eo quod multitudo, vel magnitudo syncategorematicæ infinita includit actum permixtum potentia, atque adeo habent modum essendi imperfectum, & in completum, nam quæcumque ex ea multitudine existunt, sunt simpliciter finita; infinitum vero categor. dicitur actualitate, & simultate omnium suarum partium: ex quo duo deducunt, unum est, infinitatem syncategor. statui non possi in rebus actualibus, eo quia abstracti nequit a potentia ad existendum secundum multas sui partes indeterminatas: alterum est, quod si per impossibile simul acciperentur, & ponerentur in actu partes omnes infiniti syncategor. tunc multitudo illa foret categorematicæ infinita, quia hæc duo infinitorum genera non differunt in ipsa multitudine, vel magnitudine, sed in modo essendi ipsius, ita loquuntur omnes illi auctores qui disputat. præced. quæst. 2. artic. 3. ponebant in continuas partes proportionales actu infinitas, eo quia singula actu sunt in continuo, & nulla illarum est in potentia ad existendum. Et hæc sententiam expresse tenuit Doctor quol. citat. dum ex commutatione rationis infiniti in potentia in rationem infiniti in actu, in quantitate deducit definitionem ejus, inquit enim Doctor. Si semper cresceret quantitas infiniti per accipiendum partem post partem, & imaginarem omnes partes acceptibiles esse simul acceptas, & simul remanere, haberemus infi-

infinitam quantitatem in actu, quia tanta esset in actu, quanta esset in potentia; clarius adhuc id expresse Doctor 1. dist. 2. quæstion. 2. § Ostensio propositio etc. dum inquit, quæcumque sunt infinita in potentia ita quod accipiendo alterum post alterum, nullum poterunt habere finem, illa omnia, si simul actu sunt, sunt infinita actu; hunc demum dicendi modum sequuntur quicumque tenent, multitudinem infinitam syncategorematicæ rerum possibilitum secundum existentiam realem esse categorematicæ in cognitione divina ob simultaneam, & actualem existentiam objectivam, quæ videtur fuisse mens Scoti. loc. ultimum citat. & tenent Ruvius tractat. de Inf. quæst. 2. Murcia 3. Phys. disput. 2. quæst. ult. Granat. 1. p. qu. 14. tract. 2., & Gonz. disp. 42. & alii.

Adhuc tamen dicendum est, hæc duo infinitorum genera inter se differre, non solum in modo essendi potentiali, vel actuali, sed etiam in extensione ipsa, si ve continua, si ve discreta; ita quod si omnes infiniti syncategor. partes simul ponerentur, & in actu adhuc multitudo illa syncategorematicæ infinita dici deberet, & non categorematicæ: Concl. hæc conformis est statuti de continui partibus præced. disp. & est non minus expresse Doctoris 2. Met. quæst. 6. § Ad rationes etc. ubi in solutione argumenti de animabus hominum posita generatione perpetua, quo probabatur infinitum in actu ait, quod si omnes anime humane, quæ fuerunt posita generatione perpetua a parte ante, si ve omnes partes in potentia in magnitudine essent, quod non essent infinita actu conjungendo infinitatem cum actu, unde forte posset concedi, quod actu essent infinita in potentia, quia in potentia accipiendo unam animam post aliam, quia aliter non compebat eis infinitas, sed non essent infinita actu, quia non sunt tot, quin plures possint esse, infinita in actu tot sunt, quod non possunt plura impossibilia esse, & paulo infra sursum ait, quod successiva infinita, si essent simul, non essent infinita, vel si essent tot homines simul, quot fuerunt successive, non essent infinita actu, quia infiniti fuerunt in accipiendo, & in potentia, ideo nunquam sequitur ex illis, si essent simul, infinitas actualis, quia alterius rationis sunt infinitas actualis, & potentialis, ideo ex infinitate potentiali nunquam potest concludi infinitas actualis; Amplectitur Tromb. hæc doctrinam tractat. de Plurif. Anim. contrav. Averr. art. 2. par. 2. in solut. ad 6. de multitudine infinita animarum, ait enim, quod amissa mundi æternitate, & animarum immortalitate, nunc non forent, nisi infinitæ anime syncategorematicæ, & explicant propositionem illam Doct. 1. dist. 2. q. 2. quæcumque sunt infinita in potentia, sic quod accipiendo alterum post alterum nunquam possunt habere finem, si simul actu sunt, sunt actu infinita, ait Trombeta, quod ly actu, vel potest determinare ly sunt, vel ly infinita, & in primo sensu vera est major, quia illa, quæ erant infinita accipiendo alterum post alterum, modo simul actu sunt, & existunt, sed in secundo sensu est falsa, quia infinitas actualis, & potentialis sunt alterius rationis, & ex una non potest sequi alia, & in primo sensu, inquit, intelligi debere Doctorem, quia juxta hunc sensum adhuc concludit intentum, infinitatem scilicet divini intellectus, & in hunc sensum etiam videtur eum exponere ibi Tatarer. & potest etiam exponi quolib. 5. licet ægre hæc expositionem ibi recipiat, quia ingenue eo loco ex similitudine partium infiniti in potentia concludit infinitum in actu, unde expeditus ad hæc Scoti loca dicitur posset, quod sicut ipse variis fuit in hac materia de infinito, nec unquam expresse se determinavit, ut bene notat P. Cavellus in Met. Scot. lib. 2. qu. 6. Scol. 1. & 2. ita varie variis in locis locutus est. Hæc autem conclusio, quam tenet Albertus. tom. 2. de Prædicam. quant. disp. 4. quæst. 2. & Averf. quæst. 22. sect. 3. ad 3. Prob. primo, quia ut disp. præced. qu. 2. art. 6. ad 4. præciscendo ab omni actualitate, & potentialitate objectiva, adhuc hæc duo infinitorum genera inter se differunt, ergo non differunt solum in modo essendi potentiali, vel actuali; Probatur assumptum, quia docet Scot. loc. cit. in Met. ratio infinitatis syncategor. est, quod ejus partes non sint tot, quin plures possint esse, & plures accipi, & signari. Ratio vero infinitatis categor. est, quod ejus partes tot sunt, quod nequeant esse plures, quæ rationes sunt ita oppositæ, ut sint contradictoriæ, sicut notavit Tromb. cit. sed hæc rationes oriuntur ex natura illarum multitudinum, & non tantum ex modo essendi ipsarum potentiali, vel actuali, ergo præcisio tali modo, adhuc differret, nec una infinitas evaderet aliam; Probatur min. quia res ad extra possibili sunt infinitæ syncategorematicæ, & adhuc eandem retinent infinitatem quamvis actu, & simul existant in intellectu divino in esse objectivo, ut dicitur quæst. ult. hujus disput. ergo eodem quoque modo se habent quoad infinitatem, si ad extra per impossibile simul omnes producerentur: Adhuc tamen tota hæc infinitas syncategorematicæ potentialis diceretur, & non actualis, quia ut notat Trombeta, consistit ejus infinitas in accipiendo partem post partem de ista multitudine, & sic successive, unde licet infinitæ species essent in actu (inquit ipse) quantum ad unitates materiales, tamen essent præcisio infinitæ in potentia, quia modus suæ infinitatis est per accipiendum intellectus, accipiendo partem post partem in infinitum, ubi e contra modus infinitatis categorematicæ est perfectus, & completus in eo consistens, ut ejus partes sint in maxima, & suprema multitudine, & tot sint, quod nequeant esse plures; hinc dicebamus disputat. præced. quæstion. 2. articulo. quod licet præfata indeterminatio accipiendi partem

post partem infinito categorematicæ convenire possit, tamen proprie convenit solum infinito syncategorematicæ, quia hic est modus infinitatis ejus proprius, ut docet Scot. 1. dist. 3. quæst. 1. ad tertium principale.

Deinde in hoc differunt hæc duo infinitorum genera, quod categorematicæ attingit infinitatem intrinsece, syncategor. vero solum extrinsece, ita quod de illo verificari potest multitudo, vel magnitudo in supremo gradu, quod nimirum tanta sit, quod nequeat esse major, de isto autem non, sed bene omne id, quod est infra infinitatem, eo modo, quo dicimus, quod si una potentia possit attingere calorem, ut quatuor: altera vero non, sed omnem alium, qui est infra calorem, ut quatuor, prima potentia attingit intrinsece calorem ut quatuor, secunda extrinsece solum, ergo si per impossibile infinitum syncategorematicum poneretur in actu, non inde fieret categor. quia poneretur in actu sicuti est, atque ita etiam in actu positum solum extrinsece esset infinitum, quatenus nunquam assignari posset ejus ultima pars, nec tamen unquam possent dici partes ejus in suprema, & maxima multitudine; Probatur assumptum, quia alioqui non admittendo statum in speciebus, posset a Deo creari creatura infinite perfecta, & in divisione continui posset deveniri ad aliquam minimam partem, & indivisibilem, & in velocitate motus majori, & majori posset deveniri ad velocitatem instantaneam, quæ motui locali repugnat; cum ergo hæc omnia implicent, dicendum est, processum syncategor. aliquam attingere posse infinitatem intrinsece, & ideo si per impossibile omnes creaturæ possibiles ponerentur in actu nulla foret infinite perfecta, quia nulla talis est possibilis, & tunc non poneretur a parte rei, nisi quod est possibile; pariter si tota motus velocitas possibilis poneretur in actu, nullus motus localis adhuc esset instantaneus, quia nullus talis est impossibilis.

Si dicatur, ex hypothesi impossibili, quod infinitum syncategor. ponatur totum in actu, sequi hoc aliud impossibile, quod intrinsece attingat infinitatem. Contra, ex hypothesi impossibili non sequitur per locum intrinsecum impossibile quodcumque, sed illud tantum, quod necessariam habet connexionem cum tali hypothesi, ut v. g. ex eo, quod lapis est animal, sequitur quoque, ipsum fore sensitivum, non tamen quod non sit corporeus, ergo in proposito ex eo, quod infinitum syncategor. sit totum simul, sequitur esse simul, quæ non sunt compossibilia, non tamen esse plura, vel pauciora, & ex illa hypothesi sequitur compossibilitas partium talis infiniti, non autem pluralitas, & hujus ratio est, quia multitudo variari non potest, nisi varietur principium multitudinis, quod est differentia specifica, vel individualis, sed existentia a parte rei non est tale principium, cum supponat rem, cui advenit, determinatam esse in specie, & individuo, ut docet Doct. dist. 3. quæst. 4. & quando etiam esset tale principium, cum non sit diversa secundum se in esse actuali, & possibili, si in hoc statu non facit multitudinem categorematicæ infinitam, nec etiam faciet in illo.

Ex his colligitur, qualis sit potentialitas, quæ necessaria est ad infinitum syncategor. ut sic, hæc enim non est necessario talis, ut magnitudo, vel multitudo, quæ sic dicitur infinita partim debeat esse in actu, & partim in potentia, & secundum partes existentes sit finita, & secundum partes possibili infinita; quamvis enim infinitum syncategor. in hoc sensu, præcipuo modo dici soleat in potentia, & multis talis potentialis sit essentialis, & necessaria; tamen absolute loquendo, potest tale infinitum syncategor. dari, quod habeat actu partes finitas in infinitum, cui tamen adhuc alia possint addi, & talis est multitudo partium continui: potentialitas ergo, quæ constituit infinitum syncategor. ut sic, est indeterminatio illa accipiendi partem post partem in infinitum, hic enim est modus infinitatis ejus, ut sup. diximus cum Tromb. & capacitas, quam habet, ut possit adhuc augeri per majorem, & majorem accessum ad infinitatem, & per potentialitatem in hoc sensu præferrim distinguitur infinitum syncategor. & categor. nam indeterminatio illa accipiendi partem post partem, licet sit propria infinitatis syncategor. potest tamen aliquo modo applicari etiam categor. sed capacitas augenti nullo profus modo convenire potest categor. quia de ratione ejus est, quod nihil extra illud remaneat spectans ad infinitatem, in illo gradu, & ordine, & sic potentialitas in hoc sensu remanet propria infiniti syncategor. cujuscumque, quia si ve a parte rei habeat determinatas partes, & finitas, si ve indeterminatas, & finitas in infinitum, adhuc tamen semper illi additio fieri potest, & ejus accessus ad infinitatem esset major, & major.

Ex his denique patet, quam bene infinitum illud, quod habet omnes suas partes in actu, & simul, & in tanta copia, ut nequeant esse plures, nec ullum profus possit suscipere incrementum, dicatur categor. Alterum vero, quod suas non habet partes in tanta copia, sed vel determinatas, vel indeterminatas, ita tamen, ut semper possit illi additio fieri aliarum, dicitur sit syncategor. nam sicut apud Logicos terminus categor. dicitur ille, qui est absolute significativus sine addito, syncateg. vero cum addito inde, nomen est terminus categor. Adverbium syncategor. ita infinitum primi generis recta ratione dicitur categor., quia absolute, & directe infinitum est, & sine ullo addito infinitatem attingit intrinsece, unde nominaliter dicitur infinitum. At infinitum secundi generis recta ratione dicitur syncategor., quia si partes, quæ

actu includit, sunt finitæ, non dicitur infinitum, nisi considerando additionem, quæ semper, & semper sibi fieri potest, & si sunt infinitæ, adhuc talem additionem suscipere possunt, ex quo fit, quod tale infinitum non dicatur nominaliter tale, & in recto, sed solum adverbialiter, & in obliquo finitum in infinitum.

8. In oppositum obiicitur 1. quod Arist. definitio 3. Physicor. 63. tradita, quod sic id, cuius semper est aliquid extra accipere, conveniat etiam infinito categorematice. Tum quia Arist. tradit definitionem infiniti ad destruendam definitionem positam ab antiquis, sed illi definebant, vel infinitum categor. vel in communi ergo &c. alioquin incidere in fallaciam æquivocationis. Tum quia si infinitum sit syncategorem., sive categorematice, dum acceptio fit successively, semper manet aliquid accipiendum, ergo eadem indeterminatio utique convenit in sensu definitionis illius.

Resp. Arist. probare contra antiquos, non dari infinitum in actu, quod ipsi definebant, sed solum infinitum in potentia, quod ipse definit opposito modo, quia habet oppositas conditiones, & in hoc sensu querit destruere positionem, & definitionem antiquorum. Ad 2. patet ex dictis, quod indeterminatio illa acceptionis partis post partem est proprius modus infinitatis syncategor. ut a categorematice distinguitur, & quando etiam talis indeterminatio posset quoque convenire infinito categoremati. tamen potentialitas illa ad incrementum importata per illud, quod extra infinitum semper remaneat aliquid accipiendum, quod ei potest addi, infinito categor. profus repugnat, & denique si daretur magnitudo categorem. infinita, acceptio in illa esset partium æqualium, qualis modo non est in continuo, ubi est tantum infinita acceptio proportionalium, & in illa partes essent determinatæ, tam quoad existentiam, quam quoad quantitatem, essent enim pars illæ ejusdem quantitatis, sed modo partes infinitæ in continuo, licet sint determinatæ quoad existentiam, quatenus non sunt tantum in potentia objectiva, tamen sunt determinatæ quoad quantitatem, quia semper una includitur in alia.

Secundo obiicitur, probando, quod hæc duo infinitorum genera non differant in extensione continua, vel discreta, sed tantum in modo essendi potentiali, vel actuali. Tum quia multitudo rerum possibilium secundum existentiam realem est infinita syncategorematicæ, & tamen quia in divino intellectu est tota simul objectivo, dicitur ibi categorematice infinita, sed hæc multitudo in esse objectivo non est diversa ab ea, quæ est syncategorematicæ possibilis secundum existentiam realem, ergo &c. Tum 2. quia in utroque infinito reperitur magnitudo, vel multitudo sine termino, ergo solum differunt in modo essendi actuali, & potentiali. Tum 3. quia Arist. 3. Phys. a. text. 56. distinguit infinita hujusmodi, quia unum est in actu, aliud in potentia, nec unquam meminit diversitatis secundum multitudinem, vel magnitudinem. Tum 4. quia si tota hominum multitudo possibilis poneretur in actu, non potest Deus alios producere homines, quia omnes possibles supponuntur producti, ergo erit categorematice infinita. Tum denique, quia talis multitudo tota in actu posita non est major infinito categorem. neque minor, quia caret ultimo, ergo est æqualis.

9. Resp. negando assumptum, nam etiam in esse objectivo talis multitudo est syncategorem. infinita, quia talis infinitas est tali multitudini essentialis, & intrinseca: esse vero objectivo est tantum extrinseca denominatio, quæ proinde illam variare non potest. Ad 2. utraque multitudo caret termino, sed non eodem modo, nam uni est intrinseca talis carentia, quia intrinsece infinitatem attingit, alteri extrinseca, quia dicitur potentiam ad actum nunquam explebilem. Ad 3. Arist. distinguit infinitum syncategorem. a categorematice per potentiam, & actum, quia profus implicat, ut illud sit aliquid quando totum in actu, quia de ratione ejus est, ut semper aliquid extra illud remaneat addendum. Ad 4. ex illo impossibile, quod tota infinitas syncategorem. ponatur simul in actu, sequitur hoc aliud impossibile, quod ei addito fieri nequeat, id enim habet necessariam connexionem cum illa hypothese impossibili, adhuc tamen illa multitudo non esset categorematice infinita, nec diceretur in suprema multitudine, quia repugnantia additionis non oritur ex ratione intrinseca ipsius multitudinis, sed ab extrinseco ex impossibilitate aliarum rerum producibilium, qua ratione etiam dicemus, creaturis cognitis additionem fieri non posse. Ad 5. licet utraque multitudo careat ultimo, tamen syncategorematicæ est minor altera, quia ipsa est finita in infinitum, id est sine ulla determinatione, quod sit tanta, vel tanta, sed altera multitudo est simpliciter infinita, & potest absolute dici, quod sit in statu supremo.

ARTICULUS II.

De affectionibus, & attributis infiniti.

10. Variæ sunt attributa, quæ passim de infinito promiscue enunciari solent, non distinguendo, cui nam infinito conveniant, quæ ad majorem naturæ infiniti intelligentiam valde juvabunt, si diligenter, & distincte considerentur.

Primo igitur infinitum dicitur mensurari non posse, quod attributum utrique infinito convenit, & ratio est evidens, & communis ambobus, illud enim dicitur mensurari, quod de-

terminatè cognoscitur, quantum sit, tantum nempe, & non majus, hoc autem de nullo infinito verificari potest, ut patet ex dictis sup. art. sed Averfa quæst. 24. sect. 2. inquit, infinitum esse immensurabile per mensuram finitam, sive successively per repetitionem ejusdem mensuræ, & in hoc sensu, ait, intelligi debere, quod communiter dicitur, infinitum mensurari non posse, adhuc tamen contendit aliquo modo sub mensura cadere posse, & posse adæquate mensurari per mensuram pariter infinitam, ut si data prius quadam multitudine infinita, illi compararetur alia multitudo infinita, & inveniatur illi æqualis, ac proportionata, & sic dicatur esse tanta, quanta est illa, ac pariter infinita. Sed hoc non bene dicitur, tum quia mensurare, proprie loquendo est, in notitiam quantitatis ignotæ per alteram notiozem devenire, ut docet Scotus quolib. 13. M. & 2. dist. 2. quæst. secunda G. unum vero infinitum non est notius alio, quare ideo pro mensura ad aliud dimetiendum assumi non poterit; tum quia ut idem docet 2. dist. prima quæst. 3. ad ultim. argument. æqualitas est affectio propria quantitatis finitæ, & unum infinitum non est æquale alteri positive, & veluti per commensurationem, sed solum dici potest æquale negative per negationem excessus & defectus, vere igitur infinitum mensurari non potest.

Secundo dicitur infinitum totaliter pertransiri non posse, nec numerari, quod Arist. docuit 3. Phys. 41. & ratio similiter est evidens, quia illud totum pertransitur, & numeratur, ad cuius ultimum pervenitur, sed hoc infinito repugnat, ergo, &c. & hoc attributum similiter convenit utrique infinito, quia utrumque caret ultimo. Solet in contrarium adduci, quod per motum totum continuum percurritur, in quo sunt partes infinitæ, & quod si mundus fuisset ab æterno, ut voluit Arist. & plerique admittunt esse possibile, jam transisset nunc tempus infinitum. Sed ad primam difficultatem fit satis disput. præced. in solution. argum. Zen. ad alteram vero vel ex ibidem dictis respondendum est, vel potius ex ea duci debet argumentum cum Scot. in 2. dist. 1. qu. 3. infra I. ad probandum, non potuisse dari tempus æternum, quia non potest infinitus pertransiri, id quod infra tuebitur disp. 14. q. 1. art. 2.

11. Tertio infinitum dici solet ignotum, & cognosci non posse, idque docuit Arist. 1. Phys. 35. & libr. 3. 65. & intelligi non posse perfecte, & adæquate cognosci, cum semper aliud, & aliud remaneat cognoscendum, idque convenit utrique infinito; ut de se patet; declarat autem hoc attributum Doctor 1. dist. 3. quæstion. 1. ad 3. princip. ubi ait, quod infinitum dicitur ignotum, non quia a nullo intellectu possit intelligi, quia intelligitur ab intellectu infinito, & forte etiam ab intellectu animæ Christi, ut ipse docet 3. dist. 14. quæstion. 2. dicitur ergo infinitum cognosci non posse (ait Doctor) ab aliquo intellectu cognoscente ipsum secundum modum suæ infinitatis modus enim suæ infinitatis est accipiendum alterum post alterum, & intellectus, qui cognosceret hoc modo alterum post alterum, cognosceret semper aliquod finitum, & nunquam infinitum, & in hoc sensu dixit Arist. infinitum esse ignotum loc. cit. ut patet ex ejus dictis. Neque ob id dicitur infinitum pertransiri, quia transitus proprie successivem dicit. Sed dices, si infinitum secundum modum suæ infinitatis non potest attingi, ergo ab intellectu divino cognoscitur per modum finiti. Resp. hoc totum posse, & debere concedi in eo sensu, quod dixit D. Aug. de Civ. lib. 3. c. 18. quiddam scientia comprehenditur, scientis cognitione finitur, quod dictum explicat Doct. 3. d. 14. quæst. 2. F. ita esse intelligendum, non quod absolute finitur, quia tunc Deus non comprehenderet se, sed finitur cognoscitur; quia respectu ejus se habet, ac si esset finitum, in hoc igitur sensu dicitur infinitum a Deo cognosci per modum finiti, non quod vere non cognoscatur, sed quia ita perfecte cognoscitur, ut in divina cognitione dicitur penitus finiri, quatenus nihil ejus remanet cognoscendum. Alia, quæ de infiniti cognoscibilitate desiderantur, videri possunt apud Can. & Samson. 3. Physicor. quæstion. 4. & Bargium prima distinction. 3. quæstion. 1. §. Ad 3. dico &c. in his enim, quæ nostri exacte pertransiunt, nec nova difficultates in oppositum a Recentioribus excitantur, non est tempus conterendum.

12. Quarto dubitatur, an infinitum posset esse majus, vel minus, & id quamplures affirmant, nedum infinito syncategorematico, sed etiam categorematice, ita docuisse videtur S. Thom. 3. quæstion. 10. artic. 3. Cajetani. ibidem, Ferr. 3. Con. Gen. cap. 57. Masius 3. Phys. disput. de Inf. section. 1. quæst. 4. Ruyvis ibidem tractat. 2. quæstion. 4. Hurrad. disp. 13. Phys. section. 2. §. 21. Ariag. disput. 13. sect. part. Complut. disp. 18. de Inf. quæst. 7. Fuentes 3. Physic. quæst. 3. diff. 2. artic. 2. & alii, quod probant evidenti ratione; nam si daretur actu infinitus numerus hominum, tunc plures forent oculi, quam homines, plures digiti, quam oculi, adhuc plures capilli, quam digiti, nam quisvis homo duos habet oculos, decem manuum digitos, & multo plures capillos. Nec respondere valet; majus, & minus esse affectiones proprias quantitatis finitæ cum Conimbr. 3. Phys. cap. 8. quæstion. 2. artic. 4. Nam quicquid continet totum, quod continet aliud, & aliquid præter illud, est majus illo, sed numerus capillorum tot unitates includit, quot numerus hominum, & adhuc multo plures, ergo est major illo; quod argumentum, si non concludit, plane omnis via præcluditur ad probandum illam maximam, quod totum est majus sua parte, etenim demon-

demonstratione fundatur; unde nec rursus valet dicere cum eisdem, principium illud, quod omne totum est majus sua parte, est verum in rebus finitis, non infinitis, quia hoc est primum principium, quod in omnibus irrefragabiliter habet veritatem, & eadem ratione, qua ejus veritas probatur in rebus finitis, probabitur quoque in infinitis.

Respondet proinde Greg. 1. d. 44. qu. ult. art. 1. ad 2. majus posse sumi dupliciter, proprie, & improprie; illa multitudo est major alia proprie, quando continet tot unitates, quot illa, & adhuc plures; illa est major alia improprie, cum continet tot, quot illa, sed non plures, licet contineat aliquid aliud: primo modo totum est majus sua parte in rebus finitis; secundo modo tantum in infinitis, ita quoque Tat. 3. Phys. q. de infinito §. Tertio sciendum, &c. Sed hæc responsio seipsam destruit, quia si una multitudo tot continet unitates, quot alia, & adhuc multas alias, necessario sequitur, quod plures contineat, quam illa; quia ex hoc solum deducitur, unam multitudinem continere plures partes, quam alia, quia tot continet, quot illa, & adhuc alias, implicat enim, aliquid includere omnes unitates alicujus multitudinis, & quædam alias ab illis diversas, & non includere plures, nam illa alia unitates necessario addunt pluralitatem, quia pluralitas non est aliud, quam unitas pluries multiplicata. Respondet Gregor. pluralitatem dicere relationem inæqualitatis, quam non dicit ly aliud. Contra, hoc absolute verum est, sed quando ly aliud additur aliis, tribuit toti utrumque includenti pluralitatem, & consequenter inæqualitatem.

13. Respondet proinde Vasq. 1. p. disp. 26. c. 3. quod licet in infinitis non sit assignare majus, & minus, æquale, vel inæquale secundum proportionem, quæ tantum invenitur in rebus finitis, quia tamen unum infinitum vera continet aliqua, quæ in alio non continentur, poterit dici unum infinitum majus altero secundum inclusionem, non tamen secundum proportionem, & in eodem sensu etiam in infinito totum erit majus sua parte, non quidem secundum proportionem, quia utrumque erit infinitum, sed tantum secundum inclusionem. Sed hæc solutio nulla est, nam majoritas, & minoritas proportionis inseparabilis est a majoritate, & minoritate inclusionis, tam in rebus finitis, quam infinitis, nam proportio est habitudo quantitatum inter se, æqualitas est species illius habitudinis rerum quantitatum inter se secundum negationem excessus, & defectus, inæqualitas vero est habitudo earumdem secundum excessum, & defectum entitatis inclusæ, majus vero minus, & æquale sunt extrema illarum relationum, jam vero ad has relationes impertinens est finitudo, & infinitudo, sufficit enim ut reperitur excessus, & defectus entitatis inclusæ, vel eorum negatio, non enim sunt res finitæ majores, vel minores ratione extremitatum, quia illæ non sunt præcisè fundamentum relationis, sed ratione inclusæ entitatis, ita ut eo ipso, quod unum plus entitatis includit, quam aliud, præcisè etiam per impossibile terminis, necessario sit majus illo.

Respondent, in infinitis non dari excessum, hic enim proprie tantum est in numero finito, quando enim per adæquatam numerationem v. gr. denarii pervenimus ad quinarium, qui ad denarium comparatur, ut dimidium ad duplum, & postea proficimur mendo, immediate post quinarium sequitur excessus dimidii, & ideo quia in multitudine infinita, vel magnitudine nunquam potest pervenire ad dimidium, consequenter etiam ad excessum perveniri non potest, qui sequitur immediate post illud, sed semper, & semper procedimus; unde in infinitis datur processus, non excessus; sed hæc responsio rejicitur ex dictis, quia inæqualitas est habitudo duarum quantitatum secundum excessum, & defectum entitatis inclusæ, sed multo plures unitates, & numeros includit multitudo infinita capillorum, quam hominum, ergo illa excedit istam; & sic verum est, unum totum aliud excedere, quando includit, quicquid includit illud, & etiam aliquid aliud, ut patet in exemplo denarii respectu quinarii allato in responsione; plane cum numerus capillorum tot includat unitates, quot numerus oculorum, & hominum infinitorum, consequenter excedit illos. Immo etiam poterit assignari dimidium, nam infra ostendemus infinitatem hominum esse dimidium infinitatis oculorum, qui sunt in duplo plures, & sic poterit etiam assignari excessus.

14. Dicendum tamen adhuc est, quod quamvis majus, & minus infinito syncategorem. competere possit, tamen categor. profus repugnat, ita Scot. quol. 5. sub A. ubi docet, infinitum in actu non posse excedi, idem habet 1. d. 2. q. 2. §. Quarta via &c. & ad 2. princ. & 2. d. 1. q. 3. ad ult. arg. Mayron. 1. d. 43. q. 10. Bass. 2. d. 1. q. 5. can. optime 3. Phys. q. 3. art. 3. Conimbr. Averfa q. 24. sect. 2. & probatur; Tum quia ex dictis art. præc. infinitum in actu est illud, quod non est majus 1. de celo text. 130. ubi exponunt, non solum secundum existentiam, sed etiam secundum imaginationem, & ideo quia Deus est infinitus ens, dicitur ab Anselmo, quo majus excogitari non potest in entibus, ergo ab intrinseco repugnat infinito excedi ab alio in eo genere, in quo est infinitum. Tum quia infinitum in entitate dicitur esse illud, cui nihil entitatis deest eo modo, quo possibile est omnitatem haberi in aliquo uno, & hinc probant Theologi, Deum esse simpliciter, & in omni genere infinitum, quia ita omnia continet, ut nihil sit extra ipsum, id est nihil sit, quod in eo eminenter non contineatur, & ideo dicitur habere omnem essendi plenitudinem, ergo a pari infinitum in quantitate continua, vel discreta erit illud, quod continet omnem hujusmodi quantitatem. Tum 3. ut arguit Canon. infinitum in actu, & infinitum in potentia debent per opposita definiri, sed infinitum in potentia definitur, cui aliquid deficit, & cuius semper est aliud, & aliud accipiendum, ergo infinitum in actu definitur per hoc, quod nihil sibi deficit in eo genere, in quo est infinitum, sed omni excessu aliquid deficit ergo &c. Tum 4. quod est imperfectum in aliquo genere, non est infinitum in eo genere, quia infinitum in aliquo genere dicitur, quod habet omne spectans ad illud genus, unde perfecte, & infinite calidum est illud, quod habet omnes gradus possibles caloris, sed omne excessum in aliquo genere est imperfectum respectu ejus, a quo exceditur, ergo respectu ejus non est infinitum. Tum 5. quia eo ipso, quod aliquid exceditur, finitur, & terminatur; finitur enim ibi, ubi incipit ab alio excedi. Tum 6. quia in quantitate continua illa dicitur extensio infinita, quæ ulterius, & ulterius protenditur sine termino, ergo repugnat dari lineam infinitam, quæ non extendatur sicut altera, nam finiretur ibi, ubi incipit ab alia excedi, & esset tanta, & non major. Tum denique in quantitate discreta si unus numerus est alio minor, ergo hic non est tantus, quantus ille, nec tot unitates includit, quot ille, ergo erit tantus, & non major, tot unitates habebit, & non plures, ergo finitus erit, non infinitus.

Resp. auctores cit. pro altera sententia, hæc, & similia argumenta probare tantum, non possit dari unum infinitum majus alio formaliter, & in ratione infiniti, nam ratio infinitudinis in indivisibili consistit, scilicet in negatione termini, adhuc tamen stat posse unum infinitum esse majus altero, vel æquale materialiter, quantum scilicet ad res, ex quibus componitur, quia licet non possit habere unum infinitum majorem rationem infinitudinis alio, potest tamen habere plures res, quibus conveniunt infinitas, & in hoc sensu major est multitudo infinitorum Angelorum, & hominum, quam Angelorum tantum.

15. Sed contra hanc doctrinam, quæ Recentioribus omnibus fati est familiaris, arguitur, quod in primis falso innititur fundamento, quod infinitas sit una forma indivisibilis, & simplex, quod omnino dici non potest, cum sit in subiecto divisibilis; & ideo ipsa negatio finitatis extenditur ad extensionem rerum, quæ dicitur infinita, unde infinitas erit quidem tota in tota multitudine, sed non tota in qualibet illius parte, v. g. in denario vel centenario. Deinde sicut numerus non est aliqua una forma ex natura rei distincta a rebus numeratis præsertim secundum istos, sed est aggregatio plurium unitatum, ita in proposito infinitum non erit nisi aggregatio quædam plurium unitatum, & ideo si unitates aggregatæ plus, & minus recipiunt, infinitum quoque formaliter erit majus, & minus. Nec dicere possunt, infinitatem dici formam indivisibilem, quia exigat aggregationem unitatum talis rationis, sicut quinarium forma dicitur indivisibilis quinque unitatum, quia in illis quinque fundatur collective sumptis. Nequeunt hoc dicere, quia sequeretur, quod sicut ablata unitate a quinario destruitur quinarium, quia destruitur collectio, in qua fundabatur, sic etiam ablata qualibet unitate destrueretur infinitas. Denique solutio illa seipsum destruit, nam eo ipso, quod conceditur; unum infinitum posse aliud excedere materialiter, coguntur dicere, quod etiam excedit formaliter, nam ratio formalis infinitudinis consistit in negatione termini, sed eo ipso quod unum infinitum exceditur ab alio, finitur, & terminatur, ut probatum est, definit enim ibi, ubi incipit excedi, ergo &c.

Ex his concludendum est cum hac 2. sententia, infinito categorematice profus repugnare majus, & minus, & adhuc primæ sententiæ concedendum est, quod si daretur multitudo infinita hominum, major esse deberet infinitas oculorum, & adhuc major capillorum, nam ut inquit Suar. disput. 44. Met. sect. 5. n. 49. mens capere non potest, qua ratione singuli dies non sint pauciores, quam horæ, & tota collectio dierum non sit minor, quam collectio horarum, cum singulis unitatibus dierum respondeant viginti quatuor unitates horarum; recta igitur ratione ostendit prima sententia, unum infinitum categorematice debere esse majus alio, (si daretur) recta item ratione ostendit 2. sententia, hoc profus repugnare, quare hæc erit una ratio implicantiæ evidenter demonstrans impossibilitatem talis infiniti.

16. Quod autem infinitum syncateg. possit recipere magis, & minus, Probat. Tum ex ratione ipsius infiniti syncategor. quæ est, quod extra illud semper aliquid remaneat, quod sibi possit addi. Tum quia sub una specie multiplicari possunt individua in infinitum, & similiter sub altera specie, major autem est numerus individuorum possibilium sub utraque specie, quam sub una tantum. Tum quia possunt a creatura produci plures, & plures effectus in infinitum, sed adhuc plures produci possunt a Deo, sicut major est potentia Dei, quam creaturæ, & tamen hæc omnia sunt syncategorematicæ infinita. Tum etiam admisso præsertim processu specierum in infinitum, quilibet creatura distat in infinitum a Deo, & tamen sub hac infinitate magis distat creaturæ imperfectiores, & minus distant perfectiores, sicut istæ magis accedunt ad divinam perfectionem, quam illæ, ut colligitur ex Scot. 4. d. 1. quæst. 1. §. Ratio secunda, &c. Tum denique quia præced. disput. statimus hac ratione plures partes proportionales & indivisibilia in Cælo, quam in grano milii, & tamen utrobique sunt syncategorematicæ infinita.

Ratio autem, cur hoc infinitum sit capax majoritatis, & minoritatis, & quare rationes allatæ a 2. sententia concludant contra infinitum catheg. non syncat. attenditur, ut notavit Amic. tract.

esse naturaliter in gratia ipsius impeccabilis, potens Deum comprehendere, cognoscere futura contingentia, &c. quæ ratio similiter non concludit, nam semper negabitur sequela; cum adhuc ista creatura ponatur a perfectione Dei infinite distare, & si aliquam vim haberet, & solummodo impossibilitatem ostenderet in genere creaturæ intellectualis, non autem in aliis generibus.

27 Cum igitur hæc impossibilitas a priori ostendi nequeat, nec evidenter, ac immediate a posteriori concludi, quod talis creatura non tantum in genere esset infinita, sed simpliciter, & absolute, atque ita Deus, id tamen ostendi potest a posteriori implicite. Primo per famosam Scoti regulam, quam docet 1. distinct. 8. quæst. 3. R. nunquam ad summum in inferiori sequitur summum in superiori; nisi illud inferius sit nobilissimum contentum sub illo superiori, sicut non sequitur, perfectissimus animus, ergo perfectissimum animal, sed bene gratia materiæ sequitur, perfectissimus homo, ergo perfectissimum animal, quia homo est perfectissimum animalium, si igitur creatura specie accidentaliter potest creari perfectior scilicet substantialis, creata substantiali corporea potest creari perfectior, scilicet spiritualis, certe creata demum substantiali spirituali infinite perfecta, per datam regulam concludi potest, quod hæc sit Deus, quia cum substantia spiritualis sit perfectissima contenta sub ente, argui potest, est perfectissima, & infinita substantia spiritualis, ergo est perfectissimum, & infinitum ens. Bassol. cit. conatur habere consequentiam elidere negando, quod substantia spiritualis absolute loquendo sit perfectissimum contentum sub ente, hoc enim est substantia spiritualis, quæ est necesse esse, & actus purus, & omnem perfectionem includit in tota esse latitudine, & ideo in allata consequentia, inquit, committitur fallacia a secundum quid ad simpliciter. Sed Vir iste supponit, posse dari creaturam infinitam etiam in genere substantiæ spiritualis, cum dependentia tamen a Deo, & aliis imperfectioribus creaturam consequentibus, & inde ait deducere non licere, quod esset perfectissimum ens in tota entis latitudine, quod utique verissimum est, factum semel illo supposito, sed hoc suppositum est, quod negamus, & dicimus, quod data tali substantia spirituali sic infinita, posset concludi, quod esset perfectissimum ens, quia esset perfectissimum contentum sub ente, nec hoc negari potest, nisi supponendo, quod probandum est.

Secundo efficacius probari potest omnibus illis rationibus, quibus probat Scotus in 2. d. 3. q. 10. non posse dari speciem impressam, quæ distictè representet omnes quidditates creatas possibiles, quia inquit Doctor, dari nequit aliqua quidditas creata illi speciei correspondens, in qua virtualiter contineatur cætera natura creatæ, ex quo loco manifeste deducitur proposita conclusio cum ejus probatione, cum enim species se habeant sicut numeri 8. Metaph. text. 10. & infinitæ species syncategorematicæ possibiles forent sub ea, quæ supponitur syncategorematicæ infinita, plane ex hoc, quod virtualiter, & eminenter contineat omnes illas, quantum una semper est alia perfectior, clare deducitur, quod sit simpliciter, & absolute infinita in genere entis, & non tantum in certo genere. Videantur rationes Doctoris loc. cit. quia mirabiliter hanc impossibilitatem probant, quæque enim prohibito poterit eas huic proposito applicare; ita etiam notavit Licher. 2. distinct. 2. qu. 9. §. Respondetur ad primum, &c. in solutione 4. ubi ait, quod quidditas intensiva infinita secundum gradus específicos esset infinita simpliciter, quia æquivaleret secum perfectionem infinitis speciebus.

28 Tertio ostendi potest omnibus illis rationibus, quibus demonstratur, quacumque specie data posse adhuc Deum creare perfectiorem, & perfectiorem, & sibi in infinitum proximiorum in tota entis creati latitudine, nam si posset aliqua creare infinitam, quia perfectiorem creare non posset, consequenter concludi deberet, talem speciem a Deo non distare in perfectione, quia si distaret, utique supra ipsam alia adhuc perfectior, & perfectior species creari posset, & hac ratione utitur Bassolus 1. p. q. 7. arr. 4. dub. 13. n. 11. Demum probari posset ostendendo inductione, talem speciem locum habere non posse in ullo genere sive accidentis, sive substantiæ, sive sub genere inanimatorum, sive animatorum, nec vegetantium, nec sentientium, nec intelligentium, ut facit Amic. cit. dub. 2. & 3.

Sed contra objicitur 1. Tum quia Deus potest producere speciem perfectiorem in infinitum, ergo poterit creare infinite perfectam, quia in collatione specierum possibilem tandem aliqua infinita perfectionis reperiri debet. Tum 2. quia infinita potentia activæ debet respondere effectus proportionatus, ergo potentia Dei infinite categoricæ, & per essentiam, poterit correspondere effectus confimilis. Tum 3. quia si Deus per impossibile ageret necessitate naturæ, utique talem produceret effectum, quia tunc applicaret totam virtutem suam, ergo idem nunc facere posset, cum ei liberum sit totaliter eam applicare, vel non applicare. Tum 4. quia Deus potest creaturæ infinitatem communicare quoad durationem, & præsentiam creando illam ab æterno, & replicando ubique, ergo pariter infinitatem essentia participatam, & dependentem. Tum 5. quia hæc infinita perfectio in essentia adhuc esset infra perfectionem divinam, quia esset in certo genere, non autem in tota latitudine entis. Tum denique quia hæc infinitas essentialis specierum, ut ait Averfa, non consistit in aliqua latitudine intensiva, vel extensiva, sed in indivisibili, at impossibilitate infiniti argui non potest, nisi ex tali latitudine.

29 Resp. ad 1. negando conseq. quia ex tali processu syncate-

gorematico potius sequitur oppositum, quod nunquam erit deventur ad speciem infinite perfectam, ut patet art. seq. ad 2. effectus infinitus negativæ, qualis est illa successiva inexhausta productio plurium, & plurium specierum possibilem, satis proportionatus est infinitæ potentia Dei, cum id per nullam finitam potentiam fieri possit, nec ob id potentia ipsa Dei dici debet finita in infinitum sicut objectum ipsum possibile, siquidem est tota actu, & per se perfecta in sua entitate, continens eminenter perfectiones específicas omnium effectuum sic infinitorum; & si non attingit effectum infinitum in essentia, defectus non est ex parte ejus, sed ex repugnantia rei; satis etiam proportionatus effectus infinitæ potentia Dei est res qualibet creata, & finita, si attendatur modus, quo potest a Deo ex nihilo produci. Ad 3. admittitur hypothesi illa impossibili adhuc negatur conseq. quia cum tale infinitum in essentia sit impossibile, produci non potest, quantumcumque applicetur divina virtus ad agendum. Ad 4. negatur paritas, quia cum limitatione creaturæ bene fiat, quod ab æterno producat, & ubique replicetur, ut infra suo loco patebit, sed infinitas in essentia illi repugnat, quia facit eam infinite perfectam, quatenus æquivaleret infinitis perfectionibus specificis, quas in se eminenter contineret. Ad 5. negatur assumptum, ex continentia enim eminentialiter infinitarum specierum in tali natura argueremus, ipsam esse infinitam simpliciter, & absolute, & non in certo genere tantum. Ad 6. negatur minor, satis enim ostenditur impossibilitatem infiniti in essentia, quamvis ejus infinitas in indivisibili consistat, ex eminentialiter continentia infinitarum specierum in eo.

Secundo arguit Averfa, quod non solum possibile sit tale infinitum in essentia, sed etiam de facto detur in rebus supernaturalibus & moralibus, unio enim hypostatica cum persona divina est infinitæ excellentiæ; omne opus Christi Domini erat infiniti valoris; peccatum dicitur esse infinitæ gravitatis, quæ est offensa Dei infinite digni; visio etiam beatifica est infinitæ excellentiæ, quia clare attingit Deum. Et in naturalibus possibile esset talis virtus motiva, quæ haberet vim velocius semper, ac velocius movendi, & possibile esset substantia, cui talis virtus esset connaturalis, scilicet Angelus. Item subjectum tantæ capacitatis in recipiendo, ut de se aptum esset suscipere majorem semper, & majorem qualitatem, & similiter causa productiva majoris semper, & majoris qualitatibus, quæ omnia essent infinita in essentia in suo genere; immo de facto intellectus noster habet virtutem percipiendi plura, & plura sine termino, efficiendi actus, ac recipiendi habitus magis, ac magis intensos, similiter voluntas, ergo &c. Accedit, quod possibile est species distincte representans divinam essentiam, quæ proinde in genere representantis infinita ceteri debet, cum nequeat dari perfectior illa.

30 Resp. nihil horum concludere infinitum in essentia, nam quantum attinet ad ordinem supernaturalium unio hypostatica est physice finita, sicut & Christi meritum, & moraliter tantum censetur infinitum, quatenus ex Verbo infinitam quandam contrahunt dignitatem, & excellentiam secundum moralem exultationem, quæ etiam infinitas in genere moris non habet proprie rationem infinitatis positivæ, sed potius cujusdam summitatis, & excellentiæ in certo genere; & eodem modo offensa peccatum dicitur esse infinitæ gravitatis, quia enim est offensa Dei, inde contrahit summitatem quandam in genere mali, ut dicitur in propriis tract. Theologicis, & idem dicendum de visione beatifica, quod ratione objecti habet summitatem quandam in genere visionis, sed non propterea est intrinsece infinita in essentia. In rebus autem naturalibus falsum est, possibilem esse virtutem motivam, quæ vim habeat velocius semper, ac velocius movendi; & virtus productiva majoris semper, & majoris qualitatibus, quæ tales virtutes essent infinitæ perfectionis, quod facile ostendi potest per maximam Scoti in 2. d. 3. q. 10. A. Ubi pluralitas numeralis requirit majorem perfectionem, ibi infinita pluralitas requirit infinitam perfectionem, & virtutem, ut si posset portare simul plura pondera, concludit, majorem virtutem posse simul portare infinita pondera, sive non tot quin plura, concludit infinitam virtutem, sic in proposito posse movere se, vel aliud corpus per aliquod spatium per horam, arguit aliquam virtutem in motore, posse illud movere per mediam horam per idem spatium arguit majorem virtutem, ergo posse movere per quadrantem, adhuc majorem, ergo posse movere velocius semper, & velocius in infinitum arguit infinitam virtutem in motore, & currit eadem paritas de causa productiva majoris semper, ac majores qualitatibus. Nec obstat dicere, talis virtus ex hoc argueretur tantum infinita in potentia, & syncategorematicæ. Nam potentia divina ex hoc ostenditur infinita categoricæ, quia non potest tot producere creaturas, quin plures semper producere possit se invicem excedentes in perfectione.

31 Nec quia intellectus virtutem habet producendi plures, & plures intellectiones sine termino, idcirco infinitæ virtutis censendus est, quia tunc tantum hoc sequitur, quando quod libet producibilem requirit specialem perfectionem in causa, intellectus vero non requirit sic aliam, & aliam perfectionem, ut hanc & illam intellectio nemeliciat, sed per eandem virtutem partialiter concurrat ad cognitionem objecti imperfectioris, sicut, & perfectioris, ut docet Licher. 2. dist. 3. quæstion. 10. ubi late, & similiter hoc dubium profertur. Nec similiter, quia intellectus recipere potest habitus magis, ac magis intensos, & infinitæ perfectionis, quia ut Licher. ibi docet ex Scoto 3. dist. 14. quæst. 2. in fine recipere passive a toto ente nul-

lam

Resolvitur quæstio quoad infinitatem syncategorematicam.

34 Dicimus, non esse possibilem supremam creaturam in perfectione essentiali, sed quacumque data, adhuc posse perfectiorem in infinitum a Deo procreari sine termino. Conclusio est Div. Bonav. 1. dist. 44. qu. 1. Alenf. 2. Metaph. tex. 12. qu. 1. Riccard. quol. 2. qu. 4. Mayron. & Canon. cit. Bassol. 1. dist. 36. qu. 3. art. 3. & sequitur ex Recent. Scotistis P. Herrera in 1. dist. 15. qu. 6. Cavellus 2. Metaph. qu. 6. schol. 2. ubi ait, de infinitate syncategorematica specierum nihil certi posse ex Scoto colligi, unde cum Doctorem non habeamus in hac materia denominatum, quia 2. Met. qu. 6. non se resolvit, & 1. dist. 2. qu. 2. infra X. dubitative loquitur, licet illum neget secundum Philosophos, dignum est, ut tot insignes Doct. nostri Ordinis sequamur cum torrente Recentior. & omnium Thomistarum. Et Prob. 1. communi omnium fundamento, quia hoc non implicat, nec ex parte Dei, cuius potentia est infinita, nec ex limitatione creaturæ, quia per hujusmodi processum nunquam pervenimus ad aliquam speciem actui infinitam, sed quacumque assignata erit limitata, imo dicendo, quacumque specie data posse perfectiorem procreari, hoc ipsum ostendit, nunquam dari posse infinitam, quia hac data, non posset dari major, quod manifestari potest exemplo continui, cuius quacumque parte data potest dari alia minor in infinitum, nec propterea sequitur, quod deveniendum sit ad partem minimam, seu infinite minorem. Fundatur autem hic processus in infinitum in infinita perfectione Dei, quæ nunquam adequari, & exhausti potest, quantumcumque a creatura participetur, unde assignata creatura quantumvis perfecta, hæc adhuc distabit in infinitum a perfectione divina, atque ita adhuc remanent infiniti gradus, per quos ascendere potest creatura in imitando perfectionem divinam.

Respondet Henr. quol. 8. non esse in Deo plures perfectiones, quæ participentur, sed unam indivisibilem eminenter continentem omnes perfectiones creaturarum; & ideo argumentum procedit ex falsa imaginatione, quæ concipimus in Deo varios, & varios perfectionis gradus. Sed hæc solutio parum valet, quia licet divina perfectio sit formaliter indivisibilis, & una, tamen est virtualiter divisibilis, & multiplex ob æquivalentiam ad infinitas, & ideo nunquam ab ulla creatura potest adequate participari, ex quo fit, quod semper dari possit perfectior, & perfectior in infinitum.

Respondet Ariag. disp. 10. Phys. sect. 3. argumentum nihil concludere, quia sumpta tota collectione creaturarum possibilem adhuc est verum dicere, tota hæc collectio distat infinite a Deo, & tamen inde non licet inferre, ergo est possibile aliqua creatura, quæ perfectius, quam tota ista collectio Deum participet, ergo nec valet eadem forma argumenti in una sola creatura; itaque ad materiam argumenti respondet, omnem creaturam ex conceptu suo debere infinite a Deo distare, nec illam distantiam posse repleri per creaturas magis, ac magis perfectas, quousque inter illas, & Deum nulla sit vacuitas, alioquin esset aliqua, quæ finite a Deo solum distaret; quod repugnat, non ergo ex distantia infinita potest inferri possibilem esse aliam perfectiorem. Sed fallaciam, qua detinetur Ariag. in hac materia de infinito, jam dudum advertimus disputatione. 7. Log. qu. 2. art. 4. supponit enim ipse, quod tota collectio creaturarum a Deo possibilem sit quid certum, ac determinatum, ut possit totum simul accipi, & ad actum reduci; quod tamen prorsus falsum est, ut ex dicendis in hac disp. constabit, nam de se est quid indeterminatum, & consulum, sicut tota divisio continui, quæ nunquam simul potest accipi; admittitur tamen adhuc illa propositione tota collectio creaturarum distat infinite a Deo, licet inde non valeat inferri, quod sit possibile aliqua creatura, quæ perfectior sit tota illa collectione, valet tamen inferre, quod intra infinitam latitudinem illius collectionis possumus sine fine progredi semper ad creaturas perfectiores, sicut ex hoc quod infra hominem possibilem sint infinitæ species animalium, inferre valet, quod intra latitudinem infinitam illius generis dari potest processus in infinitum in ascendendo in productione animalium, quæ nunquam attingant perfectionem humane speciei; responsio denique quam ad argumentum affert, illud potius corroborat, quam solvat, ex hoc enim quod infinita distantia inter Deum, & creaturam nunquam repleri potest per creaturas magis, ac magis perfectas, sequitur evidenter non posse dari statum in aliqua creatura omnium perfectissima, quia hæc finite a Deo distaret, nec videmus quomodo hinc Ariag. oppositum deducere præsumat.

35 Resp. P. Vulpes loc. cit. bene sequi ex hujusmodi processu syncategorematico, quod demum deveniendum sit ad speciem infinite perfectam saltem per divinum intellectum simul comprehendentem omnes partes infiniti syncategor. & in hoc sensu explicat rationem [Scoti 3. d. 13. qu. 1. quod ascendendo ab aliqua specie infima, quæ dicatur A, tandem deveniendum erit ad aliquam, quæ infinite excedat in perfectione ipsam A, inquit Vulpes, id non esse intelligendum a parte rei, quia sic nunquam ad talem perveniretur, quia una acciperetur post aliam in infinitum, bene tamen

iam dicit perfectionem, ut patet de materia prima, quæ habet capacitatem ad infinitas formas, unde etiam si fieret subiectum illud, quod contendit Averfa tantæ capacitatis, ut susceptivum esset majoris semper, & majoris qualitatibus, hoc in ipso nullam argueret infinitam perfectionem. Demum species impressa divinæ essentia, quamvis sit possibile, & distinctio divinam essentiam repræsentaret, non idcirco infinitæ perfectionis censenda est, quia eam repræsentaret finito modo, & non quantum repræsentabilis est, ut notat Doct. 2. d. 3. q. 9. I. & illa calculatio, quæ fieri solet, quod species est perfectior, quo est perfectioris objecti, non inferit infinitatem in specie, sed tantum summitatem quandam, & excellentiam in serie specierum, cuius ratio est, quia cum species ex sua natura semper ab objecto deficiat, calculatio procedit, & crescit secundum proportionem, non vero ad æquivalentem, per quod in Theologia multa enervantur argumenta in materia de merito Christi, & gravitate peccati.

32 Tertio ex calculatione virtutis supra virtutem colligitur virtus infinita, ut patet ex illa Scoti maximam relata 2. d. 3. q. 10. A. & hac via colligitur Theologi infinitatem divinæ potentia, ergo pariter ex calculatione excessus unius speciei super aliam in infinitum in ea specie, argui poterit, & debet infinita perfectio, sed inter accidens, & substantiam sunt quælibet infinitæ species syncategorematicæ accidentium, quarum nulla unquam pertingeret perfectionem substantia, sic etiam inter speciem humanam, & brutalem infimam possibilem sunt infinitæ species brutorum, quarum nullam unquam attingeret perfectionem speciei humanæ, ergo de facto multæ dantur species, quæ in perfectione æquivalent infinitis, atque ita erunt infinitæ perfectionis, si modus ille arguendi calculatorius tener.

Resp. Amic. cit. n. 15. ex Scoto 1. d. 2. q. 1. §. Ostenditur igitur &c. & d. 3. q. 1. ad 3. & 3. d. 14. q. 2. ex præfata calculatione solum colligit infinitatem in superiori respectu inferiorum, quando continent omnes, & singulas perfectiones eorum formaliter, vel eminenter, aut virtualiter, quando autem nullo ex istis modis continet inferiora, colligi non potest in superiori, nisi gradus superioris rationis, quam doctrinam fuisse declarat Licher. loc. cit. ubi distinguit de duplici continentia eminentialiter, una per essentiam, & per participationem altera, & hanc iterum subdividit, quædam enim attenditur in correspondentia majoris perfectionis, non tamen illa major perfectio continet minorem, quædam vero attenditur in correspondentia majoris perfectionis, & in continentia etiam minoris, quo sensu anima rationalis dicitur continere sentientem, & vegetantem, & ex continentia eminentialiter tantum per essentiam, vel per participationem secundo modo significat argui posse infinitatem in aliqua specie superiori, si eo modo contineret infinitas inferiores, & eandem habet doctrinam 1. d. 3. q. 1. 2. 3. & 6. d. 3. q. 7. in fine, & quol. 14. in fine, & alibi sæpe; in proposito vero homo non continet in eo sensu infinitas species brutorum, sed tantum obtinet gradum superioris rationis, & etiam dicendum de substantia in ordine ad infinitas accidentium species possibilem; esto enim multas virtualiter contineat, non tamen omnes.

33 Sed dices, homo in infinitum distat ab infima specie in genere brutorum, & substantia ab infima specie in genere accidentis, ergo sicut ex infinita distantia Dei a creatura arguimus in Deo perfectionem essentialem simpliciter infinitam, in qua fundatur talis infinita distantia, sic etiam in proposito dicendum erit. Resp. negando paritatem, distantia enim Dei a creatura est simpliciter infinita, quia fundatur in entitate Dei eminenter continentem omnes perfectiones creaturarum possibilem, at distantia, qua homo distat ab infima specie brutorum, & substantia ab infima accidentium, & sic in aliis generibus, est distantia tantum secundum quid infinita, quæ fundatur in excellentia gradus superioris rationis, & ordinis, quam nunquam attingere possunt res inferiores, & ideo sicut diximus ex calculatione perfectionis unius speciei supra aliam in infinitum non colligitur infinitatem simpliciter, nisi quando perfectio superioris ordinis continet formaliter, aut virtualiter, & eminenter perfectiones ordinis inferioris, ita in proposito dicendum est de indeterminata distantia unius speciei ab alia, quod non inferat infinitatem simpliciter in specie sic distante, nisi superior illa species contineat perfectiones omnium inferiorum virtualiter, vel eminenter modo explicato.

Hoc totum significavit Tatar. quol. 5. ab initio, dum ait, quod non sequitur, hoc excedit aliud in infinitum, ergo est infinitum, quia est arguere a dicto secundum quid ad dictum simpliciter, sed oportet addere, hoc excedit illud in infinitum infinite, sic enim esset infinitæ entitatis. Et si objicias (ait Tatar.) Scotum quol. 5. sub B. quod unum finitum aliud excedit in aliqua proportione determinata, ergo non infinitum. Resp. Tatar. Doctorem per hoc non velle, quod species superior excedat inferiorem in proportione determinata dupla, vel tripla, quia tunc posset facere Animam perfectum ut est homo, sed solum vult habere, quod ens finitum non excedit aliud, sicut ens infinitum, quia ens infinitum infinite excedit, id est in entitate infinita; quam solutionem Doct. ibidem insinuat illis verbis, Qualitercumque procedis in entibus semper esset dare in qua proportione determinata superem excedit infinitum, non quod ibi sit proprie proportio talis, quali utuntur mathematici, qua non constat Angelus, &c.

ad talem perveniret ab intellectu divino, qui omnes simul hujusmodi species attingeret. Hinc etiam conceditur, quod imitatio creaturæ comparatione divini esse semper deficit, & semper est imperfecta, sed adhuc negat consequenter deducit, dari scilicet posse aliam & aliam in infinitum, quæ perfectiori modo illud esse imitetur, etenim comparatione divini intellectus simul comprehendens infinitum syncategor. secundum omnes ejus partes de facto inveniretur aliqua species in mente divina, quæ modo infinito divinum esse imitaretur, & ait hanc esse solutionem Doctoris t. d. r. q. 2. sub. D. ubi tamen nihil horum invenimus.

36 Sed licet ingeniose fatis rationem Scoti declaret, frustra tamen eam conatur ostendere necessariam, cum tantum probabilis sit, & topica; neque per hoc argumentum solvitur, Deus enim non novit res, aliter quam sint, alioquin falleretur, sed talis species infinito modo Deum participans in tota entis latitudine non est factibilis, ergo illam non novit Deus, etiam si distincte comprehendat totum processum infiniti syncategor. quod manifestatur exemplo continui, novit Deus in continuo simul, & semel totum processum syncategor. divisionis continui, & singulas ejus partes, nec tamen ex hoc valet inferre, quod cognoscat minimam, vel infinite minorem, quia hæc dabilis non est, aliquin continuum ex indivisibilibus componeretur, sic igitur in proposito, quia hujusmodi species infinite perfecta non est dabilis a parte rei in hoc processu, ita neque reperitur in mente Dei, ut notavit Basol. cit. in sol. ad 6. Dices, in infinita illa tendentia, & collectione specierum factibilium perfectissima species, quam Deus novit, non est finita perfectio, qualiter enim finita perfectio novit, ergo erit infinita. Respond. hanc instantiam adhuc ex falsa imaginatione procedere, quia in tota collectione possibilium specierum, sicut non datur, ita nec cognoscitur a Deo perfectissima, licet Deus totam illam collectionem comprehendat; ratio est, quia hæc collectio non est quid determinatum, ut in ea possit ultimum reperiri, seu perfectissimum, sed est quid confusum, & indeterminatum. Dices iterum, ergo non novit Deus distincte effectum perfectissimum a se producibilem. Resp. hoc solum absurdum non esse, imo potius necessario fatendum, quia nullus talis esse potest. Instabis adhuc, quod saltem tota universalitas erit infinita, & adæquabit divinam perfectionem. Respond. Bass. quod tota universalitas erit infinita secundum multitudinem syncat. & divinam perfectionem adæquabit, non intensive, sed extensive, quatenus extra totam illam universalitatem non possit aliam producere. Sed tandem urgebis, finitum infinitis sumptum, constituit infinitum, ergo tota perfectio specierum, quarum singule sunt finitæ perfectionis, erit infinita, quia constat ex finitis infinitis sumptis; quod si tota perfectio totius multitudinis non est infinita, necessario sequitur, non posse dari multitudinem infinitam in ascendendo. Resp. hanc multitudinem esse confusam, & indeterminatam, unde nec a parte rei tota simul existere potest, sed successive solum per partes finitas in infinitum, nec simul mente etiam concipi potest, ita quod attingatur ultimum, & ideo nec de tota multitudine dici potest, ut aliqui concedunt, quod discrete continetur infinitam perfectionem, sed solum finitam in infinitum, qualis est ipsa multitudo.

Resp. Smifinch. repugnare talem progressum in speciebus ex parte differentia, quæ cum sit proportionata generi, sicut genus tanquam perfectibile est determinata perfectionis, ita & differentia specifica, ut actus illius, erit indeterminata perfectionis, & consequenter hæc ratione tota latitudo specierum sub eodem genere erit perfectionis determinata. Sed contra. Tum quia licet per hoc ostendatur, quod qualibet species data a parte rei, & differentia contrahens genus est determinata perfectionis, adhuc tamen non probat, quod non sit possibilis differentia perfectior contrahens illud idem genus, cujus potentiam esse determinatam ad tot differentias specificas, & non plures falsissimum est, alioquin & potentia speciei erit ad tot differentias individuales esse perfectione aequales, non vero specificas; nam sicut specificæ sunt inæquales in perfectione specifica, ita individuales in individuali, præsertim secundum Scotistas, contra quos disputamus; atque ita suo modo utrinque currit paritas. Tum 2. quia etiam secundum istos in aliquo genere infra speciem illam supremam, quam statuunt, possibiles sunt infinitæ species inferiores, ut verbi gratia sub genere animalis possibiles sunt species infinitæ brutorum, quæ nunquam attingerent perfectionem speciei humanæ, & tamen non per hoc natura generica animalis ponitur infinita perfectionis. Tum 3. quia etiam si per hoc concluderetur, in aliquo certo genere debere statum dari in aliqua specie suprema, ut in genere animalis in specie humana, quod utique probabilissimum est, ex hoc tamen non sequitur, quod non possit dari perfectior species extra illud genus, & in tota entis creati latitudine, in quo sensu præsertim hic agitur questio, & quod ita sit dicendum de cæteris generibus, quod in omnibus ad figuram speciem sit deveniendum.

Respond. alium Rata ratio 1. controv. 19. hujusmodi progressum implicare, quia ponendo statum in speciebus, creata specie suprema, licet hæc finita & sit, limitata, jam implicat, perfectiorem illa posse produci, quia alias illa non fuisset suprema, & perfectissima creabilis. Sed hæc est manifesta petitio principii, quia questio de processu specierum in infinitum est questio, an possit in eis dari supremam, vel potius quæcumque data possit adhuc perfectior procreari, dicere ergo, non posse perfectiorem procreari, quia datur status in speciebus, & suprema, quæ perfe-

rior creari non potest, est assumere in responsione id, quod queritur. Et si pro evitanda petitione principii dicant, debere statum dari in una specie suprema perfectissima, ne creaturæ exeat limites perfectionis creatæ. Contra hoc est, quod si deur alia species superior, ista adhuc intra limites creaturæ remanebit, neque ob additionem unius gradus perfectionis essentialis extra limites finitatis constituetur, nam vel illa species, quæ ponebatur suprema, distat infinite a Deo, vel non; non secundum, quia cum sit creatura, infinite debet a Deo distare; si primum, ergo supra illam dari possunt alia, & alia species in infinitum perfectiores intra limites finitatis.

37 Secundo principaliter arguitur ex Basol. Tum quia in numeris potest in infinitum abiri secundum August. 12. de Civ. cap. 18. & quælibet unitas variat speciem numeri, ergo cum species se habeant, sicut numeri. 8. Met. 10. poterit in eis dari progressus in infinitum. Tum quia actus reflexi procedere possunt in infinitum, qui tamen sunt alterius rationis, sicut & objecta prima eorum, & saltem circa singulas differentias individuales, quæ inter se sunt alterius rationis, & primo diversæ, possunt multiplicari actus distincti intellectus juxta earum distinctionem. Tum tandem, quia etiam admittitur in aliquo genere specie suprema, poterunt adhuc dari infinitæ species intermedie, ut supra dicebamus de homine comparatione infimæ speciei brutalis.

Resp. Smifinch. cum aliis, in numeris ideo non esse per se statum, quia additio, quæ sit, non est formalis, per accessum scilicet majoris perfectionis, sed materialis, seu per multiplicationem, vel appositionem plurium entitatum perfectionis æqualis, sicut sunt unitates in numero, & ideo species numerorum dicuntur non esse de perfectione universi, at differentia specierum, quæ sunt de perfectione universi, sunt perfectiones inæquales, & ideo earum multiplicatio est formalis, non materialis, Arist. vero 3. Physicor. 68. & 69. licet concedat, additionem secundum materiam posse in infinitum procedere, id tamen negat de additione secundum formam, & 8. Met. text. 10. comparat essentialium numeris quoad variationem tantum, non vero quo ad multiplicationem specierum. Sed contra, tum quia si Aristot. comparat essentialia cum numeris quoad variationem tantum, non quoad multiplicationem (quod tamen gratis dicitur) D. Dion. de Div. nom. cap. ult. comparat etiam quoad multiplicationem. Tum quia gratis dicitur, species numerorum non pertinere ad perfectionem universi (si numerus semel ponatur unum, & per se ens) & gratis dicitur, unitatum additionem, ex quibus variantur species numerorum, esse secundum materiam, non secundum formam, nam in sententia solum, qui veram speciei rationem dant numeris, non sunt unitates materiales, quæ numerum constituent, & sunt ejusdem rationis in omnibus, sed sunt unitates formales, unde alia est unitas ternarii, alia quinarum, &c. & de istis loquendo una est alia perfectior. Tum quia quando Aristot. negat, additionem secundum formam procedere in infinitum, loquitur de potentia naturali, ut notat Bass. ad 4. non supernaturali. Tum tandem, quia quando etiam species numerorum non essent de perfectione universi, & additio in eis esset secundum materiam, non secundum formam, saltem ex hoc haberetur, quod stante tali processu in infinitum non propterea deveniret ad aliquem numerum actu infinitum secundum multitudinem, ergo etiam admisso processu in infinitum secundum formam, & in speciebus, quæ sunt de perfectione universi, nunquam ad talem deveniremus, quæ sit infinita secundum essentialiam.

38 Tertio demum probatur ex infinitate potentia Dei, cui præfigere certum specierum numerum in tota entis latitudine, ultra quem aliam speciem producere nequeat, est ipsam certis limitibus coercere, finitam reddere, & exhaustivam, nam si ponamus, Deum posse producere in infinitum plures, & plures species, patet per hoc divinam potentiam minime coerceri, sed potius in infinitum dilatari, & si ponamus, Deum hunc totum numerum specierum possibilem posse simul producere, ita ut producat infinitum specierum numerum in actu, neque hoc modo coercetur potentia Dei, aut exhaustivetur; non coercetur, quia numerus ille productus supponitur infinitus, nec exhaustivetur, sed potius proportionato effectu adæquatur, & ad actum reducitur, alioquin potentia etiam intellectiva in Deo de facto diceretur exhaustiva, quia exercet totum actum suæ cognitionis sibi possibilem omniam comprehendendo; Si vero ponamus, Deum certum numerum specierum dato posse ulterius progredi, plane potentia ejus limitatur, quia finito numero specierum ita determinatur, ut nec alteram possit producere, & exhaustivetur etiam, quia potentiam aliam activam exhaustivetur, est per tot effectus productos ejus virtutem expleri, & ad alios validam non esse, & hæc ratio fundatur in doctrina D. Dion. de Div. nom. ubi inquit, quod Deus est infinita vis, & potentia productiva, non solum quod vim omnem in lucem præferat, sed etiam quod omnem quoque vim ipsam multum superet, quodque possit etiam infinite infinitas alios potentias præter eas, quæ sunt, in lucem præferre. Nec respondere valet, infinitatem potentia Dei non consistere in productione extensiva specierum creaturarum, sed in modo producendi eas ex nihilo. Tum quia hæc responsio Dion. relato manifeste repugnat. Tum quia non est omnino certum, ad creandum requiri virtutem infinitam, & graves viri id negant, Tum quia tunc divina potentia esset potius secundum modum infinita, quam secundum rem, Tum denique, quia hic modus dicendi faveret errori Abaylardi, & Vnichleph damnato in Conc. Constantin. ut refert. Vualdenſis t. 1. lib. 1. ar. 1. cap. 11.

1. cap. 11. afferebant namque isti Hæretici, Deum non posse plures species producere præter eas, quas produxit, & produceret, & damnati fuerunt in præfato Concilio. quia sic dicendo lædebant infinitam Dei potentiam, at potuissent ipsi respondere, se illam non lædere, quia species, quas Deus produxit ex nihilo extraxit, & pones hoc attendi debet infinitas potentia Dei, non vero pones extensionem rerum creabilium.

39 In contrarium objicitur 1. Tum quia si produceretur in infinitum in perfectionibus specificis, superior species contineret perfectiones singulas inferiorum, vel saltem eorum gradus superiores in infinitum, & tota multitudo contineret discrete infinitam perfectionem. Tum 2. quia species procedunt a Deo, ut numerus ab unitate ex Dion. cit. sed aliquis numerus est ita unitati propinquus, ut inter hunc, & illum alius cadere nequeat, ergo & aliqua creatura dari debet ita Deo propinqua, ut inter ipsam, & Deum alia effici nequeat, quæ forte erit Angelus, sicut et contra datur alia infima, ut inferior esse non possit, ut est materia prima, unde D. Aug. art. 12. Confess. cap. 7. duo fecisti Domine, alterum prope te, id est naturam angelicam, alterum prope nihil, id est materiam primam. Tum 3. id, in quod primo a Deo incipiendo descenditur, oportet dari, nam inquit Dion. cap. infima junguntur superioribus per media, ita quod supremum infimi attingit infimum supremi. Tum 5. Deus, & infima creatura sunt duo extrema non distantia in infinitum per modum intercedentis medii, sed per infinitatem alterius extremi, ergo inter ea esse nequeunt infinita media. Tum 5. in essentialiter ordinatis non datur processus in infinitum 2. Met. cap. 2. sed inter species essentialis ordo reperitur. Tum 6. Deus non est tot modis, & tantum imitabilis, quantum in se est, quia non est imitabilis secundum puritatem actualitatis, necessitatis essendi, &c. ergo non dabitur processus in infinitum in ejus imitabilitate. Tum 7. processus ad mensuram est finitus, ergo etiam processus ad speciem superiorem in aliquo genere, quæ est mensura, & mensura ceterarum. Tum denique ubi est finitudo perfectionis, non potest infra illam procedi in ascendendo in infinitum, ut si ex numero millenario fiat binario additio unitatum, non potest fieri additio in infinitum infra millenarium, sed tota latitudo perfectionis essentialis creaturarum est finita, ergo non potest intra illam dari processus in infinitum ascendendo.

40 Respondent ad 1. aliqui negando consequenter, quia talis excessus specierum possibilem ad se invicem non est ponendus secundum partes certas, & determinatas perfectionales, ita quod si quantitas perfectionis unius speciei sit ut unum, species illi immediata habeat perfectionem ut duo, vel ut unum, & dimidium, sed habeat perfectionem ut unum, & aliquid amplius, unde erit excessus secundum partes proportionales, atque ita nec sequitur, dabilem esse aliquam speciem, quæ sit infinita perfectio, nec totam collectionem, etiam si actu daretur, esse infinite perfectam, quia nec illa species superior alias excederet per gradus certæ, & determinatæ perfectionis, nec illa collectio ex talibus partibus componeretur, sed tantum proportionalibus, quæ sicut in quantitate molis magnitudinem infinitam non constituent, ita neque in quantitate virtutis, aut perfectionis, ita Compl. loco citato. Sed quando etiam diceremus, hujusmodi excessum esse per partes determinatæ quantitatis, quod probabilis est, quia species debent habere determinatam perfectionem, & inæqualitatem, neque adhuc argumentum urget, ut ibi fatentur Compl. quia non est necesse, speciem superiorem virtualiter continere inferiorem, sed tantum esse superioris ordinis, ut patet de homine, & Angelo; tum quia quando etiam superior ita inferiori contineretur, nunquam dabitur una suprema, nec a parte rei, nec in mente Dei continentur perfectiones omnium inferiorum: tum demum quia sicut tota illa collectio non est infinita in actu quoad multitudinem, sed tantum finita in infinitum, sic neque discrete dicenda est infinitam continere perfectionem, sed tantum finitam in infinitum.

Ad 2. dicimus, pariter illam in eo sensu fuisse a Div. Dion. assumptam, quod quemadmodum numeri in unitate continentur, tanquam in radice, & in ea quodammodo ununtur, sed ab illa profecti multiplicantur, ita species omnes in Deo quodammodo ununtur, sed extra illum multiplicantur, pariter vero non valere quo ad immediationem, ut sumitur in argumento, ex eo patet, inquit Basol. cit. quia inter Deum, & creaturam, quantumvis perfectam, est distantia infinita; non sic autem inter unitatem, & binarium. D. autem August. loco cit. loquitur de speciebus jam factis, & inquit, supremam factam in genere substantia esse Angelum, & infimam in eodem genere esse materiam primam, nam absolute loquendo accidens est inferius, de possibili vero dari potest species perfectior in genere substantia intellectualis omnibus Angelis jam creatis, nisi velimus intelligere Aug. de Natura Angelica secundum gradum genericum intellectivum, quo forte non potest perfectior dari, non autem secundum species. An autem de possibili possit fieri pariter substantia imperfectior materia prima, Scot. 2. d. 12. qu. 2. §. Ad argumenta, &c. manet scilicet fieri in infinitum, non propterea negandum videtur in aliis generibus, præsertim si fieret per gradus proportionales, ut nimirum possit semper fieri species minus, & minus perfecta, & quando etiam talis descensus syncategorematicus in quocumque genere negaretur, non propterea negandum est ascendens; disparitas est, ut notant Compl. quia creaturæ eo crescunt

in perfectione, quo magis accedunt ad divinum esse, & ideo sicut in isto accessu fieri potest processus in infinitum, ita semper possibilis est perfectior, & perfectior creatura; decreverunt autem creaturæ, quo magis a divino esse recedunt, & ideo sicut est possibilis omnimodus recessus ab eo, talis enim est annihilatio, ideo in descensu potest dari status.

41 Ad 3. concedimus de facto, quod descendendo a Deo datur prima species facta, sed non prima possibilis, dictum vero Dion. intelligitur non de connexionem inter Deum, & creaturam, sed creaturarum ad invicem. Ad 4. ratio illa se ipsam destruit, quia stare nequit infinita distantia inter aliqua duo ex infinitate alterius extremi, quia necessario ponantur infinita intercedere media, saltem in potentia, ut patet exemplo distantia, quæ reperitur inter lineam infinitam, & palmarem, quia enim hæc distat ab illa per infinitatem illius, possunt inter hanc, & illam intercedere infinitæ lineæ cujusvis quantitatis. Ad 5. assumptum intelligi debet de causis essentialiter subordinatis, cum enim ibi una essentialiter dependeat ab alia, utique omnes debent esse actu in rerum natura, atque ita processus in infinitum dari non poterit, sed non ita species essentialiter subordinantur, sed in eo sensu tantum dicuntur essentialiter inter se ordinari, quatenus una semper est altera perfectior, & nunquam fieri potest, ut duæ sint perfectione pares. Ad 6. etiam secundum puritatem actualitatis, & necessitatem essendi est imitabilis Deus a creatura, nunquam tamen adæquare, semper enim fieri potest una creatura actualior alia, & minus defectibilis. Ad 7. iste processus non est ad mensuram intrinsecam, id est ad aliquam speciem supremam, ad quam possit pervenire, quæ sit metrum ceterarum, sed ad mensuram extrinsecam, quæ est infinita perfectio Dei, ad quam nunquam pertingere potest, & licet processus ad mensuram intrinsecam sit finitus, non tamen ad extrinsecam. Ad 8. tota illa collectio (eo modo, quod colligi potest totum confusum, & indeterminatum) sicut quoad multitudinem non est actu finita, nec actu infinita, sed finita in infinitum, ita neque in perfectione potest absolute dici actu finita, nec actu infinita, etiam discrete, sed finita in infinitum, & ideo infra illam bene dari poterit processus in infinitum ascendendo.

42 Secundo, objicit Smifinch. præcipuum fundamentum oppositæ sententiæ; omne genus entis creati limitatæ perfectionis, & ideo negatur communiter, Deum esse sub genere, ergo non potest sub illo genere dari processus in infinitum in speciebus, sed debet dari status in aliqua perfectissima. Consequentia prob. quia non solum hæc vel illa differentia specifica, sed tota latitudo differentiarum determinativa generis est limitata, tum quia debet esse proportio inter determinabile, & determinativum, unde genus accidentis non potest contrahi per differentiam substantialem, nec genus substantia corporea per differentiam immaterialem, at ubi est finitudo differentiarum, ibi nequit esse progressus in infinitum; tum quia, sicut potentia activæ finitæ respondet effectus finitæ perfectionis, ultra quem non potest perfectionem, ita passiva Metaphysica, qualis est generis, debet respondere actui Metaphysico, id est differentia determinatæ perfectionis, ultra quam non datur perfectior.

Resp. etiam Smifinch. teneri ad solutionem argumenti, ut patet ex dictis contra ipsum supra; tum quia etiam data specie suprema in aliquo genere, adhuc inter illam, & infimam ejusdem generis erit processus in infinitum in ascendendo, nam in genere animalis possunt infinitæ brutorum species produci, quæ nunquam attingent perfectionem humanæ speciei, ut notat Tatar. quol. 5. ab initio ex Scoto ibidem, & 2. distinct. 1. qu. 6. & dist. 13. qu. 1. ad 2. princ. & 4. dist. 49. qu. 5. tum quia idem prosum argumentum potest fieri de potentia naturæ specificæ ad infinitas differentias individuales, quæ se invicem excedunt in individuali perfectione, ut notavit Basol. Ad 5. igitur dicendum est ex Basol. ibidem, quod sicut natura generis non est una in omnibus speciebus per inexistentiā, sed per solam differentiam, & ideo multiplicatur, & partitur juxta specierum multiplicatam, ita & potentia generis non est una ad omnes differentias, sed multiplex; & ita non est infinita, nisi secundum multitudinem; sicut, & differentia ipsæ, & quando etiam esset una potentia ad omnes differentias, adhuc negandum esset, quod talis foret infinite perfecta, quia potentia passiva, ut sæpius dictum est, nullam dicit perfectionem, unde materia habet unicam potentiam ad omnes formas posibles, quæ tamen in ea nullam dicit perfectionem, & ideo negatur paritas assumpta a Smifinch. de potentia activæ, & passivæ Metaphysica, qualis est potentia generis. Quod autem genus accidentis per differentias substantia contrahi nequeat, nec substantia corporea per differentias immateriales, concludunt solum, quod species inferioris ordinis nunquam attingere possunt gradum ordinis superioris; sed non concludit, quod in tota entis latitudine dari non possit species perfectior, & perfectior in infinitum, & genus etiam aliquod per differentias semper perfectiores posse contrahi intra latitudinem ejus existentem.

43 Tertio id probat Smifinch. ex his, quæ de facto creata sunt, & in genere suo sunt ita perfecta, ut nequeant fieri perfectiora, ita enim communiter loquuntur Theologi de unione hypostatica, de maternitate Beate Virg. de gratia, & gloria, istæ enim formæ supernaturales sunt ita perfectæ, ut in proprio cujuscumque genere nequeant perfectiores fieri. Sic etiam passim concedunt Philosophi hominem esse substantiam perfectissimam in genere substantia

corporeæ, & supremum in genere animalium, & sub genere substantiæ creatæ non posse dari aliud genus subalternum præter substantiæ inanimatæ, & animatæ, vegetantis, sentientis, & intelligentis, Resp. hæc omnia probare solum, quod in quibusdam generibus deveniendum est ad speciem supremam, quod satis probabile est, ut per hoc non evitatur processus in infinitum extra illud genus, vel infra illam speciem supremam in eodem genere; de formis autem illis supernaturalibus jam diximus præced. art. moraliter tantum censei infinitam negative, quatenus supremam dignitatem contrahunt ex termino, ut unio hypostatica, & maternitas ex Verbo, & visio beatifica ex objecto, quapropter nobilitas hæc suprema non est illis formis intrinseca in genere Physico, Addunt aliqui, posse dari unionem hypostaticam perfectiorem ex parte subjecti, si nimirum per eam uniretur natura angelica Verbo, & perfectiorem maternitatem, si fundaretur in humanitate aliqua pura, sicut est Christi humanitas, perfectiorem item visionem beatificam, quia cum unitate objecti formalis compossibilis est diversus modus tendendi sufficiens ad distinctionem specificam; & demum speciem animalis homine perfectiorem, quia sicut angelicæ species intra latitudinem proprii generis multiplicari possunt in infinitum, ita de animabus rationalibus videtur posse philosophari.

Demum arguit Ariag. citat. quia si sumatur tota collectio creaturarum possibilis, utique non omnes creaturæ, quæ sunt in hac collectione exceduntur a creaturis, quia daretur mutus excessus in perfectione inter illas, quod repugnat, ergo aliqua est quæ non exceditur, & hæc est suprema. Tum 2. quia in ea collectione est summa propinquitas in perfectione cum Deo, quæ in creaturis esse potest, & talis non reperitur in omnibus, quia non omnes species sunt in perfectione æquales, ergo in una, quæ erit Deo summe vicina. Tum 3. quia dum divinus intellectus totam eam percurrit collectionem, utique discernit quænam species excedat, & quæ excedatur, ergo pergendo sursum uno actu, vel ad unam pervenit omnium supremam, ultra quam non progreditur, vel debet per omnes, & singulas usque ad seipsum ascendere, & sic etiam noscet illam, quæ ipsi immediatior fuerit, & erit hæc omnium suprema. Tum tandem, quia potest Deus producere summe perfectam, quam quæ est propositio identica, ideoque verissima, producat ergo illa, vel ergo hæc est omnium perfectissima, vel non; hoc secundum est contra suppositum, ergo primum.

Resp. argumentum vel nihil concludere, vel etiam probare sub genere animalis possibile non esse species infinitas brutorum, quæ nunquam attingant perfectionem speciei humanæ, nam idem profus argumentum fieri potest de tota illa collectione animalium infra hominem exclusive; dicimus ergo ut sæpius est inculcatum hunc arguendi modum esse deceptorium, quia collectio creaturarum possibilium, cum sit syncategorematicè infinita, ac indeterminata non potest simul tota sumi; sed adhuc eo modo quo colligi potest totum confusum ac indeterminatum, concedimus utique non omnes illas creaturas seipsas excedere, sed adhuc negatur aliquam futuram, quæ alias excedat, nam potius una semper excedat aliam nunquam perveniendo ad ultimam; Ad 2. hoc idem argumentum fieri potest de tota collectione brutorum infra hominem possibilem, dicendum ergo totam illam collectionem esse Deo summe propinquam non determinate, & designate, quæ designari possit una species suprema, quæ sit Deo summe vicina, sed indeterminate & confuse, quatenus una semper excedit aliam, & magis, ac magis accedit ad Deum sine termino, eo modo, quo totam numerorum possibilem collectionem dicemus esse infinitam summe vicinam, hoc enim utique non diceretur, quasi signari posset multitudo, quæ esset omnium suprema citra infinitatem. Ad 3. patet ex jam dictis sub n. 33. Ad 4. late satis facimus infra qu. 5, art. 2. num. 85. quia est argumentum Doctoris, quo probate tentavit 3. d. 13. q. 1. gratiam Christi esse summam.

Q U Æ S T I O III.

An possit dari infinitum categorematicum in multitudine, vel saltem syncategorematicum.

44 **I**n infinitum syncategor. saltem in rebus quibusdam quo ad multitudinem negari non potest, nam in numeris concedunt omnes posse dari processum in infinitum; ita docuit D. August. 12. Civit. cap. 18. ubi de tali infinitate loquens ait, certissimum esse, numeros infinitos esse, & Arist. 3. Physic. quamvis text. 41. neget eos esse actu infinitos, postea text. 68. ait, augeri in infinitum, sicut magnitudines in infinitum dividuntur, unde hæc via possunt plura in infinitum individua multiplicari. Imo qui præced. quæst. negabant infinitum hoc in speciebus, gratis id admittunt in individuis, quia ipsa natura speciei, quantum est ex se, est in infinitum multiplicabilis, nec ab intrinseco ad aliquem certum numerum individuorum determinatur, ut Scotus docet 2. distinct. 3. quæst. 6. & 7. & quol. 2. unde patet, Hurt. disp. 13. Physic. lect. 1. falso calumniari Doctorem, quod oppositum senserit. Item creaturæ intellectuales per totam aternitatem plures actus dicuntur, nec tot quin plures, quare de hoc infinito nullus relinquatur ambigendi locus; sed tota difficultas ad categor. devolvitur, & quamvis communior opinio reputet illud impossibile profus etiam per potentiam Dei absolutam, probat Div. Thom. 1. part. quæst. 7. art. 3. & 4. & Scot. significat in 2. distinct. 1. quæst. 3. & in 3. distinct. 13. qu. 2. ubi faretur, oppositam sententiam contradicere auctori-

tati Philosophorum, & SS. & in Reportatis 1. distinct. 36. q. 4. cum eorum affectis, S. Bonav. 1. dist. 43. art. 1. quæst. 3. & ceteri Antiquiores, ac Juniores, Tamen quia, ut inquit proverbium, nulla est fœditas sine amatore, nulla fatuitas sine patrono, non desunt gravissimi viri, qui parte oppositam conati sunt ostendere probabilem potius, ut ingenia exercent, quam veritatem docerent, ita Ocham quol. 2. qu. 5. & 1. distinct. 44. qu. 1. Gregor. distinct. 43. Mayron. & Bassol. ibid. ex Junioribus Vafq. 1. part. disput. 26. Hurt. disp. 13. Physic. Ariag. disp. 13. Physic. lect. 4. Fasolus 1. part. quæst. 7. art. 4. dub. 12. imo ex nostris Nolanus, & Vulpes, hic 2. 1. part. disp. 42. art. 10. ille in Pinachor. quæst. 10. unanimiter defendunt, infinitum in actu in indivisibilibus non solum esse possibile, verum de facto reperiri in accidentibus spiritualibus, sed Fuentes solum ait, esse possibile 3. Physic. q. 3. diff. 2. art. 3. Aliqui vero, ut effugiant difficultates ductas ex infinitis corporibus positus in spatio, per quas ostenditur, simul esse finitam, & infinitam eorum multitudinem, concedunt, infinitum categ. spiritualibus, negant in corporeis esse possibile: Amicus tandem tract. 13. quæst. 6. dub. 2. art. 3. inquit, nec possibilitatem, nec impossibilitatem huius infiniti evidenter ostendi posse, ideoque sibi displicere obstinationem quorundam in rejiciendo infinitum in multitudine, sicut, & aliorum, qui infinito adherent, ut spondilus scopolio.

45 Dicendum tamen est cum communi, hoc infinitum in multitudine profus repugnare; ita Canon. 3. Physic. q. 3. art. 2. Paris. cit. q. 2. Barg. 1. d. 8. q. 2. ubi explicat duo loca Scoti in oppo. Simifin. loc. cit. & ceteri Scotistæ, ac Thomistæ passim, & probatur rationibus ita evidentibus, ut si Amicus earum evidentiam non videat, poterit quoque oculis aperitis negare se solem videre; esto verum sit quædam ab Antiquioribus adductas parum valere, quas singulas refert, & rejicit Aversa cit. ut inutiles.

Prima ratio deducitur ex attributis inter se repugnantibus, quæ simul infinito convenire deberent, si daretur, ut ostendimus qu. 1. a. 2. debet enim unum infinitum esse majus alio; nam si producta infinita hominum multitudine, creet deinde Deus infinitam Angelorum multitudinem in eorum custodiam, plane numerus Angelorum, & hominum simul major erit numero hominum seorsim sumpto; tamen ex alia parte infinito repugnat excedi, quia illo excessu finiretur, & terminaretur. Rursus possent infinitæ multitudines plures, & plures unitates detraxi, ut ait Canon. cit. cum enim eas produxerit Deus, utique etiam destruere potest, sed ex alia parte id non videtur fieri posse, nam ablatis decem, vel centum unitatibus, vel quæ remanent, sunt finitæ, vel infinitæ; si primum, ergo totus numerus finitus erit; si secundum cum illud residuum esset pars numeri præcedentis, ergo pars erit æqualis toti, & totum non majus sua parte.

Responder Vulpes citat. non esse majorem multitudinem Angelorum, & hominum simul, quam altera tantum, imo addit, quod non essent duo infinita formaliter, sed tantum materialiter secundum connotata diversæ speciei, sed contra, tum quia implicat fieri additionem sine augmento, ergo si multitudini hominum infinitæ additur alia Angelorum infinitas, sicut in duplo plures erunt entitates, ita & unitates, & consequenter multitudo, tum quia antea erat multitudo solum continens infinitos homines, postea est multitudo continens infinitos homines, & Angelos, ergo major; tum tertio stante multitudine infinita hominum, & Angelorum, potest unam infinitatem destruere verbi gratia Angelorum, altera remanente, scilicet hominum, sed data sola hominum infinitate, id non potest fieri, quia si destrueret infinitos homines, utique illi forent, quos nuper produxerat, ergo multitudo hominum, & Angelorum simul essent duo infinita formaliter, & non materialiter tantum, nam ibi forent duæ multitudines, singulæ seorsim formaliter infinitæ.

46 Resp. Alii ad alteram partem argumenti de detractive partium ab infinito infinitum esse capax detractiois, ut habet rationem totius, non ut habet rationem infiniti, & ita non sequi, partem esse toti æqualem, quia fit minus in ratione totius. Contra, quod convenit positive generi, & ut supponit simpliciter, convenit etiam singulis speciebus illius ex regula antepred. sed totum est superius, & veluti genus ad finitam, & infinitam quantitatem, ergo si infinitum est capax detractiois ut totum, pariter etiam ut infinitum; Prob. minor, quicquid constat ex pluribus partibus, habet rationem totius, sed tam finitum, quam infinitum constat ex pluribus partibus, in quibus dividi possunt, ergo &c. Respondent, duplex esse totum, unum essentielle, quod ita pendet a partibus, ut sine aliqua illarum conservari non possit, alterum integrale, quod sine aliqua illarum potest esse, ut homo sine brachio, vel pede; infinitum detractis partibus perit, & minuitur, ut totum integrale, sed conservatur, ut totum essentielle, quia adhuc manet ratio totius, ut infiniti. Contra, tum quia multitudo non habet aliam essentialiam, quam esse totum integrale, tum quia nequeunt assignari partes, a quibus essentialiter pendeat; tum quia etiam ut totum integrale ita pendet ab omnibus, & singulis unitatibus suis, ut una, vel pluribus ablatis, pereat, & minuatur, nedum in ratione totius integralis, sed etiam essentialis; Probatur assumptum, totum integrale, quod pendet ex partibus collective acceptis, & non tantum distributive, destruitur, una ex illis partibus detracta, talis autem est quælibet numeralis multitudo, sive finita, sive infinita, quod ad quamlibet speciem multitudinis constituendam omnes, & singulæ unitates collective concurrunt, non distributive, alioquin quælibet numeri species in quolibet numero unitatum con-

varæ

varetur, ergo sicut in numero finito ablata unitate sola destruitur species, & minuitur numerus finitus intra latitudinem finitæ; ita in infinito detractis unitatibus deficit infinitum intra latitudinem infinitatis, etiam sub ratione totalitatis essentialis; exemplum de homine non valet, quia manet idem secundum rationem specificam, sed non in ratione totius integralis.

Hoc totum libenter concedunt infinitatores, dicentes, quod sicut per additionem, vel ablationem non destruitur ratio numeri finiti, sed tantum variatur determinata species finiti, ita per ablationem, vel additionem non destruitur ratio infiniti, sed determinata ratio talis infiniti, nam sub infinito etiam continentur variæ species, sicut sub finito. Sed contra istos reddi difficultas, quod datur unum infinitum majus alio; alia solutio, quæ solet ad hoc primum argumentum adhiberi q. 1. art. 2. confutatur sunt.

47 Secunda ratio ex eo deducitur, quod nunquam inveniri potest satisficiens modus, quo constitui debeat multitudo infinita; nam queritur, quot binarij, aut ternarij sint in ea, & sic de alijs numerorum speciebus. Neque hæc est petitio impertinens, eo quia omnis numerus debet esse finitus, cum sit multitudo mensurata per unum, quamvis enim id verum sit de numero finito, falsum est de infinito, & cum numerus sit multitudo ex unitatibus aggregata, si possibilis est infinitarum unitatum aggregatio, possibilis quoque erit numerus infinitus, & sicut multitudo distinguitur in finitam, & infinitam, ita quoque numerus distingui debet, unde minus consequenter locutus est Fuentes citat. dum ait, non implicare multitudinem actu infinitam, implicare tamen numerum actu infinitum. Cum igitur binarij, ternarij, & cetera numerorum species non sint finitæ, quia tunc tota multitudo finita foret, ergo erunt infinitæ. Sed neque hoc bene dicitur, tunc enim sequitur, in unaqueque infinitate debere esse plures, ac infinitas infinitates, nec dari posse multitudinem semel infinitam, sed semper esse debere infinitas infinitas, quod licet aliqui defensores infiniti concedant, omnino tamen contra lumen rationis militat, tam in quantitate discreta, quam continua, quia in discreta admittit infiniti possibilitate, utique una tantum esse poterit infinitas, sex, decem, & ceteræ si infinita malogranata forent, posset Deus infinita grana annihilare, non destructa infinitate malogranatorum, non tamen ita posset infinita malogranata annihilare, remanentibus adhuc infinitis, quia si infinita annihilaret, utique illa forent quæ nuper extrahant, & in multitudine hominum infinita posset abscondere Deus infinitos digitos pollices remanentibus adhuc digitis infinitis, non ita posset infinitos homines destruere infinitis remanentibus, ergo una est infinitudo malogranatorum, & hominum, plures vero granorum, & digitorum, &c.

48 Idipsum patet in quantitate continua, quia ad infinitam longitudinem constituendam plane sufficienti infiniti palmi, ad quid ergo toties multiplicare palmorum infinitatem, ut longitudo infinita confluat? Infinita semel corpora sufficienti ad replendum totum spatium imaginarium, ergo frustra ad hoc multiplicatur corporum infinitates, immo si decies multiplicabis palmorum infinitatem, decem evadent longitudines infinitæ, & si infinities, evadent infinities infinitæ, quia quælibet una palmorum infinitas non constituit minus, quam unam longitudinem infinitam, hoc autem est contra suppositum, quia supponimus, Deum unam tantum creare infinitam longitudinem, quæ etiam ratio applicari debet gradibus in longitudo, ut ita tam a quantitate, quam a qualitate infinitum penitus eliminetur. Accedit, ex hac doctrina sequi absurda, & mirabilia, ex infinitis cadis posse infinita dolia impleri, quorum singula sint decem cadorum capacia, quia in infinitate cadorum sunt infiniti denarij; sic etiam si Deus crearet unam hominum infinitatem, deinde aliam Angelorum ita adequatam, ut singuli homines unum habeant Ang. custodem, & ob hominum demerita Angelus custodes separaret ab eis, posset deinde potentia facta restituere singulis binos, denos, centenos, & milenos Angelos in custodiam, nullo penitus Angelo de novo producto, quia in ea multitudine Angelorum, quam ab hominibus segregavit, erant infiniti binarij, denarij, &c. Hoc autem est contra suppositum, quia supponebamus, multitudinem Angelorum esse ita adequatam multitudini hominum, ut unus Angelus tantum singulis hominibus esset in custodiam deputatus. Demum si in quolibet infinitate unitatum necessario continentur infinitæ species omnium numerorum, tunc non erunt plures unitates, quam binarij, nec plures binarij, quam quaternarij, & tamen in quolibet binario duæ includuntur unitates, & in quaternario binaria duo, & ita totum non esset majus sui parte, & in multitudine infinita equorum tot essent equi, quot pedes & pili, in magnitudine infinita tot palmi, quot ulnæ, in spatio infinito tot miliaria, quot leuæ, &c.

49 Resp. Aliqui, in quolibet infinito contineri infinitas unitates, & infinitas species aliorum numerorum cum hoc discrimine, quod unitates sunt infinitæ, non autem binarij, vel ternarij, & ideo non sequi præfata absurda. Sed contra, tum quia ut præfata sequantur absurda, sufficit, quod in quolibet infinito sint infiniti binarij, & ternarij, ut discurrunt patet; tum etiam quia si infinitas binariorum esset tantum una, ergo quaternarij non erunt infiniti, cum una quaternariorum infinitas contineat duas binariorum, ergo sic discurrendo per singulas species numerorum dicere oportebit, quod non solum in quolibet infinito sunt infinities infinitæ unitates, sed etiam infinities infiniti binarij, ternarij, &c. Ex quo rursus sequitur,

omnia infinita esse æqualia. Nec sufficit dicere eum Complut. disp. 25. q. 4. in fine, ut salveat totum esse majus sua parte etiam quoad numerum, plures partes esse posibles, quam infinities infinitas, multitudo enim partium infinities infinita, si bis & pluries multiplicetur, major est, quam prædicta multitudo. Non sufficit, nam præterquam quod hæc solutionem satis refellimus disp. præced. q. 2. art. 6. n. 93. si in quolibet infinito omnes numerorum species sunt infinities infinitæ, plane non poterunt plures sumi in uno, quam in alio, nam esse infinities infinitas in quolibet esse in eo multiplicatas plures, & plures in infinitum, & quando etiam concederemus totum hoc, aliam postea incurramus difficultatem, quod datur unum infinitum majus alio, non quidem semel, sed etiam infinities infinito.

Fasol. loc. cit. dub. 6. distinguit duplicem infinitatem, unam per se & adequatam, alteram per accidens, & inadæquatam: illa dicuntur infinitates per se, & adequatæ, quarum singulæ habent suas unitates adequatè distinctas ab unitatibus alterius, infinitas autem inadæquata, quæ non constat ex unitatibus omnino, & adequatè distinctis ab unitatibus alterius infinitatis, igitur in multitudine infinita hominum sunt infiniti binarij, tam hominum, quam oculorum, sed cum hoc discrimine, quod infinitas binariorum in multitudine oculorum est adequata, quia constat ex duplici infinitate unitatum inter se distinctarum, & hinc est, quod corrumpi potest una oculorum infinitas, alia remanente; infinitas autem binariorum in multitudine hominum est inadæquata, quia constat ex primis unitatibus componentibus primam infinitatem, & non alijs distinctis; unde tandem inserit quod infinita multitudo hominum, & infiniti hominum binarij est una infinita multitudo diverso modo considerata, sicut centum unitates, & quinquaginta binarij dicunt eandem multitudinem unitatum, sed diverso modo considerata, ideoque subdit non posse esse infinitis hominibus auferi infinitos alios remanentibus, & sic consequenter responder ad alia absurda.

50 Sed quamvis dist. ista de duplici infinitate adequata, & inadæquata plausibilis sit apud tutores infiniti, vana tamen omnino est, & seipsam destruens, tum ex ratione infinitatis, tum numerorum; repugnat hæc dist. ratione infinitatis, quia supposita binariorum infinitate in multitudine hominum, necessario concedi debet, plures esse unitates simplices hominum, quam compositæ binariorum, nam pluralitas unitatum simplicium augetur proportionaliter juxta pluralitatem numerorum ex eis compositorum, ergo sicut unus binarius supponit duas unitates, ita una infinitas binariorum duas infinitates unitatum ab invicem distinctarum, atque ita destrui poterit una hominum infinitas, alia remanente; repugnant etiam ex parte numerorum, quia binarius essentialiter constituitur ex duplici unitate, quarum una non est alia, ergo suppositis infinitis binarijs in multitudine infinita hominum, necessario ibi supponi debet duplex unitatum infinitas, atque ita binariorum infinitas adequata erit, & poterit una omnium infinitas destrui, alia remanente. Nec juvat dicere posse destrui unam oculorum infinitatem, quia ibi vere quilibet binarius constat ex duobus oculis, sed ita dici non posse de infinitate binariorum hominum, quia hæc non est distincta a multitudine infinita unitatum, sicut quingenti binarij non est multitudo distincta a mille unitatibus. Nam utique concedimus, hæc esse paradoxa, sed hæc necessario sequuntur ex positione infiniti, ex eo enim quod multitudo hominum constituta supponitur ex una infinitate unitatum, sequitur, non esse ibi tot hominum binarios, quot oculorum, sed pauciores, sed ex suppositione quod ibi sint etiam infiniti binarij hominum, sequitur, tot esse binarios hominum, quot oculorum, nam implicat, binarios infinitos esse compositos ex una sola infinitate unitatum, sicut unum binarium implicat ex sola unitate componi; ex quo rursus sequitur, illam multitudinem hominum non fuisse compositam ex una sola infinitate unitatum, quia implicat unum esse plura secundum eam rationem, quæ est unum, nam unum dicitur quod est indivisibile in plura talia, v. g. dicitur unus palmus, quia est indivisibilis in plures palmos, licet dividi possit in plures semipalmos, cum igitur in ista hominum multitudine plures reperiantur unitatum infinitates, quia sunt in ea infiniti binarij, ternarij, &c. Hinc sequitur, hominum infinitatem non fuisse unam, quia non posset in plures tales dividi.

51 Hoc totum confirmatur exemplis a Fasolo adductis, nam inquit, infinitos binarios se habere ad primam unitatum infinitatem, sicut quinquaginta binarij ad centum unitates, vel quingenti ad mille, at in mille unitatibus quingenti binarij constant singuli ex duabus unitatibus distinctis, nec alii binarij inadæquati reperiantur, qui dicantur mille inadæquate, & per accidens, ergo pariter in una infinitate hominum binarij erunt in duplo pauciores, quam unitates, nec ullo modo poterunt dici infiniti, & quia infinitas binariorum est duplo minor infinitate unitatum, tunc eorum infinitas esset veluti medietas infinitatis unitatum; repugnat autem in multitudine infinita dimidium, sicut extremum & denique contra hunc dicendi modum, dum facit unum infinitum alteri inadæquatum, redit difficultas, quod non potest dari infinitum unum minus alio, in hac autem sententia darentur infinitæ infinitudines se invicem minores, nam infinitas binariorum adest minor infinitate unitatum, & infinitas quaternariorum adhuc minor infinitate unitatum, & binariorum, & sic deinceps.

Tertia ratio militat specialiter contra admittentes infinitum possi-

possibile etiam in rebus corporeis, (nam duæ præcedentes infinitum impugnant in omnibus) ex hoc enim sequeretur, infinitas arenulas, & grana milli æquale spatium occupare, ac infinitos montes, quia non minus spatium occupare possunt, quam infinitum; immo sequitur, posse occupare majus spatium, quam infinitos mundos, quia infinita arenulæ ita possent inter se confitari, ut occuparent omne spatium, infiniti vero Orbis non ita, sed vastum inter singulos interjaceret spatium. Nec respondere valet, infinitatem arenarum fore majorem infinitate Orbium, quia redit difficultas, quod unum infinitum non est majus alio; & si crearet Deus infinitatem montium, vel Orbium æqualem multitudini arenarum, vel tunc occuparent æquale spatium arenulæ, & Orbis, & habetur intentum, vel non, & tunc daretur spatium ab arenis non occupatum, occupatum tamen a montibus, ergo spatium ab arenis occupatum non erit infinitum, nec infinita arena contra suppositum.

52 Resp. Aliqui, ut hac evitent absurda, posse utique fieri infinita corpora, non tamen in ordine ad spatium, sed in ordine ad se, & penetrata simul. Sed hac responsi. manifeste ostendit, infinitatem in rebus corporeis repugnare directe naturæ quantitatis, & spatii imaginarii, nam partes quantitatis petunt extra se invicem poni in spatio, & spatium suapte natura est capax cujusvis magnitudinis.

Hæc sunt absurda, & paradoxa, hæc sunt chimæ, quæ sequuntur ex positione infinitæ multitudinis; vel unum infinitum esse majus alio, vel datis infinitis hominibus tot esse oculos, digitos, capillos, quot homines; facta additione, vel deductione huic multitudini non propterea augeri, vel minui; ex una hominum infinitate posse infinitos infinites destrui, adhuc infinitis remanentibus, ex singulis nimis, cum quibus creati supponantur homines illi, deinde in unum cumulum conjecis posse singulos homines resumere denos, centenos, milenarios numeros, nullis de novo additis; idem spatium occupari ab infinitis montibus, & formicis & alia hujus generis absurda occurrunt, quæ naturam infiniti ostendunt manifeste impossibilem. Novimus infiniti fautores dicere solere, quæ ex positione infiniti sequuntur portentosa nobis, & mira videri, eo quia naturam infiniti non penetremus conditionibus finiti affueti. Sed sane hac via posset defendi, ut bene notat Averfa, possibilem esse chimæram: a Deo contradictoria fieri posse, hominem irrationalem, animam rationalem, &c. quia si diceremus, has esse rationes inter se repugnantes, negaret id protervius, asserendo, talem esse chimæram naturam, ut ex his, & his partibus constet, quod si nobis hæc mira videantur, hoc ideo esse, quia affueti sumus naturæ hominis rationalis, & affini irrationalis. Demum quæ ex infinito sequuntur, tam sunt incredibilia, ut si inter credenda fide divina ponerentur, inter difficiliora creditu locum haberent, nec descerent, qui ex animo ea non crederent, unde P. Smilnach, tract. 2. disp. 2. n. 40. hæc solum ratione infinitum reprobatur, quia contradictoria, quæ ex ipso sequuntur, admittuntur ab asserentibus infiniti, dicendo, illam esse naturam infiniti nobis incognitam, quam evasione, ait, minus philosophicam esse, cum sine divina revelatione nihil sit asserendum, quod captum rationis excedat.

Solvuntur rationes.

53 IN oppositum objicitur 1. ex Hurt. infiniti homines, & infinitæ partes quantitatis sunt entia realia possibilis, quæ cognoscuntur a Deo, ergo nulla erit implicatio, quod ponatur in re, cum omne possibile dicat potentiam ad existendum. Si dicatur, esse possibilis secundum se, sed non compossibilis, sicut assensus, & dissensus sunt entia realia, & in eodem intellectu possibilis, non tamen compossibilis. Contra, instat Hurt. unus homo non est cum alio incompossibilis, nec una pars quantitatis permanentis cum alia, sicut assensus, & dissensus, ergo neque ex hoc capite aspicari potest impossibilitas infiniti. Si dicatur repugnare, quia actualis infinitas ex se implicat; jam hæc est manifesta petitio principii.

Resp. hæc esse rationem Scoti in 3. dist. 13. q. 1. qua ibi tenet probabiliter, dandum esse summum in qualitatibus, quia scilicet in permanentibus, quantumcumque procedatur, summum possibile est ita factibile unica factione, sicut quodcumque aliud inferius; unde si possibile foret infinitum, id etiam unica factione fieri posset; hæc autem ratio apud Doct. non est demonstrativa, sed logica, alioquin probaret, non solum infinitum in magnitudine, & multitudine esse possibile in permanentibus, sed etiam continuum posse simul esse divinum in omnes suas partes, cum una divisio alteri non repugnet; quia igitur ratio est logica, Doct. ipse in 2. dist. 2. q. 9. K. dat modum eam solvendi, unde respondendum est, ut ipse ibi respondet de divisionibus continui, quod licet qualibet singularis sit vera, & qualibet signata productio compossibilis sit cum alia in eodem nunc, ut sit verum dicere, in isto nunc potest simul produci hic homo, & ille, & ille, & sit de singulis signata, vel signabilis, atramen adhuc universalis non recte inferitur, dicendo, ergo omnes homines possibiles produci, possunt in isto nunc creati, sed est fallacia figuræ dictionis a pluribus determinatis ad unam, quia licet cuilibet singulari acceptæ, vel acceptibili nulla singularis determinata accepta, vel acceptibilis repugnet pro eodem nunc, tamen cuiuscumque acceptæ repugnant infinitæ indeterminatæ, apto satis exemplo rem manifestat Doct. ponamus, ait, quod iste non possit portare decem lapides, sed novem tantum, & sint illi lapides profus

in pondere æquales, ista propositio, possibile est, omnem lapidem portari ab isto, falsa est, non quia aliqua singularis in se sit falsa, nec quia aliqua singularis determinata sit alteri determinatæ incompossibilis, sed aliquid determinatis est aliqua indeterminatæ incompossibilis, quæcumque enim novem singularia sunt compossibilia, & decimum indeterminatæ est incompossibile; eis posset etiam dari exemplum de existenti locali, nam istæ singulares sunt veræ, potest Petrus esse sine isto loco, & sine illo, & illo naturaliter, nec ulla determinata repugnat alteri, & tamen non valet inferre universalem, ergo potest naturaliter esse sine omni, quia quibuscumque determinatis est aliqua indeterminata incompossibilis.

54 Sic in proposito utique omnes istæ singulares sunt veræ, nunc potest produci hic homo, & ille, & ille, nec ulla determinata repugnat alteri, quia non est homo signatus, vel signabilis, qui non possit produci in eodem nunc, tamen non valet inferre universalem, ergo omnes possibiles possunt in isto nunc produci, quia quibuscumque determinatis repugnant infinitæ indeterminatæ; ratio autem repugnantie oritur ex impossibilitate reductionis omnium potentiarum simul ad actum, cum quarum una reducta, vel pluribus necessario sunt aliæ infinitæ non reductæ, cum tota magnitudo, vel multitudo a Deo possibilis non sit quid certum, ac determinatum, ut possit totum simul accipi, & ad actum reduci, sed indeterminatum, & confusum, sicut tota divisio continui: unde ut talis multitudo ponatur in esse, debet a Deo determinari, ut sit tanta, vel tanta, quia de se nullum habet terminum intrinsecum, sed tantum extrinsecum, infinitatem nimirum actualem, quam nunquam attingere potest, quam doctrinam tradidit etiam Tromb. quæst. de Præsentia Dei art. 4. ubi docet, aliud esse loqui de existentia rerum simpliciter, aliud de coexistentia, & ait, omnes numeros absolute posse existere, sed non omnes simul coexistere; quia multitudo numeralis est indeterminata, & ideo non tota simul producibilis. Et quando etiam concederemus, totam rerum producibilem congeriem posse simul a Deo produci, adhuc negare deberemus, talem multitudinem esse categoricam infinitam, quia sicut quando multitudo illa erat potentialis, non erat infinita categoricam, sic etiam dicendum est, talem remanere, si actu produceretur tota, quia diversitas status non variat naturam multitudinis, & ex una infinitate non recte deducitur alia, ut diximus q. 1. art. 1. ex Scot. 2. Mer. q. 6. §. Ad rationes, &c. licet ex tali casu impossibile aliud quoque sequatur impossibile, quod infinito syncategorematico nulla posset fieri additio, quod est contra naturam ejus.

55 Secundo arguunt Nominales; tum quia potest continuum a Deo dividi simul in omnes ejus partes, cum enim in hoc instanti possit singulas continui partes dividere, & non magis hanc, quam illam, ergo poterit omnes; tum quia in quolibet instanti istius horæ potest unum creare Angelum, & illum conservare, unde cum in continuo sint infinitæ partes proportionales, & in hora infinita instantia, perfecta divisione continui habebimus infinitum in actu, & completa hora Angelos infinitos. Resp. communiter, in his, & similibus argumentis committi fallaciam, quia sit processus a sensu distributivo ad collectivum, nam distributive potest Deus in hoc, & illo instanti unum Angelum creare, sed non in omnibus collectivè, potest etiam in hoc instanti dividere in continuo hanc, & illam partem distributive, sed non omnes collectivè. Sed Scot. 2. dist. 2. q. 9. sup. K. optime notavit insufficientiam hujus communis responsionis, nam procedere a sensu distributivo ad collectivum non solum fallacia non est, sed potius optimus arguendi modus, in quo fundatur vis, & energia inductionis, in qua semper fit processus a pluribus singularibus sufficienter enumeratis ad unum universale; tum quia si hic modus arguendi non valeret, sequeretur, omnes singulares posse esse possibiles, universali existente impossibili, atque ideo ex vero posset sequi falsum; tum quia universalis æquivaleret singularibus copulative acceptis, & e contra, sed quando terminus supponit distributive, posset sub eo descendere ad omnia singularia copulative sumpta, quia terminus distributus stat pro singulari nullo excepto, unde hæc universalis, omnis homo currit, æquivaleret his singularibus, & Franciscus currit, & Petrus currit, & sic de aliis.

56 Ad arg. igitur Nominalium solvenda, & percipiendam vim illativam inductionis, notanda est regula Scoti sup. allata, & id, quod docet Tatar. 3. Phys. q. 2. quod quamvis omnes singulares sint veræ, non ideo recte inferunt universalem, sed adhuc requiritur, quod omnes sint compossibiles, cum universalis æquivaleret singularibus copulative sumptis, & in hoc consistit vis illativa inductionis, quod datur intelligi per hoc *fulscenter enumeratis*, sensus enim est, quod singulares omnes sint veræ, & simul compossibiles; in proposito vero quamvis in hoc instanti singulæ divisiones continui sint possibiles, & omnes signatæ, vel signabiles simul compossibiles, quia divisiones continui non habent inter se ordinem essentialium, ita quod prius dividi debeat in una parte, quam in alia, adhuc tamen (ait Doct.) quibuscumque determinatis, & acceptis repugnant infinitæ indeterminatæ, & sic etiam dicendum est de Angelorum productione in hoc, & illo instanti, quod licet nulla determinata signata, vel signabilis alteri repugnet, vel pluribus repugnant tamen infinitæ indeterminatæ, quia multitudo Angelorum a Deo producibilis nullum habet terminum intrinsecum, nec ejus possibilitati actus adequatus correspondere

re potest, sed semper permixtus potentie; unde quod quibuscumque determinatis repugnant infinitæ indeterminatæ, oritur ex impossibilitate reductionis omnium potentiarum simul ad actum, cum quarum una reducta, vel pluribus, necessario sunt aliæ infinitæ non reductæ; quidam solent afferri casus, in quibus continuum in omnem sui partem divideretur, ut de filo per totum uniformi; sed soluti videri possunt apud Sampson. 3. Phys. q. 4.

57 Tertio objicitur; Tum quia non repugnat rebus infinitas in esse objectivo, nam in mente Dei simul existunt omnes, ergo neque repugnat in esse reali, quæ probat consequentiam Hurrad. quia omnes repugnantie, quæ afferuntur contra infinitum in esse reali, objici possunt contra infinitum in esse objectivo. Tum deinde, quia videt Deus infinitam multitudinem actu existentium in tota æternitate, nam actus in æternitate futuri non sunt finiti, sed infiniti, alioquin tandem veniretur ad ultimum, & sic finiretur damnatorum cruciatus, illos autem actus esse in actu monstratur, quia futuri non cognoscuntur scientia simplicis intelligentiæ, sed visionis, quæ terminatur ad rem, ut existentem a parte rei.

Responderi solet ad 1. concessio antec. negando consequ. quia potest utique omne possibile adequari simul per cognitionem ab intellectu, non vero a virtute activa per productionem, modus enim cognitionis est compositivus, quia cognitio plura attingit per modum unius, modus vero productionis est repletivus, ita ut quod unum erat in mente, necessario sit multiplicitas in actu existentis. Sed quamvis recte negetur consequ. quia non bene inferitur ex eo, quod aliqua coexistat in mente Dei, possit etiam coexistere a parte rei, nam assensus, & dissensus, omnes divisiones continui possibiles, partes temporis, motus, simul sunt in mente Dei, & simul esse non possunt a parte rei, adhuc tamen non bene disparitatem assignant, falsum enim est, Deum intelligere plura per modum unius; hoc enim solum dicitur de intellectu creato, quatenus plura confuso concipit per modum unius; & verissimum est, quod ait Hurt. argumenta allata contra infinitum tam oppugnare illud in esse reali, quam objectivo, ut dicemus ult. q. ideo præstat negare antecedens, & dicere cum Canon, quod sicut essentia divina non est exemplar infinitorum, quia hæc non sunt possibilia, sed finitorum in infinitum, ita etiam non infinita, sed finita Deus cognoscit in infinitum, ut explicabimus infra. Ad alteram ex profero infra dicemus, cogitationes per totam æternitatem futuras non debere dici categoricam infinitas, sed syncategorematicæ solum, & licet non considerentur sub mera potentialitate, sicut res possibiles, sed in ordine ad existentiam, & quatenus futuræ, tamen quia non sunt ita futuræ, ut aliquando sit verum dicere, totam cogitationum seriem esse ad finem deductam, sed ita se semper habebunt, quod nunquam tot erunt, quin plures futuræ sint, hinc potius syncategorematicæ infinitæ dicendæ sunt, & eo modo cognosci a Deo, quo cognosceret divisiones omnes continui, si ab Angelis per totam æternitatem dividendum esset, nec refert, quod isti actus pertineant ad scientiam visionis, & non simplicis intelligentiæ, quia futuritio non tollit a rebus futuris rationem infiniti syncategorematici.

58 Quarto objicitur; Tum quia communiter conceditur infinita puncta, & partes proportionales actu distinctæ in continuo. Tum quia in permanentibus quicquid potest fieri successive, potest fieri simul, ut Scot. docet 2. dist. 1. q. 3. sub I. ergo si potest multitudinem, vel magnitudinem infinitam producere successive, idipsum potest facere simul. Tum tertio, major est potestas Dei, quam infinitorum hominum, si forent, sed isti agendo infinitos producerent effectus, ergo &c. Tum quarto ultra omnem multitudinem finitam datam, & dabilem, Deus potest producere majorem, sed numerus major omni numero producto, vel possibili est infinitus, ergo &c. Tum denique mundus potest esse ab æterno, & in sententia Arist. de factis fuit ab æterno, ergo cum anima rationalis sit immortalis, modo forent infinitæ animæ; si mundus fuisset ab æterno, & tot de factis erunt in sententia Arist.

Resp. ad 1. multos utique ita sentire, & mirum esse, quomodo tam libenter admittant infinitum categoricam in multitudine de factis quo ad partes actu distinctas, & ita enixe postea negent illud de possibili quo ad unitates discretas, nos vero tam puncta, quam partes ponimus in continuo syncategorematicæ tantum infinitas, Ad 2. Assumptum ex Doctore intelligi debet de quacumque multitudine signabili, & determinata, nulla enim talis in permanentibus potest fieri successive, quæ non possit fieri simul, sed falsum est de omni magnitudine, vel multitudine absolute possibili, cum enim hæc quid certum, ac determinatum non sit, sub certa productione cadere non potest, sed pluribus, ac pluribus in infinitum produci. Ad 3. si darentur infiniti homines, darentur utique infiniti effectus, at non magis repugnat hoc, quam illud, adhuc autem major arguitur potestas Dei, quam infinitorum hominum, si forent, ex modo operandi, quo potest effectus ex nihilo producere, quod illi homines infiniti non possent. Ad 4. ait Canon, ly *omnem* posse sumi conjunctim, sic quod colligat omnes numeros, vel divisim; si divisim, sic est vera major; & sensus est, quod ultra hunc, & illum numerum Deus potest producere majorem, sed tunc minor est falsum, nam numerus, qui est major omni numero divisim sumpto, semper erit finitus, licet sit indeterminatus; si vero ly *omnem* stet in majori conjunctim, sic implicat major, nam Deus non potest

producere aliquem numerum, qui sit major omni numero producto, vel possibili ab eo producti, quia ille numerus, qui est alius, & distinctus ab omni numero possibili producti, non erit possibilis producti a Deo. Ad 5. negatur, mundum potuisse esse ab æterno quoad generationes, & entia successiva, & non minus hoc implicat, quam infinitum in actu, ut disp. 14. dicemus; de mente Arist. varie loquuntur Peripatetici, quidam dicunt, vel tenuisse animam mortalem, vel saltem dubium fuisse; hoc certum est, quod si mundus ab æterno fuisset, animæ rationales, quæ modo extarent, adhuc non essent infinitæ categoricam, quia huic multitudini additio fieri posset, sed tantum essent infinitæ syncategorematicæ, ut docent Scot. 2. Met. q. 6. §. *An rationes*, &c. & Tromb. tractat. de Plurif. Anim. cont. Averr. art. 2. par. 2. in solutione ad 6. Vide quæ contra Ferchijum disputamus disp. 5. de Gen. & Cor. q. 7. art. 2. a nu. 108. qui Vestig. 6. lib. 2. cap. 10. & 14. ut solvat hoc argumentum ex motu æternitate, & animæ immortalitate deductum, statuit finitum animarum numerum, & earum circulationem, seu regressum in corpora humana ad mentem Arist. quod est merum delirium, & principii tum Arist. tum fidei nostræ omnino contrarium.

Q U Æ S T I O I V.

An dari possit infinitum in magnitudine categoricam, vel saltem syncategorematicam.

59 Tres extant sententiæ, duæ extremæ, & una media. Prima extrema est Nominalium concedentium possibilitatem infiniti utroque modo, quam sequuntur omnes, qui quæst. præced. possibilitatem infiniti in multitudine admiserunt, quibusdam exceptis, qui minus consequenter loquentes, ibi infinitum in multitudine etiam in rebus corporeis affirmarunt possibile, hic vero negant infinitum in magnitudine, cum quibus est P. Vulpes 1. p. disp. 27. ar. 8. quæ duo sane non cohererent, nam sicut potest Deus infinita corpuscula, ut maris arenas, producere separata, posset etiam producere conjuncta, vel per continuationem, vel ita ut omnia essent contigua, quo modo molem efficerent infinitam, & infinitum spatium occuparent. Altera extrema sententia est negantium in quantitate continua possibilitatem utriusque infiniti, ita Heur. quol. 5. q. 22. Aureol. 1. d. 44. qu. un. art. 2. prop. 2. definitam esse ex natura rei certam magnitudinem possibilem, ultra quam major fieri nequeat etiam per Dei potentiam, & sequuntur aliqui Scotistæ, qui eodem modo loquuntur de qualitate, & quantitate, quia rationes, quas Doct. adducit 3. dist. 13. qu. 1. pro determinatione qualitatis videntur eodem modo urgere de quantitate. Tertia tandem sententia media negat possibilitatem infiniti categoricam, etiam per potentiam Dei absolutam, & concedit possibilitatem syncategorematicam sequuntur omnes illi, qui negarunt in præced. quæst. possibilitatem infiniti categoricam in multitudine.

Dicendum est, infinitum categor. in magnitudine profus repugnare, non tamen syncategorematicum. Conclusio est Canon. cit. & Barg. 1. dist. 8. qu. 2. §. *Sed contra hoc instatur &c.* ubi citat. Doct. 2. Metaph. quæstion. ult. d. 2. qu. 1. ad 3. & d. 3. q. 2. & 3. d. 13. q. 1. sed in 2. d. 2. q. 9. N. admittit expresse infinitum syncateg. nam concedit, ignem posse in infinitum excrecere, si continuo sibi apponatur combustibile, & idem concedere videtur in 3. d. 13. q. 1. ponens differentiam inter augmentum quantitatis, & qualitatis. Et pro utraque parte evidentissimis probatur rationibus.

60 Prima ratio impossibilitatis infiniti categor. deducitur ex præcedentibus; Tum quia infinita magnitudo categoricam constat ex multitudine partium æqualium eodem modo infinita, ergo si talis infinitas partium repugnat, consequenter & magnitudo ex eis constituta. Tum quia ut ait Canon. talis utique magnitudo divisibilis foret, & ab ea posset aliqua pars detrahi, ergo quæ remanet, vel est finita, vel infinita; si primum, ergo tota magnitudo finita erat, si secundum, ergo pars erit æqualis toti, vel dabitur infinitum majus alio; & responso, quam ad hæc, & similia argum. adhibet Fuentes cit. argum. 5. nam magnitudinem infinitam posse aliam excedere materialiter, non formaliter, ex dictis manet explosa. Tum tertio sic refellebatur infinitum in multitudine, quia in quacumque infinitate tot essent binarii, ternarii, &c. quot unitates, ita infinitum in magnitudine modo vitandum est, quia tunc in quacunq; magnitudine tot essent palmi, quot semipalmi, tot ulnæ, quot palmi, cum tamen una qualibet octo contineat palmos, & sic de singulis mensuris majoribus, & majoribus dicere oportebit, in quacunque magnitudine infinites palmos, quod profus falsum est, quia ad unam longitudinem infinitam constituendam sufficit una sola palmorum infinitas. Tum denique quia si major est infinitas palmorum, quam ulnarum, & ulnarum infinitas ponatur inadæquata, sicut binariorum in multitudine, redent difficultates superius agitæ contra similem responsionem.

61 Secunda est de columna, vel virga utrinque infinita tam versus Orientem, quam Occidentem, nam in ea parte, quæ nobis responderet, potest Deus quatuor antihilare palmos, & postea illas columnas admovendo iterum reunire, quo casu illi columnæ, quæ supponebantur infinitæ, poterunt ex defectu quatuor palmorum duo præstigi termini, nam in illa admotione, & reunionem necessario deserunt duæ illæ virgæ duos palmos spatii, quos antea occupabant, atque ita tangendo utriusque extremitatem versus illos palmos vacui derelictos, verum est dicere, hi sunt termini hujus virgæ, vel columnæ. Resp. Hurt. fa.

Resp. ad r. dictum illud Philosophi intelligendum esse de quacunque multitudine, vel magnitudine signabili, & determinata, nulla enim talis in permanentibus est in potentia, quae non possit fieri actu simul, & unica factioe, falsum tamen est de omni magnitudine, & magnitudine absolute possibili, cum enim haec sit quid incertum, & indeterminatum, non unica factioe, sed pluribus, & pluribus produci potest; exacte tamen huic argumento satisfaciemus qu. seq. quia est una ex illis rationibus, quibus Doct. probavit in 3. d. 13. q. 1. maximum in qualitatibus, ubi advertit dictum Philosophi, & Comment. quantum contingit esse in potentia, &c. ex falso fundamento procedere, qui putaverunt non esse debilem majorem quantitatem Caelo, & nullum quantum augmentari posse, nisi per additionem quanti praesentis, quod secundum Theologos falsum est, quia Deus potest majorem quantum sine additione quanti praesentis per creationem; unde Doct. ibidem non videtur tenere hoc dictum quantum ad quantitatem molis. Ad 2. verum est, quantitatem semper sub tantitate existere, id est sub termino aliquo, nam quantitas a parte rei non existit, nisi determinata, tamen secundum se non exigit esse sub aliquo termino, nisi vage, & ideo potest esse major, & minor. Ad 3. videt utique Deus omni quantitate facta posse majorem fieri, sed non omni factibili, nam tunc foret implicatio in adiecto, at non videt aliquam majorem omni alia, quia nulla talis est habilis. Ad 4. dicitur, ut ad primum, majorem valere de quacunque magnitudine signabili, vel determinata, sed non quacunque absolute possibili, & confute. Ad 5. Arist. ibi loquitur de corporibus animatis, ut notat Doct. 2. d. 2. q. 9. & loquitur in ordine ad potentiam naturalem, non vero supernaturalem.

QUESTIO V.

An dari possit infinitum in intensione categorematicum, vel saltem syncategorematicum.

70 **T**ria quoque sunt in hac quaest. auctorum placita, duo extrema, & tertium medium; quidam enim admittunt infinitum in qualitate esse utroque modo possibile, ita Nominales omnes loc. cit. & sequitur Hurt. Alii ex opposito negant utrumque, ut Henr. quol. 5. q. 22. Aureol. 1. d. 17. p. 3. q. 1. art. 3. D. Bonav. 1. d. 17. art. 2. q. 4. Scot. in 3. d. 13. q. 1. loquens de gratia Christi, & sequuntur Scotifere omnes eo loco, Rada tom. 1. Controv. 19. Smithsch. tract. 3. disp. 7. q. 5. n. 78. Fuent. & Vulpes loco cit. licet inter istos auctores aliquid sit discrimen, nam hunc terminum intensiois aliqui aspicantur ex parte formarum, quae suapte natura possunt determinatum gradum versus maximum; alii vero sumunt non ex parte formarum, sed ex parte subjecti, quod est finita, & determinatae capacitatis, unde forma extra subjectum posset in infinitum intendi, ita Bassol. 1. dist. 17. q. 3. Communis tandem sententia est media, negans, etiam de potentia Dei absoluta infinitum categor. in qualitate esse possibile, & affirmans esse possibile syncateg. ita D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 7. ubi omnes ejus discipuli, excepto Cajet. contendere 3. p. qu. 7. art. 9. 10. & 12. D. Thom. admittentium in qualitatibus, & terminum intrinsecum etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam; ex Scotifere inclinatur Canon. 3. Phyl. q. 3. Tatar. 1. Phyl. q. 4. not. 4. Sgherma 1. Phyl. digress. 3. q. 5. Cavell. cit. probabilem magis putat, & defendit Herrera 5. d. 15. q. 6.

ARTICULUS I.

Non posse dari in qualitate infinitum categorematicum.

71 **D**icendum est cum communi quoad r. quaerit partem, nec naturaliter, nec supernaturaliter posse dari qualitatem infinitam in intensione, sive sit naturalis, sive supernaturalis; ita cum communi, tenent Canon. & Sampson. l. c. cum ceteris Scotifere, nec dissentiunt Thomifere, quorum plerumque, ut Complut. cit. q. 4. probant hanc concl. ex finita capacitae subjecti, nam si daretur infinitum accedens, dari quoque deberet infinita substantia talis accidentis susceptiva. Sed si hac ratio valeretur, probaret etiam, qualitatem non posse fieri in suo subjecto semper majorem, & majorem, quod tamen est contra eisdem Thomifere, nam ad talem intentionem syncategorematicam infinitam proportionata capacitas requiritur ex parte subjecti.

In qualitatibus igitur naturalibus solet probari Concl. quia si daretur lapis concavo Orbis lunae cum infinita gravitate, deberet in instanti descendere, ut docuit Arist. 1. Caeli tex. 51. & 52. quo enim gravitas est intensior, eo motus celerior, sed motus localis in instanti repugnat, ut disp. 15. dicemus, ergo, &c. Ex quo infertur, nullam aliam qualitatem infinitam esse possibilem, cum enim qualiter fieri sit activa, posset quacunque suum effectum in instanti ponere, ut calor infinitus posset transferre corpus frigidum a frigiditate in calorem summum in instanti, ut arguit Canon. cit. & sic de aliis. Greg. 1. d. 43. q. 4. ad 2. totum gratis concedit etiam motum instantaneum localem; quae responso nulli est accepta; & ideo ait Hurtad. lapidem nunquam descensurum cum rota, atque infinita velocitate, sed posse cum majori semper, & majori, atque in breviori, & breviori tempore, sicut omnes, qui negant possibilitatem infiniti in rebus creatis, fatentur adhuc, Dei potentiam esse infinitam, ideoque dicunt, Deum posse majorem semper, ac majorem effectum producere, nunquam tamen actu infinitum, ob quam solut. Averfa, etsi nobiscum in concl. conveniat, renuit tamen hanc communem antiquorum rationem veluti inutilem.

72 At sine causa antiquos spernit Averfa, non enim solutio data rationem enervat, quia lapis infinite gravis esset causa naturalis, quae necessario operari deberet juxta totam virtutem suam, nec haberet, unde determinaretur ad tantam, & non majorem velocitatem, ut descenderet in tanto, & non minori tempore, non ergo est eadem ratio de divina potentia, & virtute motiva istius lapidis, Deus enim potest pro libito suum determinare effectum, sed lapis ille movebitur juxta impetum suae virtutis possibilem, & in instanti, vel certe profusus non moveretur. Hoc praevidentes auctores cit. dixerunt, lapidem illum debere determinari a Deo ad certam velocitatis mensuram; quod si ponatur casus, ut Deus nolit determinare, addit Averfa, quod lapis non descenderet, nec mirum esse debere, quia idem est, ut Deus nolit concurrere ad nullum motum lapidis illius, sine autem concursu divino nulla operatio ab ulla causa creata perfici potest. Sed contra, quia in proposito quaerimus, quid fieret de illo lapide supposito concursu generali Dei, qui sinit causas secundas motus suos agere, & quid fieret ex natura rei nullo adhibito miraculo; non posset autem determinare Deus velocitatem gravitatis illius absque miraculo, & concursu speciali, & ita non sumus in casu, tum quia falsum est, hoc, quod est Deum nolle determinare gravitatis illius velocitatem, esse idem, ac illi denegare concursum generalem; immo tunc vere non denegat, cum illam non determinat, sed sinit lapidem moveri secundum totum imperium innatum; & e contra tunc vere concursum generalem denegaret, & miraculum adhiberet, quod illam determinare vellet. Tum denique dicitur, quod in casu, quo Deus nolit velocitatem lapidis illius determinare, lapis non descenderet, est idem, ac dicere, quod lapis tanta praeditus gravitate moveri non posset sine miraculo, unde sicut ipsi derident, (& merito) qui praeced. quaest. ponentes terminum intrinsecum in quantitate dicebant, ignem maximum non posse stupam in eo coniectam comburere, quia maximus est, ita & ipsi nunc deridendi sunt, dum ajunt, lapidem infinitae gravitatis, si Deus non determinaret ejus velocitatem, non descensurum, quia nimia praeditus est gravitate, ratio igitur allata concludit, & neganda est potius infinita gravitas, ne praefata sequantur absurda.

73 In qualitatibus vero supernaturalibus solet probari Concl. quia aliquo dari posset lumen gloriae infinitum, & visio beata infinita, qua data utique comprehenderetur Deus ab intellectu creato, quod est impossibile. Resp. Hurt. cum Greg. citat. illam infinitam visionem non proinde fore Dei comprehensionem, quia licet in genere visionis, & cognitionis infinita foret, adhuc tamen divinam perfectionem non adaequaret in essendo, quod exigitur ut comprehensio dici debeat, vel saltem quod ita adaequet divinam cognoscibilitatem, ut illam penitus exhauriat, quod non faceret visio creata, & si intensive infinita, quia Deus est infinitus infinitus, & non semel tantum, ut foret illa visio.

Sed non satisfacit, tum quia apud omnes in confesso est inter cognoscens, & cognoscibile non requiri adaequationem, seu proportionem naturae, & in essendo, alioquin Deus nullo modo posset cognosci ab intellectu creato, etiam elevato per habitum supernaturalem, sed sufficit aequatio potentiae, & objecti, ut sicuti objectum est infinitum in ratione cognoscibilis, ita potentia sit infinita in ratione cognoscens, & cognitio in ratione cognitionis, his enim habitis per talem cognitionem optime exhauritur tota objecti cognoscibilitas, & totaliter, atque ita comprehenditur, ut docet Scot. in 3. d. 14. q. 2. F. Tum quia non dicitur Deus infinitus infinitus, quia a parte rei sinit in eo infinitus infiniti gradus perfectionis distincti, cum sit simplicissimum, sed hoc intelligitur aequivalente tantum, ergo visio semel infinita sufficeret ad comprehensionem Dei. Tum quia ex dictis non potest dari infinitum semel infinitum, quando infinitum consistit in latitudine graduum, ergo visio infinita esset infinitis infinita. Tum quia ex Aug. ep. 112. tunc res comprehenditur, cum nihil ejus videtur latet, & ipsum penetrat secundum omnes gradus cognoscibilitatis ejus, sed ita attingeretur Deus per talem visionem, videret enim omnia, quae sunt in eo tam formaliter quam virtualiter, quia videret Deum infinita claritate, & distinctione, unde si aliquid Dei lateret, esset aliquo modo obscura, & confusa, atque adeo non infinita.

Istae igitur rationes optime concludunt, & in eo solum deficientes notari possunt, quod universaliter non probant, & ideo ratio generalis ad ostendendam repugnantiam intensiois infinitae ex eo petenda est, ut bene notat Averfa, quod infinita multitudo in actu repugnat, ut patet ex dictis, intensioe autem infinita, infiniti necessario gradus forent assignandi, supponimus enim intensioem fieri non posse, nisi per additionem gradus ad gradum, & consistere in latitudine entitativae qualitatis per multiplicationem, & conjunctionem plurium graduum, ut docet Scot. 1. d. 17. q. 3. & nos demonstramus in lib. de Gen. qua facta suppositione, contra intensioem infinitam adduci possunt rationes omnes contra infinitum in multitudine, & extensione militantes; nam sicut in extensione infinita esse deberent tot palmi, quot semipalmi, tot cubiti, quot palmi, &c. sic in intensioe infinita tot essent gradus, quot semigradus, & sic de aliis portionibus qualitatis majoribus, & minoribus, & sicut in extensione infinita dari deberet una magnitudo major altera, si ab una aliquid desumatur, sic ex duabus qualitatibus dari deberet una magis intensa alia, &c.

74 In oppositum objicitur r. ex Greg. quia si per horam Deus continue augetur charitatem, sic tamen, quod in prima medietate totius horae crearet charitatem tantum gradus, & in prima medietate sequentis medietatis crearet aequalem charitatem, & iterum in prima medietate residui crearet aequalem, & sic semper velocitaret suam actionem secundum quamlibet talium partium, in fine horae haberetur infinita charitas, quia haberet infinitas partes aequales correspondentes infinitis proportionalibus horae; idem conficit argumentum de instantibus initiativis cujuslibet partis proportionalis horae, si enim in quolibet crearet tantam charitatem, idem sequitur. Immo totum id naturaliter etiam videtur contingere posse, nam ut arguit Tatar. 3. Phyl. q. 2. dub. 2. si calefaciens ponatur in medietate horae corrumpere medietatem frigoris in aqua, & generare duos v. g. gradus caloris, tunc sequitur, in alia medietate semihorae motum esse duplo velociorem, quia ablata est medietas resistentiae, atque adeo producerentur duo alii gradus, & rursus in medietate illius partis erit motus duplo velocior ob ablatam resistentiam, & sic procedendo tandem in fine horae erunt producti infiniti gradus, quia in qualibet medietate proportionali tantum caloris erit productum, quantum in prima medietate. Et constat de corpore luminoso, quod si alicui medio approximetur, in quolibet instanti illius temporis producit in medio determinatam luminis partem, sicut produxit in primo instanti, non enim apparet major ratio, cur potuerit in primo instanti producere determinatam luminis partem, & non in quolibet instanti approximationis.

75 Resp. satis patere ex dictis quae praeced. quomodo, & qua ratione impossibilis sit distributio, & partitio illa, quam Nominales saepe facere solent, ut infinitum astruant: & si Deus augetur charitatem cum partitioe horae a Greg. conficitur per partes proportionales successive acceptas, vel augmentum illud nunquam inciperet, vel nunquam finiret, ut probari potest argumento Zenonis, & eadem ratione tanto magis negandum est, id posse naturaliter contingere, quia actiones agentium naturalium non fiunt cum ea determinatione partium proportionalium, sed aequalium, & dato eo casu, & ea partitioe, adhuc negat Tatar. in quolibet medietate produci aequales gradus, quia calefaciens non calefacit nisi ratione contrarietatis; unde dum agit in aquam totaliter calore privatam, agit secundum totam activitatem, & quando est privata solum secundum medietatem, agit secundum medietatem virtutis, & sic deinceps, quare semper erit aequalis velocitas, & ideo in minori tempore non producat aequale, sed minus, & minus in infinitum, sicut tempus minoratur in infinitum; quae responso quantum valeat, patet ex dicendis de Reactione in lib. de Gen. quando enim calor agit in frigidum ut octo, non qualibet pars frigoris resistit, sed tantum illa pars, cui immediate applicatur calor, licet quando agit, agat secundum omnes partes, & ratio discernitur est; quia resistere actu est impedire, ne agens introducat formam in passum, ergo tantum secundum illam partem, & secundum illum gradum resistit passum, circa quam agens applicatur, & in quam intendit producere formam; qua stante doctrina falsum esset, initio calefactionis magis aquam resistere, quam postea, quia prius per plures, deinde per pauciores, semper enim resistit secundum illum gradum, qui proxime expellendus est, nam talis resistentia fit in genere causae formalis. Ad illud autem de corpore luminoso negandum est assumptum, licet enim in primo instanti acquisita sit pars luminis determinata, tamen in instantibus postea approximationis, & intensiois luminis in illa parte medii, cui successive approximat, non acquiritur pars luminis, sed indivisibile continuativum, & ratio discernitur est, quia in primo instanti potest corpus luminosum producere determinatum lumen in medio, at non potest ipsum intendere, nisi approximetur, cum ergo approximat fit conditio necessaria simpliciter ad intensioem luminis, sequitur, quod tunc solum intensio fiet, cum sit approximat, agens autem non dicitur in instanti magis approxinari, sed in tempore, sicut etiam motus localis non fit in instanti, sed in tempore, & hinc sequitur, in quolibet instanti approximationis non fieri partem aliquam luminis, sed solum indivisibile continuativum correspondens indivisibili approximationi.

76 Secundo ad idem moveri solet satis molesta difficultas a Theologis, dum loquuntur de circumstantia durationis in actibus humanis, potest enim homo in primo instanti unius horae mereri, & determinatum gradum meriti acquirere, quia meritum in primo instanti perfici potest, & potest actum suum per totam illam horam continuare; quo facto meritum erit infinitum in fine horae, cum ibi sint infinita instantia. Ad hanc difficultatem variae sunt responsiones, sed quantum sufficit ad praesens, neganda est sequela, actus enim in primo instanti responderet certum meritum, non ratione ipsius instantis, sed quia in eo ponitur primum substantia ipsius actus, qui tunc efficitur bonus ex objecto, & aliis, unde bonitatem, & meritum referre in illud instans est committere fallaciam non causae ut causae, continuatio autem incipit tempore sequenti, quia est actio continuata supponens seipsam in priori, & ratione hujus morae augetur bonitas in actu, hoc autem augmentum non fit in instanti, sed successive, & per partes illius temporis crescit cum proportionem ad illas, ideoque per instantia non adduntur illi partes meriti, sed in eis continuatur meritum cum eadem proportionem, quasi permixta esse indivisibilia, & ideo etiam ex instantibus non con-

furgit infinitas, quia ex vi eorum non augetur meritum perseverantiae actus, sed terminatur, vel copulatur, prout ex partibus successivis constat. Dices, eadem substantia producta in primo instanti conservatur in reliquis, ergo sicut illi producta in primo instanti responderet certum meritum, cur non etiam ut conservatae in reliquis? Respond. quia conservatio indivisibilis neque affert ipsam substantiam actus, neque aliquam moram. Dices ergo plus merebitur homo interrumpendo actum, & postea producendo alium similem, quam continuando priorem per totam horam. Resp. ex hoc capite plus utique mereretur, sed ex alio tempus medians inter unum, & alium actum transire absque merito, & ideo quasi compensatio. Instabis adhuc, inter instans, & tempus, non est proportio, ergo nec inter meritum primi instantis, & meritum continuationis, ideoque hoc excedet illud in infinitum. Respond. quod potest esse proportio in genere moris, quia primo instanti ponitur certa pars meriti correspondere, vel negatur consequentia, & ratio est, quia illud meritum, quod correspondet instanti, & tempori sequenti, non correspondet ipsis ex propriis rationibus, sed ratione elicitionis, & conservationis actus, & hac de causa potest esse proportio inter meritum primi instantis, & meritum sequentis.

77 Tertio objicitur. Tum quia Christus de facto habuit gratiam infinitam, juxta illud Joan. 3. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum Filio, & ratio est, quia se extendit ad iustificandos infinitos homines, qua ratione Christi meritum ponitur infinitum; quod si finita esset, posset tantum crescere gratia alicujus creaturae, ut pertingeret ad intensioem gratiae Christi Domini. Tum 2. quia gravitas peccati est infinita, crescit enim ex infinita improportione inter creaturam offendentem, & Deum offensum, & si aliquis occideret vellet omnes homines, non solum existentes, sed etiam posibles, haberet tale peccatum infinitam malitiam, nam velle occidere unum, est alicujus malitiae, vel occidere duos, est majoris, & sic deinceps, ergo &c. Tum 3. quia tota graduum latitudo in qualitatibus procedit in infinitum, ergo tota latitudo, quam Deus cognoscit ut possibilem, est infinita, quia infinitos complectitur gradus. Tum demum, sit subiectum palmare uniformiter calidum, ut unum, si Deus auferat calorem ab uno semipalmo, & ponat in alio, erit ibi calor ut duo, & si Deus totum calorem reducat ad millesimam partem, fiet calor ut mille, & tandem cum possit Deus totum calorem reducere ad solum punctum, tunc fiet calor infinita intensio.

Resp. ad r. fatentur omnes, gratiam etiam Christi Domini in genere Physico esse finitam, dici tamen solet infinita, quatenus est gratia capitis, & dicitur fuisse illi collata sine mensura, quatenus tantam habuit gratiam, quantum omnes creaturae praeteritae, praesentes, & futurae nunquam habere poterunt ex lege ordinaria, & in hoc sensu gratia habitualis dicitur fuisse proportionata gratiae unionis, & nunc praecedendo a quaestione quomodo meritum Christi fuerit infinitum, quia mere Theologica est, pro nunc satis est, quod neque apud illos, qui meritum Christi ponunt intrinsece, & formaliter infinitum, ideo tale dicitur, quia procedat a gratia secundum intensioem infinitam, nam operationes Christi etiam apud eos fuerunt finitae secundum intensioem, & solum infinita secundum meriti dignitatem, ad quam necessaria non erat infinita intensio. Et verum est de potentia absoluta posse puram creaturam habere majorem gratiam habitualem, quam Christus habuerit, at tamen quoad modum gratia Christi semper excedet quamcunque gratiam possibilem haberi in pura creatura, tum quia haec est gratia capitis, tum quia eam habet inamissibiliter, saltem proxime, quia non est purus viator, sed etiam comprehensor; tum quia Christus eam habet ut filius naturalis, & pura creatura haberet, ut adoptivus, ut dicitur in materia de Incarnatione. Ad 2. jam dictum est supra q. 2. art. 1. infinitatem peccati non esse in genere Physico, sed morali, & non esse positivam, sed negativam, quatenus in genere mali obtinet supremum gradum, & superioris rationis, intra quam infinitatem adhuc admitti debet latitudo, ut unum esse possit gravius alio, & non omnia aequalia, sicut dixit Haereticus Novatianus, & dictum est crescere ex dignitate personae infinitae offensae secundum proportionem, non vero ad aequalitatem. Sic etiam ex illa supputatione non infertur in actu volendi occidere infinitos homines, si essent, infinita malitia, nisi secundum quid, id est summa, quanta haberi potest ex circumstantia quantitatis objecti malitiam aggravantis intra eandem speciem, nam ex tali circumstantia non potest dari actus peior, si caetera sunt paria; simpliciter tamen, & absolute est finita malitia, quia adhuc augetur potest ex caeteris circumstantiis, infinito autem simpliciter repugnat additio in eo genere, in quo est infinitum.

78 Ad 3. valet consequentia de infinito syncat. non autem categ. tota enim gratia possibilis non est una determinata qualitas factibilis unica factioe, sed sunt plures, & plures in infinitum, quarum una est intensior alia, & inter eas non videt ultimam possibilem, quia talis non datur, nec aliquam, quae sit actu infinita, sed tota latitudo gratiae cognoscitur a Deo, ut finita in infinitum. Ad 4. quod censetur argumentum difficillimum, cuius pondere pressi multi diverterunt ad aeternitatem graduum, negandus est casus, quia tunc auferri deberet a partibus qualitatis tota unio extensiva, & converti in intensivam; id autem aliud non est, ut bene notavit Averfa q. 23. sect. 7. in fine, nisi dividere rem quantum in omnes

omnes sui partes, quod est impossibile, & ideo utique potest Deus auferre unionem extensivam a pluribus, & pluribus partibus extensis qualitatis, eas in eadem parte subjecti collocando, & unionem intensivam tribuendo, non tamen ab omnibus partibus extensivam auferre potest unionem extensivam, & simul tribuere intensivam eas in puncto collocando, quia nequit dividere continuum simul in omnes suas partes.

ARTICULUS II.

Possit dari in qualitatibus infinitum syncategorematicum.

79 **D**icendum est, quod licet qualitas respectu causarum naturalium habeat summum gradum, & terminum intrinsecum suae intensiois, tamen in ordine ad potentiam supernaturalem non habet certum terminum, sed potest intendi in infinitum; Conclus. est communis, & quamvis Doct. 3. dist. 13. q. 1. videatur de gratia Christi oppositum tenuisse, id nos terere non debet, hoc enim ibi non docuit, ut omnino certum, ut adnotavit P. Cavellus 2. Metaphyl. quaest. 6. Scol. 1. quod colligit ex illis verbis Doct. in commendando Christum, mala excedere, quam deficere, & ex quo motivo Scot. id asseruerit, dicemus infra; solet autem probari Conclus. ex proportione extensionis in quantitate, & intensiois in qualitate, sicut enim quantitas respectu absolutae potentiae Dei nullum habet terminum intrinsecum, sed potest in infinitum augeri, ita pariter de qualitate dicendum in ordine ad intensioem, nulla enim ratio afferri potest de qualitate, quae non etiam de quantitate convincat, ut Tatar. ingenue fatetur 1. Physicor. q. 4. not. 4. ubi proinde in nostram inclinam sententiam, & quidem haec sola paritas aut omnino convincere debet Auctores 2. sententiae, aut si hoc de qualitate defendunt, ipsidem de quantitate tueri debent etiam discretam, qua de causa Lychet. 3. dist. 13. q. 1. eodem modo loquitur de quantitate, & qualitate; sed quia de quantitate hoc defendi nequit sine magno labore; ideo Scotus communiter, & alii 3. sententiae Auctores hunc terminum praesigunt qualitatibus tantum, & varias disparitatis rationes conantur afferre de quantitate, & qualitate.

80 Respondet igitur communiter, diversam esse rationem intensiois, & extensionis, quia intensio est perfectio magis intrinseca qualitati, quam extensio quantitati, & ideo in quantitate potest dari processus in infinitum, quia additio in quantitate est materialis, seu per multiplicationem plurium entitatum aequalis perfectionis, sed in qualitate additio graduum est formalis, quia fit per accessum majoris perfectionis, iuxta Aristot. documentum 3. Physicor. 68. & 69. augmentum secundum materiam potest in infinitum procedere, non tamen secundum formam. Sed contra. Tum quia utrobique augmentum fit per partes homogeneas, & quatuor una est alia perfectior, nec aliam supponit ex natura rei, sed solum per accidens, & absolute loquendo qualiter potest uniri cuilibet sine necessario ordine inter illas; tum quia Arist. loc. citat. ut notat Doct. etiam augmentum secundum magnitudinem vocat additionem secundum formam, unde inquit Lychet. quod ire ad formam, est ire ad perfectionem, quod contingit in augmento, vel secundum intensioem, vel secundum extensionem. Tum quia cum ait Philof. augmentum secundum formam non procedere in infinitum, loquitur in ordine ad potentiam naturalem, non supernaturalem. Tum tandem quia quando etiam processus in qualitate esset secundum formam, & in quantitate secundum materiam, non proinde processus syncateg. in qualitate negari deberet, quia sicut in quantitate ex tali processu admissio secundum materiam, non propterea devenit ad quantitatem infinitam in magnitudine, ita etiam admissio processu in qualitate, non propterea devenimus ad qualitatem aliquam infinite intensam.

81 Resp. Fuent. nu. 17. gradus qualitatis esse aethergeneos & inaequalis perfectionis, unde si daretur processus in infinitum, deveniret ad gradum infinite perfectum secundum entitatem, quia gradus superior semper continet perfectionem inferioris; partes autem quantitatis, cum non sint inaequalis perfectionis, facta quacunque additione, non augetur ejus perfectio, nec pars de novo adveniens continet perfectiones aliarum partium, & inquit, hoc esse fundamentum Doct. cum neget processum syncateg. in qualitate, non in quantitate. Sed contra, tum quia falsum est, hoc esse Doct. fundamentum, nam ubique agnoscit gradus in qualitate homogeneos, non autem aethergeneos, ut praesertim videtur ex 4. d. 13. q. 3. & nos ex professo dicimus in lib. de Gen. disp. de Alterat. unde doctrinam allatam non accepit Fuent. a Scoto, sed a Lorca in 3. part. disp. 43. & 2. 2. disp. 19. tum quia etiam differentiae individuales secundum commune Scotistarum, sunt inaequalis perfectionis numericae, & tamen multiplicari possunt in infinitum; tum quia etiam quando gradus essent aethergenei non propterea superior contineret perfectionem inferioris formaliter, vel virtualiter, alioquin in adventu illius recederet iste, sed tantum diceretur illum continere per excessum majoris perfectionis, & superioris ordinis, ut species superior continet inferiorem; tum denique, quia quando etiam superior contineret perfectionem inferioris formaliter, vel virtualiter, adhuc nunquam haberetur qualitas infinita perfectior, quia nunquam aliqua contineret perfectiones infinitas, sed tantum finitas ei subordinatas, & de facto quantitas major conti-

ner minorem, illamque necessario supponit, five discreta sit, five continua, & tamen in utraque processus in infinitum non negatur. Resp. alii, praesertim in augmento charitatis non posse dari processum in infinitum, quia cum charitas dicat perfectionem simpliciter, ac propterea sibi non repugnet infinitas, deveniret tandem ad charitatem simpliciter infinitam, atque ita extra Deum esset aliqua perfectio simpliciter creata infinita. Sed ut bene notavit Basol. cit. solvendo rationes 2. op. falsum est, charitatem creatam dicere perfectionem simpliciter, sed si charitas talem dicit perfectionem, hoc non habet, nisi secundum rationem transcendentalem, qua convenit cum charitate divina, secundum quam non intenditur, vel remittitur, cum consistat in indivisibili; & quando etiam charitas creata diceret perfectionem simpliciter, adhuc negandum esset, quod in tali processu deveniret unquam ad charitatem infinitam in intensioe, hoc enim directe repugnat processui syncategorematico.

82 Secundo prob. quia ex triplici tantum capite potest poni haec determinatio intensiois provenire, vel ex parte formae determinantis sibi certum limitem, quem transgredi nequit, vel ex parte agentis, cujus virtus limitata est ad introducendam formam in subiecto, vel tandem ex parte subiecti, quod majoris intensiois non est capax; sed non potest provenire ex parte formae, quamvis enim qualitates mediae naturales videantur in intensioe certum habere terminum, quia cum contineantur inter duo extrema per progressum in infinitum, facile in alterum extremorum transirent, ut viriditas in nigredinem, pallor in albedinem, caeterae tamen qualitates nullum habent terminum ex natura sua, praesertim in ordine ad potentiam Dei absolutam, ut bene probat Basol. cit. §. His praemissis, &c. tum quia nulla forma secundum suam speciem, quantum est ex natura sua, sibi potius determinat ultimum gradum possibilem in summo, quam in infimo, qua ratione Doct. 2. dist. 2. q. 9. quibus formis negat terminum intrinsecum versus minimum, eisdem negat etiam versus maximum; tum quia tale augmentum non ponit qualitatem extra limites creaturae, tum quia non habet terminum quoad extensionem, possunt enim plures & plures produci partes qualitatis extensivae, ergo neque terminum habebit quoad intensioem, nam partes extensivae evadunt intensivae, cum ponantur in eadem parte subiecti. Nec respondere valet, posse in eadem parte subiecti augeri in gradu supremo, ita quod unibilis non sit alteri. Tum quia partes homogeneae semper sunt unibiles ad aliquod totum integrale constituendum. Tum quia unibilitas est passio conveniens individuis homogeneis, & ejusdem rationis, unde si qualitas potest unquam pervenire ad talem conditionem, ut amitteret unibilitatem cum ceteris individuis ejusdem rationis, a posteriori posset argui, quod tale individuum mutatum fuisset in natura. Tum tandem, quia haec est mera petitio principii, ratio enim cur non possit augeri, ponitur esse, quia est in termino, sed hoc est, quod impugnamus, non posse qualitatem sic terminari, quia cum alia qualitas ejusdem rationis sit creabilis, & haec proinde illi unibilis, signum est; illam nunquam esse in termino.

83 Sed neque haec determinatio formae desumi potest ex parte agentis, quia cum hoc sit supernaturale, & infinita virtutis, poterit qualitatem semper augere. Nec demum sumi potest ex parte subiecti; tum quia cum subiectum talem intensioem recipiat per potentiam passivam obedientialem, ut Scot. docet in 3. d. 13. q. 1. sicut haec nullum intrinsecum terminum magnitudinis habet, ita per ipsam non determinatur subiectum ad tot gradus recipiendos, & non plures, sed determinatur tantum per terminum extrinsecum, quatenus per potentiam obedientialem finitum non habet capacitatem ad formam infinitam, quae solum terminus extrinsecus ponitur in intensioe formae; ut ait Scot. sub L. Tum quia ut ait sub F. quando accidens est habens gradus, & conveniens subiecto, & non determinatur subiectum ad aliquem gradum certum habendum (quod potissimum ei convenit in ordine ad potentiam supernaturalem) non videtur quare non possit sibi quicunque gradus inesse; quia non invenitur contradictio, & ubicumque non invenitur contradictio, illud ponitur absolute possibile. Nec satisfacit Smifinch. nu. 80. dum ait, non per hoc velle Scot. quod subiectum fit ex se proportionatum ad quemcumque gradum formae in infinitum, quia hoc negat in solut. ad 3. sed tantum, quod capere potest quemcumque gradum intra latitudinem formae finitae possibilem. Non satisfacit, quia Doct. in solut. ad 3. limitat capacitatem subiecti solum per terminum extrinsecum, ait enim, quia, & si capacitas sit respectu cujuscumque gradus in forma, non tamen capacitas alicujus finiti est ad formam infinitam; ergo vult, subiectum, quantum est de se, esse capax cujuscumque gradus formae simpliciter, & absolute, & non tantum intra certam latitudinem; tum tandem quia potentia passiva, ut saepe dictum est ex Scot. 3. dist. 14. q. 2. in fine, nullam a toto genere dicit perfectionem, quod ibi declarat exemplo materiae primae, quae receptiva est infinitarum formarum, & tamen haec tam ampla potentialitas in ea nullam ponit perfectionem, immo potius imperfectionem.

84 In oppositum occurrunt 1. tres rationes, quibus Doct. loc. cit. probabiliter oppositum tenuit de gratia Christi. Prima est, quia si quacunque charitate finita potest perfectior fieri, sequitur tandem dari posse gratiam infinitam, quae in ascendendo infinite distabit a gratia determinata infima, & cum ipsa videatur ab intellectu divino sicut unum creabile, po-

poterit una creatione creari. Secunda ratio, quam suse prosequitur Aureol. 1. d. 44. qu. un. fundatur in dicto Arist. 3. Phys. tex. 60. quantum contingit esse in potentia tantum contingit esse in actu, ex quo sic arguit Doct. omnis una potentia unica factioe potest reduci ad actum, quia una potentia potest habere totum, quod adaequate respicit, sed potentia ad augmentum in quibuscumque permanentibus est una ergo &c. Prob. minor, quia quacunque potentia ejusdem rei sunt ad actus partiales unum actum totalem constituentes sunt partes unius potentiae demonstratae, seu determinatae, sed potentia ad augmentum in permanentibus sunt hujusmodi, nam omnes actus partiales constituunt unum totalem, gradus enim decimus cum praecedentibus unam magnitudinem constituit, & sic centesimus, & millesimus, ergo unus tantum totalis est, ad quem res augmentabilis est in potentia, atque ita unica actioe haberi poterit, & ideo si in infinitum procedere potest tale augmentum per additiones partiales, poterit etiam totum illud in esse poni unica factioe totali. Et quia in continuo non est dabilis una suprema divisio omnes alias includens, hinc singulae potentiae partiales ad singulas divisiones non sunt partes unius potentiae totalis ad unicum actum totalem, nec ideo unica factioe sunt reducibiles ad actum, sed in infinitum divisio procedit. Tertia ratio quantumcumque charitatem Deus potest facere, tantam potest facere, subiectum includit praedicatum, ponatur ergo in esse, quod quantumcumque potest creare, tantam creet, ergo non poterit ulterius majorem creare, & per consequens non poterit facere majorem in infinitum, aut illa creata erit infinita.

75 Resp. primam rationem non concludere, ut patet ex dictis q. 2. a. 2. quia ut ait Basol. 1. d. 36. q. 3. ar. 3. hoc est de ratione processus in infinitum, quod nunquam attingatur in actu, nec est necesse, quantumcumque assignabilem qualitatem versus maximum distare ab infima infinite, ut de speciebus numerorum notavit Tromb. q. de Praese. Dei ar. 4. quia inter hanc & illam semper erit distantia finita, ut potest declarari in numeris, & divisione continui, ubi inter primam partem proportionalem assignatam, ut palmarem, & quantumcumque aliam inde assignabilem minorem, & minorem semper est distantia finita, & semper ulterior progressus. Et si ratio concluderet, non solum in divisione continui vim haberet demonstrandi, quod deveniri debeat ad partem minimam a prima proportionali infinite distantem, sed etiam in omni quantitate tam discreta, quam continua idem demonstrabit; nam supposita aliqua magnitudine, vel multitudine, quae potest, an in ascendendo sit status ad supremam, & habetur propositum, & si non est status, tunc deveniendum erit ad multitudinem, vel magnitudinem infinitam, & quidem de quantitate continua permanenti concludit, quia haec quantumcumque sit, est unica factioe factibilis, concludit etiam de discreta, quia non potest cogitari certus individuum numerus, qui veluti unum factibile, simul, & semel a Deo produci non possit, sicut enim unica creatione potest creare qualitatem, ut decem, ut centum, &c. ita unica quasi creatione totali creare potest simul decem homines 100. &c. & si unica creatione facere potest omnem aquam possibilem, poterit consequenter unica creatione creare totam illam multitudinem singularium aquarum, quae ad constituendam illam magnitudinem concurrunt. Ex quo ruit responsio Smifinch. nu. 81. ubi ait, rationem Scoti non concludere statum in augmento numeri, & continui, quia in his datur potentia determinata, nec sunt unica actioe factibiles. Hoc est prorsus voluntarie dictum. Tum quia, ut modo ostensum est, ita augmentum continui est unica factioe factibile, sicut augmentum qualitatis; tum quia ipse assumit sibi, quod omne factibile est in potentia determinata, quia nil fieri potest, nisi determinatum, ergo cum augmentum continui sit factibile, & etiam quilibet numerus, erunt haec omnia in potentia determinata.

86. Ad 2. rationem, jam Doct. ipse concedit, dictum illud Philof. & Comment. quantum contingit esse in actu, &c. ex falso fundamento procedere. Ad rationem igitur in se posse absolute negari major, quia potentia materiae ad omnes formas est unica, & tamen naturaliter non potest omnes percipere; potentia voluntatis ad volendum, & nolendum est unica, & tamen neque supernaturaliter potest simul reduci ad actum perfectum, valet igitur major de potentia indivisibili, quae adaequatur per actum indivisibilem, ad si potentia est indivisibilis in se, sed ad actum divisibilem ordinata, vel ipsa in se est indivisibilis, haec non necessario habet actus simul sibi adaequatos, sed eo modo, quo ipsi esse possunt; talis autem est potentia, quam habet continuum ad dividi, vel augeri, non enim est unica potentia per simplicitatem; sed per integritatem ex pluribus partialibus, quarum est quaecumque signatur, vel signabiles possunt simul reduci ad actum, nec ulla determinata repugnet alteri, tamen quibuscumque determinatis repugnant infinite indeterminatae, & cum una reducla, vel pluribus, necessario sunt alig infinite non reductae, cum tota intensio, vel extensio a Deo possibilis non sit quid certum, ac determinatum, ut possit totum simul accipi, & ad actum reduci, sed indeterminatum, & confusum, sicut tota divisio continui, ut diximus q. 3. ad 1.

87 Sed dices, non valere paritatem, tum quia divisiones continui non sunt partes unius potentiae totalis ad unicum actum totalem, quia non est dabilis una suprema alias includens, & ideo unica factioe non sunt reducibiles, tum quia in divisione sunt plures potentiae ad minoritatem; sed ad majoritatem est una potentia, quia omnes illi gradus partiales ordinantur ad unam intensioem

totalem, quae prius respicitur a Deo, quam partes, tum quia in augmento continui potentia prius respicit totum, quam partes, & ideo est una, quia partes ponuntur ad positionem totius, at in divisione sunt plures potentiae, quia divisio respicit partes, non totum. Resp. quod licet in continuo non sit dabilis una divisio suprema caeteras includens, quia inter illas nullus est ordo, ubi in augmento magnitudinis cum reductione potentiae ad centrum, vel mille reducuntur etiam ad actum omnes potentiae inferiores ad decem, viginti &c. quia omnes istae includuntur in illa; tamen ex alio capite adhuc tenet paritas, quod sicut omnis magnitudo, vel intensio possibilis, est unica factioe factibilis, & simul producibilis, distributive loquendo, ita quilibet multitudo divisionum continui possibilis unica divisione quasi totali, & adaequata in uno instanti confici potest, sicut contingit in collisione vitri, quod simul in mille fragmenta dividitur, & saltem in numeris valet omnino paritas, quia in reductione potentiae majoris reducuntur potentiae numerorum minorum. Ad 2. tam potentia continui ad minoritatem per divisionem, quam potentia ad majoritatem per additionem est una unitate tantum integritatis, nam ut tota magnitudo est in potentia ad minoritatem per subtractionem minoris, & minoris partis, ita est in potentia ad majoritatem per additionem plurium, & plurium partium, & ideo utrobique non est una potentia per simplicitatem, sed una totalis integrata ex pluribus partialibus, unde neque a Deo videtur aliqua qualitas in qua sint omnes gradus possibiles, quia gradus illi sunt finiti indeterminatae, & propterea inepti ad constituendam unam certam totalem qualitatem. Ad 3. si valet, concluderet idem de numero, & ideo cum totum integrale non distinguatur a partibus, sic etiam potentia ad hoc totum non est una, nisi unitate integritatis ex pluribus partialibus, quae omnes simul ad actum reduci non possunt, licet nulla determinata repugnet alteri.

88 Si autem haec ratio Scoti intelligatur, ut explicat Smifinch. quod loquitur de eo, quod est in potentia determinata, tunc utriusque verissimum est, quod quantum contingit esse in potentia determinata, tantum contingit simul esse in actu, & quod omnis potentia est unica actioe totali reducibilis, & quantumcumque talis actus est unicum factibile, sed omne a Deo factibile non est in potentia sic determinata, ut totum simul dici possit, quia obiectum omnipotentiae Dei est infinitum syncategorem. quod essentialiter includit aliquam indeterminatam, & actum potentiae per mixtum, ut explicat Arist. 3. Phys. 5. ubi proinde negat habere rationem totius. Sed insat Smifinch. quod omne factibile est in potentia determinata, quia non nisi determinatum quid fieri potest, ergo totum id, quod potest a Deo fieri, determinatum erit. Resp. hoc etiam argumentum neque concludere de numero, & divisionibus continui, quod in infinitum abire non poterant, quia omnis multitudo est a Deo factibilis, atque adeo determinata, & ideo dicendum, obiectum omnipotentiae Dei, quod est omne factibile, dupliciter posse considerari, remote, & proxime; primo modo est omne finitum indeterminatum, seu finitum in infinitum correspondens potentiae Dei indeterminatae, secundo modo est omne finitum correspondens potentiae Dei determinatae, quod tunc fit, cum divina voluntas seipsam determinat ad producendum centum mille, &c.

89 Ad 3. rationem Doct. ipse concedit non concludere gratiam formae, sed esse fallaciam consequentis, sicut si diceretur: si tu potes currere, potes moveri, ergo si potes currere, moveris, illa de possibili non debet sic poni in esse, quia antecedens est necessarium, cum illa conditionalis sit necessaria, sed non consequens, & licet potentia sequatur ad potentiam in antecedenti, non tamen actus consequentis sequitur ad illam potentiam, & ideo debet sic poni in esse, si tu curris, tu moveris, ponendo simul antecedens, & consequens, ita Scotus in reportatis. Ait igitur, argumentum tenere tantum gratia materiae, quatenus in permanentibus, quantumcumque procedatur, summum possibile est ita factibile unica factioe, sicut quodcumque aliud, & concludit duas ultimas rationes habere evidentiam ex prima, & quidem admissio semel, quod ait in prima ratione, dari in isto processu primum, & supremum, omnes istae rationes concluderent, & haec ultima praesertim evidentissima foret, quia quicquid posset facere ex hypothese unica factioe foret factibile collective loquendo. Sed tale supremum non est dabile, nec per consequens ab intellectu divino videtur, & ratio est inculcata sapientis, quia tota collectio rerum a Deo producibilium non est determinata, sed indeterminata & confusa, ut collectio divisionum continui. Ad formam augmenti distinguendum est assumptum, vel ly quantumcumque supponit distributive, & in sensu diviso, ut sensus sit; quod determinate, & sigillatim loquendo de hac, & illa potest facere simul quantumcumque maximam charitatem, vel magnitudinem, aut multitudinem, & sic verum est antecedens, sed negatur consequens, quia haec data quantumvis maxima potest aliam creare majorem, vel supponit collective, ut sensus sit, Deum posse facere simul unica factioe quantumcumque magnitudinem, vel multitudinem, quam potest facere distinctam, ita ut nihil superfluum producendum, & sic antecedens contradictionem involvit, quia ly quantumcumque in hoc sensu supponit determinate, quasi totum, quod Deus facere potest, sit certum quid, & determinatum, quod nullo modo concedi debet.

9 Dices, cum ergo istae rationes sint solubiles, & praesertim prima, ex qua aliae duae procedunt, unde Major 3. d. 13. q. 2. ad 1. miratur, quod vir tam acri ingenio simili ratione sit confusus, cum ipse inter corpora admittat posse dari majora, & minora in infinitum, & tamen nullum ibi videretur esse maximum, quare

quare illis per motus tantus Doctor admittit terminum intrinsecum in qualitate quod intensiorem seipsum coniciendo in angustiis id quoque defendendi de seipsum tam discreta, & quam continua in permanentibus. Resp. Scotum adhuc probabiliter tenendum non tam fuisse motum illis rationibus, quas etiam ipse solubiles vidit, quam ex devotione, & reverentia erga Christum Dominum, ut ipse protestatur ibi sub H. illis devotissimis verbis: *in commendando Christum, malo excedere quam desistere a laude sibi debita, si propter ignorantiam oportet in alterum incidere*, sicut ergo Scotus omnes Doctor, excessit in laudibus, & attribuit animæ Christi, ut patet ex illis dist. 13, & 14. ubi præter communem ei tribuit, quod per intellectum videat, quæcumque Verbum videt, quod per voluntatem summam fruatur, ita etiam in hoc excedere voluit, ut inde concluderet, summam gratiam possibilem fuisse illi collatam; & certe in hoc voluit intellectum illum subtilissimum captivare in obsequium Christi juxta præceptum Apostoli; unde cessare debet admiratio Majoris, quod vir tam acri ingenio hoc asseruerit, nam Doctor protestatur apertis verbis ob Christi reverentiam se potius notam ignorantiam incurere velle, quam indevidi, qui solus punctus deberet tantum Doct. obrestatoribus ora obstruere. Adhuc tamen nos oppositum tenentes a reverentia Christi non desicimus, nec Franciscanæ devotioni erga Christum Dominum derogamus, quia licet dicamus, de potentia absoluta potuisse Christum, immo & quamcumque aliam puram creaturam majorem recipere gratiam, tamen quoad modum, quo Christo data fuit, non est possibilis haberi a pura creatura, ut art. præced. dictum est, immo etiam Scoti viam secantes hanc difficultatem evitare non possumus, quia licet ea via defendatur, Christum habuisse summam gratiam absolute, tamen quia eam ponit Doctor summam negative solum, & quod Deus potuit creare æqualem, & alteri creaturæ tribuere, adhuc eadem recurrit difficultas, quæ commodius dissolvi non potest, quam præfato modo.

91. Secundo, obicitur ex Smitinch, & aliis probando in primis id repugnare ex parte formæ; quia intentio est perfectio intrinseca essentia qualitatis, quia est modus essendi ejusdem qualitatis, ergo excedere non potest potentiam, quæ est in essentia ad illam perfectionem, quia actus, & potentia debent proportionari, sed potentia, & capacitas, quam habet qualitas ad intentionem, finita est, sicut essentia ipsa qualitatis, ergo, &c. Deinde eadem ratione probatur repugnare etiam ex parte subjecti, quia omni potentia receptivæ ob ejus limitationem respondet actus formalis determinatæ perfectionis specificæ; ita ut nequeat perfectiorem recipere, ergo eidem potentia respondere debet actus formalis determinatæ perfectionis gradualis, ut perfectiorem gradum recipere nequeat. Consequentia patet, probat, anteced. nam hac ratione quantitas non est capax formæ substantialis, nec substantia spiritualis est capax quantitatis, quia nimirum hæc substantia sunt essentialiter limitata ad certas formas; sic etiam natura intellectualis non est capax perfectioris unionis substantialis, quam sit hypostatica unio, nec perfectioris accidentis, quam sit gratia, & gloria, nec materia prima est capax perfectioris formæ substantialis, quam sit anima intellectiva.

Nec respondere valet, qualitatem esse capacem majoris, & majoris intensiōis, & subjectum similiter majoris, & majoris qualitatis per potentiam, non quidem naturalem, sed obedientialem, quæ nullum habet terminum intrinsecum. Non valet; tum quia intentio est perfectio naturalis essentia qualitatis, atque adeo respicit capacitatem ejus naturalem; tum quia si forma ex sua natura petit determinatam intensiōem, idem quoque erit in ordine ad potentiam Dei, quia Deus reus naturas immutare nequit, quod enim natura debetur, est essentialis; tum quia si potentia obedientialis, per quam subjectum ab agente supernaturali recipit qualitatem, termino intrinseco caret, sequitur hanc capacitatem fore infinitæ perfectionis cathogorematicæ, & in actu, quia posse recipere formam alicujus intensiōis est aliqua perfectio, posse recipere formam magis intensam erit major perfectio, ergo capacitas reddens subjectum aptum ad recipiendam formam magis, & magis intensam sine termino reddet ipsum perfectum sine termino, & talis infinita perfectio erit actualis, quia eam habet in se subjectum a principio, cum capacitas subjecti non augeatur ex receptione formæ, ut docet Scot. 3. dist. 13. q. 1. l.

92. Resp. argumentum non magis urgere in intentione, quam in extensione, ut de se patet, quare cum diversi gradus intensiōis non sint nisi diversæ perfectiones individuales ejusdem qualitatis specificæ, sicut capacitas natura specificæ non est ad tot differentias individuales determinata, quin possit semper sub pluribus, & pluribus in infinitum, ita nec capacitas essentia qualitatis ex se determinata erit ad tot gradus in ordine ad potentiam Dei absolutam, & ex hoc nulla sequitur infinitas in essentia qualitatis; tum quia talis potentia ad plures gradus non est una, sed plures, quot sunt partes entitativæ qualitatis, quæ possunt intensiōem suscipere, unde non est una, nisi per integritatem; tum quia quando etiam esset una, nullam asserit perfectionem, quia est potentia passiva potius, quam activa; tum quia omnes perfectiones graduales sunt inferioris rationis respectu essentia, & ideo quantumvis multiplicentur, nequeunt perfectionem ejus attingere.

Ad alteram ex parte subjecti negatur assumptum, quia potentia materia est indeterminata ad plures specie formas in infinitum. Ad probat, dicimus exempla illa demonstrare solum

quod cætera subjecta determinata sunt ad certum genus formarum, tamen intra latitudinem illius generis possunt finitas recipere in infinitum, ut quantitas infinitas figuras, & substantia spiritualis infinita accidentia ejusdem generis, & sic quoque erit in proposito, quod licet albedo intendi nequeat per gradus nigredinis, quia sunt extra latitudinem sive capacitatis, potest tamen per varios albedinis gradus intendi in infinitum. Ad exempla vero illa de unione hypostatica, gratia, & gloria patet ex dictis qu. 2. art. 2.

Bene etiam dicitur, qualitatem esse intensiōis infinitæ syncathogorematicæ capacem per potentiam obedientialem potius, quam naturalem, non quia potentia obedientialis sit distincta entitativè naturali, & per naturalem petat terminum intrinsecum, & per obedientialem illo careat, quia potentia obedientialis est eadem entitas cum naturali, & solum distinguitur ab eo per ordinem ad divisa agentia, ut supra dictum est dist. 7. q. 6. art. 5. qualitas igitur ex natura sua nullum terminum petit determinate, sed tantum vage, sicut quantitas exigit figuram, & illum habet, quem ei determinat agens, & quia agens naturale non potest eam perficere nisi intra latitudinem finitæ perfectionis, & singulæ forme substantialis exigunt qualitates in determinato gradu, hinc dicimus qualitatem juxta capacitatem naturalem, quæ attenditur penes causas naturales, habere summam gradum; per potentiam vero obedientialem, quæ attenditur penes agens supernaturale, potest adhuc habere plures, & plures. Ex quo patet, quomodo intensio dicatur perfectio naturalis essentia, nam quoad certos gradus dicitur ei conaturalis, & debita, ex naturali rerum constitutione, sed quoad cæteros possibiles dicitur naturalis, non quia eos exigat positive, sed quia non habet ad eos repugnantiam, unde ut ait Amicus, gradus illi non essent supernaturales secundum substantiam, sed tantum quoad modum; Nec etiam sequitur, talem potentiam obedientialem ponere in subjecto infinitam perfectionem, quia potentia obedientialis est eadem realiter cum naturali, & quando ipsam dicimus infinitam in potentia, & syncathogorematicæ, hoc intelligendum est per denominationem quasi extrinsecam, quatenus eadem profus, & sine augmento finita permanens potest recipere a superiori agente perfectiorem formam in infinitum. Ex hoc vero nequit deduci, quod talis potentia sit infinita in actu, sed solum quod perfectius in infinitum possit actuari, & cum hac actuari semper finita sit, sed tendens in infinitum, potentiam obedientialem ex hac parte secundum quid solum, & syncathogorematicæ infinitam denominationabit, in quantum recepta quacunque intensio formæ potest majorem adhuc recipere eo fere modo, quo divisio continui infinita vocatur in potentia.

93. Tertio arguit Rada cit. intensio qualitatis est definita quoad minimum, ergo etiam quoad maximum, quia est eadem ratio finitatis hinc, & inde, probatur assumptum; tum quia si per motum diminutionis, & remissionis non esset devenire ad infinitum gradum, in quo forma salvari posset, tunc actio calidi remittentis frigidum posset in infinitum procedere, nec unquam completeretur; tum quia omnis res permanens, ut est qualitas, incipit per primum sui esse, quod esse non posset nisi detur minimum, quod in instanti acquiratur, nam si non datur, posset minus, & minus acquiri, atque ideo successive per ultimum sui non esse. Deinde nullus motus alterationis, qualis est motus intensiōis, potest esse infinitus ex 8. Phys. tex. 62. & 94. tum quia tunc natura inciperet moveri ad id, quod non potest attingere; tum quia tunc esset aliquis motus sine termino ad quem, quod est impossibile, quia motus ab intrinseco petit terminum ad quem; tum quia omnis motus rectus est inter duos terminos. Tandem quod charitas nequeat augeri in infinitum, docuit August. in Enchirid. cap. 121. dicens. *Cupiditatem minus charitate crescente, donec veniat ad tantam magnitudinem, qua major esse non possit*; quod etiam probatur ratione, quia Deus non potest tantum a nobis diligi, quantum est a se diligibilis, sed a se non est diligibilis plusquam in infinitum, ergo actus nostræ dilectionis non potest in infinitum tendere.

Resp. ad primum negando assumptum, ad primam probationem dicimus, illam non esse novam difficultatem, sed esse difficultatem Zenonis, quæ superius soluta est; ad alteram licet res permanentes ex natura sua possint acquiri per primum esse, tamen ut motui subjacent, acquiruntur per accidens per ultimum non esse. Ad secundam negatur assumptum, & Arist. loquebatur de alteratione in ordine ad causas naturales, quæ tendunt ad gradum determinatum, & in hoc ipsum distinguit a circulari. Ad primam probat. jam dictum est, per causam naturalem hunc motum fieri non posse. Ad secundam, quamvis esset absurdum, motum esse sine termino in hoc sensu, quod aliquid moveatur, & non in aliquid tendat, non tamen absurdum est dari posse motum sine termino in hoc sensu, quod per eum non acquirat mobile complere id, in quod movetur ad tertium, motus rectus esse debet inter duos terminos a quo, & ad quem saltem secundo modo. Ad tertium August. loquitur de charitate viæ, & eam appellat maximam charitatem; quando quis ita Deum diligit, ut paratus sit pro eo sanguinem fundere, juxta illud Joan. 15. *Majorem charitatem nemo habet etc.* Unde loquitur de perfectione charitatis in excellentia, non in intensioe, quia possunt duo esse parati pro Christo mori, & tamen unum intensius alio diligere, ad rationem negatur minor; diligit enim Deus seipsum infinite, quod est plus diligere, quam finitè in infinitum.

Q U Æ

Q U Æ S T I O VI.

An saltem in mente Dei admittendum sit Infinitum in actu, & cathogorematicum.

94. **F**amosa sententia est, & quasi communiter supposita, objecta a Deo cognita tum possibile, tum futura per totam æternitatem esse actu, & cathogorematicæ infinita, licet enim a parte rei non sint possibile, vel futura, nisi cum successione, & finita in infinitum, tamen quia in mente Dei simultaneam habent in esse cognitio, ideo in tali esse objectivo consistunt in mente divina infinitum cathogorem. ita supponere videntur multi ex antiquis, & sequuntur Recentiores quamplures, Vasq. 1. part. disp. 63. cap. 2. Nav. 1. part. cont. 51. Lorea 3. par. qu. 10. disp. 48. Conimb. Ruvius, Hurt. Ariag. Murcia in Physicis, Bec. 1. part. sum. c. 10. qu. 13. Bassol. 1. dist. 35. qu. 7. Faber, Vulpes, & Nolanus in suis tr. de Scientia Dei. Opposita sententia asserit, Deum non cognoscere infinita in actu, & cathog. sed tantum finita in infinitum, quatenus non tot possunt designari res a Deo cognita, quin plures sint adhuc, quæ in infinitum cognoscit, ita Major 3. d. 14. qu. 3. Durand. 3. dist. 39. qu. 2. Almaj. 1. d. 35. qu. 1. & 3. d. 14. qu. 1. Tromb. q. de Præscientia Fut. conting. Nicol. de Nis. tr. 1. p. 3. Port. 1. q. un. ad 8. Can. expresse pluribus in locis 2. Phys. q. ult. 3. Phys. q. 3. & 6. Phys. q. un. quibus in locis negat, Deum cognoscere infinita in actu, sed tantum cognoscere acta finita in infinitum, & sequuntur Val. 1. p. q. 14. p. 6. Averfa q. 24. sect. 9. in solut. ad 3. Amic. tr. 18. q. 6. dub. 5. licet aliquo pacto alteram quoque probabilem putat.

95. Dicendum est consequenter ad superiora dicta cum Scot. cit. objecta cognita non esse actu, & cathogorematicæ infinita, sed tantum finita in infinitum. Et prob. tum quia loquendum est de rebus in mente Dei, ut sunt possibile a parte rei, quia res omnes cognoscit, sicuti sunt, ergo sicut extra nulla infinitas cathog. rebus competere potest, ita nec in mente divina, sicut extra possibile sunt finita in infinitum, eodem modo cognoscuntur a Deo, ut finita in infinitum, non autem actu infinita, quia nunquam verum est dicere, Deus infinita cognoscit, sed solum non tot cognoscit possibile, quin adhuc plura cognoscat, non cognoscit tantam magnitudinem possibilem, quin adhuc cognoscat majorem. Tum quia si res successive possibile infinitæ forent in intellectu divino, tunc continuum esset objective divisum in mente Dei, & sic sequitur a parte rei ex indivisibilibus constare, quia Deus intelligeret partes non ulterius divisibiles, ut fusc prosequitur Tromb. & Can. cit. Tum denique, & hæc est præcipua ratio, quia omnes repugnantia alicujus momenti, quæ impugnant infinitum cathog. in esse reali, æque impugnant etiam in esse objectivo, ut dicurrenti parebit, & ratio est, quia implicantiæ, quæ sequuntur ex infinito, sequuntur ex ipsa ratione infinitatis, cujus constitutio implicatoria est, non autem ex rebus, in quibus statuatur, nam si re ponatur in rebus realibus, & actu existentibus, sive in rebus possibilebus esse objectivum tantum habentibus, semper querendum manebit, quot partes, vel unitates sint in tali infinito, & an sint tot binarii, quot unitates, & an totum mente conceptum sit majus sua parte, & an ei possit fieri additio; vel detractio per actum intellectus, qua ratione motus Hurt. & eam eo Ariag. ut consequenter loqueretur, quia admittit actualem infinitatem, & cathogorematicam rerum in esse objectivo, ideo eam quoque possibilem agnoscit in esse reali.

96. Neque quantum ad hoc ulum potest poni discrimen inter possibile, & futura per totam æternitatem, ut sunt cogitationes Angelorum, & hominum, sicut arbitrantur aliqui, qui tales cogitationes nullo profus modo volunt agnoscere syncathogorematicæ infinitas ea ratione ducti, quia cogitationes hujusmodi sunt aliquid futuræ. Hoc non obstat, quin etiam ipsa sub ista figuratone syncathogorematicæ infinitæ dici debeat; tum quia non aliter intelligit Deus futura, quam sint in se futura, sed cogitationes Angelorum, & hominum ita sunt futuræ per totam æternitatem, ut nunquam verum sit dicere, nunc posita sunt in actu cogitationes infinitæ, sed potius semper erit verum dicere, non sunt tot, quin sint futura plures, cum ipsa quoque æternitas nullam sit habitura finem, ergo eum ista successione se tenente ex parte earum intelliguntur a Deo, & cum sint futura in infinitum, non autem actu infinita, ita quoque cognoscuntur a Deo; tum quia si ponatur cathogorematicæ infinitæ, eadem semper incommoda recurrunt.

Resp. Ruvius 3. Physic. tr. 2. qu. 2. cogitationes futuras posse in duplici statu considerari, vel quoad existentiam realem, vel objectivam in cognitione divina, licet in primo statu sint infinitæ in potentia, tamen in secundo sunt infinitæ in actu, quia omnes sunt presentes in divina cognitione, & nulla datur ibi futura. Sed Ruvius vii argumenti dissimulat; cum dicimus, Deum intelligere cogitationes illas, sicut futurae sunt, & non aliter, plane nolumus intelligere, quod Deus eas cum successione cognoscat, se tenente ex parte Dei, sed ex parte rei, & quia cum tali successione, & potentialitate intelliguntur, hinc inferimus, non efficere infinitum in mente divina, quod amplius declarari potest exemplo divisionum continui, quia non alia ratione cognoscit Deus cogitationes futuras, quam cognosceret divisiones futuras continui, si per totam æternitatem foret ab Angelo videndum, sed dato hoc casu nunquam cognosceret Deus divisiones continui actu infinitas, & licet omnes sibi presentes forent, non tamen essent infinitæ in actu, alioquin continuum jam foret in mente divina in indivisibilia resolutum, ex quibus a parte rei demum

Mestrii, & Belluti Tom. II. Physica.

constaret, sed semper forent finitæ in infinitum, & singulas attingeret Deus simul, & semel, nunquam tamen ultimam, quia talis non datur, ergo eodem modo de facto cognoscit omnes futuras cogitationes.

97. Resp. Ruvius negando paritatem, & inquit, hanc esse differentiam valde notandam inter cogitationes futuras, & divisiones continui, quod omnes, & singulæ cogitationes collectivæ, atque divisivæ sumptæ sunt futuræ per totam æternitatem, ita ut in tota æternitate habituræ sint esse extra causas, sed divisiones continui, etiam a Deo fiant, non erunt omnes faciendæ, imo neque omnes futuræ per totam æternitatem collectivæ, sed tantum divisivæ; & ratio hujus est natura ejusdem continui, quod cum non componatur ex indivisibilibus, implicat umquam esse in omnes partes divisum etiam per totam æternitatem; unde sequitur, nec verum esse, quod omnes divisiones collectivæ sumptæ sint presentes divinæ cognitioni, neque quod omnes sint futuræ, sed tantum hoc verificari potest divisivæ, cogitationes vero, cum sint inter se distinctæ, & nulla dependeat ex altera, non solum divisivæ, sed etiam collectivæ sumptæ futuræ sunt per totam æternitatem; ex quo non sequitur, quod aliquando erit verum dicere, quod omnes sint posita; quia tunc per totam æternitatem non multiplicarentur.

Sed frustra verborum copia conatur Ruvius evadere paritatem assumptam inter cogitationes, & divisiones continui, quæ in hac re mirabiliter Adversarios convincit, sicut enim divisiones continui non sunt possibile omnes, vel omnes futuræ etiam per totam æternitatem, collectivæ, sed solum divisivæ, ita etiam futuræ cogitationes, quod etiam concessit Ruvius, dum inquit, quod per totam æternitatem nunquam verum erit dicere, quod cogitationes futuræ fuerint omnes acceptæ, hoc enim idem est ac dicere, non esse futuras omnes per totam æternitatem, nisi divisivæ, quatenus nunquam tot erunt, quin plures sint futuræ. Deinde ratio discriminis allata nulla est, quia, & si in in divisionibus continui peculiaris natura illius impedit quin omnes possint esse simul acceptæ, & collectivæ, adhuc tamen remanet ratio communis, pro divisionibus, & cogitationibus, quæ ad ipsum impedit in utrisque, & ea est, quia ram collectio divisionum continui, quam futurarum cogitationum important quid incertum, ac indeterminatum nunquam ad actum completum reducibile, & cum addit Ruvius, cogitationes, quia sunt inter se distinctæ, & nulla ex altera dependens, hac ratione non solum divisivæ, sed etiam collectivæ sumptas esse possibile, & futuras, eadem ratione id ipsum asserere poterat, & debebat de divisionibus continui, quia etiam istæ sunt inter se distinctæ, & nulla dependet ex altera, non enim inter illas est ordo essentialis, ut aliqui putarunt, quod una essentialiter aliam præsupponat, quia in quolibet puncto signato, vel signabili potest una divisio exerceri independenter ab alia. Demum ut omnia argum. contra conclusionem objecta elidantur, sufficit nobis, ut Adversarii dicant de divisionibus continui in mente divina, quod nos dicimus nendum de illis, verum etiam de cogitationibus futuris, cæterisque possibilebus, eodem enim modo, quo ipsi defendunt, nullam continui divisionem latere divinam mentem, sed omnes actu esse illi presentes, nec tamen in esse objectivo esse actu infinitas, sed finitas tantum in infinitum, eodem profus modo etiam nos id ipsum defendemus de futuris cogitationibus, cæterisque possibilebus.

98. Resp. Alii, per hæc, & similia argumenta probari tantum, Deum, ut cognitione directa attingit res in ordine ad existentiam realem possibilem, vel futuram, nullam attingere infinitatem cathog. in eis, sed tantum syncathog. quia talem habent in ordine ad existentiam realem; sed si res considerentur, ut habent existentiam objectivam, & Deus ut quasi reflexe cognoscens creaturas sub tali esse objectivo, sic utique cognoscit eas, ut cathogorematicæ infinitas, nam sicut per cognitionem directam in ordine ad existentiam realem eas cognoscit syncathogorematicæ infinitas, quia nequeunt habere simultaneam existentiam realem, ita e contra quia habent simultaneam objectivam, dicuntur in tali esse cathogorem. infinitæ, & ut sic cognoscuntur a Deo quasi reflexe.

Sed contra, tum quia rationes adductæ impugnant infinitatem actualem rerum etiam sub esse objectivo, & divisiones continui præsertim nequeunt sic esse infinitæ in divina mente; tum quia existentia objectiva nihil ponit in objecto nisi denominationem quandam extrinsecam, ergo si multitudo rerum in se syncat. est, non poterit simultanea existentia objectiva illam variare, & cathog. facere, sicut centum homines successive existentes, eo quod simul concipiuntur, non plures evadunt, cognitio enim non variat quantitatem objecti; tum quia ut patet ex dictis qu. 1. art. 2. infinitum cathog. & syncat. non differunt tantum ex modo essendi simul; vel successive, actu, vel potentia, sed etiam in ipsa multitudine, ita quod si per impossibile totum infinitum syncat. poneretur in actu, adhuc differret a cathog. & de illis contradictoria verificarentur, ergo si existentia realis simultanea infinitum syncat. non faceret cathog. tanto minus id faciet simulas existentia objectivæ: tum etiam tempus, quod est suapte natura successivum, etiam a Deo reflexe cognitum, ut stat sub simultanea existentia objectiva, non ideo definit esse successivum objectum, ergo etiam in proposito infinitum syncat. ut a Deo reflexe cognoscitur quoad objectivam existentiam, adhuc erit syncathogorematicum objectum.

Resp. Amicus, ut probabilitatem ostendat oppositæ sententiæ, hæc arg. probare tantum infinitatem cathog. quæ consequitur ad existentiam objectivam, non esse realem, sed ab intellectu consistam. Sed contra. Tum quia ex dictis ita repugnat ista infinitas in entibus

T 2

ra-

rationis, sicut realibus. Tum quia illa similtas objectiva non infert necessariam talem infinitatem, ut pater de partibus continui. Tum quia illa similtas tota se tenet ex parte divini intellectus, non ex parte objectorum, quia verum est dicere, divinum intellectum simul omnes creaturas possibles cognoscere, sed non ut simul, ergo quando etiam similtas hæc infert infinitatem categor. adhuc tamen eam ponere nequit in creaturis cognitis, quia eas nullo modo afficit, etiam per denominationem extrinsecam, ut afficit divina cognitio. Tum quia cum talem infinitatem haberent creaturæ etiam nullo intellectu creato existente, plane talis infinitas rationis esset conficta ab intellectu divino, quod repugnat.

99 In oppositum obicitur i. quia de ratione infiniti syncateg. est aliqua potentialitas, & successio quoad existentiam, & ei potest fieri additio, at creaturæ in divina mente, quod existentiam objectivam nullam habent potentialitatem, aut successio nem, & eorum multitudini nulla potest fieri additio, alioquin Deus omnia possible non attingeret, ergo cum non sint numero finitæ, erunt infinitæ categor. & hoc est unicum fundamentum Adverf. Resp. Amic. cit. creaturas in mente divina habere potentialitatem ad existentiam realem, & ait similtatem existentia objectiva non destruit potentialitatem necessariam ad existentiam realem syncateg. qua ratione, inquit, etiam partes continui actu existentes esse infinitas syncateg. quia licet sint determinatæ quoad existentiam, adhuc tamen sunt indeterminatæ quoad tantitatem: unde concludit infinitat in syncateg. solum destrui posse per determinationem rerum quoad existentiam, & quoad determinationem perfectionis. Addit deinde, quod licet considerando infinitum syncateg. secundum totam latitudinem, nihil extra illa remaneat, quod ei possit addi, tamen illud accipiendo secundum partes, semper restat aliquid extra, quod ei potest addi, & in hoc sensu multitudini creaturarum in mente divina fieri potest additio, quatenus cuiusque finitæ distributive acceptæ semper plures, & plures possunt addi creaturæ adhuc Deo cognitæ.

Sed hæc resp. non satisfacit, tum quia non bene explicat potentialitatem, quæ necessaria est ad infinitum syncateg. in universum. Tum quia dicere, partes continui esse syncateg. infinitas, quia non sunt determinatæ quoad tantitatem, est idem ac dicere, non esse categorem. infinitas, quia licet sint distinctæ, non tamen sunt diviæ, quam resp. ipse sæpius reicit, & rationabiliter, nam licet per eam salvetur, quod non detur multitudo infinita prædicamentalis, non tamen evitat transcendentalem, ad quam sufficit infinitarum rerum distinctio, & prorsus impertinens est divisio; tum quia in proposito non est quæst. de infinitate reali, sed solum objectiva, & Adverf. ultro concedunt, multitudinem creaturarum in ordine ad realem existentiam esse syncateg. infinitam, & ut talem a Deo directe cognosci, sed difficultas est de infinitate objectiva, & de creaturis, ut terminant cognitionem Dei reflexam secundum existentiam objectivam, tum denique dum ait, infinito syncateg. posse additionem fieri, si secundum partes accipiatur, non secundum totum; præter quamquod hoc etiam convenit infinito categor. non consequenter loquitur Amic., quia superius per hoc distinguit infinitum syncateg. a categor. quod huic a ratione, quia infinitum est, potest adhuc additio fieri, non illi, at si additionem non patitur, nisi secundum partes accipiatur, hoc non est suscipere additionem, nisi ut finitum est.

100. Resp. igitur est ex dictis q. 1. ar. 1. falsum esse, quod potentialitas necessaria ad infinitum syncateg. fit ad existentiam realem, ita quod tota illa multitudo debeat esse in potentia ad existere, vel partim in actu, partim in potentia, & per hoc distinguatur ab infinito categor. quia & hoc potest esse in rebus mere potentialibus, & illud in rebus actualibus, ut diximus de partibus continui, potentialitas ergo, quæ constituit infinitum syncateg. ut sic, est indeterminatio illa accipiendi partem post partem, hic enim est modus proprius huius infinitatis, ut docet Scot. l. d. 3. q. 1. ad 3. unde infinitas syncateg. per hoc explicatur, quod ejus partes non sunt tot, quin plures, ratio vero infinitatis categor. est, quod ejus partes tot sint, quod nequeant esse plures, cum sint in maxima multitudine, unde abstrahit ab illa indeterminatio; potentialitas etiam, quæ infinitum syncateg. distinguit a categor. est capacitas illa, quam habet, ut possit adhuc augeri per majorem & majorem accessum ad existentiam actualem, quæ prorsus repugnat infinito categor. cum id ponatur intrinsece infinitatem attingere. Unde ut ad alteram argumenti partem respondeamus, cum dicitur, multitudinem creaturarum in mente divina objectivam existentiam non posse additionem suscipere, & ideo non esse syncateg. infinitam, fatetur talem repugnare additionem, sed talis repugnantia non oritur ex ratione intrinseca talis multitudinis, sed aliunde, quia nimirum creaturæ aliæ possible non sunt, unde si aliqua entia impossibilia evaderent possible posset illi multitudini fieri additio, at si illa multitudo poneretur categorem. infinita, additio foret impossibilis ex utroque capite, ex intrinseca scilicet ratione talis multitudinis, & ex impossibilitate ipsa aliorum entium.

Secundo obicitur; tum quia res omnes possible, & cogitationes futuræ per totam æternitatem ita per cognitionem divinam omnes accipiuntur, ut non remaneant aliæ cognoscendæ, ergo in esse cognito non possunt dici syncateg. infinitæ. Conseq. patet, quia sicut in essendo res dicuntur syncategorem. infinitæ, quia non tot existunt, quin possint existere plures, ita in cognosci res dicuntur syncategorem. infinitæ, quando

non tot cognoscuntur, quin plures cognosci queant. Tum 2. quia hæc ratio Scot. probatur l. d. 2. q. 2. §. *Offensio proposito* &c. Deum int. elligere infinita in actu, nam quæcumque sunt infinita in potentia, ita quod accipiendo alterum post alterum nullum possunt habere finem, illa omnia, si simul sunt in actu, sunt infinita in actu, sed intelligibilia infinita in potentia respectu nostri intellectus sunt simul intellecta a Divino, ergo &c. Tum 3. infinitum categor. quia consequitur rerum actualitatem, si fit in esse, explicatur per non esse tot quin actu sint plura, si in cognosci, explicatur per non tot cognosci quin plura actu cognoscantur, ergo e contra, quia infinitum syncateg. attenditur per nes rerum potentialitatem, si fit in esse, explicatur per non esse tot, quin possint esse plura, si in cognosci, per non tot cognosci quin plura cognosci queant; illud demum explicatur per propositiones de inesse, hoc per propositiones de possibili, ergo ex eo quod Deus non tot cognoscit, quin actu plura cognoscat, deduci non potest, nisi quod infinita cognoscat categor. Tum denique de cogitationibus præsertim nullo modo videtur asseri posse quod sint categor. infinite, quia cum attingatur scientia visionis, quæ terminatur ad rem ut existentem a parte rei, & cum omnis propositio de futuro sit vera ratione alicujus propositionis veræ de presenti, cum tota collectio cogitationum sit futura, plane sicut aliquando verum erit dicere de presenti, tota collectio cogitationum habet existentiam realem, ita nunc erit verum dicere, quod habet existentiam objectivam, & sic erit infinita categor.

101 Resp. hæc omnia argumenta sicut enim præcedens posse retorqueri adamussum de divisionibus continui, quare Adverf. nihil unquam concludent, nisi etiam admittant divisiones continui esse categorem. infinitas in intellectu divino, itaut singulæ partes singulis in divisionibus respondentibus remaneant indivisibiles, & quod ipsi ad hæc argumenta dicent conficta de divisionibus continui nos quoque statim dicemus de multitudine creaturarum in divina mente. Pro solutione igitur harum, & similiarum rationum, valde notandum est, quod docet Canon. lib. 2. Phys. q. 4. Tromb. q. de præsentia Dei, quod signa universalis, ut omnis, quilibet, possunt dupliciter teneri, collective, & divitively, & quod collective sumpta non possunt in materia infiniti adhiberi sine fallacia, quia collectio habet rationem finitionis, & supponit in rebus collectis determinationem, & complementum, quæ penitus infinito repugnant; divitively autem sumpta possunt adhiberi, quia sic supponunt pro aliqua finita multitudine, quo sensu dixit Philof. mundum ab æterno ponens, ante omne tempus fuisse tempus, & ante omnem diem fuisse diem, & sensus est, ante istud tempus fuisse tempus, ante istum diem fuisse diem, nam si *ly omne* sumeretur collective, esset manifesta implicantia, quia extra omne tempus non est tempus, hoc flante. Ad 1. neg. assumptum, quia *ly omne* sumitur collective, verum tamen est in hoc sensu quod divitively nulla potest signari multitudo, quæ Deo non sit cognita, sed quæcumque assignata, remanet adhuc alia signanda Deo cognita, ut dicimus de Divisionibus Continui. Ad 2. locus ille Scot. jam explicatus est ex Tromb. q. 1. a. 1. & illa ratio, nisi bene intelligatur, potest retorqueri contra divisiones continui, unde etiam *ly omnia* debet sumi divitively, quo sensu non concludit, nisi infinitatem syncateg. adhuc tamen ratio Scoti sic explicata probat intentum ejus, sc. infinitatem divini intellectus, quia intellectus intelligens infinitum in potentia, non secundum modum sue infinitatis, qui est accipiendo alterum post alterum, sed totum simul, & semel pereurando in infinitum, adhuc est infinitus, ut idem Scot. docet l. d. 3. q. 2. h. ubi bene explicat, quomodo divinus intellectus infinitum intelligat, ut ratio allata debet intelligi juxta sensum, quem postea docet d. 3. q. 2. ad 3. neg. de mente Scot. in hac re solliciti esse debemus, quia varie locutus est, unde q. 3. Prologi Aa. dixit in mente divina intelligibilia non esse acta infinita, quem frustra Scot. quidam de speciebus explicare conantur.

102 Ad 3. neg. assumptum ex dictis q. 1. ar. 1. utrumque enim infinitum potest explicari per propositiones de inesse, & de impossibili; de inesse, si fit in rebus actualibus, de possibili, si fit in possibilibus, nec per hoc distinguuntur infinitum categorem. & syncategorem. sed per hoc quod de infinitis syncateg. potest solum dici, quod non sunt tot quin adhuc sint plura, & possint esse plura, quantum est ex ratione multitudinis, de infinitis vere categorem., quod sunt tot, quod nequeunt esse plura ex ratione ipsa multitudinis, & sic in proposito res Deo cognitæ sunt solum syncateg. infinite, quia non sunt tot res impossibiles cogitæ, quin adhuc sint plures, & possint etiam esse plures, quantum est ex ratione ipsa multitudinis, licet aliunde id repugnet, ex impossibilitate scilicet aliarum creaturarum. Ad 4. neg. assumptum, & parum refert, quod cogitationes cadant sub scientia visionis, & non simplicis intelligentiæ, nam nec scientia visionis tribuit futuris coexistentiam quandam realem cum æternitate, ut purant Thomistæ, contra quos disputat Doct. l. d. 39 q. 1. nec tribuit illis futuris, quæ pro tota æternitate debebant existere cum continua successione, quod de illis collective sumptis aliquando sit verum dicere, quot tota eorum collectio habeatur, alioquin eorum successio non duraret per totam æternitatem, aut æternitas aliquando finem haberet; sed tantum divitively loquendo de hac, vel illa multitudine cogitationum futura; verum erit aliquando dicere, quod est expleta, & elapsa, & ideo sicut tota collectio erit syncategorematicæ infinita per totam æternitatem in esse reali, talis etiam est modo in esse objectivo, quia a Deo cognoscitur cum tota hac sua potentialitate, quatenus esse possunt, & erunt plures, & plures cogitationes, nunquam tamen actu infinitæ.

DISPU.

Quamvis Arist. 4. Phys. cui hæc disp. respondet de solo corporum loco, quem circumscriptivum appellant, tractationem habeat, & hæc solum sufficeret, si intra limites Philosophiæ Arist. cui pro adequato subjecto corpus naturale stauimus, sistere vellemus, quia tamen Philosophiam etiam secundum totum ambitum suum, quo sensu habet pro subjecto adequato substantiam finitam naturalem, tradere decrevimus, hinc consequenter agendum hic est nedum de loco corporum, sed etiam substantiarum immaterialium, quia hæc quoque dicuntur esse in loco, & locum sibi vendicant, ut ajunt, definitivum, & in hoc attributo essendi in loco cum rebus corporeis conveniunt abstrahendo ac circumscriptivum, & definitivum, & ideo de loco corporum, & spirituum promiscue hic agemus. Neque enim audiendi sunt Recentiores quidam, qui ut hanc nostram methodum condemnent, distinctionem Philosophiæ secundum se considerant, & prout fuit ab Arist. contexta, quam dedimus quæst. proem. reiciunt ut inutilem; ajuntque Angelos etiam, ut mobiles, ad Mater. pertinere, non ad Physicam; tum quia abstrahunt omnino a materia physica; tum quia Physica de rebus solum materialibus agit, & in hoc secernitur a Metaph. Hæc enim omnia falsa sunt; Metaphysica siquidem de rebus immobilibus agit, ut docet Arist. 6. Met. tex. 3. & 2. Phys. 71. & 3. Phys. 8. ubi etiam per hoc physicam distinguit a Met. quod illa res mobiles considerat, hæc vero res prorsus immobiles, non autem quia una consideret res materiales, & alia immateriales: immo removit Arist. substantias separatas a physica consideratione, non quia sint immateriales, sed quia eas possit penitus immobiles, & ideo res omnes corporeas physice considerationi demandavit, quia has omnes possit mobiles & cum mobilitate convertibiles; Quando autem dici solet Physicum considerare res materia immerfas, & Metaphysicum abstrahit; non utique hoc debet intelligi de materia physica, id est de materia partis; tunc enim Cælum non foret physice considerationis, cum sit corpus simplex physicam excludens compositionem in sententia Philosophi, sed intelligi debet de materia, quæ secundum locum mobilis est, de qua Arist. 8. Met. 12. quam habere dicuntur quæcumque motui possunt subici, sive sint materialia, sive immaterialia; quæ omnia fuse declarata sunt præfata quæst. proem.

QUESTIO PRIMA.

Quid sit illud, quod dici solet locus, & cui conveniant munera loci.



Arta solent esse loci acceptiones, nam quandoque sumitur metaphoricè, quo sensu Philof. 3. de An. tex. 6. mentem appellavit locum formarum, id est specierum intelligibilium, & Plato materiam primam locum formarum substantialium quandoque pro loco artificiali, quo sensu vas aut amphora dicitur locus aquæ, & quolibet corpus, quod continet aliud per modum vasis, quia nempe cum eo movetur, dicitur locus ejus, ut aqua locus navis. Hic non loquimur de loco metaphoricè, sed proprie dicto, qui scilicet sit aliquid extrinsecum rei locatæ, & ab eo separabile, neque de loco artificiali, sed physico, qui nempe ita in se recipit, & continet locatum, ut non moveatur cum eo, ita enim loquitur de loco Philosophus 4. Phys. & quia adhuc locus physicus duplex est, & proprius cuiusque corporis, & communis, quale est Cælum respectu omnium inferiorum, sermo est de proprio, non de communi, & etiam neque de proprio loqui intendimus, ut involvit qualitates conservativas, vel destructivas rei locatæ, quo sensu dividitur in naturalem, & violentum, sed de eo præcise sumptum, ut ab omni abstrahit qualitate, & dici solet locus mathematicè sumptus, ita enim etiam de loco disputat Phys. ut notat Doct. 2. dist. 2. quæst. 6. §. Ad quæst. &c. & tandem quia adhuc locus Phys. ita sumptus potest sumi materialiter, & formaliter, id est vel pro ea re, quæ locus dicitur, vel pro ipsamet formalitate loci, quæ rem illam in ratione loci constituit; hic non loquimur de loco pro formali, quæ nec ipse Philof. de loco loquitur in hoc sensu 4. Phys. dum contra antiquos disputat, & in spatium ab eis pro loco positum acriter invehitur, adferens esse potius superficiem corporis continentis, nulla enim inter eos de hoc erat controversia, ut liquet ex tota illa disputatione, omnes siquidem in hoc conveniebant, quod formalitas loci consistat in receptione, & continentia locati, ita constat ex tex. 30. ubi sic habetur, accipimus autem de ipso quæcumque videntur, vere secundum se illi inesse, & primum omnium ait esse statim ipsam continentiam, consensus igitur, locum esse primum quidem, quod continet locatum; Quo igitur ad hoc nullum erat prorsus dissidium inter antiquos Philosophos, & Arist. sed solum erat controversia de re, cui talis continentia, & receptio conveniret, nam antiqui contendebant id esse intervallum inter latera corporis continentis includum, Arist. vero dicebat esse potius ipsam superficiem concavam corporis continentis, quia corpus includum ab hac dicitur ambi, & contineri, non autem a spatio, vel intervallum.

Ex quo consequenter habemus, locum formaliter in respectu consistere ad prædicamentum Ubi spectantem, illa siquidem continentia, quia dicitur locus continere locatum, non est nisi respectus continentis ad contentum, quod Ubi activism appellatur, & quidem locus formaliter non videtur, quod formaliter intelligi possit sine ordine ad locatum, ita docet Scot. quol. 11. per totum. Sed adhuc dubium est, an hæc continentia, in qua formalitas loci consistit, poni debeat actualis, vel aptitudinalis sufficiat, & non est dubium de loco actuali, vel potentiali, de ratione enim loci actualis est continentia actualis, quia tunc actu locus est, cum locatum est ab eo actu circumscriptum, & locatum facit actu distare latera continentis, & pariter de ratione loci potentialis est continentia potentialis; sed dubium est de loco absolute sumpto. Averfa q. 27. a. 1. ait, ad absolutam loci denominationem sufficere continentiam potentialem, capacitate nempe, & aptitudinem ad continentium, nam absolute vacuum dicitur locus carens corpore per hoc lo-

lum, quod est capax corporis, & passim dicimus, rem tendere ad locum, ut ab eo contineatur, ergo continentia actualis non constituit rationem loci, sed potius eam supponit, quæ prius fuit sententia Can. 4. Phys. q. 1. ar. 2. concl. 2. Sed verius est, ad rationem loci absolute constituentiam requiri continentiam actualem, & solum potentialem non sufficere, ut Scot. docet in 2. dist. 2. qu. 6. sub G. ubi hac ratione ait, partem non esse in toto, sicut locatum in loco, ex Arist. 4. Phys. at si potentialis sufficeret pars in toto esset, sicut locatum in loco, quia potest extrinsece ambi, & contineri a superficie concava, per quam in toto continuatur cum alia comparte, quæ continuatio ex Arist. ibi 34. & 44. impedit, ne una pars contenta in alia sit in ea, ut in loco, quia locus, & locatum non sunt continua, sed contigua. Tum quia baculus ex aqua extractus adhuc dici potest esse absolute in aqua, ut in loco, & in aqua locus ejus, quia potest eum recipere, & locare, & tandem Phil. locum absolute definiens plane eum definit per continentiam actualem, non autem potentialem tex. 41. dum vero vacuum dicitur locus carens corpore, hoc intelligi debet materialiter, & per ampliationem, quatenus, id quod est locus, dum continet, est vacuum, dum non continet, quo sensu dicitur Math. 11. Cæci vident, claudi ambulant, id est qui erant cæci, & claudi; & particula carens corpore est particula distrahens a ratione loci, sicut cum cadaver dicimus animal mortuum. Et cum dicimus, rem tendere in locum suum, ut ab eo contineatur, intelligitur de loco potentiali, & dicitur locus ejus, quatenus est receptivus illius.

3 De loco igitur pro materiali, cui nempe convenire debeat hoc munus recipiendi, & continendi corpora, tres extant celebres opiniones dimissalis minoris famæ. Prima tuetur spatium inter latera corporis continentis includum, & a corpore contento occupatum esse locum, quæ quidem sententia licet in eo sensu, quo a quibusdam antiquis ab Arist. relatis, & secutus est Philof. 4. Phys. defendebatur a ponentibus spatium illud ens reale, & positivum, corpus nempe aliquod de genere substantiæ, aut de genere quantitatis, ab omnibus modo fere respuatur (Maslo excepto, qui 4. Phys. cap. 4. sect. 1. qu. 3 inquit, se liberet manibus, pedibusque ligatis in hanc continentiam abiturum; nisi ad oppositum auctoritas Arist. & D. Thom. compelleret) quia præsertim naturaliter daretur corporum penetratio, ut arguit Philof. 4. Phys. text. 8. vocando tamen spatium intervallum illud, vel inane, in quo modo intelligimus esse corpora realia, & quod in vase intelligeretur, si omne corpus ab eo extraheretur, in hoc sensu spatium accipiendo, non modo non reicitur, sed ab omnibus amplectitur Recentioribus, qui dicunt, Arist. rejecisse opinionem de spatio in primo sensu, non autem in hoc secundo, & re vera rationes Philosophi faciunt contra spatium illud dimensionatum, ut notat Doct. quol. 11. art. 2. addunt tamen, ne Arist. omnino contradicere videantur, locum posse, ac etiam debere sumi pro superficie corporis continentis, & in hoc sensu de ipso locum fuisse Arist. distinguunt alii de duplici loco, intrinseco, qui dicitur occupari a locato, & extrinseco, a quo locatum dicitur ambi, & contineri, & spatium inquit esse locum intrinsecum, quia dimensiones, quas imaginamur in eo, cum dimensionibus realibus corporis locati compenetratas putamus, superficiem vero appellant locum extrinsecum, quatenus ab ea locatum ambi, & continetur ab extrinseco, & de hoc inquit locum esse Arist. ita Averfa loc. c. Morif. disp. 5. Phys. q. 1. Amic. tr. 20. q. 3. dub. 2. nu. 16. Vallæ. contr. 23. & probabiliter putant Tol. 4. Phys. q. 3. concl. 4. Conimb. c. 5. q. 1. art. 2. Hur. vero disp. 14. Phys. liberibus absque his thesibus ait, Arist. sententiam nullam pater ejus auctoritatem habere probationem.

Secunda sententia est Arist. cum tota ejus schola, qui ingenue absolute pronuntiavit, non spatium inter latera corporis continentis includum, sed potius latera ipsa, seu superficiem corporis.

continentis esse locum corporis in ea contenti, neque in ullo sensu admittit opinionem de spatio, sed omnino intendit, minus recipiendi, & continendi corpora non nisi superficiei concavæ corporum continentium convenire, quicquid juniores dicant, ut patet ex toto processu 4. Phys.

Tertia sententia, quæ ortum habuit post Arist. tempora docet, locum consistere in situ, quem habent corpora in universo, quatenus singula situm quemdam in mundo occupant, quem præcipue designare solemus per comparationem ad puncta fixa universi, quæ sunt poli, & centrum mundi, sub qua comparatione dicimus, rem esse hic, ut ibi abstractendo a quacumque superficie, quæ opinio tribui solet Damasio, qui fuit Simpliici præceptor, & eidem Simpliicio, ac Aureol. in 2. distinctione 2. quæstion. 3. & sequuntur eam quotquot ex Thomistis rationem loci constituunt in relatione distantie a polis mundi, & a centro, hæc enim est positio, seu situs, de quo loquuntur auctores hujus tertie opinionis, qui dum ajunt, locum in tali positione consistere, nedum de loco pro materiali, sed etiam pro formali loqui videntur.

ARTICULUS I.

Nec spatium, nec situs, quem habent corpora in universo, possunt habere rationem loci.

4 **D**icendum est, rationem loci, nec spatium, quocumque modo explicetur, nec positionem, quam habent corpora in universo in ordine ad polos, & centrum mundi posse convenire. Concl. est contra auctores 1. & 2. sententiæ, & in primis quod spatium primo modo explicatum locus rerum dici non possit, ex eo manifeste patet, quia cum ponatur corpus quoddam trine dimensionatum, non possent in eo cætera collocari corpora sine penetratione, quæ naturaliter repugnat, & de illius etiam corporis loco querendum esset, cum quicumque corpori proprius sit assignandus locus, & si ponatur corpus de genere quantitatis, accidens daretur sine subiecto. Sed quod neque etiam secundo modo explicatum statui possit locus rerum probatur, quia munera loci sunt recipere rem localem, eam continere, & ab ea repleri, sed hæc illi spatio convenire non possunt, quia hæc munera sunt realia, & positiva, & spatium in eo sensu non est quid reale, & positivum, sed purum nihil, ut fatetur hujus spatii fautores, est enim mera negatio repugnantie ad capiendâ corpora, quæ proinde ab ipsis appellatur, capedo quædam negativa, igitur munera illa exercere non potest, & idem erit dicere, rem esse in spatio, ac esse in nihilo, seu a nihilo contineri, & consequenter nullibi esse, cum tamen quod est in alio loco semper alicubi esse dicatur.

Confirm. quia etiam si concedamus, Deum esse in spatiis imaginariis extra Cælum, & terram in vacuo futuram, si Deus destrueret omnia corpora circa ipsam, non tamen concedimus esse in illis, ut in loco, vel ut alicubi, quia re vera non essent in alio, cui localiter præsentent forent, sed tantum in se ipsis; & cum de facto dicimus, hoc corpus esse in spatio, & non in illo, non est constructio transitiva, quasi ly in infinet esse in alio, sed intransitiva, ut sensus sit, corpus est ibi, ubi clausulo quocumque corpore forer vacuum; quod etiam fatetur Suar. in Met. disp. 30. sect. 7. & disp. 31. sect. 1. num. 24.

5. Resp. Aversa ex Molina, & aliis, spatium non esse quodcumque nihil, sed tale nihil, quod dicat illam non repugnantiam ad corpora capiendâ, & sic res, quæ est in spatio, est quidem in nihilo reali, id est non in aliquo ente reali, est tamen realiter in hac inanitate, quæ suo modo apta est continere res locales, non enim res est in spatio quasi objective, ut alio modo positivum, sed coexistendo tali spatio de se inani, & similiter res dicitur esse nullibi, hoc est, non in aliquo loco positivo, sed vere est alicubi, hoc est in aliquo spatio, & eodem modo omnia illa munera recipiendi, & continendi res locales poterunt spatio applicari, imo proprie spatium est illud, quod repleri dicitur corpore superveniente, & ab eo occupari, non autem superficies corporis ambientis.

Sed contra, quia licet admittenda sit hujusmodi negatio tanquam realis, ubi nullum est corpus (quicquid dicat Ariag. disp. 14. Phys. sect. 3. ubi contendit spatium est purum ens rationis fictum ab intellectu) vere enim extra Cælum datur negatio alterius Orbis cum non repugnantia, ut ibi sit, nullo operante intellectu, sicut dantur aliæ negationes reales, cæcitas, tenebra, &c. & res spirituales huic negationi coexistere valeant, res tamen corporeæ ei coexistere nequeunt, cum enim inanitas illa, & vacuitas aliud non dicat, quam negationem corporis cum non repugnantia, ut ibi sit, plane sicut per positionem corporis dicitur inane repleri, ita etiam eo ipso tollitur negatio corporis importata per illud, quia negatio non fiat cum forma, quam negat. Confirm. quia spatium illud, quod modo dicitur repleri a corporibus interjectis inter Cælum, & Terram, est omnino illud idem, quod inane daretur, si omnia ista corpora destruerentur, sed sic est, quod inanitas, & vacuitas, quæ inter Cælum, & Terram remaneret ablatis corporibus, non remaneret illis denuo interjectis, ergo pariter, & nunc nulla vacuitas datur, in qua sint corpora, & nullum spatium, quod modo occupare dicantur, esse daretur, antequam producerentur. Demum spatium, & vacuum sunt idem formaliter, & solum differunt ratione connotati, quod spatium non connotat terminos reales, sed est negatio diffusa sine termino, unde

spatium, quod est extra Cælum, inane dicitur, non vacuum, vacuum vero connotat terminos reales, unde destruetio aere hujus scholæ relicti parietibus, vanum, quod remaneret, diceretur vacuum, sed vacuum formaliter est negatio corporis continentis cum non repugnantia, ut ibi sit, quod ibi positio tollitur talis negatio, ergo similiter & spatium.

6. Resp. Amicus 4. Phys. tract. 21. quæst. 5. dub. 1. artic. 2. negationem constituentem spatium non esse per se, & proprie negationem corporis repletivi, sed negationem repugnantiam ad illud capiendum, quæ manet, etiam si prima tollatur per adventum corporis; cum enim concipiatur, ut receptaculum, & capedo corporis, non debet tolli per adventum ejus, quia recipiens non destruitur per receptum, sed potius perficitur; unde infra subinfert, spatium differre a vacuo nedum ratione connotati, sed etiam ratione formalis significati, quia licet utrumque formaliter negationem dicat, tamen vacuum per se, & formaliter dicit negationem corporis repletivis, & ideo per ejus adventum tollitur, sed spatium per se non dicit talem negationem, esse per accidens interdum eam habeat annexam, ut erat spatium, in quo nunc mundus existit, ante mundi productionem, & modo est extra Cælum.

Sed contra, ostendimus, in corporis adventum tolli utramque negationem, negotio corporis cum non repugnantia ad corpus capiendum per spatium formaliter importata est negatio extra genus, seu extra subiectum, connotans proinde in termino talem non repugnantiam, & aptitudinem, quæ negatio repugnantie ex parte termini se tenens dicitur potentia objectiva, sicut quando se tenet ex parte subiecti dicitur subiectiva, sed potentia objectiva in hoc differat a subiectiva, quod perit in adventu actus, & subiectiva permanet, ergo positio corpore in spatio tollitur nedum negatio corporis, sed etiam negatio non repugnantia ad ibi existendum. Minor patet ex 9. Met. 7. Prob. major, quia esse talis negatio concipiatur a nobis ex parte spatii per modum receptaculi, & capedinis, re tamen vera aliud non est, quam possibilis objectiva corporis, ut ibi existat, sicut determinata capedo aliud realiter non est, quam tanti corporis possibilitas ad ibi existendum, ita enim explicat spatium Scot. quol. 11. art. 2. F. & Suarez disp. 31. sect. 1. num. 12. & Hurt. disp. 14. sect. 2. §. 15. unde dicere, spatium extra mundum posse infinitos mundos recipere, aliud non est, quam posse infinitos mundos creari, ubi nunc nihil est. Quod autem ait Amic. vacuum, & spatium etiam in formali significato differre, est contra omnium sensum, & contra rationem, omnes enim nullam aliam cognoscunt differentiam inter spatium, quod modo extra Cælum est, & illud, quod foret inter Cælum, & terram destructis corporibus intermediis, nisi quia illud in infinitum proceditur, hoc non, sed terminis clauditur, quæ differentia certe non est, nisi penes connotata.

7. Prob. etiam Conclusio quoad alteram partem, quod scilicet situs, quem res obtinet in hoc universo in ordine ad polos, & centrum, dici nequeat locus; quia ut arguit Sampson 4. Phys. quæst. 1. quiescente aliqua columna in aere eodem numero per divinam potentiam potest totus mundus moveri versus unam differentiam positionis v. g. versus Antipodes, aut rareferri, aut condensari, quo casu maneret columna loco immota, & tamen variaretur ordo illius, seu distantia ad centrum, & polos. Nec sufficit dicere, quod retineret columna eandem positionem ad puncta imaginaria; quia cum hæc sint prorsus ficta ab intellectu, non potest penes ea continui locus verus & realis corporum, & plane porus vanum est, & ridiculum, a punctis per imaginationem fixis sumere verum situm corporum, & juxta illa metiri variam eorum distantiam, veram, & realem, quæ sumi debet in ordine ad terminos vere fixos nec non immobiles.

Deinde et contra, si totus Orbis moveretur a Deo per spatium imaginarium servata naturali dispositione elementorum, & corporum, ut nunc jacet, tunc corpora inter Cælum, & terram locum mutarent, & non positionem, nec recurrere juvat ad puncta imaginaria in spatio fixa, a quibus tunc mundus recederet, nam hunc recursum esse vanum veluti puncta illa, jam ostendimus. Immo sequeretur, Solem die 21. Martii, & 24. Septembris non moveri nam cum staret illis diebus sit in Æquinoctio, ejus revolutio tunc temporis sit sub æquatore, & ideo cum eo tempore semper æqualiter distet a centro, & polis mundi, aut mutabit locum non mutata positione, aut prorsus non movebitur. Nec satisfactum dicere, quod licet eandem servet distantiam a centro, & polis, non tamen a punctis Orientis, & Occidentis, quia magis recedit ab uno, & accedit ad illud. Non satisfactum, quia sic recurrit rursus ad puncta imaginaria fixa, quia talia a parte rei non dantur in Oriente, & Occidente.

Denique positioni non conveniunt munera, & attributa loci, quia locus est rei locatæ extrinsecus, & in locante, positio est in re locata; locus continet locatum, illud recipit, & ei est æqualis, non sic positio; locus est terminus mutus localis saltem extrinsecus 4. Phys. 30. & 32. non autem positio, quia hæc distantia a polis, & centro est relatio intrinsecus adveniens, ad quam non est motus 5. Phys. 9. statim enim insurgit positio extremis, ergo locus in tali positione consistere nequit.

8. In oppositum obijciunt 1. ostendendo, spatium non esse quid omnino fictum, sicut chimera, ideoque non magis dici posse res esse in spatio quam esse in chimera, ut arguebat Valq. 1. p. dist. 29. c. 3. licet enim secundum rationem positivam, qua a nobis apprehendi so-

let, sit quid fictum, quatenus negationem corporis in spatio cum non repugnantia, ut ibi fit, concipimus ad modum rei positivæ extensæ, & in ea ad similitudinem corporis realis designamus superficies, & lineas, quæ respondeant superficibus realibus interioribus, & exterioribus corporum realium, quæ ratione consuevit etiam appellari spatium imaginarium; atamen secundum rationem negativam, quam in se habet, præcisò omni opere intellectus, omnino admitti debet, sicut aliæ negationes reales; de facto enim tale spatium est extra Cælum de se inane, est etiam in hoc mundo, licet plenum, ubi enim nunc est corpus palmare, ibi etiam necessario admitti debet tantundem spatii correspondens; nam si talis commensuratio inter spatium, & corpora in eo recepta non foret, dicere possemus, totum Oceanum intra nucem recipi posse, sed non exigit spatium reale, & positivum; alioquin daretur penetratio corporum naturaliter, ergo exigit spatium reale negativum, ita arguit Aversa cit.

Confirm. nam omnia impossibilia habent impossibilitatem respectu tertii, ut patet de contrariis respectu ejusdem subiecti, sed duæ quantitates habent impossibilitatem simul existendi; ergo eam habent respectu tertii, sed hoc non potest esse, nisi spatium, quia respectu superficiei corporis continentis non repugnant simul esse ob indivisibilitatem, & ablata tali superficie adhuc remanet impossibilitas, ergo &c. Demum spatium hoc negativum necessarium est ad motum localem, ergo necessario admitti debet, ubi corpora sunt, ut eorum fiat translatio localis; Prob. assumptum ex Scot. tum in 2. d. 2. q. 6. F. ubi ait, solum inter illa duo Ubi potest fieri motum localem, inter quæ, & spatium interceptum; tum q. 9. prope finem, ubi docet successionem essentialem motus provenire ex hoc spatio.

9. Resp. concedendo spatium reale negativum, ubi corpora non sunt, scilicet extra Cælum, non tamen in hoc universo, ubi modo sunt corpora, quia spatium reale negativum formalissime tollitur per positionem spatii realis positivi, ut tenebra per lucem, non possumus autem dicere, Deum hunc produxisse mundum intra spatium nucis, quia antequam corpus alicui produceretur, vel adducatur, ibi præcederet intelligimus spatium reale negativum corpori locali commensuratum, quod statim tollitur, ac ibi corpus ponitur; Verum tamen est etiam positio corpore in aliquo determinato spatio, nos concipere spatium illud adhuc remanere designando etiam in ipso lineas, & superficies, quæ respondeant dimensionibus corporis locati, sed hæc omnia fiunt per fictionem intellectus, unde, & tale spatium cum corporibus conceptum recta ratione dicitur imaginarium. Ad confirm. negari potest major, quia præter repugnantiam duorum in tertio potest etiam dari repugnantia duorum ad invicem, sic duæ species ultime invicem dicuntur impossibiles, non solum quia coire nequeunt in unam tertiam speciem, sed etiam quia una in aliam transire nequit, possit etiam negari subtilitas minor, dicuntur enim duæ quantitates modo impossibiles simul, quia ambæ recipi nequeunt intra concavum superficiei ejusdem, cujus indivisibilitas solum facit, ut superficies convexa corporis locati sit secum simul compenetrata, non autem ut etiam duo corpora possint ad invicem compenetrari in ipsa inclusa, & ablata tali superficie concava adhuc remaneret extremitas corporis ambientis eo modo, quo explicant negantes in continuo indivisibilia, & respectu ambitus illius adhuc attendi deberet impossibilitas duorum corporum simul. Ad ultimum neg. assumptum, & quando Scot. ait, ad motum localem necessarium esse spatium interceptum, intelligit de spatio reali, & positivo, quod constituitur ex corporibus interjectis inter terminos motus; idque clarissime docet q. 9. Bb. ubi ait, ex divisibilitate, & tantitate spatii pleni modo desumitur successionem essentialium motus, accidentalem vero ex conditione accidentali ejusdem spatii pleni, subtilitate nempe, vel densitate, quare sicut in vacuo sumeretur successio essentialis motus ex distantia terminorum privativa, & tantus motus diceretur ex tantitate corporis inter illos terminos possibilis, sic modo in pleno sumitur successio essentialis ex distantia positiva, & tantitas motus ex tantitate corporis de facto inter illos terminos interjecti.

10. Secundo ex translatione corporum succedentium in eundem locum colligimus locum, sed corpora succedunt in idem spatium, nam ubi nunc est homo, postea erit aer, ergo vere datur spatium negativum habens rationem loci. Deinde locus dicitur illud, quod repleretur a corpore, & in quo quamdiu corpus manet, dicitur esse in eodem loco, & quo mutato dicitur locum permutare, sed hæc omnia spatio conveniunt. Denique si Deus destrueret corpora omnia inter Cælum, & nos adhuc vere essemus in loco, & motus in vacuo factus diceretur localis, non nisi quia partem repleremus illius magni spatii, & per motum partem unam spatii amitteremus, aliam acquirendo, nec alia ratione modo Cælum est in loco, & localiter movetur.

Resp. corpora non succedere in idem spatium, quia adveniente corpore, spatium tollitur, sed in idem concavum corporis ambientis, & ratione illius hoc corpus dicitur esse ibi, ubi erat aliud, & id, quod ratione repleri dicitur, est idem concavum, cum nimirum nihil mane in ipso ipsum relinquatur. Hinc ad 2. neg. assumptum, spatium enim proprie repleri non potest, quia nihil est, & in adventu corporis definit esse: unde etiam falsum est, corpus tandiu manere in eodem loco, quamdiu manet in eodem spatio, quia falsum est, corpus manere cum spatio. Ad 3. in tali casu realiter, & physice nusquam essemus localiter, sed tantum in loco imaginario, *Maffri, & Belluti Tom. II. Physica.*

quod etiam non esset spatium, quia hoc cum corpore impossibile est, sed superficies imaginaria nos ambiens, essemus tamen realiter, absolute, & entitative, ut Scot. docet de Angelo 2. d. 2. q. 6. I. & materia prima d. 2. quæ 2. D. si extra universum ponerentur, qua autem ratione motus in vacuo factus diceretur localis, & realis, & qua ratione Cælum sit in loco, & localiter moveri dicatur, inferius ostendimus.

Tertio huic spatio conveniunt proprietates omnes, quæ loco tribui solent ex communi omnium conceptu, hoc enim proprie continet, & recipit in se locatum, separatur a locato, remanet enim abeunte locato, est etiam illi æquale, & secundum omnem dimensionem commensuratum, & est penitus immobile. Deinde locus, & vacuum idem sunt, solumque differunt, quod locus continet corpus, non vacuum, & Arist. ipse vacuum appellavit locum, sed vacuum omnes concipiunt esse intervallum illud sine corpore; ergo hoc erit locus. Tandem si res corporeæ, & incorporeæ univocantur in ratione effendi in loco, id esse nequit, nisi ponendo spatium locum communem omnium, superficies enim est locus omnino ineptus rerum spiritualium, tamen foret aptus corporalium, neque ullo modo negari potest Angelos coexistere spatio, etiam si de corporibus negaretur, quia spatium, & vacuum non repleretur nisi per corpus, ut Scot. docet quol. 11. & 2. d. 2. q. 6.

11. Resp. spatium tolli per positionem corporis, ut sæpe dictum est, ideoque circa corpus exercere non posse munera loci enumerata, quod si cum corpore permaneret, & adhuc illa obire non posset, cum sint positiva, & modo exerceantur positivo, non reciperet, & contineret corpus, quia cum nihil sit, non dicitur proprie res in nihilo recipi, & vinum dicimus in vase recipi, & a lateribus ejus contineri, non autem in spatio vasis, hoc enim potius concipitur etiam cum vino inter latera vasis contineri, non esse penitus immobile cum corpore locato, quando enim vas movetur, etiam spatium inter ejus latera cogitatum moveri concipimus, & quando etiam dicatur immobile, hoc tamen non erit positive, sicut loco convenire debet, ut dicimus quæ seq. nec esset locato vere commensuratum, quia in tantum illi dicitur commensurari, in quantum in eo ad instar corporis realis designamus dimensiones locati dimensionibus correspondentes, unde hujusmodi æqualitas, & commensuratio mere fictitia est. Ad 2. locus, & vacuum sunt idem quia locus est superficies apta contingere, quæ si nihil continet, dicitur vacuum, unde etiam extra Cælum sit spatium, non tamen dicitur vacuum, sed inane, imo argumentum resorqueri potest, quod sicut vacuum per corporis positionem tollitur, ita & intervallum illud, quapropter non poterit dici locus corporum. Ad 3. possunt Ageli, & corpora univocari in ratione effendi in loco, etiam si superficies sola pro loco statueretur, quamvis enim nequeat Angelicam substantiam circumscriptive continere, potest tamen definitive, ut uberius infra, & quamvis Angeli coexistant spatio, & etiam in spatio esse dicantur, quia hoc non tollitur, nisi per corpus, non tamen dicuntur esse in eo, ut in loco, quia esse in loco est modus effendi realis, & positivus; habitudine enim rei ad locum est, ut ad aliquid a re locata diversum 4. Phys. tex. 3. & 26. & quando dicimus rem esse in loco, est constructio transitiva, sed dum dicimus esse in spatio, est intransitiva, quia non significat esse in alio, sed esse in seipsa absolute, vel ad summum esse ibi, ubi clausulo corpore concipimus esse vacuum.

12. Quarto obijcit Aureol. referente Canon. 4. Phys. q. 1. probans, locum in præfato situ consistere, quia per solam comparationem ad centrum, & polos res dicitur esse hic, aut ibi, quæ sunt adverbia localia, id est a loco desumpta, ita ut si varietur continens, & quodvis aliud, maneat autem eadem positio in ordine ad universum, semper res erit in eodem loco, ut patet de turri flante vento, hac enim ratione dicitur esse in eodem loco, quia semper retinet eandem distantiam ad polos, & centrum, ut etiam fatetur Scot. cit. in 2. F. e contra vero maneat idem continens, & variatur positio, dicitur variari locus, ut aqua in fluvio simul cum cymba dilabens, eamque circumdans, & si eadem sit, & perseveret, cymba tamen dicitur continuo variare locum, quia variat distantiam ad res in universo. Accedit, quod sursum, & deorsum aliæque loci differentie positioni conveniunt, imo per positionem conveniunt loco, locus enim ille dicitur sursum, qui Cælo appropinquat, & ille deorsum, qui centro, at illa sunt eadem essentialiter, quæ habent eandem differentiam, ergo, &c.

Resp. quia modo centrum, & poli statuuntur immobiles, ideo ex comparatione ad ea rem dicimus esse hic, vel ibi, & in hoc sensu loquitur Doct. cit. hoc tamen non est per se, sed omnino per accidens, quia casu, quo Deus Cælum impelleret versus unam partem terra immota, adhuc turris, & urbes essent in eodem loco, ut nunc, & tamen non retinerent eandem distantiam a polis, & eundem situm in universo; & e contra, si cum flumine, & cymba totus etiam decurreret Orbis, ita quod eandem semper cymba servaret distantiam ad res circumstantes, & totum universum, adhuc diceretur localiter moveri, ex eo autem, quod mere accidit, non debemus attendere formales rerum rationes. Hinc ad 2. dicimus, differentias illas sursum, & deorsum mere accidere loco, quia si Deus destrueret centrum, & Cælum, & columna maneret eodem aere circumdata, vere dicitur esse in loco, & concavum aeris illius esset proprie locus, nec tamen foret sursum, aut deorsum, quia ex hypothesi non esset nec Cælum, nec centrum, penesque locus dicitur sursum, vel deorsum.

Ostenditur, solam superficiem corporis continentis esse vere, & proprie locum.

13 Dicendum est, nomine loci simpliciter, & absolute intelligi debere superficiem ultimam corporis continentis primo, & immobiliter: ita Arist. 4. Phys. quem sequuntur omnes veri Peripatetici, & Classici Doct. Angl. 4. Phys. sect. 6. & Subtilis loc. cit. cum suis, & probatur ex impugnatione aliarum opinionum; nomine enim loci omnes intelligunt aliquod extrinsecum, quod contineat, sit receptaculum rei locatae, nihil enim aliud significari videtur per hoc, quod res est in loco, quam habitudo ad aliquod extrinsecum continens; sed excluso corpore circumscripto nil aliud remanet, quod talibus fungi posset numeribus, & talem habitudinem rei locatae terminare, ergo &c. Prob. minor, quia dum locatur corpus, non remanet spatium negativum, & si remaneret, ineptum omnino foret ad munera loci, nec proprie corpus esset in eo, ut in loco, nec ratione eius revera posset dici alicubi existere, ut probatum est, sed neque etiam ipsum ubi passivum, quod proprie est terminus motus localis, nec situs, aut positio, quomodocumque explicentur, possunt id munus obire, quia haec omnia sunt intrinseca, & inherencia rei locatae, ac proinde non se habent, ut receptaculum eius, sed potius ipsamet res locata ea in se recipit, & continet, ergo &c. Accedit, quod ut constat ex seq. q. proprietates omnes, & attributa, quae loco tribui solent, commode superficiei corporis continentis applicentur, ergo &c. Denique Ecclesia ipsa loci significatum proprium in hoc sensu accipere videtur, cum inscriptionem illam posuit in Laurentiana Domo, *Sanctior in toto nullus est Orbis locus*; per locum enim utique non intelligit spatium illud ad Litrus Adriatici sinus in Piceno, quo ab Angelis est abportata, sed superficiem continentem sacri illius Cubiculi, ubi Verbum in utero Virginis factus est homo.

14 In oppositum obicitur i. communis quidem, sed satis molesta difficultas, quia si superficies esset locus, posset res immota manens mutare locum, flante enim vento mutantur continuae superficies turrim ambientes, ipsa & proprio loco non egrediente, quia semper habet eandem distantiam, & propinquitatem cum rebus, quam antea habebat, quae tamen variari solet ad mutationem loci. Si dicas cum Thomistis esse in eodem loco, quia superficies aeris succedentes turrim continent in eadem distantia, Hoc non juvat: tum quia ut ait Scot. cit. in 2. D. si subiectum, quod est superficies non manet idem, nec consequenter distantia super ipsam fundata manebit eadem in succedente, cum non migret accidens de subiecto in subiectum; tamen quia terra servata immota posset Deus versus Antipodes Coelum premendo variare distantiam ad polos; & tamen turris maneret in eodem loco variata superficiei. & distantia; tum quia sic dicendo, jam non superficies, neque contentia, sed distantia illa, & ordo ad polos, & centrum erit locus, quia tamen variatur superficies, & contentia, manente tamen eadem distantia a polis, & a centro, dicitur res in eodem loco manere. Si dicatur cum Scotis turrim remanere in eodem loco per aquivalentiam, quatenus superficies succedens continet turrim cum ordine ejusdem rationis ad universum, est in eodem numero: Hoc etiam non juvat; tum quia hoc solum salvat turrim accipere locum priori similem, sed non salvat locum non esse mutatum, sicut ex hoc, quod in Ecclesia Gregorio successit Urbanus in eodem officio Pontificatus non propterea dicimus, Pontificem non fuisse mutatum; tum quia dicere, turrim eo casu manere tantum in eodem loco per aquivalentiam, & non simpliciter, est aperte fateri, turrim simpliciter moveri, quod tamen est contra sensum; tum quia casu quo reliquae Orbis partes moverentur, turri sola excepta, tunc nec eadem numero, nec eadem specie, seu per aquivalentiam distantia maneret a rebus, unde in nullo sensu posset dici manere in eodem loco, ubi prius erat.

15 Resp. ex Scot. cit. lit. F. negando assumptum, ad probat. dicimus, quod licet circa turrim superficiei praeced. succedat alia numero diversa secundum veritatem, tamen est eadem illi per aquivalentiam non quomodocumque, & ut communiter explicari solet, sed est eadem illi per aquivalentiam, quantum ad motum localem (inquit Doct.) nam ita impossibile est localem motum esse ab hoc loco in hunc locum, id est ab una superficie recedente ad alteram ei immediate succedentem, sicut si esset omnino idem locus numero, unde subdit Doct. terminos, inter quos fieri debet localis motus ab uno in alium, non solum numero, sed etiam specie differre debere propter spatium interceptum, & alium respectum habere non tantum numero, sed etiam specie ad totum universum, ex quo colligitur, ad motum, vel mutationem localem non sufficere varietatem loci numeralis, quia haec esse potest sine spatio intercepto inter animum, & alium locum, sed necessario requirit diversitatem specificam, quae arguitur ex spatio intercepto, unde absolute dicendum est, turrim in eodem loco manere, & si variatur superficies circa ipsam, quia ut mutaretur locum, exigeretur quod continuo acquireret superficies in ratione loci specie diversas, quod esse nequit sine spatio intercepto; quae responsio valet etiam in casu, quo reliquae partes Orbis moverentur, sola turri excepta, adhuc enim inter superficies aeris sibi succedentes impossibilis foret localis motus, quia nullus inter unam, & aliam daretur spatium interceptum, quod tamen omnino necessarium est inter

duos terminos, ut ab uno in alium possit fieri motus, & haec est per se ratio, quam Doctor assignat loc. cit. cur turris in eodem loco esse dicatur, & si circa ipsam variarent superficies, illam vero, quod scilicet sit in eodem loco, quia superficies nova continet in eadem distantia ad universum, sicut prior, assignat, ut rationem per accidens, & ut de facto valentem, quando poli, & centrum sunt immobiles.

16 Dices, vel turris variata superficiei habet eundem numero locum, quem prius habebat, vel non; si primum, ergo superficies continens non est locus, quoniam variata superficiei permanet idem numero locus; si non; ergo est mutata localiter, quia localiter moveri est rem aliter se habere nunc, quam prius in ordine ad locum. Resp. licet variatio superficiei circa turrim sit aliqua mutatio, & non nisi ad praedicamentum Ubi pertinet, tamen nequit dici mutatio localis, quia haec non est, nisi inter terminos specie diversos, & tales non sunt, nisi quando inter eos spatium interjicitur, & hoc verum est medium juxta commune vulgi conceptum, sed etiam Philosophorum, qui ideo localem motum appellant motum lationis, quia inter terminos ejus spatium interjectum exigitur, translatio enim corporis concipi nequit, nisi a termino ad terminum, inter quos sit medium spatium, unde ad hoc ut corpus dicatur localiter moveri, non sufficit, quod aliter se habeat quo ad locum quomodocumque, sed aliter se habere debet per sui translationem, hac enim ratione dicitur motus lationis, imo absolute negari posset, quod turris aliter se habeat quoad locum, quia loci variatio proprie dicta fit per acquisitionem novi loci a priori specie diversi, & ad hoc prorsus materialiter se habet diversitas numeralis, ita quoque respondent Canon. cit. Sampson. 4. Physic. q. 2. Tatar. 4. Physic. q. 1. art. 2. Bassol. 2. d. 2. q. 3. & sequuntur Comb. & alii.

Sed iterum dices, hac ratione navim in flumine decurrentem semper fore in eodem loco, quia superficies continentes, quas successive acquirit, ita sibi immediate succedunt, ut inter unam, & aliam non sit spatium interceptum, & ita omnino se habet, sicut superficies circa turrim succedentes. Resp. neg. assumptum cum probatione, nam tale spatium interjicitur inter superficies in flumine circa navim succedentes, quale non est inter superficies aeris circa turrim, & hoc deprehenditur modo ex distantia ad universum, quia superficies aeris circa turrim semper eam continent in eadem distantia, aquae vero superficies circa navim semper est diversa quantumvis sibi immediate succedat.

17 Secundo prob. e contra, quod si superficies sit locus, poterit res localiter moveri eundem retinendo locum, quod implicat; ponatur enim, quod cymba per Tyberim decurrens hinc Romam versus continuo ambiat: eisdem aquae partibus, cum Romam pervenit adhuc in eodem loco dicitur, quia eandem retinet superficiem, idemque foret de vase aquae hinc illuc translato, quod tamen omnino incredibile est, sicut enim in praeced. argumento erat paradoxum dicere, quod turris flante vento locum mutet, quia semper eandem distantiam servat, vel propinquitatem cum rebus, quam antea habebat, ita in proposito paradoxum est dicere, praefatam navim, postquam pervenit Romam cum eadem superficiei aquae ambiente, locum non mutasse, cum eandem non habeat distantiam, & propinquitatem ad res universi, quam antea habebat, cum erat apud nos, talis enim distantia variari non solet eodem loco manente. Nec sufficit dicere, aquam in amphora non esse, & navem in aqua currenti, ut in loco, sed ut in vase, sicut universaliter evenit, quando contentum movetur cum continente, ut docet Aristot. text. 41. unde fit, ut sicut vas movetur per se, vasatum vero per accidens, ita vas acquirit locum per se, vasatum per accidens, & sic in casibus allatis aqua in vase hinc Romam translato, & cymba per ansem, postquam pervenit Romam, locum mutasse dicitur per accidens tamen, quia non superficies ipsam immediate ambiens est locus, sed etiam superficies aeris vas continentis, vel aquae cymbam deferentis; Hoc parum juvat, tum quia navis, postquam pervenit Romam, & aqua in vase hinc Romam translato, & si dicatur mota per accidens, hoc est motum alterius, puta aqua ad motum vasis, adhuc tamen Romae existens cum vase proprio habet ubi Romanum distinctum ab ubi vasis, ergo ex hoc capite per se, & non tantum per accidens mutavit locum; tum quia accedere potest quod vas moveatur ad motum vasis, ut quando vesica arena plena in flumen projicitur; tum enim vesica deorsum movebitur ad motum arenae, & arenae intimum fluminis delata, ex responsione allata, non diceretur mutasse locum, nec per se, quia immediate novam superficiem non acquirit, nec per accidens, quia non movetur ad motum vasis.

Resp. neg. Assumptum cum probat. cymba namque cum Romam pervenerit, in eodem loco non erit, quia superficies aquae ipsam immediate circumdans non habet rationem loci, sed vasis, ut ibi dicebatur, sed erit in diverso loco ratione totius ex aqua currente, & cymba constitui, quod per se movebatur in flumine, & successive alias, & alias superficies alicui acquirere, & continentias species differentes ob spatium interceptum; & idem dici debet de aqua in vase ex uno in alium locum translato; Nec instantia de vesica arena plena id infringit, quia id, quod per se moveretur, & locaretur in eo casu non esset arena, sed totum illud constitutum ex arena, & vesica, sicut modo in homine vestito id, quod per se primo movetur, & locatur, non dicitur esse hominem praecisus vestibus, sed constitutum ex corpore, & vestibus, hoc enim

totum consideratur, ut unum quid in ordine ad motum, & locum & sic in proposito arena erit in alio loco, non per se, quia modo non habet rationem totius, sed per accidens, ratione totius constantis ex continente, & contento.

18 Tertio, si locus est superficies, multa sequuntur absurda; primum, idem corpus in pluribus locis naturaliter esse, palus enim in fluvio fixus simul, & semel ambitur superficibus terrae, aquae, & aeris. Secundum, ultimam sphaeram non esse in loco, cum nulla superficiei circumscribitur. Tertium, Christum Dominum esse sub speciebus tanquam in loco, ambitur enim superficiei specierum. Quartum, solam superficiem connexam corpori, non autem corpus ipsum esse in loco, nam superficies loci in tantum continet locum, in quantum ipsum tangit, sed non tangit locatum, nisi secundum superficiem. Resp. neg. Sequelam, primum enim, & secundum nullum est absurdum, quia secundum varias partes palus ille est in diversis locis partialibus, non vero totalibus, & ultima sphaera in hoc sensu non est in loco: ut mox dicemus. Tertium non sequitur, quia hic loquimur de superficiei ita continentem locatum, ut ei commensuratur, quo modo Christus non ambitur a superficiei panis, cum sit totum in toto, & totum in qualibet parte. Nec etiam quartum, quia locatum non est in loco ratione superficiei connexae, ut superficies est praecise; id est ut est latitudo sine profunditate, sed ratione superficiei, ut est terminus totius profunditatis ante se, quod autem accidit superficiei sic sumptae, toti corpori accedere dicitur, sic corpora dicimus, se tangere, cum tactus fiat solum in superficibus; hac igitur ratione etiam corpus erit in loco, & locus tangens superficiem solum locati, totum corpus tangere dicitur.

Quarto, locus est id, ad quod corpora tendunt, ut in eo conserventur, sed corpora non moventur ad ultimam superficiem corporis continentis, quia gravia non dicuntur tendere ad ultimam superficiem aquae, sed ad centrum terrae, in quo reperitur intervallum, ablata enim aqua, & omni vis superficiei, adhuc ad centrum tenderent, nec corpora conservantur in superficiei ambiente, quia sola quantitas talem vim non habet, ergo, &c. Accedit, quod quando etiam superficies concederetur esse locus corporum, nequaquam tamen posset poni locus substantiae spiritualis, quia haec per suam locationem nullum abruptum corpus, nec facit distare latera continentis, ut intra superficiem ejus recludatur, & contineatur, ergo &c.

19 Resp. in primis neg. majorem, quia non est de ratione loci, ut hic de eo loquimur, conservare locatum, immo id inere illi accidit, ut docet Scot. cit. litt. H. & postet etiam negari minor, quamvis enim superficies, ut est latitudo praecise sine profunditate, vim conservandi non habeat, tamen ut est terminus profunditatis ipsius corporis circumscriptibentis, per quem tangit, & continet aliud, potest utique ad hoc inservire, quatenus corpus continentis medio contactu per superficiem factum communicat locato qualitates ei proficias, unde quando aliquid continetur ab ultimo illius, quod natum est ipsum salvare, dicitur esse in loco naturali, ut ait Doct. cit. & certe pices in aqua conservari dicuntur, & esse in loco naturali, quia e tali corpore continentur, & non quia tale spatium occupent. Nec videtur, qua ratione spatium, quod est mera negatio, potius habeat talem vim conservativam, quam superficies; quod si dicatur, ratione illius esse tantam distantiam a Coelis, ex quorum influxu, ac a temperatione oritur conservatio locati, praeterquam quod non datur ubi corpora sunt, eadem ratione poterit unum corpus aliud intra se conservare, ut aqua pices in determinata distantia a Coelis. Sed dices, centrum, ad quod gravia tendunt, non est superficies, sed punctum universi. Resp. dum centrum dici solet locus terrae, & gravium, certe per centrum non intelligitur punctum illud aquae distans a circumferentia ultimae sphaerae, sic enim aequae bene concluderet argumentum contra spatium, & contra superficiem, sed intelligitur ultima superficies corporis ipsam continentis in summa distantia undequaque a Coelo, qualis modo est superficies aquae; locus enim naturalis terrae est sub aqua, & aere, unde semper descendit, donec sub his elementis constituatur, & eadem ratione gravia dicuntur ad centrum tendere, id est ad superficiem corporis ipsa continentis in summa distantia a Coelo, & ablata aqua, & aere, terra existens in concavo lunae non descenderet; neque hoc mirum esse deberet Aversa in praesenti, cum etiam ipse inferius qu. 27. sect. 8. concl. 3. id asserat, ea ratione, quod gravia, & levia in tantum sua virtute moventur, in quantum gravia petunt esse sub levioribus, & levia supra graviora.

Ad alterum dicimus ex Scot. cit. ad 2. quod superficies corporis continentis naturaliter locat corpus definitive, & circumscriptive; definitive quidem, quatenus corpus est ita infra hanc superficiem continentem, ut nihil ejus sit extra; circumscriptive vero quatenus est ita illi commenturata, ut tota toti correspondeat loco, & singulari ipsius partes singulis illius partibus; quamvis igitur quoad secundum continentem modum non possit superficies Angelum continere, potest tamen continere primo modo; habet enim Angelus certum terminum suae spae localis, ubi signari potest in circuitu certa superficies, ad quam pertingat, ne ulterius progrediatur, & dici ita infra hanc superficiem contineri, ut nihil ejus sit extra, potest enim locari v. gr. intra hoc gymnasium, ita ut pertingat ad extremos usque parietes, & non ulterius, & in hoc sensu potest dici intra superficiem recludi, de quo infra.

20 Locum definit Philosph. 4. Phys. 41. per superficiem, dicens, quod est *ultima corporis continentis immobilis primum*, vel ut Latini legunt, *est terminus primus continentis immobilis*, quae definitio pro majori notitia essentiae loci hic est examinanda, non enim una est omnium sententia quomodo Arist. definiat locum per superficiem, continentiam, & immobilitatem. Quidam enim docent, superficiem in hac definitione stare loco generis, continentiam vero, & immobilitatem rationem habere differentialem, ita Tolet. 4. Phys. qu. 4. Scotus qu. 1. concl. 4. Comb. qu. 1. art. 2. & Faber Theor. 47. cap. 2. Alii e contra docent, superficiem in hac definitione se habere per modum subiecti, continentiam vero, & immobilitatem per modum formarum subiectam illud determinantium, ut locus formaliter denominetur, sic Ruvius 4. Phys. tract. de Loco qu. 2. Compl. disp. 19. qu. 4. Avic. tract. 20. qu. 4. dub. 3. art. 3. ubi etiam explicat, locum primo significare superficiem, & secundario continentiam, & immobilitatem, ita ut formale, & principale significatum loci sit superficies, connotatum vero, & materiale, seu additum sit contentia, & immobilitas, quod etiam velle videtur Ruvius cit. Faber 6. Met. disp. 17. cap. 1.

Attributa vero loci recentatur a Philosopho tex. 30. & alia quadam ex eis deducuntur, quae omnia enumerat Sampson 4. Phys. qu. 1. sunt autem, continere locatum, esse illi aequalem, esse a re locata separabilem, &c. sed insigne quoddam attributum loci est immobilitas localis, quae magnam ingerit difficultatem in sententia Arist. asserentis, locum esse superficiem, ipsa enim experientia docet, superficiem continentem aeris, & aquae facillime circa corpora contenta moveri, unde valde insulant Peripatetici, ut superficiei immobilitatem ostendant.

ARTICULUS I.

Loci definitio ab Aristotele tradita explicatur.

21 Dicimus, locum bene definiti, quod sit *ultima corporis continentis, immobile primum*, & per superficiem definiti veluti per subiectum, non vero tamquam per genus, Concl. colligitur ex Scoto loc. cit. & Prob. 1. in generali, deinde speciatim discurrendo per singulas definitionis particulas, ut enim ex Log. liquet, duplex definitionum genus assignari solet, altera per genus, & differentiam, & dicitur quiddam definitio, altera per subiectum, & formam accidentalem, & dicitur per additamentum data, primo modo definiuntur res habentes conceptum per se unum unitate absoluta, qualia sunt omnia entia absoluta, quae dicunt unam naturam compositam absque connotatione alterius, secundo modo definiuntur res habentes conceptum compositum per se unum unitate connotativa, qualia sunt omnia entia, in quorum integro conceptu utique plura includuntur, sed quia sunt diversorum generum, vel non apta facere per se unum, non includuntur aequae per se primo, quia tunc entia per se non forent, sed potius aggregata per accidens, quae plura dicunt diversa rationis, ut plura sunt, id est aequae principaliter, sed unum dicunt primario, aliud secundario, quae subordinatio conceptuum salvat unitatem entis connotativi. At locus est ens secundi generis; tum quia est concretum accidentale, etiam substantivae prolarum, praedicans in recto de corporibus locantibus, ut dicendo, ignis est locus aeris, & omne tale est ens connotativum; tum quia non dicit conceptum simplicem, sed compositum, ut constat ex ejus definitione, & quidem ex rebus diversorum generum, nam superficies ad quantitatem, contentia vero spectat ad praedicamentum Ubi, atque ideo non aequae primo importare potest, ergo cum hujusmodi entia connotativa, & praesertim accidentalia per subiectum habeant definiti, ut docet Arist. 7. Met. cap. 13. optime definitur locus, quod sit ultima superficies corporis continentis, &c.

Ex quo patet falsitas dicentium, locum definiti per superficiem, tamquam per genus; tum quia tali genere definitionis non definitur concretum accidentale; tum quia differentia contrahens spectat ad idem praedicamentum cum re contracta, contentia vero, & immobilitas non spectant ad praedicamentum quantitatis, in quo est superficies; tum quia superficies, linea, & corpus, ut ibi diximus, sunt species infimae non contrahibiles, nisi per differentias individuales; tum quia potest Deus facere superficiem sine omni contentia, & eam sic conservare, non tamen genus sine omni differentia; tum tandem quia de se constat, superficiem respectu contentiae, & immobilitatis potius se habere, ut genus physicum, seu subiectum, quam metaphysicum, quia eidem numero superficiei adest, & abest contentia, & immobilitas praeter ejus corruptionem.

22 Hinc etiam patet falsitas dicentium, locum primo significare superficiem, & secundario continentiam, ita quod formale, ac principale significatum loci sit superficies, connotatum vero, & materiale sit contentia; tum quia cum Philof. 7. Met. cap. 13. manifeste dicat, concretum accidentale per subiectum definiti, tamquam per additum, plane si locus definitur per superficiem

ficiem, velut per subiectum, ut etiam tenet Amicus, erit additum, & materiale, non autem formale, & principale loci significatum. tum quia concretum, universaliter loquendo, de principali dicitur formam, & connotat subiectum, ut in Log. dictum est. disp. 2. quæst. 6. art. 2. tum tandem, quia si primitas significatorum attendi debet ex primitate impositionis, & communi usu loquentium, ad quod scilicet significandum sit per se primo nomen impositum, ut Scot. docet in 4. dist. 1. qu. 2. & Amicus ipse fatetur, non utique ad significandam superficiem nomen loci est impositum, nam antiqui Philosophi nomen loci agnovērunt, nec tamen unquam nomine loci superficiem ambientem corpus conceperunt, potius ergo illud per se primo significat locum, quod omnes concipiunt in huius nominis prolatione etiam ipsi Veteres, id autem solummodo est respectus continentia, quia omnes concipiunt, locum formaliter esse id, quo res locari dicitur, & contineri; formalis autem ratio, quia corpus dicitur locari, & contineri, non est superficies, non spatium, sed præcise respectus ille, neque de hoc ullum unquam fuit diffidium inter Veteres, & Aristot. sed tantum de subiecto, & fundamento huius respectus, afferentibus illis esse spatium, & Arist. superficiem.

Ex hoc tandem inferitur, nec etiam immobilitatem includi in conceptu loci, tanquam rationem formalem constitutivam ejus, aut principale significatum, sed tantum veluti connotatum, quatenus continentia localis, ut a continentia vasis distinguitur, fundari potest in superficie immobili, non est ratio formalis constitutiva loci, quia in ratione formali conveniunt vas, & locus per Aristot. 5. Phys. 41. & solum ratione connotati differunt, quod postea declarans specificat differre ratione mobilis, & immobilis, quia vas est locus mobilis, locus vas immobile, sed nec etiam dici potest primarium loci significatum, nam ex communi conceptu locus concipitur ut aliquid continens aliud, nec expresse in eo concipitur immobilitas, immo a vulgo ignoratur, locum debere esse immobilem, vas enim appellat locum aquæ, dolium vini, nec tamen ignorat, locum debere recipere, & continere locatum, ergo ratio formalis, & principale significatum loci est continentia, & quidem actualis, ut quæst. præced. initio dictum est, nam aptitudinalis ab ipsa superficie non distinguitur, superficies vero immobilis est connotatum, & materiale, super quod fundatur respectus continentia activæ, arque ita ratione principalis significati erit locus in prædicamento Ubi, ratione connotati in prædicamento quantitatis, ut dictum est in Log.

23 Deinde speciatim Probat. definitio loci tradita discurrendo per singulas ejus particulas; dicitur *ultimum extremum, aut terminus continentis*, quia ut notat Doct. 2. dist. 2. q. 6. D. corpus continens non ambit, nec locat immediate secundum partes, sed secundum ultimam, & indivisibilem superficiem: divisibile enim secundum illam dimensionem, secundum quam est divisibile, non potest immediate esse applicatum alicui ut continens ipsum, sed præcisum continens alicuius est indivisibile, ut fufe contra Nominales probatum est disp. 9. q. 2. art. 2. quia vero tale indivisibile per se non existit, sed semper in aliquo divisibili, cujus est terminus, hinc istum præcisum continens dicitur ultimum, & extremum alicujus corporis, & si daretur superficies concava a corpore separata, non minus locaret, quam modo. Ex quo patet, falsum esse, quod ait Averfa qu. 27. sect. 1. in explicatione huius particula, ubi inquit, per huiusmodi terminum, & ultimum non intelligi necessario debere superficiem, sed extremitatem corporis eo modo, quo concipitur præcisus indivisibilis. Nam implicat omnino, divisibile ex ea parte, qua divisibile est, esse ita immediate alicui applicatum, ut sit continens ipsum, cum enim ista applicatio fiat medio contractu, & contractus fieri nequeat nisi per indivisibilia, ut loc. cit. demonstratur, sequitur, divisibile ut sic, non posse habere rationem loci, qua ratione refellitur etiam error eorum, qui locum appellant absolute ipsum corpus ambiens, & continens aliud, ut Acerb. lib. 3. Peripater. qu. 9. hoc enim nequaquam dici potest, etiam si corpus ambiens locus dicatur, quatenus media superficie continet, tum ob rationem allatam, tum quia ita loquendo possemus absolute pronunciaré, plura esse in eodem loco, ut omnes pisces, quia sunt in aqua, & omnes aves, quia sunt in aere, at hoc recte dici non potest, quia hic definitur locus primus idest immediatus, & proprius, non vero communis, & remotus, qualis est tota aqua respectu cujuscumque piscis, & totus aer respectu cujuscumque avis, & ideo sola ipsa superficies corpus immediate circumdans debet dici locus, non vero totum corpus continens.

Secundo dicitur *ultima superficies corporis continentis*, & non potius superficies continens in recto, non quidem ut putat Averfa, ad denotandum, non omnem superficiem continentem esse locum, sed debere esse superficiem corporis continentis, nam nec superficies propria sui corporis, nec superficies aliena (ait Averfa) si esset a corpore continente avulsa, debet dici locus. Non hac ratione dicitur *corporis continentis*, quia ut docet Doctor, ultimitas illa non est de ratione loci, quia si superficies concava posset per se esse, & se sola ambire locatum, ita bene locaret, & locus dici deberet, sicut modo, nec aliquid ei deesset, ut locus diceretur, quia omnia munera loci circa locatum exerceret; illud enim reciperet, ambiret, illi æqualis esset æqualitate continentia; & si dicas cum Averfa, hoc ipsum deesse, quia non est superficies corporis continentis, hac est petitio principii, dicimus enim id necessarium non esse, & de facto ita

esse, quia de facto non datur superficies continens a corpore separata.

24 Ex quo constat, etiam falsum esse quod ajunt Compl. qu. 2. n. 30. locum dici ultimam superficiem corporis continentis, & non continens in recto, quia est id, quod continet, sed quo corpus locans continet. Quia cum præcipuum loci munus sit continere locatum, in tantum, quod formalitas ipsa loci in tali continentia consistit, immerito negatur superficiem, quæ locus est, posse dici in recto continere locatum, immo id manifeste docet Arist. 4. Phys. tex. 30. ubi ait, locum esse id, quod continet locatum in recto, & quamvis modo sit corpori locanti ratio continendi, & veluti ut quo, inde tamen non sequitur, quod absolute considerata nequeat dici continens ut Quod, sicut anima, quamdiu est conjuncta corpori, dicitur homini ratio intelligendi, ita tamen ut absolute considerata dici possit intelligens ut Quod, unde inquit Doct. quod si esset superficies a corpore locante separata, non minus poteretur ratione loci, quam modo.

Soto 4. Phys. qu. 1. art. 2. & Perer. lib. 11. cap. 1. docent, quod locus dicitur superficies corporis continentis, & non potius continens, quia quod continet aliud, debet esse extra, & circa contentum, qua ratione dicitur continens esse majus contento, & ideo cum superficies extrema continentis coexistat, & compenetretur cum extrema locati, ideoque non fit major illa, sed omnino æqualis, & non extra, aut circa locatum, sed potius intra; hinc est, quod licet superficies concava dici possit locus, quia hic utique debet esse æqualis locato, non tamen proprie dici potest continere locatum, ob rationes allatas, sed id convenit corpori, cujus est superficies, hoc enim ratione molis suæ, & superficiem convexæ dicitur esse majus locato, & esse extra illud in circuitu. Sed neque id rationaliter dicitur; tum quia ut modo probatum est, potest superficies etiam in recto dici continere locatum; tum quia licet superficies concava locantis compenetrata sit cum convexa locati, adhuc tamen eorum locatum dici debet, & circa illud, quia locatum non est ipsa superficies convexa corporis, sed totum ipsum corpus, licet locari dicatur media superficie suæ convexa, ut dictum est qu. præc. art. 2. ad 2. tum quia non est de ratione continentis esse ita extra contentum, ut neque etiam sit illi contiguum, nec illud tangat; immo Philosoph. tex. 43. dixit, partes ejusdem corporis se invicem continere, sicut neque absolute necessarium est, ut sit majus illo, sed tantum ita de facto contingit, quia superficies continens est conjuncta cum corpore, quod est majus locato, & majoris ambitus per superficiem convexam, quod si separata foret, tunc utique continens non esset majus contento, sed potius æquale, quatenus superficies continens, & convexa contenti non facerent majorem extensionem, quam si una tantum foret superficies, quia indivisibile additum indivisibili non facit majus.

25 Sed dices, continens est majus contento, quia si ambo essent æqualia, non esset ratio, cur unum potius esset continens quam alterum, ergo superficies corporis continentis se sola remanens circa contentum non potest vere dici illud continere, nec major posset assignari ratio, cur hæc superficies, & non potius convexa locati sibi correspondens dici debeat locus, cum sint æquales. Respondeo adhuc esse majorem rationem, quia ad hoc, ut unum aliud continere dicatur, non sufficit quicumque contactus, sic enim utique non magis unum dici posset continere, quam contineri, sed id, quod continet, debet circumambire, & intra se includere contentum, ita ut sit verum dicere, ut notat Doctor. cit. in 2. ad arg. hoc contentum est ita infra hanc superficiem, ut nihil ejus sit extra, & cum id adhuc dici possit cum veritate de sola superficie concava manente in ordine ad corpus intra ipsam manens inclusum, consequenter adhuc manet ratio, quare hæc superficies potius continens dicatur, & non illa; immo etiam de facto hæc est ratio, cur superficies concava continentis continere dicatur, & corpus mediante ipsa; illa autem majoritas molis corporeæ est potius ratio per accidens, cur unum corpus potius dicatur continens, quam contentum.

Itaque dicitur ab Arist. locus *ultima superficies corporis continentis*, primo, quia de facto non datur talis superficies, nisi in corpore, & ideo semper est ultimum corporis continentis, ut notat Doctor. Deinde quia sicut ratione superficiem convexæ corpus locatum dicitur contineri, ita ratione concavæ corpus locans dicitur continere, quod enim convenit superficiem, ut est terminus totius profunditatis antese, toti etiam corpori solet attribui, ut patet de contractu, qui fit mediis superficialibus, & corporibus attribuitur. Tandem quia superficies dici solet locus naturalis, præsertim quatenus est terminus corporis continentis, in quantum corpus ipsum medio contractu per superficiem facto communicat locato qualitates sibi proficias, unde quando aliquid continetur ab ultimo illius, quod natum est ipsum salvare, dicitur esse in loco naturali, ut ait Doctor. cit. ad argum. princip. unde si non esset superficies terminativa talis corporis, sed ab ipso sejuncta, licet posset esse locus absolute, & mathematicè dictus, non tamen naturalis.

26 Tertio additur *immobilis*, quia quicumque de loco locati sunt, omnes eidem immobilitatem tribuerunt, unde falsum profusum est, quod hic ait Ariag. hanc particulam esse superfluum, nam cum sit terminus, ad quem res tendit, necessario immobilis esse debet, alioquin si moveretur motu recto, fieri posset, ut mobile nunquam attingeret terminum ex hypothesi, quod locus ipse æquali

æquali velocitate moveatur, ac mobile, & si moveretur motu circulari eadem celeritate, ac locatum, tunc daretur motus localis circularis abique ulla mutatione loci, neque secundum motum, neque secundum partes, nam partes locati semper correspondenter eidem partibus loci, accedendo simul, & recedendo ab eodem ad idem punctum, tum deinde ut arguit Scot. litt. B. si locus moveretur localiter, tunc loci daretur locus, & ita processus in infinitum, & tandem sequeretur, inquit Doct. quod res immota manens posset mutare locum, & e contra mota loco eundem retinere locum, ex hypothesi nempe quod locatum maneat fixum, & locus circa ipsum transeat, ut de arbore in fluvio, vel locatum secum deferat locum, quæ rationes ostendunt, qualis sit immobilitas loco necessaria; non enim est sola immobilitas per se, licet hæc requiratur, quasi possit locus moveri per accidens, convincunt enim rationes allatæ debere esse immobilem etiam per accidens; dato enim quod sit mobilis per accidens, idest ad motum alterius, non posset illum attingere mobile, si æquali velocitate locus per accidens moveatur; & ut ait Doct. quantumcumque accipiatur per accidens, posset dici esse in loco per accidens, & ei assignari alius, & alius locus per accidens, & ita adhuc erit processus in infinitum; & eodem modo concluditur etiam alia ratio, & Arist. ipse tex. 20. dicit, locum non esse materiam, vel formam, quia hæc moveretur localiter per accidens, & plane ponendo locum immobilem hoc modo tantum scilicet per se, est facere locum immobilem, sicut alia quæcumque accidentia, quæ sunt utique immobilia per se, mobilia tamen ad motum subiecti, cum tamen inter omnia accidentia locus speciali modo dicatur immobilis.

27 Neque huiusmodi immobilitas loco necessaria est sola immobilitas opposita mobilitati vasis, ut putavit Averfa sect. 3. cum multis ex Averf. 4. Phys. comment. 40. & 41. quævis enim hæc omnino exigatur ad locum, ut docet Arist. tex. 41. cum enim locus a natura sit institutus, ut aptus derelinqui a mobili, velut terminus a quo, & acquiri ut terminus ad quem, utique omnino sibi repugnat, ut locus, translatio tam activa, quæ est propria vasis, secum nimirum deferre locatum, quam passiva, moveri nempe ad motum rei locatæ, ut uter aere plenus infra aquam existens, quemadmodum docet Arist. tex. 40. Hæc tamen immobilitas translativa non sufficit, cum adhuc alio modo posset poni mobilitas, etiam si non transferat locatum, vel transferatur ab eo, nempe si poneretur moveri ad motum corporis locantis, & in eodem sensu ponendo locum mobilem adhuc sequuntur inconvenientia illa, quod contingere posset, mobile nunquam terminum consequi, & quod daretur processus in infinitum, & quod res immota manens posset mutare locum, si circa ipsam fixam moveretur locus.

Immobilitas ergo loco necessaria, & quam convincunt rationes allatæ, est immobilitas omnino opposita motui locali, ait Doct. ita ut motu locali nullo modo, nulla ratione, nullo sensu moveri possit, ut locus est, alioquin eo ipso quomodocumque moveri dicatur, sequuntur illa absurda, ut discurrerentur pariter. Addit tamen, locum esse mobilem motu corruptionis, & destructionis, quod nedum de loco pro formali, verum etiam pro materiali verificari potest, ut notat Licher. 3. d. 2. qu. 6. recedente enim corpore ab hoc aere, statim concurrunt partes illius aeris, ne detur vacuum, & corrumpitur illud ultimum, & ita non solum destruitur respectus continentia; sed etiam ipsamet superficies extrema continens, qua ratione dixit Sampson. 4. Phys. qu. 2. propositionem illam, quod corpora diversa succedunt sibi in eodem loco, quantumcumque sit famosa, non esse tamen universaliter veram, loquendo de loco proprio, & adæquato, veritate tamen habet in corpore solido continente, cujus ultima superficies manet recedente contento, & sola continentia destruitur. Adhuc tamen subiungit Doct. posse quandoque locum dici incorruptibilem secundum æquivalentiam, per comparisonem ad motum localem, & est quando variæ superficies ita sibi immediate succedunt circa idem locatum fixum manens, ut singula contineant illud in eadem distantia, & situ in ordine ad universum nullo penitus inter unam, & aliam spatio intercepto ad motum sufficiente, qua ratione illa diversæ numero loca habentur pro uno numero loco, quatenus est ita impossibilis motus ex uno in alium, ac si esset idem re vera numero locus, unde palus in aqua, dicitur hac ratione semper esse in eodem loco, est superficies aquæ, & continentia circa ipsum continuo varientur, ut dictum est nu. 15. unde vero sumi debeat hæc loci immobilitas, & quomodo superficiem convenire possit, dicemus ait seq.

28 Quarto demum dicitur *primus*, idest immediatus, & proximus, quia locus a Philosopho divisus fuit in communem, & proprium tex. 14. communis est ille, qui ita continet locatum, ut etiam alia plura præter illud contineat, sic aqua dicitur locus piscium, avium aer, terra quadrupedum, quia præter quadrupedes etiam alia continet; proprius est, qui ita continet locatum, ut ei sit immediatus, & adæquatus, & præter ipsum non continet aliud, & hic est locus definitus ab Arist. tex. 41.

Contra allatam loci definitionem sic declaratam obicitur. Tum quia superficies ponitur in recto in loci definitione, continentia in obliquo, ergo superficies est principale significatum loci, & continentia connotatum. Tum secundo, omnes loci proprietates ab Arist. assignatæ fundantur in superficie, & illi conveniunt, ut mox patebit, ergo in ipsa consistit essentia

loci, nam essentia competunt proprietates, & illam nobis ostendunt. Tum tertio, continentia dicit majoritatem respectu contenti, ergo in ipsa consistere nequit formalitas loci, qui debet esse æqualis locato. Tum quarto, locus pro formali spectat ad prædicamentum Ubi, sed continentia ad tale prædicamentum spectare nequit, quia ut docet Doct. 4. d. 10. qu. 1. I. est relatio realis non mutua, relationes vero prædicamenti Ubi sunt mutua. Tum denique per immobilitatem superficiem ultima constituitur in ratione loci, nam superficies continens convenit etiam vasi, vestibus, & similibus, & per immobilitatem distinguitur ab his omnibus; at ratio formalis dicitur illa, per quam res ultimo distinguitur ab aliis, quia idem est principium distinctivum, & constitutivum.

29 Resp. ad primum negatur assumptum, illa enim prædicatio, locus est superficies, est materialis, & sensus est, locus est relatio continentia fundata in superficie, & ita in universum explicantur definitiones concretorum, cum per subiectum definitur, unde si per formalem prædicationem resolvantur, forma erit in recto, & subiectum in obliquo, ut dictum est in Log. disp. cit. Vel admissio antec. negatur consequentia, ut notat hic Amicus, illa non est bona regula cognoscendi rationem formalem concretorum, quæ omnia definiuntur per rationem materialem in recto ex 7. Met. cap. 14. Ad secundum jam dictum est, Arist. in 4. Phys. indagare locum pro materiali, non pro formali, & ideo omnes fere proprietates ab ipso enumeratæ sunt loci pro materiali, unde potius argumentum est ad oppositum, inserviunt enim illa attributa ad ostendendum, quidnam sit locus pro materiali, non pro formali. Ad tertium negatur assumptum absolute, ut patet ex dictis in explicatione 2. particula definitionis. Ad 4. neg. minor, & quando Scot. ait, continentiam esse relationem non mutuan, intelligit esse disquarantiam, quatenus unum continet, & aliud continetur, intendit enim ibi discernere relationem continentia a relatione præsentia, quia hæc est æquiparantia, illa non, ut patet legenti textum. Ad quintum vas, & locus non differunt essentialiter, & in principali significato, sed tantum ratione connotati, ut dictum est ex Arist. & cum dicitur, id, per quod res ultimo distinguitur a quacumque alia, ejus essentialiter differentiam judicari debere, ac præcipuum significatum, hoc valet in absolutis, non autem in connotativis, in quibus id, per quod differunt, non primario significatur, sed connotatur, ut inductione patet in omnibus, sic privatio a negatione differit, quia est in subiecto apto, non vero negatio, nec propterea dicimus, aptitudinem esse rationem formalem, ac principale significatum privationis, ejus enim essentia consistit in simplici carentia, nec differit a negatione nisi ratione connotati, & sic de aliis, sic in proposito ut superficies continens dicatur locus, utique necessario exigitur immobilitas, & sine ea vas dicitur, non locus, sed non ideo immobilitas debet judicari ejus ratio, & essentialis differentia, sed tantum connotatum omnino requisitum, ut locus dicatur.

ARTICULUS II.

Attributa loci convenire superficiem demonstratur.

30 Dicendum est, attributa omnia loci ab Arist. enumerata tex. 30. & alia quedam ex eis deducta superficiem optime convenire. Prob. discurrendo per singula, primum loci attributum est continere locatum, hoc est, ita circumscribere, ac terminare ipsum, ut non sit aliquid illi intrinsicum, idest nec materia, nec forma, nec pars integralis, nec accidens illi inhaerens, aut alio modo ita ipsi adjacens, ut cum eo moveatur, sicuti vestis, sed sit omnino quid sibi extrinsecum, continens tamen ipsum, & ambiens; unde non ipsa continentia est attributum loci, nam hæc jam posita est ratio formalis ejus, sed ita continere locatum, ut nihil sit ejus, ita quod non continentia ipsa sed modus continendi est attributum loci, hoc autem totum competit superficiem concavæ corporis continentis, hæc enim nihil est locati, & omnino illi extrinseca, & ratione figuræ illud circumambit, & intra se claudit materialiter, merito relationis continentia activæ in ipsa fundata dicitur etiam formaliter illud continere, & circumscribere, quod addimus contra eos, qui contendunt, præcisio omni accidente statim, ac ponitur unum corpus intra aliud, continentiam formalem intelligi, & rem esse formaliter locatum, quia præter extrema necessaria sunt etiam relationes ipsæ prædicamentales ad tribuendas denominationes formales intrinsicæ, sicut & modus subsistentia ad denominandam substantiam formaliter subsistentem, & modus inhaerentia ad denominandum accidens inhaerens, ut dictum est in Log. disp. de Relat. nam difficultas ista omnibus relationibus est communis, ut ibi visum est.

Secundum loci attributum est, quod sit æqualis locato, quod intelligendum est, ut omnes docent, de æqualitate continentia, seu secundum extensionem, non autem de æqualitate dimensionis cujuslibet, sufficit enim ad hoc, ut locus sit æqualis locato, si superficies concava loci secundum longitudinem, & latitudinem commensuret locato, nec requiritur, quod secundum profunditatem sit illi æqualis, alioquin locus semper eum re locata penetraretur, quod est absurdum; neque hoc attributum præcedenti repugnat, quia, ut diximus, falsum est, quod absolute loquendo, continentia arguat majoritatem respectu contenti; hoc autem attributum superficiem competere de se manifestum est, quia hæc æqualitas attenditur inter superficies locantis, & locatæ, concavam illius,

illius, & connexam istius. Sed dices, locatum non mensurari a loco secundum extensionem tantum, sed etiam quoad profunditatem, ut patet de vino in vase, ergo debet esse aequalis locato secundum omnem dimensionem. Resp. negando assumptionem, quantum enim distent extrema loci, vel vasis, dignoscimus ex profunditate alicujus corporis intercepti, ex quo deinde arguimus, quantæ profunditatis debeat esse locatum, ut adæquate repleat extrema loci, & in hoc sensu solum dicere solemus, locata mensurari a loco, vel vase secundum profunditatem.

31 Tertium attributum loci est, separabilem esse a quocumque locato distributive, non tamen collective, naturaliter loquendo, quia tunc naturaliter daretur vacuum; idque etiam superficiei convenire fati est manifestum, nam experientia constat, in eadem concava superficiei diversa corpora recipi successive unum post aliud, præsertim in superficibus corporum solidorum, quæ non variantur recedente locato, in corpore vero fluido, ut in aere, vel aqua, quamvis recedente corpore, quod intra terminos aeris continebatur, partes ejus concurrant, & concavum ejus destruat, hoc tamen mere illi accidit, ut corpus fluidum est, non vero ut locus est, nam si intra illos terminos succederet corpus aliud æquale priori, superficies illa eadem numero maneret; de quo videri potest Doct. quol. 11. art. 3.

Quartum loci attributum est, quod sit terminus rationis seu motus localis, ut docet Arist. tex. 32. dicitur enim motus localis, quia est ad locum tamquam ad terminum, non quidem intrinsecum, quia hoc est Ubi, vel quid aliud illi æquivalens, sed extrinsecum, modo enim in plenitudine unumquodque corpus movetur, ut alicui corpori extrinsecum ipsum continenti appropinquetur, quod evenit media superficiei; unde patet, hoc etiam attributum superficiei convenire, & quia ad terminandum etiam hoc modo motum exigitur in termino motus stabilitas, & consistentia quædam omnino opposita tali motui, aliter nunquam ipsum terminare posset hinc deducitur.

Quintum, & præcipuum loci attributum, scilicet immobilitas omnino opposita motui locali, hæc enim omnino necessaria est ad terminum localis motus, sed quo pacto superficiei convenire possit, valde laborant Peripatetici, nam experientia constat, superficies corpora continentes moveri ad motum corporum locantium, quorum sunt superficies, Bonet. 8. Phys. cap. 4. varios in hoc puncto refert dicendi modos. Pererius ad evitandam difficultatem dixit, immobilitatem non esse proprietatem cujuscumque loci, sed convenire tantum locis elementorum, superficies enim concava Lunæ est immobilis locus ignis, & superficies concava ignis immobilis locus aeris, quia licet continuo circulariter moveatur, hoc tamen fit semper in eodem loco, non enim motu recto ad alium locum fit transitus, quæ opinio ab omnibus refellitur; tum quia est manifeste contra intentionem Arist. qui tex. 41. locum in genere distinguit a vase per immobilitatem; tum quia rationes supra allatæ pro loci immobilitate eam aperte de omni loco convincunt.

32 Thomistæ immobilitatem superficiei provenire dicunt ex determinato ordine, & distantia ad centrum, & polos mundi, unde licet materialiter locus moveri possit quoad unam, vel alteram superficiem, formaliter tamen quoad certam distantiam a punctis mundi fixis est omnino immobilis, & ratione hujus ordinis, ac distantie dicitur turris semper in eodem loco manere, quamvis continuo circa ipsam varientur aeris superficies, idque probant tum auctoritate Philos. qui tex. 42. probare volens, locum esse immobilem, id ex eo probat, quod sursum, quod est in concavo orbis Lunæ, & deorsum, quod est centrum, sunt penitus immobilia; tum ratione, quia sicut respectus iste distantie est causa unitatis loci, vel multiplici-tatis; nam eadem superficiei manente, & variatis distantis, variatur locus, ut patet de aqua in vase hinc inde translato, & manente eadem distantia, variatis superficibus permanet idem locus, ut patet de turri flante vento, ita & pariter erit causa immobilitatis; quam sententiam enixe tueretur Mas. 4. Phys. disp. de Loco qu. 4. & Compl. qu. 2.

Sed hic dicendi modus rejicitur a Bonet. loc. cit. & fati manet improbatas ex dicta qu. præc. art. 1. ubi ostensum est, manente eadem distantia ad centrum, & polos rem posse localiter mutari, si v. gr. totus Orbis simul cum terra moveretur a Deo per spatium imaginarium servata eadem dispositione corporum, & elementorum; & contra variata hujusmodi distantia posse rem eundem retinere locum casu, quo Deus Cælum deprimeret versus Antipodes, terra servata immota: ergo ex hujusmodi respectu ad centrum, & polos absolute, & per se desumere non possumus, nec debemus unitatem, vel multitudinem loci, nec immobilitatem superficiei, & recursus ad puncta imaginaria omnino vanus est, quia ut res non dicitur propinqua rei non existenti, ita neque distans ab ea, & vera loci immobilitas, quæ consistentia quædam est realis, & positiva, a mero figmento desumi non debet, ut enim inquit Bassol. 2. dict. 2. qu. 2. puncta in Cælo imaginata, nonnisi immobilitatem imaginatam loco præbere possunt. Tum deinde id, a quo sumi debet superficiei immobilitas, esse debet omnino immobile, ac ordo ille ad centrum, & polos absolute loquendo mobilis est, moveretur enim data illa hypothese, quod orbis moveretur per spatium imaginarium: Arist. autem loc. cit. loci impossibilitatem explicuit per centrum, & polos, quia modo immobilia sunt; qua etiam de causa per comparisonem ad eam modo sumere solemus unitatem, & diversitatem locorum, sed

hoc est omnino per accidens, absolute enim, & centrum, & poli, & quicumque respectus ad ea mobilia sunt. Tandem ut arguit Doct. lit. D. etiam de facto falsum est, mutata superficiei manere eundem respectum numero in succedente ad centrum, & polos, quia accidens non migrat de subiecto in subiectum, vel ergo moveretur ad motum ejus, vel certe corrumpitur, ac proinde ab eo rigorosa numeralis identitas loci attendi non poterit, ut contendunt Thomistæ cum D. Th. supr. tex. 41.

33 Ideo alter exstat dicendi modus, qui Scorotri tribuitur, & Scotistis, docens, superficiem utique immobilitatem accipere ab illo ordine ad centrum, & polo mundi, non tamen immobilitatem simpliciter, vel identitatem, ut volebant Thomistæ, quia re vera mutata superficiei non manet idem numero respectus, sed tantum per æquivalentiam, quo sensu turris flante vento in eodem loco esse dicitur, non simpliciter, sed per æquivalentiam, quatenus superficies succedens turrim continet eundem ordinem ejusdem rationis ad universum, est non eodem numero. Sed cum respectus iste ad centrum, & polos absolute sit mobilis, ut ait Bonet. & possit res mutare locum manente eadem distantia ad partes universi, & non mutare locum ipsa variata ex dictis, certe ab ipso desumi nequaquam poterit superficiei immobilitas, neque simpliciter per se, & absolute loquendo, & immerito hic dicendi modus Scorotri tribuitur in 2. dist. 2. qu. 6. non enim per æquivalentiam contendit ibi salvare loci immobilitatem, sed incorruptibilitatem, ut patet legenti textum, unde valde hallucinantur Recentiores omnes, ut Faber notar theor. 47. cap. 1. dum id, quod Scorotri docuit de loci incorruptibilitate, dixisse de loci immobilitate arbitratur, immo & ipsam loci incorruptibilitatem, seu identitatem per æquivalentiam adhuc non explicat Doctor per comparisonem ad polos, & centrum, quasi turris esse semper dicitur in eodem loco per hujusmodi comparisonem, ut ei Juniores tribuunt, sed ait manere in eodem loco per æquivalentiam per comparisonem ad motum localem, ut supra est declaratum.

Scotistæ revera solent passim docere, locum esse omnino immobilem immobilitate opposita motui locali, non ratione superficiei, cum ista moveatur saltem per accidens ad motum corporis localis, sed ratione formalis continentie, quæ nunquam localiter movetur, sed superficiei, in qua fundatur, deserente locatum v. gr. turrim, statim corrumpitur, & definit esse; itaque volunt, immobilitatem propriam loci primo convenire continentie, quæ est loci formale, & ipsa mediante convenire etiam superficiei, ita quod superficies cum tali continentia sit omnino immobilis localiter, ita Licher. 2. d. 2. qu. 6. & alii Scotistæ, Canon. 4. Phys. qu. 1. Parisiensis qu. 3. Fuent. qu. 1. diff. 1. art. 2. Sed neque hic modus sufficienter salvat immobilitatem loci, falsum enim est, superficiem cum illa continentia moveri non posse, quia interdum contingit, vel saltem contingere potest, corpus moveri, & cum eo aerem, vel aquam, a quibus circumscibitur, & eadem velocitate utrumque moveri, in quo casu permanet eadem continentia inter utrumque extremum, & cum utroque movetur, ergo cum etiam respectus iste continentie sit mobilis localiter, ab ipso desumi nequit superficiei immobilitas, hæc enim attendi debet in ordine ad aliquod immobile prosum. Nec dicere valet, in his casibus superficies continentes habere rationem vasis, non loci, quia hoc aliud non est, quam dicere, mobilitatem non repugnare continentie, ac proinde ab ea loci immobilitatem attendi non debere. Et si dicatur, non repugnare continentie vasis, sed bene continentie loci: Non sufficit, quia adhuc assignari debet, unde continentia loci reddatur immobilis, quia sicut superficiei accidit continentia, ita continentie accidit immobilitas, cum eadem numero continentia possit esse mobilis, quo sensu dicitur continentia vasis, & immobilis eo sensu dicitur continentia loci. Bonet. loc. cit. aliorum placitis refutat tres tandem dicendi modos refert, ut de mente Arist. & Com. ad declarandam loci immobilitatem, quorum primus Cælorum locis solummodo immobilitatem concedit, quatenus superficies concava unius est locus perpetuus, & incorruptibilis alterius; alter vero locis elementorum dumtaxat immobilitatem tribuit, quatenus singula habent sua loca determinata, & invariabilia; tertius denique omnibus quidem locis hoc attributum deserit, non tamen secundum considerationem naturalem, sed mathematicam dumtaxat, quia hæc abstrahit a motu, & materia sensibili. Ceterum hos tres dicendi modos esse profus insufficientes jam ostendimus disp. 8. Log. qu. 12. art. 2. tractando de Ubi, & Situ, eo quia vel non salvant immobilitatem cujuscumque loci contra manifestam Arist. mentem, qui tex. 41. immobilitatem astruit de quocumque loco, & contra rationem, quæ expresse militat pro quocumque loco, ut constat ex rationibus adductis pro loci immobilitate nu. 26. vel non salvant illam, ut omnino oppositam motui locali, vel tandem non secundum considerationem naturalem, sed solum mathematicam, cum tamen etiam rationibus naturalibus, & physicis loci immobilitas demonstratur, constat ex dictis.

Quidam alii dixerunt, immobilitatem loci desumi a tali, vel tanta distantia ad terminum ad quem motus localis, quo movetur corpus a loco ad illum terminum; nam locus, ut dicit talem distantiam, nequit omnino moveri. Sed hic quoque modus dicendi profus inutilis est; tum quia superficies aeris, cum huc, & illuc fluat, nunquam fundare potest talem, vel tantam distantiam ad hunc, vel illum terminum, & sic nunquam poterit dici immobilis, & fungi munere loci; tum quia superficies una potest retinere eandem distantiam ad aliam ut concava Lunæ ad convexam Terre, &

& cum illo respectu distantie moveri ex hypothese, quod totus moveatur Orbis; tum tandem quia hic dicendi modus attendit immobilitatem in loco, ut est terminus a quo localis motus, quatenus moveri nequeat localiter ad terminum ad quem, neque recedere ab ipso, & tamen ut constat ex dictis num. 26. desideratur immobilitas in loco potius, ut habeat rationem termini ad quem.

34 Neoterici communiter dicunt, immobilitatem loci provenire ab immobilitate spatii, quod fixum semper est, neque ulla ratione mutari potest, quare immobilitas primo convenit superficiei spatii imaginarii, in quam incidere dicimus superficiem realem, unde realis superficies habet, ut sit immobilis, quatenus habet præsentiam ad certum spatium, quæ præsentia est immobilis profus localiter, sicut spatium ipsum, explicari autem solet hujusmodi immobilitas per centrum, & polos, quia ea nunc non mutantur, re tamen vera immobilitas per se, & absolute loquendo potius attendi debet a punctis spatii imaginarii, in quæ ipsa re alia in universo modo incidunt; ita Amicus, qui alios cit. 4. Phys. tract. 20. qu. 1. dub. 9. art. 2. & in hanc sententiam Thomistæ descendunt, dum volentes servare loci immobilitatem per distantiam ad centrum, & polos, ad illum casum, quo Deus totam Cælorum molem versus unam partem moveret, re aliqua manente in inferiori mundo in eodem loco, quo prius, inquit, in tali casu eandem adhuc remanere distantiam ad eandem Cæli partes, & puncta, non quidem reales, sed ad easdem imaginarias, nam semper imaginamur quædam puncta, vel partes respondere in eodem situ aliis, quæ ibi antea erant, ita communiter respondent Thomistæ apud Masium cit. qu. 4. ad 4. & ita respondentibus plane coincidunt cum Neotericis, a punctis spatii imaginarii loci immobilitatem desumentibus. Immo Scot. ipse ab hac sententia non longe videtur abire, nam litt. F. distantiam duorum locorum, & ordinem diversum ad totum universum attendit præcise ex spatio intercepto, quare & ipse loco immobilitatem, & unitatem ex unitate, & immobilitate spatii, auspiciari videtur.

Sed neque hic modus dicendi, tamen omnes alii in eum incidere videntur, plene satisfacit; tum quia in primis tale spatium omnino non datur corporibus coexistens, ut supra probatum est, ergo ab ipso in superficiem immobilitatis derivari nequit. Tum 2. si daretur, neque ab ipso auspiciari posset, quia loci immobilitas est positiva quædam consistentia, & si per negationem explicata, ergo a spatio quod est mera negatio, attendi nequit. Tum 3. non majorem habet realitatem hoc spatium imaginarium, si daretur corporibus coexistentes, quam puncta imaginaria Thomistarum, ergo si ab istis non recte sumitur loci immobilitas, ut Neoterici fatentur, Amic. cit. art. 3. Hurt. disp. 14. Phys. sect. 3. & alii, ita neque a spatio desumi valebit. Tum 4. quia rationes omnes, quæ fieri solent contra puncta imaginaria, quod ex determinata distantia ab illis immobilitas loci nequit attendi, quia ut res non dicitur propinqua rei non existenti, ita neque distans ab illa, & quod hæc ratione quis dici posset ab Antichristo distans, & alia hujusmodi, optime retorqueri possunt contra spatium imaginarium, quod ex propinquitate cum eo, vel affixione cum ipso immobili itas loci nequeat attendi; sicut enim puncta imaginaria, quia nihil sunt, veram, & realem distantiam terminare non possunt, ita neque spatium veram propinquitatem, cum nihil sit. Tum 5. hæc immobilitas superficiei ex spatio desumpta non est, nisi consistentia ejus in tali spatio, idest intima ejus localis præsentia ad tale spatium, cum qua omnino moveri repugnat, ergo loci datur locus, & loci immobilitas ex ordine ad alium locum desumenda erit, atque ita proprie spatium erit locus, non superficies, quod supra impugnatum est. Scor. autem cum inquit loc. cit. distantiam locorum, inter quos potest fieri motus, attendi ex spatio intercepto, loquitur de spatio reali, & positivo, quod constituitur ex corporibus interceptis inter terminos motus, non autem de spatio imaginario, quod nonnisi extra mundum agnoscit in 1. dist. 37.

35 Itaque dicendum putamus, quod quamvis Arist. tex. 42. immo & Doct. ipse cit. loci immobilitatem, unitatem, & diversitatem desumpserint ex determinato ordine, quem dicit superficies ad partes universi, quæ modo fixæ sunt, & immobiles, tamen per se, & absolute loquendo hæc omnia desumi debent ex determinato ordine, quem dicit ad partes virtuales divinæ substantiæ, cum enim hæc ob suam immensitatem sit ubique diffusa etiam extra universum, ut infra, non possit dari superficies, quæ non sit illi intime præsens, & cum ob suam limitationem non possit illi coexistere ubicumque intelligitur coexistere alicui parti ejus, non formali, quia formaliter indivisibilis est, & est tota in toto universo, & tota in qualibet ejus parte, sed virtuali, quia cum substantia spirituali ob suam illimitationem per locum extendatur non minus, ac si esset corporea, & divisibilis, necessario in ipsa concipere debemus pluralitatem partium virtuales, resque creatas aliquibus illarum coexistere, & non omnibus, hoc est, toti substantiæ spirituali, sed non totaliter; cumque divina substantia, & quælibet ejus pars virtualis sit profus immobilis, & consistens, immobilis etiam erit respectus præsentie, quem dicit superficies ad ipsam, respectus enim non est mobilis, nisi utrumque extremum mobile sit; igitur ex reali intima præsentia bene desumi potest superficiei immobilitas, quatenus superficies cum tali præsentia est profus localiter immobilis, & etiam unitas, & diversitas loci, quatenus ex determinata præsentia, & ordine ad determinatas partes divinæ substantiæ superficies continens ad hunc, vel illum locum con-

stituendum contrahitur, non quidem ut genus logicum, quia ut dictum est, immobilitas, quæ talem præsentiam involvit, non habet rationem differentie, sed ut genus physicum; & sicut ad rationem integram loci in genere pertinet immobilitas in communi desumpta, scilicet ex præsentia superficiei ad determinatam partem divinæ substantiæ vage, ita immobilitas in particulari spectat ad rationem integram loci in particulari, illa nimirum, quæ sumitur ex præsentia ad certam, & signatam partem divinæ substantiæ; cui autem hic dicendi modus veluti novus, & peregrinus non placeret, præcedentem modum ab immobilitate spatii desumentem superficiei immobilitatem sequi poterit; tum quia cæteri modi in eum incidere videntur; tum quia ad eum facile Doct. posset trahi; nobis tamen solidius visum est ex immobilitate potius divinæ substantiæ ubique diffusa, quam spatii imaginarii desumere superficiei immobilitatem, ut habet rationem loci, neque re vera hic nosser dicendi modus novus est, & peregrinus in schola Scotistarum, illum namque refert Bonet. loc. cit. ut de mente Scotistarum quorundam: & licet contra illum quandam obijciat dubitationem hic Auctor, ea tamen parvi momenti est, quam solvimus in Log. loc. cit. disp. 8. q. 12. art. 2. ubi etiam notavimus, non esse nostrum dicendi modum, quem refert & refellit Ariag. hic disp. 14. a nu. 32. (licet perfunctorie rem consideranti fortasse ita videbitur) unde neque opus est ejus objectionibus satisfacere.

36 Sed dices etiam vas in hoc sensu esse immobile, cum tali ordine ad determinatas partes divinæ substantiæ nequit hinc alio transferri; facta enim tali translatione, necessario variatur talis ordo, immobilitas vero loci talis esse debet, ut non sit ei communis cum vase. Resp. argumentum urgere pariter, tum qui immobilitatem superficiei ab intima præsentia ad spatium auspiciantur, quam qui ex determinato ordine ad universum, nam vas quoque sub his respectibus est profus immobile, quamvis ergo cum tali respectu præsentie ad determinatas partes divinæ substantiæ vas etiam fit immobile, at tamen flante ratione vasis potest hinc alio transferri, immo mobilitas translativa est de ejus ratione, locus vero est profus immobilis immobilitate opposita omni motui locali, etiam translato, quod vasi non convenit, & ideo talis immobilitas convenit loco, quæ vasi repugnat.

Quædam alia attributa loci assignat Arist. tex. 30. quæ non conveniunt loco absolute, & per se sumpto, sed quatenus naturali, & annexæ habenti qualitates conservativas locati, ac proinde etiam superficiei conveniunt accidentaliter, nimirum non quatenus continenti, sed quatenus est superficies talis corporis, quod natum est conservare locatum, immo talia assignat, quod nec etiam omni loco naturali proprie conveniunt, sed tantum loco naturali eorum corporum, quæ motu recto moventur, ut sunt elementa, & mixta, hujusmodi est illud, quod omnis locus in universo est sursum, & deorsum, idest habet talem positionem, & situm in universo, ut sursum, aut deorsum esse dicatur; hoc enim intelligitur de loco naturali gravium, & levium, quia juxta has positiones his corporibus assignantur propria loca, levibus sursum, quod est concavum Lunæ, gravibus deorsum, quod est centrum terræ. Neque hujusmodi differentie positionis sursum, & deorsum censendæ sunt essentielles differentie loci, sed potius omnino accidentales, ut ex Doct. colligitur 4. dist. 10. qu. 2. ad 1. princ. tum quia cum non conveniant, nisi loco, quatenus naturali, & naturalitas mere accidat loco ex Doct. 2. dist. 2. consequenter etiam hujusmodi differentie accidentales erunt; tum quia si Deus destrueret universum relicto aere Petrum ambiente, Petrus esset in loco non tamen sursum, neque deorsum, quia non esset nec Cælum, nec centrum, in ordine ad quæ locus dicitur sursum, & deorsum, & recurrere ad Cælum, & centrum imaginarium est profus inutile, ut sape probatum est. Tum tandem quia eadem numero superficies continens, quæ modo erat locus deorsum ex approximatione ad centrum, potest evadere locus sursum per propinquitatem ad Cælum. Eadem ratione tanto minus essentielles differentie loci esse possunt aliæ positiones differentie, ante, & retro, dextrum, & sinistrum, quia hæc non competunt corporibus ex natura rei, ut sursum, & deorsum, sed potius per solam denominationem, & assignationem derivatam a nobis.

37 Tale etiam est illud attributum, quod loco tribui solet, nempe attrahere, & conservare locatum, hoc enim de loco naturali elementorum, & mixtorum omnes intelligunt, neque enim proprie unum Cælum dicitur aliud conservare; dicitur autem locus attrahere locatum, ut centrum grave, non per modum causæ effectivæ immittendo aliquem impulsu, vel qualitate in attractum, ut magnetem, ajunt, immittere in ferrum; tum quia hæc attractio fit ad quæcumque distantiam; tum quia si centrum sub sola ratione centri relinquatur practica quæcumque activa qualitate, adhuc grave naturaliter tenderet in illud, ut Scot. docet in 2. d. 2. qu. 10. infra B. erit igitur hæc attractio potius in genere causæ finalis, quatenus tendit in illud ex appetitu, quem habet ad propriam conservationem, quam ibi invenit, ut ait Doct. ibidem, unde est attractio potius metaphorica, quam physica; dicitur vero conservare locatum; tum quia corpus continens est præditum qualitatibus locati conservativis, ut aer respectu avium, aqua respectu piscium, ut docet Doct. dist. 2. qu. 6. H. tum quia locatum continet in debita distantia a Cælis, ut eorum influxus in locato recipiantur attemperati ex tali distantia, juxta aliorum placita.

Sed dices, grave, quo magis accedit ad centrum, velocius descendere, ergo attractio illa erit physica, eo enim est major, quo passum sit propius. Et unum elementum habet contrarias qualitates,

res, ac alterum, contrarium vero non conservat, sed destruit contrarium, & hac ratione contra communem sensum Philosophorum, ut Masius cit. testatur, & Compl. qu. 5. negavit Vallef. lib. 6. de Sacram. Philos. locum habere vim conservandi locatum, quem nuper sequutus est Hurt. disp. 14. Phys. sect. 3. libenter, ut assolat, a communi discedens? Resp. negando conseq. non enim grave velocius movetur, quo magis ad centrum accedit, quia magis approximetur causæ efficienti, aliter eadem velocitate moveretur lapis, si e propinquo tenderet deorsum, ac si ab alto, quia in fine esset in æquali distantia a loco naturali, sed quia a tergo plurimum aeris ipsam magis impellit, licet hæc sit causa minus præcipua, principalior enim causa, ut dicimus in lib. de Cælo disp. 3. nu. 50. est impetus a gravitate causatus in gravi, dum movetur deorsum, ut docent Regentes Parisenf. 2. de Cælo qu. 1. collat. 3. Ad aliud de elementis dicimus, unum symbolum conservari ab alio ratione symbolæ qualitaris, virtutes vero activæ, & passivæ, quas habent ratione qualitarum contrariarum attemperari dicuntur ex Cœlestibus influxibus, ne se tam facile interimant, & hoc quoque oritur ex loco continente locatum in debita Cœlestis distantia, ob cuius defectum aer, & ignis in his inferioribus rixantur, ut notant Compl. cit.

QUESTIO III.

An præter locum extrinsecum debeat admitti, ubi, in re locata, & quid sit.

38 **N**ominales partem negativam tradiderunt dicentes, ubi esse quandam extrinsecam denominationem derivatam a loco, seu superficie ultima continentis, in rem, quæ intra illam continetur, & nihil ex natura rei superaddere rei loco existenti, ita Greg. 2. dist. 1. qu. 4. art. 1. Rubion dist. 2. qu. 6. sequitur Pons. 6. Met. cap. 15. qu. 10. sect. 5. & nuper Coninch. de Sacram. ad qu. 75. art. 4. dub. 1. At opposita opinio, præter rem locatam, & locum ipsum admitti debere modum præsentia localis ex natura rei superadditum, qui dicitur Ubi, & rem formaliter constituit in certo loco, est communis sententia apud veteres, & recentiores, eam enim aperte docuit Scot. quol. 11. & 2. dist. 2. qu. 6. & 4. dist. 10. qu. 1. & 2. cum sectatoribus, sequuntur Neoterici omnes, Suarez disp. 51. Met. sect. 1. Valsq. 1. part. disp. 29. & 188. & 195. Conimbr. 3. Phys. cap. 3. qu. 2. art. 2. Averfa qu. 27. sect. 1. & 2. Amic. tract. 20. quæst. 6. Turrian. opusc. 9. disp. 1. dub. 9. Hurtad. disp. 14. Phys. sect. 2. Ariag. disp. 14. num. 7. Jo: de Lug. disp. 5. de Sacram. Euchar. sect. 4. & alii passim.

Diffidium tamen adhuc est in re explicanda, Scot. enim quol. 11. docet ex professo, Ubi, seu præsentiam localem esse relationem quandam extrinsecam advenientem in locato passivo, relictam ex activa circumscriptione superficie continentis iuxta definitionem traditam ab Auctore sex principiorum. *Ubi, est circumscriptio corporis locati, &c.* Neoterici omnes e contra profitentur, Ubi, esse formam quandam absolutam per ipsum motum in re locata productam includentem relationem transcendentem ad spatium imaginarium, cui constituit rem intrinsecam præsentem: (immo Ariag. & Jo: de Lug. cit. ajunt ubi locationes in re tam esse formas absolutas, quam albedinem, & nigredinem) Verum quia modo motus localis fit in pleno, addunt, hoc idem ubi per accidens etiam respicere superficiem ambientem, & ei quoque rem constituere præsentem, parumque curant de hac præsentia accidentali, & extrinseca in ordine ad superficiem, an sit relatio quædam prædicamentalis, an potius sola extrinseca denominatio a superficie derivata in corpus, nam sufficit illis, hunc modum, Ubi, per se non pendere ab ullo extrinseco corpore ambiente, sed tantum a certo, & determinato spatio, cui per tale, Ubi, res dicitur intime præsens ablatu quocunque corpore extrinseco ambiente, in quam sententiam Fuentes 5. Phys. qu. 2. dist. 1. art. 2. totus abijt, & quod pejus est, hanc asserit esse Doct. nostri mentem.

ARTICULUS I.

Ostenditur, Ubi, esse modum ex natura rei superadditum rei locatæ, & loco.

39 **D**icendum est, præter rem locatam, & locum vere dari peculiarem modum præsentia localis, qui dicitur Ubi, ut quid ex natura rei superadditum, quo formaliter res dicitur esse alicubi præsens localiter; concl. est Scot. loc. cit. & apud omnes receptissima, & prob. ex eodem quol. 11. art. 3. potest esse hoc v. gr. corpus in rebus natura, & etiam hæc superficies ambiens; absque quod tale corpus dicitur esse hic, seu in tali loco, ergo hoc corpus esse hic, seu in tali loco aliquid superadditum entitatibus loci, & corporis, eritque intima conjunctio rei, & loci, sive præsentia hujus corporis in eo loco, & hoc est, quod dicitur, & appellatur Ubi, cumque positum in tali loco possit denuo talem amittere præsentiam manentibus entitatibus loci, rei que locatæ, sequitur, modum Ubi ex natura rei ab utroque distingui, hac enim ratione disp. 5. qu. 9. probavimus, extra distingui ab unione, quia possunt esse sine tali unione: an vero distinctio hæc sit appellanda realis, vel solum modalis, est quæstio de nomine, ut ibi diximus.

Resp. Coninch. ut aliquid dicatur esse in loco, non requirit

rem, ab utroque realiter distinctam, sed solum localem indistantiam unius ab alio sufficere, quæ indistantia est simplex negatio distantia. Sed contra, motui reali, & positivo assignari debet terminus realis, & positivus, & quidem mobili intrinsecus, sicut est ipse motus ex 3. Phys. ergo per motum localem, qui est motus realis, & positivus, non acquiritur sola negatio distantia, sed indistantia positiva, seu intima præsentia rei locatæ ad locum. Immo dum isti relationum, atque modorum hostes explicant indistantiam per simplicem negationem distantia, & distantiam per negationem indistantia, jam aperte nostram profitentur sententiam, cum negatio negationis dicat quod positivum.

Resp. Coninch. acquiri quidem per motum terminum realem, nempe novam superficiem ambientem, vel novum spatium, ratione cuius res dicitur esse, ubi prius non erat, sed talis terminus non est locato intrinsecus, cum hoc totum dicatur per solum denominationem extrinsecam, & connotationem novi loci extrinseci, quæ est communis responsio Nominalium. Sed contra; Tum quia terminus motus localis ita per ipsum acquiritur, ut de novo per ipsum accipiat esse, nam regulariter motum actio realis concomitantur, cui proinde assignari debet novus, & realis terminus, ac positivus, at in motu locali non fit de novo entitas spatii, vel loci, sed in se supponitur ex 4. Phys. tex. 17. 21. & 36. Tum quia terminus per motum acquisitus debet esse in ipso mobili, sicut est ipse motus, nam ipsum est, quod movetur. Tum quia ita necesse est, ubi locationem esse mobili intrinsecam, sicut est motus ipse, quia motus est ratio, quæ terminus ejus intrinsece pendet a subiecto. Tum tandem quia res non dicitur vere mutari per solum denominationem extrinsecam ad mutationem intrinsece factam in alio subiecto, alioquin vere Deus mutari diceretur; quia in tempore ex vera mutatione in creaturis facta recipit novas denominationes extrinsecas.

40 Deinde principaliter prob. Concl. ex eo, quod docet Scot. in 4. dist. 10. qu. 2. ad 2. quod Ubi est fundamentum propinquitatis, & distantia, Petrus enim de se indifferens est ad distantiam a Paulo uno stadio, & duobus, & modo distat duobus, & antea uno, plane non alia ratione, nisi quia prius erat hic, & postea ibi, & eo præsertim urget ratio, quia distantia est relatio intrinsecus adveniens, quæ non acquiritur, nisi prius facta mutatione in aliquo extremorum, quæ in casu fit in Petro, quia supponimus, Paulum non moveri; quam rationem fuisse prosequitur Hurt. loc. cit. Demum hæc Nominalium Philosophia, ut inquit Turrian. jam diu a scholis relegata est, & immerito a Coninch. sine causa revocatur ab exilio, nam intelligi nequit nova similitudo rei cum loco absque aliquo de novo, quia in rebus physicis repugnat mutationem fieri absque aliqua re, aut modo reali noviter producto. Vide hanc conclusionem rursus probatam disp. 8. Log. qu. 12. art. 2. & Jo: de Lug. cit. fise contra Coninch. disputationem.

In oppositum objicitur 1. Tum quia esse alicubi nil aliud est, quam esse in aliquo loco, id est ab aliqua superficie, vel spatio contineri, quod est mera denominatio extrinseca. Tum 2. quia Arist. 4. Phys. 30. & 32. nullum alium agnoscit motus localis terminum præter locum, & 8. Phys. 59. ait, per motum localem non mutari intrinsece ipsum mobile, sicut mutatur per alios motus, quia in aliis motibus acquiritur nova forma accidentalis, ut qualitas, vel quantitas, non autem in motu locali. Tum 3. præcisè hac præsentia, vel Ubi intrinseca a locato, & relicto corpore extrinseco continente, vel erit alicubi; vel non; hoc secundum est intelligibile, ergo primum. Tum 4. ut ait Greg. si interrogetur de Sorte, ubi est, & dicatur, esse in Ecclesia, in Foro, in Schola, bene responderit, sed ista significant ipsa loca extrinseca, & non aliam rem formaliter locato inhaerentem. Tum denique esse aliquando, seu in aliquo tempore non ponit in re nisi denominationem extrinsecam a tempore communi desumptam, cui coexistit, ergo pariter rem esse alicubi, vel in aliquo loco non dicit nisi denominationem extrinsecam ab eo loco desumptam, cui coexistit.

Resp. ad 1. neg. assumptum, nam cum circumscriptio passiva rei locatæ a loco sit terminus motus realis, & positivus, non potest in mobili importare solum extrinsecam denominationem. Ad 2. verum est Arist. loc. cit. 4. Phys. non agnoscere alium terminum extrinsecum motus localis præter locum, agnoscit tamen etiam intrinsecum, dum 5. Phys. ponit motum ac Ubi, & 8. Phys. nolit negare rem per motum localem, nullam prorsus pati mutationem intrinsecam, sed non pati tantum, quantum patitur per alios motus accidentales alterationis, & accretionis, quia nempe Ubi est forma adhuc magis subiecto extranea, quam sit quantitas, & qualitas; qua ratione Doct. in 4. dist. 10. qu. 2. G. dixit, vix aliquam habitudinem accidentaliorem subiecto reperiri posse ipso Ubi. Ad 3. stante indistantia corporis ab hac superficie circumscriptio passiva tolli non potest, cum hæc sit ipsamet præsentia localis corporis ad superficiem, ut docet Doct. quol. 11. art. 4. & si per impossibile tolleretur, tunc non esset alicubi formaliter, sed fundamentaliter, ut de hac, & illa albedine dicimus præcisè similitudine. Ad 4. interrogatio facta per Ubi populariter querit de loco pro materiali, & continente; cui etiam plerumque satisfacimus per locum communem respondendo, esse in schola, in platea, &c. & hoc quia ista sunt notiora, unde ex eo populari modo loquendi nihil ad rem deduci potest. Ad 5. negatur paritas, & ratio disparitatis assignabitur infra disp. 13. qu. 1. prope finem.

41 Secundo arguit Rubion, quod præsupponit locatum esse in loco,

loco, non est necessarium ad hoc, ut illud dicatur in loco, sed Ubi est hujusmodi, præsertim si ponatur forma respectiva, supponit enim corpus, & superficiem intime approximatum. Tum secundo locatum est immediate in loco, ergo nihil poni debet realiter distinctum, quo medio fit in loco, alioquin immediate in loco non foret. Tum tertio porius Ubi deberet dici esse in loco per locatum, quam e contra, quia prius accidens dicitur esse in loco per subiectum, quam e contra, ut patet de albedine in homine. Tum quarto minus recte videtur poni corpus in loco per Ubi, quam per albedinem, quia minus subiectum potest dici in loco existere in loco accidens, quod supponit, ipsum esse in loco; Ubi autem supponit, corpus esse in hoc spatio, & in corpore sic existente resultat, non autem albedo, vel similitudo, quæ abstrahunt a loco, ergo melius per hæc poneretur in loco. Tum quinto assignari nequit, a quo producatur istud Ubi passivum in re locata; & si dicatur ab ipsa re produci in seipsa per motum, tunc querendum manet, a quo producatur activum in locante, quod non movetur. Tum denique ridiculum est dicere, quod quodcumque res mutat locum, sex formas reales corrumpantur, & sex alia de novo generentur, quod tamen dicendum est, ponendo Ubi activum, & passivum formas respectivas realiter distinctas a loco, & locato, nam ex parte loci præter Ubi activum admittenda est duplex unio, una ex parte loci ad Ubi activum, qua mediante illud sibi copulet, & alia ex parte ipsius Ubi, qua mediante dicatur uniri loco, quæ sunt relationes mutua, & totidem ponenda erunt ex parte locati inter ipsum, & suum Ubi passivum.

42 Resp. ad primum ex approximatione corporis ad superficiem prærequisita ad resultantiam Ubi, solum sequitur, quod Ubi supponat corpus in loco fundamentaliter, & materialiter, non vero formaliter, quod commune est omnibus extremis relationum conceptis præcisè relatione, nec dimicibus est concipere tunc extrema solum fundamentaliter talia, & non formaliter, ut duo alba fundamentaliter similia, antequam relatio similitudinis confurgere intelligatur, quam concipere substantiam solum fundamentaliter subsistentem, antequam ab ipsa intelligatur modus subsistentia dimanare, ut dictum est in Log. disp. de Relat. Ad secundum negatur conseq. quia Ubi non mediat, ut Quod est in loco, sed ut Quo aliud per ipsum formaliter est in loco, & hoc non tollit immediationem locationis, sicut quia oculus parietem videt media visione, non ideo dicimus, non videre immediate, quia visio non mediat, nisi ut ratio formalis videndi. Ad tertium neg. assumptum, ad prob. dicimus, accidens utique in loco per subiectum constituit, dummodo non sit id, quod est subiecto ratio formalis essendi in loco, qualem in proposito est Ubi; quæ ratione licet accidens moveri dicatur per subiectum, seu ad motum subiecti, non propterea dicimus, etiam motum moveri per subiectum, quia motus est tale accidens, per quod formaliter subiectum moveri dicitur. Ad quartum non bene corpus diceretur per albedinem esse formaliter in loco, sicut dicitur per Ubi, quia non est accidens ad hoc a natura institutum, sicut Ubi, ut patet in aliis modis. Ad quintum Ubi passivum producit in re locata per motum, seu per actionem, quæ in motu procedit a movente, a quo postea concomitantur producit etiam activum in re locante passivo respondentens. Ad sextum neg. conseq. quia licet Ubi activum ex natura rei distinguatur a loco, & passivum a locato, non tamen hoc unitur locato, & illud loco media unione realiter distincta, quia universaliter loquendo, modus, cum per se existere nequeat sine re modificata, seipso illi unitur realiter, & accidens respectivum seipso realiter inhaeret subiecto, ut docet Scot. 4. dist. 12. qu. 1.

43 Tertio arguit Coninch. ex absurdis, nam primo sequeretur, quodcumque res moveretur localiter, infinitos tales modos novos acquirere, & alios perdere, & movendo paululum digitum, infinitas reales entitates produci, & perdi; unde etiam sequeretur, quotidie produci innumerabilia infinita acta. Secundo sequitur, quod si esset aliquod corpus contractum in punctum, nullo modo posset ab agente naturali moveri, quia non posset in illo talem modum producere, nam cum ille modus præsentia sit aliquid corporale; ex natura sua requirit aliquam extensionem, & consequenter non posset poni in puncto, Falstas autem consequenter patet, nam si illud corpus contractum in punctum esset inclusum alicui parvo corpori omnino solido, & intus concavo, si hoc corpus moveretur, necessario moveretur alterum, quia non posset illud penetrare. Tertio sequitur, idem corpus posse simul, & semel idem Ubi acquirere, & deperdere, & simul habere idem Ubi, & non habere, quod implicat. Conseq. patet, si supponamus id, quod communiter conceditur, posse idem moveri duobus motibus contrariis, uno quidem motu per se, alio vero per accidens, sic enim de facto dicimus, cœlestes moveri planetas, & nautam in navi, si a prora ad puppim ambulet, tali enim casu, cum mobile per unum motum acquirat certum Ubi, & ab eodem simul per alium recedat, sequitur, in eodem tempore habere, & non habere idem Ubi, & in eodem instanti habere, & non habere idem indivisibile.

44 Resp. ad primum illam non esse novam difficultatem, nec esse peculiarem contra modum Ubi, sed militare in universum contra omnes relationes prædicamentales, unde in Log. disp. 8. qu. 2. art. 2. abunde satisfactum est. Ad secundum dicimus, quod sicut agens naturale movendo aliquod corpus causat modum præsentia divisibilem in partibus, & indivisibilem in in-

divisibilibus copulativis partium, ita posset etiam causare præsentiam indivisibilem in corpore illo contacto in punctum, incluso tamen in alio corpore extenso, & solido; sed quia adhuc urgeri posset difficultas, supponendo, quod corpus illud constitutur intra corpus solidum totum in toto, & totum in qualibet ejus parte eo modo, quo corpus Christi continetur nunc in hostia; præstabit dicere, quod si corpus illud solidum moveretur ab agente naturali, corpus aliud intus existens indivisibiliter non moveretur ad eodem agente naturali, sed ab agente supernaturali, quod talem modum præsentia spiritualis illi communicavit eo modo, quo docet Scot. 4. dist. 10. qu. 6. concl. 5. quod Sacerdos movens hostiam non propterea dicitur proprie, & in rigore movere per accidens corpus Christi, sed hoc immediate moveri a Deo, qui eadem voluntate qua instituit Eucharistiam, decrevit etiam facere Christi corpus præsens, ubicumque fuerit hostia. Ad tertium, quod non adducitur a Coninch. cum tamen cœteris magis urgeat, dicimus, argumentum facilius retorqueri contra locum extrinsecum, quem uno motu acquireret, & alio contrario simul, & semel desereret, & quia hæc difficultas proprie spectat ad libr. de Cœlo de motu sphaerarum Cœlest. pro nunc dicimus, re vera in his casibus mobile uno motu moveri attemperato certo quodam modo ex diversis motoribus in contrarium impellentibus, qualis non esset, si ab uno tantum motore prodiret, & planetas non duobus, sed uno tantum tali motu moveri insinuat Doct. 2. dist. 13. qu. 2. refutendo opinionem Alpetragi, neque hoc est difficile concipere, si notetur, quod docet in 4. dist. 10. qu. 2. infra L. ubi ait, quod si eidem passo duo approximarentur agentia contraria, calidum, & frigidum, non moveretur passum motibus contrariis, nec formas contrarias simul acquireret, sed prodiret motus quidam, qui esset via ad formam in media quadam proportionem, sic in proposito dicendum de motu nautæ in navi, & planetarum; solent vero appellari plures motus ob pluralitatem motorum, qui dum in contraria connotantur, medium quendam motum efficiunt modo explicato; aliud quoddam Coninchii argumentum vide solum in Log. loc. cit.

ARTICULUS II.

Qualis forma sit Ubi, declaratur.

45 **D**icimus, Ubi non esse formam absolutam, sed mere relativam, per se, & directe respicientem superficiem corporis continentis, non autem spatium imaginarium. Concl. est contra Recentiores omnes ponentes Ubi formam absolutam, includentem tamen respectum transcendentem per se, & directe ad spatium, non autem ad extrinsecam superficiem, & est Scoti quoad omnes partes; etenim quol. 11. & 2. d. 2. qu. 6. docet Ubi esse respectum extrinsecus advenientem, & quod si aliquod corpus, ac etiam Angelus extra-universum poneretur, nullibi esset localiter; quod etiam affirmat de materia prima 2. dist. 12. qu. 2. D. per quod luculenter dat intelligere, Ubi non importare præsentiam localem in ordine ad spatium, sed in ordine ad corpus ambiens. Et in primis, quod Ubi non sit forma mere absoluta, ut Recentiores illi dicebant, jam ostendimus loc. cit. disp. 8. Log. qu. 12. art. 2. quæ hic reperere opus non est.

Sed quod Ubi non sit forma absoluta essentialiter respectum includens. Prob. 1. illa generali ratione, qua in Log. disp. 8. qu. 12. probavimus, illa non posse in solo absoluto consistere, neque constitui posse ex absoluto, & respectu, etiam si hic ponatur transcendens, quia tunc non importarent genus per se unum. Deinde prob. alia generali ratione, qua ostendimus in Met. nullam entitatem modalem poni debere absolutam, modus enim talis esse debet natura, ut fatentur Adversarii, quod esse nequeat sine re, cujus est modus, sed necessarium petat esse illi affixum, sed ex hoc manifeste deducitur, naturam ejus esse debere relativam, si enim est entitas absoluta, omnis talis potest per se esse, & conservari, hac enim ratione dicimus, quantitatem, & qualitatem posse separatas a substantia existere, & conservari: Et si dicas, modo repugnare per se existentiam ea ratione, qua talis entitas absoluta, nempe modalis, de cujus ratione est, ut semper re-affixa existat. Contra, quia differentia debet esse proportionata generi, quod contrahit, non autem illi repugnans, ergo entitas absoluta, quæ significat entitatem per se existere potentem, non bene per modalitatem contrahitur, quæ hoc directe negat, ergo omnis modus accidentalis debet poni entitas respectiva (substantialis enim, qualis est substantia, vel per se existere potest, vel non est nisi duplex negatio, ut in Met. dicimus ex Scot. 3. dist. 1. qu. 1.) hæc enim ratione suæ naturæ relativæ petit necessario esse affixa subiecto.

46 Accedit, quod modus talis esse debet, ut non niantur rei medio alio modo a seipso diverso, quia tunc daretur processus in infinitum, sed si ponatur entitas absoluta, alio modo modo uniti debeat, quamvis enim quod est alicui ratio essendi tale, Ubi seipso locari, unionem seipsa uniri; hinc solum sequitur, modum unionis seipso uniri debere extremis, quia in hoc munere est Quo, non autem alios modos, immo sicut Ubi, quamvis sit modus, dicitur per actionem produci, ita per unionem poterit, & debet dici uniri, & ita de quolibet alio modo absoluto dicendum erit excepta unione; quod si hujusmodi modos ponamus mere relativos, statim sequitur ex natura ipsorum non indigere alia unione, quæ

Inherentia, qua relatio inheret, non est alia realiter ab ipsa relatione, ut Scot. declarat in 4. dist. 12. qu. 1. sed seipsa realiter inheret. Demum quod asserunt specialiter Juniores de Ubi, quod nempe tam necessariam habeat connexionem cum rebus, quod licet res possit esse sine quocumque Ubi distributive, non tamen collective, non est fati intelligibile; tum quia minorem utriusque affinitatem habet modus substantialis subsistentia cum substantia, quam modus accidentaliter Ubi, & tamen natura substantialis potest quocumque subsistentia creata expoliari collective, ut patet de natura a Verbo assumpta, ergo multo magis idem de Ubi etiam vage sumpto, & independens ab eo, dependentia enim rei a loco est mere accidentalis, ut ait Doct. quol. 11. art. 1. ergo quocumque Ubi etiam collective expoliari posse videtur, omne enim absolutum prius alio absoluto, & ab eo realiter distinctum, & independens potest separari ex Scot. 3. dist. 12. qu. 2.

Ariag. disp. 14. cit. a num. 49. ut conseq. ad suam opinionem loqueretur, in qua ponit ubicationem in suo conceptu esse tam absolutam, ac albedinem, & nigredinem, contendit presentiam localem non esse modum, sed rem, & accidens perfectum, quia etiam de potentia absoluta a subiecto separari queat, ut dicimus de quantitate, & qualitate; quod probat, quia non est major ratio, cur albedo, nigredo, actus videndi, & amandi sint accidentia realia, & non modi. Sed hæc opinio nova est, & singularis, quia hæcenus omnes Auctores ubicationem unanimiter fassi sunt esse modum, & non rem, a re ubicata profus inseparabilem, quod quidem probatum manet evidenter ex rationibus nuper adductis, si enim ubicatio, & presentia mera relatio est, & non entitas absoluta, ut dicebamus in Logica, sequitur evidenter non esse rem, sed modum, quia relatio ex suo genere entitas modalis est, ut diximus disp. 8. Log. qu. 3. art. 1. nec separari posse a re ubicata, quia relatio soluta a fundamento, quod modificat, existere nequit ex ibidem dictis. Et quidem omnino incredibile videtur, quod ibi asserit posse presentiam localem separatam existere in rerum natura a re locata, quia tunc & ipsa die presentia locari, & ubicari deberet, & fiet processus in infinitum. Prob. conseq. quia ut ex dicendis patebit qu. 5. art. 1. omnia illa accidentia, quæ a subiecto separata possunt existere, propria indigent ubicatione. Neque dicas, ubicationem quoad minus locandi esse ita Quo, ut non possit esse Quod; Nam ex hoc sequitur dari posse in rerum natura rem seipsa presentem, & ubicatam sine ubicatione distincta; & si semel concedatur rem aliquam posse seipsa locari sine alio ex natura rei superaddito, hoc idem de omnibus dici poterit, & debeat, ut superius Nominales urgebant art. præc. Nec dicas ubicationem esse essentialiter affixam tali spatio, atque ideo alia ubicatione non indigere, qua illi applicetur, quod de cæteris rebus nequit asseri. Hoc enim ipsum manifeste offendit ubicationem rem absolutam non esse, sed modum essentialiter relativum, & ad aliud essentialiter relativum ad hoc nimirum spatium; atque ideo existere non posse sine subiecto, quod afficit. Demum res creata nequit esse sine omni ubicatione, ut tenet Ariag. cit. sect. 4. ergo tanto minus ubicatio sine quocumque subiecto, nam hoc est prius illa, facilius autem est prius separari a suo posteriori, quam e contra. Et ex his patet solutio ad ejus argumentum, quia albedo, & nigredo sunt entia absoluta, non ubicatione.

47 Quod vero Ubi sit modus relativus, per se respiciens extrinsecum corpus ambiens, non autem spatium, probatur. Tum quia corpora non coexistunt spatio, quomodocumque explicetur, sed per repletionem a corpore factam omnino tollitur, ergo non ubicantur per ordinem ad illud. Tum quia tamen illi coexistenter, ut de facto Angeli coexistunt, tamen dici non possent esse in illo ut in loco, quia dum dicimus, rem esse in loco, est transitiva constructio, & significat, locum esse quid reale, & positivum a re locata diversum, ut Arist. disertè docuit 4. Phys. 18. illis verbis, *semper id, quod alicubi est, & ipsum esse aliquid aliud extra ipsum*, ergo res in solo spatio existens ex hac præcisa coexistentia non potest dici esse alicubi, & consequenter Ubi non sumitur per ordinem ad illud. Tum 3. hic, & ibi dicuntur adverbialia localia, hoc est, a loco desumpta, sed locus non est spatium, sed ultima superficies corporis ambientis, ergo Ubi constituitur in esse per ordinem ad superficiem corporis ambientis, & non ad spatium. Nec valet responso Suar. disp. 51. Met. sect. 2. n. 7. hæc adverbialia dici localia per accidens, quia modo semper connotatur presentia ad corpus extrinsecum circumstant, proprie tamen debere dici presentia, nimirum ex determinata presentia ad hanc, vel illam partem spatii, & ex hac per se desumi, quia ablato quocumque corpore extrinsecum, adhuc res diceretur hic, vel ibi, cum toti spatio non coexistenter, ut Deus. Non valet, quia ablato quocumque corpore extrinsecum, falsum est, rem in parte spatii manentem adhuc icipi posse proprie hic, vel ibi localiter, proprie enim nusquam esset localiter, & quamvis posset dici, hic, vel ibi presentia, id tamen non diceretur per ordinem ad spatium, quia ut supra dictum est, sicut res dici nequit æqualis rei non existentis, vel impossibili, neque ab ea distans, ita neque dici potest illi propinqua, & intime præsens, alioquin dicere possemus, Deum ab æterno rebus futuris coexistisse, immo & possibilibus nunquam futuris, & majori ratione, quam res dicantur spatio coexistere, quia majorem realitatem habent hæc omnia, quam spatium, sunt enim entia realia saltem nominaliter, quod de spatio ne-

quit affirmari. Item presentia dicitur proprie de una re in ordine ad aliam, & non potest constitui in ordine ad nihil, ergo ablato quocumque corpore non potest dici res hic, vel ibi per ordinem ad spatium, sed tantum per ordinem ad diversas partes virtuales divinæ substantiæ ubique diffusæ, vel diceretur esse hic, & non ibi, quatenus non coexistenter toti divinæ substantiæ, & totaliter, sed tantum determinatæ parti juxta suam limitationem.

Jo: de Lug. cit. sect. 6. ut has difficultates evaderet, alium excogitavit modum explicandi hoc spatium imaginarium, & ait, hoc re vera non esse aliud, quam ipsas ubicationes possibiles, quæ suapte natura fundare possunt relationem tantæ, vel tantæ distantia abinvicem. Sed hic dicendi modus non est admittendus; tum quia secundum communem omnium sensum spatium se tenet ex parte loci, non ex parte rei locatæ, sicut se tenet ubicatio; tum quia munera spatii secundum communem loquendi modum sunt recipere, & continere locatum, repleri corporibus, & remanere ipsis abeuntibus, hæc autem munia ubicationibus possibilibus minime applicari queunt; tum quia vulgariter ubicationes ipsas in ordine ad spatium explicamus, & distantiam unius ab alia per ordinem ad diversas spatii partes, male igitur explicatur spatium per ubicationes ipsas possibiles; tum quia possibilitas ubicationum pendet ex ipsa spatii existentia, nisi enim daretur spatium, & inane, in quo corpora recipi possent, hæc utique locari, & ubicari non possent; tum tandem quia tunc frustra quereretur, an Deus sit extra Cælum in spatii imaginarii, sensus enim esset, an sit præsens ubicationibus possibilibus, quod est ridiculum; nullatenus ergo spatium explicari debet per ubicationes possibiles, sed per negationem realem corporum localium, ut explicavimus num. 5. & 6.

48 In oppositum obicitur, primo probando, Ubi non esse formam mere relativam. Tum quia ad relationem non est motus 5. Phys. 10. quia relatio non deperditur, vel acquiritur per se primo, ergo cum ad Ubi sit per se motus, non potest esse pura relatio. Tum secundo, quia si Ubi esset relatio, non posset esse nisi per relationem propinquitatis, & indistantiæ, non enim alia relatio per motum localem acquiritur, at hæc relatio supponit, extrema esse simul hic, vel ibi, sicut relatio distantia supponit, unum extremum esse hic, & aliud ibi, ergo &c. Tum tandem si esset relatio, præsertim esset de numero earum, quæ dicuntur extrinsecus advenientes, ut contendit Scot. quol. 11. art. 4. sed hujusmodi relationes non insurgunt ex natura extremorum, sed potius ex eorum approximatione, ut communiter dicunt Scotista, ergo cum approximat, & propinquitas super Ubi fundetur, ad hoc ut acquiratur Ubi, præexistit aliud Ubi, immo Ubi erit, antequam resultet.

Resp. ad primum ex Scoto quol. Arist. loqui de relatione intrinsecus adveniente, hæc enim est, quæ non per se primo acquiritur, vel amittitur, relatio vero extrinsecus adveniens, qualis est Ubi, habet propriam novitatem, atque adeo potest esse terminus motus. Ad secundum per motum duplex acquiritur respectus in re locata, prius est intimæ presentia localis ad locum, alter est tantæ distantia, vel propinquitatis ad aliam rem, qui necessario consequitur ad primum, velut similitudo ad albedinem, & ille per se primo acquiritur, & in eo consistit modus Ubi; unde falsa est major. Ad tertium in tantum dicitur Ubi existere, ut insurgat, extremorum approximationem, quia ut corpus ab hac superficie locari formaliter dicatur, debet esse infra illam, ita ut superficies ejus connexa sit cum concava continentis contigua: tunc enim ex tali extremorum positione insurgit intima presentia rei locatæ ad locum, quæ dicitur Ubi passivum, & e contra intima presentia loci ad rem locatam, quæ dicitur activum, unde approximat, quæ inter locum, & rem locatam requiritur, ut Ubi insurgat, non est propinquitas illa, quæ habet Ubi pro fundamento, sed contactus, & contiguitas loci, & locati, quæ non est sola, & simplex propinquitas eorum, sed potius compenetratio facta per indivisibilia utriusque.

49 Secundo variata superficie ambiente, corpus adhuc manet, ubi erat prius localiter, ut patet de turri flante vento, non alia ratione, nisi quia manet in eodem spatio; & e contra, si corpus cum eadem superficie corporis continentis spatium mutet, non amplius dicitur manere hic, ubi antea erat, ut constat exemplo navis sæpius adducto, ergo Ubi omnino constituitur per ordinem ad spatium, & non ad superficiem ambientem. Confirm. quia si plures aeris superficies se compenetrarent, & sic compenetrata idem corpus ambiret, adhuc corpus diceretur habere unum Ubi, quia adhuc est in uno, & eodem spatio, sed si Ubi constituitur per ordinem ad superficiem, eo casu dici deberet habere plura Ubi; Tandem potest fieri motus localis in vacuo, & inani extra Cælum, & terminus localis motus est Ubi, ergo constitui non potest per ordinem ad corpus extrinsecum ambiens, per se, & absolute loquendo, sed tantum per ordinem ad spatium.

Resp. variata superficie ambiente turri dici manere adhuc, ubi prius erat, quia advenit superficie priori æquivalens, quatenus turri continet cum simili ordine ad easdem partes divinæ substantiæ, non autem spatii, quod ibi non est, cum sit plenum, cum enim unitas loci non simpliciter attendi debeat ex hac superficie continente, sed continente immobiliter, ut dictum est, quatenus vero immobilis respectum presentia involvat ad certas partes divinæ substantiæ, superficies circa idem corpus succedentibus, quia illud continet cum ordine ad easdem partes divinæ substantiæ.

stantia, dici debent absolute idem locus, quia locus non variatur, nisi ex talis ordinis varietate specifica; e contra vero si circa idem corpus eadem superficies ambiens perseveret, & cum eo moveatur, non habet rationem loci, sed vasis; locus vero dicitur alia, & alia superficies immobilis, quas acquirit mobile integratum ex navi, & aqua secum labente, & dicitur alius, & alius locus non præcise, quia alia, & alia superficies, sed quia continentes navim cum ordine ad alias, & alias partes virtuales divinæ substantiæ ubique diffusæ; itaque corpus esse localiter, ubi prius erat, est corpus locari ab eadem superficie, vel æquivalente, & esse alibi est contineri a superficie cum ordine ad alias partes divinæ substantiæ. Hinc patet ad confirmat. plures enim superficies compenetratae ad invicem circa idem corpus dicerentur idem numero locus, quia illum continent cum ordine ad easdem partes divinæ substantiæ, juxta quem ordinem præsertim attendi debet unitas loci, vel multiplicitas, sicut e contra si plura corpora essent in eodem loco compenetrata, idem Ubi dicerentur habere, & si re vera numero essent in ipsis multiplicata. Ad 3. motus in vacuo, aut inani factus non esset motus localis, quia non esset ad locum, cum ibi non sit locus, sed foret motus latioris ad aliam, & aliam presentiam in ordine ad diversas partes virtuales divinæ substantiæ, quatenus mobile non coexistenter illi toti, & totaliter, unde potius deberet dici motus presentialis, sicut etiam adverbium hic, & ibi, quæ tunc adhiberentur ad explicandas illas diversas presentias, non essent localia, sed presentia, & talis presentia bene posset terminare motum, cum sit respectus extrinsecus adveniens, sicut etiam de facto terminat Ubi, imo cum talis respectus presentia ad prædicamentum Ubi habeat reduci, ut Doct. docet 4. dist. 10. q. 1. K. poterit etiam hæc presentia vocari Ubi, & motus ad eam, motus ad Ubi.

50 Tertio relatio distantia, & propinquitatis inter aliqua duo fundatur super Ubi, ideo enim hoc corpus distat ab illo, quia istud est hic, & illud est ibi, at distantia reperitur inter duo corpora etiam extra Cælum posita, uno v. gr. ex parte Orientis, alio Occidentis, nam adhuc destructo Cælo, & Orbe, videt Deus illa duo corpora non esse simul, ergo Ubi attendi non debet in ordine ad corpus extrinsecum. Deinde totus hic mundus verè est hic, & non alibi in spatio, ubi poterat a Deo creari, neque enim coexistit toti spatio, sicut Deus, at non habet aliud corpus extra se, ergo Ubi non debet attendi in ordine ad aliud corpus, sed ad spatium. Demum ea, quæ sunt, omnes existant alicubi esse 4. Phys. text. 1. ergo mundus erit alicubi sine corpore aliquo extrinsecum.

Resp. duplicem inter duo corpora posse esse distantiam, positivam, & localem unam, & hæc attenditur penes spatium reale, & positivum interceptum, & fundatum in Ubi a loco extrinsecum derivante; privativam, & presentialem alteram, & hæc fundatur super diversas presentias rerum ad diversas partes virtuales divinæ substantiæ, & attenditur penes spatium imaginarium inter presentiam unius, & alterius rei interjectum, unde adhuc diceremus, inter presentiam A, & presentiam B interjici intervallum duorum palmarum, non quia spatium illud fit aliquid reale, sed quia aptitudo quadam est ex parte corporum, ut inter utrumque interjiciatur quantitas duorum palmarum, itaque in casu posito inter illa duo corpora Orbe destructo non remaneret distantia localis, & positiva, sed sola presentialis, & privativa, & unum eorum corporum diceretur esse hic, & aliud ibi, ut hæc sunt adverbialia presentia, & non localia. Ad conf. pariter dicitur, totum Orbem esse hic, & non alibi, non quia sit, aut coexistat determinatæ parti spatii immensi, quia spatium per repletionem tollitur, sed quia determinatis partibus divinæ substantiæ virtualibus est præsens, & non omnibus, quatenus, & si toti divinæ substantiæ coexistat non tamen totaliter. Et in hoc tandem sensu ad 3. dicimus, rem eo ipso, quod producitur, alicubi esse dicit etiam secluso quocumque corpore extrinsecum, sicut Arist. loc. cit. intelligit de rebus in hoc mundo productis, & de alicubi localiter, & non tamen presentialem dicit.

51 Quarto obicitur Fuent. Tum quia esse absolutum rei non variatur per respectus, sed cuilibet corpori deberetur presentia definitiva, idest taliter esse hic, quod non alibi independentem a quocumque ambiente, ergo hæc presentia non variatur penes hoc, quod motus fiat in vacuo, vel in pleno. Tum 2. nullum per se dependet in suo esse ab aliquo contingenti ipsi, motus, quatenus motus localis est, seu quatenus latio ab isto spatio ad aliud, per se petit habere terminum, ergo hic non est respectivus, quia secluso quocumque extrinsecum ambiente adhuc motus haberet terminum. Tum denique si corpore existente in loco circumscriptive annihilaretur Deus ambientem superficiem, tale corpus non maneret localiter præsens defectu relationis terminatæ ad superficiem, & nihilominus maneret cum aliqua presentia, non quidem relativa, quia hæc deficit ad defectum termini scilicet ambientis superficiem, sed absoluta, quæ dicitur definitiva.

Resp. Ubi definitivum attendi posse tam penes superficiem ambientem, intra quam dicitur esse locatum, & non alibi, quam in ordine ad diversas partes virtuales divinæ substantiæ ubique diffusæ, & primum dicitur Ubi locale, secundum Ubi presentiale, est igitur vera minor de secundo Ubi, non de primo, quia presentia definitiva ip ordine ad determinatas partes virtuales divinæ substantiæ, vel ut alii ajunt, in ordine ad certas partes spatii, est independens a quocumque extrinsecum ambiente, sed ex hoc non sequitur, talem presentiam definitivam, & Bellui Tom. II. Physico.

vam esse mere absolutam, quia necessario constitui debet per ordinem ad certas partes spatii, vel potius divinæ substantiæ virtualiter divisibilis iuxta varias opiniones, & verum est, hoc Ubi esse per se terminum motus latioris, nec variari per hoc, quod motus fiat in vacuo, vel pleno. Ad 2. patet per idem, quia utique hoc Ubi est per se terminus motus latioris independens a superficie; sed hinc non sequitur, esse modum pure absolutum, quia necessario dicit ordinem ad spatium, aut immensitatem divinæ substantiæ prædicamentalem, vel transcendentelem. Ad 3. eo casu maneret illud corpus cum presentia definitiva ad spatium, vel certas partes divinæ substantiæ, unde falsum est, remanens esse corpus illud cum presentia mere absoluta; unde magis errat Fuent. cæteris Recentioribus, nam isti constituunt Ubi saltem transcendentaliter relati- vum, & non mere absolutum, ut facit Fuentes: de hæc materia vide dicta in Logica disp. 8. q. 12. art. 2. de Ubi, & Situ.

QUESTIO IV.

Quibus rebus esse in loco competat, & an omnibus univoce conveniat.

52 Docent aliqui, res omnes in universon loco gaudere, etiam Deum ipsum per suam immensitatem in omni loco diffusum. Negant alii, non modo Deum, verum & Angelos esse in loco, idque solum corporibus affirmant convenire. Alii demum res omnes creatas, tam corporeas, quam incorporeas in loco statuunt, Deum excludentes, quippe qui potius cum loco esse, quam in loco dicendus est, ut docet D. Ans. in Monol. qui etiam concedunt, hæc omnia convenire univoce in communi ratione essendi in loco, si locus ponatur esse spatium, quia hoc proprie est locus communis, in quo tam res spirituales, quam corporeæ existere dicantur; at negant, si locus dicatur esse superficies corporis continentis, quoniam substantia spiritualis per suam locationem non abruptum corpus, ut intra superficiem ejus recludatur, & Aristot. dum locum statuit esse ultimam superficiem corporis continentis, absque dubio de loco corporum est dumtaxat locutus; ita loquitur Averfa cit. sect. 1. cum cæteris Recentior. quibus adhæret Rada 2. p. contr. de loco Angelorum.

ARTICULUS I.

Corpora omnia esse in loco, excepta ultima sphaera, demonstratur.

53 Dicendum est, corpora omnia excepto ultimo Cælo, si ve Empyreum, ut Theologi, & hæc attenditur penes spatium reale, & positivum interceptum, & fundatum in Ubi a loco extrinsecum derivante; privativam, & presentialem alteram, & hæc fundatur super diversas presentias rerum ad diversas partes virtuales divinæ substantiæ, & attenditur penes spatium imaginarium inter presentiam unius, & alterius rei interjectum, unde adhuc diceremus, inter presentiam A, & presentiam B interjici intervallum duorum palmarum, non quia spatium illud fit aliquid reale, sed quia aptitudo quadam est ex parte corporum, ut inter utrumque interjiciatur quantitas duorum palmarum, itaque in casu posito inter illa duo corpora Orbe destructo non remaneret distantia localis, & positiva, sed sola presentialis, & privativa, & unum eorum corporum diceretur esse hic, & aliud ibi, ut hæc sunt adverbialia presentia, & non localia. Ad conf. pariter dicitur, totum Orbem esse hic, & non alibi, non quia sit, aut coexistat determinatæ parti spatii immensi, quia spatium per repletionem tollitur, sed quia determinatis partibus divinæ substantiæ virtualibus est præsens, & non omnibus, quatenus, & si toti divinæ substantiæ coexistat non tamen totaliter. Et in hoc tandem sensu ad 3. dicimus, rem eo ipso, quod producitur, alicubi esse dicit etiam secluso quocumque corpore extrinsecum, sicut Arist. loc. cit. intelligit de rebus in hoc mundo productis, & de alicubi localiter, & non tamen presentialem dicit.

54 Resp. passim Recentiores, ultimum Cælum esse in loco, quia est in spatio, quod occupat, & replet. Sed hæc Responf. excluditur ex dictis; tum quia spatium non potest vere dici locus, sed tantum abusive, quia vera munera loci exercere non potest, cum nihil sit; tum quia spatium imaginarium non est compossibile cum corpore, sed ad ejus positionem tollitur, dum ab eo occupatur, & repletur.

Resp. Aver. aliter assignandum esse locum primo mobili, & aliter corporibus inferioribus, quoniam ista sunt in loco ratione corporis extrinseci ipsa ambientis, sed primum mobile est in loco ratione centri, circa quod movetur. Sed hunc dicendi modum optime rejicit Can. 4. Phys. qu. 3. tum quia nullum continens est in loco ratione contenti, sed Cælum continet terram, ergo &c. Prob. major, quia alioquin idem simul esset locus, & locatum respectu ejusdem, quod repugnat, cum locus, & locatum exigant repugnantes rationes; tum quia locus est æqualis locato, & extra ipsum, sed centrum non est hujusmodi respectu primi mobilis. Et ex hoc rejicitur etiam alter dicendi modus eorum, qui primam sphaeram ponunt in loco per sphaeras inferiores.

54 Resp. Scotista communiter, ultimum Cælum esse in loco quoad locare, non quoad locari, quia indefinenter alio, & alio modo locat per motum circulaem corpora inferiora; & putant esse de mente Scoti quodlib. 11. Verum hoc non habet Scot. ibi, quia nunquam continens est in contento tanquam in loco, sed e contra; & hoc esset incidere in opinionem Averr. comm. 45. ponentis ultimum Cælum esse in loco ratione centri, circa quod volvitur; solum ergo air ibi Doctor Cælum ultimum non moveri localiter quoad locari, seu quoad Ubi passivum, sed tantum quoad locare, seu quoad Ubi activum, quatenus continuè acquirit alium, & alium respectum continentis

ad contentum in ordine ad corpora inferiora, & subdit, in hoc sensu explicari debere dictum Aver. quod Caelum est in loco per centrum, nam in alio sensu, quo communiter intelligitur, sustineri non potest, docet igitur Scot. quod ultimum Cœum movetur localiter, quatenus quoad locare hæc inferiora corpora cernitur in eo continua varietas, sed non proprie affirmat, quod sit in loco quoad locare, nam hæc est manifesta repugnantia in adjecto, esse enim in loco formalissime est locari ab aliquo continente, sed aliquid potest moveri localiter non tantum per acquisitionem Ubi passivi, quod prius non habebat, sed etiam per solam acquisitionem activi, utrumque enim natum est terminare motum localem, ita Scoti sensum loculentor explicavit Canon. 4. Phyl. q. 2.

Resp. Thomista ex D. Thom. 4. Phyl. circa tex. 43. & 45. ultimum Caelum esse in loco ratione partium suarum, quatenus una pars in alia continetur velut in loco. Sed neque hoc satisfacit, quia ut Arist. docet 4. Phyl. 34 & 44. neque totum proprie est locus partium, nec una pars locus alterius, quia una pars continuatur alteri, non sic locus locato, cui solus est contiguus, non continuus. Prævidit hoc D. Thom. ideo subdidit partes Cœli, quia sunt ad invicem continuatae, non esse actu in loco sed in potentia, unde si Caelum divideretur, tunc actu essent in loco; Sed neque adhuc satisfacit; tum quia quantum præfens movetur de loco actuali, non autem potentiali, ut diximus initio art. tum quia si de loco potentiali fieret sermo, præfaretur dicere, esse in loco potentialiter, quatenus ambiri potest a sphaera majori, ut dicebat Sampson, quam partem inferiorem esse in superiori ut in loco, si ab ea divideretur, & essent contiguae, non continuæ, tum quia hæc difficultas ortum habuit ex motu locali Cœli, qui, sicut est motus localis in actu, ita Auctores varie conati sunt advenire locum in actu, in quo feret, sed hic per partes assignari non potest, quia dum una pars Cœli movetur, utique non amittit continentiam sub his partibus, ut transeat ad aliam sub aliis partibus, sed simul omnes moventur orbiculariter, nec unquam una acquirit locum in alia.

55 Resp. Masius cit. sect. 2. q. 2. & cum eo Complut. q. 6. §. 4. quod ut aliqua pars moveatur motu circulari, non est necessarium, quantum ex vi huius motus, quod actu mutet locum, qui sit locus in actu, sed satis est mutare locum, qui sit locus in potentia; unde ait Masius, in his, quæ moventur motu recto, verum esse, illud quod movetur actu, esse in loco actu, in aliis vero, quæ moventur in orbem, ut est primum Caelum, posse moveri corpus actu, & esse in loco sola potestate, quia motus in orbem est uniformior, immutabilior; & invariabilior, quam rectus. Sed plane hoc est contra rationem motus, qui dicitur actus entis in potentia, nam per motum dicitur actuari subiectum; quatenus per eum acquiritur actu forma in subiecto, ergo ad hoc ut dicatur actus mobilis, non sufficit, ut acquiratur solum in potentia, imo cum simul omnes partes moveantur in girum, inferiori semper manendo continuata superiori, quæ est locus illius in potentia, sequitur, quod neque mutent locum in potentia. Respond. Compl. partes mutare locum in potentia, non quia hæc desinat contineri ab illa parte, cui antea erat unita, & a qua ambiatur, sed quia licet illa pars materialiter, & in esse partis maneat eadem, non tamen formaliter, & in esse loci in potentia, quæ secundum istam rationem est diversa, quatenus habet distinctam relationem distantiam, quæ præcipue attenditur in loco, & ideo pars locata mutat locum formaliter. Sed hoc non satisfacit; tum quia quando S. Thom. dixit, unam partem esse locum alterius in potentia, respexit continentiam, & non distantiam, quatenus si una discontinuaretur ab alia, & superior contineret inferiorem, ut locus ejus; frustra ergo recurrunt Compl. ad distantiam, ut ostendant, partes mutare locum in potentia; tum quia si attendatur in loco relatio distantiam, & non potius continentiam, non videtur, quare hæc pars alteri continua, quæ nunc sunt in Oriente, sit locus ejus, & non e contra, cum modo sint ab Occidente in æquali distantia; tum denique quia quando etiam salvarent Compl. mutari locum in potentia, hoc adhuc non sufficit, ut supra ostensum est, quia motus in actu, sive sit rectus, sive circularis, debet habere terminum in actu.

Denique alii significarunt locum ultimi Cœli esse propriam ejus superficiem connexam, & sub illa moveri, quod communiter ab omnibus rejicitur; tum quia locus debet esse extra locatum, & illa non est extra ultimum Caelum; tum quia ut docet Arist. in tex. locus nihil debet esse locati; tum tandem quia illa movetur ad motum Cœli, quod est contra rationem loci. Præfaret ergo dicere cum Scot. cit. ultimum Caelum non esse in loco, & non esse contradictionem dari aliquod corpus, quod sit sine aliquo alio corpore continente, quod etiam juxta Doctorem mentem docuit Faber theor. 48. licet in progressu etiam ipse Doctore tribuat, quod primum Caelum posuerit esse in loco, quoad locare, non quoad locari, quod ingenue Scotus non dixit, sed tantum ait sub lit. C. ultimam sphaeram moveri secundum locare, quod certe non est idem, ac esse in loco quoad locare, quia hoc implicat in adjecto, non illud, ut docuimus ex Canonico.

56 In oppositum arguitur 1. auctoritate Arist. 4. Phyl. tex. 1. & 13. ubi ait, omne corpus esse in loco; quod prius docuerat in 3. tex. 54. sed & in specie id asserit de Cælo tex. 32. ea ratione, quia semper est in motu, & locus inventus est propter motum localem; & tex. 45. explicans, quomodo

id esse possit, ait, Caelum esse in loco per accidens, hoc est, per partes. Nec respondere valet, per totum Caelum intelligere univervum constans ex pluribus corporibus, & orbibus, quorum unus alium continet, & hoc est esse in loco ratione partium. Quia Philof. ait, omnes partes Cœli esse quodammodo in loco, ergo per Caelum non intelligit totum univervum, & per partes orbis inferiores, quia orbis inferior continetur in superiori ambiente vere & simpliciter, ut in loco, non autem quodammodo, ut loquitur Arist.

Resp. quando Arist. ab initio 4. Phyl. dixit, omnia esse in loco, secundum communem tunc temporis existimationem loquebatur, tunc enim vigeat sententia de spatio, quod esset locus, & juxta hanc sententiam certum est omnia esse in loco; at postea in progressu hanc sententiam rejicit; in tertio autem specialiter loquebatur de corporibus sublanaribus, scilicet de gravibus, & levibus, ut patet ex ipso context. sic etiam tex. 32. loquitur secundum vulgarem, ut patet ex verbo *putamus*; hujus autem ratio, quam ibi subdidit, ex motu desumpta mox diluatur, & denique tex. 45. sumit Caelum pro univervo, ut exponit Averf. tex. 43. & 53. dicens esse Themisti, & inquit esse in loco ratione partium, quatenus una pars univervi locatur in alia, terra nempe in aqua, aqua in aere, ut ipsemet Arist. explicat tex. 46. & est communis Expositorum opinio; particula autem *quodammodo*, ut notavit Averfa, non cadit supra esse in loco, sed supra *omnes*, & idem sonat, ac fere, vel quasi, ut sensus sit, omnes fere partes univervi esse in loco, quia re vera omnes sunt in loco præter unam, quæ est supremum Caelum.

57 Secundo ultimum Caelum movetur localiter in Orbem, ergo debetur ei locus, in quo fiat hic motus, & a quo denominatur localis, eo præfentim, quia locus inventus est propter motum localem ex ipso Arist. 32. Nec respondere valet, ultimum Caelum apud Theologos esse Empyreum, quod ponitur immobile, ut sit apta Beatorum sedes; quia difficultas saltem urget apud Philof. & etiam Theologos urgere potest, quia posset movere Deus etiam Caelum Empyreum.

Resp. ultimum Caelum moveri localiter secundum locare, & non secundum locari, seu secundum Ubi activum, non passivum, ut docet Scot. quol. 11. quia nempe per illum motum continuo acquiritur alium, & alium respectum in suis partibus continentiaæ activæ ad alia, & alia corpora contenta, non tamen alium, & alium respectum continentiaæ passivæ, quia nullum corpus habet extra se continens; quia tamen præter Ubi locale passivum datur etiam Ubi præfentiale passivum in ordine ad diversas partes virtuales divinarum substantiarum ubique diffusæ, & hic proprie, & per se est terminus motus latioris, qui secundum totam realitatem suam ita fieri potest in vacuo, ac in pleno, & in vacuo factus alium terminum habere non potest, quam ipsum, ut in præcedentibus explicatum est, hinc addendum est, Caelum acquirere etiam secundum partes diversa Ubi præfentiales in ordine ad diversas partes virtuales divinarum substantiarum. Ex hoc tamen Ubi passivo motus Cœli non dicitur localis, quia divina substantia non est locus rerum, sed præfentialis, sicut motus in vacuo factus, quatenus per illum motum continuo acquirit præfentiam aliam, & aliam, sicut etiam adverbialiter hic, & ibi, quæ adhiberentur ad explicandas diversas illas præfentias, non essent adverbialia, sed præfentia, & hoc Ubi passivum præfentiale sufficienter motum terminaret, etiam si Deus annihilaret omnia corpora infra Caelum contenta, idque totum pendet ex antea dictis de loco, & per se terminus motus latioris, & hæc est melior responsio illis, quas ad hanc difficultatem a Doctore motam quol. 11. art. 1. adducit Maurinus in illa additione prope finem art. dicens in eo casu ar. Caelum non motum iri, aut ad Ubi imaginarium non actuale, & reale. Nam dicere, Deum in eo casu non posse movere Caelum, est prorsus irrationabiliter dictum, cum nequeat defectus esse ex parte Dei, nec ex parte corporis, cui etiam in vacuo moveri non repugnat; ut infra, & dicere, quod moveretur ad Ubi imaginarium, est asserere, motum illum non esse verum, & realem, sed imaginarium, ut est terminus ejus, non enim motus majorem habere potest realitatem suo termino, cum specificetur ab eo. Quamvis autem Arist. dicat tex. 32. locum inventum esse propter motum localem, non tamen ait, inventum esse necessario propter motum latioris; quia motus latioris de se indifferens est, ut fiat in pleno, vel in vacuo, unde gratis conceditur motum Cœli ex eo capite, quod continuo secundum partes variat Ubi passivum, non esse localem, sed tantum præfentialem, est tamen localis ea ratione, quia continuo variat Ubi activum, quia ut diximus, tam Ubi passivum locale, quam activum nata sunt terminare localem motum, & eodem modo dicendum foret, si difficultas fieret de Empyreum data illa hypothesi.

58 Tertio corporeitas est ratio essendi in loco circumscriptivæ, ergo omnia corpora necessario sunt in loco ea ratione, qua corpora, Resp. Scot. quol. 11. art. 1. corporeitatem esse rationem fundamentalem essendi in loco circumscriptivæ, non vero formalem, quia hæc est Ubi circumscriptivum, potest autem fundamentum esse absque tali respectu locati ad locans actuali, licet non sine aptitudinali, & ita est de ultimo Cælo. Sed dices, quantitatem esse rationem formalem essendi in loco 4. Phyl. 79. ut notat Scot. ipse 4. dist. 10. q. 3. At ipse quoque respondet ibidem lit. C. quod quantitas est ratio formalis essendi in loco non proxima, sed remota, & ideo esse potest

potest sine tali respectu actuali locati ad locans, præfentim si terminus deficiat, ut in proposito est de ultimo Cælo.

Quares, num sicut corpus expoliari potest Ubi locali, itant vere nullibi sit localiter, quod de quolibet accidere potest, si extra Caelum poneretur, ut ait Doct. 2. dist. 2. q. 5. sic etiam expoliari possit quocumque præfentiali, itant vere nullibi dicatur etiam præfentialem? Resp. rem esse in utramque partem disputabilem, de quo fufe Amic. tract. 20. q. 5. dub. 1. si poneremus Ubi formam absolutam cum Recentioribus, affirmativè respondendum videretur, quia omne absolutum prius alio absoluto, & ab eo realiter distinctum potest eo expoliari ex Doct. 2. dist. 12. q. 2. at ponendo illud esse respectum, & si extrinsecus advenientem, videretur respondendum negativè, quia etiam relatio extrinsecus adveniens necessario infurgit positus aliquibus præter fundamentum, & terminum, ut dictum est in Log. disp. 8. q. 8. ex Liche. quol. 11. nam posito corpore, & loco, utique non necessario sequitur Ubi locale, sed posito corpore in loco, necessario sequitur, posita materia, & forma, non necessario sequitur unio, sed posita forma in materia, necessario sequitur, posito igne, & ligno, imo & approximatis, non sequitur necessario (saltem absolute loquendo) actio, & passio, ut patuit in camino trium puerorum, at inducta caliditate in ligno, necessario sequuntur instar relationum intrinsecus advenientium, scilicet etiam in proposito dicendum foret de Ubi præfentiali, cum enim hoc habeat pro termino divinam substantiam ubique in infinitum diffusam, non potest corpus in hoc mundo, vel extra poni, quin semper illi coexistat, quare licet possit esse sine quocumque tali Ubi distributive, non tamen collectivè, quia necessario semper aliquid ibi determinat vagæ.

ARTICULUS II.

Omnes substantias spirituales esse in loco, solo Deo excepto, probatur.

59 Dicendum est, omnes substantias spirituales esse in loco solo Deo excepto, qui potius esse cum loco dici debet ratione immensitatis suæ, quam esse in loco. Concluf. hæc ponitur a Sampson 4. Phyl. q. 4. & Smifinch. tract. 2. disp. 5. q. 2. & duas habet partes, prima supponit, spirituales substantias intra hunc mundum existere, non extra, ibi enim utique non existent localiter, ut docet Scot. 2. dist. 2. qu. 6. I. at facta tali suppositione loquuntur Scripturæ, & PP. dum Angelis tribuunt locum, dicentes, bonos esse in Cælo, malos vero a Cælo ad Tartara dejectos, & post prælium non amplius eorum locum esse in Cælo inventum, & multoties corpora obsidere, & alia hujusmodi; ex quo loquendi modo manifeste colligitur, PP. & Scripturas intelligere Angelos esse in loco per aliquod corpus extrinsecum, a quo extrinsece Angelus dicitur esse locatus. Hoc itaque supposito, prob. etiam ratione, quod proprie dicantur esse in loco; illud dicitur esse in loco proprie, extra quod est corpus, quod ipsum continet 4. Phyl. 43. sed ita se habent Angeli omnes in hoc mundo existentes, nullus enim Angelus reperitur ita præfentialem, per Orbem diffusus, quin habeat terminum suæ sphaeræ localis, sive intrinsecum, sive extrinsecum, ubi nempe signari possit in circitu certa superficies, ad quam pertingat, nec ulterius progrediatur, & dici infra hanc superficiem ita contineri, ut nihil ejus sit extra, ergo Angeli proprie sunt in loco.

Ex hoc prob. altera pars concluf. Deum scilicet proprie non esse in loco, quia divina substantia ratione suæ immensitatis est ita præfentialem diffusa, ut nullum corpus extra habeat, quod ipsam contineat, & localiter terminet, nec extrinsece, ita ut sit verum dicere, totam divinam substantiam, & totam infra superficiem hujus corporis contineri; neque intrinsece, ita ut sit verum dicere, divinam substantiam hanc superficiem attingere, & nihil ejus ultra hanc reperiri; qua ratione mota Scriptura, & PP. negant, Deum esse in loco, unde Aug. lib. 83. qq. q. 20. ait, Deum non esse alicubi, quod enim est alicubi, loco continetur, & Anselm. in Monol. cap. 22. ait, quod Deus in nullo loco proprie dicitur esse, quia omnino a nullo alio continetur. At quia ex alio capite ratione immensitatis suæ per illapsum generalem est intime præfens, nedum incorporeis, sed etiam corporeis rebus, rationem loci fundari poteritibus in ordine ad substantias limitatas; hinc dicendum, Deum esse cum loco, quatenus etiam illi ea ratione, qua res quadam est corporea, est intime præfens per illapsum generalem.

60 In oppositum objicitur 1. communis modus loquendi Scripturæ, & PP. qui asserunt, Deum esse in loco, & in omni loco per immensitatem suam. Deinde e contra plures SS. PP. negant Angelos esse ita loco, imo Boetius lib. de Hebdom. dicit, hæc esse communem animi conceptionem, incorporalia non esse in loco. Ratio hujus esse potest, quia locus debet esse locato proportionatus, at superficies non est proportionata spiritibus, sed tantum corporibus, ergo quamvis esse possit corporum locus, non tamen Angelorum, & sine dubio quando Arist. 4. Phyl. statuit superficiem esse locum, non nisi de loco corporum loquebatur.

Resp. cum Scriptura, & PP. insinuant, Deum esse in loco, non loquuntur de loco, ut locus est, seu ut exercet munus loci, quod est continere locatum, sed ut res quadam est, quo pacto sicut est in aliis rebus per indistantiam, ita est in loco, non vero per continentiam passivam, ita Smifinch. loc. cit. Ad aliud, cum PP. negant Angelos esse in loco intelligunt de modo essendi in loco circumscriptivæ, & per materialem commensurationem, non vero definitive, & per simplicem præfentiam. Ad rationem dicimus, utique superficiem aptam non

esse, ut spiritus circumscriptivæ contineat, bene tamen definitive, ita ut sit verum dicere, infra hanc superficiem ita Angelum contineri, ut extra eam non sit, & concedimus, Arist. statuisse superficiem pro loco rerum corporearum, quia de ea locutus est præfentim ut nata est locare circumscriptivæ, hinc tamen non sequitur, quin locus etiam Angelorum statui possit, si consideretur, ut apta locare definitive; & si nulla est repugnantia, quod anima rationalis reperitur in corpore, ut forma in materia, tanto minor erit, ut Angelus reperitur infra aliquam superficiem, sicut locatum in loco.

61 Secundo Scot. loc. cit. in 2. ait, quod facta etiam suppositione, quod Angelus sit intra mundum, non idcirco necesse est, quod sit in loco actu, quia non oportet, quod sit in aliquo continente indivisibili actualiter existente sibi proportionato, non enim facit latera continentis distare, constat siquidem, Angelum nullum abrumpere corpus, ut intra ejus superficiem concavam recludatur, velut in loco, ergo Angelus non est in loco, si locus est ultima superficies corporis continentis.

Resp. superficiem posse locum actualitatem denominari duplici de causa, vel quia actu infra se aliquid includit, quod ratione suæ molis ipsam extendit actualiter, & de continente facit terminantem per abruptionem corporis continentis, vel quia actu infra se aliquid continet, quod licet eam non actu extendat, nec faciat ultimam, & terminantem, tamen adhuc verum est dicere, illud infra hanc superficiem ita contineri, ut nihil ejus sit extra; imo modo solum substantiam corporeæ dicuntur esse in loco, & rationes ipsarum incorporeæ, casu quo Angelus v. g. in obfesso tantum diffundatur per quantitatem virtutis, quantum extenditur corpus obfessum per quantitatem molis, ita ut ultima superficies corpus continentis sit quoque terminus sphaeræ localis Angeli; & ita loquitur Doct. cit. sub lit. I. cum inquit, Angelum non esse necessario actu in loco, etiam dum existit intra hunc mundum, nam si non ita alicui corpori coextendatur adæquate, utique non erit actu in loco in hoc sensu, at in secundo sensu etiam ratione sui est in loco, & verum est in quocumque contento definitive, quia res vera nihil ejus est extra locum ambientem, etiam si superficies illa non sit ultima, & terminativa, sed continuativa tantum, ut Doct. clare docet in resp. ad 2. Sic si Angelus in aliqua aeris regione, ubi totus aeris globus est continuus, per unum stadium v. g. diffunderetur, non utique abrumpere aerem, nec sibi faceret superficiem concavam, intra quam recludatur, adhuc taceret in extremitatibus stadii illius posset in circitu signari certa quadam superficies, ad quam pertingat Angelus, sed ultra non progrediatur, & sic actu diceretur ab ea contineri.

62 Tertio, nequit Angelus contineri ab aliqua superficie concava in loco adæquato, ergo nequit vere, & proprie esse in loco, nam Angelum esse in loco est contineri ab aliqua superficie, itant sit infra ipsam, & nihil ejus extra ex Scot. cit. Probatur assumptum supponendo, quod locus Angelus adæquatus sit palmare aeris, tunc si esset in loco, dari deberet aliqua superficies continuativa aeris palmaris cum alio aere, infra quam reperitur solum palmare aer, & Angelus cum eo, itant sit terminus extrinsecus angelicæ præfentiaæ, quia locus est terminus extrinsecus locati 4. Phyl. 30. & 36. sed hoc esse non potest, nam Angelum terminari ab illa superficie extrinsece, est ad illam non pertingere, bene tamen ad quamlibet quantitatem sub ea, sed attingens totam magnitudinem divisibilem, attingit quoque indivisibile terminativum, quia indivisibile additum divisibili non facit majus, ergo contingere nequit, ut Angelus ambiatur superficie, quam intrinsece non attingat, & si intrinsece attingat, jam locus ejus dici nequibit, quia locus est terminus extrinsecus.

Resp. cum Aristot. dixit, locum esse terminum extrinsecum rei locatæ, significare voluit, locum non debere esse partem rei locatæ, vel aliquid ejus, quia locato abeunte locus remanet, & ita adinvicem se habere; ut non continua, sed contigua sint; quantum autem spectat ad terminandam extensionem, & præfentiam rei locatæ, parum curavit, an eam extrinsece terminaret, itant sit verum dicere, rem locatam ad hanc superficiem non pertingere, bene tamen ad quamlibet quantitatem sub ea, an potius intrinsece, ut verum sit dicere, usque ad hanc superficiem extenditur res locata inclusivè, sed ultra eam non progreditur, parum de hoc curavit Aristot. quia sive hoc, sive illud dicatur, semper verum est, locum continere locatum, & ejus præfentiam limitare, ac terminare, & quantum ad argumentum in se spectat, superficies in locatione corporum videtur esse terminus extrinsecus molis eorum, quia moles corporis nequit esse intime præfens spatio correspondenti superficiem concavæ continentis, at in locatione spirituum videtur esse terminus intrinsecus spiritualis extensionis eorum, quia cum eorum extensio sit indivisibilis, potest etiam spiritum ipsum concavæ superficiem pertingere.

63 Quarto, sive locus ponatur esse superficies, sive spatium, semper est quid divisibile, at substantia spiritualis est indivisibilis, ergo non potest illi correspondere, & coextendi. Nec respondere valet, indivisibile spirituale esse indivisibile illimitatum, ac prout potens habere extensionem virtutalem, qua caret indivisibile corporeum. Nam hujus ratio quaritur, cur indivisibile corporeum non possit facere extensionem, bene tamen indivisibile spirituale. Si dicas, punctum esse omnino indivisibile, quia divisibilitas quantitativa oritur ex extensione subiecti, at divisibiliter animæ, vel Angeli in lo-

co non oritur ex extensione subjecti, sed ex replicatione ipsius animæ, vel Angeli in singulis partibus corporis, & loci. Contra hoc est manifesta instantia, quia si hæc virtualis extensio Angeli per locum, & animæ per corpus fiat per huiusmodi replicationes Angeli per locum, & animæ in corpore, ergo a pari idem punctum pluries replicatum faciet extensionem materialem, & spatium occupabit majus, nam ita se habere videntur indivisibilia quantitativa ad extensionem materialem, sicut indivisibilia spiritalia ad extensionem spiritalem.

Respondeo indivisibile spiritale coextendi posse superficiei, aut spatio divisibili, quia et si sit indivisibile formaliter, est tamen divisibile virtualiter, neque nos explicamus extensionem virtuales spirituales substantia per iteratas replicationes eisdem per singulas loci partes, quibus est præsens, nam juxta hanc explicationem urget vehementer paritas assumpta de indivisibili corporeo, & incorporeo, quoad extensionem materialem, & virtualem; sed dicimus, Angelum coextendi loco divisibili per unam, & æquabilem totius sui esse diffusionem in loco adæquato, sic ut totus quidem sit in quolibet puncto, & qualibet loci parte, non tamen complete, ut ex professo declaravimus disp. 9. n. 65. & 66.

64 Ex dictis colligitur, quod quamvis in specie longe sint diversi modi essendi in loco rerum corporalium, & spiritualium, ut magis constabit ex seq. quæst. attamen in genere convenire possunt in aliqua ratione communi univoca ab illis præcisa, quod ita declarari potest; plures modi essendi in loco solent assignari, alius si quidem est modus essendi in loco indefinite, idest, sine fine, in omni loco, & etiam extra omnem locum in spatio imaginario, & ita solus Deus dicitur esse in loco indefinite, & immanente. Alius modus est essendi in loco definite, idest in certo, & determinato loco. Item alius est modus essendi in loco circumscriptive, idest cum extensione partium, & extra positionem cum materiali commensuratione ad partes loci, qui modus est proprius corporum, & alius incircumscriptive, nempe sine tali commensuratione, qui modus est proprius rerum spiritualium. Quamvis ergo rebus creatis, & increatis, non possit assignari ratio communis vere univoca essendi in loco, quia Deus proprie non est in loco, sed potius abusive, attamen omnibus creatis rebus corporeis, & incorporeis assignari potest, nempe continentia passiva, seu realis præsentia rei locatæ ad locum, a quo continetur, ut abstrahit a circumscriptiva, & definitiva, & talis univocatio probari poterit eisdem rationibus, quibus probari solet passim univocatio quorundam transcendentium, aliquam tamen analogiam cum huiusmodi univocacione mixtam non inciamur, sed talem solum, quæ non inferat æquivocationem, sed adhuc juvabit seq. q. ad peculiare modos essendi in loco rerum corporalium, & spiritualium declarandos descendere.

QUESTIO V.

De peculiari modo essendi in loco rerum corporalium, & spiritualium.

65 Quamvis convenient omnes, quod peculiaris modus rerum corporearum essendi in loco, ut a rebus incorporeis distinguitur, est esse in loco circumscriptive, quia esse in loco definitive, nempe ita hic, quod non alibi, est utriusque communis, quatenus sunt entia creata, & limitata, ut dictum est in fine præced. questionis, adhuc tamen diffidium est, quomodo corpus cum suis partibus essentialibus, & accidentalibus dicatur esse in loco circumscriptive, an scilicet pro his omnibus sufficiat unicum Ubi totale, per quod compositum ipsum per se, & adæquate ponatur in loco, cætera vero, quæ in ipso reperiuntur, concomitanter, & per accidens, an potius partes ejus essentialiter, & accidentia in ipso existentia proprias habeant præsentias distinctas a præsentia totius. Vasq. 3. par. disp. 189. cap. 4. & 190. cap. 3. Ruvius 4. Physic. tract. de loco quæst. 5. Complut. qu. 6. inquit, per unum Ubi locari omnia, quæ sunt in eodem subjecto, atque adeo formas substantiales, & accidentia omnium corporum non esse in loco per se, sed per accidens, & ratione subjecti. Ex adverso Suarez disp. 51. Met. sect. 5. Hurt. disp. 14. Physic. sect. 4. Averfa q. 28. sect. 4. Amic. tract. 20. q. 5. dub. 4. præter ubi totius multiplicat præsentias juxta pluralitatem formarum, & accidentium realiter ab invicem distinctorum, & unicam sufficere pro omnibus, & singulis, omnino negant.

De substantiis etiam creatis spiritualibus, ut est Angelus, & anima rationalis, in eo conveniunt omnes, quod sunt in loco definite, & incircumscriptive; definite quidem ratione suæ limitationis, limitatio enim entitatis arguit etiam limitationem in ordine ad locum; incircumscriptive vero, quia sunt in loco per præsentiam indivisibilem, & sine commensuratione ad illum ratione spiritualitatis, & si appropriato eis nomine alicui communi, modus essendi earum in loco dici solet definitivus, quemadmodum e contra modus essendi corporum absolute dicitur circumscriptivus, adhuc tamen dubium est, quomodo explicanda sit hæc indivisibilis præsentia substantiæ spiritualis in loco, & præsertim magnum diffidium est, in quo fundari debeat 1. an in ejus substantia immediate, ut Scot. dicit loc. cit. cum suis, & S. Bon. 2. dist. 2. part. 2. art. 2. qu. 1. & omnibus Nominalibus ibidem, ac Neoterico-rum torrente, Suar. disp. 51. Met. sect. 3. & 4. & lib. 4. de Angelis cap. 2. Vasquez 1. par. disp. 18. cap. 7. Mallon. in

2. dist. 8. disput. 9. sect. 2. Pesant. x. par. quæst. 52. art. 1. quæst. 2. Molin. ibid. disput. un. membr. 5. Coninch. 3. par. ad quæst. 75. art. 4. dub. 1. Hurtad. disp. 12. Met. sect. 6. Morific. disput. 5. Physic. qu. 4. an potius in operatione, ut D. Thom. 1. par. qu. 52. art. 1. cum suis, qui contendunt, Angelum esse in loco per operationem, aut veluti per rationem fundandi præsentiam ad locum, aut potius veluti per ipsam rationem formalem essendi præsens juxta varium Thomistarum explicandi modum sententiam S. Thomæ. Et denique quod dubium est, in quo sensu substantia spiritualis locum determinatum habere dicatur.

ARTICULUS I.

Explicatur modus essendi in loco rerum corporearum.

66 Dicimus 1. Ubi circumscriptivum est ratio formalis essendi in loco circumscriptive, corporeitas vero ratio fundamentalis, si per Ubi circumscriptivum intelligatur illud, quod affert præsentiam divisibilem, & commensurationem totius corporis ad totum locum, & partium illius ad partes istius; quod si per Ubi circumscriptivum intelligatur id, quod ultra præsentiam divisibilem affert etiam præsentiam impenetrabilem, ratio fundamentalis sic essendi in loco circumscriptive est sola quantitas. Concl. pendet ex dictis quæst. 3. hujus disp. & disp. 9. quæst. 1. art. 1. de Nat. quant. cum enim ex dictis supra quæst. 3. necesse sit admittere modum Ubi realiter distinctum a rebus ubicatis, per quem formaliter, & intrinsece res dicuntur esse in loco constituta, consequens est, ut id, per quod corpus formaliter dicitur esse in loco divisibiliter, & circumscriptive aliud non sit, quam modus Ubi circumscriptivus, ut docet Scot. quol. 11. per totum. Et cum ex dictis quæst. 1. disp. 9. substantia materialis, sicut & quodlibet aliud accidens corporeum, adhuc sit divisibilis in partes integrales seclusa quantitate, & quantitas illi solum affert impenetrabilitatem, unde substantia corporea quantitate destituta adhuc in loco divisibiliter remaneret, & circumscriptive per commensurationem partium ad partes loci ratione suæ magnitudinis, licet penetrabiliter; hinc consequenter fit, quod ratio fundamentalis essendi in loco circumscriptive in isto sensu non sit quantitas, sed corporeitas, ut docet Doct. quol. 11. art. 1. quæ in substantia materiali quantitate præcedit, & constituitur per pluralitatem partium integralium; ac entitativum; ratio vero fundamentalis essendi in loco, nedum divisibiliter, sed etiam impenetrabiliter sit sola quantitas, in quo sensu loquitur Doct. 4. d. 10. q. 3. Neque contra hanc conclus. aliz rationes afferri solent præter allatas, & dilutas loco citato.

67 Dicimus 2. et si loquendo de Ubi circumscriptivo præsentiam impenetrabilem afferente unum sufficiat Ubi, ut corpus, & ejus partes essentielles, ac cætera accidentia materialia, quæ in eo inveniuntur in uno loco compenetrata, simul dicantur ubicata, atramen loquendo de Ubi circumscriptivo, solum præsentiam divisibilem afferente sine impenetrabilitate, nedum multiplicandum est pro earum rerum multiplicitate in ordine ad partes virtuales divinæ substantiæ, aut ad spatium, sed etiam in ordine ad superficiem ambientem. Concl. deducitur ex superius dictis, & non solum est contra Vasquez, Ruvium, & alios afferentes, unicum Ubi sufficere ad collocandum corpus cum suis partibus essentialibus, & accidentibus, sed etiam contra Suar. Hurt. Amic. Averf. quamvis enim hi omnes in eo conveniant, quod loquendo de Ubi pro præsentia intrinseca, quam ipsi attendunt in ordine ad spatium, non autem in ordine ad certas partes virtuales divinæ substantiæ ubique diffusæ, multiplicari debeat, pro rerum multiplicitate, quæ in corpore existentes simul compenetratæ reperiuntur in eodem loco, attamen loquendo de Ubi pro præsentia extrinseca in ordine ad superficiem unicum Ubi pro omnibus sufficere dicunt, quod sit per se primo compositi, per accidens vero cæterorum.

Concl. quoad 1. partem est communis, & facile probatur, quia in unoquoque corpore una sola quantitas reperitur, quæ omnes ejus partes essentielles, & accidentia extendit, & impenetrabilia reddit ab alio corpore quanto, si enim singulæ partes, & accidentia singulas haberet quantitates, non inter se compenetrata forent, vel naturaliter daretur penetratio dimensionum, ergo sicut una quantitas sufficit, ut corpus per se primo dicatur extensum quantitativè, & impenetrabiliter; cætera vero concomitanter, & per se secundo, ita unum Ubi circumscriptivum in eo sensu sufficit, per quod primario quantitas, & secundario cætera locum occupent, sicuti primo quantitas est impenetrabilis, & per impenetrabilitatem quantitatis cæteris communicatæ alia redduntur impenetrabilia.

68 Quo autem ad 2. partem, quod nimirum præsentia intrinseca multiplicari debeat pro multiplicitate formarum, & accidentium, quæ sunt in composito, communis est Concl. Auctoribus 2. sententia, at non eodem modo probatur ab omnibus, namque Averfa probat, quia si corpus hic existens replicetur a Deo in alio loco sine aliqua sua forma accidentali, quam hic habet v. g. albedine, & deinde etiam albedinem ipsam replicet in corpore alibi existente, utriusque in hac consequenti reduplicatione sola præsentia formæ in illo secundo loco sit, unde & ibi erit per suam distinctam præsentiam. See hæc ratio

ratio non valet, quia cum corpus a Deo replicatur, necessario consequenter replicari debet cum omnibus suis accidentibus, quæ a loco abstrahunt ad evitandam contradictionem, ut patet infra, unde vel hæc ratio non valet, vel saltem alio modo confici debet, ut valet. Amic. ea ratione probat, quia si aliquid accidens de novo producitur in subjecto, non potest dici fieri præsens eidem loco per Ubi ipsius quantitatis, quia modus nequit modificare, nisi rem quam afficit, cum hac modificatione in genere causæ formalis exerceatur, forma vero non communicat effectum formalem nisi subjecto in quo est. Nec valet dicere, ait Amic. communicationem hanc fieri per concomitantiam plurium in eodem subjecto, nam albedine cum dulcedine reperitur in lacte, non idcirco dicitur dulcis, & modificatio præsertim est communicatio facta per informationem rei a modo. Sed neque hac ratione bene fundatur, siquidem non solum forma in subjectum, sed etiam subjectum in formam denominationem derivare potest, nam non solum quantitatem dicimus albam, sed etiam albedinem quantum, modo jam explicato disp. 3. q. 3. art. 2. n. 37.

69 Ea igitur præsertim ratione quoad hanc partem probanda est Conclusio, quia conservari potest quantitas per se eodem suo Ubi ablata substantia, & e contra substantia sine quantitate modo adhuc extenso, & divisibili ob suam extensionem entitativam, & eodem modo etiam conservari potest albedo ablata substantia, & quantitate, signum evidentissimum, singula quæque horum singulas habere præsentias. Et confirmari potest ex mysterio Eucharistiæ, ubi credimus accidentia remanere cum eadem præsentia ad spatium, quam prius habebant, quando erant in subjecto, ergo cum ex vi consecrationis nulla fiat in eis variatio quoad locum, & præsentiam in loco, fatendum est, quod antea non erant in loco per præsentiam subjecti, per quod refellitur, quod ajunt alii, in præfatio casu utriusque quantitate manere in eodem loco, quo antea, sed non per illud ipsum Ubi quo antea erat in illo, sed per aliud a Deo de novo producendum; non enim ita accidit in Eucharistiæ, & si hoc contingeret, adhuc haberemus intentum, sicut enim tunc esset in loco per proprium Ubi, ita & antea proprium Ubi sibi vindicabat. Quæ ratio valet etiam ad probandum tertiam concl. partem, nimirum multiplicari quoque debere præsentias extrinsecas in ordine ad superficiem ambientem juxta multiplicitatem rerum, & formarum, quæ in subjecto reperiuntur realiter distinctæ, ut discurrenti patebit.

Contra hanc Concl. argunt Vasquez & Ruvius cit. illis debetur distincta per se præsentia, quæ moventur localiter per se, quia Ubi est terminus motus, sed partes essentielles, & accidentia compositi non moventur per se, sed per accidens 5. Physic. cap. 1. & 2. Tob. cap. 3. ergo neque habebunt Ubi per se, sed per accidens locabuntur per locationem, & Ubi totius, ut ipse etiam Scot. infinitum 2. dist. 2. q. 6. E. Tum deinde si Ubi in corpore ita multiplicarentur, jam corpus, dum localiter movetur, non uno motu moveretur, sed tot, quot sunt ejus partes. Demum præsentia fundatur in esse rei, & juxta modum essendi singulis rebus debetur præsentia in loco, ergo cum partes, & accidentia compositi non habeant esse per se, sed sint aliquid compositi, sufficit sola præsentia compositi, quæ illud per se constituat in loco præsens, cætera vero per accidens.

70 Resp. ad 1. dum Arist. & Scot. & etiam communis loquendi modus significant partes, & accidentia moveri per accidens, & per accidens locari, idest per motum, & locationem totius, & non per se, intendunt solum excludere motum, & locationem per se perfectitate totali, seu tertii modi, qui est modus per se essendi, idest solitarie subsistendi, quia hoc modo solum suppositum, cujus sunt partes, & accidentia, per se moveri, & locari dicitur, non tamen per accidens moveri dicitur, & locari, eo quia non recipiant in se intrinsece motum, & terminum motus, sic enim per se moventur non minus, quam totum, & subjectum, ita colligitur ex Scot. 4. d. 10. q. 6. D. Ad 2. dicimus, quod sicut in composito sunt plures partiales entitates, ex quibus unum totum coalescit, ita motus totius suppositi tot motus quatuor partiales includit, qui terminantur ad plura Ubi partialia, ex quibus coalescit unum Ubi unitate integritatis, & aggregationis, per quod suppositum dicitur esse in uno loco, & uno motu ad unum locum moveri. Ad 3. ex eo, quod partes, & accidentia non habeant esse per se perfectitate tertii modi, solum sequitur, quod per se non moventur, & ubicentur perfectitate tali intrinseca.

Deinde obijciunt Compl. quia tam partes essentielles, quam accidentia, quæ sunt in composito, omnia sunt quanta per quantitatem totius, ergo etiam omnia sunt in loco circumscriptive per Ubi totius, quia sola quantitas est ratio fundandi talem præsentiam. Respond. concedendo totum, concludit enim argumentum, quod sufficit unum Ubi circumscriptivum pro omnibus, accipiendo Ubi circumscriptivum pro Ubi quantitativo impenetrabilitatem afferente.

91 Dicimus 3. omne corpus circumscriptive locatum est necessario situatum, ita ut circumscriptio sine Situ nequeat intelligi. Hac concl. ab omnibus recipitur, & facile prob. quia esse in loco circumscriptive est esse in loco dimensive, ita ut totum locatum toti loco correspondeat, & partes locari partibus loci, at situs aliud non est, quam prædictus ordo partium locati ad certas partes loci, ergo corpus circumscriptive locatum debet esse quoque situatum, prob. minor, quia ut dictum est in Log. disp. 4. q. 14. art. 2. juxta communem loquendi modum in schola nostra in hoc differt situs ab Ubi, ut

colligitur ex Scot. 4. dist. 10. q. 1. sub M. quod Ubi refutat, (loquendo de passivo) in re locata ex habitudine ad totum locum, situs vero ex habitudine partium rei locatæ ad determinatas partes loci, ut etiam ex ipsa definitione situs, quam tradit auctor sex principiorum manifeste deducitur, dum ait, positionem esse quandam partium, &c. Ex quo etiam inferitur, invariato Ubi posse mutari situm ita sumptum, ut quando vinum in vase agitur, manet semper totum vinum intra eandem superficiem concavam vasis, atque in eodem loco, singula tamen partes vini respondent vicissim diversis partibus ejusdem superficiæ, & loci, unde in alio sensu hic accipitur situs, quam accipitur q. 1. hujus disp. ab illis auctoribus, qui situm ponebant locum, nam ipsi profertim intelligebant determinatum ordinem, quem habent omnia locata ad centrum, & polos.

Sed præter ea, quæ dicta sunt de situ in Log. qui est proprius corporum, adhuc addendum est, quod sicut duplex datur Ubi circumscriptivum, unum quod affert solum præsentiam divisibilem, cujus fundamentum est corporeitas, & materialitas rei, & convenit omnibus corporibus etiam seclusa quantitate, quia adhuc ratione materialis extensionis eorum impletur, quæ suapte natura esse tota in toto, & tota in qualibet parte loci. Alterum quod ultra divisibilitatem præsentia affert quoque impenetrabilitatem, & tale habetur per solum quantitativum, quæ constituit corpora in loco occupative, & impenetrabiliter; consequenter etiam duplex situs erit distinguendus, alter correspondens Ubi circumscriptivo primi generis, quem præcise habeant corpora ratione suæ materialitatis, alter correspondens Ubi circumscriptivo secundi generis, quem præcise corpora habeant ratione quantitatis. Situs corporeus erit ordo partium corporis contenti ad determinatas partes loci sine penetrationis repugnantia unius partis cum alia, situs vero quantitativus erit ordo partium corporis quanti ad determinatas partes loci cum actuali impenetratione, ita ut repugnet, corpus esse ita situatum, & unam partem compenetrari cum alia, quæ omnia sequuntur ex illo principio, quod substantia materialis sit divisibilis seclusa quantitate in partes entitativas, & integrales, & quod ratione suæ materialitatis adhuc quantitate seclusa foret in loco divisibiliter; quæ omnia fufe, & solide probata sunt disp. 9. q. 1. art. 1. & 2. ex quo etiam principio facile solvuntur quæcumque contra hanc Concl. obijci possent, vide disp. cit. Logic. ubi duplicem viam docuimus constituendi prædicamentum Situs.

ARTICULUS II.

Explicatur modus essendi in loco rerum spiritualium.

72 Dicimus 1. quod substantia spiritualis, ut Angelus, & anima est, in loco fundamentaliter non per suam operationem, sed per suam substantiam, in quantum est naturaliter actualiter existens; ita Scot. in 2. dist. 2. q. 6. & sequuntur auctores omnes supra citati. & præter auctoritates Damasc. Nazian. & August. quas Doct. pro se refert, prob. evidentissimis rationibus. Primo, quando Thomistæ ajunt, Angelos esse in loco per operationem, vel intelligunt de operatione transeunte, qualis est motio; quam circa corpora exercent, vel de immanenti, qualis est intellectio, & volitio; Non primum. Tum quia operatio transeunt non potest esse ratio alicui, cur sit alicubi; Sol enim non est in terra secundum substantiam, licet in ea operetur. Tum quia ratio essendi in loco debet esse in re locata, ut pater de quantitate respectu corporum, sed operatio transeunt non est in Angelo, sed in corpore moto. Tum quia Angeli, & animæ beatæ sunt in Cælo Emphyreo, circa quod nullam habent operationem transeuntem, non enim movent illud. Tum quia Angelus motor alicujus orbis habet totum illud Cælum pro mobili sibi adæquato, & in toto Cælo operatur, & tamen non est in toto Cælo, tunc enim simul esset in Oriente, & Occidente. Tum quia quando aliquid est in loco per aliud, eodem modo est in loco, sicut illud, ut quia corpus est in loco per quantitatem fundamentalem, sicut quantitas est in loco commensurative, ita & corpus, at operatio transeunt Angeli est commensurative in loco, cum sit materialis, ergo etiam & Angelus ipse. Tum denique quia in sententia præsertim D. Thomæ præsentia entitatis agentis est conditio prævia ad actionem, non e contra, unde 1. par. 8. art. 1. probat, Deum ex operatione esse ubique secundum substantiam; ita arguit Doctor loc. cit. & Bassol. ibid. q. 3. art. 3.

73 Neque secundum. Tum quia operatio immanens ita abstrahit a loco, sicut ipsamet Angeli substantia, respicit enim locum intentionaliter solum, sicut cætera objecta: quod si dicatur, actionem immanentem, quæ solum intentionaliter attingitur corpus, abstrahere a loco sicut essentia, non vero actionem, quæ vult Angelus applicare virtutem suam executivam, seu motivam ad producendum aliquid effectum externum circa corpus aliquod; nam operatio immanens in hoc sensu, quæ est virtualiter transeunt, non solum non abstrahit a loco, verum constituit Angelum formaliter in loco, ut explicat Cajet. 1. p. q. 52. art. 1. Contra, tum quia si Diabolus aliquam talem volitionem haberet circa Cælum, statim esset in Cælo. Tum quia contingere potest, quod circa aliquod corpus habeat talem actionem immanentem, quam vocant Thomistæ applicationem virtutis, atque ideo virtualiter transeuntem, & tamen non sit in eo corpore ut in loco, Probatur assumptum, nam Dan. 10. Angelus missus a Deo, ut populum liberaret a captivitate

Babilonica, volebat in Persidem ire ad populum liberandum; unde circa illam Provinciam habebat applicationem virtutis; & tamen ibi non erat, quia resistebat ei Princeps Regni Persarum, idest Angelus illius Provinciae custos; & Marci cap. 3. legitur, quod Christus liberare volens obsessum a spiritu im-mundis, deprecabatur ab eis, ut eos sineret intrare in gregem porcorum ibi vicinum, unde dicebant *Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus*, ex quibus verbis colligitur, spiritus illos habuisse virtutem applicatam circa porcos, in quibus tamen adhuc non erant tanquam in loco, ergo falsum est, Angelos esse in loco per applicationem virtutis in hoc sensu. Denique ridiculum videtur, ut ait Bassol. Angelum ponere naturam malanconicam, ita ut oporteat semper ipsum esse occupatum in cogitando, ut sit in aliquo loco.

74 Secundo, five dicatur Angelus esse in loco per operationem immanentem, five transeuntem, certum est, posse Angelum a quacunque tali cessare, vel ob suam libertatem, vel ob denegatum a Deo concursum, & tamen adhuc substantia eius indistans remaneret ab eo loco, ubi prius operabatur. Deriv enim casus, quod prius operaretur in hoc gymnasio attingendo aerem, vel applicando virtutem suam ad hunc effectum externum, cesset deinde ab hac operatione inchoata, & etiam ab omni alia actione, vel ob libertatem suam, vel ob denegatum Dei concursum ad omnem actionem, utique hac hypothese data manebit Angelus in hac schola, quia sine actione non potest hinc discedere, ergo sine ulla operatione erit in loco. Si dicatur, tunc non esse hic, nec alibi, sed nullibi. Contra, Angelus ille per solam denegationem concursus Dei ad ejus actiones non est annihilatus a Deo, & Deus videt illum esse in universo, videt etiam illum non esse Romae, Parisiis, nec in aliqua alia parte universi, sed tantum in hac schola, ergo Angelus in tali casu adhuc remanet alicubi. Si dicatur, eo casu non fore in hac schola actu, sed aptitudine. Contra, actu est indistans ab hac schola, & actu videtur a Deo, & alio Angelo non distare ab ea, ergo actu est in ea. Si dicatur, tunc fore in hac schola ut in loco fundamentaliter, non formaliter. Contra, rem esse formaliter alicubi est, esse ab eo loco indistans, & qui tenent, Angelum esse in loco per operationem, ideo hoc asserunt, quia volunt Angelum per operationem fieri indistans a loco, in quo dicitur esse. Si dicatur, remanere in hac schola tanquam in spatio, non tanquam in loco. Contra, remanere in hac schola sicut in spatio pleno; ergo tanquam in loco, nam spatium plenum habet rationem loci. Si denique dicatur, talem esse modum in loco posse Angelo competere per potentiam Dei absolutam, sed secundum communem naturam cursum, & ex natura rei esse in loco per operationem. Contra, tum quia ex hoc, quod seclusa operatione quacunque potest adhuc Angelus remanere in loco per suam substantiam immediate, debemus arguere absolute ipsum esse in loco per suam substantiam, non per operationem; tum quia ex natura rei potest Angelus pro sua libertate desistere ab operatione circa quacunque creaturam corpoream, saltem pro aliquo instanti, & se totum occupare circa spiritualia, & adhuc pro eo instanti esse alicubi, ergo etiam ex natura rei potest illi competere talis modus essendi in loco.

Tertio prob. quod ipsamet substantia Angeli posset immediate fundare praesentiam localem, quia entitativa praesentia unius rei ad aliam connotans negationem distantiae unius ab alio admitti debet, cum Deus ratione suae immensitatis dicatur sic intime praesens cunctis rebus, & anima praesens corpori in puncto separationis, eum ipsum primo non informat, ergo non implicat, Angelum per suam substantiam immediate similiter fundare entitativam praesentiam ad aliquod corpus, quod respectu ejus habeat rationem loci, vel continentis, & certe quando dicimus, Angelum secundum substantiam esse hic, & non alibi, aliud significare non praetendimus, quam praesentiam entitativam praesentiam sine locali circumscriptione. Confr. quia res materialis est in loco per suam substantiam, ita ut ubi Deus ab ea quantitatem auferret, non propterea desineret esse in eodem loco; ergo & res spiritualis poterit esse praesens per substantiam, & absolute sic debet dici praesens, & in loco indistans.

Turrianus op. 9. disp. 1. dub. 2. ait, non esse idem, rem esse alicubi praesentem, & esse in loco reali, primum enim solum dicit rem esse praesentem alicui spatio loci, sicut per durationem intrinsecam dicitur res coexistere spatio durationis, at esse in loco reali praeter praesentiam rei respectu spatii addit contactum aliquem, & proportionem cum loco reali, scilicet corporeo. Hinc postea seq. dub. praesertim 5. ait Angelum posse utique esse alicubi, idest ab aliquo spatio indistans per solam exhibitionem suae entitatis, & ad hoc nihil profus conferre actualem operationem, idque sufficienter demonstrari per argumenta Scoti: Addit tamen, necessariam esse operationem transeuntem, ut dicatur Angelus esse in loco reali per virtutalem contactum cum analogia ad locum corporum, ex quo desumpta est denominatio existendi Angelum in loco, nullus enim alius contactus potest esse inter Angelum, & locum realem, & in hoc sensu explicat Sanctum Thomam.

76 Verum licet doctrina, quam tradidit dub. 2. quod aliud est, rem esse alicubi praesentialiter, & aliud esse alicubi tanquam in loco reali, verissima sit, quia spatium re vera exercere nequit munera loci, tamen quod postea inquit in progressu, rem posse dici alicubi praesentialiter ratione spatii praesentiae, a quo est indistans, non est probabile, quia spatium cum nihil profus sit, sicut hac ratione non potest rem vere denomi-

minare localiter ubicatam, ita neque praesentialiter, quia purum nihil non potest terminare veram, realem, & positivam praesentiam, per quam res dicitur esse hic, & non alibi. Deinde falsum est etiam non posse inter locum realem, & Angelum intercedere nisi contactum virtualem, & hunc fieri non posse, nisi media actione transeunte, & corporea, utrumque enim falsum est, quia praeter contactum mathematicum in quantitatibus fundatum, & virtutalem in actionibus, debet etiam admitti contactus, qui dicitur entitativus, consistens in immediata unione, vel intima praesentia unius rei ad aliam, quo genere contactus dicitur Deus ab uno quoque nostrum indistans; quin etiam contactus ipse virtualis fieri potest sine actione, si immediata unio fieret per virtutem sumptam in actu primo, qualis est essentia, & substantia Angeli, nam talis etiam contactus dici potest virtualis, sicut ipsa substantia Angeli dicitur quantitas virtutis.

Contra hanc Concl. insunt Thomistae, primo; in substantia corporea sola quantitas molis est ratio fundamentalis essendi in loco, ita ut si sola quantitas auferatur, substantia materialis in punctum confluit, ergo & in spirituali sola quantitas virtutis, quae est operatio transeuntis, vel applicatio virtutis ad operandum, est ratio fundamentalis essendi in loco definitive. Confr. res in uno loco existens distat ab alia, quae in alio reperitur, sed substantia spiritualis ratione sui non potest distare, quia haec distantia convenit rebus ratione quantitatis, & corporeae molis, ergo substantia spiritualis seipsa esse nequit in loco, sed per operationem transeuntem vel aliquam unionem ad corpus, ratione cuius distare dicitur.

77 Resp. neg. assumptum, substantia enim corporea immediate suscipere potest praesentiam circumscriptionem, vel certe definitivam, & per quantitatem solum constituitur in loco impenetrabiliter, unde argumentum retorqueri potest; quod si assumptum admitteretur, tunc negari deberet, quod in Angelo quantitas virtutis sit operatio, vel applicatio ad illam, erit enim ejus essentia in tali gradu perfecta, quia ratioe dicitur solent quantitas perfectionis, & virtutis. Ad Confr. neg. minor, secluso enim omni corpore, adhuc unus Angelus potest ab alio distare, non ratione extensionis, vel quantitatis, sed ratione praesentiae, per quam constituitur praesens determinatae parti spatii, vel potius certae parti virtuali divinae substantiae, unde necessario distat ab alia parte spatii, vel divinae substantiae, & consequenter a re, quae illi praesens existit.

Secundo ex nostra sententia sequitur, Angelum semper esse debere in aequali loco, quia est in loco ratione substantiae, quae semper est eadem, & invariabilis, sicut a simili; ideo corpus semper occupat aequale spatium, quia ratio occupandi est quantitas, quae nisi varietur per rarefactionem, & condensationem, semper locat in aequali loco.

78 Resp. neg. sequelam, substantia enim est ratio tantum fundamentalis, cur absolute debeatur Angelo praesentia, & ejus limitatio cur debeatur ei determinatus locus, vel spatium verus maximum, at formaliter est in loco per praesentiam proximam causatam a virtute ejus motiva ab imperio suae voluntatis applicata, quare talis, vel talis praesentia, tanta, vel tanta pender a voluntate Angeli, & in hoc differt substantia spiritualis a corporea, quia licet in utraque sit determinata capacitas tanti loci, tamen haec capacitas immediate subditur voluntati Angelicae quoad occupationem tanti, vel tanti loci intra propriam sphaeram, quod de quantitate dici non potest ratione suae extensionis, quia necessario occupat quicquid potest, ut fuitus infra.

Sed dices, ergo si per imperium voluntatis suae virtutem motivam applicantis est Angelus in hoc, vel illo loco tanto, vel tanto, jam est in loco per applicationem virtutis. Resp. per talem applicationem Angelum constitui in loco solum effectivum, non autem tanquam per rationem essendi in loco formalem, vel fundamentalem, in quo sensu est quaestio. Sed iterum dices, ergo poterit Angelus ab omni ubi absolvi, quia praesentia ponitur pendere efficienter a sua voluntate. Resp. posse absolvi ab omni ubi locali, si v. gr. se extra mundum conferat, sed non ab omni ubi praesentiali ratione superius allata q. 4. art. 1. in fine, & certe non rite inferitur consequentia, quia licet sit in Angeli potestate producere hanc, vel illam praesentiam, majorem, vel minorem, non inde sequitur, ab omni posse absolvi propter exigentiam substantiae Angeli actualiter existentis, sicut Deus in corpore extenso potest hanc, vel illam producere praesentiam, non tamen sine omni conservare, si maneat corpus localem cum extensione.

79 Tertio per articulum quendam Parisiensem substantia non est ratio essendi in loco definitive, ergo erit aliqua operatio, & modus substantiae superadditus. Resp. gratis concedendo, substantiam ut sic non esse rationem nec formalem, nec fundamentalem essendi in loco definitive, quia tunc etiam divinae substantiae locus praesertim deberet, sed ratio sic essendi in loco est substantia in quantum limitata. Contra objicies; tum quia limitatio aequivoce dicitur de essentiali, & locali determinatione, tum quia ultra substantiam limitatam non addit, nisi negationem perfectionis entitatis, seu infinitatis, negatio autem non potest esse fundatum relationis realis, qualis est praesentia definitiva. Resp. dato etiam, quod aequivoce diceretur limitatio de essentiali, & locali determinatione, non tamen sequitur, quod ex illa rite inferri nequeat ista, sicut & contra in Deo ex infinitate entitatis rite inferitur ubiquitas; neque finitas, quae est motus entis finiti, dicitur puram negationem,

tionem, licet per negationem explicari solet, sed ultra negationem aliquod positivum involvit, ratione cuius necessario est creatura omnis talis negatio, negatio enim est in subiecto per aliquod positivum, ut docet Doctor. 3. dist. 1. q. 1. sicut e contra infinitas in Deo ponit etiam quid positivum, licet per negationem limitis, & termini solet explicari. Quod si etiam solam negationem diceret, non propterea respectus fundaretur in negatione, quia tunc ly *inquantum* fumeretur specificative, non reduplicative; vel limitatio fumeretur fundamentaliter, non formaliter, ut sensus sit, praesentiam definitivam fundari in substantia, quae est finita, & limitata.

80 Quarto ut aliquid sit in alio tanquam in loco, necesse est, ut illud tangat ex 4. Phyl. sed ex Philosopho duplex tantum habetur contactus, mathematicus scilicet & virtualis, ergo cum Angelus nequeat locum attingere primo contactu, qui fit solum per quantitate molis, attinget altero, qui fit media operatione; Prob. minor, quia 6. & 7. Phyl. solum mentionem facit de contactu, qui fit media quantitate, & media actione, & passione. Resp. majorem proprie esse veram de eo quod est in loco dimensive, de his enim loquitur ibi Arist. in aliis autem sufficit immediata unio unius ad aliud, ita ut inter utrumque nullum interjiciatur spatium, quae unio potest etiam dici contactus, quamvis proprie hic sit inter corpora, & falsum est praeter contactum mathematicum, & virtutalem non dari alium, scilicet entitativum per praesentiam immediatam unionem explicatam, neque Philosopho. hunc negavit loc. cit. sed tantum illos retulit, qui suo sufficiebant instituto, vel in contactu per quantitatem subintellexit etiam unionem per effectivam, quae dicitur quantitas perfectionis, & virtutis, & per hanc quantitatem virtutis substantia spiritualis est in loco, sicut corpus per quantitatem molis.

Quinto, motus localis terminatur ad formam priorem relatione, cum nequeat relatio esse nova sine novitate absoluti in extremis, ergo dum Angelus acquirit localem praesentiam, quae est relatio, necessario per motum acquirit prius quid absolutum, ratione cuius fundat relationem praesentiae, ergo substantia Angeli nuda non est fundamentum praesentiae localis, sed debet esse operans, vel alio modo absolute superinduta. Accedit, quod si substantia nuda esset ratio fundamentalis essendi in loco, Angelus semper necessario maneret in eo loco, quia manente fundamento eodem, & termino eodem, manet eadem relatio, ergo substantia Angeli debet modum absolutum superaddi in ejus potestate constitutus, ad cujus mutationem possit mutare locum.

Resp. valere assumptum de relatione intrinsecus adveniente, ut ait Scot. absol. 11. non extrinsecus, ut est praesentia localis; est forma absoluta solum esset aptus terminus motus, non ideo deberemus addere substantiae Angeli modum absolutum ab ubi distinctum, qui sit illi ratio essendi in loco, sed dicere deberemus, talem formam absolutam esse ipsum ubi, per quod formaliter res constituitur hic, vel ibi ob relationem transcendentem, quam includit ad hoc, vel illud spatium determinatum, ut passim dicunt Recentiores, solo Vaso, excepto, qui praeter ubi, hunc modum absolutum invenit. Ad Confr. eodem modo dicendum, quod valet antecedens de relatione intrinsecus adveniente, quae non potest habere propriam novitatem.

81 Dicimus 2. Ratio formalis, per quam substantia spiritualis constituitur in loco, est forma relativa sibi intrinseca, quae dicitur Ubi circumscriptionem, seu definitivum, quod quidem non est unum, & indivisibile ad totum locum, & omnes illius partes indivisibiliter terminatum, sed sunt tot praesentiae partiales, quot sunt partes proportionales ipsius loci, indivisibiles quidem ex parte subiecti, divisibiles tamen ex parte termini juxta divisibilitatem earum partium. Colligitur ex Scot. loc. saepe cit. & in primis quod Angelus sit in loco per praesentiam sibi inhaerentem, & non per solam similitudinem cum loco, probatur manet ex dictis qu. 3. art. 1. ubi ostendimus, praeter locum, & rem locatam debere etiam admitti modum, qui dicitur Ubi, quo formaliter res constituitur in loco juxta suam conditionem.

Quod autem Ubi, quo Angelus constituitur in loco, non sit unicum, & indivisibile in ordine ad totum locum, & singulas ejus partes, sed multiplex juxta earum multiplicitatem, & etiam extrinsece divisibile juxta earum divisibilitatem, probatur, quia si esset unicum Ubi, & indivisibile, quo totus Angelus esset in loco bipalmari, & totus in qualibet parte, casu quo deficeret palmarum, & in alio tantum remaneret, non tantum amisset praesentiam illius palmi, sed etiam illius, nam per eandem numero praesentiam indivisibilem fuisset utriusque praesens, sed consequens est falsum, quia nunquam cessavit Angelus esse praesens huic palmo, & si cessaverit cessavit illi, ergo nunquam interrupta fuit praesentia ad hunc palmarum, & consequenter praesentia haec est diversa ab ea, qua constituitur praesens alteri palmo, quia haec praesentia manet illa destructa.

82 Deinde potest probari a simili de unione animae ad corpus, non enim est unica unio, qua anima divisibiliter unitur corpori, & singulis ejus partibus, sed tot uniones animae, quot partes corporis proportionales, ergo ita dicendum in proposito; probatur assumptum, quia si tantum esset unica unio, tunc per scissionem cujusqueque minimae partis corporis integra unio animae, & corporis destrueretur, atque ita mors sequeretur; quod absurdum videtur, si ponamus plures uniones, & has etiam divisibiles, non quidem per se, sed ex parte *Agustini, & Bellati Tom. II. Physica.*

terminorum, ea enim ratione, qua sunt indivisibiles ex parte subiecti, sunt singulae in toto subiecto, atque ita totam animam ponunt in singulis partibus corporis, ea vero ratione, qua sunt plures, & ex parte termini divisibiles, sequitur, quod remanet unio, qua anima informat caput, etiam si destruantur unio, qua manum informabat, sic igitur a pari est in proposito dicendum.

Denique probari potest ab opposito, quia corpus Christi dum in puncto specierum existit indivisibiliter, & totum, hoc utique non habet per unicum praesentiam, & indivisibilem ex parte subiecti, tum quia implicat in subiecto divisibili, quale est corpus Christi, accidens spirituale, & indivisibile recipi, tum quia praesentia unius partis non potest constituitur formaliter aliam praesentem, sed tantum illam, quam afficit, quia hic effectus fit in genere causae formalis, sed hoc habet per plures praesentias, & quidem divisibiles ex parte subiecti, constituitur tamen per eas indivisibiliter in puncto specierum, quia sunt ad terminum indivisibilem, ergo ex opposito licet Angelus sit indivisibilis, quia tamen locus est divisibilis, poterit per plures praesentias subiective indivisibiles constitui in loco divisibili.

83 Contra hanc Concl. objicitur 1. anima, quamvis sit una, & indivisibilis, ratione tamen suae spiritualitatis potest esse unita diversis partibus materiae, & Angelus diversis partibus loci ob eandem rationem, ergo etiam unio utriusque ad corpus, & locum ratione spiritualitatis poterit respicere diversas partes corporis, & loci, etiam unica sit, & indivisibilis. Confr. mat. quia Angelus, & anima dicuntur coexistere simul pluribus loci partibus, aut corporis, quia substantia anima, & Angeli, quasi eadem numero replicatur per omnes partes corporis, & loci, ergo eodem modo dicere possumus, cum his substantiis simul replicari eandem numero respectum ad omnes partes corporis, & loci. Denique in corporibus etiam admittantur tot praesentiae in partibus locati, quot sunt partes loci, adhuc tamen admittitur etiam totalis quaedam praesentia totius corporis ad totum locum, ergo pariter in proposito negare non debemus totalem praesentiam, qua Angelus dicitur totus, & totaliter in loco adequato, nam per singulos partiales erit utique totus in toto loco, non tamen totaliter.

Resp. neg. paritatem. Angelus enim, & anima sunt res absolutae, at praesentia, & unio sunt respectus, quae proinde multiplicari debent ad multiplicationem extremorum, & ex eorum variatione variari, cum ab eis essentialiter pendeat. Ad Confr. mat. similiter dicatur, etiam admissio illo communi modo ponendi substantias spirituales in loco, & animam in corpore, quem nos negamus. Ad 3. negatur paritas, quia enim corpus habet pluralitatem partium integralium, necessario distinguendus est respectu totius corporis ad totum locum, & partium ad partes loci, quia experientia constat mutari praesentiam partium, & non praesentiam totius, ut constat de aqua agitata in vase; imo hac de causa respectus isti tantum distinguuntur, ut diversa praedictamenta ponantur constituitur juxta communem Scot. praesentia enim totalis dicitur Ubi, partialis Situs; haec autem ratio non urget de spiritibus, ut discurrenti patet; quae etiam ratione non est necesse distinguere simpliciter respectum, quo Angelus dicitur esse alicubi totus, & totaliter ab eo, quo dicitur esse totus, & non totaliter, sed tantum secundum quid, & quasi per extrinsecam denominationem, unde eodem respectu, quo dicebatur totus, sed non totaliter in semipalmo, dum palmarum occupabat, dicitur deinceps totus; & totaliter esse ex eo solum, quod cessat esse praesens alteri semipalmo.

84 Dicimus 3. Substantia spiritualis habet locum determinatum quoad magnitudinem, non tamen quoad parvitatem, quia semper esse potest in minori quocunque assignato, imo esse potest in puncto, licet non proprie, ut in loco. Concl. quoad 1. partem est Scot. cit. & est communis contra Durandum, quia sicut solus Deus est immensus, ita, ipse solus non est quoad locum determinatus, unde sicut ex infinitate Dei recte inferitur immensitas, ita ex limitatione Angeli, vel animae debet inferri limitatio eorum quoad locum. Accedit, quod Angeli vere localiter moventur, ergo habent locum determinatum. Nec valet dicere, Angelum esse in loco per imperium suae voluntatis, & quod ideo sicut libere se applicat tali, & tanto loco, ita majori, & majori in infinitum. Nam substantia Angeli subditur imperio voluntatis ejus; non quoad esse in loco absolute, sed quoad esse in tali, vel tanto loco intra terminum ejus limitatae naturae praefixum.

Quoad alteram partem tamen Scoti communiter Doct. citent in oppositum ob illas duas rationes, quas asserit pro determinatione loci angelici versus parvitatem, nobis tamen vera libertatem fecit Doctor in hanc, vel illam partem declinandi, sicut & de existentia Angeli in puncto, quia de hac loci angelici determinatione quoad parvitatem in tota illa quaestione semper disputative procedit, & dubitative loquitur, ut ex ipso contextu liquet, & rationes illas pro determinatione loci angelici versus parvitatem asserit ut probabiles, non autem ut necessarias, quod praesertim ex eo colligi potest, quia rationes illae, praecipue prima in maxima Euclidis fundata urgeri potest, & retorqueri, nedum oppugnando determinationem versus parvitatem, sed etiam versus magnitudinem, ut mox patebit.

85 Prob. itaque Concl. quoad hanc partem, quia licet Angeli substantia necessario exigat aliquod Ubi vage, nullum tamen determinate, neg; determinate extensionis versus minimum, quia capacitas tanti vel tanti Ubi intra sphaeram adae-

quanti loci immediate subdit voluntati Angeli, cum igitur sit in tali, & tanto loco per suam substantiam libere applicatam intra limites adequati loci poterit ad eius libitum semper in minori, & minori parte loci se constituit, quia etiam ratione probatur se posse etiam in puncto constituit; licet non tantum in loco proprie, quia locus est quantus, & divisibilis.

Quod autem substantia Angeli, ut est ratio essendi in loco subdat voluntati eius quoad diffusionem tantum, vel tanti loci intra propriam sphaeram, probatur ex differentia, quae est inter homines, & Angelos; quia enim homo liber est, est in eius potestate se constituit in tali, vel tali loco, sed quia est corporeus, & quantus, non est in eius potestate se constituit in tanto, vel tanto, quia corpus eius necessario extenditur in loco secundum totam quantitatem suam, cujus partes non possunt se penetrare ad libitum hominis, Angelus autem est liber, & incorporeus, & ideo remanet in eius potestate, ut se constituat in tali, vel tali loco, tanto, vel tanto intra propriam sphaeram. Accedit, quod Beati, eo quia habent dotem subtilitatis, imperium habent supra corpus suum, ut non solum possit cetera penetrare, sed etiam partes eius ad se invicem, cum omnes hanc dotem participant; qua ratione possit Beatus se ad minorem locum restringere, quam eius naturalis quantitas postulat. Denique idem spiritus occupat modo corpus viri, modo pueri. Nec valet responsio Bassoli, 2. dist. 2. q. 4. quod cum obstat puerum, occupat etiam partem aeris circumstantem necessariam ad latitudinem sphaerae localis eius. Nam hoc videtur contra praxim quotidianam exorcistarum, qui spiritus cogunt se retrahere ab una parte corporis obsessi ad aliam, & multoties in digito coercent; & si vera est responsio Bassolii, dicere oportebit, quod daemonicus ille Evangelii relatus, obsessus daemonum legione, dum movebatur implebat immensum aeris spatium daemonibus, qui cum essent sexmille, sexcenti, & sexaginta sex, singuli tantum aeris occupabant, quantum erat necessarium ad latitudinem sphaerae localis eorum.

86 Deinde cum Angelus est in loco sibi adequato, est totus in toto, & totus in qualibet parte loci etiam proportionali, quantumvis minima, imo etiam in puncto, sed ita in singulis partibus existit, ut existens in una non dependet a seipso existente in alia, ergo in quacunque signata, vel signabili poterit existere, non existendo in aliis, imo etiam in puncto. Responsio autem, quam huic adhibent argumento Faber in 2. dist. 16. & Vulpes de Angelis disp. 18. art. 5. partes scilicet proportionales non dari actu in continuo, sed tantum in potentia, & non esse ibi secundum actualitatem existentiam, sed tantum juxta mathematicam imaginationem, est contra omnem Philosophiam, quae docet a parte rei continuum esse divisibile in infinitum per has partes, & licet haec divisio fieri nequeat ab agente naturali per instrumenta naturalia, potest tamen fieri a Deo, ut demonstravimus disp. 9. q. 2. ubi cum Scoto explicavimus, quomodo intelligatur Philosophus, cum ait partes proportionales esse in continua potentia, non actu.

Contra 2. partem hujus Concl. obijciunt 1. ratione Scoti in Euclide fundata; quidquid potest esse in uno aequali, potest esse & in alio, si ibi figuratio non repugnat ex 35. propositione Euclidis, sed Angelo nulla figuratio loci repugnat, in quo est, ergo si potest esse in uno aequali, etiam & in altero, & per consequens si potest esse in quadrato quantumcumque parvo, & stricto, poterit etiam esse in quadrangulo quantumcumque longo illi quadrato, aequali, quod est falsum, quia tunc Angelus possit esse simul in Caelo, & in Terra, cum tantum valeat quadratus in quadrangulum extendi, quod est contra Damasc. lib. 2. cap. 3. & Greg. 1. Moral. c. 2. & hom. 34. in Evang. ubi ajunt, Angelum non esse in Caelo, cum versatur in Terra.

87 Resp. in primis hanc rationem etiam urgere Societas, & oppugnare determinationem loci angelici nedum versus parvitate, sed etiam versus magnitudinem, nam si iste terminus versus parvitate quadratus v. g. unius palmi, tunc sic argumentari licebit; Angelus potest esse in isto quadrato, ergo etiam in quadrangulo quantumcumque longo, qui ex eo efformari potest, sola variata figura, quae variatio Angeli non repugnat, atque ita simul esse poterit in Caelo, & in terra. Sit etiam terminus versus magnitudinem, quadratus v. g. sex palmorum; si Angelus esse potest in isto, ergo & in quadrangulo ex eo efformabili, quia Angelo nulla loci figuratio repugnat, atque ita poterit esse in loco majori eo, qui ponebatur maximus, & quidquid Scotista dixerint ad suam partem tuendam, statim & nos dicimus sumus ad tuendam nostram. Nec valet dicere, rationem Scoti concludere ex hoc, quod Angelus possit esse in quadrato quantumcumque parvo, non autem in quocumque quadrato non valet, quia non ex solo quadrato quantumvis minimo potest extrahi quadrangulum in infinitum profertur, sed ex quocumque quadrato, & si potest extrahi ex minori, tanto magis ex majori. Sed dices ex hoc, quod aliquod esse possit in aliquo quadrato, non sequitur semper esse posse in quadrangulo, aqua enim v. g. potest esse in quadrato palmari, & tamen nequit esse in quadrangulo quantumvis longo, quia non potest esse in quadrato quantumvis parvo, ex eo enim quod non potest constringi quantumvis secundum latitudinem, sequitur, quod non possit protendi quantumvis secundum longitudinem, ita igitur in proposito, ex hoc, quod Angelus esse possit in tanto quadrato, vel tanto, non sequitur, posse esse in quadrangulo quantumvis longo ab illo extrahibili, bene tamen ex hoc, quod esse possit in quadrato quantumvis parvo, & stricto, quia si non repugnat Au-

gelo in infinitum constringi secundum latitudinem, nec etiam repugnabit protendi in longitudinem, & in hoc sensu procedit ratio Scoti. Contra argumentum non concludit de aqua, quod si est in hoc quadrato, etiam esse possit in quadrangulo quantumvis longo, quia supponitur habere terminum naturalem parvitate (licet id etiam falsum sit, ut dictum est disp. 9. q. 3. art. 1.) ac proinde aliquam loci figuratorem ei repugnare, at in proposito sicut nulla determinata figuratio convenit Angelo, quia non est corpus, ita nulla sibi repugnat, & ideo si potest esse in uno aequali, etiam & in alio esse poterit, quia figuratio non obstat in spiritibus.

88 Resp. itaque cum Major, 2. dist. 2. qu. 9. concedendo, posse Angelum esse in linea a Caelo usque ad terram protracta, & hoc naturaliter, neque ex hoc sequitur esse in loco majori, quam sit maximus, quia licet excedat in longitudine, deficit tamen proportionaliter quoad latitudinem, quia quadratus, & quadrangulus sunt aequalis quantitatis sola figuratone differentes, & ideo eo casu non esset Angelus extra sphaeram sui loci adequati. PP. vero cit. negant posse Angelum esse simul in Caelo, & in terra secundum omnes dimensiones sui loci adequati, ita ut si spatium adequatum est stadium, secundum omnem dimensionem extendi nequit a terra usque ad Caelum, nam sic esset in pluribus locis adequatis naturaliter, quam solutionem ut sufficientem amplectitur ex nostris Pater Cavellus disp. 4. de Anim. sep. sect. 6. & confirmari potest exemplo corporum, nam homogenea non determinant sibi minimum ex Scoto 2. dist. 2. q. 9. & consequenter ipsis figuratio non repugnat; si aqua v. gr. est in aliquo quadrato, poterit etiam esse in quolibet quadrangulo, quantumcumque longo, quia potest dividi quoad latitudinem in infinitum, & illud addi longitudini, & tamen adhuc non erit in loco majori, quam petat ejus limitata natura. Vel si velimus determinare locum Angeli versus magnitudinem secundum singulas dimensiones, licet sit in aliquo quadrato, adhuc negare debemus posse esse in quadrangulo quantumcumque longo, sed tantum in eo esse poterit, quod determinatam longitudinem non excedit, atque ita dicemus, propositionem Euclidis solum in iis habere veritatem, quae non habent terminos magnitudinis, vel parvitate.

Secundo arguitur alia ratione Scoti: alienus virtutis est in Angelo constituit se in aliquo loco, ergo majoris virtutis est constituit se in minori, & minori; ergo virtutis erit infinita constituit se in minori, & minori in infinitum sine termino; Prima consequ. patet, quia quanto magis Angelus habet in potestate sua quantitatem virtutis, secundum quam est in loco, tanto major in ipso arguitur virtus activa.

89 Resp. quod si haec ratio intelligatur, ut communiter intelligi solet, quod ex posse esse in minori, & minori loco concludatur infinita virtus, sicut ex posse esse in majori, & majori est manifesta, & prorsus ridicula disparitas, aliter, si quis haberet potentiam ferendi pondus, ut centum, ista potentia esset infinita, quia non solum potest eam applicare ponderi ut centum, sed etiam ut quinquaginta, viginti, decem, &c. & sic in infinitum: & potentia, quam habet Angelus ad dividendum continuum in minores, & minores partes in infinitum esset infinita, quae omnia falsa sunt. Nec valet ad tuendam hanc Scoti rationem asserere simile de potentia visiva, quod nempe ad videndum objectum minus, & minus visibile requiritur perfectior, & perfectior potentia visiva, ergo a pari ad constituendum se in minori, & minori loco requiritur perfectior, & perfectior potentia motiva. Non valet, est enim omnino dispar ratio, siquidem utique ad videndum minus, & minus objectum requiritur major efficacia ex parte potentiae visivae, quia objectum minus movet, & difficilius potentiae subjicitur, at se facere in minori loco facilius subjicitur potentiae, sicut & portare minus pondus. Ista igitur secunda Scoti ratio totam viam a prima desumit, nam ex hoc, quod Angelus possit esse in minori, & minori loco per infinitum, per primam rationem inferrebat, quod possit esse in loco quantumcumque magno, non igitur in ista secunda ratione inferretur major, & perfectior virtus in Angelo ex hoc precise, quod possit se coardare ad minorem, & minorem locum, ut passim Scotista putant, sed quia dum se coardat secundum latitudinem, se protendit in longitudinem, & acquirit majorem, & majorem locum, unde in fine hujus rationis ait, *Sicut igitur si possit in infinitum esse in majori, & majori loco argueretur infinitas virtutis suae, ita concluderetur infinitas virtutis suae, si possit esse in infinitum in minori, & minori loco, quia videlicet ex hoc, quod possit esse in minori, & minori, sequitur quod possit esse in majori, & majori secundum unam dimensionem; debet igitur ista ratio solvi, sicut praecedens, quod sicut si protendatur quadratus in quadrangulum etiam extra Caelum, nunquam concluditur, quod Angelus sit in majori loco suo adequato, sic ex hoc, quod possit per restrictionem in infinitum elongari, non arguitur in Angelo major, & perfectior potentia, sed eadem potentia libere applicata minori effectui, quia potentia adhuc remanet in propria sphaera; bene tamen talis potentia perfectior deduceretur, si ex hoc, quod potest se elongare per restrictionem, esset in loco majori suo adequato.*

90 Tertio obijciunt; Tum quia Deus semper, & necessario habet praesentiam adequatam suae substantiae infinitae, sic & anima in corpore, & corpora in loco, ut in minori esse nequeant; ergo idem erit de Angelo. Tum deinde, quia locus qua-

quatenus quantum precise secundum partes proportionales communicantes est divisibilis in infinitum, & talis divisio est secundum mathematicam imaginationem, non autem a parte rei possibilis, ergo nequit esse Angelus a parte rei in loco quantumcumque minori, & ait P. Vulpes, hanc esse rationem a priori.

Resp. neg. conf. quamvis enim Angelus semper eadem perfectione essentiali sit praeditus, nec eam imminuere possit prohibito, quia tamen est in loco tali, vel tali, tanto, vel tanto intra sphaeram adequatam per eam libere applicatam, hinc esse potest modo in majori, modo in minori. Nec paritas de Deo, anima in corpore, & corpore in loco valet, Deus enim ob suam immutabilitatem non potest mutare praesentiam, neque anima in corpore, quia non est in ipso, ut locatum in loco, sed ut forma in materia, unde quantum corpus informat, necessario habet praesentiam corpori adequatam; nec tandem paritas de corpore valet, quia hoc est in loco ratione quantitatis, quae ratione suae extensionis occupat, quicquid potest, cum ejus partes naturaliter se penetrare nequeant in eodem spatio, & ideo semper est in loco sibi adequato, haec autem ratio non militat in Angelo. Ad 2. neg. assumptum quoad 2. partem, sicut enim continuum a parte rei non constat ex indivisibilibus, sed ex semper divisibilibus, ita haec divisio est a parte rei possibilis, licet nequeat in infinitum protrahi ab agente naturali per physica instrumenta.

91 Quarto arguitur, quod nequeat esse in puncto. Tum quia Angelus habet ex perfectione propriae essentiae magnitudinem quandam spirituales, ergo necessario petit locum divisibilem illi proportionatum. Tum quia si esset in puncto, non possit ex illo localiter moveri, nisi spatium constaret ex punctis, quod est impossibile. Tum demum indivisibile non potest separatum existere, quia modus petit semper esse affixus rei, cujus est modus, indivisibilia vero sunt modi rerum continuatarum, ergo per praesentiam indivisibilem non potest Angelus constitui praesens puncto, nisi cum dependentia ad partiales praesentias Angeli, quas continuat, ac proinde ut Angelus sit in puncto per praesentiam indivisibilem, necesse est, ut sit simul in spatio divisibili per praesentiam divisibilem.

Resp. ad 1. neg. consequ. licet enim habeat spirituales magnitudinem, haec tamen est formaliter indivisibilis, ideoque potens tota, & totaliter in solo puncto constitui, quod de corpore quanto dici nequit, ratione enim partium impenetrabilium non potest totum in puncto constitui citra miraculum. Ad 2. neg. consequ. cum Scot. cit. possit siquidem immediate ex puncto movere se ad continuum, cujus punctus est terminus, ut disp. 9. diximus de corpore sphaerico super planum moto. Accedit, quod Angelus ex puncto nedum supra lineam possit immediate se facere, sed etiam super superficiem, si magis explicare voluerit suam substantiam, & in tali casu evitantur difficultates, quae solent asferri de motu corporis sphaerici. Ad 3. multi ea ratione convicti negant posse Angelum esse in solo puncto; alii dixerunt esse posse, non tamen per praesentiam indivisibilem continuatam praesentiarum partialium ipsius Angeli, sed per aliam distinctam, quae sit totalis, & non modus alterius praesentiae continuativae, ita Turrian. cit. disp. 2. art. 3. in fine, sed forte inconveniens non est, quod indivisibile aliquid possit separatum existere a partibus continuatis, & doctrina illa de modis Recentioribus familiaris a nobis universaliter non recipitur, ut in *Metaphys. dicemus*.

QUAESTIO VI.

An Deus sit in spatio quoque imaginariis extra Caelum.

92 Differenda erat haec q. in Met. ad dif. de attributis intelligentiae primae, qui est Deus, verum quia tota doctrina, quam hucusque tradidimus de loco, & de de termino motus latens pendet ex decisione hujus quaestio. placuit illud hic inferre. Deus esse ubique ratione suae immensitatis, fatentur omnes, ad quod probandum ratio naturalis non deest, ut in Met. dicemus; dissidium tamen est, quomodo haec divina ubiquitas sit explicanda, an scilicet Deus immensitate sua repleat solummodo hunc mundum, quatenus omnibus creatis rebus est intime praesens secundum substantiam suam, an etiam extra mundum reperitur per spatia imaginaria diffusus: Sententia affirmans communis est inter Recentiores, negans vero tribuitur Scot. 1. dist. 37. qu. un. quam omnes Scotista amplectuntur in eum locum, & P. Vulpes tom. 1. dist. 18. art. 3. & ex Neoterics Valsq. acriter tuetur 1. p. dist. 19. Sed ut notatur Suar. in Met. disp. 30. sect. 7. Valent. 1. p. dist. 1. q. 8. punct. 2. & Smifinch. tract. 2. disp. 5. q. 2. n. 70. haec controversia est tota de nomine, & de modo loquendi; nam certum est apud omnes, Deum intra hujus mundi cancellos non concludi, sed esse etiam re ipsa, & extra mundum, tamen contendunt multi non esse extra mundum tanquam alicubi, seu in aliquo Ubi, quia spatium imaginarium nequit habere rationem loci, & praesentiam realem, ac positivam rerum terminare non potest, ita Suar. cit. unde inquit esse extra mundum, non tantum in loco, sed tantum in spatio imaginario. Smifinch. autem neque hunc dicendi modum vult concedere, quia nihil est chimera, & istius spatii omnino est eadem, ac proinde sicut in chimera nihil proprie dici potest contineri, vel existere, ita nec in tali spatio, unde concludit, dicendum esse cum PP. quod Deus eo suam immensitatem non solum in toto hoc mundo, verum etiam extra hunc mundum reperitur diffusus, nequaquam tamen dici debere, quod sit in spatio imaginario extra Caelum.

Verum quamvis haec quaestio re ipsa sit de modo loquendi, & non de re, tamen Valsq. & P. Vulpes, caterique ruores partis negativae in eo sensu tuentur illam, ut eam videantur facere quaestione de re, quia firmiter negant, Deum ullo modo reperiri extra hunc mundum, & in tantum dicunt divinam immensitatem hoc mundo non concludi, non quia ex vi ejus modo sit extra Caelum, sed quia natus est fieri praesens praesentia ejusdem rationis alteri universo, & infinitis, si existere; quare in hac quaestione ostendemus, non solum quantum ad rem spectat, Deum re ipsa, & actu modo extra mundum reperiri, verum etiam posse in aliquo sensu dici esse in spatio imaginario priori ratione, quam non diceretur esse in chimera, aliique figmentis.

93 Dicimus igitur, Deum ratione suae immensitatis nedum in toto hoc mundo, verum etiam extra hunc mundum per spatium illud inane diffusum reperiri. Concl. colligitur ex Scripturae sapienter asserente, Deum non capi hoc mundo, sed esse illo majorem; *Caelum, & Caeli Caelorum te non capiunt* 3. Reg. 8. *excelsior Caelo est*, Job. 11. *quem totus non capit Orbis canit Ecclesia*, quibus auctoritatibus non fatistis dicendo insinuari solum per eas aptitudinalem praesentiam divinam immensitatis cuicumque rei possibili, & actuale praesentiam ad hoc universum eam non coequare, loquuntur enim Script. de actuali praesentia, & repletionem, & ait quoad hanc Deum hoc mundo non capi, quod si de sola aptitudinali loqueretur, potius diceret, Deum non esse hoc mundo capibilem, quia alii infinitis esse potest praesens, si existerent; Et juxta hunc sensum etiam intelligunt PP. has auctoritates, nam ex illa praesentiam Job deducunt D. Hieron. Beda lib. 9. cap. 11. Greg. lib. 10. Moral. cap. 8. Dionys. de Deo cap. 9. Aug. tom. 4. lib. de Divina essentia, & 11. de Civit. Dei cap. 5. & 7. Confess. cap. 5. Deum esse extra omnia, sed non exclusivum; & intra omnia, sed non inclusivum, ut anima in corpore; asserunt itaque PP. Deum etiam extra hunc mundum existere, licet expresse non dicant esse in spatio imaginario extra mundum; sed si de re constat apud PP. Deum esse extra hunc mundum, & ab eo spatio indistantem, in quo alios, & alios orbes condere possit, an etiam dici possit esse in illo spatio, vel illi spatio praesens, est quaestio de modo loquendi, sicut enim in rigore neutrum dici deberet, & melius diceretur, Deum esse etiam extra mundum, ut PP. loquuntur, ita mitius agendo utrunque admitti potest, & Deum esse in illo spatio, & esse illi praesentem; cum enim spatium extra Caelum vere sit admitendum veluti negatio realis corporum cum non repugnantia ex parte eorum, ut ibi sint nullo considerante intellectu, sicut dantur aliae negationes. & privationes reales, ut tenebra, cecitas, &c. consequenter dicere possumus, Deum esse in spatio, id est tali negationi coexistere, quemadmodum absente Sole dicimus mundum esse in tenebris, cecitatem esse in oculo, materiam ignis esse sub privatione formae aquae, nam haec, & aliae similes loquendi formulae aliud non insinuant, nisi coexistentiam subjectorum his negationibus in genere, sic igitur in proposito dicere possumus, Deum esse in spatio, id est coexistere tali negationi extra genus.

94 Possumus etiam dicere, Deum esse praesentem illi spatio, non quidem accipiendo praesentiam per relationem reali, & positiva veritate inter duo extrema positiva sibi invicem indistincte coexistentia, quo genere praesentiae dicimus, Deum esse huic mundo praesentem, cum enim spatium imaginarium sit mera negatio, veram & positivam relationem praesentiae nec fundare nec terminare potest; sed accipiendo praesentiam per simpliciter indistantia, quae dici solet praesentia negativa, & explicatur per negationem absentiae. Itaque dum dicimus, Deum esse in spatio imaginariis, non dicimus esse in illis ut in loco, & ut ly esse in dicit realem coexistentiam loci, & locati, vel realem, & positivam praesentiam unius ad aliud, sed tantum dicimus illi negationi extra genus per spatium importatae coexistere, & ab eo spatio esse indistantem, in quo possit alios, & alios condere mundos, & in hoc sensu Conclusio est verissima, & in principiis Scoti necessario asserenda, licet Scotista communiter oppositum teneant, uno excepto Smifinchio, qui tenet nobiscum, Deum esse etiam extra hunc mundum, licet ipse quoque postea vereatur admittere illum loquendi modum, quod sit in spatio imaginario, sed haec nimia superstitio est in modo loquendi.

Primo itaque prob. Concl. in hunc mundum, juxta Scoti principia, & secundum veritatem; fieri potest motus in vacuo, nedum terminato, sed etiam interminato, ergo si per vacuum spatium potest lapis moveri, vel Angelus, jam in eo supponitur existere, motus enim supponit existentiam mobilis in spatio, in quo fit motus, ergo sicut in vacuo tunc vere existeret corpus, vel Angelus absque alterius corporis existentia, ita & Deus foret in eo, & modo est in spatio inani extra Caelum, & eodem prorsus modo, quo lapis, vel Angelus tunc dicerentur esse in vacuo, modo dicendum Deum esse in spatio imaginario. Haec ratio tam evidens est, & prompta, quod P. Vulpes, ut defenderet, Deum non esse extra Caelum in spatio imaginario, potius negare voluit vacuum absolute esse possibile divinam virtute, sed tantum vacuum dimensionatum admittit esse possibile, & in eo atque fieri posse motum successivum, si cederet; & in hoc sensu, ait, locutum esse Doctorem in 2. distinct. 2. q. 9. 2. & quol. 11. artic. 2. dum docuit, vacuum esse possibile, & in eo fieri posse motum successivum.

95 Sed plane nullus Theologus negat, vacuum absolute sumptum

ipsum esse Deo possibile, imo quampures contendunt etiam virtute Angelica fieri posse, si a Deo permittetur, ut dicemus disput. seq. & Doctorem id aperte docet quol. 11. art. 2. ut plane mirum sit, quomodo tam celebris Scritta id ausus sit negare. Sed quicquid sit de hoc, demus casum etiam ab isto Scritta admittum, Deum nempe extra Cælum aliquid corpus creare, vel Angelum, tunc petendum est, quomodo se haberet hic Angelus ad spatium illud extra Cælum; ait Vulpes, nos utique imaginari, quod esset in spatio, sed re vera non esset nisi in se ipso negative, quatenus nulli corpori esset localiter præsens, vel tanquam in loco. At id est, quod contendimus, eo modo, quo tunc corpus, vel Angelus esset extra Cælum, ponamus modo de factio ibi Deum, non enim videtur, qua ratione concedatur, Angelum, & corpus posse extra Cælum poni, & existere, & postea negetur, Deum ita de factio ibi existere, ut existerent Angelus, & corpus in eo casu; quod si non vult in eo casu Angelum, vel corpus esse in eo spatio tanquam in loco, id etiam dicamus tunc de Deo; dummodo alio modo vere dicatur ibi esse, quia non magis repugnat Deo esse, ubi nihil est præter ipsum, quam mundo, & cuius corpori, vel Angelo, quare si de istis conceditur, de Deo etiam pariter concedi debet.

Resp. Vasquez, id non repugnare corpori, quia ratione sua molis facit spatium reale, non ita substantia spiritualis, quæ proprie non replet spatium imaginariæ. Sed contra, spatium reale, quod corpora faciunt, non est distinctum ab ipsismet corporibus, ergo si corpus potest a se ipso denominari esse in spatio etiam ibi, ubi nihil erat, cur non etiam res spirituales secundum suam substantiam realiter diffusa? imo magis de ipsis id asserendum videtur, quia substantiæ spirituales per suam diffusionem non proprie replent, at tollunt spatium, bene tamen corpora, ut qu. 1. art. 1. probatum est, ergo de illis proprie dici potest intime coexistere negationi per spatium importatæ. Accedit, quod res spirituales habent suam spiritualem extensionem extensioni quantitativæ corporis respondentem, ergo si corpora ratione suæ extensionis materialis vere dici possunt per spatium diffusa, etiam & res spirituales ratione extensionis æquivalentis; cumque Deus ratione suæ immensitatis in sua extensione spirituali æqualeat corpori infinitæ magnitudinis, sicut hoc, si daretur, repletet omne spatium, ita & modo Deus.

96 Secundo prob. nam si Deus modo non est extra Cælum, poterit vere, ac proprie moveri, possit enim v. g. hunc mundum movere de hoc spatio, in quo ipsum creavit, ad aliud, in quo creari poterat, & simul cum ipso transferri velut nauta movetur ad motum navis, & anima transfertur cum corpore, & Angelus cum corpore assumpto, ergo vere, ac proprie moveretur, quia vere hoc spatium desereret, cui modo est præsens cum mundo, & aliud de novo acquireret, in quo prius non erat.

Respond. Aliqui, in tali casu vere, ac proprie Deum non motum iri, quia non moveretur per se, sed per accidens ad motum mundi. Contra, hoc non impedit, quin proprie, & vere moveri dicatur; tamen quia non id solum, quod per se movetur, vere & realiter movetur, sed etiam quod movetur per accidens, ut patet de illo, qui navi vehitur, vel curru, tum quia tam id, quod per se movetur, quam quod movetur per accidens, proprium ubi acquiritur ex dictis q. præced. art. 1. atque ideo vere, & proprie movetur.

Resp. Alii, in tali casu Deum non vere motum iri, quia per solum extrinsecam denominationem a mundo provenientem diceretur modo indistans ab eo spatio, a quo prius distabat pariter per denominationem extrinsecam a mundo provenientem. Contra, licet per extrinsecam denominationem a mundo derivatam possit Deus dici ei præsens, & coexistens, non tamen per eam dici potest huic spatio præsens, in quo est mundus, quia per hanc extrinsecam denominationem solummodo Deus refertur ad mundum, non vero ad spatium, in quo est mundus. Et plane non satis est intelligibile quomodo Deus dicatur in hac schola præsens ratione præsentia corporis hic existentis, & non potius quia hic secundum substantiam suam diffusus reperitur, ergo quamvis salvari possit, Deum esse rebus præsentem per solum extrinsecam denominationem, id est per terminationem præsentia in illis rebus fundata; tamen per solum extrinsecam denominationem salvari nequit ejus indistantia ab hoc, & illo spatio, sed hoc erit per intrinsecam exhibitionem suæ substantia; & immediatam coexistentiam huic, & illi. Quod adhuc amplius declaratur, quia intima præsentia unius rei ad aliam, ut Angeli ad corpus assumptum, non refultat inter extrema quomodocunque, sed inter ea intime approximata, & indistantia, ergo similiter realis, & positiva præsentia Dei cum mundo, vel Angelo non refultat inter ea, nisi prius supponatur intime approximata, & in eodem spatio coexistentia, in quo cernitur disparitas denominationum creatis, & præsentis, ut enim in Deo illa deoimatio refultat, sufficit sola rei creatio, in quacunque sit distantia, at ut Deus edicatur intime præsens, non sufficit sola ejus creatio, sed ibi omnino creari debet, ubi Deus præexistit, vel Deus rei creatæ se ipsum approximare, ut postea dicatur illi præsens.

Resp. tandem Alii, non posse mundum extra Cælum moveri, & universum in vacuo repugnare motum, & illi videntur magis consequenter loqui, quam ceteri. Sed motum in vacuo non repugnare seq. disp. demonstrabimus, & argumentum adhuc urget contra ipsos, casu quo Deus hunc mundum annihilaret,

& alium in alio spatio crearet, tunc enim vere unum spatium deseruisset, & aliud de novo acquisivisset, & si Deus alium mundum ab hoc distans construeret, cognatur isti concedere saltem Deum a seipso distare, esseque in utroque orbe, & non in spatio interjecto.

97 Tertio tandem prob. paritate ex æternitate desumpta quæ sapie Scotus utitur, Deus per æternitatem omne tempus actuale supergreditur, dicitur enim fuisse ante omne tempus reale per totum tempus imaginariæ, etiam infinitum præcedens, non quidem quod esset in eo per aliquam realem, & positivam coexistentiam, sed vere coexistebat negationi temporis realis, unde si tunc non coexistit positive tempore reali, defectus fuit ex parte termini, non fundamenti, & ita explicat D. infinitatem æternitatis supra tempus i. dist. 39. B. & Y. ita ergo immensitas in hoc sensu omnem locum actualem supergreditur, ita ut Deus sit etiam extra omnem locum realem in spatio imaginario, non quod sit in eo per realem, & positivam coexistentiam, sed quatenus etiam coexistit extra mundum negationi locali realis. Confr. hac paritas, vere diximus, Deum ante omne tempus reale existisse per totum tempus imaginariæ etiam infinitum præcedens, & per hoc tantum insinuare volumus, ante quodlibet tempus reale assignatum potuisse aliud, & aliud assignari, & tunc jam existisse Deum; ergo pariter dicere possumus, & debemus, ratione suæ immensitatis extra omnem locum realem in spatio imaginario infinito, & per hoc insinuare extra omnem locum actualem potuisse alium, & alium a Deo produci in spatio imaginario, & ibi Deum reperiri. Et sicut quando dicimus, tunc etiam quando tempus reale non erat Deum existisse: bene loquimur, quia ly *tunc* non significat aliquam durationem realem, sed ipsam durationem Dei, ut aptam ad coexistendum tempori, quod antea esse possit, ita cum dicimus; Deum ante mundi creationem existisse hic, ubi nunc creatus est mundus; recte loquimur, quia ly *hic*, vel *ibi* non significat locum realem actu existentem, sed solum Dei præsentiam per immensitatem, ut de se aptam ad coexistendum localiter cuicunque corpori realiter ibi existenti.

98 In oppositum arguitur i. auctor. PP. qui nunquam dixerunt, Deum esse in spatio imaginario, imo quærentes, ubi fuerit ante mundi creationem, dicunt nullibi fuisse, sed tantum in seipso, ita August. in Psalm. 122. Bern. lib. 5. de Confid. & alii. Respond. quod quamvis PP. expresse non dixerint; Deum esse in spatiis imaginariis, dixerunt tamen, esse extra mundum, ut fufe probat Smifinch. per illum autem loquendi modum, quod Deus ante mundi creationem, non fuerit alicubi, sed tantum in se ipso, solum significare voluerunt, nihil ab æterno, vel ante mundi constitutionem Deo coexistisse, in quo tanquam in aliquo reali fuerit, & cui positive fuerit præsens, præsentia enim proprie videtur dicere relationem ad aliam rem, cui altera dicitur esse præsens.

Secundo arguitur auctoritatibus D. Bonav. & Scoti, tanquam hæc fuerit perpetua eorum sententia i. d. 37. quamvis enim Scotus i. d. 39. cit. negat præsentiam Dei actualem extra mundum, videtur negare solum præsentiam realem, & positivam, tamen si bene perpendatur d. 37. in fine, negat, Deum esse ibi, etiam ut esse in dicit simplicem indistantiam, ideo enim probat ibi ex omnipotentia non inferri formaliter immensitatem, quia Deus potest agere indistans, & ubi non esset per impossibile in aliqua parte huius universi, & ita de factio ait creasse mundum in spatio, ubi non erat, ergo Doct. manifeste negat omnem præsentiam Dei extra mundum tam positivam, quam negativam.

Resp. immerito hos Doct. adduci pro opposita sent. & quidem Seraphicus pro nostra sententia clarius loqui non poterat i. d. 37. P. 2. art. 1. q. 2. ad ult. ubi tangens secundam rationem allatam ex immobilitate Dei desumptam, sic loquitur: *Cum res moveatur, Deum non dimittit, nec ad Deum accedit, nec Deus cum re venit, quia sic est in re, ut sit extra rem idem, ideo nec res eum dimittit nec novum invenit, hoc est intelligibile si quis potest intelligere, quod Deus est immensus, quia enim est immensus, ita est intra, quod est extra.* Subtilis vero in i. d. 39. extra mundum solum Deo denegat præsentiam positivam, ut patet ex illius expressis verbis sub litt. y. Difficilior est explicatu i. dist. 37. artamen si bene ponderetur, etiam ibi loquitur de præsentia positiva, quæ scilicet habet terminum positivum, inquit enim potentiam Dei prius habuisse terminum suum realem, quam habuerit immensitas; negat vero indistantiam Dei a spatio, ubi creavit mundum, veluti necessariam ab intrinseco ad omnipotentiam, quasi ex omnipotentia necessario, & ab intrinseco inferatur immensitas, de hoc enim erat ibi disputatio sua cum D. Tho. an immensitas necessario præcedat omnipotentiam; non autem negat absolute, unde cum inquit, ante mundi creationem non esse imaginandum spatium infinitum, in quo Deus prius fuerit præsens, ut ibi mundum conderet, debet intelligi necessario, & indispensabiliter, talem enim indistantiam ab illo spatio putabat D. Tho. debere necessario præcedere ad effectum omnipotentiam, atque ita negat Doct. in eodem sensu talem præsentiam Dei in spatio, non absolute, sed veluti necessariam ad effectum omnipotentia; habendum, quia etsi re vera ibi fuerit, non tamen ut ibi præsens mundum condidit, imo non ut alicubi præsens Deus secundum essentiam fuit potens facere mundum, & licet præcesserit immensitas potentiam suam, non tamen (ait Doct.) præexigebatur potentia suæ, ut potentia est. Ecce quod non negat immensitatem præcessisse omnipotentiam, sed non præxigi ut potentia est, quia etiam si Deus per impossibile non esset immensus, adhuc agere posset, ubi non est præsens; dum vero inquit, potentiam prius habuisse termi-

terminum suum, quam immensitas, vel præsentia secundum essentiam, loquitur de præsentia reali, & positiva, quæ est positiva, & intima coexistentia ad aliud reale. Smifinch. hu. 68. ait, Doct. ita locutum fuisse i. dist. 37. q. un. non quia putaret, Deum etiam extra hunc mundum non reperiri, sed quia non lebat admittere illum locum modum, quod Deus sit in spatio imaginario. Sed nostra expositio magis satisficit, quia si textum inspiciamus, plane non solum videtur Doct. negare voluisse, quod Deus non sit in spatiis imaginariis, sed absolute, quod non sit extra mundum.

100 Tertio arguitur rationibus. Tum quia si Deus recte dicitur esse in spatiis imaginariis, poterit etiam dici esse in rebus possibilibus v. g. Antichristo in negationibus, in privationibus, & in chimeris ab intellectu nostro confictis. Tum 2. quia spatium non est quid positivum, & reale, ergo non potest Deus vere dici in eo existere, quia unum esse in alio non tantum dicit existentiam absolutam illius rei, sed connotat etiam aliquid aliud distinctum, in quo dicitur esse. Tum tandem, quod est in spatio, est in nihilo, quia spatium nihil est, ergo tantum valet dicere, Deum esse in spatio, ac esse in nihilo, vel nullibi.

Resp. ad 1. neg. sequelam, datur enim etiam suo modo distinctio inter non entia, & negationes, unde videmus, hanc negationem tolli per hanc formam, & non per illam, reperiri in hoc subiecto, & non illo, quæ tenebra tollitur per lucem, non per visum, & cæcitas in oculo reperitur, non in aere, sic in proposito negatio extrinsecam per spatium importata, est peculiaris negatio a cæteris distincta, cui peculiariter convenit repleri per substantiam corpoream, & spiritualemente suo modo, non autem aliis, & ideo Deus dici potest esse in hac negatione, & non in aliis, quæ ratione nec minus valet paritas de rebus possibilibus, & chimeris; tum quia res possibilis, & chimæ rebus ad talem denominationem ineptæ, cum huic soli negationi per spatium importatæ specialiter conveniat; tum quia cum omni profus realitate actuali careant, non potest eis cum veritate dici Deus actu coexistere, ac spatium importat negationem realem actu existentem extra mundum (eo modo, quo de negationibus existentia potest enunciari) negatione nempe corporis cum non repugnantia ex parte ipsius corporis, ut ibi ponatur; dicitur autem imaginariæ, quatenus a nobis concipitur per modum extensionis positivæ realis, imaginando in eo trinam dimensionem realem corporum dimensionibus respondentem, non vero quia sit merum ens rationis. Et tandem si dicere veteris, Deum esse in spatiis imaginariis, dicas esse etiam extra mundum, non enim curamus de modo loquendi, dummodo de re conveniamus. Ad 2. negatur conseq. latius enim patet esse realiter in aliquo, quam esse in aliquo reali, & ideo dici potest Deus esse realiter in spatio, licet non tanquam in aliquo positivo reali, quia non est in eo, vel ei non coexistit, ut aliquo positivo, sed ei potest dici coexistere, ut oculus cum cæcitate, mundus cum tenebris; ad prob. consequentiæ concedimus, quod esse in spatio non dicit solum rei existentiam absolute, sed connotat aliquid distinctum, non tamen reale positivum; sicut enim dicitur cæcitas esse in oculo, mundus in tenebris, ita dicitur Deus esse in spatio. Ad 3. si esse nullibi negat existentiam in loco, verum est quod est in spatio re vera nullibi esse, quia non est alicubi, ut in loco, si tamen neget etiam simplicem indistantiam ab isto spatio, ubi corpus aliquod creari potest, falsum est, quod est in spatio nullibi esse. Et quæ in hac questione determinavimus, Deum scilicet dici posse esse in spatio, ei coexistere, ab eo non distare, &c. non repugnat dictis q. 3. art. 2. ubi concludimus, ubi locale non posse desumi in ordine ad spatium, quia nihil est, & penes nihil attendi nequit distantia, vel præsentia rei, quia etiam ratione q. 2. art. 2. negamus, veram loci immobilitatem a spatio desumi, quia ibi loquebamur de immobilitate loci, quæ est passio positiva, & de præsentia importata per ubi locale, ac distantia fundata super ipsum, quæ importat relationes reales, & positivas, at hic loquimur de præsentia mere negativa pro sola indistantia. Et tandem concludimus, hanc esse item de modo loquendi, si dicere renuis, Deum esse in spatiis imaginariis, dicas esse extra Cælum, & fumus concordet, nam de modo loquendi nolimus rixari.

Q U Æ S T I O VII.

An plura entia, sive corporea, sive incorporea possint esse in eodem loco.

101 DE rebus spiritualibus non est difficultas, nam omnes concedunt, plures Angelos posse esse in eodem loco etiam naturaliter, nam ex Evangelio constat, unum corpus obfessum fuisse Dæmonum legione, sex mille, sexcentis, & sexaginta sex Dæmonibus constante more legionum Romanarum, unde traxerat nomen, quamvis apud Thomistas struens Angelos in loco per operationem res difficultate non vacet, nam data hac sententia, necesse fuisse, hominem illum commoveri simul mille sexcentis, & sexaginta sex motibus. Sola igitur remanet difficultas de corporibus, an naturaliter, vel faltem supernaturaliter plura possint esse in eodem loco. Quæ de re tres solent citari opiniones, duæ extremæ, & una media. Prima extrema asserit, id esse possibile etiam naturaliter, quod multis experientis probatur, ita Fernel. lib. 2. suæ Philolog. c. ult. Petrus Joann. Provenz. quol. 3. q. 7. q. 3. & inclinat Argent. 4. dist. 49. q. 1. art. 4. Altera sententia extrema asserit implicare contradictionem, duo corpora in eodem spatio consistere, sic videtur docuisse Durand. 4. d. 44. q. 6. & Palud. q. 3. art. 3. Media sententia asserit, id esse impossibile per vires naturales, possibile tamen per potentiam Dei absolutam, ita communis apud Veteres, & Recentiores, quam docuit Scot. 4. d. 49.

q. 16. & quol. 11. art. 3. quamvis Recent. nonnulli Scoto tribuant, quod asserat, hoc esse possibile, si unum corpus careat extensione locali, ut est de corpore Christi in Eucharistia, nam corpus Christi, & species sunt in eodem loco, species circumscriptivæ, Christi vero corpus sine extensione locali. Sed licet Scotus hoc modo asserat, duo corpora esse posse in eodem loco, adhuc tamen docet posse ambo esse cum circumscriptivæ, & extensione locali, in hoc enim sensu movetur difficultas, & Doct. rixatur non in illo, pro solutione quæstionis.

102 Dicimus i. posse plures res spirituales, & unam spiritualemente cum alia corporea in eodem spatio naturaliter collocari, non ita plures corporeas. Concl. quoad utranq; partem est indubitata, & eodem fundamento probatur; ratio enim præcisa, cur naturaliter duo corpora sint in eodem loco, & spatio incompossibilia, est eorum quantitas, hæc enim est, quæ formaliter rebus omnibus impenetrabilitatem asserit, & ad quam naturaliter sequitur actualis impenetratio, ut Scot. docet 4. d. 49. q. 16. §. *Alii dicunt* &c. & probat ex Philof. 4. Phys. 76. ubi ait, quod si dimensiones essent a corporibus separatæ, adhuc adinvicem repugnarent, & impossibiles forent, quod fide credimus in Eucharistia Sacramento contingere, ubi videmus, unam hostiam consecratam cum alia non penetrari; cum igitur res omnes corporeæ sint quantitate præditæ, & eadem expertes omnes incorporeæ, consequens est, ut plures corporeæ simul esse nequeant in eodem spatio naturaliter penetratæ, si habent quantitates distinctas; plures autem incorporeæ simul esse possunt, quia interdum Dæmon est intra corpus hominis, ubi etiam est anima rationalis, vel una spiritualis cum alia corporea, ut patet de anima rationali penetratæ simul cum corpore in eodem loco, in tali autem casu sunt omnia ista per distinctos respectus præsentiarum, & ubicationes diversas ad eundem locum materialem terminatas simul in eodem spatio collocatas, in hoc enim nulla videtur implicancia.

Contra hanc concl. arguitur i. quod plures res spirituales naturaliter esse nequeant in eodem loco; tum quia hoc videtur postulare ordo universi, ut si una res est ab alia distincta secundum entitatem, ita etiam distincta sit secundum locum, præsertim quando ambo sunt entia completa, & unum non est de integritate alterius. Tum 2. quæ sunt in eodem spatio, sunt per penetrationem, quæ naturaliter possibilis non est. Tum 3. quæ eodem modo comparantur ad aliquid, non possunt esse simul in illo faltem naturaliter, ut constat de duabus formis substantialibus, quæ non possunt naturaliter simul esse in eadem materia, sed Angeli eodem modo comparantur ad spatium, ergo, &c. Tum tandem quia de hoc videtur dubitare Doct. 2. dist. 2. q. 8.

103 Resp. ad 1. assumptum illud valere de rebus corporeis, at in incorporeis asseri nequit ratio probans, idem postulare ordinem universi. Ad 2. repugnat penetratio naturaliter in rebus quantis, non in rebus quantitate exutis; præterquam quod penetratio proprie ad res quantas pertinet, unde cum duo Angeli sint in eodem spatio, vel anima simul cum corpore, hæc proprie penetratio dici non debet, sed sola duorum similitas in eodem loco. Ad 3. ait Doct. 2. d. 2. quæst. 8. in fine, majorem illam esse universaliter falsam, si vero teneat solum ob simile allatum de duabus formis substantialibus, neganda est paritas, nam qualibet forma substantialis tribuit numerum effectum formalem materiam, & duo effectus formales substantiales non possunt naturaliter esse in eadem materia, vel propter diversitatem dispositionum, si sunt specie diversi, vel quia naturaliter non sunt in eodem subiecto duæ formæ substantiales solo numero differentes, si sunt solo numero diversi, altera enim illarum superflueret, non autem ita se habent duæ præsentia duorum Angelorum, nam singulae sunt afficerent subiectum, & ideo ex parte subiecti non repugnant, nec etiam ex parte termini, quia non sunt præsentia impenetrabiles formaliter locum replentes. Ad 4. effo Doct. dubitative loquatur, tam de factio, quam de possibili secundum naturalem eorum potentiam, forte propter auctoritates SS. ipse tamen magis inclinatur in affirmantem partem, unde & rationes solvit per parte negativa.

Secundo Prob. quod plures res corporeæ possint naturaliter esse in eodem loco. Tum quia plura accidentia materialia ejusdem corporis sunt ad invicem penetrata cum eo in eodem spatio, ut patet de albedine, & dulcedine in lacte. Tum 2. quia corpora se tangunt, & in eorum contactu semper contingit penetratio superficialium utriusque, nam ideo se tangere dicuntur, quia eorum superficies sunt simul in eodem spatio, & ex penetratione superficialium sequitur etiam penetratio partium ad invicem: nam indivisibile, sicut non est extra partem, ita non est extra locum partis; ergo quod est simul cum indivisibili, est etiam simul cum parte, atque ita cum pars hujus, & illius corporis sint simul cum suis superficialibus, & superficies simul ad invicem, sequitur etiam partes esse simul, & in eodem loco penetratas. Tum tandem explicari nequit, quo pacto una quantitas alteri repugnet, eamque ab eodem loco pellat, vel enim hæc repugnantia est formalis, ut Scot. velle videtur in 4. d. 1. qu. 5. sub F. & hoc non quia, ut ipsemet docet 4. d. 49. n. 16. ad 2. primæ opin. talis repugnantia non est nisi in ordine ad idem subiectum, quantitates autem duorum corporum non sunt in eodem subiecto; vel esset virtualis, ut in hoc ultimo loco potius velle videtur, & neque hoc bene dicitur, cum non sint formæ acti-

va, virtualis autem repugnantia ad genus causae efficientis spectat, est enim inter formas, quae sunt productivae effectuum inter se formaliter repugnantium.

104. Resp. ad 1. penetrationem proprie spectare ad res corporeas distinctam quantitatem habentes, qualia non sunt plura accidentia materialia ejusdem corporis, quae unica quantitate extenduntur, & ideo proprie dici non debent ad invicem compenetrata, sed potius simul esse in eodem subjecto. Ad 2. eadem de causa superficies, quibus se corpora tangunt, debent dici simul, & non compenetrata, quia ex eo capite, quo sunt simul, non sunt extensa, & divisibiles, & simulata vero superficies inter se non sequitur similitas partium in eodem spatio, qua dum dicimus, indivisibile extra partem non esse, sed simul cum ea, non intelligitur quoad existentiam, quasi indivisibile in parte existat, & subijderetur, sed tantum quoad extensionem, & molem, quatenus additum parti non extendit eam, & consequenter non occupat distinctum locum quoad extensionem, bene tamen ipsi aliquid correspondet in loco partium, quod erit indivisibile loci, ut declaratum est disp. 2. q. 2. art. 5. Ad 3. ajunt aliqui, eam repugnantiam esse effectivam, & effectivae unum corpus aliud pellere ab eodem loco, efficiendo nimirum impulsivum, vel motum localem in eo, quod e loco pellit. Sed hoc non bene dicitur, tum quia quantitas non est activa, tum quia impulsus ille est effectus moventis, & impellens corpus, non autem quantitatis, & ideo bene ait Doct. 4. d. 1. q. 5. sub F. quod potius haec repugnantia debet dici formalis, quam effectiva, nam servata proportione, ita est formalis incompossibilitas inter duas quantitates respectu ejusdem spatii, sicut inter duas qualitates respectu ejusdem subjecti, expulsio autem activa proprie spectat ad agentia introducenda qualitates in subjectum, vel moventia unum corpus ad locum alterius. Quia tamen repugnantia formalis proprie attenditur penes formas contrarias circa idem subjectum, subdit Doct. in 2. dist. 49. qu. 16. repugnantiam quantitatum posse dici virtuales, in quantum effectus unius causae, qui est repletio loci, opponitur alteri causae naturali; ex quibus patet, Doctorem utrunque admittere, quod haec repugnantia sit formalis, & virtualis modo explicato. Non desunt tamen, qui hunc effectum quantitatis expellendi aliam vocent materialem, eo quia quantitas ad talem effectum non se habet active, sed potius passive, resistendo nimirum, ac impediendo alterius quantitatis subingressum in eodem loco, qua ratione etiam dici solet effectus negativus, quatenus unum corpus non sinit in aliud locum suum subingredi.

105. Tertio arguitur experientis; nam 1. videmus, panem recentem vino immersum imbiberi vinum 2. cum ex aqua, & farina panis conficitur, in omnes, & singulas partes aqua penetrat 3. in ferro cadenti ignis coexistit simul cum ferro 4. spiritus vitales per partes animalis discurrunt, & per easdem partes penetrant alimentum, ut fiat nutritio 5. in condensatione plures partes ejusdem corporis adinvicem penetrantur 6. ventus per aeream magnam impetu discurrens cum partibus aereis compenetratur. Demum vas aquae plenum admittit fecum multum auri, & vas plenum cineribus multum aquae.

Respondet Doct. cit. in 4. fere ad omnes has experientias. Ad 1. ait, vinum recipi in poris panis, omnia enim fere corpora partes quasdam habent solidas, & quasdam porosas, in aliis vero partibus non est vinum, sed humiditas quaedam extra circumflans, ut Doct. ibi explicat. Ad 2. aqua miscetur cum farina per juxta positionem, non per penetrationem, & ita conficitur panis. Ad 3. ait, in poris ferri cadentis ignem lateri, qui quia lucidus est, partes alias lucidas reddit. Ad 4. ait diffundi spiritus vitales per totum corpus per poros illos, ubi non est caro solida, non quod simul sint cum carne solida; idem dicatur de nutritione, quod alimentum recipitur in poris, qui in corpore animato sunt frequentissimi. Ad 5. falsum est, in condensatione penetrationem partium ejusdem corporis contingere, solum enim contingit quaedam partium consipatio in ordine ad situm. Ad 6. si ventus ab aere differt suo impetu aeream scindit, & per intermedias partes spatiat. Ad 7. immisso auro non statim e vase aqua dilabitur ob siccitatem labiorum, sed in medio intrumescit per modum fornicis, etiam labia madesunt, statim effunditur, aqua vero in vas plenum cineribus immissa resolvitur a cinere in crassos vapores, quietam secum trahunt aliquas ipsius cineris partes, in qua etiam sunt multi meatus, quibus aqua se se infinat.

106. Dicimus 2. posse per absolutam Dei potentiam plura corpora esse in eodem loco per mutua penetrationem. Concl. est communis Doctorum sensus contra Durand. quos hic referre non oportet, & manifeste colligitur ex Scriptura, & nostrae fidei mysteris; SS. enim PP. unanimiter docent, Christum Dominum illa quo Virginis utero esse natum: clauso Sepulchro surrexisse: Evangelistis testantur, clausis januis esse ad Discipulos ingressum, & Paulus ait in ascensione Coelos penetrasse ad Heb. 4. Clarissima Scriptura testimonia frustra nititur eludere Durand. dicendo, Christum per simplicem dilatationem vasu Virginis absque; ullius membri fractione egressum esse, vel egredi potuisse, & coenaculum intrasse, vel per fenestras apertas, vel januas ipsas citissime apertas, & statim clausas, & sic ad alia Scripturae testimonia; Vel hos ingressus, & egressus fuisse a Christo Domino operatos transiendo de extremo in extremum non transiendo per medium. Tum quia expositiones istae sensum ipsius textus valde extorquent. Tum quia PP. omnes in his verbis declarant, factam fuisse penetrationem corporum,

ut est videre apud Amic. tract. 20. q. 7. dub. 1. art. 3. Complut. q. 7. Mas. sect. 2. qu. 4. & alios. Tum quia his Durandi responsionibus utuntur Haeretici ad plures errores defendendos, & Scripturas eludendas, praesertim Calvin. ubi scribit Maldonatus Joan. 20. vers. 19. Tum quia auctoritas D. Pauli de Christo in ascensione Coelos penetrante nullam prorsus patitur gloriam, & omnes Durandi cavillationes evertit. Tum quia quamvis tolerabilior sit altera responsio, quod in his casibus transivit Christus ab extremo ad extremum non transiendo per medium, tamen adhuc auctoritas Pauli hanc etiam expositionem non admittit, ut notat Bassol. 4. d. 49. q. 4. ubi has solutiones affert, & refellit. Tum quia hic transitus ab extremo ad extremum non est minus difficilis, quam penetratio corporum. Tum tandem quia quamvis ita fieri potuissent isti ingressus, & egressus Christi Domini sine penetratione corporum, tamen Scripturae, & PP. docent evenisse cum corporum penetratione.

107. Deinde prob. ratione, explicando, quo pacto fieri possit talis corporum penetratio ex Scoto 4. dist. 49. qu. 16. quod duo corpora naturaliter nequeant in se eodem spatio compenetrare, pianum est, ex quantitate eorum provenire in hunc modum, ex quantitate oritur duplex potentia, & aptitudo, prior est aptitudo occupandi locum divisibilem, cujus aptitudinis actus est actualis occupatio loci, & repletio, quae non est, nisi actualis extensio in ordine ad locum, & dicitur Ubi circumscriptivum, posterior aptitudo, quae quasi ex priori proxime manare videtur, est potentia expellendi aliam quantitatem ab eodem spatio, in quo ipsa est, quae aptitudo dicitur impenetrabilis, cujus actus est actualis exclusio, seu expulsio alterius quantitatis ab eodem spatio, & haec aptitudo ideo a priori manare censetur, quia unum corpus ideo aliud a proprio loco pellit, quia locum illum replet, & occupat. Quamvis autem passiones istae sint a quantitate inseparabiles, ut ei realiter identificatae, actus tamen harum passionum sunt mere accidentales, & solum juxta communem naturam cursant, cum illis necessario connexi, atque adeo per potentiam Dei absolutam possunt a quantitate separari, potest enim Deus (inquit Doct.) facere causam naturalem sine suo effectu connaturali, si pendat ab ea in genere causae efficientis, vel si sit in genere causae formalis impediti etiam potest, dummodo non sit primarius ex dictis disp. 5. q. 3. art. 3. ergo potest Deus plura corpora in eodem spatio penetrare, & hoc quidem duobus modis, ait Doct. juxta duplicem effectum actualem quantitatis, per quos naturaliter penetratio corporum impeditur, potest enim Deus impedire non concurrente, vel alia ratione utrunque quantitatis effectum, tam scilicet actualem repletionem unius, quam expulsionem, & in tali casu erunt duo corpora in eodem spatio compenetrata, unum repletive, alterum non, & hoc modo de facto sit penetratio corporis Christi in Eucharistia cum quantitate specierum. Potest etiam impedire contraxat effectum negativum scilicet expulsionem, non impediendo positivum, scilicet repletionem, & occupationem, & in tali casu ambo corpora erunt repletive, & occupative in loco, fundando geminatos respectu situs, & Ubi ad eandem superficiem ambientem, vel spatium; & in hoc sensu corpora Beatorum de facto dicuntur se penetrare per dotem subtilitatis, quae secundum Doct. loc. cit. I. & K. non consistit in aliqua qualitate physica beatis corporibus inherente, sed est potestas penetrandi omnia ex peculiari assistentia Dei auferentis impedimenta naturalia.

108. Hinc patet, quam immerito Averfa quaest. 27. sect. 5. cum aliis Scoto imponat, quod in eo tantum sensu admittit duo corpora posse a Deo in eodem loco constitui, ut unum replet locum, non vero alterum, quasi putaverit, non posse dari corporum penetrationem, nisi impediendo effectum positivum repletionis, & non agnovit, posse etiam contingere per impedimentum solius effectus negativum, nimirum expulsionis, ait quidem Scot. sub lit. C. posse a Deo duo corpora in eodem loco constitui impediendo repletionem unius, hic enim est unus effectus quantitatis, ratione cujus repugnat, naturaliter duo corpora esse in eodem loco, at non negat in ea quaest. alium modum penetrationis, impediendo, non quidem repletionem, sed solum expulsionem unius ab alio, imo §. Alius est intellectus &c. in fine contra Gottred. ait, quod licet possit Deus corpora duo ponere in eodem loco, auferendo modum quantitativum, unius scilicet repletionem, tamen potest id facere, etiam illum conservando in utroque; & §. Respondeo, &c. probat ex professo posse etiam circumscriptive utrunque esse in loco, nec duo Ubi circumscriptive repugnare in duobus corporibus in ordine ad locum eundem, & infra I. & K. ait, penetrationem in corporibus beatis de facto non fieri, nisi per privationem mutuae expulsionis, & tandem quodlib. 11. M. sapius repetit, posse duo corpora esse in eodem loco repletive, & 4. dist. 10. quaest. 2. per hoc probat, idem corpus esse in pluribus locis circumscriptive, quia plura possunt esse in eodem loco, & plane ratio illa, qua ibi probat, Deum posse ponere corpus in pluribus locis circumscriptive, quia de facto ponit corpus Christi in Caelo circumscriptive, & pluribus hostiis non circumscriptive, sed praesentialiter tantum, quod est difficilior, cum hic duo interveniant miracula, ibi unum; pariter militat in proposito, quia si de facto ponit Deus duo corpora in eodem loco expoliando unum suo connaturali modo essendi in loco, quia est totum in tota hostia, & totum in qualibet parte, tanto magis poterit ambo ponere in eodem loco circumscriptive conservando scilicet in utraque connaturaliter.

turalem modum essendi in loco, quia faciendo primum est duplex miraculum, impedit enim & repletionem, & expulsionem, ac faciendo secundum, est tantum unum miraculum, quatenus impedit tantum expulsionem, ergo Doct. neque negavit, neque negare potuit, fuis insistentibus principis, duo corpora posse esse in loco eodem etiam circumscriptive.

109. In oppositum arguit 1. Durandus, quantitas est ratio repugnantiae plurium corporum in eodem loco, ergo ipsa permanente in corporibus, nunquam poterunt in eodem spatio constitui, etiam per potentiam Dei absolutam, eo praesertim, quia impenetratio est passio intrinseca quantitatis, ab ea proinde prorsus inseparabilis, & cum expulsio sit effectus formalis quantitatis, nec etiam ab ipso Deo poterit impediti. Resp. Doct. loc. cit. inf. C. concedendo, quod quantitas est ratio repugnandi duo corpora esse simul virtute naturali, quae non potest facere causam sine suo effectu naturali, non tamen divina, quae hoc potest, & negat, hanc repugnantiam esse formalem, cum potius sit virtualis, ac proinde potius reducibilis ad genus causae efficientis, & negat tandem, impenetrationem esse passionem quantitatis, cum hac potius sit impenetrabilis, & impenetratio sit ejus actus a Deo impeditibilis, itaque quantitas est ratio fundamentalis repugnandi, non vero formalis, & actualis, talis enim est actualis expulsio, & impenetratio, & haec expulsio aut non est effectus formalis quantitatis, aut est effectus formalis secundarius, qui potest a Deo suppleri.

Secundo si duo corpora esse possunt in eodem loco, ergo pariter, & duae partes ejusdem corporis poterunt se invicem penetrare, sicut naturaliter diversis corporibus diversa loca debentur, ita diversis partibus ejus diversa loca partes, at ex consequente mirabilia, & paradoxa sequuntur, nimirum partem fore aequalem toti, totum includi in quavis minima parte, quantumvis maximam molem transire posse per foramen acus, & totum Caelum, imo & universum posse in minima bursa recludi, quae omnia sunt contra rationem quantitatis postulantibus partes extra partes, ut extensionem faciat.

110. Resp. quicunque tenent essentiam quantitatis non consistere in habere partem extra partem in ordine ad locum actu, sed tantum aptitudinem, seu in principio exigitivum ejus, concedendo consequentiam, & negat, inde absurda illa sequi, quia essentia quantitatis non consistit in extremitate actuali partium in ordine ad locum, sed in extremitate partium in ordine ad locum in actu primo; unde cum aptitudo possit suo actu privari a Deo, poterunt partes quantumvis magnae molis se compenetrare in puncto spatii, & ita de facto contingit in Eucharistia de partibus corporis Christi, cum quo adhuc stat inaequalitas partium cum toto, cum totum semper sit exigitivum suapte natura majoris extensionis localis, quam pars, & sic de facto totus Christus sub speciebus dicitur major suo digito, ne dum in ordine ad se, sed etiam in ordine ad locum.

Sed haec communis responsio quamvis veram contineat doctrinam, tamen non satisfacit argumento, nam ut notat Averfa cit. qui negat, penetrationem unius corporis quanti cum alio esse possibilem, id solum negat stante extensione locali utriusque, alioquin utroque illam admittunt, ergo defendere oportet etiam salva extensione locali, & actuali repletionem posse plura corpora, atque adeo plures partes ejusdem corporis penetrari, idque non esse contra essentiam quantitatis, neque extensionis localis. Idcirco resp. Averfa, stante hac extensione non posse quidem omnes prorsus partes corporis penetrari, itant indivisibiliter se habent in loco, quia id sane foret contra essentiam hujus extensionis, sed tamen posse unam aliquam partem cum alia penetrari v. g. unum semipalmum cum alio, & per hoc non destruetur essentia talis quantitatis, & extensionis, quia non est de ratione ejus, ut quilibet pars actu sit extra omnem aliam partem in loco, sed satis est, ut sit extra aliquas, quod adhuc salvaretur, etiam si per partium penetrationem totum univertum in bursa concluderetur.

Haec tamen responsio in primis falso innititur fundamento, quod essentia quantitatis consistit in extensione locali actuali, hoc enim asseri nequit sine magno praesudicio Sacramenti Eucharistiae, ubi Christus est cum sua quantitate absque ulla prorsus extensione locali, ut diximus d. 9. q. 1. art. 1. & adhuc argumentum non satisfacit, quia contendit, argumentum inferre tanquam absurdum quacumque partium ejusdem corporis penetrationem, ex quacunque enim data sequuntur absurda illa, quod pars erit aequalis toti, &c. quamvis enim per repletionem Averfa salvetur, quod reducta mole bipalmari ad spatium unius digiti per penetrationem partium adinvicem, adhuc in qualibet parte digitali una medietas est extra aliam, non tamen unius palmus est extra alium palmum, nec semipalmus extra semipalmum, atque ideo non salvat Averfa, quod in duobus palmis, vel semipalmis ad spatium digitale reductis detur adhuc extensio, & magnitudo bipalmaris major palmari, & palmari major semipalmari, cum unius palmus non sit extra alium, nec semipalmus extra semipalmum.

111. Respondendum igitur est cum Bas. cit. art. 2. ad 10. neg. conf. si enim duo corpora valent esse per Dei potentiam in eodem loco circumscriptive, non inde valet inferre, ergo pariter, & duae partes, vel plures eorum corporum ita in loco existentium, cum enim esse in loco circumscriptive sit ita esse in loco, ut totum corpus totum loco correspondeat, & singulae partes singulis loci partibus, plane implicat in terminis, quod corpora illa sint in loco circumscriptive, & quod partes ejusdem corporis sint invicem compenetratae, partes enim ejus-

dem corporis esse ita compenetratas formalissime inferre, corpus, cujus sunt partes, non esse in loco circumscriptive, non igitur implicat absolute penetratio partium adinvicem, quia si fieri potest in corporibus, etiam fieri potest in partibus, ut patet in Eucharistia, sed implicat facta suppositione, quod corpus, cujus sunt partes, sit in loco circumscriptive, ut est in casu concl. nostrae; in casu vero, quo partes penetrarentur adinvicem, recte salvatur inaequalitas partium respectu totius, modo a communi responsione allata explicato.

Sed adhuc urgebis, absolute implicare penetrationem partium ejusdem corporis adinvicem, quia ita se habere videntur partes quantitatis continuae permanentis ad suum totum, sicut successive ad suum, sed implicat, duas partes entis successivi esse simul duratione, ergo etiam implicat, duas entis permanentis esse simul loco. Negatur paritas, quia, quantitas successiva necessario includit in suo conceptu essentiali extensionem actualem partium in duratione secundum prius, & posterius, ita ut una non existat simul cum alia, sed necessario post aliam, atque adeo non potest contitui essentia quantitatis successivae per solam aptitudinem ad extensionem successivam, nam quicquid non habet actu successivum, etiam si possit illam habere secundum partes suas, est ens permanens, ut patet de calore, & aliis qualitatibus successive acquisibilibus; at vero partes quantitatis permanentis, cum omnes actu simul existant, ita quoque poterunt in eodem spatio sibi invicem coexistere, & poterit esse essentia salvari per solam aptitudinem ad extensionem localem.

112. Tertio arguitur ex absurdis, quae inde sequerentur, idem bis repleri, atque ita effectum eundem esse a pluribus causis totalibus, singulis enim corporibus sufficienter expletur loci capacitas, quantum sufficit, ne vacuum dicatur, & singula corpora sufficienter distare faciunt latera continentis. Secundo sequitur, eundem locum simul esse plenum, & vacuum, quia impletur per unum corpus, & cum hoc esset vacuum, quia simul posset recipere aliud corpus. 3. locum non esse adaequatum locato, quia ipso recepto adhuc posset aliud locatum recipere. 4. sequitur, illa duo corpora in eodem loco compenetrata esse duo ex hypothesi, unum vero, quia sunt simul, nam sicut punctum cum alio puncto simul non facit nisi punctum, & superficies cum superficie non nisi superficiem unam, ita dicendum videtur de corpore posito simul cum alio. 5. tunc ab uno puncto continentis possent duci duae lineae rectae ad punctum locati; nam tot duci possunt lineae a puncto loci ad aliud punctum correspondens, quot corpora sunt in eo, & tamen a puncto ad punctum una tantum linea recta duci potest. 6. tandem sequitur, actum expellendi in quantitate separari posse ab actu replendi, & occupandi locum, quod implicat, ita enim se habet actualis expulsio ad actualem repletionem, sicut aptitudo expellendi ad aptitudinem replendi, & occupandi, sed inter has aptitudines est necessaria connexio, ergo etiam inter actus earum adinvicem; imo sicut duae istae aptitudines non videntur inter se distinctae, sed una, per hoc enim formalissime nata est quantitas aliam expellere a suo loco, quia nata est ipsam replere impenetrabiliter, ita actualis expulsio, & occupatio non erunt distincti actus sed unus, & idem, per hoc enim formaliter unum corpus aliud expellit, quia locum suum occupat impenetrabiliter ratione quantitatis, ergo ad haec absurda evitanda, aut negandum est absolute, duo corpora in eodem loco esse posse, aut saltem ambo esse posse repletive.

113. Resp. negando, ex hoc nullum sequi absurdum; ad 1. concedit Doct. quod 11. M. & N. idem spatium posse bis repleri formaliter per potentiam Dei absolutam, non enim majus est inconveniens, locum plenum repleri de novo alio replente formaliter; quam continens unum sibi commensuratum, de novo continere aliud simili modo continendi; ait etiam, quod utrunque corpus faceret distare latera continentis formaliter, sicut utrunque formaliter replet, neutrum tamen effective, quia in hoc sensu agens, quod primo dividit hoc latas ab illo, facit distare latera continentis, eaque replet; quomodo autem hinc non sequatur, ejusdem effectus dari plures causas totales, dictum est disp. 8. q. 3. art. 2. n. 72. Ad 2. ait Bassol. locum uno corpore repletum dici debere absolute plenum, & non vacuum, quia vacuitas dicitur carentiam cujuscumque corporis, alioquin si potest dici vacuum, quia potest aliud corpus recipere cum eo, quod habet, idem etiam dici posset, dato, quod non posset esse in eo simul, nisi unum corpus, nam dum habet illud unum, caret alio, quod potest recipere, licet non simul cum illo; si igitur dicatur locus plenus, & non plenus, non debet dici absolute, sed debet dici plenus corpore, quod habet, & non plenus alio, quo caret, & ista non contradicunt, quia non sunt secundum idem, vel respectu ejusdem. Ad 3. ait idem Bassol. adaequationem inter locum, & locatum esse secundum magnitudinem, & extensionem, quia locus nihil majus continere potest, quam sit ambitus ejus, nec locatum habere potest minorem locum, non tamen secundum multitudinem. Et si dicatur, unum locatum esse capacitati loci adaequatum etiam secundum multitudinem, hoc verum est capacitate naturali, non autem obedientiali; quod non est intelligendum (ait Bas.) quasi sint duae capacitates realiter distinctae, sed ita ut sit eadem ad diversa agentia comparata, & limitata dicatur respectu unius, interminata vero respectu alterius. Ad 4. verum est, quod unum punctum alteri puncto additum non facit majus, falsum tamen est, quod non sint duo,

duo, unde sunt unum penetrative, quia non faciunt majus quantitativo, sed non sunt unum entitative, & sic etiam in proposito duo corpora fierent unum penetrative, quia non facerent majorem molem, quam si essent unum tantum, duo tamen essent entitative. Ad 5. neg. sequela, quia punctam ex parte locati correspondens puncto loci, licet esset unum situatim, tamen entitative duo forent, sicut duo sunt corpora locata, unde duæ etiam forent lineæ rectæ a puncto loci ad puncta corporum, quæ tamen inter se compenetratæ forent, sicut puncta, ad quæ terminantur.

Denique negatur, actualem expulsionem inseparabilem esse ab actuali repletionem, quamvis enim aptitudines replendi, & expellendi sint per quamcumque potentiam ab invicem inseparabiles propter identitatem realem, tamen actus separati possunt, præsertim prior a posteriori, quia nec inter se, nec cum tertio realiter identificantur; saltem insuper est, aptitudines illas non esse inter se ex natura rei ab invicem distinctas; impenetrabiles enim, quæ est aptitudo expellendi, vere ex natura rei distincta est ab aptitudine replendi ut sic, quæ sic præcise considerata comperit etiam substantiæ corporeæ extra quantitatem, sicut & impenetratio realiter distinguitur ab actuali repletionem, unde non est absolute concedendum, quantitatem expellere aliam, quia locum replet, & esse alterius expulsivam, quia est repletiva loci, sed cum addito, quia replet locum impenetrabiliter, & nata est replere locum tali modo, non enim in quantitate datur aptitudo prior posteriori, ut in aliis rebus corporeis contingit.

Q U Æ S T I O VIII.

An eadem res sive corporea, sive incorporea possit simul esse in pluribus locis.

114 **N**ON est difficultas de locis inadæquatis intra propriam sphaeram existentibus, ita enim de facto dicemus; corpora per suam quantitatem plura partialia loca occupare secundum diversas partes, ex quibus integratur locus adæquatus toti corpori correspondens, & id fatendum est de Angelo, si semel concedatur esse in spatio divisibili per suam quantitatem virtutis in eo continue diffusam; sed est difficultas de locis adæquatis, ac etiam inadæquatis extra propriam sphaeram existentibus, & in ordine ad potentiam supernaturalem, quia naturaliter concedunt omnes, id evenire non posse. Et quidem quantum attinet ad substantias spirituales non est magna lis inter Doctores, quia cum eorum essendi modus in loco sit inextensus, & indivisibilis, libenter admittunt, id per potentiam Dei absolutam contingere posse, nam si aliqua est repugnantia replicationis rei in pluribus locis, hæc non videtur procedere, nisi ex replicatione locali extensa, & divisibili, & ideo consequenter dicunt, substantiam corpoream posse etiam in pluribus locis replicari, sed non nisi modo inextenso, & spirituali, sicut de factis juxta fidem corpus Christi existens in Cælo circumscriptive replicatur utique in pluribus hostiis consecratis, sed non præsentia ejusdem rationis eam ea, quam habet in Cælo, sed alterius, inextensa nimirum, & indivisibili; ita D. Tho. 3. par. qu. 75. art. 1. ad 3. & q. 81. art. 1. ad 2. & in 4. dist. 10. q. 1. art. 1. & alibi, & Thomistæ omnes circa ea loca, & in 4. Phys. Met. cap. 5. sect. 2. Complut. q. 8. Zaitar. q. 3. sic etiam docuisse videtur D. Bon. 4. d. 44. qu. 1. Henric. quod. 9. q. 32. & ex Recent. Valsg. 3. p. disp. 189.

Opposita sententia docet, quod sicut substantiæ spirituales possunt suo connaturali modo replicari in pluribus locis a Deo, ita quoque corporeæ suo modo connaturali scilicet extenso, & corporeo; & hæc sententia est communior, & receptissima præsertim a Scripseribus contra Hæreticos, eam ex antiquis docuerunt Aletius 4. part. q. 11. art. 1. Scot. 4. dist. 10. q. 2. & quod. 10. cum suis sectatoribus, Ocham q. 4. cum cæteris Nominalibus, ex Recentioribus autem Belarm. lib. 3. de Eucharist. cap. 3. & 4. Suarez 3. p. tom. 3. disp. 48. sect. 4. Valent. qu. 3. de Eucharist. punct. 1. Pefant. qu. 76. art. 5. disput. 2. Conimb. 4. Phys. cap. 5. q. 5. Murc. disp. 1. qu. 7. Veracinc. specul. 2. Hurt. disput. 16. Phys. sect. 5. Averfa. q. 27. sect. 6. Amic. tract. 20. q. 7. dub. 2. art. 3. & alii sexcenti.

115 Dicimus 1. nullam rem, sive corpoream, sive incorpoream, posse simul esse naturali virtute in pluribus locis adæquatis, aut inadæquatis extra propriam sphaeram sui loci naturalis. Concl. quoad omnes partes est Scot. in 2. dist. 2. q. 7. & 4. d. 10. q. 2. conceditur ab omnibus, & breviter probatur, quia locus adæquatus est, quem replet Angelus, vel corpus juxta limitationem suæ substantiæ, vel quantitatis, & ad quem replendum Angelus se movet secundum ultimum suæ motricis potentia, ergo non possunt naturali virtute plura talia loca replere, hoc enim directe tolleret limitationem quantitatis virtutis in Angelo, & molis in corpore, & locus, quem adæquatum supponebamus Angelo, vel corpori, non esset adæquatus; quæ ratio etiam probat, id esse impossibile naturali virtute de locis inadæquatis extra sphaeram loci naturalis existentibus, hic enim agitur de loco naturaliter respondente toti quantitati molis in corpore, & virtutis in Angelo, ergo si demus locum palmarem v. g. adæquate respondere substantiæ corporeæ, vel incorporeæ, & hunc ab his esse repletum per præsentiam palmarem, implicat naturaliter Angelum, & corpus extendi posse ad replendum simul quantumvis exiguum spatium extra adæquatum existentem, si enim adhuc aliud spatium potest naturaliter replere, jam locus ille prior non erat adæquatus, ut supponitur.

Sed contra hanc Concl. instari potest ratione, qua utitur Scot. in 4. dist. 10. q. 2. §. Dico ergo &c. ad probandum, quod idem corpus esse possit in pluribus locis adæquatis divina virtute, quia

rem esse in locis non dicit, nisi respectum præsentia extrinsecus advenientem, sed tales respectus plurificari super idem fundamentum non implicat, quia respectus intrinsecus advenientes, de quibus minus videtur, ita plurificari, ut patet de albedine plures similitudines fundante; ergo non implicat, rem a Deo in pluribus locis constitui simul, & semel. At hæc ratio sic retorqueri potest cum Rubion. in 4. d. 10. q. 3. plurificatio respectuum intrinsecus advenientium, de quibus minus videtur, fit naturaliter, ergo tanto magis fieri potest plurificatio præsentiarum; quæ etiam ratione retorquatur probat Rubion., plura corpora posse naturaliter esse in eodem loco, quia sicut naturaliter ad unicum album sunt diversæ similitudines, ita & respectu ejusdem loci poterunt naturaliter esse plura Ubi, si ratio Scoti valer.

116 Resp. Sampson. 4. Phys. qu. 6. in fine, ob id dicit debere, rationem Scoti esse dialecticam, & persuasivam; sed præstat dicere, Doctorem ratione allata velle tantum offendere non implicantium plurificationis Ubi super idem fundamentum, cum hoc naturaliter videamus in respectibus intrinsecus advenientibus, de quibus minus videtur, non quidem absolute, sed tantum ex eo capite, quo sunt minus accidentales extrinsecus advenientibus, ut ibi se explicat, non autem omnimodam paritatem voluit inferre, ex alio enim capite maxima est disparitas in horum respectuum causatione, ut Doct. notat 4. d. 49. q. 16. ad 2. principia natura enim non potest dare, nec causare mutationem positivam sine privativa, in quibus nata sunt concurrere, unde non potest dare albedinem, nisi prius subjectum nigredine, in quibus tamen non sunt nata concurrere, in illis potest ut in illuminatione, ibi enim est mutatio positiva sine privativa; In proposito ait Doct. omnis motus ad diversa Ubi est talis quasi ad contraria, & ita absolute loquendo, natura non potest facere, quod corpus aliquid accipiat unum Ubi, & non privetur alio: quia nata sunt concurrere mutationes positivæ, & privativæ in talibus, id vero non contingit in acquisitione illorum respectuum intrinsecus advenientium similitudinis, paternitatis, &c. ut enim album fiat simile huic albo, non est necesse, quod deserat esse simile alteri, & sic de parte respectu alterius filii. Neque etiam argumentum valet, ut a Rub. retorqueretur ad probandum, posse naturaliter plura corpora esse in eodem loco, quamvis enim ex eo capite bene ostendatur non implicari, tamen absolute non valet paritas in omnibus de plurificatione respectus intrinsecus & extrinsecus advenientis ad eundem terminum; nam quemadmodum, quia natura non potest facere mutationem positivam sine privativa, ideo non potest plurificare præsentias in eodem corpore, ponendo illud in pluribus locis, ita quia non potest impedire effectum necessarium causæ naturalis, scilicet expulsionem effectivam, ideo non potest plurificare præsentias in corporibus ad eundem terminum ponendo illa in eodem loco.

117 Secundo pluralitas locorum adæquatorum non excedit capacitatem rei, alioquin neque Deus posset illam ponere in pluribus locis, ergo neque excedit virtutem activam naturalem; quia naturalis capacitas passiva naturali activæ commensuratur, quod præsertim de Angelo non videtur posse negari, quia adæquatio ejus cum loco non est per commensurationem, qualis est adæquatio corporis. Resp. assumptum esse verum de capacitate passiva obedienciali, saltem de capacitate naturali correspondente activitati agentis naturalis, quod etiam de Angelo asserendum est, esto enim loco non commensuratur mathematicæ, commensuratur tamen entitative, & metaphysice per limitationem suæ entitatis.

Sed dices, saltem videtur esse posse in pluribus inadæquatis extra propriam sphaeram, quia id non excedit naturalem ejus facultatem, si enim illa plura loca inadæquata extra ejus sphaeram existentia adinvicem continuarentur, Angelus posset simul illa replere, quia non excederet extensionem loci adæquati. Neg. sequela, quamvis enim illa inadæquata loca non excedant extensionem loci adæquati Angeli quoad substantiam, unde si forent continuata, simul attingerentur, excedunt tamen quoad modum, quatenus sunt extra sphaeram locationis angelicæ. Dices, saltem videtur esse posse in pluribus inadæquatis diffisis, & discontinuis intra ejus sphaeram. Resp. id esse dubium, & non posse afferri rationem necessariam pro, vel contra, ut notat Doct. 2. dist. 2. q. 7. A. nam si pro parte affirmativa arguatur, ex P. Vulpes disp. de Angel. 18. art. 6. quod hæc inadæquata loca non excedunt facultatem Angeli naturalem, cum sit intra ejus sphaeram, & quod non naturali necessitate est in tanto, vel tanto spatio, ut corpus, sed ex sua libertate, & quod ideo pro imperio voluntatis poterit se præsentem facere quatuor angulis templi, quod supponitur locus adæquatus illius, & non reliquis partibus. Resp. loca illa inadæquata intra propriam sphaeram, est non excedant facultatem Angeli naturalem secundum rem, tamen adhuc excedunt secundum modum, ratione scilicet discontinuitatis, non enim illa replere potest, nisi per unicum continuam totius sui esse diffusionem; nec aliqua ratio necessario ostendit posse se discrete diffundere per suam sphaeram, & quod ex libertate, quam habet se constituendi in tali, vel tanto loco infra adæquatum, solum inferre licet, quod semper se valeat retrahere pro suo libito ad minorem, & minorem locum, semper tamen continuum. Et si pro parte negativa dicatur, quod si continuitas sphaeræ respectu angelicæ præsentia necessaria non est, non posset assignari ratio, quare Angelus non posset producere in seipso quodam præsentia discretas valde distantes, & insuper concedendum esset, retenta æqualitate sphaeræ posse Angelum per lineas distantes moveri pluribus motibus, immo

immo motibus contrariis, & quod anima nequit informare extremas corporis partes non informatas intermedias, nec lumen potest a Sole extremis partibus derivari, nisi per medias; ergo nec Angelus esse potest in extremis partibus suæ adæquata sphaeræ, nisi coexistat intermediis, quæ sunt argumenta Molinae, Suarez & Valsg. Respon. hæc etiam parum urgere; quantum enim Angelo assignatur determinata sphaera suæ præsentia, plane hæc non constituitur ex locis inadæquatis valde inter se diffisis, & disjunctis, sed omnino conjunctis, & continuis, quorum singulis potest se præsentem facere arbitrario suo duobus v. g. extremis, & non intermediis, & etiam eodem modo per illa loca discreta intra propriam sphaeram poterit naturaliter moveri pluribus motibus, immo & contrariis, neque ex hoc sequitur illimitatio, quia sunt illi motus intra propriam sphaeram; neque contradictio, quia non foret secundum idem. Nec paritas assumpta de anima, & Sole valet, nam anima unijur corpori naturaliter, veluti forma materiam, non sic Angelus loco, sed libere, sic etiam naturaliter diffunditur lumen a Sole extremum per medium.

118 Dicimus 2. sphaera Dei potentia posse non solum eundem Angelum, sed etiam idem corpus esse in pluribus locis adæquatis circumscriptive, seu definitive. Concl. tenetur ab omnibus Catholicis, ita enim fides docet de corpore Christi in pluribus hostiis consecratis circumscriptive replicato; & quidem in universum non potest repugnare plures præsentias adæquatas probari potest. Tum quia plurificatio respectuum præsertim extrinsecus advenientium, quales sunt illæ præsentia super idem fundamentum, absolute non implicat, ut late probat Doct. 4. dist. 10. q. 2. §. Dico ergo &c. Tum quia licet natura causare nequeat mutationem positivam sine privativa, in quibus nata sunt concurrere, unde non potest communicare albedinem subjecto, nisi prius nigredine, neque hanc præsentiam causare in eo, nisi alia privet, id tamen negari nequit divinæ omnipotentia, quæ sicut duo contraria in eodem subjecto componere potest, ita a fortiori duas præsentias, quæ proprie non sunt contraria, ut docet Doct. 4. d. 49. q. 16. ad 2. principia.

Quod vero corpus possit expoliari a Deo suo connaturali modo essendi in loco, & ibi indivisibiliter poni ad modum spiritus, probat Doct. in 4. dist. 10. quæst. 1. M. & dist. 49. qu. 16. C. ubi ostendit, posse Deum impedire effectum naturalem corporis replendi locum, & consequenter ipsum privare positione de genere situs, quæ est materialis illa commensuratio totius corporis ad totum locum, & partium ejus ad partes istius; eo autem ipso quod corpus non est in loco divisibiliter, consequenter divina virtute manet in ipso indivisibiliter ad modum spiritus. Quomodo autem concipi possit res corporea esse in loco indivisibiliter, quamvis sit difficile explicari, tamen potest ex opposito, declarando nimirum modum, quo res incorporea est in loco divisibili; sicut enim Angelus, licet in se sit indivisibilis, constituitur tamen in loco divisibili indivisibiliter, quia tot fundat in se præsentias, quo sunt partes proportionales loci, quæ quia sunt divisibiles ex parte loci, & ad diversas partes ejus determinatæ, ideo Angelum constituunt in loco divisibili; & quia sunt indivisibiles ex parte subjecti, & proinde singulæ in toto subjecto hac ratione præstant, ut totum subjectum scilicet Angelus, sit totus in toto loco, & totus in singulis partibus illius, ita ex opposito licet corpus sit divisibile, tamen fundare potest plures præsentias juxta pluralitatem suarum partium proportionalium, quarum singulæ ad idem spatium terminentur, & sic omnes ejus partes erunt eidem spatio præsentia indivisibiliter, etiam puncto, si illa singulæ præsentia ad idem punctum terminari supponantur, ergo non repugnat corpus esse in loco indivisibiliter ad modum spiritus, cum hoc solo discrimine, quod licet præsentia corporis, & spiritus in tali casu convenirent quo ad rationem respicienti locum indivisibiliter, adhuc tamen differrent, quia præsentia corporis foret adhuc divisibilis ex parte subjecti, non autem præsentia spiritus, & ratio est, quia implicat subjecto divisibili inhære accidens spirituale, & indivisibile, in quem modum explicandi præsentiam corporis indivisibilem Bassol. quoque inclinare visus est 4. d. 49. q. 4. art. 2.

119 Contra hanc Concl. arguitur 1. Tum quia limitatio rei creatæ ad locum provenit ex limitatione entitatis ipsius, ergo sicut nequit fieri a Deo illimitata quoad esse, ita nec etiam quoad locum. Tum quia rem esse in loco definitive, est esse ita hic, quod non alibi, ergo implicat in terminis posse rem poni in pluribus locis definitive. Tum quia non potest eadem res simul esse in diversis temporibus, ergo nec simul in pluribus locis.

Resp. ex Scoto 2. dist. 2. q. 7. ad 2. & 4. dist. 10. q. 2. concessio antec. neg. conseq. siquidem finitas in entitate est modus intrinsecus creaturæ realiter identificatus, non ita actualis limitatio, & determinatio ad unum locum, sed hæc est actus aptitudinis illius, quam res creatæ habent ex vi potentia naturalis essendi in uno tantum loco, qui proinde potest a Deo impediri, sicut & actu cujuscumque alterius aptitudinis naturali necessitate rebus conveniens; & quamvis res creatæ tunc diceretur illimitata in ordine ad locum, non idcirco illimitata etiam quoad esse, aut immensa censeri debere, quia hanc illimitationem non haberet ex principiis intrinsecis, sed ex potentia agentis infiniti, ad quod est in potentia obedienciali, sicut a pari ex eo, quod res aliqua fuisset ab æterno creatæ, non proinde participaret æternitatem Dei, quia talis illimitatio in duratione non sibi conveniret ab intrinsecis, & necessitate, sed tantum ab extrinsecis, & contingenter. Neque incon-

venit, res creatas in ordine ad locum habere limitationem ex vi potentia naturalis, & non habere ex vi obediencialis, quia passim id experitur in cæteris, materia enim non est simul capax duarum formarum substantialium disparatarum, nec subjectum contrariorum ex vi potentia passivæ naturalis, bene tamen est capax ex vi obediencialis, & hæc potentia obediencialis in rebus ad illud, quod excedit naturalem facultatem earum, non infert infinitatem in rebus ipsis, sed tantum in potentia agentis supernaturalis, a quo elevantur; tum quia hæc est potentia passiva, quæ a toto genere nullam dicit perfectionem, ut sæpe diximus cum Scot. 2. dist. 14. q. 2. in fine, tum quia vi reperitur in rebus obediencialis activa, non est sufficiens, & completa, sed inchoata tantum, & insufficientis, ut declaratum est disp. 7. q. 6. art. 5. Ad 2. modus essendi in loco definitive dupliciter usurpari solet, ut notat Sampson. 4. Phys. q. 4. in fine, & Rubion. 4. dist. 10. quæst. 4. art. 3. vel ut idem sonat, quod esse in loco circumscriptive, quo sensu appropriatur rebus incorporeis, vel, ut vis vocabuli sonat, quatenus dicit negationem cujuscumque alterius loci, in quo sensu communis est omnibus creatis rebus; quæ ex vi potentia naturalis unum certum locum sibi determinant, in secundo sensu conceditur, nihil posse poni in pluribus locis definitive, quia hic est modus naturalis rerum essendi in loco, quem sibi vendicant materialiter, & eo expoliantur statim ac ponuntur in pluribus locis; at in primo sensu negatur, nil posse poni in pluribus locis definitive. Ad 3. negatur paritas de tempore, & loco, quo enim res nequeat esse simul in diversis temporibus, provenit ex parte temporis, quod est in continuo fluxu, unde nunquam duo tempora possunt esse simul, ac loca non fluunt, sed manent.

120 Secundo, si idem esse potest in pluribus locis simul, & semel, plura sequuntur absurda; sequitur enim 1. terminos motus, a quo, & ad quem, esse compossibiles, quod est contra rationem, & Philof. 5. Phys. patet consequentia, quia duo ubi possunt esse termini motus. 2. idem esse posse a se ipso divisi, Romæ siquidem existens esset divisum a seipso existente Venetiis. 3. idem esse distans, & indistans respectu ejusdem loci, nam quatenus Romæ distat ab Urbe Venetiarum, sed quatenus Venetiis replicatus non distat. 4. idem esse extra terminos proprios, & ultra extremitatem suam, locus enim ex 4. Phys. est terminus, & extremitas rei locatæ. Demum si idem potest esse simul in duobus locis, ergo & bis poterit poni in eodem loco, cum sit par ratio.

Resp. neg. conseq. ad primam probat. ait Doct. cit. lit. O. absurdum esse, & impossibile, quod termini motus sint simul, loquendo de terminis primis, quales sunt forma, & privatio, non autem de secundariis, & concomitantibus, qui scilicet conjunguntur terminis prædictis, & ambo sunt positivi, isti enim sunt compossibiles, ut patet in augmento, ubi quantitas præcedens manet; in proposito Ubi & Ubi non sunt termini motus per se, & primi, sed concomitantibus. Ad 2. in casu posito idem esset a seipso divisum secundum locum, non quoad essentiam, non enim res illa pluribus in locis replicata divideretur in plura seipsa, irat plures evaderet entitates, sed semper esset eadem, diversas fundans præsentias. Ad 3. ait Doct. ad 2. princ. non esse inconveniens idem per Ubi, quo Romæ constituitur, distare ab Urbe Venetiarum, & ab eadem non distare per Ubi Venetium; unde ob talem diversitatem præsentiarum salvatur contradictio. Ad 4. locus est terminus, & extremitas rei locatæ quo ad eam præsentiam, quæ ipsum respicit, unde non potest res locata per illam eandem præsentiam alibi constitui, bene tamen secundum aliam; videatur Doct. lit. N. Ad ultimam concedunt aliqui paritatem, nec putant absurdum; tamen apud nos videtur absurdum, quia tunc ejusdem effectus darentur duæ causæ totales, nam per singulas præsentias sufficienter constitueret hic; & paritas assumpta non valet, quia ad multiplicationem relationum requiritur ad minus multiplicatio termini, vel fundamenti, quare ad pluralitates locorum possunt manente plurificari præsentia in re locata, at manente unitate loci, & locati non apparet ex quo cap. relationes plurificari possunt.

121 Terrio, id repugnare videtur potentia activæ rei creatæ, ex hoc enim quod simul, & semel est in pluribus locis, sequitur, posse in omnibus agere, & in omnibus passum reperiri, & ita scintilla ignis totum poterit comburere mundum; & parva candela totum illuminare, & Angelum replicatum ubique posse omnia corpora movere. Id etiam repugnare videtur rationi ipsius Ubi, quod omnino incompossibile est cum alio Ubi; cum enim accidentia in eodem subjecto existentia se invicem denominare soleant, ut patet de subjecto quanto, & albo, nam dicimus quantum album, & album quantum, si Ubi Venetium, & Romanum in eodem forent subjecto, ubi Venetium denominaret Romanum Venetiis præfens, & e contra. Demum id repugnare videtur motui locali, qui nullatenus fieri potest ab extremo ad extremum non transiendo per medium, at si res potest simul esse in pluribus locis, id fieri posset per immediatam productionem secundi Ubi, quo constituitur in secundo loco.

Resp. neg. assumptum, quia ut docet Doct. lit. I. per tertiam propositionem, sicut se haberet res in uno loco existens in ratione activi ad diversa ibidem sibi approximata, sic se haberet existens in pluribus locis, quia per replicationem præsentiarum non augetur virtus activa ejus, nec extensive, nec intensive, quare sicut ignis in uno loco existens non combureret omnia combustibilia, si esset sibi sufficienter approximata, sed agere in aliquod

aliquid illorum præcise a Deo determinandum, quod adæquate terminaret ejus virtutem, vel si in quolibet ageret, valde remissive ageret, ita dicendum de eodem igne in pluribus locis replicato, ut ait Doct. lit. Q. neque hoc est mirum, quia virtus naturalis minor est in plura, quam in pauciora, & eodem modo dicendum de Angelo, si enim hic movendo corpus totam suam exeret virtutem, alibi nullum movebit, sed si totam non exerit, poterit & alibi movere; sed semper debilius, quo plura moveret. De actione vero illuminativa candelæ, in qua non interveniat resistentiæ passivæ virtutem agentis, ut in casibus allatis, videtur posse concedi, quod omnia illuminaret loca, in quibus replicaretur, quia talis illuminatio fieret per productionem luminis, quæ secundum nos est species lucis, & non videtur negandum, quod corpus ubicunque replicetur, possit species intentionales sui in medio multiplicare, alioquin videri non posset, nisi in uno tantum loco, in quo illas emitteret. Ad 2. neg. assumptum, cum probatur, dicimus, accidentia subordinata utriusque se invicem denominare, ut patet in allato exemplo de albedine, & quantitate, at non accidentia disparata, ut constat de albedine, & dulcedine in lacte, quorum neutrum alteri communicat suum effectum formalem, talia autem sunt Ubi Romanum, & Venerum in eodem subiecto. Ad 3. licet nequeat fieri transitus de extremo ad extremum sine transitu per medium loquendo de motu successivo includente totam realitatem termini motus, potest tam fieri loquendo de motu includente solum relationem termini motus, qui proprie dicitur mutatio localis, & in casu posita fieret mutatio localis acquisitiva sine deperditiva, & hoc modo de facto sit Christus præsens in Eucharistia non a Cælo descendens, nec per medium transiens.

122 Quarto specialiter arguit, quod non possit poni corpus in loco definitive, & indivisibiliter. Tum quia cum corpus sit divisibile repugnat ei modus indivisibilis, qualis est iste; Tum quia ideo repugnat Angelum esse divisibilem in loco, quia ipse in se est indivisibilis, ergo pariter repugnat corpori esse in loco indivisibiliter, quia in se est divisibile. Tum tandem, quia corpus quantum nequit esse in rerum natura sine figura, hæc vero consistit in tali extensione partium in ordine ad locum.

Resp. modum essendi corporum in loco definitive per divinam potentiam non esse undequaque indivisibilem, sed tantum ex parte spatii, quatenus indivisibiliter, & sine ordine ponit totum corpus, & partes ejus in loco, at ex parte subiecti est divisibilis, & in hoc differt a modo essendi in loco rerum spiritualium, & talis modus essendi in loco indivisibiliter corpori non repugnat, ut subsistat potentia obedientiali. Ad 2. negatur paritas assumpta de Angelo, & corpore, Angelus enim esse nequit in loco divisibiliter, quia extensio rei in loco supponit extensionem rei in se, sicut universaliter actus secundus supponit primum, at non ita necessarium est id, quod est extensum in se, debere etiam esse actu extensum in loco, quia nec semper necessarium est, actum secundum esse conjunctum actui primo. Ad 3. duplex est figura, intrinseca, & extrinseca, illa attenditur penes ordinem partium in toto, & adinvicem, ista penes ordinem partium in loco, & est corpori accidens per accidens, ac proinde ab ipso separabilis, illam vero semper retinet etiam existens in loco indivisibiliter.

123 Quinto ad idem, quia si ita poneretur corpus in loco, plura sequerentur absurda; primo, quod in tali statu posset dividi in omnem sui partem simul, & semel, cum enim sit intrinsece divisibile, potest a Deo dividi, & cum indivisibiliter existat, non est major ratio, cur ex una parte dividatur potius, quam ex alia. Secundo quod omnes corporis partes æque distarent ab invicem, essent enim omnes æque præsentis indivisibili puncto loci, atque ita singulæ essent adinvicem confusæ; quod est contra naturalem compositionem corporis. Tertio denique sequeretur, corpus illud in tali casu infinitas habere præsentias, quarum singulæ sint per se perfectæ, & integre, ita ut una ab altera non dependeat, tot enim sunt partes, & indivisibilia loci, quibus constituitur præsens, & cum possit manere præsens uni parti, definendo esse præsens aliis, sequitur, unam præsentiam ab alia non dependere, sic autem pars æquaretur toti, illa enim tota, & totalis præsentia, quia corpus per totum locum diffunderetur, v. g. Christi corpus per totam hostiam, utique ex illis infinitis præsentis ad singulas loci partes terminatis componeretur, & cum singulæ ponant totum Christi corpus in loco, ut illa totalis, jam pars æquabitur toti.

Resp. neg. sequelam; non sequitur primum absurdum, cum enim divisio continui in omnes suas partes repugnat, nec etiam a Deo fieri posset in corpore in tali statu existente, utique fieri posset divisio in has, vel illas partes destruendo eorum terminos continuativos, non tamen in omnes simul, & fieret divisio in illas partes, quas Deus determinaret. Neque sequitur secundum absurdum, quamvis enim omnes illius corporis partes essent confusæ in loco, quatenus singulæ sunt in eodem puncto loci penetratæ, adhuc tamen inter se servarent ordinem, & distantiam entitativam, quatenus pes non esset capiti immediate conjunctus, & etiam quantitativam, quatenus adhuc singulæ partes natæ sunt occupare suapte natura distinctum locum, & situm, & hoc sufficit ad naturalem corporis quantitativam constitutionem, distantiam enim situalis partium ab invicem est penitus corpori accidentalis. Nec tandem tertium sequitur absurdum; ratio communiter reddi solet, quia haberet tunc corpus infinitas illas præsentias solum in potentia, sed unam tantum in actu, sicut modo de facto Christus est in hostia semel in actu, & infinitas in potentia, unde consumpta una parte

hostiæ, statim fit in actu præsentia corporis Christi perfecta ad residuum, quæ prius tantum erat in potentia.

124 Sed hæc resp. admitti non debet ex dictis supra q. 5. art. 2. hinc enim sequeretur, quotiescunque consumitur aliqua particula hostiæ, & cessat Christus esse illi præsens, derinere etiam præsentiam illius ad alias, cum ponatur Christus esse præsens toti hostiæ, & singulis ejus partibus per unicum numero præsentiam, quemadmodum ibi arguebamus de præsentia Angeli in loco, & unione animæ ad corpus, quod tamen est falsum, nam quam enim cessavit Christus esse præsens aliis partibus, nec a mittendo præsentiam ad hanc partem, amittit præsentiam a. ctualem ad alias, & aliam de novo acquirit, quin illis adhuc præsens remaneat, sed semper eis manet actu præsens sine ulla penitus interruptione, quousque manet. Quamvis igitur concedatur Christum esse semel in tota hostia, sicut & Angelum in suo loco adæquato, & animam in corpore, quatenus non est ibi per iteratas totius sui esse replicationes, sed per unam demtaxat, & quasi continuam totius sui esse diffusionem, ut superius explicatum est, non tamen est ita semel ibi scilicet in tota hostia, & singulis ejus partibus, ac punctis, ut per unicum præsentiam actualem his omnibus constituitur præsens, ut videtur communis omnium sensus, sed est ita ibi per totam hostiam diffusus, & omnes ejus partes proportionales per tot præsentias, quot sunt illæ partes, ac indivisibilia, quarum præsentiarum infinitas in proposito non facit novam difficultatem, & ab ea diversam, quæ fieri solet de infinitate partium continuæ, unde dissolvi debet, sicut & illa; illa vero totalis præsentia, qua Christus dicitur toti hostiæ præsens, & singulis ejus partibus, in eo sensu dici debet componi ex aliis præsentis ad partes hostiæ terminatis, quatenus non est nisi tota aggregatio illarum, ratione cujus dicitur Christus totus, totaliter hostiæ præsens, quod nequit sibi convenire ratione alicujus illarum singillarum, per eam enim utique totus constitueretur in illa parte hostiæ, ad quam terminatur, non tamen totaliter; nec tandem ex hoc sequitur singulas harum præsentiarum toti aggregationi illarum adæquari, & ita partem toti, quia licet singulæ illarum sint totales ex parte subiecti, quatenus per singulas totus Christus constituitur præsens, non tamen sunt totales ex parte termini, quia singulæ non terminantur ad totum locum, scilicet hostiam, sed ad singulas illius partes, ac proinde per singulas dicitur solum totus in hostia, non autem totaliter.

125 Dicemus 3. non implicare idem corpus a Deo poni in pluribus locis adæquatis etiam modo circumscriptivo. Concl. esse contra Doct. cit. initio q. qui licet admittant, idem corpus esse posse in pluribus locis adæquatis in uno circumscriptivo, in aliis definitive tantum ad salvandum Eucharistiæ Sacramentum, negant tamen poni posse in pluribus circumscriptivo; & prob. 1. ex quibusdam apparitionibus Christi factis Paulo Damascum patenti, & Petro Romam deferenti: quibus in casibus non videtur satis Scripturæ consonum, Christum deseruisse Cælum, quamvis id concedat Complut. cum D. Thom. 3. par. q. 47. art. 6. Nam ex Scriptura habemus, Christum non relinquitur Cælum corporaliter, nisi in die Judicii, Actor 3. quem oportet Cælum suscipere usque in tempora resurrectionis omnium, & Aug. confirmat relatus de consecr. dist. 2. cap. 1. Hæref. donec finiatur seculum, sursum est Dominus. Nec satisfacit, quoad ajunt Complut. inconveniens non esse in illis casibus per brevem morulam Christum reliquisse Cælum, Scripturas vero, & PP. solum intendere Christum ante iudicium non recessurum a Cælo per spatium temporis notabile. Nam neque in die Judicii Cælum relinquit, nisi per brevem morulam, in qua fiet iudicium, ergo allata explicatio non ad sensum Scripturæ, & PP. Nec minus dici potest, tales apparitiones fuisse imaginarias, ut solent Advers. respondere de multis aliis SS. apparitionibus in diversis locis. Quia præfata apparitiones Christi enumerantur a D. Paul. 1. ad Corint. 5. inter eas, quæ confirmant veritatem resurrectionis Christi, ergo vera fuit, & realis, non imaginaria solum.

126 Deinde probat Scot. ratione, quia potest constitui corpus pluribus in locis modo inextenso, & indivisibili ejus naturæ naturaliter repugnanti, ergo tanto magis poterit constitui in pluribus locis sub modo extenso, qui est ei connaturalis, quia hoc est minus miraculum illo, nam hic unum tantum intervenit miraculum, expoliatur enim corpus modo naturali definitivo, per quem ex vi potentia naturalis ita ad unum locum limitatur, ut simul in alio esse nequeat, ibi vero expoliatur, nedum hoc modo connaturali definitivo, sed etiam circumscriptivo, & plane difficilius est explicare, quomodo corpus divisibile, & extensum possit esse in pluribus locis modo spirituali, & inextenso, ut patet ex Concl. præc. quam quod possit esse in pluribus locis modo extenso, & divisibili. Nec valet responso Compl. hoc secundum difficultius esse, quia contradictoria sequerentur, quæ non sequuntur ex primo. Nam falsum est, ullam ex hoc contradictionem sequi, ut mox patebit ex solutione rationum. Hinc deducit Bassol. & Rib. 5. d. 10. qu. 4. art. 2. concl. 3. Adversarios tanto magis fuisse negaturos possibile esse replicationem corporis spirituales in pluribus locis, nisi fidei mysterium obviasset, eorumque intellectus captivasset.

Resp. Complut. neg. paritatem, quod enim corpus sit in duobus locis, in uno per proprias dimensiones, & in alio sacramentaliter ex vi conversionis alterius in ipsum, ut est de corpore Christi, quod est in Cælo ratione propriae dimensionis, & in Sacramento ex vi conversionis substantiæ panis in ipsum, nulla est implicancia; & implicat tamen, quod quantitas, quæ est ratio occupandi unum locum, sit simul ratio oc-

cupandi alium. Contra arguit Doct. lit. E. conversio alterius in istud non est isti formaliter ratio essendi hic, quia transiente conversione manet terminus conversionis, hic ergo sine aliqua contradictione potest alicui conferri esse hic, sine conversione aliqua alterius in ipsum, & potuit Sacramentum Eucharistiæ institui absque eo, quod defineret substantia panis, ut probat Doct. capite 4. distinctione decima prima, quæstione tertia. Et falsum est, quantitatem esse rationem essendi in uno loco tantum, quamvis enim id verum sit de Ubi, hoc enim est determinata ratio formalis essendi hic, vel ibi, tamen quantitas est de se indifferens ad occupandum hunc, vel illum locum, & sicut naturaliter potest fundare plures præsentias successive ad diversa loca, ita supernaturaliter potest illas fundare simul, nec ad multiplicationem posterioris sequitur necessario multiplicatio prioris.

127 Respondet Masius, quod species derelicta post conversionem est benedictio corpori Christi ratio existendi in hostia consecrata, quamobrem in Cælo est circumscriptive per proprias dimensiones, in Sanctissimo Sacramento autem per alias, scilicet per dimensiones hostiæ consecratae, in quo nulla cernitur implicancia. Contra arguit Doct. ibidem, & quol. 10. I. species illa, seu dimensio hostiæ non est formaliter in corpore Christi, ergo non est ratio corporis Christi essendi formaliter in loco, sed corpus Christi est formaliter præsens, ergo per aliquid aliud, quam per conversionem, vel speciem conversi. Tum quia si dimensio hostiæ esset ratio formalis benedicti corporis Christi essendi in Sanctissimo Sacramento, tunc esset in Sacramento dimensio, & modo extenso, nam dimensio nequit esse ratio essendi in loco indivisibiliter, & inextenso. Tum etiam quia esto sit necessarium, corpus existens in pluribus locis existere in illis per diversas præsentias, est tamen evidenter falsum debere existere per diversas dimensiones, cum una, atque eadem dimensio possit plures præsentias fundare.

Respondent proinde aliter Compl. quod præsentia quantitativa convenit benedictio corpori Christi in Cælo ratione propriae quantitatis, at vero præsentia sacramentalis convenit illi ratione suæ propriae substantiæ, non qualitercumque, sed quatenus substantia panis conversa est in substantiam benedicti corporis Christi, unde conversio est ratio causalis, & substantia ratio formalis, cur sit præsens in hostia. Contra substantia benedicti corporis Christi in hostia consecrata non est sine quantitate, nam licet ibi non sit quantitas ex vi conversionis, adest tamen ratione concomitantia, ergo si substantia benedicti corporis Christi quanta potest recipere Ubi inextensum, nec non indivisibile præter Ubi extensum, quod habet in Cælo, tanto magis potuisset recipere aliud Ubi extensum, & divisibile, cum hic sit modus illi connaturalis, non autem ille.

Demum ex eo probatur, quia ut notant Bassolius, & Rab. citat. ibidem nulla afferri potest instantia contra replicationem circumscriptivam corporis pluribus locis, quæ æque bene non militet contra definitivam, & sacramentalem benedicti corporis Christi, ut evidenter patet ex infra rationibus contra præcedentem conclusionem allatis; & magis patebit adhuc ex dicendis; quæ de causa præsertim factum est, ut modo sententia Scoti sit fere omnibus accepta.

Ratorquentur, & solvantur implicancia contra replicationem circumscriptivam corporis.

128 IN oppositum arguit Compl. 1. De ratione loci circumscriptivi est, quod intra se comprehendat locatum, ac proinde, quod sit adæquatus respectu illius, ergo implicat, locatum comprehendere ab illo loco, & simul esse extra illum. Nec respondere valet, hanc comprehensionem circumscriptivam importare tantum, quod totum locatum sit intra terminos loci totum in toto, & pars in parte, quod equidem reperiretur, etiam ab utraque loco ambiretur. Nam contra instatur, quia non utrumque continetur locatum a loco, sed tamquam a termino intra quem est, sed id, quod continetur in aliquo tamquam intra terminum implicat, quod sit extra illud, ergo, &c. Major jam manifeste patet ex quarto Physicorum 41. ubi locus dicitur terminus extrinsecus, & extremitas locati, minor etiam patet ex quinto Metaphysicorum capitul. de extremo, ubi ab Aristotele fit definitur, quod sit id, extra quod nihil rei possumus usurpare.

Respondetur hanc implicancia etiam militare contra præsentiam sacramentalem corporis Christi, nam etiam Christi corpus est circumscriptive in Cælo, ergo nullo profus modo esse poterit alibi, quia tunc extra illum locum aliquo modo foret; parum enim refert, quod sit extra illum, hoc vel illo modo, divisibili, scilicet vel indivisibili; facit etiam contra replicationem definitivam Angeli, & ideo adducta est a nobis contra præced. concl. nam ut patet ex superioribus dictis, superficies, infra quam continetur Angelus, est terminus, & extremitas substantiæ Angeli contentæ, non minus quam corporis. Complut. num. 85. inquit, non concludere contra Sacramentalem, quia locus circumscriptivus

Masii, & Bellui Tom. II. Physica.

vus exhaustit virtutem localem, quam habet corpus ratione quantitatis, cum sit terminus ejus secundum istam rationem considerati, non vero virtutem, quam habet ad essendum in pluribus locis ratione conversionis alterius substantiæ in ipsum. Sed frustra laborant, quia ut diximus in præced. conclusione: Conversio panis in corpus Christi non est ratio formalis, cur corpus Christi sit in Eucharistia, sed ad summum causalis, sed præsentia sacramentalis convenit illi ratione suæ propriae substantiæ, ut ipsi farentur num. 80. ergo cum illa eadem substantia intra locum circumscriptivum contineatur in Cælo, non poterit per præsentiam alterius rationis extra illum constitui. Et cum dicunt, locum circumscriptivum exhaustire virtutem localem corporis, aut id intelligunt absolute, aut de virtute locali modo tantum circumscriptivo; si primo modo, ergo locus erit ita terminus rei locatæ, ut nullo profus modo possit alibi existere; si secundo modo, ut insinuant, hæc est manifesta petitio principii, nam est id, quod requiritur, an locus circumscriptivus ita sit terminus rei locatæ, ut extra illum esse nequeat per præsentiam ejusdem rationis.

129 Respondetur ergo, de ratione comprehensionis localis esse ut contineatur totum, quod comprehenditur intra ambitum loci, ita quod nihil sit illius, quod sub comprehensione non contineatur, non tamen impedit, quin idem totum possit etiam simul ab alio comprehendere, ut patet ex objecto, quod comprehenditur per unam cognitionem potest etiam per alterius cognitionem comprehendere. Et cum inquitur, locum esse terminum rei locatæ, & de ratione termini esse non solum, quod comprehendat rem terminatam, verum etiam quod nihil ejus sit extra illum; dicimus, locum esse terminum rei locatæ in hoc sensu, & extremitatem ejus secundum eam præsentiam, quæ ipsum respicit, quapropter si corpus est Romæ, locus ita terminat corpus per Ubi Romanum, ut ex vi illius nequeat esse alibi, hoc tamen non impedit, quin alibi esse possit per aliam nam. præsentiam, est ejusdem rationis, & sicut licet adversariis explicare definitionem Aristotelis, quod locus sit terminus, & extremitas rei locatæ quantum ad præsentiam unius rationis, scilicet circumscriptivæ, non quantum ad omnem absolute, ita quoque licebit nobis explicare, quod intelligatur quantum ad illam præsentiam circumscriptivam, quæ ipsum respicit; non vero quantum ad cæteras omnes ejusdem rationis, quod si contendant, Aristotelem intelligere, quod locus sit terminus rei locatæ quantum ad omnem circumscriptivam possibilem, ita ut aliam simul habere nequeat, nos ingenue totum concedimus, immo non solum hoc, verum patamus, sensum Aristotelis fuisse, quod locus sit ita terminus rei locatæ, ut nec per præsentiam ejusdem rationis, nec alterius possit simul esse alibi, quia Aristoteles non agnovit potentiam Dei absolutam, quamobrem Aristotelis auctoritas æque militabit contra nos, & illos; quare absolute dicendum erit, locum esse terminum rei locatæ, quatenus debet totam rem locatam intra se claudere, non vero quia non possit eadem res simul alio loco contineri.

Secundo, quantitas ratione suæ essentia, & intrinseca entitatis est prima, & principalis ratio, per quam corpus redditur formaliter aptum ad extensionem, & præsentiam localem, ergo si semel una quantitas non potest naturaliter loquendo reddere substantiam idoneam ad duplicem extensionem, & præsentiam localem, neque etiam id poterit in ordine ad divinam potentiam, ac proinde de ratione loci circumscriptivi erit, ut ita finiat, & exhaustiat virtutem repletivam, quam habet unum corpus quantum, ut implicet esse simul extra illum in alio loco, prima consequentia luculenter patet, nam effectus proveniens ab aliqua forma, ut a causa formali principali, causatur ab illa ratione naturæ virtutis ejus, unde vel non potest causari ab illa, vel causatur per naturalem virtutem ejus, & consequenter naturaliter.

130 Resp. hoc argumentum Complut. manifeste destruere potentiam obedientialem in rebus, vel saltem confundere unam cum alia, dum id, quod rei non convenit naturaliter, negat etiam convenire posse per divinam potentiam, unde in multis posset afferri instantia; nam qualitas non potest naturaliter in infinitum augeri, bene tamen per potentiam divinam, & quantitas in proposito in locante est, ita ratio locandi active, sicut in locato passive, atque ideo sicut una quantitas, quia non potest naturaliter reddere corpus localem duplici præsentia locali, ideo nec fieri potest per potentiam divinam, sic a pari, quia naturaliter nequit reddere corpus locans contentivum duplici contentiva simul, id etiam fieri non poterit per potentiam Dei, nec consequenter duo corporea in eodem loco. Distinguenda igitur est in rebus potentia naturalis ab obedientiali, ut sæpius diximus, non quidem entitative, sed in ordine ad agens, & dicendum, multa convenire posse illis ratione potentia obedientialis, quæ non conveniunt ratione naturalis, quia per illam comparatur ad agens illimitatum, per istam vero ad agens limitatum; neque istæ potentia repugnant ab invicem, quia sunt una potentia ad diversa comparata, nec quæ conveniunt rei ex vi potentia obedientialis, dicuntur repugnare, vel esse contra naturam illius, eo quia non conveniunt secundum potentiam naturalem, X. quia

quia non dicitur potentia naturalis, quasi ita determinate petat & absolute postulet ipsa natura rei, sed quia ita petit in ordine ad agens naturale, absolute tamen est indifferens ad hoc, & illud, & ideo, quæ conveniunt rei ex vi potentia obediencialis dicuntur supra naturam rei, non contra naturam, & sic in proposito ex vi potentia naturalis petit corpus unam circumferentiam tantum, sed ex vi obediencialis potest habere plures; ex quo non sequitur, hanc pluralitatem repugnare naturæ quantitatis, quia potentia non dicitur naturalis, quia sic absolute postulet natura rei, sed quia ita postulat, ut subest actioni agentis naturalis.

131 Tertio, si unum corpus per proprias dimensiones potest esse in duplici loco circumscriptivo, ergo eadem ratione potest esse in omnibus, ergo potest esse ubique, & immensum, quod implicat, nec respondere valet, corpus illud non fore immensum, quia id non haberet ex vi suæ essentia, & independentem ab alio, & per unicam præsentiam, quæ omnia requiruntur ad immensitatem. Nam contra arguit Compl. ex eo, quod aliqua creatura potest tamquam causa principalis, licet per participationem a Deo, producere aliquid ex nihilo, vel effectus secundum essentiam perfectiores, & perfectiores usque in infinitum, optime colligitur illam esse, & non esse creaturam, habere, & non habere omnipotentiam, ergo ex hoc, quod aliquod corpus habeat a Deo tamquam a causa efficiendi, & a sua quantitate tamquam a causa formali, & principali virtutem repletivam in actu primo omnium locorum, & actu sit ubique, recte inferemus, tale corpus esse, & non esse immensum.

Resp. hanc implicentiam etiam militare contra replicationem sacramentalem corporis Christi, & definitivam Angeli, & quamvis Compl. num. 86. conentur assignare disparitatem, quia corpus Christi non est in pluribus hostiis per eandem rationem essendi in loco, quia cum sit ibi ex vi conversionis substantia panis, consequenter ex vi hujus numero conversionis tantum esse potest sub his speciebus, & non sub aliis, & ex vi alterius sub aliis, & non sub istis, quare ratio essendi in pluribus non est unica, & eadem, sicut esset, si poneretur in pluribus locis ratione propriarum dimensionum; tunc enim ratio illa repletiva loci haberet in ratione virtutis localis infinitatem. Sed iterum frustra laborant; tum quia conversio est tantum ratio causalis, non autem formalis, cur corpus Christi sit præsens in hostia consecrata, quemadmodum dictum est, nam præsentia sacramentalis etiam secundum ipsos num. 80. convenit illi ratione suæ propriæ substantiæ, ergo cum hæc sit eadem ratio essendi in pluribus, inferret immensitatem; tum quia etiam si conversio esset ratio formalis essendi in Sanctissimo Sacramento, verumtamen substantia benedicti corporis Christi antecedenter habet, ut possit locari in pluribus, & pluribus locis ex vi conversionis alterius in ipsam, atque ita hæc virtus erit infinita in actu primo; tum quia si in replicatione sacramentalis corporis Christi evitatur immensitas, quia non est in hac, & illa hostia, ex vi ejusdem conversionis, sed ex vi hujus & illius, ita evitabitur in replicatione circumscriptiva, quia non erit in hoc, & illo loco ex vi ejusdem præsentia, sed diversarum, & licet esset propter eandem quantitatem, ut per rationem fundamentalem, nihilominus in ratione virtutis localis, & repletivæ non haberet infinitatem, sicuti requirit immensitas, quia non peteret necessario esse in omnibus, sed ita indifferens foret ad esse in uno, sicut in pluribus, immo de facto etiam cum quantitas possit esse ratio essendi in infinitis locis successive, possemus arguere in ipsa infinitatem, & si dicant, ad hoc requirit etiam simultaneitatem, operæ pretium est, ut dicamus, hoc esse luce clarius, quando hæc exigeretur ex vi ipsiusmet quantitatis, sicut eam requirit divina immensitas.

132 Respondetur igitur, negando consequentiam, nam sicut per ipsos Compl. disputatione vigesima nona, ex eo, quod corpus creatur ab æterno, haud participat æternitatem omnipotentis Dei, quoniam quamvis replet totum spatium durationis imaginariæ, tamen id ei minime convenire potest ex principiis intrinsicis, sed mere contingenter, ita in proposito quamvis replet infinitum spatium loci, eadem ratione immensum dici nullo prorsus modo potest, nec infinitas potest in ipso inferri, sed tantum indifferentia quadam, & indeterminatione ad illa Ubi ex vi potentia obediencialis. Ad impugnationem Compl. negatur omnino paritas de potentia creativa, & repletiva loci, nam potentia creativa est virtus activa, & ideo si eadem sufficiens est ad producendos effectus perfectiores, & perfectiores in infinitum, arguitur in ea infinitas, sed potentia repletiva loci in corpore est mere potentia passiva ad plura, & plura Ubi recipienda, quæ nullam dicit perfectionem, quemadmodum notat Lychet capite 3. distinctione prima, quæstione secunda: quamobrem est per eandem quantitatem esset corpus in pluribus locis, non proinde deberemus in ipsa arguere infinitatem, sed tantum indifferentiam, & indeterminationem ad unum, vel plura Ubi, quod si paritas admittatur, non minus demonstrabitur, creaturam non posse infinitum spatium locale replevere, quam infinitum spatium durationis, quod est contra opiniones illorum, qui tenent, quod creatura potuit esse ab æterno.

133 Quarto si corpus idem potest esse circumscriptive in

pluribus locis, esset divisum, & indivisum a se ipso, quod implicat, nec responsum dare valet, quod divideretur a se localiter, non autem entitative. Nam instant Compl. tum quia nequit multiplicari effectus formalis, quamvis sit secundarius, quin multiplicetur forma, quia posterius a priori dependet, at extensio, & præsentia quantitativa est effectus formalis quantitatis secundarius, ergo nequit multiplicari talis extensio, & præsentia immultiplicata manente quantitate, & consequenter immultiplicato corpore, ergo multiplicatio locorum circumscriptivum arguit divisionem in re locata, non tantum localem, sed etiam entitativam; tum quia sicut se habent principia essentialia rei naturalis ad constitutionem specificam ejusdem, ita quantitas ad constituendam rem aptam, ut sit in loco, sed implicat, quod sine multiplicatione principiorum essentialium constituantur res in multiplici specie, & ergo etiam repugnabit, quod sine multiplicatione quantitatis sit corpus locale in multiplici loco circumscriptivo. Hanc eandem implicentiam urgent Joannes de Sancto Thoma, & Manca, quia corpus possum in duplici loco haberet duplicem superficiem terminantem, quæ possent se tangere, ergo jam erunt duo corpora, minime unum, quia ex diversitate quantitatum arguitur diversitas corporum, quæ ratione inquant non impugnantur per hanc implicentiam replicationem sacramentalem corporis Christi, quia est in hostia consecrata indivisibiliter sine ulla extensione ad locum, & ita sine ullo contactu ad alia corpora.

Respondeo hanc implicentiam pariter impugnare replicationem sacramentalem corporis Christi, & definitivam Angeli, & ideo eam adduximus contra præcedentem conclusionem, immo si ex unitate, & multiplicitate loci arguere valet unitatem corporis, & diversitatem, neque duo corpora esse possent in eodem loco; immo non solum pluralitas locorum non obest unitati entitative corporis, quæ omne accidens præcedit, sed nec etiam pluralitas quantitatum, nam facere potest Deus, quod duæ quantitates informant idem corpus, Et quando inquit Compl. non valere hanc implicentiam contra replicationem sacramentalem, quia non est eadem ratio existendi in pluribus locis, sicut eveniret, si esset in illis secundum proprias dimensiones. Hoc minime tollit paritatem; tum quia falsum est, ut diximus, conversionem esse rationem formalem, cur Christus sit in hostia præsens; tum quia quamvis esset ratio formalis, adhuc tamen ipsa substantia Christi esset res locata sacramentaliter in pluribus locis; quare si hoc contingere potest de substantia absque divisione entitativa a seipsa, hoc idem contingere poterit de ipsa quantitate, quod possit poni in pluribus locis, vel per plurificationem præsentiarum in ea, vel per conversionem alterius quantitatis in ipsam, & plane hæc paritas de quantitate, & substantia in ordine ad locum valde convincit, quia nequit assignari ratio, cur possit substantia eadem in pluribus replicari locis, non autem quantitas sine distinctione entitativa a seipsa.

134 Resp. ergo, ut ibi, quod ex distinctione, & divisione locali, qualicumque sit, divisionem entitativam colligere non licet, quia eadem res potest esse in pluribus locis, & per eandem rationem fundamentalem in omnibus, licet non formalem; & ad primam impugnationem negatur major cum probatione, immo quia posterius dependet a priori, & minime e contra, cum unitate prioris stat multiplicatio posterioris, & de facto videmus extensiones, & præsentias quantitativas multiplicari successive in eadem numero quantitate, dum idem corpus per eandem quantitatem locatur modo in hoc, modo in illo loco, cujus ratio est, quia hæc & illa extensio est effectus secundarius quantitatis inadæquatus. Ad alteram impugnationem negatur etiam paritas, nam eadem differentia essentialis non potest esse ratio naturæ essendi nisi in determinata specie; at quantitas non consistit rem aptam, ut sit tantum in illo loco, sed indifferenter, ut sit in hoc, vel in illo ex vi potentia naturalis, & indifferenter, ut sit in uno, vel pluribus ex vi potentia obediencialis. Ad eandem implicentiam, ut ab aliis Thomistis urgebatur, negatur consequentia; nam corpus in duplici loco positum non haberet duplicem superficiem, sed eandem replicationem, an vero illud corpus sibiimet accedens diceretur sibi continuum, vel contiguum, patebit ex dicendis in fine quæstionis; & adhuc hæc implicentia impugnat replicationem sacramentalem, quia licet corpus Christi sit ibi modo indivisibile, adhuc tamen est ibi vere cum tota sua quantitate, quam habet in Cælo, & vere dici poterit quantitas corporis Christi in hostia consecrata divisa, & discontinuata a seipsa in Cælo, quia interponitur corpus medium, ut arguit Joannes de Sancto Thoma de corpore replicato in pluribus locis circumscriptive.

Quinto objicitur. Tum quia impossibile est, multiplicari occupationem loci non multiplicata ratione occupandi locum, sed hæc non multiplicatur, cum quantitas eadem supponatur. Tum 2. non potest quantitas esse extensa in loco, nisi prius sit extensa in se, ergo non potest esse bis extensa in loco, nisi bis sit extensa in se, quod non potest unum, & eidem quantitatis convenire. Tum 3. occupatio loci, licet sit effectus formalis secundarius quantitatis, tamen est adæquatus, sed implicat ab una forma esse plures esse

us formales adæquatos. Tum demum si per eandem quantitatem potest esse simul corpus in pluribus locis, sequitur, idem esse æquale majori, & minori, & consequenter æquale, & inæquale sibi, quod implicat, patet sequela, quia locatum est æquale loco, ergo existens in duobus locis erit æquale utriusque simul, qui est duplo major quovis seorsum, & eadem ratione sequitur, partem esse majorem toto, supposito, quod pars constituitur in loco ampliore, quam totum.

135 Resp. ad 1. majorem valere de ratione formali occupandi locum, qualis est Ubi circumscriptivum, non de fundamentali, quæ est quantitas, hæc enim una, & eadem manens, potest esse ratio occupandi loca diversa, fundando diversas præsentias, & id contingit naturaliter successive. Ad 2. negatur consequentia, quia non est necesse multiplicari prius ad multiplicationem posterioris, & ideo cum extensio quantitatis in se sit prior extensione locali ejusdem, veluti fundamentum ejus, potest illa una, & eadem numero manens fundare plures itas. Ad 3. neg. assumptum, quod hæc, & illa occupatio loci fingillatim sumpta sit effectus adæquatus quantitatis, sunt enim inadæquati, atque ideo plurificabiles successive per potentiam naturalem, & simul per divinam. Ad 4. potest retorqueri illa implicentia contra penetrationem duorum corporum in eodem loco, sicut enim locatum est æquale loco, ita locus locato, neg. igitur sequela, quia corpus v. g. palmare non æquatur loco bipalmari semel sumptum, sed bis replicatum, & loco quadrupalmari quater replicatum, in quo sensu palmus adæquat unam panni octies replicatus, neque in hoc ullum cernitur absurdum. Nec etiam sequitur, partem excedere totum, est in loco ampliore constituitur; tum quia corporum magnitudo attenditur penes ipsa semel sumpta, & non replicata; tum quia ex hoc loco sequitur, partem habere majus Ubi, quam totum, non autem majorem quantitatem in se; sicut e contra si Deus reduceret brachium per compenetrationem ad locum digiti, non propterea dicemus, brachium non habere majorem quantitatem digito, sed solum non habere majorem locum.

136 Sexto, hinc multa sequerentur mirabilia, & paradoxa; 1. Eundem hominem posse magnum exercitum conficere, & secum chorazas ducere, & sibi ipsi occurrere, quo casu difficile est divinari, an seipsum expelleret, vel potius semetipsum penetraret. 2. Posset virtute propria de loco ad locum moveri, & ita a pluribus locis discedens plures præsentias simul acquirere potest virtute propria, quod est impossibile, quia pluralitas præsentiarum simul vires naturales excedit, & hoc valde exagrat Vafq. 3. Posset eadem gutta aquæ toties replicari, ut universam terram inundaret, atque ita totus Orbis in unica gutta submergeretur, & super illam solam committi posset navale bellum. 4. Adhuc difficile est explicare, quomodo fieret replicatio istius guttæ, vel alterius corporis, vel enim replicaretur ita in loco sibi immediato, ut sibi ipsi continua esset, vel contigua, & neutro modo videtur fieri posse; non primo modo quia continuo est diverfor non solum secundum præsentiam, sed etiam secundum entitatem; nec secundo modo, quia illa, dicuntur contigua, quæ habent diversa indivisibilia terminantia, & hic sunt eadem indivisibilia ipsius guttæ. Et alia demum innumerabilia sequerentur, quæ quisque ad libitum cogitare potest.

Resp. Doctor, hæc omnia puerilia esse, & imaginationem sensui incontinentem sequentia, qui assuetus est corporibus in uno dumtaxat loco existentibus, & at rationem attendamus, facile omnia intelliguntur; ad hoc autem maxime observanda est tertia Scoti propositio, quam supra retulimus num. 121. per replicationem licet præsentiarum non augeri virtutem activam rei locatæ, nec intensive, nec extensive; & ideo ad primum, si homo toties replicetur, ut integrum conficiat exercitum, non inde acquireret majorem virtutem, sed solum majorem locum; posset insuper chorazas ducere, & sibi ipsi occurrere, ait Doct. & in tali casu si Deus adhuc ipsum conservare vellet in pluribus locis, seipsum expellet, neque hoc est inconveniens; tum quia tunc se habet per modum plurium, tum quia illa actualis expulsio non tam fieret ratione quantitatis, quam ratione illarum duarum præsentiarum, quæ habebant constituere rem in loco cum actuali impenetratione ex suis rationibus formalibus; tum tandem quia etiam ratione ipsius quantitatis fieret illa expulsio, si homo ille occurreret sibi secundum diversas partes impenetrabiles, parte nimirum dextra occurrente sinistræ, quia hujusmodi partes, etiam cum in uno loco existebant; se penetrare non poterant. Si autem nolleret Deus hominem illum amplius conservare in pluribus locis, non propterea dicemus, seipsum penetrare, quia penetratio proprie est diversarum quantitatum, sed unum Ubi amittere, alterum tantum retinendo juxta Dei beneplacitum. Ad 2. Hurt. disp. 16. sect. 5. §. 47. Ariag. disp. 14. num. 129. & Fuent. 4. Phys. diff. 5. art. 3. ad sextum negant, corpus replicatum in pluribus locis moveri amplius posse virtute propria, sed moveri debere novo influxu virtutis divine, at tamen cum Doct. loc. cit. concedi potest, ut facit Averia, & Jo. de Lugo disp. 5. de Sacram. Euchar. nu. 30. quod supposito priori replicatione illius a Deo facta in pluribus locis, potest virtute propria adhuc moveri ab uno loco in alium, hoc enim non videtur denegandum ejus virtutis naturalis, supposito priori miraculo, cujus ratio est, quia talis replicata præsentia non foret supernaturalis secundum substantiam, sed tantum secundum modum, quatenus est simul

Maffii, & Belluri Tom. II. Physicæ.

cum alia eo modo quo cæcus utique naturaliter visionem attingere nequit, at si a Deo visum recipiat, potest supposito illo miraculo eam naturaliter attingere absque novo miraculo. Et tunc dicendum, quod sicut si Deus faceret vacuum, posset utique mobile aliquod ab una parte spatii in aliam moveri virtute propria, nec propterea diceretur facere vacuum deferendo locum, quem replebat, sed Deus, qui non sinit alia corpora subire ad illud spatium replendum; ita in proposito licet præsentia, quam de novo acquireret corpus replicatum in pluribus locis, virtuti propriae ejus deberet attribui, cum naturalis sit secundum substantiam, simulque tamen ejus cum alia præsentia deberet in Deum refundi, qui dum corpus istud movetur de loco ad locum, vult adhuc illud conservare in alio loco. Advertendum tamen, hoc argumentum, quod tanti facit Vafq. præcedere etiam in replicatione, & præsentia spiritali Angeli.

137 Ad 3. conceditur, guttam aquæ posse omnia animalia submergere, quia hoc fieri potest sine augmento activitatis aquæ replendo solum guttur animalis, ita ut aerem attrahere nequeat; hoc enim solum sufficit ad animalis submergionem, ut notat Doct. loc. cit. at non ita facile concedi debet, super eam replicatam fieri posse navale bellum, quia hoc, quod est aquam sustentare navim, videtur in ipsa arguere virtutem quandam activam, vel potius sustentativam, quod si hoc munus fieri posset sine tali virtute per solam repletionem majoris spatii, id pariter concedendum foret. Qua etiam ratione concedendum est, totam hanc colluviem ex una sola gutta aquæ coagmentatam, totumque mundum inundantem posse sine ullo labore portari, quia ampliatio loci non auget pondus ejus; sic etiam si lapis sæpius replicaretur, & ex ipso solo sibi immediate plures collocato turris fabricaretur; vel tota Civitas; posset homo illam portare turrim, & totam Civitatem eadem profus facilitate, qua lapidem illum non replicatum portaret ob eandem rationem. Ad 4. in his casibus nec gutta, nec lapis esset proprie sibi ipsi continuus vel contiguus, sed immediatus secundum præsentiam. Sed dices; dato casu, quod hæc immediatio sit talis, ut corpus tangat seipsum secundum eandem partem, quia talis casus impossibilis non est, data hac sententia tunc sequitur, idem indivisibile bis poni eodem loco, quod falsum esse diximus quæst. præc. quia idem non potest bis replicari in eodem loco. Resp. quod sicut Doctor ait de corpore replicato se movente cum pervenerit ad illud Ubi, in quo se reperit, vel expulsum se de illo loco, si Deus vult illud conservare in pluribus locis, vel si non vult, definire unam illarum præsentiarum, quia unius locati ad unum locum non nisi unica potest esse præsentia, sic in proposito dicendum est de indivisibili corpore, quod cum pervenerit ad illud Ubi, in quo seipsum reperit, cum indivisibilitate non se expellant, definit una præsentia ad unum locum altera sola remanente.

Q U Æ S T I O IX.

Quæ actione poneretur res eadem in pluribus locis, & num in omnibus eisdem formis haberet, & affectiones.

138 **D**Uas habet partes quantum præsens, prima quartæ de modo, quo corpus, vel Angelus poneretur a Deo in pluribus locis, an id fieret per simplicem additionem producendo plura Ubi in eadem re, & eam accidentaliter replicando in pluribus locis, an potius per replicationem substantialem ejusdem rei, id est iteratam productionem ejus in illis pluribus locis; & quamvis communi omnium sententia videatur esse, quod fieret primo modo, & ab antiquis Scolasticis hoc non videatur in dubium revocari, Coninch. tamen de Sacram. quæst. 75. art. 4. dub. 3. & Morif. in Phys. disp. de loco qu. 4. mordicus tenent, non posse aliter fieri, quam secundo modo. Altera pars quæstionis quærit, an quando res replicatur in pluribus locis, necessario replicari debeat cum omnibus formis, & accidentibus, quæ habebat in uno loco existens, & dum manet in pluribus locis, si muratur in uno per aliquam formam ibi de novo acquistam, an necessario mutari etiam debeat in altero per eandem formam; & quamvis auctores omnes secundæ sententiæ cit. qu. præc. in hoc convenire videantur, quod formæ pendentes a præsentia locali, ut flare, sedere, moveri, quiescere, & alia hujusmodi variari possunt ad varietatem locorum, de formis tamen absolutis & a loco independentibus, quales sunt albedo, scientia, sanitas, &c. est magna controversia, asserentibus aliis, has nullo prorsus modo variari posse, sed rei debere inesse, ubicumque existat, aliis e contra contententibus has quoque variari posse, sicut priores, ita ut si Petrus posset hic dici sedens, ibi stans, hic moveri, ibi quiescere, ita pariter hic dici posset calidus, ibi frigidus, hic sanus, ibi æger, hic mori, ibi vivere; immo Coninch. & Morif. addunt, posse hic annihilari, & non ibi, quod alii verentur admittere. Alii vero, ut Jo. de Lugo loc. cit. de Sacram. Euchar. sect. 11. ajunt, quod licet non repugnet etiam formas absolutas variari pro varietate locorum, tamen si Deus operari velit juxta naturas rerum replicare debet cum corpore formas omnes a loco independentes. Neque hanc difficultatem subterfugere possunt auctores ejusdem corporis in pluribus locis, quia tamen non negant replicationem Angeli, vel etiam corporis inextensam, tenentur etiam ipsi docere, quomodo se haberet qua

X

ad suas operationes Angelus replicatus, & corpus Christi saltem quo ad immanentes, ad eo ut mirum sit, cur ex anterioribus primæ sententiæ nullus, vel saltem pauci hoc moveant quæsitum; pro cuius resolutione.

139 Dicimus 1. res eadem ponetur a Deo in pluribus locis per replicationem accidentalem, ponendo in ea plures præsentias locales, non autem per replicationem substantialem, iterum eam, atque iterum reproducendo. Concl. est Scoti loc. cit. ubi ex professo docet fieri adductionem, & non posse fieri per reproductionem ejusdem rei præexistentis, patet ex dictis disp. 8. qu. 3. art. 2. ubi probavimus, non posse eundem effectum duplici productione totali produci, aut conservatione conservari, & adhuc magis patet ex dictis in lib. de Gen. disp. 5. qu. 8. ubi ex professo demonstratur, rem, quamdiu existit, non posse substantialiter reproduci, & plane videtur communis omnium sensus, unde etiam qui concedunt, ejusdem effectus plures causas totales posse dari, adhuc negant, rem, dum existit, posse de novo fieri. Tum quia non videtur exerceri posse actio productiva rei, nisi ut facit rem de non existente existentem, & ideo quando res existit, nisi prius corrumpatur, non poterit iterum produci, neque ab alia causa, neque ab eadem, a qua producta est. Tum quia productio substantialis dicitur respectum ad non esse immediate præcedens, ergo implicat rem præexistentem produci, nam tunc dicitur conservari, nec potest dici reproduci, nisi sit prius corruptum. Tum quia productio substantialis est a non esse simpliciter ad esse simpliciter, habent enim pro terminis a quo, & ad quem esse substantiale, & simpliciter, & non esse simpliciter. Tum quia quod semel est corruptum, non potest esse terminus alterius corruptionis, nisi prius iterum producat, & habeat existentiam, ergo, quod semel est productum, non potest iterum produci, nisi prius desinat esse.

140 Nec respondere valet, distinguendo de duplici productione, prima, & secunda, & pariter de duplici esse substantiali, primo, & secundo, & quod prima productio absolute procedit a non esse simpliciter ad esse simpliciter, quod dicitur esse substantiale primum, altera vero productio aut non habet terminum a quo, aut si habet, erit non esse substantiale secundum. Non valet; tum quia absolute loquendo omnis generatio substantialis est rei inceptio, si non sit ab æterno, unde Arist. absolute definit generationem, quod sit transitus de non esse ad esse; tum quia productio secunda rei dicitur, postquam semel corrupta reproducitur, non autem quia adhuc actu existens reproducatur; tum quia implicat in adjecto dari esse substantiale secundum, cum omne tale sit primum, & si datur secundum, quia potest res bis produci, debet etiam dari tertium, quartum, &c. tum adhuc magis implicat dari generationem substantialem sine termino a quo, & cum hic alius assignari non possit, quam non esse simpliciter, profus implicabit, rem existentem posse ut sic reproduci, ut fuit in lib. de Gen. loc. cit.

Sed præsertim in proposito evidenter ostenditur, rem dum ponitur in pluribus locis, id non fieri per reproductionem substantialem in eis, quia Petrus hic existens ex vi localis replicationis Romæ, vel Parisiis certe non acquirit aliquid esse substantiale, sed tantum novum locum, tantum enim ex vi illius replicationis dicitur esse, ubi prius non erat, ergo ponitur in pluribus locis per simplicem adductionem. Quod adhuc magis declaratur casu, quo Deus nollit amplius Petrum conservare in pluribus locis, nam ut amplius ipsum non conservet Romæ, sufficit, quod in eo destruat Ubi Romanum, non vero, quod ipsum substantialem corrumpat. Accedit, quod posito Petro in pluribus locis cum suis accidentibus, sicut potest Deus destruere aliquod illorum accidentium absolutorum conservata Petri substantia, tanto magis poterit destruere aliquod illorum Ubi, quæ sunt magis extrinseca, non destructa ejus substantia, ergo sicut in tali casu Romæ desineret esse per solam destructionem Ubi Romani, ita incipit esse Romæ per solam ejus productionem. Denum evidenter ostenditur reproductionem substantialem ad hunc effectum esse profus impertinentem, ut scilicet idem ponatur in pluribus locis, quia ex vi reproductionis non ponitur magis hic, quam ibi, potest enim reproduci in eodem loco, ergo ex vi solius reproductionis non intelligitur corpus poni in pluribus locis, sed adhuc debet dari actio productiva novæ institutionis, & sic ex vi solius accidentalis replicationis intelligitur esse in pluribus locis.

141 Contra objiciunt Morif. & Coninch. primo, actio qua de facto Christi corpus in pluribus locis constituitur sub speciebus sacramentalibus, est substantialis, unde & vocatur a Coninchis transubstantiatio, ergo est productio ejusdem, quia nulli adductio non potest dici actio substantialis, & transubstantiatio, cum terminus illius sit sola forma accidentalis, scilicet Ubi. Resp. quod sicut in transmutatione distinguitur actio transmutativa ab ipsa transmutatione, quia transmutatio intrinsece solum respicit subjectum, formam, & privationem, non autem agens; ita & in transubstantiatione, seu conversione panis in corpus Christi distinguere debemus actionem convertivam ab ipsa conversione; conversio enim intrinsece respicit solum substantiam desinentem, ut terminum a quo, & succedentem ex vi definitionis illius, ut terminum ad quem, non autem agens; licet igitur conversio substantiæ panis in corpus Christi sit substantialis, & bene transubstantiatio dicatur, quatenus est transitus substantiæ in substantiam, & habet pro termino ad quem substantiam succedentem ex vi definitionis alterius substantiæ, actio tamen, sive productio, quæ ibi interve-

nit, non est substantialis, quia substantia corporis Christi ibi de novo non producit, sed tantum nova præsentia illius sub speciebus, & ideo est tantum accidentalis; ut autem conversio dicatur substantialis, seu transubstantiatio, non est necesse, substantiam, ad quam terminatur, accipere esse de novo, sed sufficit, ut terminus a quo desinat esse substantialiter, si enim hic non desineret, conversio non daretur, quia unum in aliud converti, est desinare unum in aliud succedens ex vi definitionis ipsius.

Sed dices, si ad conversionem requiritur desitio termini a quo ut possit vere dici converti in terminum ad quem, ergo pariter requiritur inceptio nova termini ad quem, ad hoc ut terminus a quo dicatur in ipsum conversus. Resp. neg. pariter, & ratio discriminis inter terminum a quo, & ad quem ex eo sumitur, quia terminus a quo est ille, qui denominatur conversus, & per consequens desinit in aliud, atque ideo ex parte ejus requiritur desitio simpliciter, at vero terminus ad quem solum denominatur per conversionem succedens termino a quo, ad hoc autem non est necesse, quod incipiat habere esse de novo, sed solum, quod succedat termino a quo ex vi definitionis illius, quomodoque succedat, unde in hoc differunt transmutatio substantialis, & conversio substantialis, seu transubstantiatio, quod ubi transmutatio substantialis denominatur præcipue a termino, ad quem, transubstantiatio præsertim denominatur a termino a quo, quia transubstantiatio est transitus unius substantiæ in aliam, & conversio in illam, & unum converti in aliud, est, unum desinare in aliud, & terminus desinit, & a quo est ille, qui dicitur conversus, & transubstantiatus, ergo præsertim ab isto conversio dicitur substantialis, quia nimirum iste substantialiter desinit in aliud.

142 Secundo objicitur. Tum quia, quod est in duobus locis est bis multiplicatum, non tantum secundum præsentiam, sed etiam secundum substantiam, quia non potest dari præsentia sine re, quam modificat, & ideo repetita præsentia supponit repetitum esse ipsius rei. Tum secundo, quia si Petrus producatur a Deo in pluribus locis assignari nequit, cur hic sit substantialiter productus, alibi vero tantum accidentaliter replicatus, cum æque primo supponamus a Deo creati, & in pluribus locis poni. Tum tertio, res in pluribus locis constituta desinit esse diversa definitione substantiali, quia quando corpus Christi desinit esse Romæ in speciebus, desinit esse secundum substantiam, non aliter, ac si desineret substantia Angeli existentis alicubi, si Deus subtraheret influxum conservativum ejus, quatenus existat secundum substantiam suam, ergo si desinit substantialiter esse in pluribus locis, plane ponitur in illis per productionem substantialem. Tum quarto Christus non desinit esse sub speciebus, sicut anima rationalis desinit esse in loco partis absentiæ per retractum, & motum localem in se ipsam, ergo vere desinit in se, & non tantum secundum numerum præsentiam, atque ita etiam incipit.

Resp. ad primum, neg. assumptum, ad prob. concedimus, rem esse utrobique secundum substantiam suam, non quidem ibi denuo productam, sed tantum adductam, & ideo non sequitur, quod habeat geminam substantiam, sed tantum geminatam præsentiam. Ad secundum, generationem rei substantialem insequuntur omnia accidentia connaturalia, unde dum res generatur, a generante etiam per accidens ponitur in loco, calu igitur, quo Deus crearet Angelum in pluribus locis, utique unica creatio esset, & unicus Angelus creatus, at non cum unica præsentia, sed pluribus, quia producit ipsum in pluribus locis, & in hoc sensu dici potest esse in omnibus illis substantialiter productus, quatenus est eadem numero substantia omnes illas præsentias simul, & semel habens, non autem in eo sensu, quod sit eadem numero substantia toties substantialiter reproducta, quot sunt illa loca. Ad tertium, neg. assumptum cum ejus prob. illa enim corporis Christi desitio est amissio tantum præsentia sub illis speciebus, at desitio Angeli in schola non tantum est amissio præsentia, sed etiam propriæ entitatis. Ad quartum, paritas est pro nobis, quod sicut in absensione digiti anima non amittit propriam entitatem, sed tantum respectum unionis, quam habebat ad digitum, ita Christus desinit esse sub speciebus, non per amissionem substantia, quæ sub illis continebatur, sed per solam amissionem præsentia.

143 Tertio, quod non possit hæc replicatio fieri per adductionem probat Coninch. quia si Deus Petrum Venetiis existentem vellent Romæ ponere in instanti, ita ut deserat priorem locum, hoc fieri non potest, nisi per reproductionem, quia si fieret per adductionem, vel produceret illud Ubi Romanum in Petro Venetiis existente, vel Romæ; non primum, quia tunc Ubi Romanum produceretur Venetiis, quod implicat, & tunc potius Romæ adduceretur ad Petrum, quam e contra; nec secundum, quia Petrus saltem prius natura Romæ existeret, quia causa natura prior est effectui, ergo non esset Romæ, nisi per reproductionem ejus ibi. Confirm. illi duo Ubi haberent se sicut frigus, & calor respectu communis subjecti, sed calor ut formaliter frigus expellat, debet produci in subjecto frigido, ergo ut Ubi Romanum expellat Ubi Venetum, formaliter debet recipi in Petro Ubi Venetum in se habente, & sic sequitur absurdum prius illatum, quod Ubi Romanum producat Venetiis. Denique qui censent id fieri per actionem adductivam simplicem, explicare non possunt, quomodo eadem secundum idem non convenient opposita etiam contradictoria, & alia plura, quæ facile salvantur, ponendo idem corpus reproductum, sic enim est virtualiter multiplex, & ut est in uno loco, impertinent

nens est ad se ipsum, ut est in alio, atque ideo verificari possunt, & enunciari de ipso, ut est in hoc, & alio loco omnia illa prædicata, quæ enunciarentur de corporibus diversis hic, & ibi existentibus, per virtutem enim sui multiplicatam, & geminationem æquivalentur illis.

Resp. ad primum, dato casu tunc Deus poneret Petrum Romæ solum per productionem novi Ubi ipso, & tale Ubi produceretur in Petro Romæ existente in aliquo priori natura fundamentaliter tantum, non formaliter. Cujus solutionis intelligentia pendet ex dictis in hac disp. superius n. 42. & iterum declaratur disp. 5. de Gen. & Cor. quæst. 8. n. 186. ubi rursus de hac re agimus; videantur hæc loca, & cessabunt, quæ Recentiores objiciunt contra hanc solutionem. Ad secundum, admissa quomodocumque paritate, neg. minor, quia calor non introducit in subjectum actu frigidum, sed quod prius erat frigidum, quia non expellit privationem, & formam oppositam, sicut clavus clavum, quasi in aliquo instanti simul reperiuntur in eodem subjecto, sed quatenus primum non esse unius est primum esse alterius, vel ultimum non esse unius, ultimum esse alterius, & sic etiam in proposito Ubi Romanum dato casu produceretur in subjecto, in quo immediate antea erat Ubi Venetum. Ad tertium, per solam adductionem nos explicamus sufficienter quæcumque necessaria sunt, ponendo idem corpus in pluribus locis, ut ex sequent. concl. constabit; multa alia congerit ad hoc argumenta Coninch. quæ ex dictis facile solvi possunt, & adhuc magis ex nunc dicendis, & in lib. de Gener. loco cit.

144 Dicimus 2. affectiones, quæ dependent a loco, quales sunt quæ sunt posteriora ipso, vel simul natura cum ipso, diversa sunt in eodem subjecto pro diversitate locorum, in quibus est, atque illi insunt independentes a loco, si ei convenient in uno, debent etiam convenire in alio, & oppositum fieri nequit etiam de potentia Dei absoluta. Conclusio duas habet partes, & licet quoad primam ab omnibus concedatur, ideoque probatione non indigeat, quia tamen quoad secundam a multis non recipitur, ideo probatur a Doctore in 4. d. 10. qu. 2. litt. H. & clarius qu. 4. sub K. hac efficaci ratione; corpus, vel Angelus existens in pluribus locis est idem numero, ergo quæ ei convenient absolute & independentes a loco, necessario ei convenire debent, ubicumque sit, alioquin sequeretur contradictio, quod idem numero subjectum esset album, & non esset album, vivens, & non vivens, & sic de aliis formis absolutis, & a loco independentibus argui possent; quæ quidem ratio, ut constat, satis evidenter ostendit, Doctorem non loqui tantum in ordine ad potentiam naturalem, & ordinariam, ut quidam Scotista comminiscuntur, sed in ordine ad potentiam absolutam, quia contradictoria illa etiam in ordine ad potentiam absolutam repugnant, quod etiam adhuc magis constat ex toto progressu illius questionis.

Resp. Adversarii contradictionem non sequi; quia verificatur de eodem ratione diversorum locorum, quia nimirum erit calidum hic, ubi habet ignem approximatum, & non alibi ubi non habet approximatum. Contra arguit Doctor loc. cit. q. 4. licet ista responsio valeat de affectionibus illis, quæ a loco dependent, & subjecto conveniunt ratione loci, ut stare, & non stare, federe, & non federe, tamen de affectionibus illis, quæ a loco præcendant, nec rebus conveniunt ratione loci, omnino impertinentes est, quia sicut affirmatio non est nata in esse secundum Ubi, ita neque negatio, sicut omnino impertinentes foret velle contradictionem salvare de Petro, quod sit albus, & non albus per hoc, quod habeat filium, vel non habeat, nam habere, vel non habere filium est impertinens ad esse album, vel non esse album. Confirm. quia ratio recipiendi hujusmodi formas absolutas non est Ubi, sed capacitatis ipsæ rei secundum suum esse absolutum independentes ab Ubi, quod eodem modo se habet in omnibus locis, ergo secundum idem eodem subjecto contradictoria convenient, & diversitas locorum nihil juvat.

Resp. Amic. 4. Physic. tract. 29. qu. 7. dub. 3. art. 3. Becanus de Sacram. cap. 17. qu. 16. & alii passim, fallum esse, hujusmodi formas omnino a loco præcindere, dato enim quod in suis entitatibus absolutis a loco non dependeant, dependent tamen quatenus informantes, & inhærentes subjecto, quia dari non potest informatio, nisi extrema sint intime præsentia in eodem loco, unde unio formæ absoluta cum subjecto habet dependentiam ab Ubi tamquam a conditione necessaria ad informationem. Hinc ad Confirm. dicunt, quod licet Ubi non sit ratio recipiendi hujusmodi formas, sicut est ratio recipiendi distantiam, sessionem, &c. est tamen conditio necessaria, ut subjectum recipiat eas, quia non potest recipere, nisi approximeretur. Et tandem hinc addit Averfa qu. 27. sect. 7. in sol. ad secundum, locum non ita se habere dispartate, sicut habere filium, & non habere filium, esse servum, & Dominum, & alia hujusmodi, potest enim ea efficere, & limitare veluti conditio, quod explicat exemplo temporis, tempus enim ita limitat, & afficit hujusmodi prædicata etiam absoluta, ut diversitas temporis tollat contradictoria, quare de loco idem quoque affirmare poterimus.

145 Sed plane quamvis in eo sensu etiam formæ absolute pendeant a loco, quatenus si subjectum informare debent, petunt ei approximari, & esse cum eo intime præsentem in eodem loco, tamen non ita dependent a certo ut ad ejus variationem variari, & ipsæ debeant, aut earum informatio, & unio ad subjectum, sicut variatur præsentia, & distantia variatur, Masfroi, & Bellui Tom. II. Physicæ.

loco, nam licet anima, v. gr. ut corpus informet, petat intimam præsentiam cum corpore in eodem loco, attamen non petit hanc, vel illam, sed variato hoc, vel illo loco, adhuc corpus dicitur animarum hac anima, & album hoc eadem albedine, at non dicitur præsens amplius eadem præsentia, nec distans eadem distantia, ergo hujusmodi formæ absolute etiam informando subjectum ita præcendant a loco, ut varietas locorum nullo modo afficiat enunciationem earum de subjecto, nam sive subjectum existat in hoc loco, sive in illo, semper eadem forma informat idem subjectum per eandem unionem, quia licet forma ad informandum subjectum petat veluti conditionem intimam præsentiam extremorum vage, non tamen determinate hanc, vel illam, & sic patet, quomodo enunciando contradictoria pertinentia ad formas primi generis de eodem subjecto recte evitatur contradictio per diversitatem locorum; ad enunciando contradictoria pertinentia ad formas secundi generis, ad salvandam contradictionem diversitas locorum ita impertinenter se habet, sicut habere filium, & non habere filium, esse Dominum, & non esse Dominum. Ex quo etiam apparet disparitas in exemplo ab Averfa allato de tempore, & loco, nam ad veritatem propositionum contingentium maxime facit temporis diversitas, & hæc sufficit ad contradictionem tollendam, quia veritas propositionis contingentis respicit determinatum tempus, at non semper determinatum locum, præsertim quando propositio contingens sit de accidentibus absolutis a determinato loco independentibus.

Resp. Arig. disp. 14. Physic. sect. 10. quod licet formam esse utcumque unitam subjecto sit independentis a loco, eam tamen esse Romæ v. gr. unitam, non est independentis, sed omnino dependens a loco, male ergo ex independentia unionis a loco, ut absolute existat, inferitur independentia a loco, ut ea unio sit Romæ, vel Pragæ, quis enim negabit hoc dependere ab eo, quod subjectum sit Romæ, vel Pragæ? Sed neque id fatiscit, quia licet Petrus esse album Romæ, pendeat ab ubicatione Romana, tamen esse album absolute loquendo a nulla determinata pendet ubicatione, sed a quacumque præcendit, ergo salvari nequit contradictio, quod sit albus, & non sit albus per hoc, quod sit albus Romæ, non Pragæ. Dices salvari posse per præsentiam, & absentiam albedinis, quia enim albedo est Romæ, præsens ubi est Petrus, ideo Petrus est albus, & quia non est Pragæ, ubi est idem Petrus replicatus, ideo Petrus non erit albus. Contra, quia Petrus non denominatur albus ex præsentia sola albedinis, sed ab ejus unione informativa, sed hæc præcendit a determinato loco, quia indifferenter potest esse unita cum Petro Romæ, & Pragæ; & hæc responsio adhuc magis convincitur falsitatis per subsequens argumentum.

146 Secundo, si calor, vel anima simul cum subjecto sit in duplici loco constituta, & velit Deus efficere, ut subjectum in illo duplici loco perseveret, non autem anima, vel albedo, hoc utique efficere nequit, nisi corrumpeudo unionem animæ, vel albedinis cum corpore hic, at destructa unione formæ cum corpore hic, destruitur etiam alibi, quia est eadem profus unio, ergo neque alibi corpus dicitur amplius album, neque vivum. Respondent, quod hoc fieret per solam corruptionem præsentia, quam habet unio in secundo loco, quia eo ipso albedo, vel anima non haberet unionem cum subjecto in secundo loco, quia illa unio non habet Ubi, quo constituitur in secundo loco, atque adeo corpus hic nec dicitur album, nec animatum, sed tantum in alio loco, in quo unio propriam habet præsentiam, ita Amic. cit. & hinc ait Averfa in sol. ad 5. patere, quomodo hujusmodi separatio animæ a corpore hic, & non alibi non esset proprie mors, & interitus animalis, quia in hoc casu non desinit unio animæ cum corpore, sed solum desinit præsentia unionis cum corpore pro isto loco, unde corpus hic diceretur non vivum, non autem mortuum.

Sed contra, modus unionis non habet propriam, & peculiarem præsentiam distinctam a præsentia extremorum, quæ unit, vel formæ, quam modificat, sicut universaliter nullus modus habet distinctum Ubi ab Ubi rei modificatæ pro ipso, ergo si forma hic non amplius denominatur subjectum, id certe contingere nequit per definitionem præsentia unionis formæ in tali loco, sed absolute per definitionem ipsius unionis. Prob. assumptum ex principis ipsis adversariorum, ideo enim inquirunt ipsi, posse subjectum replicari sine forma, & formam sine subjecto: quia habent distinctas præsentias locales, & hinc accidentia corporis deducunt habere propriam præsentiam, quia existere possunt solitarie absque subjecto, cum igitur modis universaliter repugnet solitarie existere, nam suapte natura petunt semper affixi esse rebus, quas modificant, plane illis concedenda non est peculiaris præsentia a rebus modificatis distincta.

147 Tertio tandem adhuc magis patenter ostenditur, non posse rem dici annihilatam in uno loco, & non in altero, quia si hic annihilaretur, ratio, cur desineret in isto loco, non foret simplex desitio Ubi, sed substantia rei, nam si solum Ubi amitteret, non diceretur annihilari, ergo ex vi definitionis subjecti non solum sequitur desitio istius Ubi, sed etiam alterius, quia desinit entitas, in qua utrumque fundatur, ergo si annihilatur hic, annihilatur & ibi. Resp. Coninch. & Morif. quod cum in tali casu supponatur res substantialiter replicata in pluribus locis, amittit sibi esse substantiale hic replicatum, non alibi, & ita annihilatur hic, non vero alibi. Contra, tunc res proprie dicitur annihilari, quando verum est dicere, nihil entitatis ejus remanere in rerum natura, sed ita destrueretur substantia rei hic, ut adhuc alibi remaneret, non vere dicitur posse nihil ejus remanere in rerum natura, ergo non vere diceretur annihila-

hilari, Minor patet, prob. major, quia est communis conceptus, quem omnes habent de annihilatione, non enim satis est dicere, rem non amplius esse, ubi erat, ut vere annihilari dicatur.

In oppositum Obijciunt primo, Tum quia accidens, & subiectum realiter distinguuntur, & potest Deus unum facere sine alio, & unum sine alio replicare. Tum secundo cum accidens habeat proprium Ubi, poterit Deus in corpore existente Romæ producere etiam Ubi Venetum, non autem in albedine eidem inhærente, in quo casu corpus erit utriusque Venetis, non tamen eius albedo, quia non habet Ubi Venetum. Tum tertio, de facto corpus Christi est replicatum in Eucharistia sine extensione locali, quam habet in Cælo, quæ est localis dicatur, non tamen talis dicitur, quia consistit in ordine ad certum locum, ait Averſa, quia regulariter transit cum subiecto de loco ad locum. Tum quarto eorum, quæ contingunt inter se, & cum tertio conjunguntur, potest unum conjungi cum tertio sine altero, sed præsentia hujus loci, & accidens a corpore separabile contingunt inter se, & cum corpore conjunguntur, ergo poterit accidens esse in corpore, & non conjungi cum aliquo loco, in quo est corpus; ob quam rationem videtur Doct. qu. 4. sub N. hanc sententiam judicare probabilem. Tum quinto Trident. ait. Animam Christi poni in Sacramento per concomitantiam ex convenienti dispositione divina, & non ex vi verborum, ergo innuit, oppositum non implicare.

148 Resp. ad 1. quando accidens, & subiectum sunt separata, potest Deus unum replicare sine alio, at non ita quando sunt conjuncta ad evitandam contradictionem, quæ tolli non potest per diversitatem locorum, quia loquimur de accidentibus absolutis; hæc autem non est necessitas simpliciter, sed suppositionis, ut docet Scot. dist. 10. cit. qu. 4. K. & in hoc sensu necessario conservat albedinem in corpore utrobique existente, quatenus non potest eam separare a corpore hic existente, quin & alibi separare. Ad secundum, patet per idem, quia licet subiectum, & accidens sint in loco per diversas præsentias, adhuc tamen nequit replicare præsentiam in uno, quin, & aliam ejusdem rationis replicet in alio ad evitandam contradictionem. Ad tertium negatur, extensionem corporis Christi in Cælo, sicut & cuiuscumque alterius corporis non esse formam speciali loco adjectam, & falsum est, corpus, quando transit de uno loco ad alium, deferre secum localem extensionem, quam habebat in priori loco. Ad quartum argumentum illud æque probat, accidens esse posse in corpore in uno tamen loco existente, & esse præsens eidem loco, quia contingenter respicit hoc subiectum, & etiam locum, ubi reperitur subiectum; quare dicendum, quod licet albedo absolute sumpta contingenter respiciat subiectum hoc, & locum, in quo reperitur subiectum, ex hoc tamen quod ponitur conjuncta subiecto, & in hoc loco informare subiectum, necessario supponitur præsens eidem loco, ubicumque enim corpus est tale, necessario habet ibi illud (ait Doct. cit.) per quod est tale, unde falsum est, ob hanc rationem judicare hanc sententiam probabilem, quamvis enim litt. N. quasi sub terminis probabilibus eam retulerit pro alia responsione ad 3. princ. illis verbis, & etiam possit dici, quod non est necesse, &c. infra tamen responsionem illam rejicit verſ. Contra. Ad 5. quando Trident. sess. 13. c. 4. ait, Animam poni in Sacramento per concomitantiam, non intelligit id solummodo factum esse, quia Deus ita disposuit ex quadam congruentia, sed intelligit poni per concomitantiam necessario, ex eo enim quod corpus in Cælo habet Animam realiter unitam, non solum est congruum, sed etiam necessarium, ut ubicumque corpus replicatur, replicetur & Anima, non quidem ex vi verborum consecrationis, sed ex vi naturalis connexionis.

149 Secundo, corpus existens hic, & Romæ potest hic caleſcere ab igne approximato, & non Romæ, ergo erit ex natura rei calidum hic, & non Romæ. Conſeq. patet, quia calor est terminus calefactionis, nec recipitur in subiecto, nisi per calefactionem. Prob. assumptum, quia ignis non habet virtutem naturalem ad agendum extra propriam spheram. Respondet Doct. negando conſeq. aliud enim est loqui de calefactione, aliud de termino ejus, seu forma per ipsam producta, & unione illius formæ ad subiectum; actio enim illa, & passio, cum fiant per contactum, & approximationem agentis ad passum, dependent a loco, at nec calor, nec unio ejus ad subiectum dependent a tali loco, quare calor erit unitus subiecto, ubicumque reperitur, non tamen produetur in eo, nisi hic.

Contra arguunt Adverſi, calor iste etiam resultat in corpore Romæ existente non potest noviter in eo imprimi, nisi virtute alicujus agentis, at hoc esse nequit ignis existens Perusia, quia naturaliter ultra suam spheram agere nequit. Resp. Doct. esse impressum corpori Romæ existenti, virtute ignis hic existens, non quidem per se primo, sed tantum per accidens, & concomitantem; ratione scilicet identitatis subiecti, & quando dicimus, ignem non agere, nisi debite approximatum, id intelligi debet, ubi ponit effectum suum per se, & primo, non autem per accidens tantum, & concomitantem. Contra obijciunt, sola subiecti identitas non sufficit, ut formam, quam hic habet, habeat etiam alibi, aliquot in se hic moverit, moveretur & ibi, & quando sola sufficeret in genere causa materialis, adhuc illius effectus novi scilicet caloris Romæ existens præter materiale assignare debemus causam efficientem, & hæc esse non potest ignis Perusia existens, non quidem per se primo, ut Scotus ipse concedit, sed neque etiam concomitantem, quia identitas subiecti non potest ei talem vim conferre, nec præcedentem agere,

150 Resp. Scotista ex doctrina Scoti allata, solam identitatem subiecti non sufficere in formis a loco pendentibus, sufficere tamen in formis a loco præcedentibus, ut evitetur contradictio, & causa efficiens illius effectus novi est ignis Perusia existens, neque ut concomitantem habere dicatur suum effectum etiam Romæ impressum, debet augeri virtus ejus, sed sufficit, quod corpus, in quod agit hic, etiam Romæ reperitur, ob talem enim identitatem necessario etiam dicitur habere effectum suum in corpore Romæ existente impressum sine augmento virtutis. Contra adhuc vehementer arguit Adverſi, quia licet ignis agat tantum in corpus hic, calor tamen per eum productus inhæret corpori hic, & Romæ, & ita duas præsentias reales simul habebit, quod fieri nequit virtute agentis naturalis, etiam si subiectum sit idem in utroque loco; quia replicata præsentia est effectus supernaturalis; quod adhuc evidentiùs ostenditur in Eucharistia, nam si corpus Christi in concaculo calefactum fuisset, non poterat transire ille calor in idem corpus existens sub speciebus, quia tunc necesse esset, quod calor ille reciperet modum sacramentalem, & præsentiam inextensam, quod fieri nequit ab agente naturali; hæc enim ratione dicimus, Christi corpus in Eucharistia ab agente naturali pati non posse, quia non est ibi modo quantitativo.

Resp. Scotista, quod licet ignis per se, & absolute non possit sua naturali virtute causare illam duplicem præsentiam simultaneam caloris hic, & Romæ, ex suppositione tamen miraculi prioris, quo Deus corpus illud, in quod agit, in duplici loco constituit, sequitur, quod agens naturale possit deinde sua naturali virtute duplicem illam præsentiam attingere, ut supra in simili dicebamus qu. præc. in solut. Ad aliud dicunt ex Doct. qu. 5. calorem causatum in corpore Christi in concaculo primo, & per se ab igne, concomitantem, & per accidens causatum in hostia, & addunt similiter, quod quamvis agens naturale simpliciter, & absolute non possit talem modum indivisibilem, & inextensum elargiri calor, ex suppositione tamen prioris miraculi, quo Deus constituit Christi corpus in hostia modo inextenso, potest.

151 Sed ut verum fateamur, quamvis tota hæc doctrina videatur a Scoto tradita, & sit communis Scotistarum calculo recepta, tamen nobis non videtur, quomodo per illam simplicissimam Scoti distinctionem de per se primo, & concomitantem intellectam, ut communiter solent, possint tot, & tanta mirabilia salvari, & argumenta elidi, vel potius eludi. Verissimum est, ex suppositione unius miraculi posse agens naturale suas adhuc exercere operationes modo quodam supernaturali ex vi prioris miraculi procedente, sic coccus illuminatus naturaliter videt, accidens in Eucharistia exercet illas actiones, quas habebat conjunctum, quia hujusmodi actiones adhuc sunt naturales secundum substantiam, & supernaturales vero secundum modum, & hæc de causa quasi præc. dicebamus hominem replicatum posse moveri virtute propria saltem de uno loco ad alium, quia talis effectus non videtur excedere vires ejus, & præsentia illa esset prorsus eadem, si non existeret in alio loco, & illa replicatio refunditur in Deum volentem conservare hominem illum in alio loco, dum actu movetur, at non sequitur ex suppositione unius miraculi a Deo facti circa rem, quod etiam possit opus elicere virtute propria supernaturale secundum substantiam, & virtutem ejus naturalem excedens, ut v. g. quamvis ex suppositione separationis a subiecto possit accidentia in Eucharistia virtute propria localiter moveri, sensus immutare, & alias actiones sibi connaturales, quas poterant exercere conjuncta, non tamen possunt nutrire, quia id est supra vires eorum; ita in proposito non debentur ex suppositione prioris miraculi, quo corpus hic, & in India est replicatum, igni tribuere actionem supernaturalem secundum substantiam, & ejus virtutem penitus excedentem, replicationem nempe caloris sui etiam in India, quia replicatio caloris in tanta distantia, & in tam brevi tempore omnino superat naturales vires ignis, quod eo magis diceggdum est de replicatione inextensa ejusdem effectus.

152 Quod adhuc clarius ostendi potest in augmentatione, & nutritione, si enim idem animal hic, & in India existat, & hic sumat cibum, non ibi, ait Doct. qu. 2. lit. Q. conversionem utriusque hic tantum fieri, at nutritionem, & conversionem alimenti in altam utrobique, inquantum animal nutritum utrobique diceretur, & nova pars carnis aggenerata, at translatio illius novæ partis in Indiam instantanea sine transitu per medium est omnino supernaturalis, vires naturæ excedens, ergo &c. Nec recurrit valet ad commune Scotistarum alijum, actiones hujusmodi excedere utique vires causæ naturalis per se primo agentis, non agentis concomitantem. Nam tandem explicare debent, quid per hanc concomitantiam intelligant, vel enim id inquit concomitantem posse contingere virtute propria, hoc est ex suppositione prioris miraculi, & hoc non, quia ex suppositione prioris miraculi non debemus tribuere causis naturalibus actiones supernaturales secundum substantiam; vel per concomitantem intelligunt hoc, quod est ratio identitatis subiecti, quod quia simul est in duobus locis, ignis agens in illud hic concomitantem replicat etiam eundem suum effectum in eodem Romæ existenti, & neque hoc dici potest, quia non videtur, quomodo ex vi istius identitatis possit agens naturale suum effectum replicare in tot locis, & tam distantibus, & in tam tempore, & quandoque etiam modo spiritali, & inextenso.

Immo neque in hoc sensu, quo communiter explicatur, intelligendum

dam esse hanc distinctionem, colligitur ex eo, quod Doct. ipse docet qu. 6. ad 4. ubi ait, corpus Christi in Eucharistia non solum per se primo pati non posse ab agente naturali, sed neque etiam concomitantem, & reddens rationem, ait, quia agens creatum, ad hoc ut corpus transmutet, requirit ipsum localiter approximatum; plane ex hoc manifeste colligitur, Scotum non intellexisse distinctionem illam de per se primo, & concomitantem, quæ sæpe utitur tota illa dist. 10. in eo sensu, quo Scotista communiter intelligunt, & ideo quando inquit, formas absolutas, quæ hic ab agente naturali insunt, vel imprimuntur subiecto per se primo, concomitantem imprimi, vel impressas esse in eodem alibi existente ratione identitatis subiecti, ita intelligi debere, quod ex vi prioris miraculi, scilicet replicationis subiecti ratione identitatis ejus Deus tenetur etiam replicare formas ab agentibus naturalibus hic, vel illic ei impressas, quæ non dependent a loco, ne sequatur contradictio: sicut quando ab initio illud replicavit, eadem necessitate replicavit etiam accidentia tunc sibi inhærentia, id autem contingit ex vi prioris miraculi, quia Deus ea voluntate, qua decrevit ponere corpus in pluribus locis, decrevit etiam replicare secum, nedum accidentia absoluta tunc sibi inhærentia, sed alia quæcumque in posterum ei ad venientia hic, vel illic virtute agentium naturalium, & in hoc sensu intellecta Scoti distinctione magis quiescit intellectus, & multæ instantiæ eliduntur Adversariorum, & tandem in hoc sensu intellecta videtur adinventata solvenda, & non tantum eludenda eorum argumenta. Sed dices, Scotus ait, calorem Romæ existentem in corpore replicato esse ab igne hic existente productum, etiam non per se primo, ergo calor etiam in Romæ replicatus est ab igne hic, non autem a Deo. Resp. utique calorem etiam Romæ existentem esse ab hoc igne, & hujus ignis effectum, non tamen ejus replicationem, & Ubi romanum, unde calor etiam ut Romæ existens est effectus hujus ignis non reduplicative, sed specificative.

153 Tertio, homo in uno loco existens per cibum ibi sumptum nutritur, & augetur, convertendo cibum in substantiam suam, & ignis in uno loco existens incendet, sibi que aggregaret, & continuaret materiam propinquam idoneam, at certe non possit virtute naturali hæc eadem nutritio, & augmentatio fieri in alio loco, ubi idem corpus existeret, ad hoc enim necessarium est, ut eadem illa materia applicetur, & uniatu toti, & perspicuum est, non posse applicari, & transferri in alium locum, & sic replicari in pluribus locis virtute causæ naturalis. Contra vero possit fieri discontinuatio partium corporis existentis in uno loco, & non in altero, ut si aqua existeret eadem in duobus vasibus, & locis, possit in uno loco effundi, & non in alio, & sic amitteret continuitatem partium in uno loco, & non in altero, & eadem ratione quamvis perforata fuisset manus Christi in Cruce cum effusione sanguinis, id tamen non contigisset in corpore Christi sacramentato; tum quia cum sola videtur effusio, præferre localem mutationem; hæc non transit de loco ad locum; tum quia cum fiat in Cruce modo extenso, & quantitativo, ejus capax non videtur corpus sacramentaliter existens, ergo maneret sanguis in Sacramento intra corpus, nec reliquo sanguini continuaretur, & ita proprietates absolutæ, quales sunt istæ secundum Doct. possunt dividi, & variari juxta locorum varietatem.

Resp. in nutritione continuitatem novæ partis aggeneratæ utrobique fieri debere, quia est forma independentis a loco, & replicationem istius novæ partis alibi, ubi animal non habet cibum applicatum, fieri divina virtute ex vi præc. miraculi: Deus enim tenetur facere circa corpus illud replicatum, quicquid habet necessariam connexionem cum priori miraculo, talis autem est replicatio formarum a loco independentium, sic etiam dicendum est de augmento ignis comburentis hic lignum, si fiat per continuationem, quia si fieret per simplicem juxta positionem, non esset necessarium, cum hæc a loco dependeat. Ad illud vero de aqua ait Doct. 6. Ad rationes, &c. duplicem continuitatem non posse considerari in aqua, unam per comparisonem ad totum, alteram ad locum, quæ spectat ad figuram sitalem, si primam amittit in uno loco per divisionem; amittit & alibi, licet divisio in uno tantum loco fiat, non ita de secunda, unde aqua eadem in uno loco essendi potest, & non in alio, quia per simplicem effusionem solum secunda continuitas tollitur, non prima, & sola variatur figuratio sitalis, & extrinseca, quæ dependet a loco: & ita etiam respondet Doct. ad illud de manu Christi transfixione, & sanguinis effusione, ipsa enim vulnerario, & sanguinis effusio pro sola locali sanguinis mutatione utriusque tantum in Cruce facta fuisset, at discontinuitas partium corporis in ordine ad totum inducitur per vulnerationem, & partium sanguinis indurata per effusionem esset utrobique, in Cruce quidem, ubi partes divise habent modum extensum per corpoream divisionem, & materiale effusionem, in pixide vero, ubi habent modum inextensum per replicationem spiritalem a Deo factam ex vi antecedentis miraculi.

154 Quarto arguunt de actibus vitalibus, qui sunt qualitates, & tamen non competenter rei ubicumque existenti ob defectum præsentia objecti, quod ubicumque non esset; certum autem est apud omnes actus sensitivos, præsertim externos a præsentia objecti pendere, & actus similiter intellectus intuitivos, quia intuitiva cognitio in hoc ab abstractiva fecerunt, quod pariter ab objecto in se præsentem, & non in specie, vel saltem terminatur ad objectum in se præsens. Confirm. quia

hujusmodi actus vitales a præsentia objecti in se pendentes, ut sunt visiones, auditiones, non secum fert homo, dum movetur, ut fert alias formas absolutas, ergo ex natura rei replicari non petunt, ubicumque subiectum est replicatum. Immo addit Averſa, hominem neque habiturum, ubicumque foret, eosdem actus vitales intellectus, & voluntatis, quia tales actus supponunt species receptas in sensibus externis, quæ similes non haberentur ubique, sed variæ pro varietate objectorum, quæ hic, & ibi præsentatur.

Resp. non esse omnino certum apud Doct. an actus vitales realiter sibi identificent respectum tendentia in objectum, nam in 3. dist. 13. qu. 1. ad 1. in partem affirmativam inclinat, & quol. 13. dubius manet, ac prout de juxta variam hujus rei determinationem debet argumentum diversimode solvi, si partem tueamur affirmativam loquendo de actibus vitalibus a præsentia objecti in se pendentes, homo non eisdem haberet utrobique, quia secundum hanc viam entitas eorum non esset penitus absoluta, & a præsentia locali præcendens; si vero teneamus negativam, dicendum est, quod utrobique haberet absolutum visionis, per replicationem a Deo factam, non tamen respectum attingentia objecti, quia hic dependet a præsentia locali, & ideo hic diceretur videns objectum, non autem ibi, quia ad exercitium visionis non sufficit qualitas illa absoluta, sed exigitur etiam respectus attingentia objecti, ut docet Scot. quol. cit. & ita intelligendus est, dum juxta hanc viam solvit difficultatem hanc de actibus vitalibus quæst. illa 5. Ad Confirm. quando homo movetur, non secum deferret visiones, & auditiones, quia hujusmodi externæ sensationes non solum in fieri, sed etiam in continuari dependent ab actuali præsentia objecti, qua deficiente, ipsæ etiam pereunt, quare juxta primam viam non debent replicari, juxta secundam debet replicari absolutum a Deo, a quo etiam conservaretur supplendo actualem influxum objecti, sicut Romæ calorem in aqua replicata conservaret impressum hic supplendo ignis defectum, qui, sicut nequit eum in tanta distantia producere, ita nec conservare. Licet in his foris absolutis (quod valde notandum est) quæ non solum in fieri, sed etiam in actuali unione ad subiectum, & ejus continuatione dependent ab agente extrinseco, valde probabile sit, quod hic informarent subiectum, non alibi, quia in his casibus, licet earum entitas absoluta a tali loco non penderet, pender tamen earum unio cum subiecto, unde dicuntur informare subiectum, quia hic habent agens extrinsecum approximatum conservans eorum unionem cum subiecto, & ideo non sequitur contradictio: qua data doctrina aër idem hic, & Romæ replicatus possit esse hic illuminatus, & non Romæ, quia hæc forma licet absoluta, quoad unionem cum subiecto pender ab hoc determinato loco, ubi habet agens approximatum etiam in conservari. Ad tertium ex Averſa dicendum, quod species in phantasia permanente, & non raptim transiens, ut in externis sensibus, & ideo statim ac hujusmodi species sensibiles internæ genitæ sunt ab externis in uno loco, concomitantem etiam debent alibi replicari, quia earum informatio non pender ab actuali præsentia objecti in se, & hujusmodi species sufficiunt ad intellectiorem, sufficit enim intelligentem phantasmata speculari ex 3. de Anim. quare actus intellectus, & voluntatis abstractivi elicerentur hic, & ibi.

155 Quinto, si corpus idem ponatur in pluribus locis, & ex in uno loco applicetur ignis, alibi vero nix, clarum est, quod ex natura rei ibi caleſcet, hic frigeſcet, ergo qualitates etiam a loco abstrahentes, possunt esse non solum diversæ, sed etiam contrariæ in replicato subiecto pro locorum diversitate. Et incredibile est, ait Averſa, quod Scotus responderet, in tali casu unam causam impediendam ab alia, & ita neutram fore operaturam, vel illam solum, quæ magis prævaleret, vel effectum quemdam medium ab illis debere prodire, & omnino dicendum esse, sicut si ambæ causæ simul eidem subiecto in uno, eodemque loco simul applicentur. Nam per se apparet non debere naturaliter impediri ignem, quo minus hic in subiecto proportionato calore produceret ex eo, quod eidem subiecto in alio loco remoto esset applicatum agens frigidum. Immo addit Averſa, quod alii communiter negant, idem quoque eventurum in actibus vitalibus assensu, & dissensu intellectus, amore, & odio voluntatis, non enim esset eadem repugnancia pro diversis locis, quæ esset pro eodem loco, possent enim hic, & ibi occurrere diversæ occasiones inducentes ad actus contrarios, scilicet hic ad velle peccatum, & ibi nolle, sicut contingere potest pro sola temporis diversitate.

Resp. neg. conſeq. in tali enim casu, vel una impediret aliam, ita quod neutra ageret, vel agerent ad effectum quemdam medium, vel illa tantum ageret, quæ prævaleret, & demum servata proportione dicere debemus, ait Doct. qu. 2. sub K. de agentibus contrariis eidem corpori applicatis in diversis locis, quod diceremus, si eidem loco eodem applicata forent; ignis autem hic agens in corpus impediret, vel remitteret actionem nivis agentis in idem Romæ non per se primo, sicut impediret, si cum nive simul in eodem loco essent corpori applicata, sed tantum concomitantem, quatenus calefaciendo corpus hic, & Deo replicante calorem in corpore Romæ, calor ille, qui est effectus istius ignis, reddit corpus indifferens ad recipiendam actionem nivis, in quo sensu non solum non est incredibile, unum agens contrarium in uno loco impedire actionem alterius in alio, si agant circa idem subiectum, sed potius est omnino necessarium ad contradictionem evitandam ex suppositione prioris miraculi. Actus vero vitales contrarios nequaquam habere potest, & in ordine ad istos ita prorsus de homine judicandū est in diversis locis

sicut si in uno esset loco, & objecta contraria ei forent sufficienter applicata; cum enim respectu horum homo se habeat active, sicut existens in uno loco non habet potentiam ad utrumque simul, ita neque existens in diversis, cum ex replicatione neque acquirat novam potentiam, nec augetur præcedens; & quamvis in uno loco occasionem non haberet, seu motivum in propria existentia applicatum; quod sic habet in alio omnino oppositum illi, quod hic habet in se præsens; tamen haberet etiam illud hic applicatum per speciem; immo contrarii actus vitales; nec etiam de potentia Dei absoluta possunt esse in eodem subiecto ob intrinsecam eorum incompatibilitatem; & repugnantiam; quatenus unus destruit objectum alterius.

156 Sexto tandem de facto replicatur forma sine subiecto; quod alibi informat, nam Anima replicatur in pede sine capite, & verum est dicere, quod hic informat caput, & non ibi, & sola locorum diversitas tollit contradictionem, ergo idem dicendum foret, si alibi replicaretur sola in alio diverso corpore; parum enim refert, quod pes, & caput sint inadequata subiecta, hæc autem duo corpora forent ambo adæquata; quia vis argumenti consistit in hoc, quod sola diversitas locorum modo tollit contradictionem de Anima enunciatam, quod informat, & non informat caput; informat autem hic, non informat ibi; ergo etiam in illo casu. Et si fuit locorum diversitas ad tollendam contradictionem de informatione activa; idem quoque dicendum erit de passiva, casu quo replicaretur corpus sine Anima, nam informatur hic, & non informatur ibi. Rursus eadem anima habet in capite suos actus v. gr. cognitionem; & non in pede; ergo forma absoluta non necessario replicatur cum subiecto. Deinde humanitas Christi est unita Verbo magis, quam forma subiecto, & tamen non est ubiqueque est Verbum; ergo si accidens existit in corpore, non est necesse, ut sit ubiqueque est corpus constitutum ex vitali unionis etiam a loco præcedentis. Denique si idem accidens a Deo penetrat simul in pluribus, ut facere potest, subiectis invicem non penetratis, jam in uno loco foret sine subiecto; quod alibi informat, ergo e contra facere potest, quod subiectum sit in uno loco absque illo accidente, quo alibi informatur.

Resp. concedendo paritatem assumptam, licet non sit conce-

dendum, animam posse informatè plura perfectibilia adæquata; sed negatur, quod modo salvetur contradictio de anima informante caput, & non informantè per solam diversitatem locorum, quia cum ejus unio substantialis ad quamcumque partem sit independentis ab hoc, vel illo loco, imperfines est locorum diversitas ad illam contradictionem tollendam; tollitur ergo solum per diversitatem unionis; quia non eadem unione unitur cum capite, & pede; quia terminus unionis sunt diversi; & ita salvaretur etiam si poni possent in pluribus corporibus in diversis locis; at non salvari potest, si hic corpus informat, & alibi sine corpore replicaretur, quia eadem forma simul, & semel informat, & non informat idem subiectum, & tunc non adesset diversitas unionis contradictionem tollens, nec locorum diversitas sufficeret. Ad 2. Anima in quacumque corporis parte re vera suos actus habet, illos tamen præcipue dicitur exercere in capite, quia actus illi aliquo pacto pendunt in fieri a dispositionibus existentibus in capite, quatenus pro statu isto oportet intelligentem phantasmata speculari, ut dicitur 3. de Anim. Ad 3. non valet paritas de humanitate unita Verbo, & forma unita subiecto, quia forma unitur subiecto totaliter adæquata, si subiectum sit adæquatum, & humanitas est inadequata unita. Verbo ob ejus illimitationem, illa vero propositio, quando duæ res sunt unitæ inter se, tunc ubi est una; necesse est, & alteram esse, valet, quando talis unio est totalis; & adæquata, non vero quando est inadequata, sicut est in proposito; & patet in exemplo de Anima; & Doct. qu. 3. ad 3. monet, hunc arguendi modum non tenere, dum res limitata comparatur illimitatæ quoad essendum in loco. Ad 4. negatur assumptum, ut patet ex dictis disp. 5. qu. 7. art. 2. & eo admisso, adhuc negari debet consequentia, quia in illa replicatione accidentis in pluribus subiectis salvaretur contradictio, quod informat hoc subiectum, non quidem per diversitatem locorum, sed per diversitatem unionum; ut dicitur de Anima plures corporis parte, informantè, at non ita salvari potest contradictio de corpore replicato sine accidente; quod habet in uno loco, quia non adesset diversitas unionis; & diversitas locorum non sufficit; aliud quoddam argumentum de impulsu vide solutum disp. 3. de Cælo num. 85.

lanaria plus conservarentur separata, quam unita, quum quolibet contrariis sit præditum; Tum quia, magis conservantur res in proprio, & naturali loco quam in violento alteri unitæ; Tum quia perfectius res permanet in esse, quando est alteri ejusdem rationis conjuncta, quam alii diversæ rationis unita; quia virtus unita fortior, & tamen non alia resistit divisioni in proprias partes, sicut resistit separationi ab alio corpore. Neque ex eo provenit, ut possint hæc inferiora a cælestibus gubernari per influentias; tum quia non est ad agendum necessaria plenitudo mediæ quoad omnes actiones; tum quia si daretur aliquod minimum vacuum, & ad tempus, non ob id subverteretur ordo universi, ut non possint cælestia in his sublu-nariis influere; Neque provenit ex hoc, quia naturaliter repugnat, duo corpora inter se penetrari, esset autem necessaria hæc corporum penetratio, ut datur vacuum, nam Deus initio mundi condidit tantam materiam cum quantitate sufficientem ad replendum totum universi spatium, unde ut vacuum sit necessarium corpus illud, quod vacuum replebat, deberet cum illo penetrari, tum rationem ut a priori assignat Ariag. disp. 14. Phys. sect. 11. Non itaque ex hoc provenit impossibilitas vacui, quia non magis evidens est, quod vacuum repugnet ex impossibilitate penetrationis, quam quod repugnet penetratio ex impossibilitate vacui; tum quia id est, quod repugnat, cur Deus corporibus replevit rotum hoc spatium intra Cælum, & nihil vacui interjectum reliquerit; tum tandem quia ratio adducta ab Ariag. ex falso fundamento procedit, quod rarefactio fiat per ingressum corpusculorum in poros corporis rarefacti; & condensatio per egressum eorumdem; quod impugnamus ex professo in lib. de Gener. disp. 4. q. 2. etiam potest idem corpus modo majus, si est rarefactum, modo minus spatium occupare, si condensatur, & consequenter sine penetratione possit fieri vacuum, si corpus rarefactum denuo condensatur; per quod vult ratio eorum, qui negant, Angelum posse vacuum inducere, quia nequit causare penetrationem corporum, quam necessariam putant ad vacuum inducendum. Quare ut innuit Doctor cit. in 3. & notat Averfa, tota ratio est ab extrinseco Dei decreto, quod determinavit mundum hunc unitum, & contiguum conservare; de quo possit aliqua congruitas assignari, quia scilicet unitas est perfectior, quam pluralitas; & discontinuitas, unde natura in omnibus semper tendit ad unum eo modo, quo est possibile; imo; & ars hoc pluries intendit, melius enim est domui habere partes connexas, quam disjunctas, ergo quia mundus non potest esse unus continuitate perfecta, quia multa includit specie, & genere distincta, saltem erit unus connexione, & contiguitate; & quoniam bonum totius est bono alicujus partiicularis preferendum, hinc ut salvetur ista contiguitas, multa contra proprias affectiones rerum in particulari caventur a natura, ut etiam in sequent. concl. explicabimus.

4 In oppositum arguit. 1. quibusdam experientis, & casibus. Prima est de vino cuius tanta quantitas recipitur in dolio sine utribus, ac cum utribus; cui similis est illa de vase cinere pleno, quod eandem aquam recipere potest, ac si cinere careret; & si esset aqua plena; adhuc potest aurum capere; quæ non essent vera, nisi aliqua darentur vacuitates, in quibus illa corpora reciperentur, alioqui daretur corporum penetratio. Secunda experientia est de lucerna ad modum turis fabricata, in qua nequit ingredi aer, & tamen a flamma paulatim oleum consumitur, ergo intra illam erit vacuum. Tertia, Cæli sunt sphericæ figuræ, Empyreum vero est quadratum, juxta illud Apocal. 21. Civitas in quadro posita; ergo inter Empyreum, & primum mobile sunt cavitates quædam vacuæ. Quarta, si vas aeneum aque secundum omnes partes compactum, ut nullo modo aer subingredi possit; impleatur aqua calida, & omninodè ocludatur os; si maximo frigori applicaretur, jam aqua congelaretur; quia frigus est applicatum, non impeditum, & sufficientem supponimus habere virtutem; ergo in illo vacuum daretur. Quinta, sint duæ tabulæ perfecte planæ ejusdem densitatis, & ponderis, & inter se contigua, si secundum omnes partes aque elevaretur; quæ superposita est, non posset aer statim, & in instanti accurrere tam in partibus circumferentiis, quam centri; ut falso vocedit Mathus ex Paulo Veni, quia motus localis in instanti, seu mutatio localis repugnat, ex dicendis disp. 15. q. 6. art. 6. ergo si in tempore, jam in medio esset vacuum. Sexta, si Deus ex corpore raro in instanti generaret densius relin-quendo naturam in suis viribus; tunc quia non posset aere in instanti movere, daretur vacuum; Septima, si Petrus esset in vacuo; & se localiter moveret, faceret vacuum; pura spatium illud; quod prius occupabat; ergo naturaliter fieret vacuum.

5 Resp. ad 1. vel casus illos re vera apparentes esse dumtaxat sensibus; vel provenire ex hoc, ut etiam innuitur disp. præced. q. 7. quod quando sunt alia corpora in vase; partes aque, vel vini magis inter se constipantur, & ex vino multo plures exhalant vapores, sicut aer in cineribus illis inclusus quod aquæ adventum egreditur; & si valeret, demonstraret; ut ait Arist. in tex. totum vas vacuum esse. Ad secundam, actione flammæ partes olei rarefieri; & sursum ascendere, densiores vero descendere; & quando oleum est usque ad os canalæ lucernæ consumptum, vel si lucerna inclinatur, ut oleum effluat, sentimus adducta quemdam, quod est signum aeris ingressus. Ad tertiam Empyreum quoad concavam superficiem est pharicum, licet quoad convexam sit quadratum; quam-

quam de ipsius figura nihil certi habeamus, ut dicimus in lib. de Cælo. Ad quartam, in illo casu aquam nunquam congelari, quia adesset impedimentum a natura universalis, ne datur vacuum; & si vas vitreum esset, frangeretur, vel in parte debiliori, vel si esset aequale secundum omnes partes, in illa parte, quam Deus determinaret, vel vas non frangeretur; non prius tamen fieret congelatio, quam fractio; sed cum fractio terminaretur, incidere congelatio. Ad quintam, quamvis Arist. 2. de Anim. tex. 113. dicat, inter duo corpora dura semper mediare aerem; quod tamen est intelligendum, non quod secundum aliquas partes non se tangant, ut probatur est disp. 9. q. 2. art. 2. de tactu sphericæ super planum, sed quia propter ruditatem, quam habent, semper aliquid aeris intercluditur, dato tamen casu dicimus, tabulam illam non posse naturaliter elevari secundum omnes partes æqualiter, sed prius secundum unam, quam secundum aliam, ut datur aeri tempus ad replendum illud spatium, sufficiat pro nunc communis ista solutio; hæc enim difficultas majoris est momenti, quam æstimetur accurate examinanda disp. 3. de Cælo dub. ap. ad q. 6. Ad 6. respondet Doct. in 4. dist. 43. q. 5. D. tunc dari vacuum ad tempus, sed hoc esset per potentiam Dei. Ad 7. dicimus q. 3. 6. Secundo obicitur rationibus. Tum quia si non esset vacuum, daretur corporum penetratio, tam in motu locali, nam tunc mobile reciperetur in pieno, quam in condensatione, & auctione, quia in condensatione partes extremæ accedunt ad medium, & auctio fit propter alimentum adveniens, ergo si non esset vacuum in corporibus, partes se penetrarent. Tum 2. quia datur plenum in natura, ergo & vacuum, nam posito uno contrario, debet dari aliud, ut sapie arguit Arist. Tum 3. quia prius potest a suo posteriori separari, ut docet Doctor sæpe sæpius; sed locus est prior omni locato, ergo &c. Tum 4. possibile est, quodlibet corpus non esse hic, ut patet inductive, ergo si hoc possibile poneretur in esse, daretur vacuum, ergo vacuum non est impossibile, quia possibile posito in esse, non sequitur aliquid impossibile. Tum 5. a propositione de tertio adjacente valet inferre propositionem de secundo adjacente, ut si homo est albus, quo defecimavit mundum hunc locum privatus corpore, ergo vacuum est.

Resp. ad 1. negatur sequela, nam in motu locali plenum cedit mobili, & recipitur vel in loco ejusdem mobilis, vel alterius corporis replentis locum mobilis; in condensatione vero, & auctione sufficit, ut dentur in corporibus parti aere, vel alio subtili corpore pleni cedentes in adventu alterius corporis, ut diximus in exposit. tex. & hæc solutio pro nunc sufficit quousque exactius declaratur natura condensationis, & auctio-nis in lib. de Gen. disp. 4. & 8. Ad 2. negatur consequ. nec probatio valet de privative oppositis, ut sunt locus, & vacuum, quamvis de contrariis positivis possit admitti. Ad 3. major non est universaliter vera naturaliter. Ad 4. verum est antecedens distributive, non collective, ut de divisionibus Continui diximus disp. 10. q. 2. Ad 5. tunc inferretur propositio de secundo adjacente, quando est in materia contingenti, quia istæ propositiones non abstrahunt ab omni temporis differentia, non vero quando est in materia necessaria, ut est altaria de vacuo, ut Antichristus est homo; non valet inferre, ergo est; quia istæ abstrahunt ab omni temporis differentia.

7 Dicimus 2. Si universum secundum naturam vires spectetur, posset naturaliter dari vacuum; non vero ut subest divinæ determinationi; ac de potentia Dei est simpliciter possibile. Concluf. quoad primam partem, scilicet quod viribus naturæ consideratis, præcedendo a decreto Dei possit dari vacuum, colligitur ex Scot. 4. d. 43. q. 5. E. ubi ait, si natura produceret corpus in instanti, daretur vacuum absque miraculo; & 3. d. 27. §. *Iste rationes* &c. docet, corpus non naturaliter moveri ad replendum vacuum, sed a virtute regniiva universi, ex se vero potius violenter movetur; ex qua doctrina probatur conclusio. Tum quia præcedendo a divina determinatione nulla vis reperitur in corporibus resistens ad talem disjunctionem, imo potius ad oppositum inclinatur corpora universi, ut qui seq. dicimus; ergo non debet negari possibilitas vacui respectu virtutis; saltem omnium simul Angelorum. Tum quia magis inclinatur res aliqua ad unionem cum alia ejusdem rationis, quam cum altera diversæ rationis; & e contra, nam cum illa conservatur, cum ista potius destruitur, sed non obstantè tali inclinatione, adhuc ab agente creato potest fieri ab illa separatio; ergo multo magis ab illa.

Resp. resistentiam in corporibus; ne datur vacuum, ab intrinseco provenire, neque ab aliqua finita virtute separari potest, sed tantum ab infinita, quia impedimentum vacui est quidam effectus universalis ad bonum spectans universi, non particularis, & ideo solum ab agente universali vinci potest, sicut etiam nequeunt Angeli impedire corporum impetrationem; resultantiam passionum, nequeunt partes Cæli dividere, neque minimum naturale, si esset in vacuo. Contra; quia probatur est; corpora in seipsis non habere istam inclinationem mutuam in universo; neque universum est quid unum per se, ut possit ista colligatio corporum tanquam passio ab ipso provenire, sed est unum quoddam aggregatum, & artificialè ab authorè naturæ compactum; a quo provenit ista colligatio partium ipsius, qua ratione effectus universalis dicitur, & in hoc sensu non potest destrui ab agenti particulari; neque exemplis adducta urgent; tum quia impetratio, & passionis resultantis sunt effectus connaturales rebus, ad quos habent inclinationes; non sic colligatio cum corporibus distinctum.

DISPUTATIO DUODECIMA.

De Vacuo.

Non sumimus in presenti vacuum in eo sensu, quo admittebant Antiqui, nam de illa acceptione satis diximus disp. præc. & in explicatione tex. 4. Phys. a cap. 6. usque ad 10. sed prout communiter a Philosophis accipi solet, quomodo dicitur, quod sit locus corpore carens, aptus tamen repleri, ubi locus non sumitur formaliter, scilicet pro respectu ad locatum, sed materialiter pro jurisdictione corporis potentis aliud continere, neque est formale significatum vacui, sed materiale, & sui loco subiecti, per hoc enim, inane, seu spatium imaginarium differt a vacuo, ut disp. præc. dictum est, quod inane nullum corpus, in quo talis negatio subiectetur, sicut vacuum; dicitur corpore carens, quia si daretur corpus aliquod contentum, non esset vacuum, sed plenum, intelligitur autem de corpore quantitativo; non de substantiali, unde si in aula esset aer omni quantitate privatus, vere daretur vacuum, & multo magis, ut notat Doctor quæst. 11. infra M. si substantia aliqua spiritalis dumtaxat ibi existeret; e contra si in loco aliquo esset quantitas sine substantia, ut sunt species sacramentales, locus ille non esset vacuum, sed plenus; Ratio est, quia id dicitur replere locum, quod facit partes universi extensas, & distantes. & ne in unum coeant, hoc autem a quantitate præstat; additur, aptus tamen repleri, ut explicetur magis negatio per vacuum importata, quod non sit simplex negatio, sed privatio aptitudinem subiecti concernens; unde brevius dici potest, quod sit locus privatus corpore, ex Scot. 4. d. 49. qu. 6. Alii dicunt, &c. v. 2. si ab aula exierit aer, & nullum aliud corpus ingrederetur in illam aulam, nec parietes inter se unirentur, sed eodem modo distantes remanerent, vere tunc esset vacuum. De isto vacuo agere pertinet quoque ad Physicum, quia aliquo modo privative opponitur loco, ad eundem autem artificem attinet de oppositis postulare.

QUESTIO PRIMA.

An datur, vel possit dari vacuum in natura.



Vacuum jam in præfatione disput. explicatum dari de facto a parte rei, quam plurimi ex Antiquis tenentur: communis tamen oppositum suslinet; sed dubium est de possibili tam virtute creatæ, & finita, quam increatæ, & infinita; nam Conimb. 4. Phys. cap. 9. qu. 3. negant virtute aliqua creatæ posse fieri vacuum in rerum natura, quos sequuntur Ruvius 4. Phys. tract. de vac. qu. 2. Jo. de S. Th. qu. 17. art. 1. Compl. disp. 20. qu. 2. & Fuentes 4. Phys. q. 2. dist. 1. art. 1. Alii distinguunt, quod si loquamur de rebus; prout decreto divino subsistant, non potest vacuum causari ab Angelo, vel alia creatæ virtute; at si de rebus secundum proprias vires consideratis est sermo, admittunt vacui possibilitatem ab agente creato; ita Moris. disp. 5. qu. 7. Averfa qu. 27. lect. 8. & Similinch. tract. 2. disp. 5. num. 42. De virtute tandem increatæ, quamvis affirmativa pars sit communissima, non desunt tamen, qui oppositum sentere, quod scilicet nec de absoluta Dei potentia possit dari vacuum; citantur pro hac opinione Ferer. lib. 11. cap. 12. Bann. 1. p. qu. 8. art. 2. & ex professo suslinet P. Vulpes 1. p. disp. 18. art. 3. nu. 6. & 7.

Dicimus 1. de facto non reperiri vacuum in rerum natura, ita Doctor. 3. d. 27. §. *Iste rationes*, &c. & 4. d. 49. qu. 13. H. Probatur 1. multis experientis, quibus apparet, naturam valde vacuum abhorrerè, unde multos violentos motus admittit; ut fugiat vacuum; sic aqua sursum ascendit, si ex fistula attrahatur aer; cucurbitulæ carnem in tumorem elevat; in clepsidra obstructo superiori orificio non descendit aqua; idem evenit in lucerna ad modum turis confecta; nam oleum non egreditur, nisi in superiori parte aliquod foramen fiat; & si calefacto aere in phiala incluso, poneretur os phialæ super aquam, ut aer ingredi nequiret, apparet aquam rufescere; quia propter frigiditatem condensatur aer; unde necesse est, aquam elevari ad replendum vacuum; & si super corpus aliquod poneretur, quod nequeat ascendere; statim vas infringitur; qua propter concludendum est, maximopere naturam vacuum abhorrerè.

2 Ratio vero, cur tantopere vacuum refugiat natura, non est assignabilis a priori, & efficacitatem habens, sed solum erit extrinseca; & congruentia quædam: etenim non provenit; eo quod locus ad se locatum attrahat; quia communiter conceditur locum non effective, sed finaliter concurrere ad motum; tum quia locus naturalis habet istam vim, non violentus; & tamen ad replendum vacuum aliquando aqua extra proprium locum erit. Neque provenit ex hoc; quod res, cum propriam appetant conservationem, magis conserventur alii unitæ, quam separata: Tum quia potius sub-

tum quia non clare convincitur, Cælum scindi non posse virtutē angelicā; Tum quia minimum naturale non datur ex dictis disp. 9. q. 3. art. 1. & tandem quia sunt ad oppositum, ut diximus.

Secundo quod flante divino decreto non possit a quacumque creatā virtute causari vacuum, habetur a Doctore in 2. d. 2. qu. 12. C. dicente, quod *ordo praeifixus a superiori agente videtur necessarius cuiusque agenti inferiori, quando habet actionem precise circa talia ordinata*, & hoc quia non potest inferioris agens virtutem superioris superare, si ergo Deus determinavit, universum contiguum, & colligatum esse, non poterit talis ordo a creatura perturbari; hinc ad Hebr. 2. dicitur, *Non enim subiecit Deus Angelis orbem terrae.*

Tertio quod possit per potentiam divinam reperiri vacuum, docent cum communione ex Scotis Lich. quol. 11. Gad. & Tatar. ib. & Phys. q. de vacuo §. *Primo sciendum*, &c. Canon. 4. Phys. 4. q. 4. & expresse eam docet Doctor in 4. dist. 43. q. 4. D. & E. ubi ait, quod si Deus in resurrectione ex corpore rariori faciat densius, & minus, potest non movere aerem circumstantem ad contingendam superficiem minoris corporis, quia hoc non est necesse, & potest relinquere naturam in suis viribus, quæ cum non possit causare motum localem instantaneum, erit ibi vacuum ad tempus, unde concludit: *Non ergo vacuum esse in universo includit contradictionem; imo si natura faceret in instanti minus ex majore, videretur posse concludi, vacuum esse per tempus sine divino miraculo*; quando igitur sustinet Doctor in 2. dist. 2. qu. 9. ad 4. quod si daretur vacuum cedens mobili, posset in eo fieri motus successivus, non loquitur ex hypothesi impossibili, ut ait Vulpes cit. insuper quol. 11. art. 2. ex professo hoc ostendit. Tum quia potest Deus annihilare omnia elementa absolute, & nihil innovare circa Cælum, quod est prius, & magis necessarium, non requiritur tamquam medium aliquod minus necessarium conservari, ut sunt elementa, ergo inter Cæli latera daretur vacuum, quia ista non concurrerent in instanti ad replendum vacuum; & hoc vacuum lit. E. ait esse Deo possibile. Tum quia possibile est, inquit, distantiam aliquam quasi secundum tempus, & durationem esse inter duo, licet non sit inter illa tempus positivum intermedium, & positiva mensura motus, puta si tempus, & motus primi Cæli non esset, sed sufficit, ut sit tempus potentiale, ergo etiam posset esse distantia inter duo secundum locum, absque eo quod mediet aliquod positivum; quod est vacuum admittere. Tum quia concedit ipse art. 1. quod sicut potest aliquod corpus esse absque continentia locali passiva, eo quod omne absolutum potest esse absque receptu ad illud, quod non est prius eo, vel saltem quod nec est prius, nec simul natura cum ipso, eodem modo ait art. 2. probari potest, corpus locans posse esse sine respectu loci, ergo sicut illud non est impossibile, nec istud, quia magis videtur esse dependentia locati ad locans, quam locantis ad locatum. Nec valet, quod ait Vulpes, Scotum ex casu impossibili, quæ le esset vacuum terminatum, probare intentum possibile, scilicet separationem respectus loci a superficie concava continente. Non valet, tum quia casum hunc non ut impossibilem assumit, sed ut possibilem, nam expresse hoc asserit, & probat; tum quia non recte uteretur illo modo arguendi, sicut enim ex possibili non sequitur impossibile, ita nec ex impossibili sequi potest possibile, etenim si non daretur nisi ex positione impossibili, æque esset impossibile; modo tunc locans esset sine respectu locali, cum intra superficiem concavam illius nullum esset corpus contentum, & per consequens vacuum. Tandem magis repugnare videtur separationi accidentis a subiecto materię a forma, penetratio duorum corporum, præsentialis indivisibilitatis localis in corpore, & similia, quam separatio continentis a contento, absque eo quod latera concurrant inter se, quia inter illa est aliqualis dependentia, non inter ista, & tamen possunt a Deo fieri, ergo vacuum non erit Deo impossibile.

9. Sed contra arguitur 1. quod vacuum non possit ullo pacto se a virtute creata causari. Tum quia colligatio corporum inter est effectus universalis ab autore universalis causatus, ergo cum quolibet virtus creata sit particularis, non poterit colligationem illam destruere. Tum 2. quia existentia vacui esset miraculosa, ut patet, nulla creatura virtutem ex se habet patrandi miracula. Tum 3. quia non solum Angelus, sed quodlibet aliud agens corporeum posset vacuum causare, quia ex dictis in conclusione nulla adesse resistentia. Tum 4. quodlibet magis inclinatur in bonum totius, quam in proprium, quod est particulare, unde manus exponit se ad salvandum caput, utpote magis bonum, sed contiguitas est bonum totius universi, permanentia in loco naturali est bonum particulare ipsi aquæ, ergo magis inclinatur in illud, quam in istud, ergo simpliciter resistit, ne detur vacuum.

Resp. ad 1. colligationem esse effectum universalem, non considerando naturas corporum universi, sed determinationem divinæ voluntatis, quare solum probat eandem partem conclusionis. Ad 2. est miraculosa vacui existentia non secundum se, sed respectu divini decreti, sicut esset Solis retrocessio, quæ viribus naturæ fieri posset; sed miraculose nunc fieret propter vinam determinationem. Ad 3. viribus naturæ spectatis possumus totum concedere. Ad 4. respondet Doctor in 3. cit. neg. majorem, nec exemplum adductum urget, solum enim sequitur, quod totum diligit magis bonum sui ipsi, vel partis prin-

cipalioris, quam minus principalis, unde homo manum exponit, ut minus principalem ad salutem capitis magis principalis, non manus ex suo appetitu se exponit; sic virtus regitiva universi, qui est Deus, movet partes ad bonum totius, non ipsæ partes se movent; ut in seq. quæst. explicabimus.

10. Secundo; quod de potentia Dei sit impossibile vacuum, probat. Tum quia, ait Vulpes, corpus medium facit latera continentis distare formaliter, implicat autem, dari effectum formalem sine sua causa formali. Tum 2. vacuum est contra ordinem universi, ordo autem est representatio quædam divinæ bonitatis, & est a divina sapientia, quare vacuum erit quid inordinatum, contra divinam artem, & contra representationem divinæ bonitatis, ergo nequit a Deo fieri. Tum 3. quia sicut ex discontinuatione partium in homine sequitur hominis destructio, ita ex discontinuatione partium universi totum universum destruitur, ergo non potest dari vacuum remanentibus partibus universi. Tum 4. latera illa essent simul, cum nihil mediet, ergo non esset vacuum. Antecedens prob. quia non mediat aliquod positivum, ut patet, neque negativum, quia maxime esset negatio quantitatis, & longitudinis, & tamen hæc negativa distantia ad modum longitudinis conciperetur mediantibus, unde esset longitudo sine longitudine, & etiam quia negatio est in aliquo subiecto, ibi nullum esset subiectum. Tum 5. quia sequeretur, locum esse, & non esse, nam esset, quia vacuum est locus corpore carens, non esset, quia non esset locatum, ergo nec locus.

Resp. ad 1. corpus facit formaliter latera continentis distare, sed non præcise, neque ut effectus formalis primarius, quia potest esse sine illo, ut patet in penetratione; agens producens corpus contentum effective facit distare ex Scoto 4. dist. 43. qu. 5. C. quare quia potest Deus se solo facere quicquid cum causis secundis agit, potest se solo causare distantiam illam, etiam nullum sit medium, sicut quamvis privatio frigoris in aqua fit effectus formalis caloris inducti in ipsa, potest tamen immediate a Deo fieri, quia est effectus secundarius. Ad 2. vacuum est contra ordinem universi a Deo præfixum, & ordinatum de facto, tamen poterat Deus aliter res ordinare, qui ordo esset quoque manifestatio bonitatis divinæ, & conformis arti increate, non enim Deus in productione creaturarum totaliter suam bonitatem, & artem manifestat, quin posset aliter manifestare, quare negatur, vacuum simpliciter esse contra opificem æternum. Ad 3. posset paritas concedi in hoc sensu, quod in discontinuatione humani corporis destruitur unum per se, at in discontinuatione partium universi destrueretur unum per accidens, & artificiatum; sed sicut in discontinuatione partium corporis remanent illæ partes, idem de partibus universi dicendum. Ad 4. respondet Doctor quol. cit. inter illa mediare medium privativum, adesse vero distantiam positivam, quæ est relatio intrinsecus adveniens in ipsis extremis distantibus fundata ex dictis disp. præced. & asserit exemplum de distantia potentiali durativa, ut diximus in probatione concl. & hoc medium privativum sufficit, ut illa latera simul non dicantur: estque negatio realis quantitatis, sed apprehensa ad motum quantitatis, quomodo habet esse rationis; neque debet in aliquo subiecto reperiri, quia non est privatio, sed negatio, loquendo de capedine, & spatio illo medio, at si sumatur, ut dicit negationem continentia localis, sic est privatio in extremis corporis potentialiter continentis fundata. Ad 5. locus pro formali non esset in vacuo scilicet continentia activa, sed esset locus pro materiali, scilicet superficies, quo sensu sumitur in definitione vacui.

QUESTIO II.

A quo moveantur corpora ad replendum vacuum, & an talis motus sit naturalis.

11. **V**ariis mediis utitur natura ad evitandum vacuum, nam aliquando adhibet motum localem, ut cum grave sursum ascendit, quandoque utitur rarefactione alicujus corporis, quia corpus in ampliore molem redditur, quandoque magno impetu vasa frangit, aliquoties per quandam negativam obfistentiam, ut cum latera solum compressa obstructo orificio, ut aer subingredi nequeat, non sinit ullo pacto divelli, & elevari, aliis etiam utitur mediis, prout postulat occasio, sed semper facilioribus: quærimus igitur, quæ nam sit causa effectiva horum motuum, & præcipue localis, & an talis motus naturalis dici possit, an violentus; de qua re optime disputat Amicus tract. 21. qu. 3.

Diversimode opinari sunt Doctores de hac difficultate, nam aliqui posuerunt causam intrinsecam ex parte mobilis, Alii extrinsecam, Alii utramque assignarunt. Qui intrinsecam dixerunt esse, Alii gravitatem, & levitatem posuerunt, non quidem ut sunt naturæ quedam particulares, quia sic determinatos motus ad propria loca efficiunt, sed ut conservationem, & unitatem corporum respiciunt, quomodo motum indeterminatum, & ad quamlibet loci differentiam nata sunt causare ob diversum finem, ita Scalig. Exerc. 1. § 1. alii vero ut Conimbr. asseruerunt, in omnibus corporibus inditam esse virtutem quandam a gravitate, & levitate distinctam, cuius munus sit vacuum impedire, prout fuerit opus. Qui causam extrinsecam assignarunt, Alii dixerunt esse Deum, vel intelligentiam aliquam regitricem universi, quomodo videtur Scot. sentire in 3. dist. 27. §. *Iste rationes* &c. Alii formam totius univer-

universi, cuius reliquæ formæ sunt partes, ut Fuentes 4. Phys. qu. 2. diff. 1. art. 2. in fine, Alii influentiam quandam caelestem, ut Egid. 4. Phys. lect. 12. prop. 3. Gratian. disp. 1. lectio. 3. Alii dixerunt eum motum fieri a corpore aliquo medio, quod nimium deberet rarefieri ad replendum vacuum, & ideo aliud corpus attrahit ad motum alterius, ut Cardan de Subtil. lib. 1. Alii a corpore moto vim habente attrahendi contiguum corpus propter quandam adhaerentiam, ut ajunt, quam habent corpora omnia inter se quæ ad modum glutinis unita adinvicem conservantur. Qui tandem utramque causam posuerunt, ipsam dixerunt esse inclinationem illam in omnibus diffusam ad conservationem totius, & causam primam concursivam, ut Tatar. qu. de Vacuo, §. *Primo sciendum*, Sampson 4. Phys. qu. 8. Complut. disp. 20. quæst. 1. Ruvius hic qu. 1. Aversa quæst. 27. lect. 8. qui etiam addit, & corpus motum, & motorem particularem. Et juxta hanc varietatem varie quoque ad 2. partem questionis respondet de naturalitate horum motuum, nam qui virtutem intrinsecam assignant, dicunt motum illum esse naturalem simpliciter, aut saltem partim naturalem, ut scilicet res omnes respiciunt bonum totius, & partim violentum, quatenus naturas habent particulares, ita præsertim Tolet. 4. Phys. quæst. 10. Aversa, & Fuentes cit. qui veto ab extrinsecis ajunt omnino provenire, fere omnes violentum ponunt, quod speciatim defendunt Lorca p. 2. tom. 2. disp. 4. §. *Sed tunc* &c. & Vasq. disp. 25. c. 4. & disp. 90. c. 4.

12. Sed contra illos, qui principium intrinsecum posuerunt, arguitur primo, quod non sit gravitas, & levitas; tum quia motus ad replendum vacuum eo est velocior, quo velocius movetur corpus relinquens spatium, & quandoque velocius aqua v. g. ascendit ad replendum vacuum, quam naturaliter descendit, ergo a gravitate nequit ille motus provenire, quia ex se est determinata virtus ad producendum motum in determinata velocitate, nec velocitas potest movere mobile sursum, quam deorsum, cum iste motus fit magis proprius gravitati, quam ille; tum quia, ut arguit Doctor in 3. dist. 27. §. *Iste rationes* &c. nequeunt ab eadem forma ad unum determinatam duo oppositi motus provenire simul, & semel, sed gravitas aquæ, cum sursum propter vacuum ascendit, resistit, & detinet impediendo motum illum, ut patet in clepsidra, in qua sentitur pondus aquæ, quod est signum resistentiæ, & propensionis ad motum deorsum; ergo nequit gravitas esse causa, cur aqua sursum detineatur. Deinde quod non sit aliqua virtus omnibus innata ad replendum vacuum, probatur eisdem rationibus cum Doct. cit. nam ab eodem secundum idem, unum tantum potest derivare, ergo ab eadem forma substantiali nequeunt due potentie contrariæ emanare, qualis esset ista virtus, & gravitas in aqua; tum quia aliquando ad replendum vacuum res destruitur, vel rarefit ultra proprium statum conaturalem, vel frangitur, quæ omnia repugnant esse alicui conaturali, quamvis propter bonum totius; tum quia magis conaturalis est aquæ a contrario refugere, quam conjungi, ut dicebamus in præced. qu. tum quia hæc virtus esset determinata ad tantam velocitatem, & tamen motus fit juxta velocitatem motus corporis recedentis, & relinquens spatium; tum quia si aqua concurreret propria virtute ad replendum vacuum, ergo licet propter gravitatem annexam aqualiter gravitaret, non tamen eadem intentione, qua gravitaret, cum in vase v. g. detineretur, sed minori, quia illa virtus diminueret resistentiam gravitatis; & tamen experimur, eandem aquæ portionem in vase, & clepsidra positam, cuius orificium sit occlusum, aqualiter ponderare, eandemque resistentiam sentire in elevatione unius lapidis, cui alter uniatum ad replendum vacuum, ac si propter aliam causam conjungeretur; quod non esset verum, quia sicut augeretur virtus activa motus ad replendum vacuum, ita minui deberet resistentia opposita.

13. Qua ratione universaliter probatur etiam, nullum principium extrinsecum ex assignatis concurrere ad istum motum, maxime Deum, vel intelligentiam; & quia non determinata velocitate fit, non potest esse ab aliqua causa naturali, quæ est ad unum determinata. Tum quia nequit esse forma totius universi, nam nulla talis datur, quia mundus non est unum per se, sed unum unitate ordinis, unde desinitur ab Arist. lib. de Mundo cap. 2. quod fit compago e Cælo, & terraque coagmentata, atque ex his naturis, quæ inter ea continentur. Tum quia nequit esse influentia quedam caelestis, quia quando corpus obfistit, ne moveatur, ut evenit in solibus, in quibus nequit fieri dilataio occluso orificio, non potest ista obfistentia a Cælo causari. Tum quia neque corpus medium, quod rarefieri deberet, potest hunc motum efficere, nam non videtur inter murus se tangentia aliquid mediare, maxime quando unum istorum est fluidum, vel ambo, ut sunt aer, & aqua in fistula. Nec tandem erit corpus motum propter adhaerentiam qualitate, nam quæ ita ad invicem adhaerent, non separantur, etiam si aliud corpus subingrederetur, quia qualitas illa est agens naturale, & tamen videmus, corpora facillime separari, si aer ingredi potest. Accedit, quod in corporibus duris, & sicis non apparet ista qualitas. Ex quibus apparet falsitas potentium principium tam intrinsecum, quam extrinsecum hujus motus.

14. Magis igitur placet sententia Amici citat. dicentis, in motu violento ad replendum vacuum duo intervenire, primum est conjunctio corporum universi adinvicem, nam quamvis quodlibet possit a quolibet separari, non tamen ab omni; secundum est motus ipse, quo vacuum repletur; colligatio ha-

betur ab Authore naturæ ea lege, qua determinavit, universum unum contiguum esse, ad quam colligationem semper vult concurrere, ut diximus quæst. præced. concl. 2. & hoc modo intelligi debet Doctor in 3. dist. 27. cit. dum ait virtutem regitricem totius movere partes universi, prout congruit bene esse totius, scilicet conservando contiguitatem partium. Motus vero fit a movente corpus illud, in cuius locum aliud corpus violenter motum succedit; quia ut docet Scot. 4. dist. 43. quæst. 5. E. quod effective movet unum corpus localiter effective quoque expellit aliud corpus, ergo a pari quod effective movet unum corpus, effective quoque movet quod liber aliud naturali vinculo conjunctum, ut patet in conglutinatis simul, ergo flante divina determinatione de colligatione universi, qui attrahit aerem & fistula, attrahit etiam aquam effective; & hinc est quod eadem resistentia sentitur, sive aqua moveatur sursum propter vacuum, sive propter aliam causam, & proportionata velocitate motivar virtuti movetur aqua; & si motoris virtus non est sufficiens ad elevandam aquam illam secluso vacui periculo, nec etiam illam attrahit propter vacuum. Quod etiam evenit in condensatione, quod enim est causa condensationis, & restrictionis alicujus corporis ad minorem locum, est causa etiam, cur corpus ambiens moveatur ad superficiem condensati, sic quod est causa, cur ignis in cucurbitula extingatur, & aer generetur condensator, est etiam causa, cur caro intumescat, & reliquus aer inclusus rarefat, vel frangatur vas, quando hæc omnia non sufficiunt ad impediendum vacuum.

15. Dices, docet Scotus in 4. cit. & quol. 11. art. 2. quod si Deus in instanti condenseret aliquod corpus, vel illud annihilaret, & nihil circa latera continentis efficeret, quod tunc daretur vacuum ad tempus, quia non posset natura in instanti accedere per motum localem ad repletionem vacui, ergo per Scot. datur vis aliqua insita rebus impeditiva vacui. Resp. quod Scotus jam se declaravit in 3. cit. talem vim non dari, quare per naturam intellexit Deum ipsum, ut Authorem naturæ, in illis enim casibus Deus ut Author universi deberet movere corpus ambiens ad superficiem condensati, vel ad aliud laterum continentis, sicut ipse est, qui condensat, vel annihilat corpus medium, & quia motus localis includens totam realitatem nequit fieri in instanti, ideo in tempore esset, & consequenter daretur vacuum ad tempus; vocavit autem ipsam naturam, ut eundem Deum, quatenus Author naturæ, a se ipso, ut Author est supernaturalis, distingueret, quomodo se gereret in illa instantanea condensatione, vel annihilatione. Vel dicendum, quod ibi parum curavit hoc ex propria sententia explicare, sufficiebat enim ipsi loqui secundum communem. Dices iterum, motum corporis ascendens ad impediendum vacuum provenire a corpore succedente, & impellente ipsum. Et ratio est, quia non potest unum corpus a loco recedere, quin expellat aliud corpus, & hoc aliud. Resp. tam corpus recedens a proprio loco, quam illi succedens ad impediendum vacuum, moveri ab agente movente primum corpus, quod movetur, quando incipit motus, quo fiet vacuum, nisi succederet corpus ascendens, ut v. g. attrahens aerem & fistula, qui est corpus recedens, attrahit quoque aquam, quæ est corpus succedens, neque in isto casu, dum grave ascendit contra propriam inclinationem ad impediendum vacuum, corpus succedens ex se impellit recedens a proprio loco, sed idem motor, qui corpus primum a suo loco extrahit, consequenter etiam aliud corpus illi priori contiguum movet ad ascensum, quod enim effective unum corpus movet, etiam & aliud illi conjunctum naturali vinculo, ut ait Doctor 4. distinctio 10. quæst. 6. E. quod quidem vinculum in casu nostro est corporum contiguitas, & colligatio a Deo determinata; imo si diceremus corpus succedens aliud impellere, cui succedit, hoc esse non posset virtute innata, quia grave ex se non habet virtutem sursum impulsivam, sed deorsum, unde dicendum esset, talem virtutem ei fuisse communicatam a motore corpus sibi proximum a proprio loco dimoventem.

Sed rursus instabis, quia si esset talis colligatio inter corpora, ex ea non potius oriri deberet, quod corpus recedens trahere debeat post se corpus subsequens, quam corpus subsequens detinere corpus recedens; & si talis colligatio esset ex sola ordinatione divina, sicut illa colligatio tribuitur Deo, ita etiam & motus factus ad replendum vacuum Deo immediate tribui deberet, non autem motori corporis recedentis, nisi per modum conditionis sine qua non; quatenus si ipsum non moveret corpus recedens, nec Deus moveret corpus subsequens. Resp. naturam semper facilioribus vii mediis ad impediendum vacuum, facilius autem in præfato casu evitatur vacuum per attractionem aquæ in fistulam sursum, quam per detentionem aeris in fistula, quia facile assignatur causa efficiens talis attractionis, non ita detentionis aeris, nisi ad Deum recurramus immediate detinentem corpora colligata, quod non bene diceretur, quia ad Deum in effectibus naturalibus non est recurrendum, nisi ubi deficiunt alia causæ naturales, quæ in proposito non deficiunt, tum quia melius est si fieri posset, servare corporum colligationem sinendo causas secundas motus suos agere, quam eos impediendo, impediretur autem actio causæ secundæ, si ex fistula aquæ immerfa ex parte inferiori, aerem attrahere non possemus. Ad aliud etiam negatur consequentia, quamvis enim colligatio corporum ex decreto divino pendeat immediate, non propterea motus corporis succedentis v. g. aquæ in locum aeris debet imme-

immediate tribui, sed motori corporis recedentis bene tribui tur supposita tali colligatione a Deo determinata, quia conaturalis est, quod agens movens effective unum corpus, aliud quoque naturali vinculo ei conjunctum moveat confuenter.

Ex ista doctrina colligitur solutio alterius partis quaestiois f. quod motus iste, respectu corporis particularis est totaliter violentus, nullo modo naturalis; ita docet Arist. 4. Caeli 39. ubi habet, quod aqua sursum ad replendum vacuum vi movetur, & tractione, qui est motus violentus ex 7. Phys. 10 idem etiam docet Doctor in 3. saepe cit. & in 4. dist. 49. quaest. 13. H. ratio hujus est, quia, ut habet Doctor in 3. cit. aqua ad motum sursum nullam praebet inclinationem, et propter vacuum fieret, ergo nullo modo est naturalis ipsi. Antecedens patet ex dictis; unde non recte Fuentes asserit, aquam ut partem universi naturaliter sursum moveri, quia neque ut pars universi, ait Doctor, habet aliquam inclinationem ad illum motum, ut etiam ostendimus. Neque hoc docet Scotus in 4. cit. sed solum quod si motus aquae sursum comparatur universo, dicitur naturalis, quia consentaneus perfectioni universi: Addit insuper, quod simpliciter loquendo, motus ille dicitur naturalis, & secundum quid violentus; quia natura totius universi, cui motus ille est conformis, est magis principium naturalitatis, quam natura particularis, ut est aquae natura, cui motus ille opponitur; ex qua doctrina nequit deduci, quod motus ille respectu aquae, ut est pars universi, sit magis naturalis, quam motus deorsum, ut facit Fuentes, non enim Doctor comparat motum sursum propter vacuum ad aquam secundum se, & ut est mundi pars, sed ad aquam, & ad universum; ut patet legenti, praecipue in 3. cit. & opinio Fuentis docetur a Thomistis, non a Scoto.

QUESTIO III.

De motu in vacuo.

16 **D**uo possent quaeri in hac quaestione, primum, an si daretur vacuum, posset in eo fieri motus aliquis; secundum, admissio, quod efficiatur motus, an talis motus in instanti fieret, an in tempore, & successive. Quoad primum negant Albert. 4. Phys. tract. 2. cap. 7. Egid. Burl. Jand. Saxo ibidem Venet. in summ. Phys. cap. 22. Valles. contrav. Phys. Perer. lib. 11. c. 12. Gregor. 2. dist. 6. quaest. 3. art. 2. & alii cum Averr. 4. Phys. comm. 71. & hoc vel universaliter omnem motum, vel aliquem; nam Averr. admittit motum projectionum in vacuo; Masius disp. de Vacuo quaest. 2. & Complut. disp. 2. quaest. 3. admittunt motum a Deo, vel ab Angelo causatum, non tamen ab his sublunariis, eo quia omnes isti motus a motu Caeli essentialiter dependunt, dummodo tamen Deus influxum caelestem non suppleret; Averra quaest. 27. sect. 9. omnem motum admittit praeter naturalem gravium, & levium, quia in vacuo non adsunt differentiae loci naturalis sursum, & deorsum; Alii excipiunt motum volativum, & progressivum, si terra non esset propter carentiam substantiantis; Communis tamen, tam veterum, quam recentiorum universaliter omnem motum admittunt in vacuo terminato licet in spatio interminato negent motum naturalem gravium, & levium; ita Doctor 2. dist. 2. quaest. 9. ad 4. Quoad secundum, data hypothesi, quod res aliqua in vacuo moveretur, dicunt aliqui motum in instanti abolvi debere, non in tempore, ex quo absurdo postea deducunt impossibilitatem motus in vacuo, ita Averr. Burl. Egid. Jand. Venet. & Perer. cit. Sed vulgata est apud omnes opposita opinio cum Doctor. cit. motum illum in tempore fore causandum; licet Canon. 4. Phys. quaest. 4. & Sampson. quaest. 9. utramque opinionem problematice defendant.

ARTICULUS I.

Possibilitas motus in vacuo comprobatur.

17 **D**icimus non repugnare motum fieri in vacuo, est Scoti cit. & prob. primo universaliter, ubi datur movens, mobile, & extrema, quorum unum mobile potest de novo acquirere relinquendo aliud, ibi potest esse motus, ut patet; in vacuo, si daretur, posset esse tam movens, quam mobile cum carentia alicujus formae; neque carentia medii in omnibus impediret, ergo vere daretur ibi motus.

Secundo probat. descendendo ad motus in particulari, nam si loquamur de Deo, patet, quod posset in vacuo aliquod mobile movere; Angelus posset seipsum, & aliud mobile localiter movere, quia a medio pleno nullo modo dependet; si enim aliquid repugnaret, esset, quod motus ille instantaneus foret, quod implicat; sed jam artic. seq. ostendimus, successive fieri. Posset etiam agens sublunare propriis viribus motus suos efficere, non enim in agendo a Coelesti motu essentialiter dependet, ut isto cessante, nequeat motus proprio, agere; nam ut docet Doctor 2. dist. 2. qu. 11. & 4. dist. 48. quaest. 1. & dist. 49. quaest. 14. M. ex Aug. 11. Confess. stante Caelo adhuc rota signali moveretur, & tempore Iosue cum Sol steris obediente Deo voci hominis, adhuc cauae sublunares proprias actiones exercerant; quod fufus probamus in lib. de Caelo: hinc si aliquod vivens sufficienter haberet alimentum applicatum, & respiratio non impediret, posset utriusque, & augeri,

immo generare, si materia feminis esset in loco proportionato; nec solum, si esset homo, posset intelligere, verum etiam sensationes tactus, & gustus exercere, si sensibilia haberet approximata, quia istae operationes non dependunt a medio pleno; non posset tamen videre, ut notat Doctor 2. dist. 9. q. 2. C. quia ad visionem requiritur species visibilis in medio ab objecto producta, cum sit accidens, at in vacuo nullum esset subiectum, in quo talis species reciperetur, eadem ratione idem de auditu dicendum, & de olfactu, nisi ut ait Sampson, apponeretur corpori odorifero aliquid resolvens ipsum in fumalem evaporationem, quae ad olfactum deferretur, quod non implicat, quia fumalis illa evaporatio, cum sit substantia, non pender a medio pleno: similiter si ignis contiguus effluppae, illam combureret, at si aliquantisper distaret, minime illam destrueret. Ratio est, quia etiam generando posset agere immediate in distans, attamen alterati, quae est affecto necessario praevia generationi, dependet a medio, nec potest immediate fieri in distans juxta dicta disp. 7. quaest. 4. art. 3. modo non posset ignis medium illud alterare, cum plenum non foret.

18. De motu locali seu lationis idem ostenditur, nam in primis posset in vacuo fieri motus projectionum, si talis fieret per impetum impressum, ut dicimus in lib. de Caelo, medium enim plenum potius impediret, quam causaret motum. Deinde in vacuo interminato posset Angelus, si ibi esset, se movere, & si ultima sphaera non ambiretur Empyreo, sed immediate a spatio inani circumdaretur, si illi aliqua virga ferrea esset affixa, posset, immo deberet ad motum sphaerae moveri, & tamen in vacuo moveretur; quod dicendum esset quoque, si inferiores sphaerae destruerentur a Deo, vere enim tunc ultima sphaera circulariter in vacuo moveretur. De motu naturali gravium, & levium aliter est dicendum; nam si gravia, & levia ideo ad propria loca sursum, & deorsum moventur, quia petunt dumtaxat esse gravia sub levibus, & levia supra gravia, quod innuimus disp. praeced. & videtur a Scoto doceri 2. dist. 2. quaest. 6. H. & non quia determinatum situm possunt in universo, sic recte ait Averra nullo modo naturaliter moveri tam in vacuo terminato, quam interminato, quia in nullo istorum esset assignabilis locus naturalis sursum, & deorsum, & eodem modo se haberent hic & ibi, quia nullum corpus contiguum haberet, a quo posset determinari, in quam partem debeant moveri, & extrema distantia nil faciunt, aliter si aqua esset supra aliquod grave, sub quo aer reperiretur, ut est modo mare supra terram, in cuius concavitate plurimum aeris detinetur, non naturaliter quiesceret, quia extremum remotum levius subter haberet, quod est falsum; quare naturalitas loci penes corpus proximum, & circumstantis debet attendi, & cum in vacuo terminato nullum esset tale corpus, eodem modo se haberet grave, ac in spatio interminato. Si vero ad rationem loci naturalis non tantum corpus continens attendatur, verum etiam situs universi, ut videtur innuere Doct. cit. quaest. 10. B. dum ait, *Si nullum grave esset in centro, sed tota terra amota ab eo, & remanente centro sub sola ratione centri ut prius, adhuc grave naturaliter tenderet ad centrum;* tunc dicendum esset, gravia, & levia, quamvis in spatio interminato non posset naturaliter moveri, quia non essent assignabiles istae locorum positiones sursum, & deorsum, attamen in vacuo terminato intra universum posset naturaliter moveri ad propria loca, quia vere daretur adhuc sursum, & deorsum: quid autem determinate sit de hoc asserendum, pertinet ad lib. de Caelo dist. 3. ubi de elementorum loco, & positione agimus. Tandem de motu progressivo animalium, supposito, quod respiratio non impediat, ut erunt corpora Beatorum post Judicium si essent in vacuo interminato, clarum est, quod posset moveri motu progressivo, cum virtutem habeant motivam, & nihil impediat; at si essent in vacuo terminato, & gravia, ac levia ad propria loca tenderent, non solum ut sub levibus, vel supra gravia sint, verum etiam ratione situs universi, tunc non posset moveri sine sustentaculo sub pedibus, unde volatus avium non posset confici: at si ad situm non tenderent, sed tantum ad superficiem corporis continentis, & conservantis, sicut tunc ut gravia deorsum non tenderent, nec sustentante indigerent, posset moveri motu progressivo, & volatu, ac si essent in spatio inani interminato, eadem enim utrobique est ratio. Specialiter tamen est advertendum contra Averram, & Amicum, & alios concedentes motum progressivum in vacuo, sed negantes, lapidem tecto aulae vacuae conjunctum deorsum posse moveri propter naturalem sympathiam, qua omnia corpora appetunt mutuo sibi adherere; si enim hoc esset verum, non posset animal a terra pedem elevare, vel si talem resistenciam naturalis sympathiae propria virtute motiva vincere posset; idem de lapide dicendum, quia innatam vim motivam possidet.

19. In oppositum arguit; Tum quia non posset mobile ad unam partem moveri, quia non esset major ratio, cur potius ad hanc partem tenderet, quam ad illam, & ad omnes simul tendere non potest, quare naturaliter non posset moveri, nec violentus, quia amoto naturali motu, removeretur quoque violentus. Tum secundo, quia si hoc esset, naturaliter posset dari vacuum; quia spatium illud a mobili occupatum fieret inane per motum, atque ita naturaliter mobile vacuum causaret. Tum tertio, quia omnis motus sublunaris pender a caelesti motu, & influxu ex 8. Phys. 56. & 12. Met. 38. sed in vacuo

ARTICULUS II.

Successio motus in vacuo demonstratur.

21 **D**icimus, motum in vacuo successive, non instantanee fieri; ita Doct. c. quod probat, quia successio in motu provenit ex resistantia aliqua, in vacuo datur hujusmodi resistantia, ergo successive fieret iste motus: Major patet, prob. minor, quia licet resistantia proveniens ex raritate, vel densitate medii, quae a Scot. accidentaliter dicitur, quia potest a motu separari, non esset in vacuo reperiretur tamen resistantia essentialis, quatenus spatium illud & distantia terminorum saltem privativa nequit simpli pertransiri, sed prius secundum unam partem, quam secundum aliam; nec movens est tantae virtutis, cum sit finitum, & limitatum, ut possit terminum statim inducere. Tum quia motus circularis Caeli successive fit quamvis nulla sit resistantia ex parte medii, sed solum quia adest essentialis resistantia ex parte termini, & mobilis respectu moventis, quod non potest statim ultimatum terminum ad quem inducere; & si ultimae sphaerae aliqua virga ferrea esset affixa, successive moveretur in vacuo ad motum sphaerae. Tum quia Angelus successive descendit e Caelo ad terram, cui tamen nullum medium quoad densitatem, vel raritatem resistit. Tum quia ut ait Canon, si esset columna aliqua in vacuo, & duo lapides simul descenderent juxta illam, unus tamen a summitate, alter a medio, non possent simul in instanti descendere, sed qui est a medio prius alio, quia quando ille a summo descendens est in medio, vel lapidic existens est jam motus, vel non; si secundum, ergo non simul inciperent moveri; si primum, ergo unus prius alio, ergo successive. Tum quia vel simul lapis ille esset in tota columna, ita ut omnia Ubi intermedia haberet in instanti naturae priori, & hoc est falsum, quia naturaliter nequit fieri motus localis includens totam realitatem in instanti, imo nec de potentia Dei, ut dicimus disput. 15. quaest. 6. art. 5. & etiam quia lapis naturaliter esset in pluribus locis, ac quantitati majori commensuraretur; imo simul commenturaretur quantitati majori, & minori, nam si lapis esset palmaris, jam si in instanti esset in tota columna, esset ibi commensuratus, & etiam semipalmo ejusdem columnae, quia valeret dicere, in hoc instanti lapis palmaris est in hoc semipalmo columnae, & per consequens ibi commenturatur, & aequatur, aliter si prius secundum unam partem, quam secundum aliam pertransiret lapis semipalmo columnae, non in instanti, sed in tempore percurreret. Vel dicitur quod lapides illi non percussunt totam columnam, sed in instanti sunt in fine columnae, & ultimo Ubi praesentes, ut videtur docere Sampson. cit. ex Burl. & hoc est falsum, quia neque Angeli possunt se taliter movere ab extremo ad extremum non transeundo medium, cuius ratio assignatur a Scoto 2. dist. 2. quaest. 12. quia ordo praefixus a superiori agente videtur necessarius cuicumque agenti inferiori, quando habet actionem praecise circa talia ordinata, modo Deus determinavit ordinem partium principalium universi cuilibet agenti creato, ergo nequit agens creatum cuicumque Ubi immediate praesens se facere. Tandem ut notat Averra, medium, quando est subtilissimum, ut aer, potius adjuvat motum naturalem, quam retardat, vel saltem plus adjuvat, quam retardat, nam aer propter sui magnam raritatem parum resistit, & consequenter parum retardat, ac accurrendo a tergo lapidi ad replendum spatium lapidis, impellit illum, intenditque motum, unde valde velox in fine est naturalis motus, ergo medium plenum hoc modo si non plus adjuvat motum lapidis deorsum quam retardat, saltem compensatur utrumque, & tamen successive fit; ergo medium non est totalis causa, & praecisa successiois in motu.

22 In contrarium obiicitur; Tum quia Arist. 4. Phys. a tex. 63. demonstrat, vacuum destrucere motum, quia necessario deberet in instanti fieri. Tum secundo ex eodem, qualis est proportio medii ad medium subtilitate, & densitate eadem est proportio motus ad motum in velocitate, & tarditate, & temporis ad tempus, quia ideo mobile velocius, aut tardius movetur, quia magis, vel minus evincit resistantiam medii, sed vacui ad plenum nulla est proportio in subtilitate, & densitate, ergo nec motus ad motum in velocitate, & tarditate, nec temporis ad tempus horum motuum, quod tamen deberet esse, si motus in vacuo fieret in tempore, nam tempus semper cum tempore habet proportionem. Tum tandem quia multa sequerentur absurda. Primum, quod motus factus in pleno posset esse aequalis motui facti in vacuo, quia sit aliquid plenum subtile in tanta proportione, quod excedat aliud plenum subtile tantum, quantum tempus motus facti in vacuo excedit tempus motus facti in pleno illo, tunc si fiat motus in hoc pleno subtiliori, erit aequalis motui facti in vacuo. Secundum, quod in pleno fieret motus minor tempore, & velocius quam in vacuo, nam si motus in vacuo duraret per quadrantem horae, & in pleno per horam, si Deus aliud plenum subtilius ut quinque produceret, motus in isto fieret velocius, quam in quadrantem. Tertium, quod vacui ad plenum esset aliqua proportio, nam quae proportio est motus ad motum, eadem est temporis ad tempus, & spatii ad spatium, ergo si motus in vacuo esset successivus, jam esset proportio inter motus in pleno, & in vacuo, & inter tem-

pora utriusque inter spatium plenum, & vacuum, quod est falsum, quia vacuum est non ens, & infinite exceditur a pleno. Quartum duo corpora, quorum unum esset gravius, alterum minus grave, posse aequali tempore quodcumque spatium vacuum percurrere, quia ratio, cur gravius velocius descendat, est quia facilius secar medium, & in vacuo nullum est medium; Quintum, quod corpus simplex naturaliter, & velocius moveretur in vacuo, quam in pleno, in quo majorem reperit resistantiam, contra Arist. 3. Caeli 28. ubi habet naturam uti medio tamquam instrumento ad faciendum motum naturalem, & violentum, & motum naturalem juvari a medio. Sextum, quia nunc de facto nunquam corpus simplex moveretur pure naturaliter, neque tanta velocitate, quanta aptum est moveri, & sic sua potentia frustraretur. Probat, quia de facto dumtaxat per plenum movetur, quod aliquantum resistit, & retardat motum. Septimum, quod figura quadrata, & pyramidalis aequo velociter moverentur.

23 Resp. ad primum, valde laborare Doctores de Arist. sensu, cum motum in vacuo negavit; conveniunt in hoc, quod loquatur ad hominem contra Antiquos, qui vacuum admittebant propter motum localem ex una parte, ex alia deinde assererebant, omnem successione ex resistantia medii pleni provenire, contra quos recte arguit Arist. quod motus in vacuo in instanti fieret, & sic sua potentia frustraretur. Arist. idem contingit, quod in illa alia de motu indivisibilis, quem negavit, sed non rationibus firmis demonstravit, ut dicemus disp. 13. quaest. 8. art. 1. quare rationes ponderemus. Ad secundum, inter vacuum, & plenum non datur proportio quoad subtilitatem, & densitatem, quae sunt causa successione accidentalis, at est proportio quoad distantiam extremorum, & impotentiam agentis; quae causant successione essentiali, quae ratione tempora horum motuum possent proportionari. Ad ultimum negantur illa absurda, & ad primum dicimus per idem, quod possent illi motus aequari, quoad successione essentiali ex parte spatii, & distantiae, quae impotentiae agentis, non in successione accidentali; Ad secundum concedimus posse minori tempore absolvi motum in pleno, quam in vacuo, quoad successione essentiali, pura si varietur spatium & distantia, aut virtus motiva, at ceteris paribus semper velocior esset motus in vacuo, quam in pleno; quia major subtilitas minuit tempus correspondens successione accidentali, non essentiali, hoc enim semper adest. Ad tertium patet ex dictis, dari scilicet proportionem non in entitate; sed in distantia extremorum, quae in pleno esset positiva, in vacuo privativa ex Scoto quol. 11. art. 2. tantum enim parietes alicujus aulae inter se distant, si esset vacuum, quantum si esset medium plenum inter illos. Ad 4. neg. sequela cum probatione, quia illa non est praecipua, & praecisa ratio, cur gravius velocius descendat corpore minus gravi, sed hoc est, quia habet majorem virtutem motivam deorsum pellentem, quam adhuc retineret in vacuo, an autem verum sit, ut communiter teneatur gravius descendere citius minus gravi, tractamus ex professo disp. 3. de caelo a n. 52. Ad 5. quoad successione essentiali mobile utrobique aequo velociter movetur, at quoad accidentalem, si medium plus resistit, quam adjuvat, tardius sit, si minus resistit, & plus adjuvat, sit velocius, si aequo resistit, & adjuvat, tunc fieret in tempore aequali, neque hoc est absurdum, quia cetera non sunt paria, nam in vacuo esset solum virtus motiva mobilis, in pleno adjuvatur a medio, & sic ab extrinseco augetur virtus, & hoc vult asserere Arist. quia quia loquebatur naturaliter, quia si medium non esset,

latera extrema virentur, & sic nullus posset fieri motus, quare medium ex hoc capite est necessarium; neque major velocitas est de ratione naturalitatis motus, ut in argumento supponitur, nam lapidi descendenti non est magis naturalis descensus per aerem, quam per aquam, ubi ex majori densitate corporis magis retardatur, sed de ratione naturalitatis motus est, ut mobile quam breviori possit via in suum naturalem locum tendat, Ad 6. patet per idem, quia velocitas non est de ratione naturalitatis motus, sequitur solum in vacuo grave uniformiter moveri, tam in principio, quam in medio, & sine, quia nullum esset medium impellens; si verum est, de quibus in lib. de Caelo disp. 3. q. 3. ut communiter putantur, motum naturalem velocitari in fine a medio accurrenente a tergo, non per hoc tamen frustraretur sua potentia, quia motus sit semper cum tanta velocitate, quantum petit successio essentialis, & ejus motiva virtus. Ad 7. concedimus totum, quia figurae illae faciunt ad successione accidentalem.

24 Secundo, in vacuo nulla est resistantia, ergo nulla successio in motu; Antecedens prob. non est resistantia ex parte medii, ut patet; neque ex parte distantiae, seu spatii inter terminos a quo, & ad quem; tum quia haec distantia nihil est, ergo nequit successione realem causare; tum quia in illuminatione haec distantia non impedit, quin in instanti fiat; Neque ex parte agentis datur resistantia, quia si contrarium non adest, agit ex se in instanti, ut patet in illuminatione. Tum 2. quia agens sibi ipsi non repugnat, vel resistit, ergo nequit attendi resistantia actionis agentis ex parte ipsius agentis; Tum 3. quia agens, quantum est ex se, velle terminum statim inducere; Tum quarto, quia si limitatio virtutis agentis esset causa aliquo pacto successione, jam gravius non velocius descenderet minus gravi, quia licet habeat majorem virtutem, attamen quia haec major virtus secum affert limitationem, haberet quoque majorem limitationem, & sic omnia essent paria.

Resp. adesse resistantiam ex parte distantiae. Ad primam impugnationem dicimus, distantiam privativam non causare effective moram realem, & positive, sed quasi formaliter, quatenus nequit mobile simul habere distantiam illam, a qua excluditur. Ad secundum dicimus, ex Scoto, 2. dist. 2. quaest. 12. ad secundum, posse fieri alterationem in instanti, quia tota forma in ordine ad agens, & spatium se habent in indivisibilia, non enim repugnant cum potentia agentis, ut simul esse nequeant, ut est lumen, at tota distantia, cum sit divisibilis, & mobile, cum sit divisibile, resistit potentiae agentis, quod non possit tota illa distantia acquiri simul, sed divisibiliter, & quod magis est, resistit etiam potentiae divinae, quae resistantia non est aliud, quam implicancia. Adest etiam resistantia ex parte agentis, quia est limitatio potentiae; & ad primam improbationem dicimus, verum esse, si terminus potest indivisibiliter acquiri, non sic est distantia spatii. Ad secundam, non resistit positive, & contrarie, sed negative, quatenus majorem virtutem non habet. Ad tertiam, appetitum illius, si datur, esse conditionalem, si posset fieri. Ad quartam, neg. sequela cum probatione, major enim virtus auferre limitationem potentiae, quia intenditur potentia, & licet quilibet gradus ex se sit determinatus, & limitatus, attamen uniti non habent eandem limitationem, quia sit auctio secundum intentionem, non secundum extensionem, & solum limitari intelliguntur quoad perfectionem, quam ulterius non habent; videatur Contaren. junior. tomo 1. quaest. Periip. qu. 13. ubi haec tenetur sententiam, velut Aristotelicam.

DISPUTATIO DECIMATERTIA.

De Duratione rerum.

Occasione motus non solum Philosophus egit de loco, eo quia localis motus ad locum, ut ad terminum tendit, verum etiam de tempore, quod est ipsius motus mensura, & duratio: attamen quia durare non solum motui convenit, verum etiam aliis rebus naturalibus, idcirco non solum de tempore, verum de aliis quoque durationibus praestat agere; eo vel maxime, quod nostra Philosophia, ut saepe dictum est, ad Theologiam est ordinata; primo igitur agemus de duratione in communi, deinde de speciebus ipsius, quae communiter tres solent assignari, scilicet, Aeternitas, Aevum, & Tempus, & quamvis multae aliae sint species, ad istas tamen possunt reduci, ipsas postea in alias subdividendo; nomine ergo durationis, si vim vocabuli attendamus, intelligitur id, quo res est, & persistit in rerum natura, & proprie dicitur quaedam permanentiam in esse, & perseverantiam in eodem statu; unde Virgilius Durate, & volmet rebus servate secundis, at si latius sumatur, dicitur habitationem quamcumque alicujus esse etiam instantaneam, quae duratio duplex esse potest, imaginaria, quae concipitur a nobis ad modum cujusdam more successivo durationibus rebus coexistentis, & realis, quae res vere durare a parte rei dicitur; disputatio de secunda, non de prima instituitur.

QUESTIO PRIMA.

Quid formaliter dicat Duratio.



Rima opinio asserit, durationem supra existentiam rei formaliter addere rationem mensurae; ita multi ex Thomistis, quos sequuntur ex nostratibus Canon. 4. Phys. q. 5. dub. 3. & qu. 8. art. 2. Ant. Andr. 5. Met. qu. 11. & quia mensura est duplex, activa, quae est quantitas intellectui nota, per quam de alia ignota certificatur intellectus, & passiva, quae dicitur aperiuntem, & mensurabilitatem rei, ut possit per notiore quantitatem ab intellectu dignosci, ut fufius dicemus q. 4. art. 2. hinc differunt inter se, nam aliqui dicunt, rationem mensurae activae formaliter importari a duratione, alii rationem mensurae passivae, & alii utramque.

Secunda Sententia docet, durationem aliquid superaddere existentiae ex natura rei ab ea distinctum, velut rem a re, quod videntur asserere Complut. de duratione creata disp. 21. Phys. quaest. 3. quam ponunt accidens reale, vel potius, ut modum a re, cuius est modus, quia inquirunt, durationem esse modum existentiae positivum, quo formaliter res in existentia perseverat, ita Ruv. 4. Phys. tr. 1. de Tempore qu. 4. Conimb. c. 12. q. 3. & 9. Murcia disp. 3. q. 3. & probabilem putat Amic. tr. 22. dub. 2. art. 3.

Tertia, quae communis est apud Scotistas, ut est videre apud Vulpes 1. p. disp. 7. Smifinch. tract. 2. disp. 4. qu. 1. docet durationem formaliter addere negationem destinationis, tunc enim res permanere concipitur, cum ejus esse non destructum intelligitur, & quia si solum per instans existeret, vere in eo instanti destructa non esset, id dicitur consequenter rem in illo instanti vere, & proprie durare.

Quarta, est Suar. disp. 50. Met. sect. 2. dicentis, durationem formaliter dicere respectum quandam permanentiae ad esse ipsius rei durantis, ut praecedens, qui respectus cum non sit in re per instans existente, ideo nec vere, nec proprie tunc durare dicenda est.

Pro resolutione quaestii sciendum est, existentiam productioni correspondere, velut effectum ejus, & durationem conservationi; unde sicut res in primo instanti dicitur creata, vel producta, & in tempore sequenti conservata, ita in primo instanti dicitur existere, & in sequenti tempore durare, quia duratio aliud non est, quam existentia rei continuata, & conservata, ob hanc igitur correspondentiam existentiae ad productionem, & durationis ad conservationem eodem modo philosophari debemus de duratione in ordine ad existentiam, sicut philosophari sumus disp. 7. qu. 3. art. 3. de Conservatione in ordine ad productionem, est eam eodem modo loquendum de utriusque, ut Scot. significavit 2. dist. 2. quaest. 1. ad 1. pro. 1. opin. & quol. 12. §. De secundo articulo &c. & ideo quia diximus ibi, conservationem ex impositione nominis significare realem dependentiam rei a sua causa, dare autem intelligere respectum quandam rationis ad esse praehabitu ex modo congnoscendi principalis significati, ita in proposito dicere debemus de duratione.

4. Dicimus, formale significatum durationis secundum id, quod positivum, & reale dicit a parte rei, esse existentiam rei durantis, pro ut tamen a nobis explicatur, connotat respectum, vel realem, vel rationis, seu aptitudinalem coexistentiae alicui durationi extrinsecae, saltem imaginariae. Ita colligitur ex Scoto 2. d. 2. q. 2. H. ubi loquens de duratione angelica, ait non esse necesse ponere aliquid reale, sive absolutum, sive respectivum distinctum ab existentia Angeli pro ejus mensura, & duratione, & quol. 6. R. loquens de Aeternitate, ait supra existentiam Divinam addere relationem rationi aptitudinalem necessario coexistendi cuicumque extrinsecae durationi; idem sentit Bassol. 2. d. 2. q. 1. art. 3. & Masius disp. de Temp. sect. 3. q. 1. & probari potest ex consuetudine aliarum opinionum; primo, quod non dicat rationem mensurae, quaecumque sit illa ex Scoto 2. cit. lit. G. mensurari est intellectum certificari de quantitate ignota, vel habente modum quantitatis per alteram notam, sicut mensurare est intellectum certificare de quantitate ignota, ideoque mensura ordinem dicit ad intellectum, ut e-

tiam notat Scot. quol. 13. M. sed res quaecumque independenter ab intellectu dicitur durare, ergo duratio formaliter non pigit rationem mensurae, sive activae, sive passivae; Minor prob. quia accidit rei duranti, quod unus intellectus sit certus, vel incertus de duratione ipsius. Dices, durationem dicere non rationem mensurae actualis, sed aptitudinalis, & mensurabilitatem. Contra, haec mensurabilitas dicit tantum cognoscibilitatem in duratione rei durantis, sicut mensuratio actualis cognitionem passivam actualem, ergo praesupponit durationem in re, sicut cognoscibilitas entitatis, aut perfectionis alicujus entis praesupponit entitatem illam, vel perfectionem; ad summum sequitur, sicut mensurabilitas est passio quaedam consequens quantitatem, aut rem habentem modum quantitatis, sic esse passionem durationis, quae modum quantitatis habet, non rationem formalem (quamvis in hoc sit etiam discrepantia apud Doctores, nam Valsq. 1. p. disp. 31. negat, aeternitatem mensurabilem, aut mensurativam esse), quae ratione a Doctoribus durationis species, mensurae sunt appellatae, quatenus sunt res cognoscibiles ab intellectu, quantum durent, non quod vere, & proprie sint mensurae, cum potius sint mensurae.

Secundo, quod non dicat quid ab existentia ex natura rei distinctum, nec ut rem a re, nec ut modum, prob. Tum quia si distinguuntur, ut res a re, cum existentia sit prior ipsa duratione, ac proinde independens ab ea, posset utique existentia separari a duratione, & etiam sic separata dici conservari, quod manifeste implicat, cum rem durare in toto rigore aliud non sit, quam ejus existentiam permanere, & conservari in esse. Sequela assumpti prob. quia prius realiter distinctum a posteriori, a quo nullatatione dependet, potest ab eo separari saltem per potentiam Dei absolutam, & separatim conservari. Tum quia, quod potest Deus pro uno solo instanti facere sine alio, potest etiam conservare tempore sequenti sine illo, cum non sit minor Dei potentia pro tempore sequenti, quam in eo primo instanti, ergo cum res in primo instanti talem non habeat entitatem, vel modum, quo in existentia perseverare dicatur, & durare, poterit quoque deinceps toto tempore sequenti sine tali re, vel modo conservari, quod implicat, quia eo ipso durare diceretur, cum duratio aliud non sit, quam rei existentia continuata, & conservata. Nec putent argumentum evadere, qui hoc superadditum ponunt esse modum, & tantum modaliter distinctum, non autem ut rem a re, quia cum distinctio modi a re, cuius est modus, ita explicetur ab istis, ut possit res esse sine modo, non e contra, hoc solum salvat, quod duratio separari nequeat ab existentia, non vero quod existentia nequeat a duratione separari, & sepeparata conservari, & si potest res, imo necessario in primo instanti esse sine tali modo, poterit etiam Deus eam conservare in tempore sequenti sine tali modo, parum enim ad hoc refert, quod id quod superadditur tempore sequenti, sit res, vel purus modus.

Tum deinde, quia si istud superadditum est res, cum res quaelibet propriam poscat existentiam, & quaelibet existentia propriam habeat durationem, consequenter unius durationis alia duratio assignari deberet, quae si pariter distinguitur ab existentia rei durantis, ut res a re, aliam quoque durationem habere deberet; Nec etiam qui eam statuunt modum omnino effugere possunt, quia etsi modum nolint appellare rem, & ens, ut ens, & res id important, quod directe, & per se existit; vel saltem ita existere potest, & ut existat, non necessario peti esse alteri affixum, ut est modus; adhuc tamen concedunt, modum imbibe formaliter rationem entis realis, a quo postea existentiam non distinguunt, unde ex hoc capite etiam modus propriam habeat existentiam, esto alteri semper associatam, quod sufficit, ut & ipse propriam postulet durationem. Nec dicere juvabit, hunc modum esse, quo res durat, non quod durat, & ideo, non habere propriam durationem. Nam ex hoc sequitur, dari posse rem existentem, & dici permanentem sine duratione, quod implicat, & si semel concedatur, posse aliquam rem sic durare seipsa sine alio ex natura rei superaddito, hoc idem dici poterit, & deberit de omnibus, nec major ratio poterit asserri de una, quam de alia, & hoc est, quod nos hic contendimus, non exigi aliquid ex natura superadditum existentiae, ut res durare dicatur, sed sufficienter dici seipsa formaliter durare, & in toto rigore, si ejus existentia concipiatur, ut continuata; Tum denique quia

quia productio, & conservatio non distinguuntur ex natura rei, sed per connotata rationis, quia conservatio per se loquendo aliud non est, quam productio rei perseverans, seu continuata, ergo idem dicendum de existentia, & duratione, quæ illis correspondet, ut effectus.

6 Respondet Ruvius, quod permanentia est duplex, vel enim sumitur pro aequali dependentia substantiali ab agente non interrupta, & a Complur. permanentia fundamentalis dicitur, & sic est conservatio rei. Secundo pro continuata dependentia accidentali, quam Complur. permanentia formalem vocant, quæ ab illa substantiali causatur, & hæc est duratio ab illa realiter distincta. Contra, hæc dependentia accidentalis non videtur necessaria ad concipiendam rerum durationem, quia nihil potest dici formaliter tale per id, quod præsupponit illud esse tale, sed hæc accidentalis duratio præsupponit rem in suo esse existere, & permanere, & consequenter durare, sicut omne accidens suum subiectum supponit existens non solum in principio, verum etiam in toto tempore, quo reperitur in subiecto, ergo &c. Tum quia haberet hæc dependentia accidentalis propriam durationem, ut diximus; Tum denique res durat eo ipso, quod conservatur seculo quocumque alio, ergo permanentia fundamentalis sufficit ad rei durationem, & formalis superflua.

Tertio, quod formaliter non dicat negationem definitionis, ut quid ab existentia distinctum. Prob. ex eo, quod ait Scot. in 2. dist. 2. q. 1. ante quartam rationem pro D. Bon. cui respondendo concedit hanc propositionem, quod negatio negationis est affirmatio positionis oppositæ, quam etiam adducit d. cit. q. 9. supra M. & nos fuis probabimus disp. 4. q. 2. Si igitur per Scotum negatio negationis est formaliter affirmatio illa opposita, sequitur, quod cum destructio rei sit formaliter negatio existentie rei, tunc enim res destruitur, quando amplius non existit, negatio destructionis formaliter erit ipsamet rei existentia, & non quid negativum distinctum ab existentia. Hanc rationem profertur Moderni præsertim Hurtad. in Met. disp. 17. sect. 1. Averla quæst. 29. sect. 3. quæ etiam ratione victus Sminsch. cit. q. 2. num. 33. dixit hoc, quod est durationem addere negationem definitionis, non intelligi affirmative, quasi vere addat negationem, sed negative, seu præcive, quia non addit aliquid positivum, quod est dicere, durationem ab existentia non distingui.

Quarto, quod non dicat formaliter respectum illum permanentie, pater, quia duratio est quid reale, quia vere res existens durare realiter dicitur, at respectus iste est rationis, cum sit ejusdem ad seipsum. Tum quia sic formaliter omnis duratio successiva est, quod est falsum ex dicendis infra: Assumptum patet, quia non potest intelligi permanentia ista, nisi concipiatur esse rei ante fuisse, sed ante, & post, sunt differentie durationis successive, sicut prius, & posterius, ergo &c. modus tamen probabilis tuendi hanc sententiam infirmatur ex Scot. quæst. sequæ in explicatione definitionis æternitatis.

7 Restat ergo dicendum, quod duratio formaliter non dicat nisi existentiam rei, sed non sic simpliciter, quia aliquid addit supra existentiam, scilicet respectum coexistentie alicui durationi imaginariæ, quæ est relatio rationis, quapropter acquiritur a duratione formaliter importari, cum nullum ens rationis possit esse de ratione formalis alicujus positivi realis, ergo erit ut connotatum; unde quamvis anima Adæ, & anima D. Francisci in existentia indivisibili conveniant, nec una habeat majorem existentiam, quam altera, cum sint illa existentie indivisibiles, dicimus tamen, plus durasse animam Adæ ob hoc solum, quia pluribus partibus temporis, vel alterius imaginariæ durationis concipitur coexistisse. Quod adhuc declarari potest, nam principale significatum alicujus nominis dicitur illud, quod primo datur intelligi ex institutione imponentis nomen illud, connotatum vero, quod datur intelligi ex modo significandi principalis significati ex Scot. 4. d. 1. quæst. 2. G. & qu. 8. præd. ad prim. ut patet de nominibus prandii, & cœnæ, quæ principaliter significant comestionem, quia ad hanc significandam imposita fuerit a primo institente, sed quia non eodem modo illam significant, nam prandium illam significat tempore matutino, cœna vespertino, ideo tempus matutinum, & vespertinum dicuntur connotata illorum nominum, ergo sicut loc. cit. diximus hæc ratione productionem, & conservationem de principali significato dicere respectum realem essentialis dependentie ad causam, non tamen eodem modo, quia productio dicit hunc respectum cum respectu ad non esse præcedens, conservatio dicit eundem cum respectu ad esse præhabitu, & ideo hi respectus connotata dicuntur; ita in proposito duratio & existentia de principali significato idem omnino important, scilicet actualitatem rei extra causas vel in rerum natura, sed quia non eodem modo id significant, nam existentia rei id importat, vel absolute, vel cum respectu ad non esse præcedens, duratio vero cum respectu ad esse præhabitu, aut potius cum coexistentia ad extrinsecam durationem, hinc respectus isti eunt connotata durationis, non vero formale significatum. Notanter diximus, hunc respectum esse rationis, quæ licet in duratione creata respectus iste aliquando possit esse realis, si ad tempus reale comparatur, non est tamen necessaria hæc realis coexistentia, ut habeatur distinctus conceptus durationis rei, quia sufficit, si coexistentia intelligatur terminari ad durationem imaginariam, quo autem sensu sit respectus rationis, mox dicemus numer. 10. ad argum. Ariag.

8 Ex qua doctrina colligitur, quod quæstio illa, an scilicet

res per inflans solum existens dicatur vere durare, est quæstio nominalis, etenim si duratio secundum vim vocabuli attendatur, dicitur rei existentiam, connotando coexistentiam ad durationem successive, & sic in instanti non dicitur durare propter carentiam connotati, at si late sumatur, dicitur existentiam coexistentem etiam in instanti temporis imaginarii, & sic res instantanea durabit, & hoc modo est intelligendus Scot. cum in 2. d. 2. q. 4. arguendo contra primam opinionem dicit, quod si Angelus unico tantum in instanti existeret, adhuc duraret: colligitur etiam decisio alterius quæstionis, quomodo duratio ab existentia distinguatur, differunt enim solum penes connotatum.

Sed contra istam Conclus. arguitur; quod duratio formaliter aliquid addat supra rei existentiam; Tum quia duratio est prædicatum transcendens Deo, & creaturis conveniens, reducibile ad prædicamentum quando, sicut sapientia ad qualitatem, ergo ab existentia rei omnino distinguitur, quia hæc ad prædicamentum illius rei, cujus est existentia, reducitur. Tum 2. quia existentia separatur a duratione proprie dicta, in primo enim instanti res existit, non tamen propria duratione durat; rursum invariata manet, variata tamen duratione, quia Petrus v. g. eandem retinet existentiam, non vero semper eandem durationem, duratio quoque longa dicitur aut brevis, minor vel major, aut æqualis, non sic existentia rei. Tum 3. quia sicut se habet locatum ad essendum in loco, ita res durans ad durandum, sed locatum non est in loco per aliquid realiter sibi identificatum, sed per relationem realiter distinctam, ergo &c.

9 Respondemus, durationem ad prædicamentum quando reddi secundum id, quod connotat, non vero secundum formale significatum, quia hoc prædicamentum ex disp. 8. qu. 12. art. 2. non dicit veram relationem realem, sed potius in quadam extrinseca denominatione consistit, aut in relatione mensuræ, quæ in proposito est rationis, nam coexistentia realis cum motu primi mobilis est relatio intrinseca, non extrinseca adveniens, confurgit enim ex positione extrinsecum in quacumque distantia. Ad 2. separatur, & variatur quoad connotatum, non quoad significatum formale, hæc enim est natura connotatorum; ut sæpe dictum est, prandium, & cœna formaliter dicuntur comestionem, connotat diversa tempora, privatio, & negatio formaliter conveniunt, differunt connotative, similiter locus, & vas, & ad varietatem connotati variatur conceptus per nomen illud importatus non formaliter, sed materialiter, unde existentia separatur a duratione proprie dicta, sicut comestio ab hoc, quod est, esse serotinam, privatio ab aptitudine subiecti, & locus ab immobilitate; variatur etiam quoad connotata, quatenus a nobis dignoscitur in ordine ad durationem imaginariam, possuntque denominationes illæ ex tali comparatione de existentia dici, scilicet rem plus, vel minus existere, breviter, vel diu.

Ad 3. negatur omnimoda paritas, nam hoc, quod est, esse in loco principaliter, ordinem dicit ad aliquod extrinsecum locans, at rem esse, vel durare principaliter dicit conceptum absolutum, & in ordine ad se, licet ut a nobis adæquate concipitur, explicetur per respectum ad aliud extrinsecum, idcirco locus dicit formaliter respectum, duratio existentiam; tum quia ad hoc, ut res dicatur successive præfens alteri, & alteri spatio locali, requiritur variatio ex parte ipsius rei, & spatium immobile, & permanens intelligitur, at ut res dicatur coexistens alteri, & alteri durationi imaginariæ, res concipitur ut immobilis, & eadem perseverans, & intervallum illud durationis imaginariæ concipitur ut fluens, & transiens, quare locus formaliter erit quid de novo rei locatæ superadditum, duratio vero aliquid reperitur in re ipsa semper perseverans, qualis est existentia rei, de quo discrimine diximus in Log. loc. cit.

10 Contra istam Conclus. urgent etiam rationes; quibus in quæstionibus sequentibus in speciali impugnabimus quamlibet durationis speciem, quod non dicant existentias rerum in specie, sed quid distinctum superadditum, sicut & probationes illarum conclusionum faciunt pro præfenti conclusione. Ariag. disp. 15. Physic. sect. 1. tenet durationem modaliter a re durante distingui, verum ipsius rationes nil aliud ostendunt, nisi existentiam, ut durationem significet, debere aliquid aliud connotare, quod libenter admittimus, & tale connotatum erit respectus coexistentie jam explicatus; & ejus rationes, quas ibi rursus contra opinionem de connotatis urget, sapius a nobis variis in locis dilata sunt, & præsertim superius disp. 4. n. 7. modum eas dissolvendi docuimus, ubi etiam notandum est illas easdem rationes contra ipsum concludere negantem relationes prædicamentales; probat enim præter extremam existentiam, debere aliquid aliud admitti distinctum ab extremis, quo extrema formaliter denominatur similia, aqualia, &c. sed dicit tempus imaginariæ est purum nihil, ergo ex connotatione ad illud non potest desumi nova realis denominatione majoris, vel minoris durationis; quia denominatio realis est entitas realis, ergo nequit esse sine nova entitate reali, quale non est tempus imaginariæ. Resp. neg. conseq. quia ex dictis in Log. disp. 8. quæst. 6. art. 1. potest dari respectus realis, saltem secundum quid, ad non ens. Ad probationem dicimus denominationem illam sumi ex novo respectu coexistentie continuo succedente ad durationem imaginariam, qui dici potest respectus realis, quatenus distinguitur a mero respectu rationis per actum intellectus causato, & ratione fundamenti, ut notat Scot. quol. 13. Jit. P. & Licher. ibi, eo modo, quo privatio, & denominationes extrinsece dicuntur reales, ut dictum est in Log. d. cit. de

cit. de Relat. & hac ratione etiam ex parte connotari potest una duratio dici major alia vere, & realiter, nam in sententia nostra tam erit realis iste respectus coexistentie ad durationem imaginariam, quam realis est in Recentiorum sententia præfentia ad spatium imaginariæ; cur autem duratio non dicatur respectus coexistentie ad divinam æternitatem, ut virtualiter divisibilem; sicut coexistentia localis dicit respectum ad divinam immensitatem virtualiter divisibilem, juxta dicta disp. 11. dicemus disp. seq. qu. 1. art. 2. in fine.

Sed iterum dices, si ex respectu coexistentie ad plus vel minus temporis imaginarii dicitur Pater v. g. plus durasse filio, ergo debet ad illum respectum præsupponi aliquid fundamentum reale, ratione cujus duratio sit major in parte quam in filio, sed illud fundamentum non est ipsamet existentia præcive absque aliquo alio reali distincto, quia in utroque æqualis est, ac indivisibilis, ergo debet aliud connotatum distinctum ab illo respectu assignari pro duratione, quo semel assignato superfluum erit respectus ille coexistentie, nam solum illud connotatum sufficit, ut res a parte rei duret tandem, vel tandem. Respond. hoc argumentum si valet, probare etiam æternitatem realiter a Deo distingui, nam Deus utique plus duravit ab æterno usque ad hodiernum diem, quam usque ad tempus Incarnationis, & si dicas plus durasse, quia pluribus partibus imaginariæ durationis coexistit; tunc queritur cur pluribus temporibus partibus coexistit post Incarnationem, quam ante, & hoc erit fundamentum illius majoris, vel minoris coexistentie, hoc autem nequit esse sola existentia Dei, quia ante, & post æqualis est, & indivisibilis, ergo erit aliquid realiter distinctum ab ipsa; dicimus itaque Patrem ex eo plus durasse filio, quia pluribus partibus temporis coexistit, neque in parte, aliud fundamentum realiter ab ipsa existentia distinctum debet assignari illius coexistentie. Ratio enim, cur fundat pater majorem coexistentiam; est præcive, quia ipso existente plures temporis partes fluxere, quam existente filio, quamvis enim existentia sit indivisibilis formaliter, est tamen divisibilis virtualiter, & per hanc divisibilitatem virtuales majorem, vel minorem, potest dici res fundare majorem, vel minorem coexistentie respectum, nec alia ratio fundandi excogitari potest ex parte rei durantis.

Dices, ratio, cur unum corpus occupet majorem locum, est, quia majorem habet molem, quam aliud, ergo sic in proposito. Ratio cur pater occupet majus spatium durationis, est, quia in sua existentia habet quid amplius, quam habet filius in sua. Resp. coexistentiam rei permanentis, quæ dicitur plus durare, vel minus, magis assimilari coexistentie rerum spiritualium ad locum, quam corporalium; unde sicut ratio, quare Angelus superioris ordinis majorem locum occupet, quam Angelus inferioris, non est ob majorem substantiam formaliter, vel virtualiter, quia nimirum substantia unius est plus divisibilis, & extensibilis per spatium virtualiter, quam substantia alterius; sic in proposito ideo una res dicitur magis a parte rei durare, altera, quia coexistit majori spatio temporis, & si rursus queras cur coexistit majori spatio temporis, responderetur, quia ejus existentia est magis virtualiter extensa per spatium temporis quam existentia alterius, eo prorsus modo, quo discurremus de majori, vel minori coextensione rerum spiritualium ad locum.

QUESTIO II.

Explicatur prima durationis species, quæ est Æternitas.

11 **A**ternum multipliciter dicitur, primo, pro eo, quod rei inseparabiliter convenit, ut passio respectu subiecti, unde propositiones necessarie dicuntur æternæ veritates, secundo, pro re antiqua, vel diutius durante, unde Psalm 76 *Cogitavi dies antiquos, & annis æternis in mente habui, & Gen. 17. Dabo tibi, & semini tuo omnem terram Chanaan in possessionem æternam*; Tertio, pro re sine carente, quomodo Matth. 25. altera vita, æterna vocatur. Quarto pro re carente principio, & fine, sed dependenter ab alio existente, ut si aliqua creatura fuisset ab æterno a Deo creata. Quinto pro re, principium, & finem durationis non habente, & hoc omnino independenter ab omni alio, & hæc est propriissima acceptio, & de æternitate in hoc sensu breviter querimus, quid formaliter dicat.

Juxta diversitatem opinionum de formalitate durationis in communi in præced. quæst. relatarum, varie quoque auctores sentiunt de æternitate: Multius vero, est formalitatem durationis in existentia asserat consistere, æternitatem tamen in ratione mensuræ divini esse constituit, ita quæst. 3.

12 Consequenter tamen est dicendum, æternitatem formaliter nec dicere rationem mensuræ, neque negationem destructionis divini esse tam actualis, quam possibilis, neque formalitatem quandam positivam ab existentia divina distinctam ex natura rei, sed realiter dici existentiam divinam connotando respectum aptitudinalem necessario ab intrinseco coexistendi cuicumque temporis differentie; ita Scot. quol. 6. R. ubi est probabile putat, addere formaliter æternitatem supra existentiam triplicem negationem, definitionis, successione, & dependentie, problematice tamen ibi loquitur, & utrumque affirmat; quod totum probatum manet ex præced. quæst. sed adhuc ex ratione specialis ipsius æternitatis probatur. Tum quia non potest dicere rationem mensuræ activæ, quia vel *Mastri, & Belluti Tom. II. Physicæ.*

mensuraret esse divinum, vel esse creaturarum; non primum, quia mensura debet esse mensuratio homogenea 10. Metaph. cap. 3. sic pondus pondere mensuratur, longitudo longitudine, non vero pondus longitudine, sic duratio duratione mensuratur, ergo æternitas non mensurat esse divinum quod in intensiva perfectione consistit, æternitas vero quasi quædam perfectionem dicit: neque esse creaturarum, nam quamvis ab aliquibus Patribus æternitas mensura soleat appellari, quatenus per illam metimur durationes creatas per comparationem secundum excessum infinitum ex parte æternitatis, attamen ut sic non respicit Deum sed creaturas, æternitas autem est intrinseca Dei duratio. Tum quia non potest dicere illas negationes, nam quamvis aliqua illarum sint vere reales negationes, sicut est negatio dependentie, & successione, attamen quia duratio in communi negationem formaliter non dicit, sed existentiam, ita æternitas, quæ velut species se habet sub tali duratione, & solum negationes illæ inserviunt ad circumscribendam differentiam constitutivam æternitatis, & a cæteris durationibus divisivam, eo vel maxime quod negatio definitionis, in qua præcipue duratio consistere deberet, est quid positivum.

13 Quare æternitas formaliter dicit existentiam divinam secundum id, quod dicit reale a parte rei, non quidem ut sic simpliciter, sed ut potestatem coexistere cuicumque differentie temporis etiam imaginarii necessario, & independenter ab alio, sicut immensitas dicit esse divinum, ut potens coexistere cuicumque reali, & imaginario loco: & in hoc sensu explicat Scot. quol. cit. definitionem æternitatis traditam a Boetio 5. de Consolatione Philosophiæ Prosa 6. dum dicit, *æternitas est interminabilis vita tota simul, & perfecta possessio*; in qua definitione primo ponitur *vita*, quæ accipitur pro existentia actuali, poniturque, inquit Scotus, tanquam connotatum, quia quasi subiectum, vel fundamentum æternitatis, quod non est intelligendum, ut existentia non sit vere, & proprie formalitas æternitatis, sed secundum nostrum intelligendi modum, quatenus scilicet concipimus tunc æternitatem habere rationem completam, cum supra existentiam relationem illam aptitudinalem coexistentie intelligimus fundari, quæ sit veluti forma ipsius, quomodo privatio, ut sic, dicitur addere supra negationem aptitudinem subiecti, vel dic, quod sicut Scot. quol. 12 probabile putat, creationem, & conservationem formaliter inter se differre, puta quod creatio dicat respectum ad non esse immediate præcedens, conservatio ad esse præhabitu, & convenire in connotato, scilicet in relatione dependentie effectus ad causam, & existentia rei, & duratio adinvicem comparantur ut productio, & conservatio ejusdem rei ex eodem in 2. dist. 2. quæst. 1. § *Qui vult tenere primam opinionem* &c. sic in tali sensu est quol. 6. locutus, indicans modum aliam tuendi opinionem, quod existentia sit connotatum durationis, coexistentia formale significatum. Secundo, dicitur *interminabilis*, idest potens coexistere cuicumque durationi sine principio, & fine. Tertio, *vita simul*, idest sine variatione, & successione. Quarto *perfecta possessio*, idest non dependere in existendo, sed a seipso simpliciter, & necessario existere.

Ex qua doctrina deducitur, æternitatem esse veram, & propriam solius Dei durationem, vere Deus enim æternitate existit, & permanet in esse, quæ est ratio durationis, & nulla creatura potest sic existere, & durare, neque enim est audiendus Aureol. qui 1. Sentent. dist. 9. part. 2. art. 2. negat æternitatem veram durationis rationem habere, eo quia, inquit ipse, omnis duratio successiva est, nulla permanens; quod esse falsum commodius quæstione sequent. demonstrabimus, ubi de duratione angelica agemus.

14 Sed contra prædicta arguitur primo, quod æternitas formaliter non dicat existentiam divinam. Tum quia nullo intellectu cogitante inter attributa Dei numeratur, ergo existentiam formaliter non dicit, quæ est prædicatum quidditativum Dei, non attributum. Tum secundo, quia secundum id, quod divina existentia addit, dicit maximam perfectionem, ergo ut sic nequit dicere respectum rationis, qui nullam dicit perfectionem. Tum tertio, quia æternitas dicit uniformitatem manendi perpetuam in eodem esse, sed ratio uniformitatis cum significet unitatem in forma, est positiva, ergo &c. Resp. ex Scot. quol. sæpe cit. æternitatem secundum id, quod dicit a parte rei, non distingui ab existentia, nec esse attributum, sed prædicatum quidditativum; dicitur autem attributum secundum id, per quod a nobis explicatur, & connotat, scilicet propter respectum coexistentie, & negationes annexas explicantes differentiam ab æternitate alius durationibus. Per idem ad 2. dicit enim ex natura rei maximam perfectionem, quatenus dicit perfectissimam existentiam. Ad tertium uniformitatis manendi in esse nihil aliud est, quam idem esse permanens, & non variatum, non vero quid reale positivum superadditum.

Secundo, arguitur contra indivisibilitatem æternitatis. Tum quia quod æternitati semel coexistere, toti æternitati coexistere, & sic res in tempore creata ab æterno fuisset; ergo falsum est, æternitatem partibus carere. Tum secundo, quia non vere de Deo a Scripturis, & PP. enuntiantur differentie temporis, scilicet fuit, est, & erit, cum nihil in Deo præteritum est, vel erit futurum. Tum tertio, quia jam duo contradictoria simul essent vera pro eodem nunc æternitatis indivisibilis. Si dicas non esse in convenienti verificari in eodem nunc alterius ordinis, qualis est æter-

est aternitatis. Contra, non per hoc desunt esse contradictoria, cum sint de contradictoriis predicatis dictis de eodem respectu ejusdem, & secundum idem, ergo vere nequeunt esse. Tum quarto, quia plus Deus existit ab aeterno usque nunc, quam usque ad tempus Incarnationis Domini, ut pater, ergo existentia ipsius indivisibilis non est.

15 Resp. ad primum, quod toti aternitati coexistere, non totaliter, quia aternitas, licet formaliter sit indivisibilis, virtualiter tamen est divisibilis, quatenus aequivalat infinita durationi successivae, sicut caput est praesens toti animae, non tamen totaliter, & ideo negatur, rem in tempore creatam fuisse ab aeterno. Ad secundum, differentiae temporis de Deo enunciantur, quatenus per eandem indivisibilem existentiam formaliter, sed virtualiter divisibilem coexistit illis, quae coexistentia est vere successiva, seu ut talis concipitur, quia est relatio, quae non insurgit nisi postis extremis. Ad tertium dicimus, contradictoria verificari in aternitate, non tamen secundum eandem coexistentiam ad tempus imaginarium propter virtuales divisionem, quam habet aternitas, sicut anima rationalis, ut in oculo videt, ut in manu non videt, quae de eadem anima simul verificantur, sed non secundum eandem praesentialitatem ad corpus. Ad quartum, plus existit propter majorem coexistentiam ad illud tempus, non propter augmentum existentiae, ut fufius dicemus quaest. seq. de aeterno.

Tertio, quod Deus non dicat coexistentiam ad omnes temporis differentias, ex Aureol. 2. dist. 36. part. 1. art. 1. Tum quia Deus est ab omni tempore abstractus, & supra omne tempus secundum August. lib. de Vera Rel. cap. 49. *In ipsa aternitate nulla spatia temporis*, & Anselm. in Profol. cap. 19. *Simpliciter es extra omne tempus*, & Monolog. 20. *transis omnia tempora, & semper es ultra illa*; ergo tempori nequit coexistere, quia coexistentia est quasi unio coexistentium. Tum secundo, quia quae coexistunt, debent coexistere in quadam communi mensura, at nunc fluens, quod est temporis mensura, neque esse mensura aternitatis, quae est permanentis. Tum tertio, quia praesens nequit esse praesens praeterito, & futuro, sicut punctum non coextenditur toti lineae, at aternitas semper est praesens. Tum quarto, quia in Deo omnia sunt praesentia, & non datur praeteritum, & futurum, ergo Deus non coexistit omnibus differentis temporis. Antecedens probat. ex August. 5. de Trinit. cap. 16. *Apud Deum nec praeterita transierunt, & futura jam facta sunt*, & in illud Psalm. *Pulchritudo agri mecum est*, ait, *cum illo erant omnia futura, & cum illo sunt omnia praeterita*, quod passim alii Patres dicunt. Tum quinto, quia tempus infinitum a parte ante repugnat, ut dicemus disp. seq. ergo aternitas non dicit coexistentiam ad tempus infinitum.

16 Resp. Deum vere temporis coexistere, quia est simul cum eo, hoc enim est coexistere alteri, sic habetur ex Scripturis Prov. 8. *Quando preparabas caelos, aderam, cum eo eram cuncta componens*; & Anselm. in Monol. cap. 22. loquens de divina substantia, ait, *neesse est, eam simul totam in omnibus locis, ac temporibus praesentem esse*, & Profol. cap. 20. ait, *tempus semper esse praesens Deo*; & August. tract. 49. in Joan. docet, vere de Deo omnes differentias temporis dici, quia cum omnibus immutabiliter manet, quod etiam docet Scot. 1. dist. 9. in fine, & dist. 40. ad primum, & quol. 6. Ex quo sequitur, ut idem docet in 1. dist. 39. in fine, & in 2. dist. 2. qu. 1. infra F. Deum ita coexistere, ut non simul omnibus coexistat, (ut asserunt Thomistae, explicantque exemplo linearum, quae licet inter se distent, uniantur tamen in centro; partes corporis inter se distantes toti animae sunt praesentes, & homines per viam transeunt, quamvis distent ab invicem, sunt tamen omnes praesentes intuenti e turri totam viam.) Ratio est, quia coexistentia est relatio realis in creatura existente fundata, res autem, & tempus non existunt in se ab aeterno, aliter de novo non producerentur; quare non est eadem omnino coexistentia semper, sed mutatur ad mutationem creaturarum; ratione cujus denominatio coexistentiae in Deo etiam advenit de novo, quia non dicit aliquid reale in ipso, sed simplicem denominationem extrinsecam. Neque exempla adducta urgent, immo oppositum ostendunt, ut pater de partibus corporis, quae non eadem praesentialitate sunt animae praesentes, & in corporis formatione, & animatione partes, quae non existunt, non dicuntur animae praesentes; linea quoque, si ad circumferentiam non essent potentia, non possent dici centro unitae, & homines per illam viam non transeunt actu non essent speculatori praesentes, sic partes temporis, & futura, ac praeterita, quae non sunt, non poterunt dici aternitati praesentia.

Ex qua doctrina sic summam adducta, cum sit negotium theologium, respondetur ad primum Deum, ut absolute existit, & secundum intrinsecam existentiam abstrahere a tempore, quia non durat tempore, & hoc voluerunt innuere Patres, non vero abstrahit a tempore secundum coexistentiam, quod etiam de Angelo dicendum, qui tempore non existit, sed coexistit temporis, cum hac tamen differentia, quod Angelus non coexistit necessario omni differentiae temporis, sicut Deus; & coexistentia inter Angelum, & tempus reale est relatio realis mutua, at inter Deum, & tempus est non mutua, eum sit tantum ex parte temporis realis. Ad secundum nego major, sufficit enim ad coexistendum simul esse, non vero communi mensura commensurari. Ad tertium, quod est formaliter, & virtualiter indivisibile, ut est punctum, non potest divisibili coaequari, non sic formaliter indivisibile, sed di-

visibile virtualiter, ut est aternitas, idem de Angelo, & Anima, quoad extensionem localem dictum est disp. 11. Ad quartum sunt omnia Deo praesentia in esse objectivo, & prout ly semper se tenet ex parte cognitionis divinae, non ex parte rerum, & hoc tantum volunt Patres, ut salvent immutabilitatem Dei quoad cognitionem, non vero in esse reali, & coexistentiae. Ad quintum aternitas, nec potuit dicere coexistentiam realem tempori infinito, quia nec a parte ante potuit esse infinitum tempus reale, nec erit a parte post infinitum tempus pertransitum, sed semper finitum in infinitum potuit esse, vel poterit, attamen ex parte Dei est sufficiens fundamentum, ut possit cuicumque tempori in infinitum coexistere, per quod recte explicatur a nobis infinitas quasi extensiva aternitatis in duratione.

QUESTIO III.

Declaratur secunda durationis species, quae est aeternitas.

17 **A**eternitas sonat ac saeculum, & aliquando cum aeternitate confunditur, communiter tamen apud Theologos solet accipi pro duratione alicujus entis creati praecipue Angeli, qua ratione aeternorum nuncupatur, ab aternitate, & tempore distincta, ut autem rationem formalem ejus explicemus pingui Minerva (est enim res potius theologica, vel saltem metaphysica) oportet primo ostendere differentiam, qua ab aternitate distinguitur. Secundo differentiam qua a caeteris durationibus differit.

Quoad 1. Morif. disp. 6. Phys. qu. 4. & Perer. lib. 12. cap. 7. videntur asserere, differentiam esse, quia aternitas est duratio sine principio, & sine fine, aeternitas tamen habet principium sine fine. Alii, quod aternitas sit duratio omnino permanens, & rei simpliciter invariabilis, at aeternitas est duratio successiva, & variabilis in se, absque tamen innovatione, & successione existentiae rei durantis, sed eadem indivisibilis permanens, ita D. Bon. 2. dist. 2. art. 1. qu. 3. citatur etiam Murcia 4. Phys. disp. 3. qu. 3. ab hac opinione parum distat Hurrad. in Met. disp. 17. sect. 3. & 4. dum ait, durationem quamlibet creatam includere formaliter successione praeter existentiam rei, probabilem etiam putat Scot. 2. dist. 2. qu. 1. & cum eo aliqui Scotistae, praecipue Vulp. 2. part. disp. 9. art. 5.

Quoad 2. Thomistae, praecipue Cajetan. 1. part. qu. 10. art. 1. asserunt, aeternitas ab aliis durationibus, quale est tempus, differre, eo quia tempus mensurat res, quae acquiruntur, & deperduntur per motum, & mutationem, ut sunt substantiae, & accidentia materialia naturaliter defectibilia, aeternitas vero mensurat, quae sunt naturaliter incorruptibilia, & solum a Deo destructibilia, ut sunt Angeli, Coeli, & materia prima; addunt tamen, Angelorum operationes immanentes, quamvis motu, & mutatione acquirantur, & deperdantur, non durare tempore nostro, sed discreto; per tempus discreto intelligunt durationem plurimum entium sibi invicem immediate succedentium; dicunt enim intellectiones Angelorum dupliciter spectari posse, primo per se, & seorsim, secundo pro tota collectione; si primo modo duratio utriusque dicitur instantis temporis discreti, quia est duratio quadam indivisibilis; si secundo modo, tunc duratio totius collectionis illarum operationum appellatur tempus discreto; tempus quidem, quia in eo certitur prius, & posterius, quatenus ex his actibus alii praecedunt, alii subsequuntur, discreto vero, quia hi actus non continuo, & successive, sed indivisibiliter, & discrete sibi invicem succedunt; unde tempus discretum non consistat ex partibus continuis, & instantibus copulativis, ut tempus continuum, & successivum, sed solum ex instantibus tanquam ex partibus, quae & diu possunt durare, & raptim transire juxta exigentiam illorum actuum; tandem addunt, res supernaturales ordinis, ut sunt visio beatifica, lumen gloriae, & alia dona supernaturalia, durare aternitate participata; ita ut aeternitas a tempore nostro distinguitur per hoc, quod est duratio rei immediate a Deo producibilis, & destructibilis a tempore discreto, eo quia est rerum sibi invicem non succedentium, & ab aternitate participata, quoniam non est duratio rei supernaturalis.

18 Quamplurimi aliter distinguunt, quod res, vel sunt immediate a Deo destructibiles, ut Angeli, & Coeli, & materia prima, entia supernaturalia, & similia, & haec aeternitas durabunt, vel naturaliter defectibiles, ut caetera entia & haec duratione quadam media dicuntur durare inter aeternum, & tempus, quam Suar. in Methaph. disp. 50. sect. 7. & Ruvius. 4. Phys. tract. de Tempore, speciem inordinatam dicunt esse, Amicus vero tract. de Temp. quaest. 2. dub. 4. quaest. 9. Morif. disp. 6. quaest. 4. cum Hervaeo quol. 2. quaest. 12 instantis temporis discreti appellat, & ab Averfa qu. 29. sect. 5. tempus permanentis nominatur, sub tempore in communi tanquam sub genere contentum; quapropter secundum istos aeternitas ab aliis differit, quia est duratio permanens rei naturaliter indefectibilis, tempus est duratio successiva, species vero media est duratio permanens rei naturaliter defectibilis.

Nec minor dissensio est inter Scotistas, nam aliqui asserunt, ut Vulpes 1. part. disp. 17. art. 5. quod permanentia vel indivisibiliter acquiruntur, & amittuntur, ut sunt substantiae omnes, & accidentia sere omnia spiritualia, & haec aeternitas intrinsece durat, vel divisibiliter, & per partes acquiruntur, ut accidentia materialia,

lia, & ista duratione quadam media permanent in rerum natura, unde differentiam sumunt penes permanentiam, & indivisibilitatem acquisitionis rei durantis, per permanentiam aeternitas a tempore distinguitur, per indivisibilitatem acquisitionis, & deperditionis ab ista media duratione, quae a tempore distinguitur ab permanentiam partium, ubi tempus est essentialiter successivum. Alii indiscriminatim loquuntur, omnia scilicet aeternitate durare, praeter successiva essentialiter, quae tempore durant, quod avet Smifinch. tract. 2. disp. 4. qu. 2. num. 40. & sequent. dividit in duas species aethomas, prima durare dicuntur res ab intrinseco, & potentia physica corruptibiles, ut sunt substantiae ex materia, & forma constantes, secunda reliqua omnia permanentia, ut formae substantiales, & accidentales, materia prima, Angeli, &c. sive naturalia entia sint, sive supernaturalia, sive ab agente creato, sive a Deo tantum sint destructibilia, eo quod omnia sunt eodem modo destructibilia, non quidem ab intrinseco, & potentia physica, sed ab extrinseco, & potentia objectiva. Quae species durationis ab istis Doctoribus assignatae, ut tempus, aeternitas participata, duratio media, instantis temporis discreti, &c. fere ab omnibus ponuntur species specialissimae durationis in communi. Ut autem in tanta varietate breviter nostram sententiam aperiamus, primo videbimus de differentia aevi ab aternitate, secundo de differentia ab illis durationibus.

ARTICULUS I.

Ostenditur differentia aevi ab aternitate.

Dicimus, differentiam, qua aeternitas ab aternitate differit, esse, quod aternitas est duratio rei permanentis necessario, & simpliciter coexistentis cuicumque temporis differentiae, at aeternitas est duratio permanentis rei secundum totum, & non per partes post partes existentis, & consequenter potentis coexistere etiam cuicumque temporis differentiae, si ab aeterno fuisset producta, non tamen necessario, & simpliciter, sed contingenter, & ab extrinseco; Est communis cum Scot. 2. dist. 2. qu. 4. & probat. ex configuratione aliarum opinionum, & primo, quod non differat penes habere principium, quia ut notat Scot. 2. dist. 1. qu. 3. §. *Tenentes ante in primam opinionem* &c. si creatura aliqua fuisset ab aeterno producta, principio caretet durationis, & tamen aternitate non duraret, sicut Deus, nec aternitas propria Dei illi conveniret, quia adhuc dependens esset intrinsece a Deo.

Secundo, quod neque differat secundum successione, probat auctoritate Scot. 2. dist. 2. qu. 1. ubi est probabilem putat opinionem Div. Bon. probabiliorum tamen oppositam existimat. Tum quia duratio non est ab existentia rei distincta, ergo si existentia Angeli est indivisibilis, & permanens, etiam permanens est duratio. Tum quia dato, quod realiter ab existentia distinguitur, adhuc nequit esse successiva, quod probat Scot. §. *Sed contra conclusionem* &c. vel istud aeternitas est forma absoluta adveniens angelicae existentiae, vel respectiva; si primum, ergo sicut quilibet forma absoluta, quamvis successive acquiratur, potest tamen in instanti acquiri, & diu permanere, ut patet de calore, frigore, &c. ita poterit Deus formam istam simul producere, ipsamque conservare, & sic successiva non erit; Et adhuc vel permanet pars prior, & sic esset frustra, quia Angelus solummodo actu durare formaliter diceretur per partem de novo adveniente, essetque fere immensa, cum continue augeretur; neque successiva per se dici poterit, cum possit simul secundum partes manere; vel pars prior petit necessario adveniente posteriori, & sic potius respectiva erit, quam absoluta; si intrinsece petit, & ordinem dicit ad durationem extrinsecam, sicut universaliter disp. 15. probabitur, quantitate successivam non esse formam absolutam vere de predicamento quantitatis, sed potius respectum; si vero ponatur istud aeternitas respectus quidam successivus, ut dicunt aliqui Scotistae, vel erit respectus conservationis ad Deum conservantem, vel respectus coexistentiae ad durationem extrinsecam; non primum, quia est respectus realiter cum entitate Angeli identificatus; tum quia nequit iste respectus esse novus, & successivus sine novitate termini; nam si conservatio esset actio nova a creatione distincta, inciperet in tempore, & per ultimam non esse, quod erit instantis creationis, sed hoc est falsum, quia ut disp. seq. dicemus, nullum indivisibile potest in tempore produci, ergo neque conservari nova, & totali actione, quae tempori coexistat. Probat. consequentia, ista totalis actio si est in tempore, vel est divisibilis in partes, & sic in priori parte temporis esset pars actionis, & consequenter pars entitatis angelicae, quod implicat, vel est indivisibilis, & sic non esset successiva, sed permanens; neque potest esse respectus coexistentiae; tum quia est connotatum durationis; tum quia potest Deus omnia destruere praeter unum Angelum, quo casu solum coexistentiam ad Deum diceret, quae est realiter identificata, & indivisibilis, ut dicemus quaest. seq. qu. 1. art. 2. in fine; coexistentia vero ad durationem imaginariam non est respectus realis simpliciter. Ex quibus ostenditur etiam falsitas opinionis Hurr. ex eo, quod tam existentiam, quam istum respectum successione de formalitate creatae durationis ponit; non enim esset unum per se, sed per accidens; tum quia etiam in aternitate iste respectus reperitur, & omnia argumenta, quae adducit ad probandum, successione intrinsecam esse durationem creatae, retorqueri possunt contra aternitatem. Quae *Mastrii, & Belluti Tom. II. Physice.*

propter concludendum, aeternitas ab aternitate distingui penes hoc, quod supra durationem permanentem indivisibilem addit defectibilitatem ab intrinseco, quod etiam patet, quia duratio dicit permanentiam rei in esse, ergo ex diverso permanenti, & existendi modo ab intrinseco debet sumi diversitas specifica durationis, talis est modus assignatus, ergo &c.

20 Contra istam conclus. arguitur a Scoto, ostendendo, aeternitas successivum intrinsece esse; primo multis Sanctorum Patrum auctoritatibus, quibus hoc, quod est carere praeterito, & futuro, & totum esse simul habere, soli aternitati tribuuntur; & Div. August. super Gen. ad lit. lib. 8. cap. 19. vult, quod sicut aer respectu Solis non est factus lucidus, sed fit lucidus, ita creatura se habet respectu Dei, ergo si creatura respectu Dei est in fieri formaliter, ponitur continuo in esse nec totum simul esse habet. Tum secundo, quia actio conservativa Dei fit continuo, & successive in tempore, ergo & esse creaturae permanentis. Antecedens probat. illud non habetur complete aliqua causatione, cujus oppositum videtur adhuc posita tali causatione, sed posita causatione, qua Angelus hodie producitur in esse, potest Angelus non habere esse cras, ergo cras non habet esse illa causatione, sed alia. Tum tertio, quia non potest idem esse simul in actu, & in potentia respectu ejusdem formae, sed Angelus nunc est in potentia, ut duret cras, est vero in actu respectu durationis hodiernae, ergo si esset eadem duratio, esset simul in actu, & in potentia respectu ejusdem durationis. Tum quarto, quia in eo, quod habet totum esse simul, idem est fuisse, esse, & fore, sed quod fuit, impossibile est non fuisse, ergo si in Angelo idem fuit fuisse, & fore, impossibile est Angelum non fore, quod est falsum.

Resp. Scot. Patres ideo praeteritum, & futurum creaturis omnibus tribuere, soli Deo permanentiam, propter defectibilitatem, quam intrinsece habent, & potentiam ad non esse, unde possunt coexistere, & non coexistere temporis differentis, & hac ratione dicuntur non habere totum esse simul, non quod omnes creaturae successive se habeant ad existendum. In speciali ad Div. August. ait, creaturam esse in continuo fieri respectu Dei, non quia sit nova actio continuo succedens, sed quia eadem actio semper manet, indivisibiliter tamen, diciturque continuata, non continuatione intrinseca, sed extrinseca, per coexistentiam, scilicet ad tempus reale, vel imaginarium.

Ad secundam negatur antec. cum probatur, distinguit majorem; in sensu composito, id est, quod stante illa causatione simul etiam ster oppositum causati, concedit, in sensu diviso, id est, quod simul non stet, sed possit stare, negat modo posita causatione hodierna Angeli, potest stare non esse Angeli cras, non simul cum causatione, sed divinum, ideo est eadem actio. Ad tertiam non est impossibile, idem esse simul in actu, & in potentia respectu ejusdem formae, sed non est secundum eandem habitudinem ad tempus, sicut venit in Angelo respectu propriae durationis in ordine ad hodiernum, & crastinum diem. Ad quartam distinguit majorem si per ly fuisse, esse, & fore intelligatur existentia Angeli, ut sic, concedit, si vero ut substantiat illis coexistentis ad partes temporis praeteritas, praesentes, & futuras, negat, sic ad minorem dicendum, quod fuit specificative, non potest non fuisse, negatur, quia existentia illa ponit non fuisse, si a Deo non fuisset productus Angelus, reduplicative conceditur, nam quod fuit ut sic, non potest non fuisse, ideo negat. consequentia, quoniam, non necessario convenit Angelo fuisse absolute loquendo.

21. Secundo ad idem, potuit Deus in aternitate velle creare unum Angelum, & postea destruere praescindendo a quocumque tempore, ergo si nunc aevi est indivisibile, vellet duo contradictoria in eodem nunc. Idem potest duos Angelos creare, unum post alterum, & idem Angelus habere unum actum, postea oppositum, ergo vere in Angelis datur prius, & posterius, & successio. Rursus circumscripto tempore, potest Angelus creati, postea annihilari, & denuo reproduci, sed esse reproductum non est ita unum cum esse creato, sicut si nulla interruptio fuisset, aliter ita unum esset aliquid interruptum, sicut non interruptum, ergo in alio nunc erit illud esse reproductum, & in alio esse creatum, ergo hoc si mansisset sine interruptione, fuisset in alio, & in alio nunc, quoniam tanta est mora non tendentis, poterit tamen tendere, quanta esset, si actu tenderet.

Respondet primo, quod vellet illa contradictoria in eodem nunc aevi, non eodem modo, sed esse nunc positive, scilicet, quod simul sit cum illo nunc, non esse vero in eodem nunc negative, quatenus potuit velle, illud nunc cum Angelo deficere. Secundo ait, velle contradictoria illa in eodem nunc, non secundum eandem praesentialitatem aternitatis virtualiter divisibilis, sed secundum aliam, & aliam, quod non implicat; idemque argumentum posset de aternitate fieri: per idem ad aliud dicitur, dari prius, & posterius non intrinsece in esse Angeli, sed extrinsece per aliam, & aliam coexistentiam ad durationem extrinsecam successivam, saltem imaginariam. Respondet quoque ad 3. idem omnino esse dici productum, & reproductum, & solum esse interruptum, quia oppositum, scilicet non esse, successit opposito, scilicet esse, quae interruptio non foret, si permaneret in esse; nec idem erit creatum, & reproductum in eodem nunc simul, sed secundum diversam coexistentiam, ut diximus; praeterquamquod implicat praescindere ab omni tempore, & postea prius, & posterius, quae successione, & temporis sunt differentiae, intelligere.

22 Tertio si hoc esset, ergo avum angelicum esset formaliter infinitum; Probatur, Angelus per infinitum tempus durabit, ergo si modo habet totum avum, per quod infinito tempore coexistat, erit avum istud infinitum, quia finitum requirit infinito simul adequari. Tum secundo, quia negatio negationis est affirmatio positionis, ergo si per avum Angelus habet infinitas negationes negationum, scilicet negationes non coexistentiam cum infinitis instantibus temporis, ergo habebit infinitas positiones, scilicet existentias, vel unam virtualiter infinitam. Tum tertio, quia si Angelus haberet, unde posset coexistere omni loco possibili, esset immensus, et si propter loci defectum non coexistere, ergo quia potest infinito tempore a parte post coexistere, erit infinitus. Neque dicas, non concludi infinitatem, eo quod non habet hoc esse a se, & independenter; nam licet non esset a se infinitus, formaliter tamen esset infinitus, quia in se habetur, unde posset toti tempori coexistere, quamvis non a se effective. Tum quarto, quando aliquid est tantum in actu, quantum aliud est in potentia, si unum est infinitum in potentia, alterum est infinitum in actu, si avum esset permanentes, esset in actu, quantum tempus esset in potentia, quomodo est infinitum, ergo, &c.

Resp. neg. sequelam, ad probat. negat quoque conseq. Ad primam probationem ait, verum esse assumptum de infinito permanente, non de successivo, & syncategorematico. Ad secundam, & tertiam ait, non concludere infinitatem, eo quia non habet necessarium, unde posset infinitas coexistere, sed ab alio per continuam causationem, & eandem conservatam; tum quia illa infinitas negationes negationum nihil aliud dicunt, nisi infinitas coexistentias infinitis instantibus temporis, quae simul non sunt in Angelo sed successive, & tantum in Angelo simul reperitur fundamentum potens fundare relationes illas coexistentias, nam est avum successivum esset, substantia tamen Angeli adhuc coexistere tempori infinito; ex quo non arguitur infinitas aliqua, sicut neque in materia, quia potest infinitas formas successive recipere, dicitur infinita intensive. Exemplum de immensitate non urget, quia nec proprie diceretur immensus, quia non a se, sed ab alio esset in omni loco, ut habet Doctor 4. dist. 10. q. 2. R. Neque impugnatio aliquid valet, quia ad veram infinitatem requiritur independentia, solum posset concludi infinitas quaedam in avo, non intensiva, & positiva, sed negativa, & extensiva successive, quatenus nihil recipiens de novo potest infinito tempore coexistere, si conservaretur a Deo. Ad quartam ait Basol. majorem esse veram de illis, quae sunt ejusdem rationis, ut essent duae lineae, una in potentia, altera in actu; non ita sunt tempus, & avum. Exemplum de immensitate non urget, quia nec proprie diceretur immensus, quia non a se, sed ab alio esset in omni loco, ut habet Doctor 4. dist. 10. q. 2. R. Neque impugnatio aliquid valet, quia ad veram infinitatem requiritur independentia, solum posset concludi infinitas quaedam in avo, non intensiva, & positiva, sed negativa, & extensiva successive, quatenus nihil recipiens de novo potest infinito tempore coexistere, si conservaretur a Deo. Ad quartam ait Basol. majorem esse veram de illis, quae sunt ejusdem rationis, ut essent duae lineae, una in potentia, altera in actu; non ita sunt tempus, & avum.

23 Quarto ex Hurtad. quod duratio creata formaliter includat successivam coexistentiam; inter duas res indivisibiles extensive non potest esse inaequalitas extensionis, aliter extensive indivisibiles non essent, ergo duratio Angeli non esset major formaliter duratione animae D. Francisci, si solum formaliter dicerent existentias, quia existentia istae sunt indivisibiles, & majoritas, & minoritas dicunt inaequalitatem extensionis. Si dicas, Angelum plus durasse, non intrinsece, sed quia Angelo existente, plus temporis extitit. Contra, illud majus tempus coexistens Angelo, non pertinet ad ipsius durationem tanquam illius pars, ergo per illud non fit major duratio; Probatur, quia nulla res fit major, quin illi addatur aliqua pars; Tum secundo, quia tempus illud non constituit formaliter durationem majorem, ergo nec connotatio, vel coexistentia illi tempori, quia per connotationem nihil est modo in duratione, quod antea non esset, sed antea non faciebat durationem majorem, ergo nec modo. Tum tertio, quia id, quo duratio est formaliter major, est de ratione ipsius, quia majoritas, & minoritas sunt differentiae durationis, sed eo praeiudice, quod cum existentia Angeli majus tempus existat, duratio ipsius est formaliter major, ergo, &c.

Respondemus, utibi, ad primam impugnationem distinguimus consequens, non fit major duratio intrinsece, concedimus, extrinsece, negamus, per idem ad probat. Ad secundam negatur consequens, in sensu explicato, ad prob. neg. major, quia coexistentia in duratione creata dicit respectum de novo additum, in aeternitate vero dicit solum extrinsecam denominationem, quae sufficit ad denominandam aeternitatem realiter majorem, sicut Deus dicitur realiter creator per extrinsecam denominationem. Ad tertium negatur major de duratione permanenti, vera est de successiva, de qua procedit probatio. Et nota, quod istae rationes procedunt etiam contra aeternitatem, de qua ipsemet sustinet, non dicere formaliter coexistentiam successivam, sed solum connotative, quibus postea applicat dictas responsiones, nec aliter Aureo. probat, omnem durationem formaliter successivam esse.

ARTICULUS II.

Explicatur veri differentia a ceteris durationibus.

24 Dicimus primo, avum in communi a nostro tempore differre, eo quia avum est duratio rei permanentis defectibilis, tempus vero est duratio entis successivi, inaut omnia entia permanentia, quaecunque sint illa, neque tempore nostro, neque discretio, sed duratione quadam generica permanenti, quod avum appellatur, dicuntur durare; Probatur, conclusio singillatim; & primum, quod nullum ens permanentes tempore continuo duret, patet ex Arist. 4. Phys. 119. ubi lo-

quens de rebus corruptibilibus, & motui subjectis, ait, quare quod movetur non erit simpliciter a tempore mensurabile quantum quantum quoddam, sed quatenus motus ipse quantum est. Est etiam Scoti 2. dist. 2. quaest. 3. & 4. & in 4. dist. 49. q. 6. S. De secundo dubio, &c. ubi de visione beatifica loquitur; Tum quia duratio dicit existentiam rei, quae in permanentibus non est successiva, cum ab essentia realiter non distinguatur; neque possit dari successio in existentia, quin sit in entitate rei; quod autem aliqua successive acquirantur, parum refert, quia hoc est per accidens, possunt enim in instanti acquiri, neque successio proprie est in existentia rei, sed potius in acquisitione, quia adveniente nova parte existentiae, non amittitur praecedens, sed bene deperditur praecedens acquisitione, quatenus motum, vel productionem dicit.

25 Secundo, quod tempore discreto non mensurentur, ita ut successio illa immediata non faciat differentiam essentialem, est communis cum Scoto cit. & probat. quia non facit haec successio durationem aliquam per se unam, sed potius collectionem, & numerum plurium durationum permanentium, non enim illa instantia univertur unione compositionis, ut patet, neque continuitatis, aliter non esset duratio discreta, ergo non potest dici tempus discretum esse specialem durationis speciem; tum quia non recte propter prius, & posterius in operationibus Angelorum dicitur duratio illa tempus, aliter si Deus statueret plures Angelos creare, ut ad productionem unius priorem destruat, daretur ista successio, & tamen non diceretur tempore discreto durare, datur quoque de facto talis successio in formis substantialibus respectu materiae, & tamen non per hoc duratione distincta durat, ac esset, si una tantum forma esset in materia, perpetuo in nobis entia adest successio operationum immaterialium. Nec valet dicere nostras operationes esse necessario conjunctas inter se, quia discurrendo intelligimus, non sic Angelorum operationes, vel quia intelligimus cum conversione ad phantasmata. Etenim etiam Angeli discurrunt, & non possumus plures intellectiones primae, vel secundae operationis intellectus habere, in quibus non esset discursus; phantasma autem non producit intellectiones, sed intellectus, tum quia habent omnino similem existentiam, & eundem permanentis modum indivisibilem, sicut angelicae operationes, & respectus ad aliud, vel aliud agens non potest variare durationem rei, ejusque existentiam.

26 Tertio, quod datur una duratio communis omnibus permanentibus avum appellata; Probatur a Scoto ibidem, quia omnia permanentia, quamvis specie inter se differant, conveniunt tamen in hoc communi conceptu, scilicet indivisibiliter permanere, seu permanentes, non successive, defectibiliter, non indefectibiliter, ergo debet dari duratio omnibus communis talem exprimens conceptum, quae postea possit in alias dividi species, ut mox dicemus; quod autem avum dicatur, vel non, est quaestio de nomine, & rectius Scot. est locus, quia satis vulgata est illa divisio durationis in tres species, aeternitatem, avum, & tempus; tum quia regula bonae divisionis haec est, ut ad pauciora membra reducatur, quae membra postea subdividuntur, si opus erit, non debet igitur duratio statim in tot membra immediate dividi. Accedit, quod secundum usum loquendi hoc nomen avum omnibus permanentibus accommodatur, vita enim cujusvisque hominis a Damasc. 2. de Fide cap. 1. avum dicitur, duratio quoque beatitudinis non solum aeternitas, verum etiam avum a Patribus appellatur, parum enim, vel nihil differunt inter se, ut notat Doct. in 4. cit.

27 Dicimus secundo avum non esse speciem aethomam durationis, sed dividi specificiter juxta essentialem diversitatem existentiarum rerum durantium; ita ut tot sint avae species distinctae, quot existentiae specie diversae; ita Scot. 2. dist. 2. q. 3. A. quem sequitur Sur. cit. & quamvis quaest. 4. dicat, omnia habentia eundem modum existendi invariabilem avo mensurari, eademque mensura; non se tamen declarat, an loquatur de generica, vel de specifica mensura, cum tamen quaest. 3. expresse dicat, tot esse avae, quot aeternae, eo quia quilibet superior existentia est simplicior qualiter inferiori, & evidenter ex dictis probatur; avum formaliter dicit existentia aeterni, ergo quot existentiae specie distinctae, tot avae specie diversa. Quomodo autem debeat haec divisio fieri, aptior modus non erit, quam ipsam assignare ex entitatum perfectione, quae enim est perfectior, perfectionem habebit existentiam, & consequenter perfectionem durationem, hinc recte ait Scot. quaest. 4. A. nec perpetuitatem, nec corruptionem, vel annihilabilitatem variare formaliter mensuram: dummodo existentia sit ejusdem rationis formaliter, nam si Deus ab aeterno determinasset motum Caeli in perpetuum duraturum, & Angelos statim annihilandos, adhuc motus tempore duraret, & Angeli avo; rationem supra assignavit, quia sicut aliquando non fore non variat existentia mensuram, dum manet, ita multo minus illa causa, per quam potest ista potentialitas reduci ad actum, puta creata, vel increata, variabit rationem formalem mensurae existentiae ejus, vel moram in existendo; specialiter tamen contra Smifinch. est, quod ponit accidentales formas defectibiles substantia composita, hoc enim videtur repugnare Scoto in 4. cit. ubi ait, impossibile esse, illud, quod inest alicui per accidens, esse immutabilis eo, cui inest, ex quo postea concludit, quod actus beatificus ex eo, quod est accidens sit minus nobilis, & permanentes Angelo; non inficiamur tamen, istis divisionibus per

per extrinseca assignatis circumscribi posse differentias essentialis, & intrinsecas.

28. Ex qua doctrina colligitur solutio illius dubii, an scilicet unum tantum sit avum omnium aeternorum; etenim sit avum pro intrinseca duratione sumitur, sic tot sunt avae, quod aeterna, quia quodlibet propria existit existentia, ita Scot. 2. dist. 2. qu. 3. attamen si avum in ratione mensurae extrinsecae accipitur, dicemus quaest. seq. art. 2. in fine.

Sed contra instatur a Thomistis probando res generabiles, & corruptibiles motu mensurari, ac durare; ex 4. Phys. 123. ubi habet Philosoph. res generabiles, & corruptibiles tempore mensurari; & ex Authore de causis in penult. propos. inter rem, cujus substantia, & operatio est in aeternitate, & rem, cujus substantia, & operatio est tempore, est res media, cujus substantia est in aeternitate, actio vero in tempore, ergo durat substantia, quae tempore durat; hinc solemus querere, quanto tempore substantia permanerit, & resodendum, tanto, vel tanto tempore. Tunc 2. quia secundum Philosophum res illae sunt in tempore, quae tempore mensurantur, a tempore comprehenduntur, & coaestimantur, res corruptibiles sunt hujusmodi: dividuntur enim in diversas aetates, recedunt permanente tempore & corruptuntur. Tum 3. quia quae esse primam mensuratur instanti tempori, ejus esse habitum, vel permanentes tempore debet mensurari, initium autem rerum corruptibilium est hujusmodi.

Resp. Philosophum intelligi non per se, sed per accidens, ratione scilicet motus, & mutationis, quorum sunt subjecta, ut rex. 119. se declarat; cum vero quaritur, quanto tempore res duraverit, sumitur tempus pro duratione, non intrinseca, sed extrinseca, ut dicemus infra; Secunda authoritas non urget, nihil enim nobis, & illi Auctori. Ad 2. & 3. dicimus, concludere tantum, res corruptibiles tempore mensurari, & in eo esse, vel sumendo tempus in ratione mensurae, non durationis intrinsecae, vel non per se, sed per accidens, ratione motuum, quibus subiectionem.

Dices, etiam substantiae incorruptibiles, ut sic possunt dici esse in tempore, cum sint subiectum motus, quod tamen a Philosopho negatur rex. 120. Resp. hoc esse, quia secundum Philosophum substantiae aeternae sunt profus immutabiles, nec aliquid de novo possunt recipere. Vel dic, discrimen esse quia substantiae incorruptibiles solum mutationem accidentalem patiuntur, corruptibiles vero etiam substantialem. Secundo instant, ostendendo, atque permanentia, vel aeternitate participata, vel duratione media durare; Sed solum probant, non esse eandem specie durationem omnium permanentium, quod ultra concedimus, non tamen quod non habeant durationem communem permanentem in plures species divisibilem, estque tantum quaestio de nomine.

QUAESTIO IV.

Explicatur veritas durationis species, quae est Tempus.

29 NOME temporis non utimur hic pro aeris constitutione, ut cum dicimus, aerem esse serenum, calidum &c. ex qua acceptione ortum habuit divisio anni in quatuor tempora, neque pro constitutione nostrae vitae, ut cum solemus dicere, aliquem bonum tempus habere, id est ducere bonam, & latam vitam, sed pro duratione rei successivae per partes continuo fluentis; inter res successivas non debent numerari qualitates per partes acquiribiles, & similia, quia entia sunt permanentia, cum plures simul habeant partes, sed res illae, quarum nulla pars est simul cum altera, tales sunt actiones, passionis, coexistentia tempore successivo, ubi locale per motum continuum successiva acquiribile, & motus; verumtamen quia entia ista successiva fere semper cum motu existunt, & motus est notior, factum est, ut motus antonomastice ens successivum dicatur, & tempus motui tanquam passio tribuatur; unde ab Arist. in ordine ad motum definitur, dicente; tempus est numerus motus secundum prius, & posterius. Hoc igitur tempus est duplex, intrinsecum, & extrinsecum; primum est propria cujuslibet motus successiva duratio, de quo Scot. 2. dist. 2. qu. 1. 2. 3. & 4. saepe loquitur; secundum est duratio alicujus successivi, in qua caeteri motus exercentur, ipsique coexistunt, quia ratione dicitur mensura motus, de quo praecipue locutus est Philosoph. 4. Phys. & Scot. cit. in 4. dist. 48 qu. 2. estque duplex, reale, & imaginarium, primum est duratio realis alicujus motus realis, quae caeteri motus mensurantur, qualis est motus primi mobilis; secundum, ut notat Doctor quol. 11. F. est duratio alicujus motus non actualis, sed possibilis, imaginari tamen & nobis ad motum actualis, & positivi, puta si hodie non esset motus hodiernus Caeli, totum hoc spatium, seu intervallum successivum, quod modo concipitur repleri, & pertransiri a motu diurno Caeli, diceretur tempus imaginarium, quatenus concipitur motus possibilis in tali spatio, & capacitate exerceri, ut fuit tempore Josue, quia ratione dicimus, mundum potuisse creari multo tempore ante, quam modo fuerit creatus; & istud tempus concipitur esse quasi infinitum a parte ante, ac si ab aeterno fuisset, & post diem iudicii in perpetuum duraturum; estque simile spatio imaginario, locali, quod in infinitum concipitur profertum, cum hac differentia, quod istud intelligitur quasi permanentes totum simul, illud vero successivum. De istis ergo temporibus, intrinseco, & extrinseco erit sermo: hinc in duos articulos dividimus praesentem quaestionem.

Maffiis, & Belluti Tom. II. Physicae.

3 D UO videnda sunt de isto tempore, an sit, & quid sit; quoad primum dicimus, vere dari tempus istud, & durationem successivam; ita colligitur ex Gen. 1. Fiamus luminaria magna, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos & Act. 1. non est vestrum nosse tempora, & momenta: & D. Aug. 11. Confess. cap. 14. ait, nihil esse notius existentia temporis; quod etiam supponit Philof. 4. Phys. & patet ratione, quia non solum datur a parte rei ens permanentes, verum etiam successivum, ergo praeter durationem permanentem dari debet duratio successiva, quia res existens est etiam durans. Ista tamen existentia successiva non explicatur per hoc, quod quando datur instans, detur aliqua pars temporis indeterminata existens, quia ratione permanentes non dicitur; ut ait Hurtad. disp. 15. Phys. secta. 3. So. hoc enim est falsum, ut supra probavimus disp. 9. qu. 2. art. 2. cum hanc repositionem ex ipso Hurt. adduximus ad 4. Neque explicatur ut dicunt Can. 4. Phys. q. 5. art. 2. ad arg. princ. Tol. qu. 12. Compl. disp. 21. Phys. qu. 5. & disp. 26. qu. 1. Smifinch. tract. 2. disp. 4. qu. 3. num. 61. ex eo quod indivisibile partes priores, & posteriores copulans est simul manens, & existens, tangitque partes immediate praeteritam, & immediate futuram, quae existunt in illo instanti, quia tunc habent rationem immediate praeteritae, & immediate futurae partis, quia ratione inquit Complut. in illo instanti habere existentiam, non tamen essentiam, quae fuit antea, vel erit postea, licet existentiam in illo instanti habeant; alii dant exemplum, ut explicent istam temporis existentiam, per existentiam solius instantis, quia sicut totus homo denominatur crispus, eo quia in solo capite est talis, sic per esse instantis denominatur tempus existere, impugnat enim, quia quod non existit secundum se, sed per aliud, non est ens actuale secundum se, sed per aliud, ergo si tempus existit secundum instans, non secundum se, quia instans non est tempus, sed aliquid temporis, non erit ens secundum se, sed per instans; quod etiam patet in exemplo adducto, manus enim non dicitur crispata; quamvis etiam hoc exemplum non sit ad propositum, quia caput est pars hominis, non sic instans est pars temporis; tum quia, vel post instans existit pars temporis, vel non, si primum, ergo non tantum secundum instans dicitur tempus existere, sed secundum proprias partes; si secundum, ergo vel instans immediatum instanti, vel non poterit dici copulativum, nam ad hoc requiruntur extrema copulata, quod actu sunt, & in rerum natura reperiantur. Tum quia existentia instantis est simultanea, indivisibilis, & raptim transiens, sicut ejus entitas, quae a partibus temporis realiter distinguitur, ergo partes, quae successivae, & divisibiles sunt, nec raptim transiunt, sed per tempus durant, realiterque ab instanti distinguuntur, nequeunt tali existentia existere, cum existentia ab entitate realiter non distinguatur.

31 Tum quia contra Compl. est, quod ponunt essentiam aliquam in rerum natura, abique eo quod existentiam habeat, vel propriam, vel alienam, & existentiam propriam, & convenientem alicui rei absque essentia illius, quia pars immediate futura secundum ipsos habet propriam existentiam non in instanti continuativo, sed immediate post, sicut praeterita immediate ante, at existentiam in illo instanti, in quo essentia illa minime reperitur. Tum quia quod non est, non existit, & quod est, & existit, non dicitur destructum, sed successivum definit per primum sui non esse, ut dicemus disp. seq. ita ut valet dicere, nunc non est, antea erat, ergo in instanti terminativo motus pars immediate praeterita non habebit existentiam, aliter existeret simul, & non esset: & idem est dicere, existere partem praeteritam in ratione praeterita non secundum essentiam, ac existere, & esse, quod non est, sed fuit, hoc enim sonat praeteritum, quod in sua ratione formali negationem existentiae simultaneae, & praesentialis excludit, & sic duo contradictoria de eodem verificabuntur; idem dicas de parte immediate futura.

His rationibus impugnari etiam potest responsio Jo. de S. Th. qu. 18. Phys. art. 2. & Manc. 4. Phys. q. 3. dub. 3. distinguunt enim de existentia, quod alia sit in fieri, & haec convenit partibus temporis, non tamen est proprie existentia: alia est in facto esse, & haec solum convenit instanti temporis, non partibus, aliter plures temporis partes simul coexistere, quod ipsi vocant in fieri: quapropter velint, nolint, jam incidunt in nostram opinionem, quam mox aperiemus ex Scoto: quod si in tempore solum agnoscent existentiam instantis, jam redeunt omnia argumenta adducta, in intelligibile namque est aliquid existere sine essentia, & habere essentiam a parte rei sine ulla existentia, imo hoc quod est praeteritum existere in instanti continuativo consummative, & futurum initiative, idem est, ac non esse actu, sed fuisse, & fore, nam haec desitio, & inceptio est intrinseca.

Dicimus itaque tempus existere, ut colligitur ex Scot. 2. dist. 2. quaest.

qu. 9. M. & quol. 12. art. 3. quia sicut ens permanens, ex eo quod habet totum esse simul, habet quoque existentiam, & presentiam simultaneam, sic ens successivum, quia habet esse non simul, sed in continuo fluxu, & successive, ejus existentia, & presentia simultanea non erit, sed fluens, & successiva, secundum quamlibet partem, & in continuo transitu: quod potest exemplo fluxus explicari, qui non est totus in aliqua parte, sed ubique est secundum esse fluens continue. Quod si geras existentiam aliquam simultaneam in ente successivo, non reperies, nisi in instanti, quod simul est, & totaliter, cum non habeat partes, quamvis raptim transeat, & de ista simultanea existentia intelligitur colloquium illud commune; *de tempore non habetur, nisi nunc*, at partes sunt in actu, & existunt, non existentia, & actualitate simultanea, vel permanente, sed successiva.

32 Sed contra dices, partes temporis sunt prateritum, & futurum, nam præsens est instans, sed illæ nequeunt existere, quia quod existit, dicitur nunc esse, at prateritum, ut prateritum, & futuro, ut futuro repugnat esse, ergo &c. Tum secundo, quia quod consistit in ordine non entis ad non ens, non vere existit, tale est tempus, quia consistit in ordine prateriti ad futurum, quæ non sunt. Tum tertio, quia omne fieri ordinatur ad aliquod esse, ideoque prius natura intelligitur ly fieri, quam esse, sed tempus non habet existentiam post ipsum fieri, quia sic esset permanens, ergo non potest fieri. Tandem si tempus esset, utique esset corruptibile, quod falsum; quia corruptio fit in tempore, & sic tempus corrumpere in alio tempore, unde esset processus in infinitum. Resp. ad primum proprie partes actuales temporis non esse prateritum, & futurum reduplicative, sed ut presentia sunt, non quidem simultanee, sed successive, quare rectius dicitur, partes temporis esse prius, & posterius, quæ presentia dici possunt successive, quia prius tunc est prius, quando est ante posterius, & posterius est tale, quando subsequitur prius, at prateritum, dum est prateritum, non existit, neque futurum, dum est futurum, & quia qualibet pars temporis est tempus, & consequenter debet includere prius, & posterius, ideoque pars prior dicitur tempus, quia includit prius, & posterius, non quidem respectu ejusdem, sed diveriorum, nam prioritas, & posterioritas sunt successio, & qualibet pars est successiva; Per idem ad secundum. Ad 3. patet ex dictis disp. 5. qu. 2. quod fieri non precedit tanquam modus quidam esse rerum, imo potius subsequitur, ideo nihil ad rem. Tum quia, si esse sumitur pro conservari, & fieri pro produci, major est vera in permanentibus, non in successivis, quæ dum sunt, etiam corrumpuntur successive. Ad 4. tempus vere non generatur, vel corrumpitur, sicut neque motus, aliter ad motum esset actio, & consequenter ad motum esset motus, tamen potest dici accipere esse, & desinere, extrinsece, & in instanti alterius durationis extrinsece, ut art. seq. dicemus, quomodo non erit processus in infinitum.

33 Quoad 2. non est ita clarum, quid formaliter sit tempus, sicut est ejus existentia; nam aliqui nullam distinctionem admittunt inter motum, & tempus, aut saltem distinctionem rationis, ita Nominales omnes suar. disp. 50. Met. sect. 9. Fuentes 4. Phys. qu. 3. dist. 3. art. 1. & 2. & omnes illi, qui idem docent de duratione in communi. Alii ex opposito docent, adesse distinctionem realem; ita quidem Scotus, & præsertim Regentes Parisien. 4. Phys. qu. de Tempore, unde postea 6. Phys. qu. 1. colat. 2. afferunt: motum posse a tempore separari, & fieri in instanti, quibus favet Averfa qu. 29. sect. 4. solum excludens durationem localis motus, qui fieri nequit sine successione, & mora. Mediam sententiam sustinet Can. 4. Phys. qu. 5. art. 3. dub. 3. Faber. theor. 49. Amicus tract. de tempore qu. 4. dub. 3. & 4. & alii distinctionem formalem admittentes inter tempus, & motum, quamquam postea non conveniant in explicatione hujus formalitatis funderaddita motui, nam Canon. ait, esse numerabilitatem; Faber rationem mensuræ activæ, eo quod Scot. in 4. dist. 84. qu. 2. G. ait, tempus ultra motum primi mobilis includentem successionem non addere, nisi rationem mensuræ formaliter, fundamentaliter vero rationes illas, quæ requiruntur ad mensurandum alios motus; Amicus entitatem quandam successivam formaliter distinctam ab entitate, & successione motus. Alii tandem solummodo successionem qua partes motus extenduntur in ordine ad durationem extrinsecam.

Pro resolutione hujus difficultatis præcipienda sunt, qua fustus dicimus disp. 15. videlicet, quod motus, vel essentialiter petit esse in instanti, ut acquisitio cujuscumque indivisibilis, vel necessario in tempore, ut motus localis in spatio divisibilis factus, ut indifferens est, ita ut tam in instanti, quam in tempore fieri posset, ut omnes alii motus, qui saltem ex potentia Dei possunt in instanti fieri. Insuper quod successio nihil aliud est, nisi respectus ordinis partium secundum prius, & posterius uni termino copulatarum, quatenus una pars ita alteri succedit, ut semper una est prior, altera posterior, nunquam simul erunt, qui ordo in motu essentialiter successivo, ut est localis spatium divisibile, est realiter illi identificatus, & circumferibit differentiam essentialem, seu existentiam illam, qua motus essentialiter petit, ut partes non sint simul, non enim est differentia essentialis, quia super partes motus fundatur, & consequenter præsupponit partes in proprio esse constitutas, at in motu accidentaliter successivo erit accidens per accidens.

34 Rursum notandum, quod de tempore intrinseco possumus dupliciter loqui, vel prout est quædam species durationis, adæquate dividens cum æternitate, & ævo durationem in communem, vel secundum communem, & usitatum acceptionem, pri-

mo modo dicit durationem entium ex propria natura transeuntium, & hoc sive instantanee, ut mutationes instantanee, sive successive, ut motus successivi; ratio est, quia res per instans tantummodo durans habet propriam existentiam & durationem, quæ non est ævum, ut patet, hoc enim convenit rebus, quæ possunt ex propria natura diu permanere, ergo stante divisione illa trimembri durationis in communi, non nisi ad hanc tertiam reduci poterit, & sic tempus continebit sub se durationes rerum ex sua natura, & necessario transeuntium, præscindendo ab hoc, quod est transire in instanti, vel successive, in quos modos dividetur, ut in species quando intrinsece, & essentialiter motibus conveniunt, si vero accidunt, erit divisio per accidentalia, & extrinseca. At si sumatur tempus secundo modo, scilicet secundum usitatum acceptionem, solum supponer pro successiva duratione, non erit tamen divisio illa adæquata; quia sub nulla illarum specierum directe continebitur duratio mutationis essentialiter instantanee, quæ tamen est vera duratio, sicut talis mutatio habet existentiam veram, & realem, ut diximus quæst. 1. hujus disp. his præceptis.

35 Dicimus; Tempus si primo modo sumatur, ut est quædam species ab aliis duabus distincta, formaliter dicit existentiam rerum transeuntium præscindendo ab instantaneitate, vel successione; licet connotet coexistentiam alicui extrinsece durationi, at si presse, & secundum communem usum accipiatur, formaliter dicit existentiam entis successivi, & successionem partium, quando est essentialis, quatenus per ipsam, differentiam intrinsecam constituentem durationem in tali specie circumscribimus; at quando est accidentaliter solum pro connotato illi convenit. Concl. sequitur ex dictis, & probantur singula. Primo quod tempus primo modo dicit formaliter existentiam; quia duratio in communi formaliter dicit existentiam rei durantis, ergo & qualibet species sub illa connotata, & eodem modo probatur, quod tempus presse sumptum dicit existentiam successivam modo explicato, quatenus scilicet circumscribit differentiam intrinsecam, quia ut diximus sub num. 33. successio præsupponit partes, super quas fundatur; tum quia existentia est ultimus actus rei existentis, nec est ulterius essentialiter res contrahibilis, ergo non potest per istum respectum contrahi; Cui accedit autoritas Scot. non quidem desumpta ex 4. dist. 48. qu. 2. ut facit Faber, ibi enim Scot. loquitur de tempore extrinseco, non intrinseco, ut patet legenti, sed 2. dist. 2. q. 2. E. ubi, etsi problematice loquitur, ut facit vere per omnes primas quatuor quæst. magis tamen inclinat ad partem illam ponentem identitatem inter motum, & tempus, unde lit. H. loquens de angelica duratione, ait propria existentia non differre. Tandem quod quando successio, seu ordo ille partium accidit enti successivo, non fit formale significatum temporis, sed solum connotatum, probatur, quia nulla res potest intrinsece durare per aliud realiter distinctum, ex 1. qu. hujus disp. quapropter causafactio y. g. dicitur intrinsece durare propria existentia, & sic est successiva, dicitur tempore durare propter connotationem ordinis partium; si vero instantanea, instanter durabit, propter connotationem negationis ordinis partium, non quod intrinsece sit alia, & alia duratio, seu existentia, sed solum ab extrinseco, & connotative differrent.

36 Ex ista doct. & ex dictis in præced. quæst. primo colligitur quid sit dicendum, cum quaritur, quomodo duratio in communi, & qualibet ejus species a re durante distinguatur; cum enim formaliter tantum dicit existentiam, talis erit distinctio, qualis est inter existentiam, & rem, cujus est existentia, quam certum est non esse realem; an vero sit rationis, vel formalis, pertinet ad Met. sufficit modo, quod ad sit aliqua distinctio, qua ratione duratio solet dici passio entis ænalis, sic Arist. loquens de tempore respectu motus in 4. Phys. a. tex. 42. & deinceps, ait, tempus consequi motum esse aliquid motus, & sine motu non reperiri, non est tamen passio in rigore. Secundo colligitur, quod tempus intrinsece est aliquid reale ab anima independentens, cum sit existentia alicujus realiter existentis absque opere intellectus; quæstio enim illa, an tempus ab anima formaliter dependeat, non debet proponi de intrinseco, sed de extrinseco tempore, ut dicemus art. seq. Tertio colligitur solutio alterius quæst. an scilicet sit unum tempus, vel plura, quamvis enim loquendo de tempore extrinseco, omnia possunt dici esse in eodem tempore, vel simul tempore, ut dicemus art. seq. at tamen intrinsece tempus debet multiplicari, non solum numero, sed etiam specie ad multiplicationem numericam, vel specificam motuum, ut in simili supra diximus de ævo, unde & tempus materiale, & tempus spirituale dari debet, sicut datur existentia materialis, & spiritualis motus. In speciali tamen advertendum est, quod tempus differret non datur tanquam species quædam a continuo distincta, quia formaliter aliud non dicit, collectionem, & numerum plurium motuum sibi invicem immediate succedentium, numerus autem non est unum per se, ut innuimus quæst. præced. art. 2. & in Log. in prædicam. Quant. Sed contra arguitur 1. quod tempus non sit realiter motus ex D. August. 11. Confess. cap. 24. dicente: *Jubes, ut appobem, si quis dicat tempus esse motum corporis? non jubes, nam corpus nullum movetur nisi in tempore audio, non est ergo tempus corporis motus, & quam plurimis etiam Philosophis autoritatibus, nam 4. Phys. 94. 95. & 96. probans duabus rationibus, tempus non esse motum, puta, quia tempus est communis motu, & quia habent differentias diversas, nam tempus dicitur longum, vel breve; motus vero velox, vel tardus, concludit in tex. 97. tempus igitur non esse motum constans, & tex. 98. idem reperit dicens, cum igitur non sit motus, necesse est*

motus aliquid esse ipsum, quod etiam colligitur in tex. 101. ex definitione temporis; imo tex. 94. reprehendit eos, qui motum ipsæra tempus esse contendebant. Tum 2. quia tempus est mensura motus, mensura autem realiter a mensurato distinguitur. Tum 3. si plures essent Cæli, sequeretur, plura quoque simul tempora esse, quia tunc plures essent motus, quod est impossibile ex 4. Phys. qu. 3. Tandem potest idem motus Dei virtute reproducti, non vero idem tempus, quia ad prateritum non est potentia; & quia dies hesternus, & hodiernus essent unus dies.

37 Resp. omnes istas autoritates intelligi debere de extrinseco tempore, respectu cæterorum motuum, quorum est mensura, qua ratione tempus formaliter non dicit motum ipsum, sed est aliquid ipsius, ut art. seq. idem etiam probant rationes Arist. præcipue cum dicitur, quod diversas habent differentias: respondetur velocitatem, & tarditatem convenire motui, sicut raritas, & densitas competunt quantitati permanenti, & sicut istæ non dicunt aliud, nisi diversos respectus ad majorem, vel minorem locum, ut in lib. de Gener. dicimus disp. de rarefactione, sic velocitas, & tarditas in motu dicuntur respectus super partes motus fundatas ad longius, vel brevius tempus, cui coexistunt; ex quo patet, velocitatem, & tarditatem convenire motui, quatenus mensurabilis est, longitudo, & brevitatem esse in tempore, ut est mensura, quare solum concluditur, tempus, ut est mensura, a motu, ut mensurato distingui, & sic patet ad secundum. Ad tertium dicimus, Philosophum arguere ad hominem, nam Antiqui non fecerunt a motu rationem mensuræ, in qua consistit ratio temporis extrinsece, putabant, motum esse tempus, sed pro impossibili habebant, plura tempora reperiri. Ad quartum negatur, tempus non posse reproducti, cum dicitur, ad prateritum non esse potentiam, respondet Doctor 4. dist. 43. qu. 3. F. sensum esse, quod nulla potentia facere potest, quod factum non sit ea, quæ facta sunt, sen non sequitur, quod non possit Deus facere presentia, quæ facta fuerunt; sic dies hesternus, & hodiernus forent unus dies, pro formali, non pro connotato, quia aliam, & aliam dicerent coexistentiam ad tempus imaginarium.

Secundo ad idem, & est argumentum Scoti in 2. dist. 2. quæst.

2. V. nulla quantitas est eadem alteri quantitati, nisi partes unitus sint æquales in numero, & magnitudine partibus alterius, sed partes motus non sunt ita æquales partibus temporis, ergo &c. Minor prob. idem motus secundum eadem partes stare potest cum majori, vel minori tempore, nam si mobile per horam pertransierit tantum spatium, si in duplo velocius movetur, perficit illud spatium in medietate horæ, & si duplo tardius, perficit per duas horas, & tamen esset idem motus secundum entitatem. Respondemus negan. minore de duratione, & tempore extrinseco, concedendo de tempore extrinseco, de quo etiam procedit probatio, motus enim illi habent eadem partes, & consequenter eadem existentias, quamvis velocior habeat partes, quasi densas, & magis confitatas, ob idque minori tempore extrinseco coexistit, tardus quæ raras, unde majus, & longius tempus ipsi correspondet.

38 Sed contra istam respon. instant Complut. disp. 21. qu. 3. oppositum sustinentes; Tum quia ideo duo avæ angelica sunt æqualia in realitate inter se, quia possunt, quantum est ex se, coexistere æquali tempore, ergo quia durationes motus tardi, & velocis per æquale spatium facti non possunt, quantum est ex se, coexistere æquali tempore, non erunt æquales realitates, nec æquales partes; Tum secundo, quia debet assignari ratio, cur datur hæc major, vel minor coexistentia ad tempus extrinsecum, hæc nequit esse existentia motus, ut probatum est, ergo erit duratio, & mora intrinseca. Tum tertio, quantitas successiva ex se petit, quod una pars sit post aliam, ergo non possunt esse modo magis, modo minus inter se confitatas, ut evenit in permanentis rarefactione, & condensatione, ergo hoc erit propter durationem distinctam, quæ variatur, & sit diversa ab existentia motus. Tum quarto partes motus tardi non possunt æqualiter correspondere partibus motus velocis in eodem tempore facti, at partes durationis unius æqualiter correspondent partibus durationis alterius, ergo non sunt idem realiter, nam si una quantitas quantumvis extendatur, non possit alteri coæquari, hoc non proveniret ex rarefactione, sed ex intrinsecis partibus ipsius, ita de motu tardo dicendum, qui nunquam potest æquari motui veloci.

Resp. ad primum motus illos quoad durationem intrinsecam esse æquales inter se, at ut velocitatis, & tarditati subsunt, nequeunt æquali tempore coexistere, unde solum differunt quoad coexistentiam. Ad secundum ratio erit velocitas, & tarditas motus, quæ possunt provenire, vel a perfectione, aut imperfectione agentis, aut propter majorem, vel minorem repugnantiam contrarii. Ad tertium negatur consequentia, quia quantitas permanens adhuc habet unam partem extra aliam in loco, & tamen in rarefactione eadem omnino majori loco coexistit, nec per hoc una pars est magis extra aliam in se, sed solum in ordine ad locum, ut in lib. de Gener. dicimus, ita idem motus erit modo tardior, modo velocior, non quod una pars sit magis post alteram in seipsis, sed in ordine ad tempus extrinsecum. Ad quartum non correspondet nec in partibus motus, nec in partibus durationis intrinsece, sed solum in coexistentia.

39 Contra eandem arguit Amicus, & fere incidit in idem, si duo motus, unus tamen altero velocior, essent in eodem tempore, plures partes durantes essent in motu velociori, sed

Mastrui, & Bellui Tom. II. Physicæ.

in utroque eadem formaliter duratio intrinseca, ergo duratio intrinseca est realiter distincta a rebus durantibus. Anteced. prob. quia major duratio formaliter extendit suam subiectam actu, vel aptitudine in ordine ad durationem imaginariam, sicut quantitas in ordine ad spatium, ergo cum isti motus, ut sic confecti, nec actu, nec aptitudine possint longiori tempore coexistere, habebunt eandem durationem intrinsecam; Tum quia Doctor 2. dist. 2. qu. 2. E. loquitur de tempore intrinseco, non extrinseco, ut patet, quia facit comparisonem inter durationem motus, & durationem intrinsecam Angeli, & ait, quod potest stare inæqualitas partium motus, & temporis. Resp. negando ex dictis assumptum, in motu enim velociori est major duratio intrinseca, quia plures ad sunt partes, est eadem vero duratio pro connotato scilicet pro coexistentia; negatur etiam, quod motus velocior non habeat aptitudinem coexistendi longiori tempore in sensu diviso, licet in sensu composito quatenus est cum tali velocitate actu non coextendatur, quod sufficit ad majorem durationem intrinsecam. Ad Scotum dicimus, loqui ex suppositione, quod tempus distinguatur a motu realiter, ut patet in principio illius respon. quia etiam hoc admisso, adhuc non sequitur, etiam in Angelo durationem realiter debere distingui, quia inquit Scotus, si illud esset verum, esset, quia partes motus non essent æquales partibus temporis, at in Angelis non tenet ratio de magnitudinibus, & partibus earum; ecce quomodo ex suppositione loquitur.

40 Tertio ad idem; tempus reperitur in rebus quiescentibus, in quibus non est motus, quies enim tempore mensuratur, non solum per accidens, sed etiam per se, ex Scot. 2. dist. 2. qu. 4. D. e contra motus potest esse quando tempus non est ex Scot. 4. dist. 48. qu. 2. H. I. & dist. 39. qu. 14. N. Tum secundo, quia tempus est effectus ipsius motus, quia prius, & posterius in tempore oriuntur a priori, & posteriori in motu, causa autem, & effectus realiter distinguuntur. Tum tertio, quia in motu sunt plura indivisibilia continuantia, in tempore est tantum unum per Arist. 4. Phys. 104. ubi habet, quod nunc seu instans secundum substantiam est idem in tempore, & diversum secundum esse, id est secundum aliam, & aliam considerationem, ergo tempus est quid realiter a motu distinctum. Resp. ad 1. ex Scot. quol. 11. art. 2. ad 3. quod si esse in tempore dicit durationem intrinsecam positivam, negatur, quatenus esse in tempore, quia non habet existentiam realem, si vero dicat, mensurari tempore, tunc quies est in tempore, sed negative, quia non mensuratur nisi per motum, qui tunc posset adesse, & ita mensuratur per accidens, quia per aliud, per se vero eo modo, quo privatio per rem mensurari potest, hoc enim convenit per se, quod convenit rei, ut est talis natura, est autem privatio, seu quies talis natura, quod non dicitur tanta, vel tanta, nisi quia est tanti vel tanti positivi, motus vero potest esse sine tempore universali, & extrinseco, de quo loquitur ibi Doctor, non particulari, & intrinseco. Ad secundum motus est causa prioris, & posterioris ratione mensurationis in tempore extrinseco, quia ut sic a motu distinguitur, ut dicemus art. seq. non vero in tempore intrinseco, quia in hoc non sunt diversa prius, & posterius temporis a priori, & posteriori motus, sed eadem. Ad tertium respondetur ex Scot. 2. dist. 2. qu. 2. Arist. ibi proponere hanc quæstionem, an sit idem nunc in toto tempore, & quamvis expresse non solvat, aliqua tamen dicit, ex quibus colligi potest ipsius solutio, comparat enim nunc ad tempus sicut mutatum esse ad motum, & punctum ad lineam, ergo sicut plura sunt mutata, esse in motu, & puncta in linea, ita plura instantia in tempore, cum vero ait, idem nunc esse secundum substantiam, & differens secundum esse, non est sensus, quod tantum unum sit instans fluens per totum tempus, sed quodlibet nunc consideratum secundum se, est idem, & hoc dicitur esse idem secundum substantiam, consideratum autem in ordine ad tempus prateritum, & futurum, cum sit terminus prateriti, & initium futuri, dicitur differens secundum esse; vide expositionem textus.

41 Quarto, quod successio sit semper de formali ratione temporis, probatur, tempus est duratio successiva intrinsece, & formaliter, per hoc enim a duratione instantanea distinguitur; unde quantitas solet appellari, eo quia dicit extensionem quandam partium successivam, sicut quantitas permanens extensionem partium permanentium, ergo in motu calefactionis v. g. tempus formaliter erit successio illa, non existentia; quapropter si in instanti fieret, haberet totam existentiam, non vero eandem durationem, sed aliam specie diversam: qua ratione potest etiam probari distinctio temporis a motu alio a locali, ut facit Averfa. Resp. illud tempus esse essentialiter successivum, quod dicit durationem rei necessario existentis secundum variationem partium, & hac ratione quantitati assimilatur, immo ab aliquibus in prædicamento quantitatis ponitur (quod esse falsum patebit ex dicendis disp. 15.) attamen duratio rei indifferenter se habentem ad existentiam instantaneam, vel successive, solum tempus dicitur eo modo, quo tertia species ponitur ab ævo, & æternitate distincta, ut diximus, & semper est eadem duratio intrinsece, quocumque modo fit tantum accidentaliter differens, dicitur autem tempus, quando est successiva, quia assimilatur vero tempore, non quod intrinsece successiva sit, sicut si Angelus tempore coexistere, duratio ipsius dicitur temporanea propter connotationem coexistentiæ cum tempore, & eadem intrinsece est, si solum per instans duraret, & ex hæcenus dictis constat tres tantum sufficere durationis species, tempus, ævum, ac æternitatem, nec aliam addendam.

ARTICULUS II.

De tempore extrinseco.

42 **UT** quidditatem temporis extrinseci explicemus, quod mensura cuiuscunque motus ponitur, multa veniunt declaranda. Primum, quomodo ratio mensuræ ipsi conveniat, & cui motui; ex quo patebit, an istud tempus sit ens ab anima dependens, & quo pacto a subiecto distinguatur. Secundum an ratio mensuræ soli tempori conveniat. Tertium, quas res mensurare dicatur; & tandem an recte ab Arist. definitur, cum dicitur: *tempus est numerus motus secundum prius, & posterius*, quæ omnia unico articulo possunt comprehendi.

Quoad 1. advertendum ex Scoto quod. 13. N. & 2. dist. 2. quæst. 2. § *Ad secundam partem questionis* 6. quod mensura activa est duplex, una essendi, & per se, & est a quod, quod mensuratur, in sua entitate dependet, vel per participationem, ut Deus dicitur mensura creaturæ, vel per imitationem, quomodo scibile ponitur mensura scientiæ, inter quæ est relatio realis, quia nullum ordinem dicunt ad intellectum; altera est mensura in cognoscendo, & est quantitas illa, qua nota, intellectus de alia ignota certificatur, certificatio autem aliquando fit per quantitatem existentem in imaginatione, sicut artifex expertus per aliquam quantitatem, quam habet in sua imaginatione, mensurat quantitatem quamcumque, aliquando vero fit per quantitatem existentem in re, & hoc tripliciter, vel excedentem, & tunc certificatur intellectus de quantitate minori per accessum ejus ad quantitatem majorem, vel recessum ab ea, quomodo mensura ponitur in quidditatibus rerum, & in unoquoque genere datur unum, quod est metrum, & mensura omnium, quæ sunt in illo genere, nam quidditates habent suas quantitates virtuales scilicet proprias perfectiones quidditativas. Secundo modo mensuratur per quantitatem excessivam, quia quantitas nota minor est ignota, & hæc mensuratio fit per replicationem mensuræ. Tertio fit per quantitatem æqualem notiore per applicationem, scilicet vel superpositionem ipsius, & hæc ratio mensuræ, quia sumitur in ordine ad intellectum cognoscendum, non dicit relationem realem simpliciter, quia respicit fundamentum, ut habet esse cognitum. Dupliciter autem potest intellectus unam quantitatem assumere pro mensura ad cognoscendam aliam quantitatem ignotam, vel quia ipsi intellectui est notior, quamvis ita non se habeat a parte rei, ut si alicui esset nota quantitas panni, & ignota quantitas ulnæ, illa pro mensura istius posset assumi, vel quia est notior ex natura rei, & ad hanc mensuram requiritur primo, ut sit notissima, ex 10. Met. cap. 1. Secundo ut notat Doct. 4. dist. 48. qu. 2. H. ut sit certissima, & regularis, aliter non posset certificare intellectum. Tertio, ut sit homogenea, & ejusdem rationis cum mensurato, unde extensio localis non potest extensione temporis mensurari, sed alia locali, & longitudo longitudine, pondus pondere, &c. Quarro quod sit quoddam unum, & minimum, hinc dicitur quantitate unitas, quæ est indivisibilis, est certissima mensura, at in continua non est necesse, quod sit profus indivisibilis, palmus enim vel hora non sunt hujusmodi, sed sufficit, ut ad instar indivisibilis se habeat, & hoc secundum hominum placitum, non enim ulna est apud omnes ejusdem longitudinis.

43 Ex quo deducitur, quod mensura dupliciter sumi potest, vel pro actuali mensuratione proveniente ab actu nostræ cognitionis, & est relatio quedam, ut ait Doctor, quod citat. causa in cognoscendo ad causatum in cognosci, quæ relatio est inter extrema non ut habentia esse reale, sed cognitum, ideo non est simpliciter realis, quamvis nec sit pure rationis ut est illa, quæ est universalis ad singulare; vel pro actu primo mensurandi, & sic dicit mensuram, ut potentem proxime assumi ad actualiter mensurandum, & quia unitas, quæ est mensura in quantitate discreta, præcendendo ab omni opere intellectus, habet omnes conditiones mensuræ, & sufficiens est ut possit ad mensurandum assumi, idcirco erit ex natura rei aptitudinalis mensura in potentia proxima independentem a ratione; at quantitas continua, quæ assumi debet pro mensura, quia plures habet partes, non habet in se, præcendendo ab intellectu, ut statim, & proxime possit assumi, sed prærequiritur, ut ab aliquo intellectu determinetur illud minimum pro unitate, & indivisibili, per cuius replicationem postea mensuratur actualiter quantitas ignota; solum ergo in potentia remota potest ex natura rei dici mensura, quatenus habet alias conditiones, puta certitudinem, uniformitatem, paritabilitatem, &c. ut notat Doctor in 4. cit.

In proposito cum omnes motus quandam habeant extensionem, potest assumi motus secundum suam extensionem ad cognoscendam extensionem, & durationem in potentia remota, quomodo dicitur entitatem motus cum uniformitate, velocitate, & paritabilitate, & discretionem habet qualitativam a Ruvio appellatam secundum modos prioris, & posterioris, nisi enim haberet partes priores, & posteriores, non posset esse mensura motus, & hoc sensu intelligenda est Scriptura, cum ait, Deum fecisse tempora, & quod ante opus intellectus res dicitur esse in tempore, mensurabilis tempore, diuturnior alia & similes locutiones, verificantur enim de tempore ratione mensuræ aptitudinalis remota, quam habet a parte rei, quomodo etiam sæpe locutus est Scot. cit. At si sumatur pro mensura activa in potentia proxima, necessario dicitur aliquid rationis,

quod est nimia irregularitas in motu istorum corporum celestium, & Div. August. 11. Confess. stante celo movetur rota fulgur. Erit ergo mensura in cognoscendo quoad durationem, & si loquamur de mensura absque fundamento in re, sic quilibet motus notior alicui intellectui poterit dici tempus, & mensura alterius ignoti, at de tempore cum fundamento in re modo est sermo; quare videndum est, quoniam sit ille motus habens omnes conditiones assignatas, & an sit unus, vel plures; his prænotatis.

44 Dicimus quod tempus universale, commune, & extrinsecum est motus primi Cæli, seu ipsius duratio successiva, cum regularitate, velocitate, & notione, quæ sunt conditiones requisitæ, si pro fundamento, & materialiter sumatur; pro formali vero addit supra istum motum rationem mensuræ activæ, in actu primo proximo, quæ consistit in illa designatione, & determinatione partium primi motus, quales sunt horæ, medietates, minuta, &c. Mensuratio vero actualis per accidens convenit tempori sumpto in actu primo; et sic unum numero tantum, ita Doctor in 4. dist. 48. quæst. 2. H. Probantur, & explicantur singula; nam nullus motus augmentationis, alterationis, aut localis inferiorum corporum possunt esse mensura cæterorum, quia nec sunt uniformes, nec omnibus noti, ut possint universaliter ab omnibus sumi pro mensura aliorum motuum; inter motus vero celestes motus primi mobilis habet omnes conditiones, quia est omnium notissimus, & quamvis aliquando utamur inferioribus moribus, scilicet horologii Solis, & Lunæ, &c. ad mensurandum motum primi Cæli, re tamen vera non utimur illis, ut mensuris, sed potius ut signis, quibus possimus distinguere partes motus primi mobilis, hic enim secum omnes sphaeras inferiores rapit, causatque in illis motum diurnum; est etiam certissimus, & uniformis, est ejusdem rationis cum mensurato; & tandem est brevissimus propter suam velocitatem; & licet possit dari motus Angelicus velocior, non per hoc dici debet mensura, cum non habeat alias conditiones, ergo talis motus erit fundamentum mensuræ activæ, in qua consistit ratio temporis extrinseci, & quia ad mensurandum requiritur indivisibilitas saltem proportionaliter, & in isto motu partes ex natura rei sunt continuæ, & indivisibiles, ideo secundum se non est potens proxime, ut possit in mensuram assumi, sed requiritur designatio facta ab intellectu in certas, ac determinatas partes, quæ designatio est ex hominum placito, sicut enim motus primi mobilis in viginti quatuor partes æquales est designatus, quæ horæ nuncupantur, poterat in duodecim, in viginti, in triginta partes etiam distribui, quia designatione facta est potens proxime ad mensurandum, habetque complete omnes conditiones requisitæ, sicut ulna, antequam in ipsa designentur palmi, non est proxime applicabilis ad mensurandum, sed quando jam sunt designati, est tunc apta mensura, & completa. Mensura vero actualis accidit tempori, quia & si nullus cogitaret de tempore, sed omnes homines dormirent, adhuc tempus extrinsecum daretur in rerum natura, sic etiam se habet ulna, quæ mensura dicitur, etsi nulla quantitas per ipsam actu mensuraretur. Tandem quia motus iste primi mobilis unum numero est, idcirco tempus unum quoque numero erit, ut ait Arist. 4. Phys. 133. & 134. immo ait in tex. 95. tempus esse ubique, non autem motum, quia tempore eodem omnes utimur; & si plures essent primi Cæli, adhuc unum esset tempus, quia omnibus illis uteremur, ac si essent unus motus, & una mensura ad dignoscendas durationes aliorum.

Sed contra instabis, quia Philof. in tex. 133. & 134. cit. ait, ita esse unum tempus in rebus, sicut est idem numerus in decem hominibus, & decem equis, in his autem est unus denarius, non numero sed specie. Tum quia in quantitate permanenti non datur una communis mensura omnium permanentium quantitatum, ergo neque in successiva. Tandem quia definitio temporis, quod sit numerus motus secundum prius, & posterius, omnibus motibus convenit, ergo non unum tempus. Respondemus, Arist. ibi decidere questionem quoad utrumque tempus, tam intrinsecum quam extrinsecum, cum dedit allata exempla, de primo loquebatur. Vel dic comparisonem non esse inter tempus, & illos duos numeros simul sumptos, sed seorsim, ut sint duo exempla, non unum. Ad secundum dicimus, rationem disparitatis esse, quia non datur una numero quantitas permanens certa invariabilis apud omnes, sicut datur successiva. Ad tertium dicitur infra, cum explicabimus illam definitionem.

45 Ex ista doctrina colligitur 1. decisio illius quæst. an tempus sit ens, reale, & completum independentem ab anima, an vero complementum ab anima recipiat, & consequenter aliquo modo sit ens rationis. Primam partem sustinet Perer. lib. 12. cap. 13. Tol. 4. Phys. qu. 15. Fuentes qu. 3. dist. 1. Ruvius tract. 1. de Tempore q. 1. Compl. disp. 21. Phys. qu. 1.

Attamen distinguendum est juxta prædicta, quod tempus est ens reale acceptum pro mensura in potentia remota, quomodo dicitur entitatem motus cum uniformitate, velocitate, & paritabilitate, & discretionem habet qualitativam a Ruvio appellatam secundum modos prioris, & posterioris, nisi enim haberet partes priores, & posteriores, non posset esse mensura motus, & hoc sensu intelligenda est Scriptura, cum ait, Deum fecisse tempora, & quod ante opus intellectus res dicitur esse in tempore, mensurabilis tempore, diuturnior alia & similes locutiones, verificantur enim de tempore ratione mensuræ aptitudinalis remota, quam habet a parte rei, quomodo etiam sæpe locutus est Scot. cit. At si sumatur pro mensura activa in potentia proxima, necessario dicitur aliquid rationis,

quia discretio illa qualitativa partium secundum prius, & posterius non sufficit, ut proxime sit applicabilis ad mensurandum, quamvis hæc discretio prærequiratur, sed requiritur etiam, ut partes habeat determinatas, certas, & quasi discretas, ac separatas per designationem, ut diximus, quam designationem non habet tempus ex se, sed ab intellectu, hinc Arist. 4. Physic. 131. ait, si non esset anima, non esset tempus, & Doctor in 4. dist. 48. cit. tempus ultra motum successivum fundamentaliter dicere uniformitatem, & velocitatem, formaliter vero rationem mensuræ, quæ secundum ipsum 2. dist. 2. qu. 3. ad primum princ. est tantum relatio rationis. Tandem ut dicitur rationem mensuræ æqualis, sic consistit in relatione causæ in cognoscendo ad cognitum, per ipsam, quæ relatio non est simpliciter rationis, sicut secunda intentio, ut diximus in Not.

Sed contra argues; Philosophia non est de ente rationis, est tamen de tempore. Tum quia mensura debet esse cum mensurato homogenea, at motus, cujus mensura est tempus, est realis, ergo & tempus. Tum 3. quia tempus contrahit ens successivum in communi ad proprium esse, quantitas enim successiva dividitur in motum, & tempus, ergo non per aliquid rationis quia ens reale per differentiam realem contrahi debet. Respondemus, non esse de ente, quod est secunda intentio, potest tamen esse de aliquo rationis, quatenus complet ens reale, & facit ad cognitionem illius. Ad 2. sufficit, ut sit pro fundamento homogenea. Ad 3. tempus in ratione mensuræ non contrahit essentialiter ens successivum in communi, sed accidentaliter per aliquam differentiam, quæ sibi accidit, unde est quoddam artificiale ex aliquo reali, & intentionali constitutum, nec quantitas successiva est vere genus ad motum, & tempus istud.

46 Colligitur 2. decisio alterius dubii, quomodo scilicet tempus distinguatur, & a subiecto, cui inest, & a proprio mensurato; nam in ordine ad motum primi mobilis si accipiatur pro re, quæ est mensura, & fundamentum remotum, non distinguatur realiter a motu, quia est ipsemet motus successivus, si pro rationibus fundamentalibus, quæ requiruntur ad mensurandum, ut sunt uniformitas, & velocitas, realiter a motu distinguatur, quia idem motus potest esse tardus, & velox, & successiva, ut habet Doctor in 2. d. 2. qu. 2. E. & quod. 18. V. si vero pro mensura proxima aptitudinali, vel actuali; sic distinguitur, realiter secundum quid, quia non est aliquid reale, quod requiritur ad distinctionem realem simpliciter, sed aliquid rationis. At tamen a suo mensurato semper realiter distinguatur, vel simpliciter, si accipiatur, ut dicit aliquid reale, vel secundum quid, si ut subest alicui intentionali, consideretur.

Quoad 2. principale, an scilicet ratio mensuræ soli tempori, & successiva durationi conveniat, an vero etiam durationi permanenti, quale est ævum, vel æternitas, ita ut unum ævum detur omnium mensura, est lis inter aures, nam Thomistæ partem sustinent affirmativam cum D. Thom. 1. p. qu. 10. art. 6. quos sequitur Aversa qu. 29. sect. 7. & communiter citatur Scot. pro hac opinione in 2. dist. 2. qu. 3.

47 Advertendum est tamen, quod ratio mensuræ in cognoscendo, de qua loquimur, non consistit in hoc, quod est cognoscere duo simul existere, seu coexistentiam duorum, sed in cognoscere quantitatem ignotam per alteram notiore, non quidem quoad perfectionem, & quantitatem virtutis, quomodo loquitur Scotus cit. unum ævum posse dari omnium mensuram, vel quod ævum superioris Angeli sit inferioris mensura, hæc enim acceptio est præter rem, neque ævum, ut sic, sed potius æviternum ipsum, ut propriam habet perfectionem, dicitur mensura; sed loquimur de mensura in cognoscendo quoad durationem, & extensionem successivam, quæ potest cognosci tantitas, vel tantitas durationis, alicujus rei; ad quam mensuram parum spectat, quod sit perfectioris, & nobilioris rei, hoc enim requiritur ad rationem mensuræ in perfectione quidditativa, sed solum quod notior sit alicui intellectui, quamvis sit imperfectior, sic ferreo pondere metitur auri pondus. Ex quo sequitur, hanc rationem mensuræ solum desumi in ordine ad nostrum intellectum sensibus alligatum, non vero in ordine ad intellectum separatum, nisi de æternitate Dei loquamur, ratio est, quia intellectus separatus æque cognoscit quamcumque durationem creatam, ergo unam per aliam non cognoscit, solum percipiet coexistentiam illarum durationum, at intellectus separatus clarius cognoscit creatam durationem, quam incretam æternitatem, & nos magis cognoscimus motum primi mobilis, quam cæteras durationes, idcirco in his casibus duratio notior habebit veram rationem mensuræ.

Dicimus rationem mensuræ non posse convenire alicui durationi permanenti, sed tantum successivæ, ita Scot. in 2. dist. 2. qu. 3. quem sequuntur Valg. 1. p. dist. 34. cap. 2. Suar. disp. 50. Met. sect. 6. & probatur ab ipso; duratio permanens æque invariata manet, ac quælibet alia, quamdiu manet res a parte rei, & ut plurimum indivisibilis est, ita ut illi repugnet successio partium, vel saltem si habet partes, simul sunt, ergo nequit esse mensura alterius, prob. confeg. illud est hoc modo mensurabile, cujus quantitas cognoscitur ad cognitionem alterius, at cognita existentia unius Angeli v. g. non possumus in cognitionem alterius durationis devenire, sed solum, vel quod fuerint simul creati, vel unus post alterum, prius tamen cognita existentia alterius, quod est concipere relationem coexistentiæ, non rationem mensuræ, ergo &c. Neque dicas cum Aversa, durationem permanentem esse virtualiter divisibilem,

& ut sic posse mensurari, & mensurare. Quia ut ipsemet concedit non existentia Angeli, ut formaliter duratio, erit mensura, sed potius ratione coexistentiæ, quam dicit ad durationem aliquam extrinsecam successivam, dicitur mensura; unde rectius tempus, cui coexistit, vocari debet per se mensura. Quapropter ratio mensuræ non nisi tempori reali, vel imaginario convenit, quia omnia in ordine ad ipsam mensurantur, tum quia nulla alia mensura nobis est notior, quam tempus.

48 Quoad 3. principale, quæ scilicet res tempore mensurari dicantur. Dicimus 1. omnia successiva, tam materialia, quam spiritualia, & eorum privationes, tempore nostro mensurari. Ita Doct. in 2. d. 2. qu. 4. & 11. & quod. 11. F. & in 4. d. 48. qu. 2. H. & probatur primo de entibus successivis materialibus, quia respectu istorum tempus nostrum, sive actuale, sive potentiale, habet omnes conditiones mensuræ, ut dictum est. Ex quo sequitur, mensurari non solum per se primo durationem motuum, verum etiam ipsorum velocitatem, & tarditatem, ut notat Doctor 2. d. 2. qu. 2. E. habita tamen ratione ad quantitatem spatii, vel termini, æqualem, majorem, vel minorem, quia inde cognoscimus motum unum velocem, aut tardum, cum esso super eandem quantitatem sicut illi motus, unus tamen consumit plus, vel minus temporis, quam alter, vel quia æquale tempus ambo consumunt, quamvis unus fiat super majorem quantitatem. Solum potest dubitari de motu primi Cæli, an sit etiam tempore mensurabilis, cum sit idem, quod tempus, & mensura realiter a mensurato debent differre. Sed resp. Doctor 2. d. 2. qu. 3. esse mensurabilem, non quidem secundum totum, sed secundum partem, quatenus cognita una parte, & illa replicata, metitur diem, hebdomadam, &c. & hoc modo mensura distinguatur a mensurato, quia una pars realiter ab alia distinguitur, & aliquo modo verificatur dictum Arist. 4. Phys. 117. videlicet temporaneam a tempore excedi, quatenus totum tempus æternum secundum ipsum excedit partem mensuram. Neque Doctor 4. d. 48. qu. 2. sibi contradicit, dum ait tempus non esse in motu Cæli, sicut unam quantitatem in alia quantitate, & consequenter non posse esse mensuram illius; quia Doct. ibi loquitur de mensura totali, & adæquata scilicet, quod totum tempus non est quid superadditum toti motui primi Cæli, sed materialiter est ipse motus, qui in partes secutus potest partialiter se ipsum mensurare.

49 Secundo quod motus Angelorum spirituales mensurent, est contra Thomistas, asserentes, non tempore nostro, sed sublimiori in supremo Angelo collocatur mensurari. Et probatur a Scoto cit. quem fere omnes Recentiores sequuntur, motus Angelorum quoad durationem sunt ejusdem rationis cum tempore, & materialitas, ac spiritualitas non faciunt ad rem, quia motus materiales prædicamento inter se differunt, ut actio, & alteratio, at motus locales Angeli, & rei materialis sunt ejusdem prædicamenti, & tamen illi tempore mensurantur: tum quia istud illi tempus non datur, nam nullus motus regularis, & continuus datur in Angelo; vel quod sit conaturalis ei, qua ratione mensura ponatur cæterorum, cum quilibet sit libere ab Angelo factus. Tum quia si daretur, adhuc non esset ad propositum, quia æque nobis esset ignotus, ac alii Angelici motus sunt nobis ignoti, quapropter tempore nostro mensurabuntur, si tamen possent aliquo modo cognosci motus illi a nobis, vel si esset aliquis intellectus, qui non cognosceret æque omnes motus. Quæ conclusio non solum intelligitur de motibus continuis, verum etiam de discretis, nam motus discretus duo dicit, scilicet numerum, & motus illos se invicem consequentes, numerus non potest aliquo tempore mensurari, sed solum unitate; motus illi, cum sint, vel successivi, vel instantanei jam tempore, vel instanti temporis mensurabiles erunt. Nec refert, quod motus Angeli aliquando sit velocior motu Cæli, sit alterius rationis, & ab illo non dependeat. Quia potest dari mensura major mensurato; nec est de ratione mensuræ quantitas continua, quod sit indivisibilis omnino, sed quod habeat determinatam parvitatem. Neque requiritur homogeneitas specifica, sed sufficit generica inter mensuram, & mensuratum, & tandem mensuratum in cognoscendo non debet pendere in esse mensura, unde si Cælum non moveretur, tunc omnes motus mensurarentur tempore potentiali, & imaginario ad modum istius positivi conceptu.

50 Tertio, quod mensurat privationes motuum, patet ex 4. Phys. 118. privatio mensuratur, & cognoscitur per formam oppositam, ergo, & ejus duratio mensuratur per durationem formæ oppositæ, quies autem est privatio motus, potest tamen dici, quod per accidens mensuratur, ut ait Aristoteles quatenus per aliud scilicet per motum oppositum cognoscitur; & potest etiam dici per se mensurari, ut ait Scot. quatenus id per se dici potest convenire privationi, quod convenit ei, in quantum est talis naturæ, hoc autem quod est ipsam esse tantam, vel tantam invenit ei, in quantum est tanti, vel tanti positivi privatio, tanta enim privatio est successio in partibus formæ, quanta nata est esse successio in eadem forma. Quod etiam intelligendum est de quiete primi Cæli post Judicium, ut ait Scot. cit. nam tunc mensurabitur non positive, & per tempus reale, sed privative, & per tempus potentiale, ac imaginarium.

Dices, si tempus est mensura motus durantis, tunc tempus mensurabitur, quia motus, ut durans, est tempus, sequitur etiam propter identitatem temporis cum motu, motum esse mensuram motus, cur ergo dicitur tempus tantum esse mensuram motus, eo vel maxime, quod Philofophus dixerit 4. Phys. tempus quoque motu mensurari. Resp. in re unum tempus, & unum mo-

rum ab altero mensurari, & rationabiliter quidem, quia mensura debet esse homogenea, unde duratio non nisi duratione mensuratur; dicitur autem tempus potius esse motus mensura, ut distingatur tempus extrinsecum ab intrinseco; & per hoc Arist. qui loquebatur de quocumque motu, & tempore, nec esse motum, quia unus motus, si est notior uni intellectui, potest esse mensura alterius, at apud alium intellectum erit mensuratum, quia ignotior.

51 Dicimus 2. tempus posse esse mensuram quarumcumque rerum permanentium, etiam spiritualium, quatenus eam existentiam habent virtualiter divisibilem. Hac conclusio de rebus corruptibilibus est communis, non solum ut subfunt mutationibus (quomodo loquitur Doctor in 2. d. 2. qu. 4. ubi de duratione, & mensura intrinseca agens, negat postea, substantias, & permanentia tempore mensurari per se, accipit enim mensurari pro formaliter durare, non proprie, ut mensuram extrinsecam respicit; sic etiam intelligendus est Arist. cum dicit, substantias, ut quantas, non esse in tempore) sed debet intelligi etiam secundum proprias existentias, quia solemus dicere Petrum decem annis extitisse, durasse, &c. Qua ratione etiam idem ostenditur de spiritualibus; quamvis non ita perfecte metiamur existentias istorum, cum non habeamus perfectam notitiam, vel distinctam quod existant, neque totaliter possumus mensurare existentiam Angeli, qua sempiterna est a parte post, sicut fit in rebus temporaneis, quae incipiunt, & desinunt esse, unde a tempore possunt totaliter mensurari, & excedi. Quia etiam ratione aeternitas poterit secundum partem hoc modo mensurari, solemus enim dicere, Deum extitisse a principio mundi usque nunc, fuisse mille annis ante mundi constitutionem, &c. Dicimus, quatenus existentia istorum permanentium sunt virtualiter divisibiles, quia hoc modo habent cum tempore quandam homogeneitatem, quae sufficit ad istam mensuram. Hac Conclusio sustinetur praecipue a Vsq. 1. par. disp. 34. ipsamque in hoc sensu explicatam amplectuntur Faber 2. d. 13. c. 3. n. 18. & Vulpes 2. disp. 9. art. 6. in fine.

Dices, mensurari tempore est contineri, & pati a tempore ex 4. Phys. 115. 116. 117. ex quo deducit Philosophus, res, quae temper sunt, & esse non desinunt, non esse in tempore, nec tempore mensurari, quod etiam ait Doctor 2. d. 2. qu. 3. supra B. talia sunt incorruptibilia, ergo, &c. Respondemus, vel Philosophum loqui de duratione intrinseca, vel de mensuratione totali, & adaequata, quia solum corruptibilia mensurantur, quatenus tempore senescunt, & desinunt; unde subterfert tempus esse causam corruptionis rerum temporalium, eo quia principium habent internum corruptionis, & progressu temporis corruptuntur.

52 Quoad 4. an scilicet definitio data a Philosopho sit bona, not. quod de isto tempore extrinseco praecipue locutus est Arist. 4. Phys. unde tex. 95. ait, tempus, ubique, & apud omnia esse, & tex. 122. unum esse tempus, in quo omnia durant, & sunt in motu primi Caeli reperiri, & alia huiusmodi, quae nequeunt verificari de tempore intrinseco, quomodo si est mensura est tantum passiva, & ad multiplicationem motuum multiplicatur; hinc cum Arist. temporis definitionem assignavit in tex. 101. dicens, tempus est numerus motus secundum prius, & posterius: de tempore extrinseco mentionem fecit, quam definitionem debemus secundum omnes particulas explicare.

Prima particula est *ly numerus*, qui duplex est, unus numeratus, seu *qui*, & est multitudo rerum numerata; alter est numerans, seu *quo*, & hic est etiam duplex, vel simpliciter, & est numerus, ut habet esse objectivum in anima, quo omnia numeramus; vel secundum quid, & est ille, qui numeratus est, & numerans respectu diversorum, nam in ordine ad subiectum, in quo reperitur, dicitur numeratus, quatenus aptitudinem habet, ut numeretur a numero simpliciter numerante, at in ordine ad alia extrinseca dicitur numerans, quatenus potest assumi ad illa numeranda v. gr. ulna, ut habet octo palmos distinctos, & aliquid numeratum, & numerus octo palmorum, quo partes illas numeramus, est simpliciter numerans, at in ordine ad pannum potest etiam ulna numerus numerans dici, & mensura activa. Dubium est an tempus sit numerus numerans, an vero numeratus. Qui tenent, tempus quid reale completum esse independentem ab anima, dicunt sumi pro numerato, non actualiter, sed aptitudinaliter, quo sensu, inquit, significat discretionem illam qualitativam partium motus secundum prius, & posterius, seu extensivam durationem partium motus, non permanentem, sed successivam secundum prius, & posterius, unde consequenter sustinent, tempus hic definiti non pro extrinseca mensura, sed pro intrinseca duratione cuiuscumque motus, ut sic enim allata definitio cuiuscumque motui competit, & faveat Arist. tex. 110. dicens, tempus autem numerus est, non quo numeramus, sed qui numeratur, & tex. 102. tempus est, quod numeratur, non quo numeramus, ita praesertim Riv. cit. qu. 2. & Amicus tract. de temp. qu. 8. dub. 2.

53 Sed quamvis definitio sic explicata cuiuscumque intrinseco tempore possit accommodari; attamen rectius dicitur, hic definiti tempus extrinsecum; & consequenter in ratione mensurae activae, & ut numerus numerans est ut diximus, ita colligitur ex Scot. 2. d. 2. qu. 3. A. & B. ubi ait, motum esse in tempore est, sicut aliquid esse numero, & motum vocat numeratum, & mensuratum, tempus vero numerum, & mensuram, & habetur ab Arist. tex. 102. qui sic ostendit, tempus esse numerum motus, quae est definitio allata tex. praecedenti, plus, & minus

discernimus numero, motum autem plurem, & minorem tempore, numerus itaque quidem tempus est, & tex. 110. asserit, unum esse numerum, quo numeramus centum homines, & centum equos, quamvis plures, & diversae sint res numeratae, sic unum esse tempus ad varios motus commune, ex quibus constat secundum Arist. tempus esse numerum numerantem. Tum quia nu. proprie dicit mensuram, vel activam, si est numerans, vel passivam, si est numeratus ex 10. Met. initio, at tempus pro duratione acceptum non potest formaliter dicere rationem mensurae, sive activae, sive passivae ex dictis qu. 1. ergo si haec definitio est essentialis, non debet tempus, ut duratio intrinseca, per numerum, seu per mensuram definiti, sed potius per existentiam, quae est ratio formalis durationis; est tamen tempus numerus numerans, non simpliciter, sed secundum quid, quia est motus primi Caeli numeratus quidem, & distinctus ab anima, sed non solum hoc, verum etiam numerans, & mensurans alios motus, & hac ratione Arist. dicit, tempus esse numerum numeratum, non numerantem, scilicet non esse numerantem simpliciter, sed quia est numeratus, erit numerans secundum quid; & per hoc plures rationes solvuntur, quibus Adversarii conantur ostendere, tempus esse numerum numeratum.

54 Instabis, tempus permanet in esse absque eo, quod actu sit mensura, ergo non definitur hic ut mensura. Tum 2. quia tempus est quantitas continua, ergo nequit per discretam definiti, qualis est numerus, & maxime si ly numerus ponitur pro significato formali. Tum 3. quia mensura est notior mensurato, tempus non est notius motu, sed e contra ex 4. Phys. 99. & 100, ubi habetur, tunc prius, & posterius in tempore cognoscimus, cum noverimus in motu prius, & posterius. Respondemus, antecedens esse verum de tempore, ut est duratio intrinseca, non ut mensura; neque hic definitur ut mensura actualis, sed aptitudinalis in potentia proxima. Ad 2. resp. numerum simpliciter numerantem esse quantitatem discretam, at secundum quid numerantem posse esse quid continuum, quando est constitutum ex unitatibus, non reipsa discretis, sed solum mente sejunctis, ut in proposito; & numerus, ut dicit collectionem unitatum, non est formale temporis, sed materiale, formale vero erit ratio mensurae in illis partibus fundata, quae relatio quaedam aptitudinalis est ad mensurabilia. Ad 3. tempus est ignotius motu primi Caeli, in quo subiectatur, respectu cuius totaliter accepti non dicitur mensura activa, est tamen notius aliis motibus, quos mensurat, & licet aliquando utamur istis motibus ad cognoscendum tempus, hoc fit, sicut cum per rem mensuratum cognoscimus mensuram, ut cum cognoscimus capacitatem vasis ex vino mensurato alio vase, & rebus numeratis ipsum numerum.

55 Secunda particula est *ly motus*, per quam communiter intelligitur subiectum temporis, & cuius tempus est passio, qualis est motus primi Caeli in sententia eorum, qui sustinent, tempus hic definiti in ratione mensurae, vel quilibet motus secundum tenentes definiti in ratione durationis. Verum postea dicit, & forsitan melius, per motum hic non intelligi subiectum istius temporaneae mensurae, quia hic motus iam includitur in prima particula, quando explicatur in ratione numeri numerati, & numerantis, per talem enim numerum intelligitur motus primi Caeli, cui soli conveniunt conditiones mensurae activae, sed potius possemus asserere, explicari terminum istius mensurae activae scilicet quemlibet motum, sive localem, sive alterativum, sive augmentativum, omnis namque motus est tempore mensurabilis, imo est terminus primarius, ipse temporis, & ratio huius erit, quia relativum per suum correlativum debet definiti, tempus, ut mensura, est relativum, & ad motum in communi, ut ad correlativum terminatur, & quamvis non adaequatum, quia multa alia tempore mensurantur, ut diximus saltem ut principale analogatum, ergo motus in communi debet ingredi temporis definitionem.

56 Tertia particula est *ly secundum prius, & posterius*; quae multipliciter exponitur, primo pro divisibilitate motus, secundum quam est a tempore mensurabilis, & est divisibilitas in partes successivas, & secundum moram, nam motus, ut colligitur ex Scot. 2. d. 2. qu. 2. E. triplices partes habet, aliquae sunt rationes subiecti mobilis, ut pars motus in capite, & pars, quae est in pede, aliae proveniunt ex parte forma, quatenus forma est per partes acquisibilis, & aliae ratione successionis, & morae secundum prius, & posterius, motus non est mensurabilis tempore ratione primarium, & secundarum partium, quia omnes illae possunt esse simul, & maxime primae sunt simul, sed ratione partium secundum prius, & posterius; sic videtur explicare, & intelligere hanc particulam ibi Scotus. Secundo explicat Burzlus pro duobus indivisibilibus, inter quae pars temporis numeratur, & determinatur ab intellectu, nam quando mensura est continua, debet ab anima secerni in quaedam partes determinatas, & certas, quae se habebunt ad modum unitatum, ut supra diximus, & talis determinatio fit ex assignatione duorum indivisibilium claudendum quamlibet ex illis partibus, ut ergo explicaret Arist. quomodo tempus debet esse mensura in potentia proxima, ait, fieri per designationem duorum instantium, quorum unum est prius, alterum posterius, ex qua designatione resultat pars temporis determinata, puta hora, qua postea utimur ad mensurandos alios motus, & hac expositio fundamentum habet in ipso textu, nam Philosophus in tex. 100. ait, Cum enim extrema altera a medio intellexerimus, duoque dixerit anima ipsa nunc, hoc quidem prius, illud vero posterius, tunc, & hoc diximus esse tempus, quod enim determinatur ab ipsis nunc,

nunc, tempus esse videtur, & subiungit postea temporis definitionem, & secundum istam explanationem facilius responderetur ad objectionem supra positam, quod scilicet tempus, cum sit continuum, non potest esse numerus, quia numerus hic sumeretur pro aliqua parte continua numerata, idest determinata per duo indivisibilia extrema, quo modo non est quantitas discreta.

Dices, prius, & posterius sunt partes temporis, & per tempus explicatur, ergo ly tempus per haec quoque explicatur, iam committitur circulus. Respondemus juxta sequendam expositionem prius, & posterius hic non sumuntur, ut partes temporis, sed pro illis indivisibilibus; at juxta primam dicimus sumi pro partibus motus mensurati, quomodo sunt partes rem-

poris intrinseca, at tempus extrinsecum habet partes priores, & posteriores mensurantes, ideo non committitur circulus, sed debet hoc fieri, quia relativa sunt simul definitione.

Quapropter sensus huius definitionis est iste, tempus est mensura, non quidem a rebus avulla, & solum in mente existens, sed mensurata, & in motu primi mobilis subiectata, potens mensurare alios motus, & secundum successionem, & moram, vel quatenus est mensurata, & ab anima determinata inter duo indivisibilia, quorum unum est prius, alterum posterius. Quae definitio est optima, quia explicatur genus, cum dicitur mensura, & differentia circumscriptur per reliquas particulas ut patet; alteri a tempore non convenit, & declarat adaequate essentiam, & quidditatem temporis.

DISPUTATIO DECIMAQUARTA.

De Inceptione, & Desitione creaturarum.

Durationem creatam diximus in praec. disp. ab increata differre, eo quia increata dicit existentiam simpliciter indefectibilem, creata vero defectibilem, & ab intrinseco annihilabilem, unde, & incipere, & desinere potest; imo quamvis creatura aliqua esset ab aeterno producta, & in aeternum duratura, adhuc vera aeternitate non duraret, propter illam potentiam objectionem, quam habet ad desinendum; idcirco post disputationem de Duratione rerum, subiungimus hanc de Modis, quibus res creatae incipiunt, & desinunt, vel possunt incipere, & desinere. Et quia in conceptionem in esse aliqui posuerunt ita intrinsecam creaturae, ut per hoc, quod est incipere esse aeternum ab aeternitate scerni dixerunt, hinc in duas quaestiones dividitur praesens disputatio. Prima erit de Inceptione, & Desitione possibili secundum aeternitatem, an scilicet de potentia Dei absoluta potuerit esse aliqua creatura ab aeterno, & in aeternum potuerit durare; Secunda de Inceptione, & Desitione in tempore.

QUESTIO PRIMA.

An implicet, dari creaturam aliquam sine principio, & fine.

ARTICULUS PRIMUS.

Deciditur questio quoad permanentia.

Duplex genus entis datur creati, permanens, & successivum, de utroque potest intelligi quaestio, maxime, quia formae speciales habent difficultates. Attamen quoad 2. partem quaestionis, an scilicet possit dari creatura aliqua in aeternum duratura, facilis est solutio, omnes enim affirmative respondent, eo quia virtus, qua Deus cum tali ordine, & successione rerum mundum produxit, & usque nunc ipsum conservavit, non est, nec erit diminuta per infinitum tempus a parte post, ergo omnem creaturam possit in aeternum conservare, ita arguit Doct. 4. dist. 84. qu. 2. §. Ad quaestionem &c. tum quia vel ista creatura est corruptibilis, vel incorruptibilis, prima destruitur per actionem contrarii, vel per cessationem actionis, & conservationis agentis naturalis, Deus vero utramque causam potest impedire, nam potest suspendere concursus ad actionem contrarii, ut fecit in fornace Babylonis ex Scot. 4. dist. 49. qu. 13. & etiam non concedendare ad cessationem actionis agentis naturalis, ut facit in Beatis, & damnatis, illi enim nequeunt a beatifico actu cessare, nec isti possunt potentia proxima se avertere a consideratione infernalis ignis, ut docet Doctor 4. d. 44. qu. 2. & dist. 49. qu. 6. Postea tamen contra hoc argui rationibus illis, quibus impugnatur, infinitum saltem in esse objectivo, de quibus disp. 10. solum ergo dubium est de productione ad aeternum. Et quidem quoad ens permanens negant Henric. quolib. 7. qu. 7. & 8. & multi ex antiquis, quos sequuntur Tol. 8. Phys. qu. 2. Val. 1. p. qu. 3. de Deo Creatore part. 2. & Averfa qu. 31. sect. 9. affirmant Thomista, & Nominales, Ruvius 8. Phys. qu. 2. Mutus ibidem disp. de Aetern. Mundi qu. 10. 11. & 12. Compl. disp. 29. qu. 3. Conimb. ibidem cap. 2. qu. 6. art. 2. Moris. disp. 6. Physic. qu. 5. Hurt. disp. 16. Phys. sect. 1. Vsq. 1. part. disp. 177. & alii. Scotus vero in 2. dist. 1. qu. 3. est problematicus & pro utraque opinione rationes adducit, & solvit, tamen magis ad affirmativam partem inclinat, unde Scotista hanc partem sunt amplexi, ita Canon. 8. Phys. qu. 1. Tatar. quest. dist. 2. Faber in 2. disp. 6. Bass. 2. dist. qu. 5. Smifinch. tr. 3. disp. 7. nu. 83. & seq. quamvis alii etiam problematice utrumque defendant, ut Vulpes 2. p. disp. 6. art. 5. & 6. Parisenses 8. Phys. qu. 1. collat. 1. Quoad successiva vero, qui negant de permanentibus, multo magis idem de successivis negant, & praeter illos Ruvius, Huradus, Moris. & ex Scotistis Licherus, & Gratianus in 2. dist. 1. qu. 3. Vulpes cit. art. 7. & Smifinch. cit. Qui vero affirmant de permanentibus multi ex illis id ipsum de successivis dicunt, maxime de motu circulari, & ex Scotistis sequuntur Tataricus, Canon, Faber, & Bassol. cit.

Dicimus, non implicare ens permanens esse ab aeterno. Haec Concl. ostenditur per illam maximam Doctores, quam adducit in 4. dist. 10. qu. 1. Deo scilicet esse possibile omne, quod non includit evidenter contradictionem, vel ad quod non sequitur necessario contradictio; ponendo ens permanens ab aeterno producibile, nec asseritur aliquod contradictorium, nec sequitur aliqua contradictio, ergo &c. Minor prob. eodem modo, quod Scotus cit. probat, idem corpus esse in pluribus locis non implicare, scilicet solvendo rationes in contrarium. Tum quia haec positio consonat auctoritatibus Sanctorum Patrum, nam Aug. 6. de Trin. cap. 1. dicit, quod si ignis esset aeternus, splendor ab eo causatus esset coaeternus, & 10. de Civit. Dei cap. 12. habet, quod si pes ab aeterno esset in pulvere, semper ei subesset vestigium, ergo si per Augustinum creatura, si esset ab aeterno, possit habere effectum sibi coevum, nec dependentia effectus a causa repugnat cum aeternitate, multo magis idem de Deo dicendum. Possit etiam probari rationibus illis, quibus in seq. articulo probabitur, ens successivum posse esse ab aeterno; nam responsiones illis applicatae non solvunt, si de permanentibus formarentur.

Sed contra objicitur 1. auctoritatibus SS. Patrum Augustini. contra Felicianum Arianum sic definit creaturam: creatura est ex eo, quod nondum est, vel aliquando non fuit, corruptibilis rei, quantum in se est, omnipotentis Dei voluntate facta substantia. Athan. orat. 2. contra Arianos, non posse creaturam, quippe quae de non esse ad esse traducitur, coaeternales esse opifici suo, idem habet Damasc. 1. de Fide cap. 8. & saepe repetunt Patres contra Arianos probantes Filium Dei divinitatem, & non creaturam esse, ex ipsius coaeternitate cum Patre; unde Bassol. libr. 2. contra Guno. ait, eisdem amentiae esse creaturam aeternam asserere, ac Creatorem non aeternum dicere. Tum 2. quia creatio est productio alicujus de nihilo, ergo nihil, seu non esse debet praesupponi; & praecedere esse creaturae. Tum 3. quia de ratione creaturae est, quod ex se habeat non esse, cum sit libere creata, ergo requiritur, ut prius non sit.

4. Resp. Scotus ad D. Augustinum definitionem allatam adduci ad hominem, Arius enim contendebat de ratione creaturae esse, inceptionem esse temporaneam, ex quo principio Patrem ipsum redarguebant, ostendendo Filium Dei non esse creaturam propter sui aeternitatem, & per idem ad alios Patres; verum est tamen multos Patres loqui de facto non possibili, & secundum convenientem cursum quidditatis naturae creatae, quae magis petit fieri in tempore, quam ab aeterno; vel contra opinantes mundum ad aeterno fuisse. Secundo respondet concedendo, quod de ratione creaturae, ut creatura est, sit temporanea inceptio, eo quia vel creatio involvit formaliter, vel connotative respectum ad non esse immediate praecedens, ut ait Doctor quol. 12. qui respectus non adesset in aeterna causatione, & sic nullum ens potest esse ab aeterno, quatenus creatura, at quatenus ens causatum possit esse, nam tunc non diceretur creatum creatione propria dicta, sed causatum, quod ultra productionem dicit dependentiam.

dentiam in esse, quo sensu effectum, & increatum non dividerent sufficienter ens in communi, nisi creatum sumatur largo modo, ut cum causato convertitur; qua responsione adaequate fit satis omnibus autoritatibus. Per idem ad 2. cum adducitur creationis definitio; vel dicendum, quod nihil precedere debet, non necessario per aliquod tempus, sed sicut instant naturam. Ad 3. vel ly non esse accipitur infinitanter, & negatur, faceret enim sensum affirmativum, creatura scilicet secundum se est non ens, quod est falsum, vel sumitur negantur, & conceditur, quia facit sensum negativum, id est creatura ex se non habet esse sed ab alio, & idcirco negat consequentia, quia etiam esset ab aeterno, esset quoque ab alio. Vel dic, quod habet non esse, non quidem in tempore, sed in instanti naturae precedens.

Contra ubi aliqua opposita immediate sunt impossibilia pro eodem instanti temporis, talis est ordo durationis inter ea, quoad convenire, & inesse alicui, qualis est ordo naturae, hoc patet, ex quo enim sunt immediata, necesse est, alterum eorum in esse, ex quo vero sunt opposita, non possunt inesse simul, sed unum prius altero, & tale erit id quod est prius natura, sed esse, & non esse respectu creaturae sunt huiusmodi, & non esse praecedat natura, ergo non poterit non esse in eodem temporis instanti convenire creaturae, in quo convenit esse, sed prius duratio debet non esse creaturae competere. Resp. Doctor ex his, quae dixit quae 2. eisdem dist. quod aliquid convenire prius natura alicui, quam aliud, stat dupliciter, vel positive, quando scilicet ambo conveniunt, & vere insunt, ut animam, & rationale in homine, vel privative, quando scilicet non inest, sed inesset, nisi per aliud impediretur, ut se habet privatio in materia, quae prius nata est in esse, quam forma; at si materia concreta cum forma, privatio non inest, sed prius natura dicitur convenire, quia inesset, nisi agens impediret producendo formam in materia; ad rationem ergo, major est vera, si positive conveniant; falsa si privative, sicut est in proposito, non esse enim conveniret creaturae prius esse, nisi Deus impediret ponendo esse.

Secundo; Aut ista creatura semper produceretur, quando est, aut non semper, sed aliquando: si secundum, ergo in tempore incepit, si primum, ergo esset in continuo fieri, sicut ens successivum, neque distingueretur creatio a conservatione, quia si semper produceretur, semper creatur, & conservatur, & sic creatio, & conservatio essent omnino idem. Tum 2. quia sequeretur, istam creaturam non habere esse acquisitum, quia ipsum semper habuisset, & quod acquiritur, prius non habebatur; sequitur etiam fore indefectibilem, quia omne, quod est, quando est, necesse est esse, ex 1. Perier. cap. ult. & in aeternis idem esse, & posse 9. Met. 17. Tum 3. quia omne, quod communicat alicui esse per electionem, necessario praetelligit illud sub opposito illius communicari, quia electio non est respectu praesentis, sed futuri, ex 3. Eth. cap. 6. Sed Deus producendo creaturam communicat illi esse per electionem, ergo praetelligit ipsam non esse. Tum 4. quia quod est in potentia ad duo contradictoria, si acquirit unum, relinquat aliud, sed ab aeterno fuit verum dicere, creatura potest esse, & non esse: ergo si acquisivit esse, reliquit non esse, ergo prius habuit non esse.

Resp. Doctor, quod sicut Filius in divinis semper generatur, & tamen est summe permanens, sic creatura esset semper producta, & adhuc permanens, quia ly semper non dicit successivum durationis temporis, sed existentiam, & durationem aevi, neque tunc distingueretur creatio a conservatione, quia non adesset novitas essendi. Ad 2. neg. prima sequela, quia acquisitio stat cum aeternitate, quando non est cum novitate alicujus esse, sufficit enim, quod non sit ex se, sed ab alio, negatur quoque indefectibilem fore; cum probatur, respondet in 1. dist. 39. l. & 3. dist. 18. T. quod illa propositio intelligitur in sensu composito, & de necessitate ex suppositione, non in sensu diviso, & de necessitate simpliciter, id est supposito, quod creatura sit, necessario est; cum hoc tamen stat, quod potest non esse, quia contingenter est, dictum vero ex 9. Met. est verum in sententia Arist. ponentis entia aeterna summe necessaria, quare absolute negatur illa propositio. Ad 3. neg. major, sufficit enim, ut praetelligatur illud esse non repugnare illi, quomodo intellectus divinus ante decretum divinae voluntatis praetelligeret esse non repugnare creaturae; cum probatur, dicimus, quod electio potest dupliciter sumi, vel pro conclusione syllogismi practici, & sic conceditur major, sed negatur, Deum hoc modo agere per electionem, vel pro libera aliqua voluntate alicujus objecti contingenter volibilis, & sic est vera minor, sed major falsa, Arist. loquitur de prima, non de secunda electione. Ad 4. si per ly relinquat, intelligitur hoc, quod est, non habere, est vera major, sed neg. ultima consequ. sequitur: n. ergo non habuit non esse, si intelligitur hoc quod est amittere, quod prius habebat, falsa est major, aliter quia de facto Mundum non fuit ab aeterno, & habuit istud contradictorium, sequeretur, prius habuisse esse.

6. Tertio sequeretur, talem creaturam non creari libere: quod est falsum, prob. sequela, ad hoc ut Deus libere eam crearet, debet habere potentiam non creandi, vel ergo Deus potuit eam non creare, antequam creavit ipsam, vel dum creavit, vel postquam creavit; non primum, nec tertium, ut patet, neque secundum, quia tunc verificarentur duo contradictoria, esset enim verum dicere, aliquid ens posse esse creatum, & posse non esse creatum pro eodem instanti. Tum 2. quia si potentia

duorum actuum possunt esse simul, etiam, ut respiciunt actus illos, illi actus possunt simul esse, ergo si potentia creandi, & potentia non creandi simul fuerint in Deo ab aeterno in ordine ad creare, & non creare, etiam creare, & non creare simul possent esse, quod est falsum. Accedit 3. quod omne agens liberum est indeterminatum ad agendum, & non agendum, sed dato casu, Deus fuisset semper determinatus ad agendum, ergo necessario, & non libere produxisset illam creaturam. Tum 4. quia eodem modo se habent creatio, & annihilatio, sed quod annihilatur, necessario prius fuit: ergo quod creatur, necessario prius non fuit.

Respondemus neg. sequelam, cum probatur, dicimus, Deum dum creavit: & potuisse non creare, quatenus indifferens ex se praetelligitur in priori naturae ad producendum, & non producendum; ad 1. impugnationem neg. assumptam, quia ut propositiones modales sint contradictoriae, negatio debet cadere supra modum, non supra dictum, v. g. possibile est hominem esse ab aeterno, possibile non est, hominem esse ab aeterno. Ad 2. limitatur major, quando potentiae sunt compossibiles in ordine ad actus conjunctum, at quando solum divisim, negatur, sic in proposito, quia Deus habuit similitudinem potentiae creandi, & non creandi, sed non habuit potentiam simultatis. Ad tertiam, duplex est indeterminatio, alia de possibili, & est qua agens est indeterminatum ad posse agere, & posse non agere, alia est de inesse, qua est indeterminatum ad agendum, & non agendum, similiter determinatio est duplex de possibili, & de inesse: prima est, qua causa est determinata ad posse agere, vel non posse agere, secunda, qua est determinata ad agendum, vel non agendum, nullum agens potest esse indeterminatum indeterminatione de inesse, nam vel agit, vel non agit, & sic semper est determinatum determinatione de inesse: tunc ad argumentum major est vera de indeterminatione de possibili, non de inesse: ad minorem dicimus: Deum fuisse semper determinatum determinatione de inesse, indeterminatum indeterminatione de possibili, quod sufficit ad libertatem, quae consistit in hoc, ut agens liberum ita producat, ut possit non producere, & effectus, ita ponatur in esse, ut possit non poni. Dices, effectus est posterior sua causa efficiente ex 12. Met. 16. ergo agens prius debet esse determinatum ad non agendum, quam ad agendum. Resp. ex Scot. hic supra F. & 1. d. 39. P. quod causa non dicitur causa actu, nisi in illo priori natura, in quo praecedit effectum, nec requiritur, ut sit prior tempore, ut patet de Sole, & de luce. Arist. autem solum ait, causam formalem non praecedere tempore suum effectum, sed causam efficientem posse praecedere. Ad 4. paritatem valere de creatione, quae novitatem effendi includit, sicut annihilatio, non de creatione, quae simplicem productionem dicit qualis esset creatio aeterna, at annihilatio semper dicit aliquam novitatem.

7. Quarto, Omne, quod potuit esse aeternum, fuit aeternum, sed nullum ens creatum fuit aeternum, ergo non potuit esse aeternum; Major prob. potentia ad esse aeternum necessario conjungitur actu, ergo ubi est potentia ad aeternitatem, ibi est aeternitas, ergo quod potuit esse aeternum, fuit aeternum. Antec. prob. ubi potentia non necessario conjungitur actu, ibi potentia potest praecedere actum duratione, aliter necessario esset cum actu, & e contra ubi actus non potest sequi potentiam duratione, ibi necessario est semper cum illa, sed aeternitas actualis non potest sequi durationem suam potentiam, nec potentia ista potest aeternitatem praecedere; nam tunc non esset aeternitas, quia haberet principium durationis, ergo &c. Tum 2. quia nullum ens fuit aeternum, ergo nullum ens potuit esse aeternum. Prob. consequentia, quando propositio de praeterito est vera, est etiam necessaria, ergo si est necessarium, non potest oppositum advenire, sicut quia homo est rationalis, non potest esse irrationalis. Tum 3. sequeretur, has propositiones contradictorias, Deus creavit istud ens, Deus non creavit istud ens, esse simul veras, & simul falsas, essent verae, quia prima esset vera, & etiam secunda, quia illa propositio est de possibili, cujus de inesse est ista, Deus non creat tale ens, sed haec est vera nunc, & nunquam incepisset esse vera, quia in quacumque temporis differentia semper erit verum dicere, Deus non creat tale ens, aliter non esset ab aeterno, ergo semper est vera, ergo sua de possibili Deus non creavit Mundum est vera, quia per regulam Summularum, veritas propositionis de possibili cognoscitur ex veritate propositionis de inesse, ita ut si haec est vera, etiam illa, per idem probatur, quod ambae essent simul falsae, quia negativa est falsa, & etiam affirmativa, nam sua de inesse, Deus creat tale ens, nunc est falsa, & nunquam incepit esse falsa, ut dicebamus.

Respondemus ad 1. neg. majorem, ad prob. negatur antec. ad aliam prob. neg. major universaliter, datur enim aliqua potentia, quae si non reducitur ad actum, statim ac intelligitur reperiri, non est amplius reducibilis ad actum: sicut Petrus habet modum potentiam logicam, seu non repugnantiam ad nunquam esse productum, id est non repugnat Petro absolute, & simpliciter hoc praedicatum, cum contingenter sit productum, non tamen ista potentia, quia modo non conjungitur actu negativo, praecedat actum (nam etiam suspensio actus positivi dicitur actus, secundum potentiam liberam) ut reducibilis sit aliquando ad actum, quia non potest Petrus amplius non esse productus; sic in proposito, & hoc quia actus non est amplius producibilis. Ad 2. neg. consequentia, cum probatur, verum est antecedens necessitate ex suppositione, supposito enim quod fuit, jam non potest non fuisse

fuisse, non tamen necessitate simpliciter, ut sunt propositiones in materia necessaria, quae sunt sempiternae veritates. Ad 3. neg. sequela, ad Probatur. negatur, istam propositionem, Deus non creavit ens, esse de possibili, est enim de inesse, non modalis, quae erit ista, possibile est, Deum non creare tale ens ab aeterno, & esset falsa, dato casu; per idem ad 2. partem. Contra ex Philosopho 6. Physicor. 7. & 8. implicat, quod aliquis transivit A, non aliquando transiens A, ergo si erit verum dicere, Deus creavit tale ens ab aeterno, necessario aliquando debet esse verum, Deus creat tale ens ab aeterno, necessario aliquando debet esse verum, Deus creat tale ens, quod tamen nunquam verificatur, aliter non esset ab aeterno, ergo nec etiam ista de praeterito potest verificari, Deus creavit tale ens ab aeterno. Respondemus, dictum Philosophi esse verum de actionibus temporaneis, non de aeternis. Vel dicendum, quod illa propositio, Deus creat tale ens, verificatur, quia aeternitas omnibus temporis differentiis coexistit, & maxime per tempus praesens explicatur, ut docet Doctor 1. dist. 9. non tamen est necesse, quod detur aliquod tempus, in quo primo incipiat esse vera.

8. Quinto ex Averla, Plurimae res sunt, quae finito tempore debent durare, ut sunt vivencia, quae nutrirī debent, at si essent ab aeterno, quia non possent operationes illas ab aeterno exercere (ut etiam nos dicimus) ex vi creationis aeternae deberent aeterno tempore vivere absque nutritionis indigentia, quod repugnat, quia petunt ita produci, ut non repugnat productioni ipsorum ex propria ratione nutritio, talis esset aeterna productio. Tum 2. quia nequit creatura esse immensa, quamvis dependenter a Deo, eo quia est attributum divinum, ergo neque aeterna, & si cum dependentia ad Deum. Tum 3. quia sequeretur, creaturam per infinitum tempus habere esse necessarium, & penitus indefectibile, etiam spectata absoluta Dei potentia, quod est falsum, quia repugnat omnipotentiae divinae, & dependentiae creaturae a Deo durare independentem ab ipso, ex eo quod non posset illam destruere; est etiam contra contingentiam ipsius creaturae, quae ita existit, ut possit non esse; Sequela prob. annihilatur haec creatura ab aeterno producta a Deo; quando potest illam annihilare, vel annihilatur ab aeterno, vel in tempore; si primum, ergo ab aeterno esset, & non esset, si secundum, ergo cum ab aeterno utique ad instanti annihilationis mediet infinita duratio, aliter si esset finita, daretur principium aeternitatis, sequitur, quod tali tempore necessario, & independentem existeret.

Respondemus ad 1. si valeret, probaret, etiam, hominem per beatitudinem non posse reddi impossibilem, quia ut sic non indiget alimento, & ex vi talis conservationis non nutritur; quare dicimus a Deo in tali statu conservari, neque implicat, quia ab extrinseco provenit non ab intrinseco, & quod actu nutriatur, accidentaliter convenit, per se vero est nutritibilis. Ad 2. conceditur paritas, quia tam immensitas, quam aeternitas dicuntur necessariae, & independentem coexistentiam ad omnem locum, & tempus, sed sicut ubiquitous communicari potest creaturae ex Scot. 4. d. 10. q. 2. R. quia dicit coexistentiam utriusque ad omnem locum, sed contingentem, & dependentem, ita etiam communicari potest aeternitas, quae dicit coexistentiam utriusque ad omne tempus, sed contingentem, & dependentem, ex Scot. 4. dist. 49. quod 6. l. Ad 3. responderet Bassol. non haberet esse necessarium simpliciter, & absolute, quia poterat non produci, sed ex suppositione divini decreti, quod sit ab aeterno, neque hoc est falsum, cum probatur, negatur, independentem creaturam existere, semper enim creatura ex intrinseca sui natura est a Deo dependens, a quo accipit esse, & per aeternitatem est in continua dependentia; quare semper habet esse intrinsece contingens, at necessitas illa in creatura provenit ab extrinseco, id est a decreto divino, ex quo non sequitur, ut inferat Averla, necessitatem intrinsece convenire creaturae, aliter non esset necessitas ex suppositione, sed absoluta.

9. Sed dices, quod convenit alicui intrinsece, oppositum ejus nec intrinsece, nec extrinsece, potest illi convenire, ut patet de rationalitate, & irrationalitate respectu hominis, sed esse contingenter intrinsece convenit creaturae, ergo esse necessario; nec etiam extrinsece, potest illi convenire. Respondemus, adhuc probaret, nunquam creaturam necessario existere ex suppositione, & tamen stante decreto, quod Petrus vivat per biennium, in sensu composito, necessario sequenti anno viveret necessitate ex suppositione, idcirco dicimus, majorem valere de oppositis simpliciter, ut in exemplo adducto de rationalitate, & irrationalitate, non vero de oppositis secundum quid ex Scot. q. 4. Prolog. X. modo contingentia intrinseca, & necessitas intrinseca sunt simpliciter opposita, at contingentia intrinseca, & necessitas extrinseca sunt secundum quid opposita; hinc prima nullo modo possunt eidem convenire, non sic ista.

Alia quaedam offert Averla dist. 5. de Gener. q. 44. contra allatam solutionem ad tertiam quae diluimus in libr. de Caelo dist. 1. q. 5. ubi rursus de hac re agimus; interim tamen hic notandus est aperius error, quo detinentur Adversarii, dum enim argumento relato conatur necessitatem a creatura remove, eodem prolixius auferunt ab ea contingentiam; etenim si creatura est contingens, non minus contingenter respicit esse, quam non esse, ergo si repugnet essentiae creaturae necessitas essendi per infinitum tempus, etiam si ab extrinseco proveniens; idem multo magis ab Adversariis asserendum erit de non esse, scilicet quod repugnet creaturae neces-

fitas non essendi per infinitum tempus, si ab intrinseco petit incipere in tempore, ut ipsi dicunt; Rursus si repugnat, Deum necessario per infinitum tempus conservare creaturam supposito divino decreto aeternae creationis, cur inconveniens non erit Deum necessario debere non agere per infinitum tempus, si foret impossibilis productio aeterna creaturae; non minus enim subest divino dominio esse creaturae, quam non esse.

Sexto, si homo esset ab aeterno, vel posset exercere proprias operationes, vel non, sed infinito tempore quiesceret; non primum, quia non possunt duae mutationes esse simul, quando terminus ad quem unius est terminus a quo alterius, ut v. g. si paries de non albo fit albus, albus est terminus ad quem, si postea fiat non albus, albus esset terminus a quo hujus mutationis, quae mutationes non possunt simul esse, ut patet, sed creatio hominis, & mutatio facta in homine per illam operationem sunt huiusmodi, ergo &c. Tum quia daretur aliqua generatio, vel motus aeternus, quod implicat, ut in sequent. articulis. Neque dicendum, quod non potest exercere proprias operationes, quia, ait Averla, videtur impossibile, quod homo ille per infinitum tempus non intelligeret, non posset movere brachium, aperire, vel claudere oculos &c. & si foemina praegnans crearetur ab aeterno, quod per infinitum tempus non pareret, quia de ratione creaturae habentis virtutem operandi est, ut statim, ac existit, & postis omnibus requisitis ad agendum, valeat suam operationem exercere.

Pro solutione istius rationis breviter videndum est, quomodo, & quales operationes possit ille homo exercere si ab aeterno esset productus, & primo, non posset ab aeterno exercere illas operationes, quae necessario includuntur morum, vel mutationem, quia ad veram mutationem requiritur, ut terminus a quo duratione praecedat terminum ad quem, ut dist. seq. dicimus q. 2. tum quia si Eva fuisset ab aeterno, & potuisset ab aeterno generare, vel quando fuit creata, simul etiam generaret, vel generatio fuisset posterior creatione; primum est ridiculum, nam si simul recepisset semen efformasset fetum, fovisset, & peperisset; si secundum, jam non esset ab aeterno, cum nihil praecedere possit rem ab aeterno productam. Secundo, posset habere aliquam operationem non includentem in suo conceptu mutationem, sed rationem productionis, quo sensu Masius admittit generationem aeternam, & sic esset, simul cum homine a quo, tamquam a sua causa procederet, talis erit intellectio, volitio, vel alia immanens actio, vel transiens, ut productio lucis, si Sol esset aeternus, productio localis praesentiae, speciei visibilis, &c. Ita colligitur ex Scot. 2. dist. 5. quae 2. l. ubi vult quod Angelus in eodem instanti, in quo fuit productus, potuit intelligere, & velle, idem habet in 3. dist. 18. de Christo. Ratio est, quia habens esse perfectum, & objectum approximatum, vel passum, si non impeditur, potest in actum exire, quia effectus non exigit necessario suam causam tempore praecedere, sed natura, ex dictis dist. 8. q. 2. art. 2. sic se haberet homo ille in aeternitate productus. Verum est tamen, quod in isto casu huiusmodi homo derineri deberet per infinitum tempus sub illa intellectio, ut colligitur ex Scot. in hac quae. lit. F. Et probatur per tertiam rationem in praeced. argumento adductam, eadem enim est ratio de creatura respectu Dei, & de intellectio ab aeterno producta respectu hominis aeterni, hoc notato.

11. Respondemus ad argumentum, si actio non includit motum, posset esse coaeva cum homine. Cum impugnatur, resp. ex Scot. 2. dist. 5. qu. 2. H. majorem esse veram de mutationibus veris, & realibus, quarum termini duratione se consequuntur ad invicem, ut in exemplo adducto de pariete, non tamen de mutationibus impropriis, quarum termini ordine naturae tantum se consequuntur, quia subiectum non transit de uno termino ad alium; sic homo in eodem nunc esset terminus creationis, & subiectum intellectiois ab ipso productae, quomodo non vere mutaretur, sicut si ab aeterno generaret, quia generatio includit mutationem in suo conceptu, immo requirit multas alterationes praevias, non sic productio intellectiois. Ad secundam impugnationem negatur, quod tunc habeat omnia requisita, quia unum ex requisitis in actionibus successivis est, quod subiectum prius durationem maneat sub privatione, ita quod creatura illa per infinitum tempus permaneret in eodem statu, in quo fuisset ab aeterno producta; Neque hoc implicat, ut ait Averla, si enim secundum ipsum Deum, & si perfectissimam habeat creandi potentiam, necessario tamen deberet quiescere per infinitum tempus a creatione, cur implicanti hanc dicit in creatura, quae imperfecta est, imperfectamque haber operandi potentiam?

Argumentum alicuius rationibus, probantes ex hac positione dari infinitum in actu, puta infinitas animas, infinitas revolutiones Caelorum, &c. sed haec faciunt contra ens successivum, idcirco in sequent. articulo erunt istae rationes examinandae.

Deciditur questio quoad entia successiva.

12 Successio in rebus ab aeterno dupliciter potest contingere, vel continuata, ut si motus aliquis absque interruptione fuisset ab aeterno, quomodo Arist. posuit motum Celi absque principio, vel discreta, ut esset multitudo infinita motuum, & generationum disparatarum, sed ad invicem ordinatarum secundum prius, & posterius; quod dupliciter potest evenire, primo, quod datur v. g. primi homines ab aeterno causati, a quibus infinitae generationes procedant, ita assignabilis non sit prima, & immediata generatio ab illis proveniens, quod tergitur in prac. art. ad ult. Secundo, ut non sint tales homines assignabiles, sed semper progrediendo a parte ante in infinitum, non deveniendo ad aliquos primos parentes, qui ex aliis prioribus non essent generati; sicut Arist. posuit mundum ab aeterno.

Dicimus, nullum ens successivum de potentia Dei absoluta potuisse ab aeterno produci. Concl. habetur a Scoto 2. dist. 1. qu. 3. ad penultimum pro Henric. ubi expresse negat, eandem esse rationem de permanentibus, & successivis quoad productionem aeternam, & possibilitatem illorum concedit, istorum negat, & quamvis respondeat ultimo argumento pro Henric. quod facit contra ens successivum, non per hoc debemus deducere, Scoto huius fuisse opinionis, sed solvit, quia non concludit, & posset contra infinitatem successivi entis a parte post reformari aliquatiter ipsum pertractando; in quol. vero 7. X. cum dicit, multos Theologos concedere motum ab aeterno de potentia absoluta, loquitur in sententia ipsorum, non in propria; quapropter Prob. Concl. Primo rationibus illis, quibus disputatio 10. impugnat infinitum in actu; nam sic in infinitis dies pertransissent, infinitae noctes, fuissent infinitae generationes substantiales, & tamen quaelibet habuisset multas accidentales alterationes, sicut in una circulatione solari duodecim lunares fuissent factae, & tamen numerus solarium circulationum non esset major numero istarum, vel unum infinitum majus alio. Tum quia potuisset Deus constituere Solem in tali statu, ut propriam circulationem spatio sex mensium conficeret, & si generationes certo quodam tempore determinato ad invicem succederent, v. g. spatio duorum annorum, & hoc per totam aeternitatem, istud spatium potuisset ad medietatem unius anni coarctari, tunc quarimus, dato casu, haec circulatio annualis, & generatio hodierna quanto tempore ante fuissent, vel finito, vel infinito? si primum, ergo quia tempus abbreviatum est medietas totius temporis, totum tempus finitum esset, & sic non aeternum; si secundum, ergo haec circulatio, & generatio ab aeterno fuissent, & aliae praecedentes ante aeternitatem, quod implicat.

13 Secundo impugnat aeternitas entis continuo successivi, tum in primis non potest dari motus rectus ab aeterno, quia si duo lapides ab aeterno deorsum descenderent, unus tamen in duplo majori velocitate, hic lapis hodie duplo majus spatium pertransisset, quod nequit esse infinitum, cum claudatur duobus terminis, scilicet lapidibus, & infinitum nequit esse terminatum, erit ergo infinitum, & sic totum spatium finitum erit, ergo motus per illud factus non erit infinitus, quia finitum non pertransit tempore infinito. Nec etiam potest dari circularis motus, quia ut tangit Scot. pro Henric. in penult. ratione, si daretur aliquis motus ab aeterno, tanta esset duratio ab aeterno usque nunc procedendo, quanta esset ab isto nunc, usque in aeternum redeundo, & retrocedendo, sicut si daretur una linea, quae tantum ex una parte careret termino, tanta longitudo esset ab hoc puncto ad aliam partem termino carentem, quanta ab illa parte ad hoc punctum, sed retrocedendo ab isto nunc, impossibile est redire in aeternum, & totum tempus accipere in quacumque temporis differentia imaginabili, vel totum motum transactum, quia tunc infinitum pertransiret contra rationem ipsius, ergo e converso procedendo ab aeternitate impossibile est, quod perveniat usque ad istud nunc. Neque valet, quod dicunt Compl. cit. qu. 4. non esse hoc mirum, quia tempus ab aeterno usque nunc habet finem a parte post, idcirco potest ad istud nunc perveniri, at ab isto nunc usque in aeternum, licet habeat principium, non tamen finem a parte ante, ideoque nunquam absolvetur. Non valet, quia ex hoc deducit ratio implicatiam, si enim non potest retrocedendo totum tempus accipi per aeternitatem, eo quia infinitum esset per transactum ex ea parte, qua infinitum esset, pariformiter neque ab aeternitate usque nunc procedendo potest ad istud nunc perveniri, quia esset jam infinitum acceptum, etiam ex ea parte, qua infinitum est, sicut enim carentia finis facit, ut totum tempus a parte post non possit accipi, ita carentia principii erit in causa, quod totum tempus non possit esse acceptum. Tum quia successio de sua ratione formaliter dicitur prioritatem, & posterioritatem partium, id est definitionem partis prioris, & inceptionem posterioris, ergo si potuit ens successivum esse ab aeterno, ab aeterno quoque fuisset inceptio partis posterioris praesupponens definitionem prioris, ergo ante aeternitatem daretur pars prior, vel pars posterior per infinitum durationem post aeternitatem incepisset. Accedit etiam, quod si Sol ab aeterno cum motu fuisset creatus, hoc non fuisset ponendo Solem in omnibus partibus propriae circulationis, quia iste locus excedit Solem, & cum sit determinatum corpus, determinatum locum habuisset, qui sit Oriens v. g. nostri hemisphaerii, a quo

motus ab aeterno inceperit, quarimus, quantum temporis consumpsit, usque dum ad Occidentem pervenerit; non infinitum, quia spatium est finitum, cui tempus debet adaequari; si finitum, ergo totus motus fuit finitus.

Resp. Faber, negando Solem dato casu creatum fuisse in aliqua determinata parte, quia ante illam partem fuisset alia, & ante istam alia, & sic in infinitum, non enim in aeternis, ait ipse, est aliquod primum assignabile, sic etiam posset dicere, ut responderet Compl. ad aliam rationem, quod scilicet in successione aeterna non detur pars prima incipiens, & definens, sed qualibet data, altera, & altera in infinitum praecessisset, & idem arg. posset fieri de aeternitate a parte post, nam in tali aeternitate includitur prius, & posterius, & in aeternum erit definitio partis prioris, quam subsequetur definitio posterioris post aeternitatem. Contra, sicut motui locali in communi praesupponitur necessario, & mobile esse, & esse in loco, ad talem motum (ait Averis) requiritur tale mobile esse, & in tali loco reperiri, ergo prius Sol ferit indeterminata parte creatus, a qua postea moveatur. Tum quia successio de sua ratione formaliter in communi repugnat cum aeternitate, ergo & talis successio, antecedens prob. implicat prius, & posterius, ut sic esse cum aeternitate, non enim essent prius, & posterius, sed potius simul, ab aeterno enim esset prius, ab aeterno esset quoque posterius, vel unum ante aeternitatem, ergo implicat quoque successivum includentem prius, & posterius esse cum aeternitate. Nec est eadem ratio de aeternitate a parte post, quia haec est syncategorematica potentialis, nunquam in actu tota ponenda, sed finita in infinitum, at si esset jam accepta in actu, repugnat ipsi prius, & posterius, alia simul essent; ita quia aeternitas a parte ante fuisset posita, de sua ratione formaliter repugnat ipsi successio. Neque dicas, in argumento committi fallaciam, quia arguitur a divisis ad conjuncta; nam consideramus modo rationes formales aeternitatis actualis, & successivis secundum prius, & posterius.

14 Tertio impugnat successio aeterna, & discreta, non solum rationibus adductis, quae ad propositum possent formari, sed aliis; & primo contra primum modum, quia a Compl. defenditur, praeterquam in hominibus, propter infinitatem animarum, quae sequeretur, at in primis universaliter debebant loqui, quia ratio infinitatis esset in aliis generationibus saltem in mente divina; & posset Deus omnes animas sensitivas conservare, ut solus disp. 10. argumentatum est. Tum quia adest ratio in prac. art. adducta in resp. ad ult. Tum quia generationes illae ordine quodam succederent, ergo deberet dari prima, & vere a Deo cognosceretur Primogenitus. Secundo contra 2. modum, quem sequitur P. Faber; materia prima ita omni generationi praesupponitur, ut nullo agente creato possit produci, sed a solo Deo immediate, etiam si generationes ab aeterno fuissent; vel ergo materia a Deo ab aeterno producta fuit simul cum anima, vel successive disposita per alterationes praevias; si secundum, ergo hominum generationes non essent ab aeterno, quia praecedit aliqua duratio, in qua nulla generatio humana fuisset; si primum, ergo daretur primus homo a Deo creatus ab aeterno, & sic non daretur iste progressus in infinitum in generationibus. Neque dicas, non dari primam formam hominis in materia productam a Deo immediate, sed semper aliam, & aliam praecedere. Etenim hoc probat argumentum, cum materia ab aeterno praesupponeretur omni homini, saltem prioritate naturae, in qua actionem Dei creativam terminavit, vel enim fuit creata simul cum forma ab aeterno, vel non; quodcumque detur, semper sequitur, dari primum hominem, ut dicebamus. Ex his solvi possunt rationes a Baffol. pro affirmativa parte adductae, fundantur enim in non implicatiam motus ab aeterno, sicut non repugnat ipsi aeternitas a parte post; non est tamen eadem ratio, ut patet ex dictis.

15 Contra arguitur 1. ex Canon. quodcumque sunt aliqua duo ejusdem rationis, cui unum illorum non repugnat, nec aliud repugnat, sed principium temporis, & terminus temporis, cum sint duo instantia, sunt ejusdem rationis, ergo cui non repugnat primum, nec etiam secundum, ergo cui non repugnat negatio termini, ut est motus ex dictis in princ. quae nec etiam repugnat negatio principii. Patet ista consequentia negationes se habent, sicut affirmationes oppositae. Tum quia sicut se habet quantitas permanens in ordine ad suos terminos, ita successiva ad suos, sed illa non magis determinat ad terminum, quam ad principium, ergo, & ista, & consequenter si poterit esse sine termino, poterit esse sine principio.

Respondemus, quod terminus, & principium motus possunt dupliciter sumi, vel fundamentaliter, & sic dicunt duo mutata esse, & indivisibilia terminativa, vel formaliter, & sic dicunt rationem principii, quae consistit in relatione ad non esse prioris, & rationem termini, seu finis, quae consistit in relatione ad non esse posterioris, tunc concedimus totum primum argumentum, imo & dicendum, si de principio, & termino fundamentaliter sit sermo, negamus vero, si de ipsis formaliter sumptis, quia ut sic non sunt ejusdem, sed diversae rationis, quare solum sequitur posse motum esse sine illo mutato esse, sed loco illius habere aliud, supra quod ratio principii coeulerur. Ad 2. neg. major, si de terminis durationis loquatur, & conceditur minor, ratio disparitatis est jam in concl. assignata, at si de terminis magnitudinis sit sermo, est vera major, & solum sequitur, quod sicut quantitas permanens in infinitum potest augeri, nunquam tamen actu infinita potest esse, idem de successiva dicendum.

16 Secundo ex eodem, si hoc esset verum, maxime quia infinitum esset pertransitum, ut dicebatur in Prob. Concl. sed haec ratio concludit, quia non sequitur, si praeteritum fuit, ergo infinitum fuit pertransitum, quod prob. supponendo, quod non solum infinitum repugnat esse pertransitum respectu praeteriti, sed etiam esse pertransibile respectu futuri tunc sic, sicut se habet praeteritum ad fuisse, ita futurum ad erit, nam sicut est vera ista propositio, *Omne praeteritum fuit*, ita est vera ista alia, *Omne futurum erit*, sed non obstante, quod tempus erit infinitum a parte post, non sequitur, infinitum esse pertransibile, ergo nec etiam sequitur, & si omne praeteritum, fuit, quod infinitum sit pertransitum. Conf. non datur aliquod instans, in quo necessario debeat motus incipere in tempore, sed in infinitum potest incipere, ergo, & ab aeterno, sicut motus potest esse aeternus a parte post, quia non est determinatus ad aliquod instans, in quo necessario definere debeat.

Respondemus, admittendo illa ratione, neg. minor. cum prob. deinde conceditur suppositum, sed negatur paritas majoris, non enim valet in omnibus, nam ly fuit in prima propositione, supponit pro existentia tota in actu posita, ly erit in secunda, non significat existentiam, quae tota aliquando erit in actu, sed ita erit in actu, ut semper in infinitum alia supererit accipienda, idcirco neg. consequentia. Ad Conf. concedimus, Deum ante quodlibet instans signatum potuisse producere motum, sed negat. consequentia, ergo ante omnia instantia ab aeterno, quia sit transitus a propositionibus distributivis, quarum una, vel plures indeterminatae sunt cum aliis impossibilibus, ad propositionem collectivam, ut in simili de divisione continui dictum est in disp. 10. quaest. 2. Cum probatur, negatur paritas, quia aeternitas a parte post arguit infinitum in potentia, at a parte ante arguit infinitum jam acceptum.

17 Tertio sequeretur, motum necessario per infinitam durationem habuisse non esse, quod est falsum, quia in causis praecisis si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis, sed praecisa causa, quod motus sit, est, quia Deus dat ipsi contingenter esse, ergo praecisa causa cur non sit, est, quia Deus non dat contingenter esse, ergo quod non est, contingenter non est, ergo nunquam necessario non est. Tum 2. quia privatio, & habitus mensurantur eadem mensura, ergo si non esse fuit ab aeterno, etiam esse motus potuit faltem esse ab aeterno. Tum 3. quia quod motus in tempore inceperit, est articulus fidei, ergo nequit impossibilitas eius demonstrari, fides enim est rerum non apparentium secundum Apostolum Hebr. 19. hinc Arist. tam subtiliter investigans veritatem non cognovit istam impossibilitatem. Tum 4. si Coelum fuisset ab aeterno, habuisset potentiam ad motum ab aeterno, ergo potuisset habere motum, quia ad impossibile non est potentia. Antecedens patet, quia fuisset corpus naturale, ergo & mobile.

Respondemus neg. falsitatem, ad prob. neg. minor, causa enim praecisa, cur motus sit, est, quia Deus dat ei esse, causa vero praecisa, cur contingenter sit, est, quia dat ei contingenter; e contra praecisa causa, quare non sit, est, quia non dat esse, quod autem contingenter non sit, est, quia potest non dare esse, quare cum ab aeterno Deus non poterit dare esse motui, necessario non fuit ab aeterno. Ad 2. antecedens est verum in privative oppositis, non tamen in contradictorie oppositis, unde illa est negatio motus, non privatio, cum subiectum non sit illius capax, sic negatio chimerae vere est, & erit, non tamen chimera potuit, vel poterit esse. Ad 3. resp. ex Scoto hic, & in 1. dist. 2. qu. 3. B. articulos fidei alios esse mere creditos, ut est Incarnatio Verbi aeterni, alios non mere creditos, ut sunt existentia, unitas Dei, &c. de quorum numero est iste de iniectione motus in tempore, & istos ut articulos fidei, tradere toti Eccl. utile est, tum propter imperitiam multorum, tum propter ignorantiam intellectus in conficiendo aliquando demonstrationem, per quam utique evacuat fides, ut ait Scot. 3. d. 24. in corpore quaerit, non tamen meritum, eo quia voluntas retinet affectum ad credendum illi articulo, si non adesse scientia, & quia laborare, ut intelligatur, & sciatur, quod creditur, meritum est secundum Aug. & Anselm. Nec refert, quod Philos. hoc concesserit, quia multas latentes contradictiones admittit, ut quod Deus necessario agat & tamen detur contingentia in creaturis, quod non detur infinitum in actu, & tamen mundus ab aeterno fuerit productus. Ad 4. habuisset ab aeterno potentiam ad motum, sed non pro aeterno, sed in tempore, sicut homo ab aeterno habuisset potentiam generativam, non tamen generationem actualem, & hoc sufficit.

18 Quarto potest dari ab aeterno ens permanens, ergo, & successivum, prob. consequentia, ens illud permanens, ab aeterno productum diceret per totam aeternitatem coexistentem cum divina aeternitate, sed talis coexistentia successiva est, & divisibilis, ergo & minor prob. a pari, sicut res in vacuo mota acquirit aliam & aliam praesentiam partibus divinae substantiae virtualiter per immensitatem diffusae ex dict. disp. 11. ita ut partibilitas virtualis immensitatis Dei est sufficiens ad causandam successivam praesentiam localem, ita quia Deus sua aeternitate replet omnem tempus differentiam, estque virtualiter multiplex, ratione cujus nunquam creatura potest aeternitati coexistere secundum rotam suam praesentialitatem, ut ex Scot. 1. dist. 39. in fine, & in 2. dist. 2. qu. 1. infra F. colligitur, ubi hanc paritatem adducit, poterit ista virtualis multiplicitas successiva in aeternitate causare successionem in coexistentia. Tum 2. quia si indivisibilis esset, jam Angelus coexistere aeternitati secundum

rotam suam praesentialitatem; & totaliter, probatur, quia non aliam, & aliam praesentialitatem diceret aeternitati, sed semper eandem, sicut si duae creaturae simul essent, coexistere ad invicem totaliter. Tum 3. quia si Deus hodie produceret unum Angelum, & alterum cras, istae coexistentia in Angelis non solum essent diversae ex parte fundamentorum, verum etiam ex parte terminorum, non enim aeternitas eodem modo coexistit primae, & secundae productioni, aliter essent simul in aeternitate, imo, & duo contradictoria de eodem secundum idem nunc aeternitatis verificarentur, ut arguebamus contra Thomistas qu. 2. praec. disp. respondendo ad tertium.

Respondemus neg. consequentiam, ad Prob. neg. minor de coexistentia permanentis entis, concedendo de coexistentia successivi. Ratio est, quia virtualis diversitas non est sufficiens ad causandam actualem diversitatem, aliter contradictoria a parte rei de eodem virtualiter diverso possent verificari, & sic pariter ratio, qua Scot. saepe probat ex isto medio distinctionem formalem actualem: tum quia esset quoque divisibilis respectus iste, non solum ex parte termini, verum etiam ex parte fundamenti, nam aeternum quoque est virtualiter divisibile, imo coexistentia duorum Angelorum divisibilis esset, & successiva, quod est falsum, solum ergo coexistentia divisibilis erit, quando, vel terminus, vel fundamentum est tale formaliter, nec paritas assumpta de immensitate valet, quia praesentia localis cum divina immensitate est relatio extrinsecus adveniens, & consequenter non fundatur immediate in locati entitate, sed requiritur approximatio eidem spatio, unde in tantum Petrus est cum Deo Romae, quia Deus quoque est ibi; ideoque est velut quadam coexistentia localis in tertio; scilicet hic, vel ibi non simpliciter, & absolute, at coexistentia in essendo est intrinsecus adveniens immediate in existentia angelica fundata; falsum ergo est, quod solummodo virtualis divisio immensitatis sit causa successionis in praesentia locali corporis mobilis, sed causa est, quia adest variatio ex parte fundamenti, quatenus est aliter praesens spatio imaginario, & ex parte termini, qui diversas dicit praesentias diversis spatio partibus, non sic in coexistentia, in essendo, quae statim insurgit positus extremis in rerum natura, & quia extrema sunt formaliter indivisibilia, & permanentia, talis quoque erit respectus huius coexistentiae.

19 Dices, coexistentia est duorum existentia simultanea, id est in eadem parte temporis, ut ait Scot. 1. dist. 39. *Contra istud arguitur primo*, &c. ubi ait, sessionem esse aeternitati praesentem secundum quod est in aliqua parte temporis, ergo etiam ista relatio erit quadam coexistentia in tertio, id est in duratione eadem imaginaria, ergo sicut ex variatione respectus ad aliud, & aliud ubi imaginarium successive, variatur quoque respectus praesentiae localis cum Deo, estque relatio extrinsecus adveniens, pariformiter ex variatione successiva respectus coexistentiae alii, & alii parti durationis imaginariae, variabitur quoque successive respectus coexistentiae cum aeternitate, eritque respectus extrinsecus adveniens. Respondemus, coexistentiam in essendo esse respectum fundatum in duratione unius rei ad durationem alterius adhuc durantis terminatum, sicut ergo duratio formaliter dicit existentiam rei, at secundum id per quod a nobis explicatur, connotat respectum coexistentiae durationi extrinsecus imaginariae qui consequitur rationem formalem durationis, sic respectus coexistentiae huius formaliter erit relatio supra formalitates duarum durationum fundata, scilicet supra ipsas existentias, at secundum quod a nobis explicatur dicit duas coexistentias durationi extrinsecas, & hoc modo loquitur Scot. quare negatur paritas, quia relatio praesentiae localis creaturae cum Deo vere praesupponit praesentias locales ipsorum eidem spatio imaginario, & se habent, ut rationes fundandi, at coexistentia illa durationi imaginariae non praecedunt coexistentiam durationum, sed potius sequuntur, sicut formalitas durationis praecedit respectum coexistentiae extrinsecus durationi, stat ergo divisibilitas praesentiae localis cum Dei immensitate, & indivisibilitas coexistentiae creaturae cum Deo ab aeterno existente.

20 Ad 2. probationem minoris argumenti principalis resp. Angelum praesentem esse aeternitati indivisibiliter, sed non totaliter, quia hoc dicit supra coexistentiam aeternitati Dei simultaneam praesentiam omni durationi extrinsecas, & imaginariae, quam solum haberet, si fuisset ab aeterno; neque modo dicitur praesens omnimode aeternitati a parte post, quia sicut res permanens durans per annum, magis durare dicitur altera durante solum per mensem, non quidem intrinsece, sed extrinsece, & connotative, sic Angelus habet hodie eandem coexistentiam formaliter cum aeternitate Dei, quam semper habebit, tamen connotative est diversa propter aliam, & aliam coexistentiam temporari imaginario. Per quod patet ad 3. probationem, videlicet quod illa coexistentia Angelorum ex parte termini formaliter non differunt, sed ex parte termini secundum id, quod connotat, & ista variatio sufficit, ut non verificentur contradictoria de eodem secundum idem.

Dices, ergo saltem cum respectus iste ad durationem imaginariam quamvis non sit simpliciter realis, sit tamen secundum quid realis, non secunda intentio, eo quod est successivus, & ab aeterno esset in Angelo productus, adhuc ex positione entis permanentis ab aeterno sequitur positio alicujus entis successivi. Respondemus, respectum istum non esse accidens aliquod reale, & realiter productum, sed solum reale dici, quatenus contradistinguitur a respectu rationis ab actu collativo intellectus causato, & ratione fun-

fundamenti, ut notat Soot. quol. 13. P. & Lich. ib., ad eum modum quo privatio, & denominationes extrinsecæ reales dicuntur, ut falsus in Prædic. Relat. in Log. dictum est. Hoc ultimum argumentum potest etiam fieri contra permanentia, quatenus expositione permanentis ab æterno videtur necessario poni ens successivum, quod argumentum Ariag. hic insolubile putat; sed de hac materia vide disp. 1. de Cælo qu. 5.

Q U Æ S T I O II.

De temporali Inceptione, & Desitione creaturarum.

21 **D**iximus in præc. disp. 4. art. 2. quod quamvis multæ res alia duratione intrinseca a tempore existant, omnes tamen nostro tempore mensurari possunt extrinsece, quatenus omnes coexistunt tempori, quapropter de rebus permanentibus, quatenus proprio ævo durant, faciliter responderi possent ad quæsitum, nam incipiunt positive, & desinunt negative in eodem indivisibili ævo, ut habet Scot. 2. d. 2. qu. 1. infra F. & 4. dist. 43. qu. 5. ad princ. attamen propter illam coexistentiam tempori, de inceptione, & desitione ipsarum tractandum est, ac si tempore mensurentur, sicut, & de successivis, unde non recte Compl. disp. 26. qu. 4. de Angelis loquuntur tantum quatenus ævo mensurantur. Et quia res omnes creatæ in duplici differentia, aliæ enim sunt successivæ, quæ totæ simul non habentur, nec plures actu partes simul habere possunt, ut tempus, & motus, &c. aliæ permanentes, quarum esse totum simul esse potest, & istarum aliæ sunt divisibiles, quæ ex partibus constunt, vel extensivis, vel intensivis, aliæ indivisibiles omnibus partibus expertes, quæ subdividuntur, ut dicemus in ultimo art. idcirco ad exactam cognitionem hujus qu. videntur esse, quod & quot sint modi incipiendi, & desinendi rerum, deinde quomodo ista omnia incipiant, & desinant.

A R T I C U L U S I.

Quid, & quot sint modi incipiendi, & desinendi rerum creaturarum.

22 **Q**ui negant indivisibilia in continuo diversimode modos incipiendi, & desinendi explicant, quam faciunt indivisibilia admittentes, ut est videre apud Averfam quæst. 30. Phys. sect. 1. sed de ista sententia, licet pauca in ultimo art. dicemus, non est sermo in præsentia, fatis enim in disp. 9. qu. 2. art. 2. impugnata fuit; quapropter modos istos debemus explicare juxta placitum Doctorum concedentium talia indivisibilia, quæ in tempore instantia vocantur. Advertendum igitur est ex Philof. 8. Phys. 69. instans continuativum esse quasi divivum prioris temporis a posteriori, & quia res est, vel non est in aliquo tempore, consequenter instans illud dividit tempus, in quo res est, a tempore in quo non existit; insuper quia nec in eodem instanti potest res esse simul, & non esse, sequitur, quod instans illud medium non potest dici intrinsecum esse, & non esse rei, sed uni intrinsecum, & alteri extrinsecum, hinc occasionem sumpsit Scot. quol. 12. M. annotandi, quod incipit dupliciter potest exponi, uno modo cum positione præsentis, & negatione præteriti, scilicet est, & prius non fuit, secundo, cum negatione præsentis, & positione futuri; videlicet non est, sed post erit; sic definit uno modo exponitur per positionem præsentis, & negationem futuri scilicet est, sed non erit, secundo per negationem præsentis, & positionem præteriti, non est, sed erat. Primus modus incipiendi dicitur *primum esse rei*, quia valet dicere, nunc primum est, & immediate ante non erat, ita ut res fuerit sub non existentia per totum tempus præcedens usque ad istud instans exclusive, quod ad esse rei pertinet, ideoque dicitur modus incipiendi intrinsecus, quatenus inclusive spectat ad tempus existentie rei. Secundus modus incipiendi dicitur *ultimum non esse rei*, quia valet dicere, nunc res ultimo non est, sed immediate post erit, & dicitur modus incipiendi extrinsecus, quia istud instans spectat ad tempus non existentie rei inclusive, & exclusive ad tempus existentie. Similiter primus modus desinendi dicitur *ultimum esse rei*, in quo valet dicere, nunc res ultimo est, immediate post non erit, & dicitur modus desinendi intrinsecus, habito respectu, non quidem ad desitionem ipsam rei, nam sic illud instans erit extrinsecum desitioni, cum exclusive pertineat ad tempus non existentie rei, quod est sequens, sed ad existentiam rei, quæ usque ad illud instans exclusive terminantur. Secundus dicitur *primum non esse rei*, quia explicatur, nunc primo res non est, antea erat, & dicitur modus desinendi extrinsecus in ordine ad existentiam, ad quam exclusive pertinet propter eandem rationem, sed respectu desitionis dicitur potius intrinsecus, atramen vocabula accipienda sunt secundum communem usum Doctorum. Et quoniam *ly nunc* in explicatione istorum modorum supponit pro instanti, & *ly immediate ante*, & *immediate post*, significant tempus præcedens, vel subsequens, sequitur differentia inter inceptionem, & desitionem, nam quod incipit intrinsece, incipit in instanti, quod vero desinit intrinsece, desinit in tempore, & quod incipit extrinsece, incipit in tempore, at quod desinit extrinsece, desinit in instanti. Ratio hujus est, quia quod est intrinsecum coexistentie rei in inceptione, est intrinsecum productioni ipsius, quia quando datur res datur etiam productio, quod tamen est intrinsecum rei in desitione, est ex-

trinsecum desitioni, quia tunc est desitio, quando res non est & quando non existit, & e contra.

Dices, rem incipere, vel definire, est, rem produci, vel destrui, ergo in quocumque instanti, in quo res dicitur incipere, existit, & in quo dicitur desinere, non existit, ergo non dantur ultimum non esse rei, & ultimum esse rei. Respondemus, antecedens non esse universaliter verum, nisi de inceptione intrinseca, & desitione extrinseca, quia affirmatio in prima cadit supra instans, & negatio supra tempus præteritum, in secunda negatio cadit supra instans, & affirmatio supra præteritum, at in inceptione extrinseca, & desitione intrinseca e contra res se habet, ut diximus.

23 Præter istos duos modos incipiendi, & desinendi aliqui Recentiores, ut salvarent casualitatem Physicam Sacramentorum respectu gratiæ, alium adinvenunt in tempore indeterminate antecedente aliquod instans determinatum, sicut enim datur modus incipiendi extrinsecus in tempore indeterminato post aliquod instans, & modus desinendi intrinsecus in tempore indeterminato sequente ultimum esse rei, sic potest dari inceptio indeterminata præcedens aliquod instans, quæ valet dici, nunc res est, & immediate ante erat, sed non potest assignari aliquod instans, in quo dicitur res primo fuisse, sed solum fuit in illa temporis parte indeterminata præcedente illud instans, idem dicunt de desitione.

Sed communis sententia non amplectitur modum istum, ita colligitur ex Scoto quol. cit. ubi duos prædictos modos tantum assignavit; colligitur quoque ex Arist. & probatur, quia modus iste non solum impenetrabilis est, verum etiam impossibilis, nam inceptio dicitur transitum esse rei post non esse, quæ cum sint contradictoria, immediate se habent, nec potest dari aliquod medium tempus, vel instans in quo neutrum sit, vel ambo, ergo quælibet res vel intrinsece incipit, vel extrinsece. Prob. consequentia, tempus coexistens non esse, & esse rei est quid continuum, in quo immediate illa succedunt, ergo aliquod instans debet dari, quod sit vel intrinsecum esse rei, vel extrinsecum esse rei; & intrinsecum non esse rei, aliter in hoc instanti nec daretur existentia rei, neque negatio existentie, quod implicat. Tum quia tempus istud, in quo exerceretur inceptio rei, vel solum est indeterminatum a parte post, quatenus instans signatum est extrinsecum productioni rei, & solum conservationi intrinsecum, & a parte ante est determinatum, quod scilicet habeat instans intrinsece ad ipsum pertinens, vel est ex utraque parte indeterminatum, quatenus, nec primum, nec ultimum instans pertineat ad ipsum intrinsece (tunc enim tempus indeterminatum concipitur, quando intelligitur, ut immediate sequens, vel antecedens alicui instanti) si primum, ergo instans præcedens erit primum esse rei, nec in illo incipit productio rei, & si secundum, ergo instans præcedens, eum sit extrinsecum, erit ultimum non esse rei, quare non datur alius modus præter assignatos; idem de desitione dicendum. Tum quia superfluous esset, nam quælibet res, vel intrinsece, vel extrinsece incipit, & desinit, ut patet, quod enim ajunt de Sacramentali gratia, falsum est, quia cum moraliter tantum Sacramenta causent gratiam, primum non esse Sacramentorum erit primum esse gratiæ, & sic intrinsece incipit. Cum dicunt, dari inceptionem in tempore indeterminato post instans extrinsecum, ergo potest dari in tempore indeterminate antecedente aliquod instans signatum.

24 Respondemus modum istum vel esse eundem cum modo incipiendi extrinsece, vel esse impossibile, ratio est, quia in explicanda inceptione debemus declarare immediatam illam successionem esse rei ad non esse, & illius terminum, in quo unum terminat, & alterum incipit, terminus autem ut terminus semper est indivisibilis, quare rectius assignabitur ista inceptio per instans medians inter illa tempora, quod sit uni intrinsecum, & alteri extrinsecum, quam per instans sublequens inceptionem.

Dices, si Deus præciperet alicui elicitionem alicujus actus immediate ante mortem, non signando alium terminum obligationis præcepti, & ille integris sensibus usque ad mortem perseverans non eliciat actum præceptum, certe ille peccaret, & gratiam amitteret, non in tempore aliquo determinato ante mortem, vel in instanti determinato, quia semper habebat spatium adimplendi præceptum, ergo in tempore indeterminato ante mortem.

Respondemus, hanc difficultatem affinem esse illi de peccato omissionis, quando incipiat, v. g. omisso mortalis additionis facti, ut in materia de peccatis, ideoque in proposito dicimus, hominem illum peccare, quando advertit se periculum exponere differendo elicitionem actus, omittendi illum, quamvis habeat spatium adimplendi præceptum, & hoc, quia in moralibus non debet attendi possibilitas Physica, sed moralis, & ob brevitate temporis, & labores mortis maximum adest periculum omittendi actum præceptum.

A R T I C U L U S II.

De Inceptione, & Desitione successivorum.

25 **O**mnes concedunt successiva per se, ut motum, & tempus, quatenus successiva sunt, incipere, & desinere extrinsece per ultimum non esse, & per primum non esse, dicendo nunc non est motus, immediate post erit, tunc non est motus, immediate ante erat, ita Scot. in 2. d. 2. qu. 9. N. & prob. quia natura successivorum est habere partes in continuo fluxu, & unam simul cum altera

tera non posse, ergo in nullo instanti potest dici esse motum, nam cum motus sit aliquid continuum divisibile partes integrales, si daretur motus in aliquo instanti, in quo dicitur, nunc est motus, jam haberet simul partes plures, & sic non esset successivum ens.

Hanc tamen communem doctrinam Arriag. dist. 16. Phys. sectione decima prima, revocavit in dubium, sustinet enim omnia indifferenter sive successiva, sive permanentia incipere, & desinere, tam intrinsece, quam extrinsece, quod probat præcipue de successivis, nam si motum extrinsece incipere est nunc non esse motum, sed immediate post fore, ergo de motu verificari hoc poterit, nunc est motus immediate, ante non erat, patet conseq. ex Arist. docente omnem propositionem veram de præterito vel de futuro, ideo esse veram, quia potest resolvi per suam de inesse, idest de præsentie, ut ideo verum est, Adam fuit, quia aliquando fuit verum dicere, Adam est, & ideo verum est dicere, Antichristus erit, quia aliquando erit, verum dicere, Antichristus est, ergo si est verum dicere, nunc non est motus, sed immediate post erit, verificabitur in illo immediate post, quod motus est, & ante non erat, quod est intrinsece incipere; idem dicendum de desitione, ut si est verum dicere nunc non est motus, sed immediate ante fuit, ergo erit verum dicere in illo tempore immediate præcedenti, nunc est motus, & immediate post non erit, quod est intrinsece desinere. Conf. quia si instans haberet aliquod sibi immediatum, in quo fuit motus, ergo in illo immediato fuit verum dicere, tunc est motus, post non erit, sive illud immediatum sit pars, sive instans; hinc deducit de qualibet re verificari utrumque modum incipiendi, & desinendi.

Resp. facillime neg. conseq. & ad probationem dicimus, duplicem esse præsentiam, permanentem unam, & totam simul, alteram successivam, & per partes post partes; tunc ad Arist. respondemus sufficere ad veritatem propositionis de præterito, & futuro, quod verificetur de præsentia, altera harum præsentiarum juxta exigentiam rerum existentium, & quia motus est de numero successivorum, verificatur quod sit in tempore immediato post instans, præsentia, & existentia successiva, non tamen valet dicere, nunc est motus, quia *ly nunc* supponit pro instanti, non pro parte temporis, & consequenter *ly est* supponit pro existentia permanenti, seu tota simul, modo enim querimus primam inceptionem, & desitionem rerum, quæ nequit in tempore exerceri, quia tempus non habet primam partem, sed ante unam est alia, & alia in infinitum. Ad Conf. respondemus ex Scot. d. 2. q. 9. litt. S. ut diximus disp. 9. art. 5. ad conf. 4. argum. princip. instanti esse aliquod tempus immediatum stare dupliciter, vel quia secundum se totum est immediatum instanti, & hoc est falsum, quia nulla pars temporis est sic immediata, nam quælibet assignata est alia assignabilis immediatio in infinitum, vel dicitur immediatum instanti, quia inter ipsum, & instans nihil mediat, hoc est verum, non tamen sequitur posse in hoc tempore immediato enunciari, nunc motus est, quia *ly nunc* supponit pro duratione simultanea, & determinata, at tempus illud immediatum est successiva duratio, & indeterminata; quapropter non est a communi modo loquendi recedendum, quod motus extrinsece incipiat, & desinat.

26 Dubium tamen est de quiete, an eodem modo incipiat, & desinat, & licet Masius sexto Physicorum capite decima sectione secunda questione decima prima asserat, quietem incipere utique eodem modo, sed desinere opposito modo, per ultimum scilicet sui esse.

Dicendum est tamen, quod quietes dupliciter sumi potest, vel quatenus est negatio motus, vel quatenus privatio, primo modo dicitur *caerentiam motus in subiecto non apto*, secundo modo dicitur *caerentiam motus in subiecto apto*; si quietes primo modo sumatur, sic incipit, & desinit opposito modo, scilicet, per primum sui esse, & per ultimum sui esse, quia cum hæc quietes instantanea sit in illo instanti, quod est ultimum non esse motus, valet dicere, non est negatio motus, & immediate post non erit, & in instanti, quod primum est non esse motus, verum est dicere, nunc est negatio motus, & immediate ante non erat, imo in quolibet instanti motus datur hæc quietes, non tamen motus est interruptus, quia ad hoc requiritur quietes privativa; si vero secundo modo sumatur, sic eodem modo desinit, & incipit, sicut motus, scilicet, extrinsece; Probatur, privative opposita debent eodem modo respicere subiectum, & eadem mensura mensurari, ergo si motus inest subiecto in tempore, etiam quietes, & vere successiva erit, quare idem instans erit ultimum non esse motus, & primum non esse quietis, & idem instans erit primum non esse motus, & ultimum non esse quietis. Hoc totum colligitur ex Scoto citato & littera O ubi illud instans, quod ultimum non esse motus dicitur, vocat Scotus instans, non quietis, sed immutationis, quatenus opponitur non motui, sed mutato esse, unde sicut quietes opponitur motui, ita quietum esse, quod instans immutationis dicitur, opponitur mutato esse, & in secunda desitione tertia questione quarta C. habet, quietem, quæ privatio motus est, successivam esse, & tempore mensurari, sicut motus.

Objicitur 1. si motus desinit per primum non esse, & in instanti, ergo corruptio rei successivæ divisibilis sit simul indivisibiliter, & in instanti, ergo ante illud instans motus non fluebat, sed permanebat, quod est falsum. Rursus in eo instanti, quod ultimum non esse motus dicitur, mobile eodem modo se habet, ac prius se habebat, ergo in eo instanti quiescit, sicut prius, ergo quietes non desinit per primum sui non esse, sed

per ultimum sui esse. Respondemus motum desinere per primum non esse stat dupliciter, vel quod secundum omnes, vel aliquas partes permaneat usque ad illud instans, & tunc totus simul desinat, & hoc est falsum, quia semper est in continuo fluxu, vel prout consideratur ad modum unius totius fluentis, & in illo instanti nulla pars motus reperitur, sed immediate antea erat pars aliqua motus, & hoc est verum, sed negatur ultima sequela, nam desitio totalis alicujus successivi, & ultimata bene potest esse in instanti extrinseco terminativo. Ad aliam ex Scoto cit. dicimus, quod in eo instanti eodem modo se habet indivisibiliter, sicut antea divisibiliter, ex quo non sequitur quiescere, quia requiritur, ut mobile divisibiliter se habeat eodem modo, sicut divisibiliter sit motus.

Dices, privative opposita ita se habent, ut unum illorum inest semper subiecto, ergo si in eo instanti non est motus, erit quietes. Respondemus, antecedens valere de subiecto apto, non de inepro, sicut est mobile in eo instanti, nam tunc dicitur quiescere privative, quando non movetur, sed potest moveri, at in eo instanti non potest moveri, sed mutari.

27 Secundo ex Philof. 8. Phys. 23. dicente, *non enim si parvibile in infinitum est quod alteratur propter hoc, & alteratio, sed simul sit, sicut desinatio*, quod probat exemplo gutturum lapidem excavantium, non solum ultima torum lapidem excavat simul, ergo si post multas guttas tandem tota pars lapidis simul movetur, & ita est in alteratione, dabitur prima pars alterationis, ergo incipit motus per primum esse. Idem clarius habet de Sensu, & Sensato cap. 7. Conf. inter contradictoria non datur medium, ergo inter non esse formæ inducendæ per motum, & esse ipsius non est medium, non esse autem ipsius fuit in instanti ultimo formæ præcedentis, ergo inter istud instans, & illud, quod mensurat esse formæ succedentis, non est medium, sed si non esset prima pars formæ inducendæ, quæ primo acquiratur, daretur medium, ergo &c. Posset idem etiam probari rationibus illis, quibus in disp. 9. q. 3. art. 1. probatur, dari minimum in rebus naturalibus, quia secundum Philof. 6. Phys. 4. & 17. magnitudo, tempus, & motus eodem modo se habent quoad divisibilitatem, & indivisibilitatem, ergo si datur minimum in formis naturalibus, daretur prima, & ultima pars motus, quæ essent in primo, & ultimo instanti intrinseco.

Resp. Scotus cit. litt. P. quod ibi Arist. solum intendit probare contra Heraclitum omnia non esse in continuo motu, nam potest fieri aliqua alteratio simul, non quod fiat in instanti, quia tunc non esset motus successivus, sed simul, prout opponitur successioni totius temporis, quod probat postea de guttis aquæ, nam lapis solum ab ultima excavatur, & simul, idest, subito, ubi negat successionem correspondentem omnibus guttis, non vero successionem omnimodam, nam quando postea lapis excavatur, cum sit motus localis, fit in tempore. In lib. de Sensu, & Sensato solum habet Arist. quod potest esse aliqua alteratio instantanea, quod etiam nos concedimus, præcipue quia successionem solum motui locali essentialem ponimus, non tamen sequitur aliquid contra nos, quia in præsentia est sermo de motu, ut successivo, at si instantaneus esset, tunc se haberet, ut mutatio indivisibilis, de qua infra dicitur. Ad Conf. distinguit antecedens, nam immediatum sumitur dupliciter, primo quod inter ipsum secundum se totum, & aliud nullum est medium, secundo, quod secundum se totum est cum altero statim, vel post alterum, quod esse formæ, & non esse formæ sunt immediata primo modo, quia nihil mediat, non vero secundo modo, quia continuum, sive permanens, sive successivum, non sequitur secundum se totum simul indivisibile, sed per partem ante partem in infinitum; idem dicendum de ultimo instanti immutationis, quod non esse formæ mensurat, & de motu, per quem esse formæ acquiritur, nam motus est ultimo instanti immutationis immediatus primo, non secundo modo. Rationes desumptæ ex minimo naturali jam ibi sunt solute, tum quia non esset successivus ille motus, sed instantaneus, & ideo non est contra propositum nostrum.

28 Tertio, saltem actiones liberæ, & successivæ non ita incipient, quia quando incipiunt, sunt in sensu composito necessariae, nec amplius illarum inceptio est in potestate voluntatis, at in ultimo non esse vere sunt in voluntatis potestate, quia potest voluntas illas non elicere in tempore sequenti, ergo &c. Tum quia nunquam poterit videri initium cursus, contra communem conceptum, quia si videretur cursus actualis, jam initium cursus pertransit, & dum cursus non est actualis, ut est in ultimo non esse, nec potest videri initium cursus, quia non est cursus. Respondemus neg. assumptum, cujus probatio valeret, si inciperent intrinsece, neque ex hoc, quod actio libera potest non sequi in tempore sequenti, sequitur non esse illud instans ultimum non esse, quia in tantum est ultimum non esse, quatenus dicitur ordinem ad existentiam immediate sequentem, & si non erit actio libera, nec illud instans erit ultimum non esse, & hoc valet in quolibet motu, quatenus potest non sequi, si Deus suspenderet suum concursum. Ad Conf. initium cursus proprie non videtur, sed solum prima pars determinata motus videtur, non simul, sed successive, & hæc vulgo initium vocatur.

Quamvis autem clarum sit, non posse motum, ut successivum reperiri secundum aliquam partem in primo, & ultimo instanti, ut dictum est, atramen est dubium, an saltem in istis instantibus reperitur, etsi non aliqua pars motus, aliquid tamen illius, puta aliquod mutatum esse, ita ut detur primum mutatum esse initiativum motus, & ultimum terminativum; & quidem quoad ultimum mutatum esse communis.

nis. Opinio est affirmativa, ratio est, quia in ultimo instanti motus semper acquiritur aliquid indivisibile termini per motum acquisiti, sic in motu locali adest illud ubi adequatum, in quo postea mobile quiescit, & in quantitate, vel qualitate acquiruntur indivisibilia terminativa quantitatis, vel qualitatis acquisitæ per motum, ergo datur aliquid mutatum esse, quo indivisibile illud ultimo acquiritur.

29 Verum quoad primum mutatum esse, plurimi negativam defendunt, sic Conimbr. 6. Phys. cap. 5. q. 1. Tol. q. 4. Ru. cap. 5. q. un. Moris. disp. 7. Phys. q. 12. & Fuentes 6. Phys. qu. 2. diff. 3. cum Arist. 6. Phys. 45. & sequentibus, dicente, non dari in motu primum mutatum esse, sed ante omne mutatum esse dari moveri, & e contra, quod etiam innuit Scot. 2. dist. 2. q. 4. O explicans motum in qualitatibus.

Attamen si per mutatum esse intelligatur solum illud indivisibile motus, quod subiectum denominat habuisse motum, quomodo in rigore accipitur, id enim mutatum esse dicitur, quod jam habuit formam aliquam, sic non datur primum mutatum esse, quia in illo instanti initiativo nulla pars novæ formæ datur in subiecto, at si per mutatum esse intelligatur quodlibet indivisibile motus, tunc affirmamus cum Scot. in 2. d. 2. q. 12. in fine, dicente, quod non est dare primum initians motum, ubi datur immutatio, quæ est terminus quietis præcedentis, sed ubi ad quietem sequitur mutatio instantanea, ibi non est dare instans immutationis terminans quietem præcedentem; quam opinionem sequuntur Mafius 6. Phys. c. 10. sect. 2. q. 4. Plaxa disp. 2. q. 1. & Averfa q. 20. Phys. sect. 3. quapropter quia in motu locali non datur aliquid indivisibile primo acquirendum, quia post superficiem illam ambientem mobile sequitur spatium divisibile, impossibile est, in tali motu dari primum mutatum esse; sic etiam quando fit intensio alicujus qualitatis alteram ejusdem speciei terminatam proprio indivisibili præsupponentis in subiecto, vel in augmentatione non datur primum mutatum esse, quia quod primo acquiritur, est pars indivisibilis formæ, & de illis modibus intelligendi sunt Arist. & Scot. loc. cit. At si esset aliqua forma totaliter acquisibilis a mobile, haberet utique sua indivisibilia terminativa, & in acquisitione actuali prius acquiruntur indivisibilia terminativa, & initians, quam pars aliqua, ergo in tali casu dabitur primum mutatum esse, quia indivisibile nequit in tempore acquiri, sed in instanti, ut dicimus art. ult. Resp. Aliqui mutationem illam, non pertinere ad motum subsequenter, nisi extrinsece, ideoque non posse dici invariabilem illius. Contra, terminus acquisitus per illam mutationem est aliquid intrinsece pertinens ad formam acquisitam per motum illum, est non ut pars, sed ut terminans, ergo intrinsece spectabit ad motum, non quidem, ut pars, sed ut initium illius; unitas enim motus ab unitate termini maxime pendet, sicut mutata esse continuativa dicuntur ad motum pertinere, eo quia acquiruntur per illa indivisibilia continuativa formæ, acquiruntur ergo in primo instanti indivisibile primum absque ulla parte formæ; neque implicat dari indivisibile aliquid solitarie pro illo instanti solum. Ex qua doctrina recte percepta solvantur argumenta Ruvil, quorum vis consistit in hoc, quod mutatum esse debet fieri cum partibus motus, quod est verum, si intelligatur vel de partibus præcedentibus, vel immediate subsequentibus.

Dices, mobile per horam localiter quiescens potest in ultimo instanti moveri, ergo in motu locali dabitur quoque primum mutatum esse. Item si canis e turri descenderet, & in medio moriatur, vel si lignum aliquid in medio motus in lapidem converteretur in instanti, datur instans, in quo valet dicere, tunc primo esse cadaver, vel lapis, & in eo instanti moveri, quia motus ille est continuus, ergo in tali casu motus localis cadaveris, vel lapidis habet primum mutatum esse. Respondemus, casum illum possibilem esse de motu locali includente solum realitatem termini motus, non vero totam realitatem motus, ut disp. seq. q. 6. immo potest quoque deinde continue localiter moveri, quo casu vere motus localis haberet primum mutatum esse, sed hoc nequit, nisi a Deo fieri; Exemplum canis non urget nos ponentes plures formas substantiales in viventibus; lapis tamen ille proprie non dicitur localiter mutatus, quia non præfuit antea sub privatione, quod requiritur ad rationem mutationis realis, ut disp. seq. q. 2.

ARTICULUS III.

De inceptioe, & destinatione permanentium verum, & divisibilitatem.

30 **R**es permanentes divisibiles sunt in duplici differentia, quedam enim accipiunt totum esse simul, & simul totum esse deperdunt, ut animata in generatione, & corruptione totali, quæ minimum sibi determinant, alia vero acquirunt esse successive, & per partem post partem, ut ea omnia, quæ minimum sibi non determinant, ut composita substantia, & formæ, tam substantiales, quam accidentales, quæ adhuc dupliciter considerari possunt, primo, ut entia quedam certa, & determinata, ac completa sunt, & sic dicuntur aliquid ens completum proprio indivisibili motum terminans sive acquisitionem, sive deperditionem; secundo ut quid incertum, indeterminatum, & incompletum dicunt, quomodo significant ens sine proprio indivisibili completivo, & ut actuali fluxui, & motui substat; exemplum, frigus ut quatuor, vel consideratur, ut habet partes illas intensivas, secundum quas successive acquiruntur, vel prout est aliquid intensivum integratum ex quatuor gradibus completis, & proprio indivisibilis intensivum terminatis. Hoc notato.

Dicimus 1. permanentia, quæ simul accipiunt esse, & illa composita, quæ successive, si considerentur, ut entia perfecta, & completa sunt, intrinsece incipiunt, & extrinsece regulariter desinunt; ita colligitur ex Scot. in 2. d. 2. q. 4. & in 4. d. 43. q. 5. in fine, & quol. 12. ar. 3. Prob. 1. de illis, quæ simul accipiunt esse, quia si totum esse simul habent, ergo valet dicere, nunc res est, antea non erat; De compositis totaliter consideratis idem probatur, quia ut sic considerantur ad modum indivisibilium, tunc enim primo res completa intelligitur, cum proprium acquirit indivisibile terminans, & completens illam, sed acquisitione indivisibilis est tota simul, & intrinsece, ergo &c. Accedit, quod dum res in tempore acquiruntur, nunquam habent esse completum, sed incompletum, & imperfectum; ergo in tempore non potest incipere, ut habet esse perfectum, aliter simul perfectum, & imperfectum esset. Antecedens prob. in tempore res substat motui successivo, qui dum durat, non est terminatus, sed continuus fluxus, ergo quod acquiruntur existente motu, non est perfectum adhuc, sed imperfectum, quoad destinationem etiam patet, quia si in indivisibili consistunt, possunt totum simul amittere esse, unde valet dicere, nunc non est res, antea erat. Diximus regulariter, quia possunt etiam intrinsece desinere, ut in seq. art. Idem quoque dicendum quoad inceptioem de formis certis in subiecto certo, & determinato, at quoad destinationem est aliqualis differentia, ut in 3. concl. Quomodo autem incipiant formæ in subiecto, si unum istorum, vel ambo sint incerta, & indeterminata, dicimus in lib. de Gen. cum de successione alterationis, & generationis loquimur.

31 Dicimus 2. quæ sibi invicem succedunt, sive formæ sint distinctæ, & contrariæ, sive forma, & privatio, nunquam possunt incipere, & desinere intrinsece per primum esse, & per ultimum esse, quia vel duo instantia immediata, vel materia sine illis, vel simul cum illis daretur, nec etiam possunt propter eandem rationem desinere, & incipere extrinsece per primum non esse, & per ultimum non esse, sed necessario, si unum habet primum esse, alterum habebit primum non esse, quod erit idem instans incipienti intrinsecum, desinenti extrinsecum, vel si unum habet ultimum non esse, alterum habebit ultimum esse, quod instans erit primo extrinsecum, secundo intrinsecum, ita habet Scot. quol. 12. ar. 3. l.

32 Dicimus 3. si forma certa in subiecto certo desinat per adventum contrariæ formæ, cuius primum indivisibile per primum mutatum esse acquiratur, sic quatenus determinata, & secundum totalem destinationem desinat per primum non esse, licet secundum partes, & ut indeterminata est, desinat per ultimum esse; at si non desinat propter adventum formæ contrariæ, quæ primum mutatum esse habeat, potest, immo regulariter desinat per ultimum esse. Hæc Concl. quoad formam certam secundum totalem destinationem est contra Conimbr. cit. q. 2. ar. 4. & Amicum tr. 16. q. 8. diff. 2. ar. 3. colligitur tamen ex dictis in 2. Concl. quia hoc, quod est esse certam formam formaliter, dicit illud indivisibile completivum, quod expellitur per indivisibile oppositum, juxta dicta in præc. art. sed illud incipit per primum esse, ergo illud desinat per primum non esse secundum etiam totalem destinationem desinat extrinsece, quia tunc forma contrariæ habet esse perfectum totale, & incipit intrinsece, ut dicebamus in prima concl. cum Scot. At secundum partes desinat intrinsece, quia forma contrariæ secundum partes incipit extrinsece; tandem quod si per adventum contrariæ formæ non desinat, tunc intrinsece regulariter amittit esse, patet, quia indivisibile indifferens est ad utrumque modum desinendi, ut in seq. art. & sicut quod totum esse simul accipit, regulariter desinat extrinsece, sic illud perfectum, quoad amittit esse per partes, ut plurimum desinat intrinsece: quapropter, & in instanti aliquo potest corrumpi indivisibile completens, & in tempore sequenti pars formæ, vel post instans potest incipere corruptio indivisibilis completentis, & partis formæ.

Ex qua doctrina deducitur differentia inter destinationem formæ successive acquisibilis, & amissibilis, quod ens successivum per accidens dicitur, & inter tempus, & motum, quæ sunt per se successive, nam licet ut successive acquiruntur illæ formæ, incipiunt ad motum temporis, & motus per ultimum non esse, non tamen eodem modo desinunt, nam formæ illæ desinunt intrinsece, motus vero, & tempus extrinsece, ratio est, quia in inceptioe illæ formæ sunt termini motuum, qui cum sint acquisitivi, ad esse illarum terminantur, at in destinatione termini mutuam sunt non esse illarum, cum sint deperditivi, & consequenter non possunt simul esse, sed cum incipit motus deperditivus, v. gr. caloris, incipit etiam non esse caloris, qui est terminus ipsius.

ARTICULUS IV.

De inceptioe, & destinatione rerum indivisibilium.

33 **I**ndivisibilia alia sunt indivisibilia solum secundum durationem, non secundum entitatem, ut mutationes instantaneæ, quæ solum in instanti durant, ac partes habent entitativas, sicut termini, per illas acquisiti, ut disp. seq. q. 6. alia sunt indivisibilia secundum entitatem, & durationem simul, quæ partibus carent entitativis, & tantum per instans existunt, ut mutua esse in motu, & instantia in tempore; alia sunt indivisibilia secundum entitatem, sed non secundum durationem, ut quæ partibus entitativis carent, sed diu possunt permanere, quia a Scot. quol. 12. ar. 3. indivisibilia permanentive vocantur, & ista, vel sunt formaliter, & virtualiter indivisibilia, quæ nec habent partes, nec pluribus possunt æquivalere, ut indivisibilia continui; vel formaliter tantum sunt indivisibilia, quia ve-

re non habent partes, sed virtualiter divisibilia, quia habent plures partes æquivalent, ut Angeli, anima rationalis, &c.

De indivisibilibus primi, & secundi generis commune est apud omnes, incipere, & desinere intrinsece: ita Scotus quol. cit. & 2. d. 2. q. 4. ad secundum princip. & patet, quia quando sunt, incipiunt esse, & totaliter sunt, quia carent partibus durativis, ergo valet dicere, nunc est instans, antea non erat; tum quia si extrinsece inciperent, haberent esse in tempore, & consequenter vel tempus indivisibile esset, vel instans partes haberet, cum mensura proportionari debeat mensurato; tum quia est contra rationem formalem ipsorum extrinsece incipere, non enim essent indivisibilia secundum durationem, unde nec de potentia Dei absoluta possunt extrinsece incipere. Similiter desinunt intrinsece per ultimum esse, nam si per primum non esse desinere, vel darentur duo instantia immediata, vel ista indivisibilia in tempore permanerent, quæ omnia sunt absurda. Idem ergo instans mensurat simul inceptioem, & destinationem istorum, neque est inconveniens, quia ut diximus in 1. ar. negatio non esse cadit supra præteritum, & futurum, at affirmatio esse cadit supra præsens.

34 Dices, vel non esse præcedens immediate unitur cum non esse sequenti, & tunc nunquam istud indivisibile existeret, quia non esse ipsius nunquam fuit interruptum, vel mediate, & sic per instans distaret, in quo indivisibile habet esse, quod est falsum, quia instans non facit majorem durationem, sicut nec punctum majorem lineam, ergo nec distantiam. Tum quia Arist. 8. Phys. 61. & seq. negat, duas mutationes oppositas, videlicet generationem, & corruptionem ejusdem continuas esse; sed necessario, ait, tempus mediare, & in fine illius c. ait, nihil esse a natura productum, ut statim fluat, ergo &c. Resp. uniri immediate prout distantiam successivam excludit, non vero distantiam indivisibilem, & instantaneam, sicut partes continui immediate uniuertur, quia non per aliquod extensivum medium, absolute vero uniuertur medio aliquo communi, quod est utriusque vidualium; cum dicitur, instans non facit majorem durationem, verum est de duratione successiva, absolute magis coexistit temporis Angelus durans per horam, & instans terminativum, quam si per horam tantum duraret, ut disp. 5. q. 2. dictum est. Ad conf. resp. Scotus quol. cit. quod Arist. ibi solum intendit probare, quod non possunt generatio, & corruptio esse una mutatio unitate termini, sed bene potest corruptio consequi generationem, non ut eadem mutatio continua, sed diversa. At quamvis Scotus querat salvare Arist. saltem in mutationibus substantialibus, quod loquatur de continuitate motus sumpta ex parte termini; re vera tamen intentum Arist. videtur esse, quod semper in mutationibus oppositis debeat interponi quies, licet hoc solum probet rationibus probabilibus; quare negatur illa propositio Arist. ut dicimus in lib. de Cælo; quod addit in fine cap. debet intelligi de entibus permanentive existentibus, immo nec de ipsi absolute, ut infra. At indivisibilia tertii generis regulariter incipiunt per primum sui esse quia carent partibus, & totam simul accipiunt esse, desinunt vero per primum non esse, quia possunt diu permanere, unde non est necesse, ut idem sit instans inceptioem, & destinationis; & quia totum esse simul acquirunt, ideoque in instanti, magis consentaneum videtur esse naturæ ipsorum, quod etiam in instanti amittant esse.

35 Dubium tamen est, an per divinam potentiam absolutam possint per ultimum non esse, & in tempore incipere, & desinere per ultimum esse; circa quod Greg. in 1. d. 17. q. 2. ar. 2. Conimbr. 8. Phys. c. 8. q. 2. ar. 5. & 6. Scotus 6. Phys. q. 3. Tol. q. 4. Compl. disp. 26. q. 4. Fuent. q. 2. diff. 3. ar. 3. & alii affirmative respondent quoad utramque partem; quod etiam innuit Licher. & Tatar. quol. 12. ar. 3. & Suar. 3. p. t. 3. disp. 8. sect. 2. in tertio modo. At Ferrar. ex opposito 3. contra Gentes c. 65. Valq. 1. p. disp. 229. c. 10. Vallef. 8. Phys. c. 1. & cont. 96. ad Tyroneis negative ad utrumque respondent, Averfa vero q. 50. sect. 2. suppositis indivisibilibus mediat inter istas opiniones, distinguit enim de rebus, nam alia sunt, quæ primo sunt, & non amplius a sua causa proxima conservantur, alia, quæ continuata actione conservantur; prima, inquit, debent omnino per primum esse incipere, ita ut oppositum sit impossibile, at secunda possunt etiam per ultimum non esse incipere; quoad destinationem vero admittit utroque modo desinere posse: at absolute loquendo, quia negat in continuo indivisibilia, de facto incipiunt, ait, tota simul in tempore, ac si essent in uno instanti indivisibilia. Amicus tamen tr. 16. q. 7. dub. 2. ar. 4. quoad destinationem utrumque concedit, at quoad inceptioem distinguit, quod indivisibilia formaliter, & virtualiter divisibilia possunt per ultimum non esse incipere, non tamen per productionem instantaneam, id est formaliter, & virtualiter indivisibilem.

Dicimus tamen quamvis omne indivisibile desinere possit intrinsece per ultimum esse, nullum tamen etiam de potentia Dei absoluta potest extrinsece incipere per ultimum non esse. Hæc conclusio quoad destinationem est Scoti 2. d. 2. q. 4. ad princ. & quol. 12. ar. 3. quem omnes fere Recentiores sequuntur; & prob. non repugnat, quia indivisibilia sunt, nam instantia mutata esse, & instantaneæ mutationes sunt hujusmodi, & tamen intrinsece desinunt, ut diximus; neque quia indivisibilia permanentive sunt, etenim sicut temporis coexistere possunt, & culter instanti continuatio, ita etiam poterunt instanti terminatio coexistere, præcipue quia mutæ res, quando perseverant, hoc modo desinunt ex dictis, & tandem, quia nulla apparet implicatio.

36 Quoad inceptioem vero colligitur ex Scoto 2. d. 2. qu. 1. Mafii, & Bellui Tom. II. Physicæ.

ad 1. pro opin. & quol. 12. ar. 2. ubi habet, creationem, seu productionem novam per hoc a conservatione distingui, quia illa supra respectum ad causam addit respectum ad non esse immediate præcedens, hæc vero respectum ad idem esse, ut præteritum; ex quo postea deducit, creaturam in primo instanti solum proprie dici esse creaturam, sed in tempore immediato conservari, ergo per Scotum vera creatio, & productio entis indivisibilis instantanea esse debet; verum est tamen, quod Scotus in hoc videtur problematicus, nam locis infra citandis contr. resp. ad 2. oppositum videtur asserere, & clare in 2. d. 6. q. 1. §. De secundæ ar. Et ubi quærens, an Angelus peccaverit in instanti, vel in tempore, refert duas opiniones, prima est quod necessario in instanti peccavit, quia quando subiectum, & terminus sunt indivisibilia, nulla est causa successioem; secunda, quod peccaverit in tempore, quia nulla virtus creata agit in instanti, subiungit, neutras rationes concludere, & se refert in 3. d. 3. qu. 1. cum ergo varie sit locutus, possumus quamcumque opinionem sequi, magis tamen placet opinio negativa; ut pote principis Scoti conformior, quam sequuntur Ruvius 6. Phys. tr. de incept. & desin. rerum, Mafius 6. Phys. lect. 1. q. 10. prob. ex doctrina adducta ex Scot. si hoc esset, ergo Angelus v. g. in tempore inciperet, sed hoc est falsum, ergo &c. sequela patet, falsitas probatur, tempus correspondens toti productioni, prout a conservatione distinguitur, est divisibile in partes priores, & posteriores, vel ergo productio exerceret in secunda parte, vel non; si secundum, ergo productio non coexistit toti illi temporis, si primum, vel producit novum esse Angeli, vel idem omnino permanet; non primum, quia entitas angelica divisibilis esset, si secundum, ergo tunc non producit, quia de ratione productionis novæ, prout a conservatione distinguitur, est, quod ipsa mediante primo communicetur esse rei, & ordinem immediatum dicat ad non esse præcedens, potius igitur conservatur, cum respiciat esse præteritum: quæ ratio est Arist. 6. Phys. cap. 5. ut vidimus in textu.

Respondet Greg. dupliciter intelligi posse, Angelum in hoc sensu produci totum simul, vel proprie, quando scilicet vere, & proprie contingit enunciare de præfenti, quod Angelus producit primo, & hoc modo negat in tempore posse produci; vel improprie, quando solum de Angelo enunciat præteritum, videlicet, Angelus totus fuit productus, absque eo quod possit assignari, quando primo fuit productus, & concedit. Conimbr. respondent, Angelum in tempore produci, non quia acquirat partes post partes, sed quia productio ad totum esse simul terminata existit, dum tempus fluit. Alii dicunt, incipere in tempore indeterminato, non determinato, & quia in tali tempore non potest medietas assignari, ideo in toto illo tempore debet dici incipere, ut diximus de formis incertis artic. præcedenti, vel si datur aliqua pars temporis correspondens, non tamen a nobis cognoscitur.

37 Ista responsiones fere in unam coincidunt, admittunt enim Angelum in tempore produci in hoc casu, non tamen quod sit assignabile, cum sit indeterminatum. Contra, cum de ratione formali novæ productionis, ut diximus, sit, quod res primo incipiat esse post non esse, ergo debet dari tempus correspondens isti productioni, in quo Angelus primo accipiat esse, quod licet a nobis non possit cognosci, cognosceretur tamen a Deo, quia cognosceret productionem ipsam, quando exerceret, & partem illam temporis actu tunc existentem; sed non est dabilis pars ista, ergo &c. Minor prob. pars ista, sive determinata sit, sive indeterminata, includit in suo conceptu prioritatem, & posteritatem partium in infinitum, hoc enim est de ratione successivæ durationis, ergo productio omnino indivisibilis non potest illi correspondere ob rationem assignatam; nec valet paritas de forma indeterminata, quia hæc divisibilis est & consequenter licet non possit certa medietas assignari in tempore illo indeterminato, attamen prioritas, & posteritas partium in tempore recte concipiuntur coexistere productioni formæ indeterminatæ, quia hæc quoque talem prioritatem partium indeterminatarum includit, non sic productio indivisibilis. Tum quia implicat, quod de aliqua re demonstrata sit verum dicere de præterito, hoc fuit acquisitum, nisi de præfenti aliquando fuerit verum dicere, hoc acquirunt, aliter ut dicit Arist. 6. Phys. 7. & 8. contingeret aliquando, quod aliquis transivit A, non aliquando transiens A, & quod ivit ad A, qui tamen nunquam fuit jens ad A, ergo implicat, Angelum dici posse productum, quum aliquando potuerit dici, productur, ergo assignari debet mensura aliqua in qua primo producat, talis non potest esse tempus ex dictis, ergo &c. Tum quia actio divina non coexistit in ratione productionis toti temporis, cui Angelus dicitur coexistere, sed uni parti in ratione productionis, alteri in ratione conservationis, ergo conservatio habebit aliquod instans, vel intrinsecum, vel extrinsecum, ergo tempus coexistentiæ productioni erit quid determinatum includit inter instans, quod est ultimum non esse Angeli, & instans initiativum conservationis, sive extrinsecum, sive intrinsecum. Tum quia potest res a Deo produci, ut non conservetur etiam secundum adversarios; dentur ergo tres productiones immediate sibi invicem succedentes, quid responderet ex parte nostri temporis? non tria instantia immediata, quia non dantur, ergo prima responderet instans, secunda pars temporis, & tertie aliud instans, & tamen res illæ productæ æqualiter durarent, cum solum producatur, & non conservetur, ergo non potest secunda ita immediate succedere primæ, ut pars aliqua temporis non correspondeat, quæ pars tamen adhuc determinata, non indeterminata esset.

38 Amicus, & Averſa aliter reſpondent, quando enim actio, ſunt eſt ſimul productio, & conſervatio, quia eadem indiviſibilis perfeverat, quomodo virtualiter diviſibilis dicitur, non eſt neceſſarium, conſervationem a productione diſtingui pro omni ſigno, ut patet, tum in productione æterna, ſi Angelus æternus foret, tum in productione temporanea, & ſucceſſiva alicujus diviſibilis formæ, in qua non eſt aſſignabilis pars aliqua temporis coexiſtens productioni, quin etiam ſit præſens conſervationi, ſed ſi productio dici debet, hoc erit, quatenus dicit ordinem ad tempus prævium, in quo non erat res, non vero in ordine ad tempus, cui realiter coexiſtit, in quo non eſt habilis prima pars, cui primo coexiſtat.

Contra, ut habet Scotus quol. cit. F. Supra eandem actionem toto durationis tempore permanentem, in quo exiſtit Angelus, quando eſt nova actio, & non æterna, fundantur ibi reſpectus, & terminantur ad non eſſe immediate præcedens, quomodo dicitur productio de novo, & ad eſſe præhabitum, & dicitur conſervatio, & impoſſibile eſt, actionem novam diu durantem non dicere reſpectus iſtos (quamvis in productione æterna non diſtinguantur inter ſe productio nova, & conſervatio, cum non adſit novitas eſſendi, ratione quorum productio, & conſervatio ſimul de eadem re prædicari non poſſunt) ergo etiam in hoc caſu debet dari productio Angeli a conſervatione diſtincta, quia vere eſſe Angeli ſuccedit poſt non eſſe immediate, & quia diu durat, vere dicit ordinem ad idem eſſe præhabitum; non poſſet autem dici primo produci in ultimo non eſſe, quafi quod in illo intrinſece incipiat, quia tunc productio non eſt, nec Angelus primo exiſtit, neque dicere tunc poſſet ordinem ad non eſſe immediate præcedens, quia adhuc reperitur non eſſe Angeli, neque poſſet dici primo produci in tempore immediate ſequenti, quia non datur prima pars, in qua poſſit dici primo incipere eſſe totum ſimul, ut probatum eſt, ergo &c. Exemplum de productione æterna non eſt ad propoſitum, quia eſt fermo de temporali, in qua adest eſſendi novitas; exemplum de ſucceſſivis in tempore productis eſt ad oppoſitum, in iſtis enim eſt fieri, & conſervari, quia ſunt in continuo fluxu, & ſemper adest nova & nova pars ſuccedens, ex quo formatur hæc ratio; ideo ſucceſſiva poſſunt in tempore produci, quia habet novitatem eſſendi ſucceſſivam in toto illo tempore, qua ratione ſemper dicunt ordinem ad non eſſe partiale immediate præcedens, ergo indiviſibilia, quia carent novitate iſta eſſendi, non poſſunt dici in tempore diviſibili primo produci, ſed ſolum in iſtanti.

39 Iſtæ rationes univerſaliter concludunt tam contra Averſam, quam contra Amicum; tum quia productio cujuſlibet indiviſibilis etiam quod continuata actione conſervatur, debet eſſe ſimultanea, & conſequenter iſtantanea; immo cum nulla res ſit, quæ a Deo non dependeat in fieri, & conſervari, debebat Averſa abſque diſtinctione loqui, & univerſaliter negative reſpondere quaſito de entibus permanentibus; Tum quia indiviſibilia formaliter, & virtualiter diviſibilia ſolum ita dicuntur, quatenus diu poſſunt durare, & eodem modo actio, qua habent eſſe a Deo, dicitur virtualiter diviſibilis, ex quo ſequitur tantum indiviſibilia iſta non ſolum produci, verum etiam conſervari poſſe, & actionem illam non ſolum productionem dici novam, ſed quoque conſervationem, non tamen quod actio illa, ut productio nova ſit conſervatio, & indiviſibile, ut conſervatur, etiam producatur, reduplicative loquendo.

Ex qua doctrina deducitur, rem ſive diviſibilem, ſive indiviſibilem, dummodo tamen indiviſibiliter producatur, ſcilicet per primum ſui eſſe, poſſe per ſolum inſtans durare, quod ſit primum, & ultimum eſſe ipſius, ita Scotus quol. cit. art. 3. & Reg. Parif. 8. Phyl. q. 2. collat. 2. in fine, & patet ex dictis, quia poſſunt iſtæ res hoc modo incipere, & definire; tum quia inſtans temporis, & mutata eſt hoc modo durant, ergo idem poſſet de aliis aſſumari, cum nulla adſit diſparitas, tum quia productio, & conſervatio ejuſdem rei, prout illos diſtinctos reſpectus includunt, ſunt realiter diſtincta, ergo ut ſic poſſunt ad invicem ſeparari. Antecedens patet, quia ſunt ad terminos realiter diſtinctos. Tum quia poſſet noſtra voluntas elicere unum actum ut ſolum per inſtans duret, aliter ſi deberet illum neceſſario continuare, ſi talis actus eſſet peccaminofus, tunc homo eſſet extra ſtatum propriæ ſalutis, neque viator dici poſſet, quia non poſſet non eſſe peccator. Neque dicas, Aug. lib. 4. ſup. Gen. ad litt. c. 11. aſſerere, Deum movere creaturam ſpiritualem per tempus, quare non producit ſolum per inſtans; & Ariſt. ſupra adductum dicentem, naturam nihil producere, ut ſtatim non ſit. Etenim D. Aug. ex Scoto 2. d. 2. qu. 4. in fine per tempus intelligit id omne, quod accipit eſſe poſt non eſſe, quo ſenſu durans tantum per inſtans, in tempore exiſtere dici poterit. Dictum vero Philoſ. ex Scot. quol. 12. K. de agentibus naturalibus aliquid permanentis producentibus, non de liberis, & hoc quia agens naturale inſiſtit ad productionem, & conſervationem, corruptio autem provenit ab agentibus corruptivis, quæ in illo iſtanti, vel non ſunt approximata, & conſequenter non poſſunt in tempore immediate ſequenti agere, vel ſi ſunt approximata, non vincunt virtutem agentis producentis, quia ſic impediunt etiam productionem, ad vincendum autem poſtea agens contrarium requiritur tempus, immo & augmentum virtutis, ex quo patet, quod non valet de cauſis liberis.

40 In oppoſitum inſtatur 1. quod indiviſibile non poſſit intrinſece definire; indiviſibile totum eſſe ſimul habet, ergo totum eſſe ſimul amittit, non per partes poſt partes, ergo in

inſtanti, & per primum non eſſe, non in tempore, & per ultimum eſſe. Tum 2. quia concuſus Dei indiviſibilis proſus eſt reſpectu Angeli, ergo ſubtraſtio illius debet eſſe indiviſibilis. Tum 3. quia debet omnino aſſignari, quando primo Angelus annihilaretur, non enim ſunt idem annihilari, & annihilatum eſſe, nam diſerunt ſicut productio, & conſervatio ejuſdem eſſe, ut pro iſtantanea productione ſupra arguimus; ſaltem Deus cognoviſſet menſuram illam, in qua primo ſuſpedit ſuum concuſum, talis non poſſet eſſe tempus, quia eſt diviſibile in infinitum, ergo inſtans. Tum 4. quia eſſe, & non eſſe Angeli ſunt indiviſibilia contradictonorie oppoſita, quorum regula eſt, ut eadem durationis menſura poſſit eſſe, ut offendit Philoſ. de de motu, & quiete 6. Phyl. 67. & ſeq. quæ rationes faciunt contra inſcriptionem in iſtanti: ſi v. gr. argueretur ex hoc, quod deſitio poſſet eſſe in tempore, ergo & productio.

Reſpondemus, ſi iſtæ rationes valerent, concluderent etiam de definitione iſtantiſ, & mutationum pro iſtanti durantium; quare dicimus diſparitatem eſſe, quia productio eſt actio poſitiva, realis, & determinata, realem, poſitivum, & determinatum effectum habens, ideoque determinatam durationem poſtulans; at annihilatio eſt actionis negatio, nec ad aliquid eſſe, ſed ad non eſſe terminatur, quod nec determinatam actionem, nec determinatam durationem petit, ſed poſſet ſive in tempore, ſive in iſtanti haberi, ſic non eſt motus, non prout dicit privationem, ſed ſimplicem negationem, & ſuit ab æterno, & incipit intrinſece, quamvis ſi negatio alicujus ſucceſſivis, cui repugnat intrinſece inceptio, ut diximus ſupra ad argumentum, ergo diſtinguimus conſequens, amittit totum eſſe ſimul, idem non per partes, & partes, concedimus; ſimul, idem, in iſtanti, negamus; per idem ad ſecundum. Ad 3. annihilari, & annihilatum eſſe in Angelo ſolum per noſtrum modum concipiendi diſerunt, nec eſt neceſſe, ut detur prima omnino annihilatio, ut in productione debet dari prima productio, quia vere terminatur ad eſſe reale indiviſibile de novo accipiens eſſe, neq; Deus cognoviſſet iſtam primam partem temporis indeterminatam, quia non datur. Ad ultimum dicimus, oppoſita contradictonorie non menſurari neceſſario eadem duratione, ſed oppoſita privative, ut ſunt motus, & quies.

41 Secundo obijciunt, quod poſſit Angelus extrinſece incipere; Creet Deus unum Angelum in iſtanti, immediate poſt vel poſſet alterum creare, vel non; ſi primum, haberet intentum, ſi ſecundum, ergo tunc Deus neceſſario, & non libere quieſceret. Tum 2. quia Angelus nullam dependentiam dicit ad tempus, ſed ſolum coexiſtentiam quandam extrinſecam, ergo etiam extrinſece producatur, non poſſet ab illo dependere in eſſe, vel produci. Tum 3. quia D. Aug. 8. ſuper Gen. ad litt. c. 19. vult, quod aer non eſt factus lucidus a Sole, ſed ut ſit lucidus, alioquin remaneret lucidus recedente Sole, ſed eodem modo videtur creatura qualibet a Deo dependere, ergo qualibet creatura ſemper ſit, & conſequenter productio ipſius poſſet tempore coexiſtere. Tum 4. quia ſi detur aliquid obſtaculum impediens illuminationem mediæ, poſſet Deus illud deſtruere per ultimum eſſe, & intrinſece, & in eodem tempore luminofum ager in medium, cum ſit agens naturale, lumen autem non eſt per partem poſt partem producibile, ſed totum ſimul, ergo &c. Idem caſus eſſet, ſi Angelus in iſtanti productus eliceret immediate poſt aliquam intellectionem, aliter non eſſet in ſtatu viæ (ſuppoſito, quod in gratia non eſſet confirmatus) quia non poſſet ſtatim mereri.

Reſpondemus, in caſu non poſſe Deum alterum Angelum creare, non ex parte ſua, ſed ex parte Angeli, quia ſic petit natura ipſius Angeli, Deum vero tunc neceſſario quieſcere non ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione, ſicut ſuppoſito, quod nunc producat aliquid indiviſibile ſecundum durationem, nequit poſtea immediate alterum producere, & ſuppoſito, quod dividat continuum in aliquo puncto, non poſſet facere diſiſionem immediate poſt, quia non datur alterum indiviſibile immediate. Ad 2. Angelum extrinſece aliquo modo a tempore dependere per coexiſtentiam, unde a poſteriori argueremus partes in ipſo Angelo, ſi in tempore procederetur. Ad 3. reſp. Scot. quol. 12. D. quod fieri dupliciter ſummi poſſet, primo quatenus idem eſt, quod dependere in eſſe, & hoc modo commune eſt ad productionem, & conſervationem, & ita intelligitur D. Aug. ſecundo pro dependere noviter, & in hoc ſenſu ſolum productioni convenit, & de creatura in primo iſtanti dici poſſet, deinde vero dicitur creatura in facto eſſe, quod erit conſervatio ipſius. Ad 4. dicimus, in his caſibus, & lumen in tempore produci, & intellectionem, non quidem ſecundum omnes partes ſimul, ſed per partem poſt partem, quia lumen eſt extenſive, & intensive diviſibile, intellectio autem intensive ſolum, quod ſufficit, ut poſſit ſucceſſive produci, ſicut & dictis.

42 Contra, Scotus in 2. d. 2. qu. 4. §. contra Concluſionem, &c. arguendo contra Henr. ponentem intellectiones Angeli menſurari nunc temporis diſcreti, quod nunc ponebat neceſſario coexiſtens parti temporis noſtri, ait, quod intellectus poſſet utique elicere unam intellectionem in uno iſtanti, & immediate poſt elicere aliam, & quia ævo menſurantur, ideo inquit, habebunt primum eſſe in ævo, licet ſecundæ intellectioni nulla prima pars correſpondeat temporis noſtri; idem repetit ad 2. princ. & in 3. diſt. 3. q. 1. B. ait, quod Beata Virgo poterat in primo iſtanti ſua conceptionis eſſe ſub peccato originali, & in tempore immediato in gratia, quæ tamen non ſucceſſive, ſed indiviſibiliter produceretur, ratione cujuſ, inquit ipſe, mutatio illa proprie, nec erit motus, nec mutatio; non

non mutatio, quia eſt in tempore, nec motus, quia non eſt ſubjecto, neque ex parte ſubjecti, neque ex parte formæ, quæ authoritate directe oppugnant noſtram ſententiam.

Reſpondemus ad 1. locum, intentum Scoti ibi tantum eſſe offendere contra Henr. ſine ratione ipſum ponere nunc temporis diſcreti neceſſario parti temporis noſtri coexiſtere, nam ſi nos poſſumus elicere intellectionem per inſtans, multo magis Angelus, cum ſit perſpicacior intellectus; quare non eſt neceſſe, ut conſervet intellectionem illam per tempus aliquod & licet poſtea videatur concedere, intellectionem Angelicum poſſe poſt inſtans illud aliam producere intellectionem in tempore immediato, quæ primum eſſe habeat in ævo, & non ſit aſſignabilis pars prima temporis noſtri illi correſpondens, hoc tamen dicit ſupponendo, quod poſſit hoc facere intellectus noſter, nam tunc clare ſequitur, idem poſſe intellectionem angelicum, quo ſuppoſito deberet neceſſario concedi, productionem ſecundæ intellectionis coexiſtere tempore, unde ait conditionate; Sed ſi ſtatim habet aliam intellectionem, tunc nihil erit temporis noſtri coexiſtens illi ſecundæ intellectioni; quod etiam colligitur ex loco allegato ad 2. princip. ubi dat unam reſponſionem, quod æviterum poſſet durare per tempus, non tamen propter hoc ſequitur, quod ſit in tempore, quia quod eſt in ævo, poſſet durare cum noſtro tempore, & deinde ſubjungit aliam reſponſionem, & ait, vel poſſet dici, quod aliqua intellectio poſſet inſeſe Angelo præſeſſe cum iſtanti noſtri temporis, & deinde poſt illud inſtans poſſet habere aliam, & aliam intellectionem immediate, ubi clare patet, quod ſecundæ reſponſio eſt data juxta dicta in conſutatione opinionis Henr. & non ex propria ſententia; Autoritas ex 3. magis urget, ſed dicere poſſumus, loqui de ſucceſſione proveniens ex partibus extenſivis, quæ non adest propter animæ indiviſibilitatem, & gratiæ, ſed adest ſucceſſio ex parte graduum gratiæ, propter quam ſucceſſionem poſſet tempore coexiſtere, & per ultimum non eſſe incipere; quod ſuſe explicat in 1. d. 17. q. 3. & ſeq. quæ expoſitio eſt juxta dicta Scoti in 2. d. 2. quæſt. 11. arguendo contra D. Tho. ubi ex hoc, quod operatio Angeli, quamvis eſſet in iſtanti temporis diſcreti, coexiſteret tamen noſtro tempore, arguit, continuum, & ſucceſſivum eſſe; hinc dicendum, Scotum problematicum fuiſſe.

43 Tertio, indiviſibilia continuativa partium in continuo ſimul producuntur, & tamen in tempore, ergo &c. antecedens prob. in iſtanti non eſt pars altera producenda, quæ continuari debet præcedenti parti acquiſita, ergo in illo iſtanti non datur indiviſibile, quod eſt nexus illarum partium. Tum 2. quia Pater in divinis poſt hoc inſtans generabit Filium, & tamen non per partem poſt partem, ſed totum ſimul, ergo non implicat, productionem ſimultaneam coexiſtere alicui tempore. Tum 3. quia poſſet

Angelus coexiſtere loco diviſibili, ergo & tempore diviſibili productio ipſius poſſet coexiſtere, quia in ea menſura non repugnat productionem exiſtere, in qua non repugnat terminum exiſtere.

Reſpondemus neg. 2. antecedentis partem, quia in iſtanti producuntur indiviſibilia continuativa formæ per mutata eſſe motus, aliter productio ſucceſſiva non eſſet continua; ad prob. neg. conſequentia, nam indiviſibile non eſt nexus relativus, de cujuſ ratione eſt, quod præſupponat extrema, qualis eſt unio, ſed eſt nexus abſolutus, qui poſſet præcedere partem connexam. Ad 2. negatur paritas, quia in æterna generatione non adest novitas eſſendi, quomodo ſe habet conſervatio rei permanentis; at in productione temporanea adest novitas, ut diximus in probatione Concl. ad 3. ſolum ſequitur Angelum per ſuam exiſtentiam coexiſtere poſſe durationi diviſibili, quod ultro concedimus, non tamen per ſuam primam exiſtentiam, & productionem, exiſtentia enim eſt indifferens ad terminandam productionem, & conſervationem, & ut ſic negatur, poſſe productionem reperiri, quando adest etiam exiſtentia, aliter idem ſimul conſervaretur, & produceretur; at prima exiſtentia eſt ſimul cum productione, quomodo non poſſet eſſe in tempore. Alias rationes adducit Amicus, ſed ex dictis facile ſolvuntur.

Ex his omnibus poſſet colligi breviter corollarium. Modi incipiendi ſunt duo, videlicet primum eſſe, quod intrinſecum eſt, ultimum non eſſe, quod eſt extrinſecum. Modi deſinendi ſimiliter ſunt duo, ultimum eſſe, quod eſt intrinſecum, & primum non eſſe, quod eſt extrinſecum, habito ſemper reſpectu ad exiſtentiam rei. Succeſſiva incipiunt, & deſinunt extrinſece, ut ſucceſſiva ſunt ſcilicet per ultimum non eſſe, & primum non eſſe. Permanentia diviſibiliter acquiſibilia, ſi ut entia quædam completa, & determinata ſunt, conſiderentur, & in ſubjecto certo recipiuntur, incipiunt per primum eſſe, & deſinunt per primum non eſſe regulariter: Si vero ut entia incompleta ſumantur, incipiunt per ultimum non eſſe, & deſinunt per ultimum eſſe, ſi de partiali deſitione loquamur, at ſi de totali, deſinunt regulariter per primum non eſſe. Quæ ſe invicem conſequentur, ſi unum incipit per primum eſſe, alterum deſinit per primum non eſſe; ſi vero per ultimum non eſſe unum incipit, alterum deſinit per ultimum eſſe. Indiviſibilia etiam ſecundum durationem intrinſece incipiunt, & deſinunt, ſed indiviſibilia ſecundum entitatem, virtualiter tamen diviſibilia ſecundum durationem neceſſario incipiunt per primum eſſe, ſed poſunt utroque modo definire; regulas generales pro inſcriptione, & deſitione rerum tradunt Pariſienſes 8. Phyl. quæſt. 2. collat. 2. quarum aliquæ limitandæ ſunt juxta dicta ſuperius.

DISPUTATIO DECIMAQUINTA. De Motu.

Devenimus tandem ad explicationem præcipuæ, & principalis paſſionis corporis naturalis, quæ eſt motus, jure merito hucusque dilatam, ut omnia, quæ de motu ſolent a Philoſophis pertrahari, ſimul tradere poſſimus, & primo de motu quo ad ejus entitatem, paſſiones, & ſpecies agemus, deinde de cauſis ipſus ſermonem inſtituimus.

QUESTIO PRIMA.

In quo conſiſtat formalitas motus.



Incipimus in præſenti diſput. motum, quatenus communis eſt ad motum proprie dictum, & ad mutationem proprie dictam, & univerſaliter pro eo, quod denominat proprie ſubjectum moveri: & omiſſa opinione Antiquorum negantium dari motum in rerum natura, ſed omnia, & dicebant, quieſcere; quam ſententiam, quia contra experientiam, non oportet improbare ex profeſſo, nam cognita quidditate motus, clarius ipſius falſitas apparebit; tum quia ipſorum fundamenta vel militant contra exiſtentiam ſucceſſivorum, de qua diximus diſp. 13. qu. 4. ar. 1. vel contra partium infinitatem in continuo, de qua egimus diſp. 9. q. 2. Iſtam igitur formalitatem explicemus.

Advertendum eſt tamen pro quaſiti deſiſione, quod in motu multa reperuntur, in quibus poſſet poni conſiſtere formalitas ipſius, ut habet Doct. 2. d. 1. q. 5. S. & 4. d. 13. qu. 1. F. primo enim ſunt tres entitates abſolute, ſcilicet, movens, ſeu agens; mobile, ſeu ſubjectum; & forma in ſubjecto recepta, quæ in motu locali eſt reſpectiva, non abſoluta ex dictis diſp. 11. Secundo multi adſunt reſpectus reales, nam agens, ſi comparatur ad formam, vel compoſitum, dicit relationes educantis, aut producentis, & e contra forma relationem educationis paſſivæ, & compoſitum relationem productionis paſſivæ ad ipſum agens, qui reſpectus ſunt intrinſecus advenientes; ſi vero ad materiam comparatur, in quam ut in ſubjectum formam inducit, inſurgunt inter ipſa reſpectus tranſmutantis ad tranſmutatum, ſeu agentis ad paſſum, & tranſmutati ad tranſmutans, vel paſſi ad agens, in quibus actio, & paſſio conſiſtunt ex dictis diſp. 7. quæſt. 3. ar. 1. & ſunt reſpectus extrinſecus advenientes: ſi materia, & forma inter ſe comparantur, præter reſpectum illum intrinſecus advenientem educationis ad id, ex quo educitur, quem dicit forma ad materiam, & Bellui Tom. II. Phyl. 6.

teriam, & e contra, ſi a materia eſt dependens, adſunt alii reſpectus perfectibilis ad perfectivum, & e contra, qui informatio activa, & informatio paſſiva dicuntur, ſuntque extrinſecus advenientes, nam poſſunt eſſe materia, & forma abſque eo, quod forma materiam perficiat, & informet. Tertio præter hos reſpectus reales adſunt etiam multi reſpectus rationis, qui tantum rationis dicuntur, non quod ſint vere entia rationis, & ſecundæ intentionis, ſed in quantum ipſius deficit aliqua ex conditionibus relationis ſimpliciter realis a Scoto enumeratis quol. 13. H. & 1. diſtinctione 31. quod ſcilicet ſit inter extrema realia, & realiter diſtincta; & quod inſurgat independenter ab opere intellectus: nam cum forma, vel reſpectus ſimpliciter reales adducti habuerint ſuas privationes, ideo dicunt relationem ad non eſſe præcedens, non quidem realem ſimpliciter, quia non eſſe extremum non eſt reale, ſed reale ſecundum quid. Recentiores vero præter hæc omnia adveniunt quandam viam, ſeu tendentiam ad formam, qui ſit modus quidam abſolutus præcedens formam tranſcendentem reſpectivam, per quem forma acquiritur in ſubjecto. Clarum eſt, motum aliquid iſtorum formaliter importare.

2 Quidam etiam ex Scorifiſtis aſſerunt, motum formaliter importare formam fluentem, ita tamen quod de principali ſignificato dicat formam, connotat vero fluxum ipſius. Communiter oppoſitum a Doct. aſſeritur, motum ſcilicet formaliter dicere fluxum, ſeu fieri formam, non formam, ſed magnum eſt diſſidium apud eodem, quid ſit fluxus iſte, ſeu via ad formam in eſſe perfectio; nam quidam hoc nomine viæ, ſeu fluxus contenti abſque alia declaratione, puta ſi quod abſolutum ſit, aut reſpectivum, & ad quod terminatum, credunt ſatis explicitè motus eſſentiam, ita Caraffa de Conc. diſp. 17. & Compl. in Phyl. diſp. 16. q. 1. Alii dicunt, fluxum iſtum eſſe quantitativam quandam ſucceſſivam, non permanentem, quæ vere, & per ſe ſit in prædicamento quantitatis: ita Tatar. in prædic. c. de quant. & in report. 4. d. 12. q. 4. Ant. Andr. 5. Met. quæſt. 10. Fuentes 3. Phyl. q. 1. diſt. 3. ar. 3. Alii quod ſit modus quidam abſolutus ab ipſa forma, modaliter ex natura rei diſtinctus, prior natura forma, quo tanquam via, & tendentia acquiritur forma; ita Recentiores

fere omnes, ut Perer. lib. 17. quæst. ult. Conimbr. 5. Phys. quæst. 2. art. 2. Nafius disp. de motu sect. 1. quæst. 3. Suarez disputat. 49. Met. sect. 2. Morif. disp. 7. Phys. quæst. 1. Averr. quæst. 26. Phil. sect. 8. & seq. Ruvius tract. de motu quæst. 1. 2. & 4. Amic. tract. 29. q. 2. & ex nostris sequitur Fuentes 3. Phys. quæst. 1. num. 13. & qu. 2. num. 18. quem modum actum, ajunt, appellari imperfectum, quia actuatur materiam non perfecte, & complete, sed imperfecte, & incomplete, nam ipsam constituit in ordine ad formam acquirendam, ad quam essentialiter ordinatur modus ille, ut ad terminum. Alii ut P. Faber theor. 45. c. 1. & 2. Cavellus super q. 2. Scoti de An. adnot. 2. dicunt, fluxum istum consistere in continuata illa dependentia formæ ad agens, a quo forma dependet in esse, qui est respectus intrinsecus adveniendi de prædicamento relationis. Alii ut Canon. 3. Phys. q. 1. ar. 2. Jo. de Magistris q. 2. Regent. Paris. ibidem asserunt, motum, seu fluxum formæ dicere relationem mobilis ad motorem, quæ est passio mobilis inexistens, unde secundum istos motus, & passio idem sunt, & quod hoc sequitur Suarez. licet discrepet, quia putat, passionem entitatem esse modalem. Alii fluxum istum explicant per actionem, & passionem tanquam per prædicata essentialia, & quidditativa, sicut homo in suo quidditativo conceptu includit animal, & rationale, ita Bonet. 4. suæ Phys. c. 2. Hurr. disp. 11. Phys. sect. 3. & videtur esse Emiliæ Acerbi lib. 4. qq. perip. q. 1. Tandem dicunt alii, fluxum istum formaliter importare respectum subjecti ad formam, quæ informatio passiva dicitur, connotando tamen respectum rationis, qui est inter esse formæ, & non esse ejusdem, seu inter esse respectus hujus informationis, & non esse ejusdem immediate præcedens, in quo novitas formæ in subjecto consistit.

3. Ut autem in tanta varietate pateat Scoti sententia, supposito prius, quod motus est duplex; acquisitivus, cujus terminus ad quem est positivus; & deperditivus, cujus terminus ad quem est privatio: notandum ex Scot. in 4. d. 12. quæst. 4. D. & ad arg. princ. quod motus dupliciter considerari potest, vel secundum suam essentiam præcise quocumque modo sit possibilis in rerum natura, sive ab agente creato, sive increato, sive modo naturali, & secundum cursum communem naturæ, sive modo supernaturali vires naturæ excedente; Secundo accipitur solum, ut secundum naturam cursum fieri potest, quo sensu physicus, & naturalis dicitur, non quidem prout naturale violento, vel neutro opponitur, sed prout a supernaturali distinguitur; ubi motus primo modo a naturali, & supernaturali præcindit, ut videbimus; Authores citati fere omnes loquuntur de motu in secunda significatione.

Dicimus 1. nullo ex his modis explicari recte motus naturalis, & physici formalitatem, sed motum naturalem formaliter dicere successione termini ad quem posterioris post terminum a quo priorem immediate præcedentem, non quidem ut sic sed ut in subjecto; quæ successio est relatio quædam termini ad quem in subjecto ad terminum a quo immediate præcedentem, sive motus sit acquisitivus, sive deperditivus, nam si acquisitivus erit, tunc relatio illa, quam dicit respectus informationis passivæ ad non esse ipsius immediate præcedens motus acquisitivus dicitur, si vero deperditivus, relatio, quam dicit non informatio ad informationem immediate præcedentem, erit motus deperditivus. Concl. est Scoti in 4. d. 11. q. 1. E. & d. 43. q. 1. C. & in 2. d. 1. q. 5. T. & aliis in locis infra citandis, ipsamque insinuant Iribarnes in 4. to. 1. disp. 50. sect. ult. Arret. 4. d. 11. q. 1. ar. 4. & P. Vulpes 2. par. disp. 1. ar. 3. n. 2. & probari potest alios dicendi modos refutando, nam primo motus non potest dicere quid absolutum; quia vel erit forma, vel quantitas successiva, vel motus ille non est forma, connotando fluxum ipsius, quia Arist. 5. Phys. text. 5. aperte ait. *Non est albedo motus, sed dealbatio*, ergo motus potius formaliter dicit fluxum formæ, quam formam ipsam; Tum quia motus dividi solet per instantaneum, & successivum, tardum, & velocem, rectum, & circularem, ut dicemus q. 3. quæ divisiones non conveniunt formæ, sed acquisitioni ipsius, formaliter loquendo. Tum quia motus secundum suam formalitatem privative, & intrinsece opponitur quæri formaliter sumptæ, non extrinsece, at si formaliter diceret formam connotando fluxum, quies vel dicit formaliter formam cum negatione fluxus, & sic formaliter motus, & quies convenirent, & solum per connotata, & extrinsece differrent; vel dicit negationem fluxus, & sic motus dicit formaliter fluxum, qui privative quæri opponitur. Tum quia saltem quoad principale significatum motus semper maneret, quando forma esset in subjecto, nec cessaret quoad principale significatum præsentibus habitibus, quod est contra Arist. 1. de Gen. 55.

4. Neque potest dicere quantitatem successivam de genere absoluto; Tum quia motus est via ad terminum, quantitas non est via ad substantiam, quantitatem, qualitatem, & Ubi; & præcipue quia via est imperfectior termino, & nullum absolutum est relatio imperfectus, ergo quantitas non potest esse via ad Ubi, quæ est relatio ex dictis disp. 11. Tum quia motus in communi præcindit a motu proprie dicto, qui secundum Tatar. est successivus, & mutatione proprie dicta, quæ secundum eundem instantanea est, & tanquam genus in ipsis includitur, ergo hic motus nequit esse quantitas, quia quantitas habet partes, hic motus præcindit a divisibili motu, & indivisibili mutatione, ergo nec motus successivus erit proprie quantitas, quia diversorum generum non subalternativa posteriorum diversæ sunt species, & differentia, unde si motus successivus est sub genere quæti in communi, non potest sub genere quantitatis contineri. Nec tandem erit motus ille; tum ex dictis disp. 5. q. 2. & disp. 7. qu.

3. art. 1. ubi modos istos confutavimus. Tum etiam, quia vel iste motus ab actione distinctus, vel idem realiter; si primum, ergo quia non est agens causalitas, debet ab aliquo causari cum non sit a se, ideoque motus esset effectus, & ad ipsum esset actio, & per consequens ad motum esset motus, sicut arguit Arist. in textu, eo quia actio, & motus, quando subiectum tempore præcedit formam, comitantur ad invicem; si secundum, ergo quia actio est in agente ex dictis disp. 7. q. 3. ar. 2. motus erit in agente, quod est falsum, quia Arist. ait, esse actum mobilis, tum quia datur actio sine motu, ut dicemus, ergo non est idem cum actione; tum quia motus deperditivus non potest in tali modo consistere, nam cum terminus ad quem sit non ens, impossibile est, quod ens positivum, qualis esset motus iste, sit essentialiter ordinatum ad non ens tanquam ad terminum acquisitionis. Tandem vel motus iste est in forma, vel in subjecto; si primum, ergo esset posterior forma, in qua fundatur, ipsamque denominabit moveri; si secundum, ergo mobile in quolibet motu dupliciter dicitur moveri, & per receptionem formæ, & per receptionem istius modi absoluti, unde ad motum esset motus, & processus in infinitum; Sequela prob. quia mutari est aliter se habere nunc, quam prius, mobile non solum recipit formam, fed etiam entitatem illam modalem, estque duplex receptio, sicut duæ sunt entitates receptæ. Nec valet, quod ait Ruvius cit. q. 4. quod moveri est aliter se habere nunc, quam prius in fieri, non in facto esse, quia ratio mobile non movetur per receptionem formæ in fieri, sed solum per motum, per receptionem vero formæ aliter se habet subiectum in facto esse, & dicitur mutatum esse, & acquisisse terminum. Non valet, quia mobile non tantum recipit formam in facto esse, sed etiam in fieri, immo tunc actualiter recipit, ista receptio non est motus per ipsum, cum permaneat, quando forma est in subjecto, ergo non movetur per receptionem illius modi, fed etiam per receptionem formæ.

5. Secundo non potest dicere relationem formæ ad agens, ut assererat P. Faber; Tum quia Scotus in 4. d. 11. qu. 1. E. habet, mutationem esse respectum secundum quid, non simpliciter realem, quia est ad non esse terminatum, ergo per Scotum non est respectus formæ ad agens, qui est simpliciter realis, & intrinsecus adveniendi; & in 2. d. 1. q. 5. & T. ait, mutationem, quatenus dicit hoc, quod est aliter se habere nunc, quam prius præcindere a respectu ad agens, qui est producti ad producens; & 4. d. 13. q. 1. K. Doctor distinguit motum ab actione, non solum ut actio est genus distinctum a cæteris, sed etiam ut est relatio productentis, & producti; & in 1. d. 5. q. 2. E. & S. distinguit Doctor generationem in ratione productionis, & in ratione mutationis, & ait, quod generatio ut mutatio dicit ordinem ad subiectum, ut transit de uno opposito ad aliud, ut vero productio, respicit producens: idem habet d. 2. q. 7. K. ergo motus per Scotum non potest dicere relationem ad agens, & producens. Tum quia hic respectus est in forma, non in mobili, formamque denotat, non mobile, & si ab agente, etiam in conservari dependet, ut est lux in aere a Sole dependens, permanet semper cum forma, & agens intrinsece respicit, sine quo nequit intelligi; at motus est in mobili, quod etiam moveri denominat, ut habet Arist. 3. Phys. 16. & 23. transit acquisita forma, nec agens respicit ut principium, aliter quatuor mutationis principia non tria, immo duo, quia respectus ille solum formam respicit, & agens, non materiam, & privationem; ergo non consistit in tali respectu. Tum quia si forma esset a materia separata a Deo, postea induceretur in subjecto, ut erit in resurrectione de anima rationali, daretur motus abque isto respectu ad agens creatum, nam respectus ad increatum est realiter identificatus, nec est in prædicamento relationis, & ideo motus non erit.

6. Tertio neque dicitur passionem solum, aut actionem, & passionem simul: cum quia isti respectus non dicunt ordinem ad privationem, ut ad principium, sed ad agens, vel ut terminum, sicut est passio, vel ut fundamentum, sicut est actio, quare privatio non esset principium motus, sed agens. Tum quia ex Scoto 4. d. 43. q. 5. H. dantur actio, & passio sine motu, nam si subiectum simul cum forma producitur, ita ut tempore non præcedat sub privatione, ut est in qualibet animatione, in qua corpus in eodem instanti completur in esse, & animam recipit, adsunt actio, & passio, quia vere agens inducit formam in subjecto, & subiectum ipsam recipit, non tamen motus, quia subiectum solum natura formam dicitur præcedere, quod non sufficit, ut infra: idem evenit, si forma in conservari etiam ab agente dependeat, nam tunc manent actio, & passio, quia conservatio est actio continuata, non tamen motus, quia aer post illuminationem non dicitur amplius ad lumen moveri. Tum quia si actionem etiam formaliter includeret in suo conceptu, esset quoque actus agentis, in duobus esset subiectis distinctis, scilicet in agente, & in passio, nec esset unum per se, sed per accidens, quia nulla res includit in suo conceptu formam res diversorum prædicamentorum, diversæ enim species nequeant aliam tertiam constituere.

7. Quarto quod non dicat informationem de principali significato, connotando respectum informationis ad non esse immediate præcedens, docet Doctor in 4. d. 11. cit. & probatur iisdem rationibus, quibus supra ostendimus, formam fluentem non esse motum pro formali: etenim iste respectus manet semper, cum in subjecto est forma, non dividitur iisdem differentis, quibus motus dividitur, immo eadem receptio formæ potest duobus moribus specie distinctis acquiri, ut idem ubi potest acquiri motu recto, & circulari, non opponitur privative quæti, immo cum ipsa manet, quæ omnia nequeant principali significato motus convenire.

Re-

Remanet igitur, ut successione illam formaliter dicat, seu respectum informationis, vel esse formæ in subjecto ad non esse immediate præcedens, & rationabiliter quidem; Tum quia ex D. Greg. 5. Moral. mutari est ex alio in aliud ire, & ex 5. Phys. 3. motus est transitus subiecti a termino a quo ad terminum ad quem. Tum quia tunc mobile formaliter movetur, quando in ipso succedit terminus ad quem post terminum a quo, ergo per locum a conjugatis, & casibus motus erit talis successio, quæ cum non sit aliquid absolutum, erit quid respectivum. Tum quia mutari est aliter se habere nunc, quam prius ex 6. Phys. 32. per ly se habere exprimitur respectus subiecti ad terminum ad quem, per ly aliter nunc quam prius explicatur illa immediata successio posterioris termini post priorem expulsum a subiecto, quia aliter dicit relationem ad terminum præcedentem terminatum. Tum quia isti respectivi quies opponitur privative, nam tunc subiectum quiescere intelligitur, cum jam formam acquisivisset, nec novitas formæ in subiecto concipitur, hoc autem evenit, cum forma immediate non respicit non esse præcedens, sed esse ejusdem præhabitu, quod est carere respectu illo ad non esse immediate præcedens. Quod vero motus iste physicus, & naturalis necessario debeat dicere successione istam in subiecto, prob. a Doct. in 4. dist. 12. q. 4. C. & H. contra Gotfr. oppositum asserentem; agens naturale necessario, ad hoc ut producat aliquid, præsupponit subiectum, aliter potest creare, ut innumus disp. 2. q. 1. ar. 1. ergo motus ab ipso causatus necessario debet fieri in subiecto; & hinc est, quod Arist. de motu, & mutatione semper locutus est in ordine ad subiectum, & mobile, ut patet ex definitione motus 3. Phys. & mutationis 5. Phys. quia potentiam creativam in tempore non agnovit.

8. Dicimus 2. motus si absolute consideretur, & secundum suam essentiam præcise quocumque modo, & a quocumque sit possibilis in rerum natura, & consequenter ut abstrahit a motu naturali, & supernaturali, solum dicit successione termini ad quem post terminum a quo immediate præcedentem præcindendo a subiecto quocumque. Concl. est contra Suarez. disp. 49. Met. sect. 2. & Amicum cit. q. 3. dub. 1. & alios, asserentes, motum de sua ratione formali dicere ordinem essentialiter ad subiectum, doceret tamen a Scoto in 4. d. 12. q. 4. D. ubi arguendo contra Gotfr. habet hæc verba: *Contra tertiam responsionem suam, quæ concordat cum tertia ratione, quam adducit pro se, quoad istam conclusionem scilicet, quod non est de essentia motus secundum eum, quod aliquid subiectum aliter se habeat, non arguo, quia conclusionem in se credo esse veram*. Et ad 1. principium ait: *Ad primum dico, quod non est de essentia motus, quod sit talis vel talis entis, nec mutationis, quod sit aliquid aliter se habentis; idem repetit ad secundum, & loquitur de motu proprie dicto, quia loquitur de speciebus motus scilicet ræfæctione, actione, &c. Ergo si per Scotum motus secundum suam essentiam potest esse sine mobili, sequitur, quod motus non dicit successione illam in subiecto, sed ab ipso præcindit; clarius in 2. d. 2. q. 4. F. ait: *Dato, quod creatio, vel annihilatio diceretur esse mutatio, quod ad hoc, quod est ibi successio formæ post negationem ejus, quia non est mutatio eodem modo, quo Philosophus loquitur de mutatione; idem innuitur a Franc. Sampson. 3. Phys. q. 1. collat. 1. ubi inquit, quod si Deus crearet aliquid successive, illa creatio esset mutatio successiva, licet non esset motus proprie dictus, primo Phys. & naturalis, quia non fit in subiecto; potest probari hæc conclusio quia intelligitur motus, vel quies abque mobili, ergo possunt sine illo esse; Antecedens prob. si Deus produceret calorem abque subiecto, & postea illum intenderet usque ad quantum gradum, calor fluere primo de non esse ad esse, & postea de uno ad alium gradum; postquam vero pervenit ad 4. non amplius fluit, sed quiescit. Si dicas, quod quies est cessatio fluxus formæ in subiecto, sicut motus est talis fluxus. Contra, calor quando successive acquiritur in subiecto, denominat subiectum moveri, non per inhaerentiam in subiecto, quia hæc non est motus ex dictis, sed per successione graduum, seu termini ad quem post terminum a quo, quæ est formalitas motus, ergo quocumque erit in rerum natura talis successio, licet non adsit subiectum, non sequitur, quod tunc non sit essentia motus, fed solum quod talis essentia nullam rem moveri denominet, cum ergo per potentiam Dei possit dari aliqua forma quæ abque subiecto accipiat esse post non esse, vel intendatur, dicendum erit, quod motus de potentia Dei absoluta potest esse sine subiecto, licet prout ab agente creato fit, non possit esse sine subiecto.**

Nec valet, quod ait Amicus, illam successione non habere rationem mutationis formaliter, sed materialiter propter defectum unionis ad subiectum, quæ uno est de ratione formali motus, cum sit quædam forma modalis respectu subiecti. Nec valet, nam licet relatio ex sua ratione formali dicat ordinem ad extrema, si tamen possit reperiri sine ipsis, non sequitur, quod non sit relatio, sed solum, quod actu non denominet, ergo a pari, licet illa successio non habet subiectum, non sequitur, quod non sit formaliter motus, sed solum quod actu non denominet, verum est tamen, quod non est idem motus, quando fit in subiecto, & quando est extra subiectum.

9. Secundo prob. a priori; motus naturalis, seu physicus ex dictis dicit successione termini ad quem post terminum a quo in subiecto, creatio, ut a conservacione distinguitur, dicit successione termini ad quem post terminum a quo extra subiectum, ut docet D. quol. 12. ab istis duobus conceptibus potest hic abstrahi conceptus communis ambobus, scilicet, successio

Maffrii, & Bellui Tom. II. Physica.

termini ad quem post terminum a quo præcindendo ab hoc, quod est esse in subiecto, vel nullo præsupposito subiecto, qui conceptus essentialiter in illis includitur, & per se in primo modo de illis prædicatur, ut patet, nam se habet ut genus, quod postea per illas differentias esse in subiecto, vel nullo præsupposito subiecto contrahitur ad motum physicum, seu naturalem, & ad creationem sub ratione mutationis, sed iste conceptus communis non est conceptus productionis, quia tunc etiam motus naturalis esset essentialiter productio, & ordinem diceret ad agens, quod est falsum, neque est conceptus actionis, vel passionis propter easdem rationes; & quia actio, & passio dicunt ordinem ad subiectum; nec alterius, ut patet, ergo erit conceptus motus communis ad motum physicum, & ad creationem, præcipue quia est quidam respectus secundum quid tantum realis, sicut quilibet motus inferior, ergo motus secundum suam essentiam præcissime non dicit ordinem ad subiectum, sed ab illo præcindit; & talis motus est propriissime motus, quia est conceptus essentialiter inclusus tanquam genus in motu physico. Hoc vult dicere Scotus, cum in 4. cit. ad argum. princ. ait, motum secundum suam essentiam dicere actualitatem quandam potentialem, & mutationem dicere aliter habitationem, non connotando subiectum, idest motus est quædam successio termini ad quem post terminum a quo immediate præcedentem præcindendo a subiecto.

10. Ex quibus deducimus, quod si motus materialiter sumatur, pro forma scilicet fluente, sic non est in uno prædicamento sed in tot prædicamentis, quot sunt formæ per motum acquisibiles, quæ secundum Arist. sunt forma substantialis, quantitas, qualitas, & Ubi, ut infra, in substantia quidem erit reductive, quia forma substantialis est principium, & pars substantiæ, non vero quid completum in tali prædicamento, at in aliis tribus erit directe in illis, nam formæ illæ accidentales, non ut partes, sed ut entia completa se habent in suo genere, ut diximus in Log. si vero sumatur motus pro eo, quod realiter dicit, sic quia significat, ut ait Doct. in 4. d. 11. qu. 1. E. receptionem formæ, seu formationem passivam subiecti, quia iste respectus est simpliciter realis, ubi respectus successione est secundum quid realis, tunc erit in prædicamento habitus, in quo ex dictis disp. 5. q. 9. omnes formationes, receptiones, inhaerentiæ, & habitationes uti species habitus in communi collocantur. Tandem si motus formaliter sumatur pro illa successione jam explicata, non constituit undecimum prædic. ab aliis distinctum, ut asserunt Plotinus lib. 3. de gen. entis c. 17. Acerbus lib. 4. perip. qq. q. 1. Vicom. 5. Phys. cap. 1. & alii, sed reducit ad prædicamentum sui termini; ratio est, quia istud undecimum prædicamentum nec assignatur a Philosopho, & potius prædicamenta minui debent, quam multiplicari, ut diximus in Log. tum quia motus est respectus secundum quid, non simpliciter realis, estque via essentialiter ad terminum ordinata, ergo ad prædicamentum sui termini debet reduci, ut via ad terminum via, ita fecit Arist. 3. Phys. tex. 4.

Nec quia motus dicitur rationem univocam communem, quæ ad sua inferiora per differentias descendit, unde se habent, ut species, & motus in communi, ut genus, idcirco ex ipsis coordinatio generum, & specierum, seu prædicamentorum, (quod in tali coordinatione consistit) constituentur; ratio est, quia & si concedamus, motum suo modo posse dici genus, & motus inferiores species, & suo modo constituere propriam coordinationem, non tamen proprium prædicamentum constituunt, quia communiter prædicamenta continentur entia perfecta, & simpliciter realia, motus non est hujusmodi, alioqui etiam forma substantialis in communi ad alias comparata posset dici genus, & inferiores formæ species, idem etiam evenit in modis prioris simul, & aliorum postprædicamentorum, eo vel maxime, quia divisio entis in decem genera est potius divisio artificialis, quam secundum rerum naturas ex dictis in Logica.

Dices, si motus pertinet ad prædicamentum termini, ergo ratio motus in communi ad nullum prædicamentum determinatum pertineret, sicut nec datur prædicamentum commune illis prædicamentis, ad quæ est motus, sed hoc est falsum, nam absurdum est, species unius generis esse in prædicamento, & genus commune illis in nullo prædicamento contineri, neque ut summum, neque ut subalternum. Resp. neg. falsitatem, & absurditatem, sicut enim ratio termini in communi vagatur per plura prædicamenta, ita ratio motus in communi, quod apparet in multis aliis, ut in conceptibus communibus pluribus prædicamentis, qui utique secundum veritatem sunt vera genera, at tamen quia supponitur divisio illa immediata in decem genera, dicuntur per plura prædicamenta vagari, licet possint ad unum genus reduci, ut dicimus in Log. disp. 6. q. 1.

Solvuntur rationes.

11. IN oppositum arguitur 1. probando, motum quid absolutum dicere, & præcipue forma fluentem, nam rationes, quibus Tatar. ostendit, motum esse quantitatem, adducemus infra quæst. 6. artic. 1. & 3. & quæ probant esse modum, solutæ sunt dispnt. 5. quæst. 2. coincidunt enim cum illis, quibus Adversarii probant, causalitatem dicere modum absolutum; quod igitur motus sit forma, prob. Tum quia motus per Aristot. 3. Physic. in nullo est prædicamento, dicitur actus mobilis, non perfectus, sed essentialiter imperfectus, dicitur Endelectia, & perfectio subiecti; est essentialiter cum actione, & passione identificatus, & denominatur subiectum moveri, sed isthæc omnia formæ fluenti conveniunt, nam forma fluens ut sic in nullo est prædicamento, sed

Z 4

vel

vel in predicamento substantiæ, vel quantitatis, aut qualitatibus, vel Ubi ipsa forma est perfectio, & actus mobilis, non ille respectus, & actus essentialiter imperfectus, quia formam importat, non quocumque sed fluentem, est essentialiter non cum actione, & passione identificata ex 3. Phys. 18. & ipsa denominat subiectum moveri, quia mobile movetur formaliter, non quia habet respectum aliquem, quicunque sit, sed quia recipit formam, dicitur enim calefieri, quia recipit calorem, aliaque passim de ipsa verificantur, quæ pertinent ad quidditatem, divisiones, & proprietates motus; Tum 2. quia si hoc non esset, minus proprie motus divideretur in naturalem, & supernaturalem, quia iste respectus non patitur hanc divisionem; sed forma fluens, ad quam est; adhuc autem physicus improprie divideretur in naturalem, violentum, & neutrum, quia non respectus, sed forma est aut secundum, aut contra, aut præter inclinationem passim improprie etiam in motum rationis, alterationis, &c. & localis in rectum, & circularem, Tum 3. omne denominativum importat formaliter formam, secundum quam sit denominatio, sed calor fluens denominat subiectum calefieri, & albedo fluens dealbari, sicut calor, & albedo in esse quieto dominant ipsum calidum, & album, ergo calefactio, & dealbatio, quæ species sunt motus, formaliter dicunt calorem fluentem, & albedinem fluentem, est ergo idem dicendum de motu in communi, quod formaliter significet formam fluentem.

12 Resp. ad 1. quod cum Arist. ait, motum esse perfectionem, & endelesiam cum passione, & actione identificatam, loquitur de ipso quoad materiam, & pro re acta, non formaliter, alioqui forma fluens esset formaliter actio, & passio contra Scot. 4. d. 13. qu. 1. concedimus ergo quoad hoc minorem; cum vero ait, motum non esse in predicamento aliquo determinato, actum esse essentialiter imperfectum, loquitur de motu pro formali, & quatenus includit receptionem formæ in subiecto; quæ est actio ipsius; negamus etiam, mobile per formam formaliter moveri, & propositio illa mobile movetur, quia recipit formam, potest dupliciter intelligi, nam ly *quia* vel facit sensum formalem, quomodo dicitur, patrem ideæ esse in genere relationis, quia refertur ad filium, & in hoc sensu est falsa, nam mobile formaliter dicitur moveri, quia habet illum respectum secundum quid realem; vel facit sensum causalem, & fundamentalem, quomodo dicitur, paries ideo est similis, quia habet albedinem, & est vera, sed nihil ad rem, motus enim non est id, quod mobile dicitur moveri causaliter, & fundamentaliter, sed formaliter. Ad 2. omnes illas divisiones motu convenire ratione termini ad quem, multoties enim relationibus tribuimus, quæ fundamentis conveniunt, ideoque paries dicitur magis, vel minus similis, & tamen relatio non suscipit magis, & minus, unde propriissime allata divisiones dicuntur de motu, quia respectus non nisi per terminos dignoscuntur, & denominationes sumunt ab ipsis; immo postea argumentum retorqueri, quia magis proprie, vel saltem æqualiter enunciantur divisiones allatae in probatione conclus. quam istæ de motu. Ad 3. calor fluens denominat subiectum calefieri, non ut calor est, sed ut fluens, & ideo non sequitur, quod calefactio formaliter dicat calorem, sed fluxum caloris, qui nil aliud est nisi illa successio jam explicata; cum additur, quod calor in esse quieto denominat subiectum calidum, dicitur, quod si consideratur calor secundum suam essentiam, sic denominativum ipsius est calidum, si vero ut jam est in esse quieto reduplicative, sic denominativum ipsius non est calidum, sed calefactum, unde calefactum formaliter non dicit calorem, sed quietem, quam habet subiectum sub calore; ita dicas de dealbatione, & dealbari juxta dictum Arist. 5. Phys. text. 5.

13 Secundo objicit P. Faber ostendendo, motum formaliter dicere respectum formæ ad agens. Tum quia Doctor in 4. dist. 13. q. 1. I. & K. vult, formam ut fluentem esse motum, & lit. M. ait quod respectus fundatus super motum est intrinsecus adveniens. Tum 2. quia generatio, quæ est una species motus, formaliter dicitur originem geniti a gignente, ergo motus in communi dependentiam a producente formaliter importabit, cum species omnis sub proprio genere contineri debeat.

Resp. quod Scotus ibi, si attente legatur, non loquitur ex professo de materiali, & formali motu, sed solum intendit declarare, an actio, & passio sint prædicamenta distincta relatione, & per quid ab ipsa distinguantur, unde ait, actionem sumi multipliciter, primo pro connotato, & sic est quid absolutum, sive res acta, seu forma fluens, quæ est motus secundum Comment. (ecce quod non ex professo, sed secundum Averr. opinionem loquitur) secundo formaliter, & sic præfert respectum esse ab, & hoc dupliciter, vel enim dicit respectum producti ad producentem, & ita poneret in predicamento relationis, vel respectum transmutans, & esset in predicamento passionis, unde potius deducitur oppositum: nam si Doctor distinguit hæc tria, formam ut fluentem, quæ est motus, actionem, ut dicit respectum producti ad producentem, & ut dicit respectum transmutati ad transmutantem, jam patet, motum non esse secundum ipsum relationem formæ ad producentem: quod addit lit. M. non convincit, quia loquitur ibi de illo materiali motu secundum opinionem Comment. assignato scilicet de forma, unde non dicit, quod motus sit respectus intrinsecus adveniens, sed respectus in motu fundatus est intrinsecus adveniens. Ad 2. ex Scot. in 1. d. 2. q. 7. ad 3. princ. & ex eodem Fabro ibidem, quod generatio, vel sumitur in ratione productionis, vel in ratione mutationis, primo modo præcindit a subiecto, & solum respicit terminum productum, nec dicitur mutatio, quia in hoc sensu trans-

fertur ad divinam, & solet definiri, quod sit origo, & secundum modo dicitur habitudinem ac subiectum, estque mutatio.

14 Tertio arguit Canon, quod motus sit passio. Tum quia Arist. 5. Physic. 10. probat, ad actionem, & passionem non esse motum, quia ad motum non est motus, quæ consequentia non valeret, nisi motus passio esset. Tum 2. quia Gilbertus definit passionem sic: passio est effectus, & illatio actionis, & hic immediatus, motus autem est illatio immediate ab agente. Tum 3. quia moveri est pati, ergo motus est passio. Consequentia tenet per locum a conjugatis, & casibus ideæ a concretis ad abstracta. Antecedens probat, quia movere est agere, & movens est agens, ergo moveri est pati. Tum 4. illud, per quod patiens refertur ad agens, est passio, sed mobile, quod est patiens, refertur ad agens per moveri, quia mobile, in quantum movetur, patiens est. Tum 5. eadem potentia non habet actus distinctos genere, distinguuntur enim per actus 2. de Anim. 22. cum ergo potentia passiva habeat pro actu motum, & passionem, nam illa non possunt esse actus potentia activæ, consequenter motus, & passio non erunt genere distincta; atque ita motus erit formaliter passio. Tandem omnis respectus extrinsecus adveniens est in aliquo predicamento, ad nullum autem videtur motus posse aptius reduci quam ad passionem.

Respon. ad 1. quod cum Arist. probat, ad actionem non esse motum, quia ad motum non est motus, iste discursus debet resolvi in duos syllogismos, ita ut non sit illatio ex identitate actionis, passionis, & motus, alioquin sequeretur, motum etiam esse actionem, quod est contra ipsum Canon. sed est illatio a simili, & per concomitantiam, ut notat Doct. in lib. de Anim. q. 7. Ad 3. princ. & hoc modo resolvitur, ad motum non est motus, ergo ad actionem non est actio, nec ad passionem est passio, pariter a simili; rursus si ad actionem non est actio, ergo ad actionem non est motus, Patet consequ. quia ex opposito consequentis deducitur oppositum antecedentis, si enim ad actionem esset motus, cum motus semper præsupponat actionem, jam ad actionem esset actio, & sic in infinitum. Ad 2. cum passio dicitur effectus actionis, non intelligitur de actione tanquam principio producente, vel principio formali producendi, sed logice, scilicet quod sit respectus natus inferri per actionem, tanquam per respectum oppositum, ut diximus disp. 7. q. 3. art. 1. quod formaliter non competit motui, sed concomitantur, ut mox dicemus. Ad 3. locus a conjugatis tenet in concretis essentialiter ordinatis ad abstracta non ultimam abstractionem, ut album est coloratum, ergo albedo est color, quod non est in præsentia, nam moveri non est pati formaliter, quia passio dicit respectum transmutati ad agens transmutans, motus vero dicitur successione jam dictam, sed dicitur pati concomitantur, quia ad motum semper comitantur respectus illi actionis, & passionis, eodem modo explicatur ly movere est agere scilicet concomitantur, non formaliter, movere est noviter perficere materiam, quod se tenet ex parte formæ. Ad 4. negamus minorem, si ly movere formaliter accipitur, concedimus concomitantur; per idem ad probationem. Ad 5. eadem potentia non habet actus genere distinctos absolutos, sed bene relativos, super eandem enim potentiam activam agentis fundantur tres respectus, & producentis in ordine ad compositum, & eductis in ordine ad formam, & transmutatis in ordine ad materiam ut habet Doct. in 4. dist. 13. qu. 1. F. & 2. dist. 1. q. 5. S. Ad ultimum, major est vera de respectibus simpliciter realibus, non de secundum quid realibus, qualis est motus.

15 Quarto ex Hurt. quod motus actionem, & passionem formaliter includat, præter rationes addendas q. 3. Prob. ex Arist. qui definit motum in 3. Phys. tres tradidit definitiones. Primam in textu 6. *motus est actus entis in potentia, quatenus in potentia*. Secundam in text. 16. *motus est actus ejus rei, quæ vim habet, ut moveatur, quatenus eam vim habet*. Tertiam in text. 23. *motus est actus ejus, quod agere, & pati potest quatenus tale*, per quas definitiones clare colligitur, motum includere formaliter actionem, & passionem; nam cum dicit, motus est actus entis in potentia, quatenus in potentia, per ly in potentia intelligit tam activam, quam passivam, ut clare colligitur ex aliis definitionibus, motus est actus rei, quæ vim habet, & actus ejus, quod agere, & pati potest; unde in text. 16. ait, *nam ad hoc agere, quatenus hujusmodi id ipsum movere est*, quod quidem etiam in text. 18. & seq. patet, quia ibi non distinguit motum ab actione, & passione; asserit enim, quod motus est actus activi, & passivi, ut activi est actio, ut passivi est passio.

Resp. Aristot. in prima motus definitione per ly entis in potentia quatenus in potentia non intelligere activam, & passivam simul potentiam, sed hanc solum, ut patet in exemplis, quæ adducit, nec oppositum deducitur ex aliis definitionibus, nam secunda definitio non habetur in text. secundum communem translationem, sed dicitur, *motus est actus mobilis, quatenus mobilis existit*, ecce quod de passiva loquitur; bene verum est, quod in translatione Argyrop. habetur, sed nec etiam convincit, nam per ly *quæ vim habet, ut moveatur, quatenus eam vim habet*, intelligi potentiam passivam, quod patet ex ly, *ut moveatur*, ut in simili habetur in definitione violenti. Tertia etiam definitio legitur in communi versione, & Argyr. licet sub aliis verbis, sed dicitur, quod per ly *quatenus tale* non reduplicat potentiam activam, & passivam, sed hanc solum, addidit tamen potentiam activam, quia ut antea dixerat, contingit aliquando idem movere se ipsum, vel quando aliquid movens movetur per reactionem, tunc motus est actus ejus, quod agit, & patitur,

tur, sed quatenus patitur. Ad id, quod adducitur ex tex. 16. dicitur, ly *moveri* non accepisse Arist. ut correspondet proprie moveri, quia sic movere est noviter perficere materiam, quod formæ competit, sed prout correspondet moveri secundum id, quod concomitantur significat, quale est pati; quod tandem additur ex aliis textibus explicatur a Doctore 4. dist. 13. q. 1. I. & seq. quod ibi accepit motum, actionem, & passionem materialiter, quomodo coincidunt, nam eadem forma, prout est ab agente, est actio, ut est in passio ab agente, est passio, & ut noviter perficit subiectum, est motus, ut diximus disp. 7. q. 3. art. 1.

16 Quinto, quod respectum informationis dicat formaliter, probat, Tum quia Scot. 2. dist. 1. q. 5. T. ait, motum esse respectum mutati ad formam ut novum, ergo principaliter respectum informationis importabit, nam hoc est subiectum moveri, ac paulatim novam formam acquirere. Tum 2. illud principaliter significatur per motum, quod generis locum obtinet in definitione, talis est actus, qui respectum subiecti ad formam importat. Tum 3. illud est connotatum motus, quod datur intelligi ex modo significandi principalis significati, sed immediata successio datur hoc modo intelligi, ergo &c.

Resp. ad 1. cum ait Doctor, mutatio ad respectus subiecti ad formam, explicat materiale motus, cum addit, ut novus, dicit formale, nam per hoc datur intelligi respectus ad non esse immediate præcedens. Ad 2. ly *actus* est connotatum, ut infra dicemus, universaliter enim accidentia maxime relativa per subiectum definiuntur. Ad 3. nec major est universaliter vera, ut patet ex dictis in Log. in disp. 2. q. 6. art. 2. nec minor, nam motus significat immediatam successione actualis subiecti, & consequenter actualis datur intelligi ex modo significandi principalis significati.

17 Sexto, quod non consistat in illa successione explicata, probatur; Tum quia antequam illa relatio infurgat, præintelligitur, subiectum habere formam, & consequenter mutatum, Tum 2. quia sequeretur, præter materiam, formam, & privationem dari quartum principium motus scilicet respectum informationis, quod est suum fundamentum, super quod proxime fundatur respectus ad non informationem; immo motus esset saltem proxime actus non mobilis, sed respectus informationis. Tum 3. motus est transitus subiecti a termino a quo ad terminum ad quem 8. Phys. 3. ergo motus potius debet dicere relationem termini a quo ad terminum ad quem, & ita motus acquisitivus dicit respectum non informationis ad informationem immediate subsequentem, deperditivus et contra respectum informationis ad non informationem subsequentem. Tum 4. quia privatio non esset terminus a quo in generatione, sed ad quem, cum ad ipsam terminetur respectus iste realis secundum quid, forma vero esset terminus a quo. Tum 5. si motus esset respectus realis secundum quid, ergo ens reale, quale est tempus, esset mensura entis rationis scilicet motus, quod est falsum, quia mensura debet esse homogenea mensurato. Tum 6. videtur inconveniens, quod naturalis passio corporis, sicut est motus, sit respectus secundum quid, & quod in corpore naturali detur inclinatio realis ad motum, qui sit imperfectus ens illa. Tandem sequeretur, omnem mutationem esse ad relationem contra Arist. 5. Phys. 10. & 20. Sequela patet, quia terminus istius relationis est respectus informationis.

Resp. ad 1. concedendo, formam prius esse in subiecto illa relatione, sed tunc subiectum dicitur mutatum fundamentaliter, non formaliter, ut in simili dictum est disp. 5. q. 2. de causalitate. Ad 2. dicimus, respectum informationis non esse distinctum principium a materia, & forma, quia nec ipse potest intelligi materia, & forma, hinc materia, & forma pertinent ad conceptum mutationis, non ut separata, sed ut unita, id est cum informatione. Non potest tamen denominare respectum informationis moveri, sed materiam, quia novitas formæ fit in subiecto, unde informatio se habet quasi ut ratio fundandi rationem motus in subiecto, quia potest esse successio, quæ est formalitas motus, absque isto respectu, ut diximus in 2. Conclus. ad 3. idem est dicere, motum esse transitum subiecti a termino a quo ad terminum ad quem, accessio successione termini ad quem in subiecto post terminum a quo, quæ successio rectius explicatur per respectum informationis ad non informationem, quia non potest esse motus, nisi adit prius principia, inter quæ est forma, & ideo prius debemus intelligere formam in materia, quam infurgere relationem motus: tum quia successio semper est aliquid posterioris, non prioris. Ad 4. si attendatur forma locutionis, videtur privatio terminus ad quem, re vera tamen significatum non est ita, nam per ly immediate præcedentem jam intelligitur privatio in ratione termini a quo, unde postsumus dicere, quod terminus ad quem potest sumi dupliciter, vel ut distinguitur a fundamento, & sic privatio potest dici aliquo modo terminus generationis, & forma in subiecto tanquam fundamentum, vel prout distinguitur a termino a quo, quæ privatio non est terminus ad quem generationis, sed forma. Ad 5. patet ex dictis disp. 13. q. 4. quomodo tempus in ratione mensuræ cum sit motus primi Cæli, sed completus ab intellectu, non est simpliciter ens reale. Ad 6. negamus assumptionem, nam omnes passionem formaliter sunt aptitudinales relationes, & consequenter quasi secundum quid reales, quatenus non respiciunt terminum actu existentem; neque motus est passio corporis, sed mobilitas, seu aptitudo ad formam sibi consentaneam, ad motum vero consequenter, quatenus per ipsum acquiritur forma.

Ad ultimum negamus sequelam, quia quod ultimate acquiritur per motum, & per se, non est illa relatio, sed fundamentum talis relationis, seu terminus, scilicet forma in subiecto.

18 Postremo contra 2. conclus. Probat. quod motus non possit esse sine subiecto. Tum quia Doctor sæpissime ait, motum ordinem dicere ad subiectum, & præcipue in 4. dist. 11. qu. 1. §. *Quantum ad 3. art. 3. ubi contra Varronem impugnant distinctionem mutationis subjektivæ, & objectivæ*, ait, quod si detur aliqua versio, vel transmutatio Philosopho ignota, non per hoc mutatio dici debet, quia si Philosophus illam cognovisset, adhuc dixisset, non esse mutationem; idem clarius habet in 1. dist. 17. qu. 3. §. *Ad quæst. igitur, &c.* & in fine docet, quod cum forma intenditur absque subiecto, non mutatur nisi metaphorice, & in 2. dist. q. 5. T. ait, quod mutatio absolute considerata dicit respectum subiecti ad formam ut novum, relative vero dicit ordinem ad agens. Tum 2. quia sequeretur non esse tria principia mutationis, sed duo, nec privationem esse principium, sed negationem, quia illa connotat subiectum. Tum 3. quia res, quæ creatur, potest se habere ut subiectum, cum aliter se habeat nunc, quam prius, prius enim non existebat, nunc existit, ergo in quolibet motu adest subiectum.

Resp. ad 1. utique Scotum multis in locis docere, motum dicere ordinem ad subiectum, quia loquitur de motu physico, in 4. vero citat. non urget nos, cum loquatur ad hominem, ibi enim non loquitur de essentia motus, & mutationis, sed de substrato, & re hujus definitionis, mutari est aliter se habere nunc, quam prius, & ita, quod si Philosophus cognovisset transubstantiationem, non dixisset, ipsam esse mutationem, sumendo mutationem, prout dicit rem illa definitione definitam; in 1. cir. se declarat, nam in illo §. ait, *dico, quod non sequitur, manet forma eadem in intentione, ergo ipsa mutatur subjektivè*, ecce quod loquitur de mutatione a Philosopho descripta, & in 2. cir. loquitur de mutatione physica, & ait, quod si mutatio naturalis absolute sumatur, id est secundum suam rationem formalem, dicit ordinem ad subiectum. Ad 2. concedimus totum. Ad 3. resp. Doct. in 1. d. 17. cit. neg. consequentiam, quia ad rationem subiecti requiritur, quod maneat sub utroque termino, ad hoc ut aliter se habere dici possit, res creata vero non sic se habet, quia ante creationem nullum habuit esse actuale, ut potuerit esse sub altero termino; alioqui etiam in mutatione physica forma se habere ut subiectum; & sic duplex subiectum, quod est falsum.

Q U Æ S T I O I I.

An in motu terminus a quo debeat tempore præcedere terminum ad quem, an vero natura.

19 Privatio, seu non esse dupliciter præcedere potest formam, quæ debet succedere, vel tempore, seu duratione, vel natura, & hoc dupliciter, sicut duplex est ordo naturæ, positivus, & privativus, ut cum Scoto 2. dist. 1. q. 2. A. & 3. dist. 3. q. 1. E. diximus dist. 4. qu. 4. quando materia simul producitur cum forma, privatio opposita non prius tempore, sed natura, non positive, sed privative convenit subiecto; sic si creatura aliqua fuisset ab æterno, non esse prius natura habuisset, quam esse, non positive, sed privative, seu negative, quatenus infuisset creaturæ, si a Deo per positionem illius esse non fuisset impeditum, ut disp. cit. fusus explicatum est. Querimus ergo, an cum privatio natura tantum præcedit formam, sufficiat ad rationem mutationis. Bonetus lib. 4. suæ Phys. cap. 2. referente Amico tract. 19. q. 4. dub. 1. affirmat, & idem videtur sentire Aver. q. 26. sect. 8.

Dicimus tamen cum Doctore cit. & 1. d. 9. qu. un. A. & dist. 39. S. & 2. dist. 1. q. 3. F. & 4. dist. 43. q. 5. H. ad mutationem requiri successione temporaneam esse post non esse, & non sufficere non esse tantum natura præcedens, est communis, & prob. in motu physico, quia in casu subiectum non aliter se haberet, nam quod aliter se haberet nunc, quam prius, aliquid nunc habet in se, quod prius non habebat, sed potius illius oppositum, sed subiectum in illo priori naturæ non dicitur, quod non habeat formam, nec quod habeat privationem, sed quod haberet privationem, si non impediretur, aliter privatio esset prior natura ordine positivo, non privativo, quod fuit impugnatum disp. cit. Tum quia mutatio realis est successio realis, ergo requirit realem existentiam subiecti sub utroque termino, ergo prius duratione debet esse sub termino a quo. Prima consequ. patet, quod enim non est, non potest transire, vel succedere realiter de uno ad alium terminum, cum existentia necessario requiratur ad causalitatem materiam; secunda probatur, quia existentia realis non mensuratur nisi duratione reali, realis autem est ad tempus, vel instans temporis, loquendo de mensura successivorum, ergo cum nequeant duo contradictoria simul esse in eodem instanti temporis, & subiectum sub eisdem debeat existere realiter; necessario prius, duratione debet esse sub uno, quam sub altero; quod etiam concludit de motu præcissime sumpto, quia successio realis requirit realem existentiam extremorum succedentium, non simultaneam, sed unius post alterum, ergo terminus ad quem præsupponit realem existentiam termini a quo, si autem creatura esset ab æterno producta, non esse creaturæ non præfuit sed præfuisset, si a Deo non fuisset impeditum producendo creaturam; quare esset ibi generatio, & creatio in ratione productionis, non in ratione mutationis.

20 In contrarium obicitur, quia sequeretur, nunquam generationem videntur esse generationem in ratione mutationis, quod videtur falsum, quia omnis forma generabilis, & corruptibilis, si non creatur, accipit esse per mutationem sui subiecti. Sequela prob. quia susceptivum animae non est materia, sed corpus, istud autem in eodem instanti, in quo formatur, animatur, alioquin actio patris terminaretur ante animationem factam, unde nec patet possidendi, ergo si in eodem instanti animatur corpus, non mutaretur. Tum 2. quia tunc agens ageret sine actione, quod est falsum: Sequela patet, quia actio non est sine passione, nec passio sine motu, ut ait Arist. 3. Phys. 18. ubi propter concomitantiam istorum, videtur asserere identificationem realem inter illa.

Resp. ex Scoto 4. dist. 43. q. 5. G. & in 3. dist. 2. q. 3. ad 3. concedendo sequelam propter rationem assignatam, neque hoc est falsum, nam non est universaliter verum, formam, quae non creatur, debere accipere esse cum mutatione subiecti, sed sufficit, ut per veram actionem educitum accipiat esse. Ad 2. ex eodem in 4. cit. negando sequelam, neque actio, & passio semper motui coniunguntur; Arist. autem ibi loquebatur de illis materialiter sumptis, & ut in plurimum, maxime quia intentio ipsius erat declarare accidentalem motum, qui semper fit cum actione, & passione; tum quia licet actio, & passio possint esse sine motu, non tamen e contra, nam motus praesupponit necessario actionem, & passionem.

Quidam Scotista recens disp. de Privatione, contra nos tenet de mente Scoti ad generationem etiam, ut mutatio est, minime opus esse, quod privatio in materia praecedat formam pro instanti durationis, sed sufficere, quod praecedat natura; cuius praecipua ratio est, quia si Deus de novo produceret materiam sine ulla forma in instanti A, & in eodem instanti applicaret ipsi ignem taliter, ut poster formam suam in illam produceret, talis productio esset vera generatio, quia esset productio formae ex subiecto, etiam si privatio formam in eo non praecederet pro aliquo durationis instanti, non autem esset creatio, ut ait nos asserere; Addit autem in tali casu privationem praecedere naturam formam in materia, non quidem positive, quasi pro aliquo signo naturae privatio praecedat formam in materia, sed negative, quatenus revera praecessisset, si non fuisset per generationem forma producta in materia, ut explicat Doctor 2. dist. 1. q. 2. A. & 3. dist. 3. q. 1. E. & hoc ait sufficere ad veram mutationem, & ut privatio dicatur principium generationis etiam in ratione mutationis. Et per hoc solvit rationes, quae in oppositum solent adduci, cum enim dicimus, mutationem esse transitum subiecti a non esse tale ad esse tale, ait intelligi debere, non quidem de non esse tale, quod praecessit in subiecto, sed quod praecessisset, si forma introducta non fuisset; Et pariter cum dicitur mutatio esse, quia subiectum aliter se habet nunc, quam prius, negat hoc esse verum de mutatione, ut sic (esto de aliqua particulari verificetur) quia ad eam sufficit, quod subiectum per eam aliter se habeat, quam se haberet sine ea, sive de facto aliter se haberit, sive non; ita respondet disp. 1. de Gen. q. 2. cuius titulus est, an generatio sit mutatio.

Sed an nostra potius, vel sua sententia sit de mente Scoti colligi potest ex locis omnibus citatis, in quibus docet ex professo mutationem non intervenire, ubi privatio non praecedit tempore formam in subiecto, sed praesertim id habet 3. dist. q. 3. ad 3. ubi sic loquitur: *quando forma producitur simul cum susceptivo non est proprie mutatio ad illam formam, quia susceptivum non prius fuit sub privatione, quam forma, nec prius fuit aptum naturam habere formam, quam habeat eam, idem habet 3. dist. q. 2. ad 3. princ. illis verbis, mutatio non est nisi inter terminos oppositos, quorum unus duratione praecedit alterum, & 4. dist. 43. q. 5. litt. H. ubi ait nunquam autem est mutatio nisi quando susceptivum terminum ad quem alicujus inductionis praecedit duratione ipsum terminum ad quem, & tunc est sub privatione terminum. Nec etiam eius rationi opus est respondere, quia libenter fatemur in allato casu illam productionem formae esse generationem, quia fit in subiecto, & solum dicimus, quod ibi non intervenit mutatio, quia privatio in subiecto non praecedit duratione formam, ut est videre disp. 4. Phys. q. 3. ubi de hac re quoque agimus, nam n. 24. referendo hoc dubium habemus haec verba, si privatio ita (id est in tempore) in materia formam non praecedit generatio fieret, sed non cum mutatione, quia non intervenit generatio in ratione mutationis, nisi privatio in susceptivo praecedat duratione formam. Quinimo tantum abest, quod unquam dixerimus id, quod Auctor ille nobis imponit, productionem, qua produceretur compositum ex materia, in qua non praecesserit tempore privatio, non esse generationem, sed creationem, ut potius oppositum ex professo docuerimus disp. 2. q. 8. art. 3. ubi dicimus formas Caelorum, ac elementorum etiam si suae materiae coevas debere dici educas de materia, non creatas, vel concreatas, & earum productionem dici debere generationem, non creationem, & ibi n. 151. habemus haec formalia verba, quod absolute loquendo generatio, & educio a mutatione praescedunt, & sine mutatione proprie dicta, quae sit a privatione ad formam, contingere possunt, ut docet Scotus quarta distinctione 43. qu. 5. H. & per dependentiam a subiecto, vel parte essentialiter a creatione distinguuntur, non vero per mutationem subiecti, nam potest intervenire dependentia actionis a subiecto sine subiecti mutatione, & ita evenit quando forma producit in eodem instanti simul cum materia: ita*

ibi discurremus, quae si Scotista illi legisset, utique eam falsitatem nobis non adscripisset; quod sedulo adnotare volumus, ut prudens Lector advertat saepe Auctorem illum nobis impingere, quod non dicimus, ut forte occasione impugnandi nanciscatur.

Ceterum neque prioritatem illam negativam privationis ad formam in materia sufficere ad hoc, ut materia in illo prioritate dicatur vere privata, seu privationem habere, quantum sufficit, ut deinde transire dicatur veram mutationem a privatione ad formam, patet ex ipso Scoti discursu, quem habet 5. dist. 3. q. 1. E. & nos expendimus disp. 4. q. 3. n. 24. declarat enim ibi prioritatem hanc negativam privationis ad formam aliud non importare, quam quod privatio re vera materia inesset, nisi jam forma introducta fuisset, non tamen quod re ipsa pro aliquo signo ei infuerit, & per hoc ibi falvat Mariam in primo omnino signo, quo fuit filia Adae capax gratiae, & privationis eius, non potuisse dici gratia privatam, etiam si privatio in ea praecederet habitum gratiae negative, ergo sola prioritas, vel praecessio naturalis negativa privationis in subiecto non sufficit ad constituendum illud vere privatum, alioquin posset cum veritate dici Maria in primo illo instanti gratia privata. Tum quia non dicimus privari bono, quod possidemus ex eo solum, quod eo carere potuimus, ergo nec materia vere dicitur privata forma, quam semper habuit, etiam si quantum ex se eam non habuisset, si ab agente extrinseco inducta non fuisset. Tum quia aliter oporteret dicere materiam semper formam privatam, quia quantumcumque formam possideat, verum esse dicere, quod ex se formam non haberet, si ab extrinseco inducta non esset. Ex quo etiam inferitur solam illam prioritatem negationem privationis ad formam non sufficere, ut privatio principium dici possit physicae mutationis, quia privatio dicitur principiari per modum termini a quo, & per modum objectionis, & tunc praesertim quando primo recedit, sed privatio in praefato sensu semper dicitur convenire materiae, & nunquam a materia recedit, quia semper verum est dicere, quod materia privationem haberet, nisi ab extrinseco inducta forma fuisset, cum ergo in hoc sensu materia semper dici possit privata, non potest dici transire ab hoc esse privato ad esse formatum; tum quia non recte dicitur materia deferere privationem, quam non habuit, sed habuisset, nec a privatione recedere, ut a termino a quo, ridiculum namque foret dicere aliquem ab Urbe recedere, cui nunquam accessit, ex hoc solum, quod ad eam accedere potuisset.

Postremo definitio mutationis ex 6. Phys. desumpta, quod mutari est aliter se habere quam prius, non ita debet explicari, ut ad mutationem sufficiat subiectum aliter se habere per formam, quam se haberet sine ea, sive de facto aliter se haberit, sive non, quemadmodum Auctor ille comminiscitur, & ratio est, quia hoc pacto subiectum semper diceretur mutari, quia verum semper est dicere, subiectum aliter se habere per formam etiam sibi coevam, quam se haberet sine ea. Tum quia etiam Doctor ipse 2. dist. 1. q. 5. in fine agnovit hoc significatum mutationis, sed ait hoc non esse proprium eius significatum, secundum quod a Philosophis distinguitur generatio a creatione, quia in hoc sensu etiam creatio alicujus compositi, v. g. ignis dici potest mutatio, quia in eo est potentiale per formam actuatum, quod sine forma non ita actuaretur; idem colligi potest ex 4. dist. 11. qu. 1. E. ubi quaerit an transubstantiatio sit mutatio. Hinc videns Auctor ille mutationem in communi modo loquendi accipi in nostra significatione, ait hanc esse quaestionem de nomine, quod satis familiare est Recentioribus, qui cum sibi fingant nomen significata, non autem juxta frequentiore apud Antiquos acceptio-nem, omnes fere quaestiones reducunt ad quaestionem de nomine; Sed etiam hoc dato, magis standum est determinationi nostrae, quia ut notat Doctor 4. dist. 1. q. 2. & Auctor ille non semel fatetur, in similibus quaestionibus standum est communi loquentium usui; satis autem constat in communi modo loquendi illud dici mutari, quod in se aliquam suscipit variationem aliquid in se recipiendo, quod antea non habebat, vel dependendo quod habebat; quod autem nullo modo variatur, sed ab initio constitutionis eius semper invariatur manet, non censetur mutari, ita autem est de materia, quando producit simul cum forma sibi coeva.

Q U E S T I O III.

Explicatur distinctio motus a subiecto, & termino, actione, & passione.

21 **I**uxta varias explicationes formalitatum, tum motus, tum actionis, & passionis varie quoque locuti sunt Doctores de ista quaestione, quas opiniones non oportet recensere, nam ex doctrina tradita in prima quaest. faciliter deducitur solutio praesentis quaest. Dicimus igitur, motum realiter distingui a subiecto, termino, actione, & passione; ita Doctor in 2. dist. 1. qu. 5. T. ubi docet mutationem non esse idem cum forma, quia potest ab illa separari, & in 4. dist. 43. q. 1. D. & 3. d. 14. q. 1. ad 2. pro opin. & 1. dist. 2. q. 3. T. ait, posse motus specie differre, licet termini non differant; & 4. dist. 13. qu. 1. & dist. 43. q. 5. H. idem docet de motu in ordine ad actionem, & passionem; Prob. quia motus, vel est successivus, vel instantaneus, terminus, & subiectum est permanens; ad terminum

num est motus, ad motum, non est motus 3. Phys. 15. motus est via ad terminum, nec terminus, nec subiectum est via ad terminum; motus dividi solet in velocem, tardum, &c. non sic terminus; nec subiectum motus est quid imperfectum, & secundum quid reale, terminus, & subiectum sunt entia simpliciter realia, habitibus praesentibus cessat motus 1. de Gen. 55. & subiectum, & terminus permanent, maximum autem iudicium distinctionis realis est separatio, ut saepe diximus. Idem prob. de motu, actione, & passione, quia actio, & motus sunt in subiectis realiter distincti, actio, passio, & motus respiciunt diversos terminos realiter distinctos, actio, & passio sunt respectus simpliciter reales motus secundum quid realis; actio, & passio separantur a motu aliquando, ut cum subiectum tempore non praecedit introductionem formae, vel quando forma in fieri, & conservari dependet ab agente, ut dicitur est qu. 1. & 2. Nec valet, quod ait Suarez esse solum separationem quoad connotata, non quoad formale, quia q. 1. hujus dist. & dist. 7. q. 3. art. 1. vidimus actionem, passionem, & motum essentialiter inter se differre, non connotative: quod insuper addit Amic. non sequi ex ista separationem distinctionem realem, sed ex natura rei, cum non sit separatio mutua, non valet, reducit enim quaestionem de re ad quaestionem de nomine, nos enim illam distinctionem realem vocamus, quae inter illa cadit, quorum unum potest esse sine alio, sive mutuo, sive non; parum refert, quia talis mutuas exigitur utriusque ad separabilitatem, sed non ad distinctionem realem ex distis disp. 5. p. 9.

22 In oppositum obicitur 1. quod motus realiter a termino non distinguitur. Tum quia ex 3. Physicor. 4. motus non est praeter res, ad quas est. Tum 2. motus ex se dicit receptionem formae in subiecto, & fieri ipsius, sed forma, ut est in fieri, & ut in facto esse, non distinguitur, ergo &c. Tum 3. quia motus propriam haberet existentiam distinctam ab existentia formae, nam quae eadem existentia existunt, nequeunt separari, nec realiter distingui, sed hoc est falsum, quia quae habent diversam existentiam, diversa productione producuntur, res enim, sicut se habent ad esse, ita ad produci, ergo motus, & forma diversa productione producuntur, subiectum per formam, & motum dupliciter mutaretur, & daretur motus ad motum in infinitum. Tum 4. si esset distinctus a forma, a quo corrumpere; non a generante, quia ab ipso fit, nec ab aliquo alio, praecipue in motu successivo, quia deberent simul generari, & corrumpi infinita partes istius entitatis, neque posset assignari, quid corrumpere, & generare.

Resp. ad 1. sensum Arist. esse, motum reperiri in illis practicamentis, in quibus sunt termini, non in aliis, cum hoc tamen potest stare distinctio realis. Ad 2. motus non dicit formam, sed respectum secundum quid realem, qui realiter a forma distinguitur, licet ipsa ut in fieri, & facto esse, specificative loquendo, non distinguitur, sed reduplicative. Ad 3. concedimus, habere existentias distinctas eo modo, quo habent entitates, non tamen est universaliter verum, realiter distincta, distincta per se productione produci; hinc subiectum non dupliciter mutatur, nisi quatenus fundamentaliter per formam mutatur, formaliter vero per novam receptionem, quae non est res de novo producta per se, sed est ipsa receptio ut nova. Ad 4. dicimus, motum seipso evanescere, quia est talis naturae, nam cum dicat respectum ad terminum a quo immediate praecedentem, talis immediatio statim ex se transit; in motu etiam successivo una pars sequitur aliam, neque est impossibile, infinitas partes proportionales syncategorematicae generari, & corrumpi successive, ut continetur in aequalibus, verum est tamen, quod totaliter motus definit extrinsece, ut diximus disp. praec. q. 2. art. 2. & licet sit in continua generatione, & corruptione, non per hoc dicitur corrumpi proprie, sed existere, quia talis est natura entis successivi, & talis modus existendi ipsius, ut diximus disp. 13. q. 4. art. 1.

23 Secundo, quod motus essentialiter ab actione, & passione non differat, praeter rationes adductas ex Hurrad. q. 1. & disp. 8. q. 3. art. 1. Prob. adhuc. Tum quia actioni, & passioni convenit definitio motus, nam actio est actus entis agentis, quatenus est in potentia agens, & passio actus passivi, quatenus est in potentia ad agendum, est actus mobilis, ut ait Arist. in 3. Physicor. & facit subiectum aliter se habere nunc, quam prius. Tum 2. quae eandem habent privationem, nullo modo differunt, quia privatio, & forma immediate opponuntur, actio, & motus sunt hujusmodi, nam quies est privatio motus, & sicut mobile quando caret motu, dicitur quiescere, ita agens, quando caret actione, dicitur quiescere. Tum 3. quod ex se est forma successiva, est motus, quia ens successivus dividitur per tempus, & motum, sed actio, & passio sunt aliquando entia successiva, ut patet. Tum 4. quod constituit agens in ratione agentis, est motus, actio est hujusmodi, nam 2. Physicor. 29. causa efficiens definitur, quod sit unde principium morus, id est a quo motus procedit, quod autem ab efficiente procedit, ut a principio, est actio.

Resp. ad 1. nec actio est actus agentis, quatenus est in potentia, id est ut dicit ordinem ad non esse immediate praecedens, & novitatem, sed est actus agentis respectu passivi, nec passio est actus passivi quatenus est in potentia in hoc sensu, sed in ordine ad agendum, nec proprie est actus mobilis, sed actus passivi, nam idem subiectum dicitur mobile, & passivum, mobile in ordine ad novam formam, passivum in ordine ad agens inducens formam, unde passio formaliter facit subiectum, non

mutatum proprie, sed transmutatum ab alio. Ad 2. neg. minor, ad probat. dicimus, quod alia est privatio actionis formaliter, & alia est privatio motus, quia in diversis reperitur subiectis, & una potest sine altera reperiri, sicut & formae ipsi oppositae, quamvis communi nomine quietis nominentur. Ad 3. ad hoc ut aliquid motus formaliter dicatur, non sufficere, ut habeat partes fluentes, sed quod formaliter sit successio partium, unde ex argumento solum sequeretur, quod sicut partes actionis fluunt, ita successio illarum partium esset motus, & sic ad actionem esset motus, non tamen quod actio formaliter sit motus, cur autem illa successio, non sit motus, dicemus q. 6. art. 4. Ad 4. neg. major, ad probat. dicimus, per motum in illa definitione intelligi formam, sumitur enim materialiter, idcirco formale in illa definitione est ly *principium a quo*, per quod denotatur relatio efficientis, & per talem relationem constituitur efficiens in esse causae formaliter.

Q U E S T I O IV.

An motus recte definiatur ab Aristotele.

24 **A**ristoteles 3. Physicor. tres assignavit definitiones motus, Primam in tex. 6. *motus est actus ejus, quod existit in potentia, quatenus hujusmodi*, quae definitio sic communiter traditur a Philosophis, *motus est actus entis in potentia, quatenus in potentia*. Secundam in tex. 16. *motus est actus mobilis, quatenus mobile existit*. Tertiam tandem in tex. 23. *motus est actus ejus, quod potentia activi, & passivi quatenus hujusmodi*, & licet qualibet harum definitionum sit bona, non tamen censendum est revera tres esse diversas, sed potius eandem diversis verbis explicatam, & quia inter istas prima praeslantior ab omnibus tenetur, ideo erit explananda, ex cujus declaratione patebunt aliae, ut autem distinctam habeamus cognitionem, omnes illae tres particulae singillatim erunt examinanda, scilicet *actus, entis in potentia, & quatenus in potentia*.

Prima igitur particula est ly *actus*, ad cujus explicationem notant aliqui, quod actus est duplex, substantialis, & accidentalis, primus est perfectus, secundus imperfectus, & hic est duplex, vel accidentaliter imperfectus, & talis est forma in esse remissa, quae potest adhuc perfici; nam accidit sibi quod sit remissa, vel essentialiter imperfectus, qui ex sua ratione formali includit imperfectionem, & talis est motus, nam ex se ordinat subiectum ad terminum, & ideo est imperfectus, unde cessat acquisito termino, & hoc voluit innuere Aristot. tex. 15. cum dixit, motum esse actum imperfectum, ita Fonseca 5. Met. cap. 13. q. 9. sect. 2. Aversa q. 26. sect. 8. Marius disp. de Motu sect. 1. q. 1. Complur. disp. 16. q. 1. Carra de Concursu disp. 17. qui addunt, in definitione ly *actus* non sumi pro isto imperfecto, aliter superfluerent ceterae particulae, sed pro actu abstrahente a perfecto, & imperfecto, qui ut genus contrahitur ad imperfectum essentialiter per alias particulas, tanquam per differentias. Alii aliter de actu distinguunt, nam 2. de Anim. tex. 2. duplex est, primus, & est forma, secundus, & est operatio formae, primus est perfectior secundo, motus non est actus primus, sed secundus, quia est exercitium potentiae, licet in definitione abstrahat tanquam genus ab utroque, ita Amic. qu. 2. art. 2. at Themist. per actum primum intelligit illum, qui est via ad aliquid terminum, & consequenter primo habetur a subiecto, per secundum intelligit ipsum terminum, qui subsequitur, quo sensu actus secundus est perfectior, unde ait, motum esse actum primum, non secundum, licet actus abstrahat in definitione, ex quibus patet quod isti Auctores, licet discrepent in explicatione, in re tamen conveniunt, praecipue quia per istum actum essentialiter imperfectum intelligitur modum quandam medium inter subiectum, & formam, vel inter terminos a quo, & ad quem.

25 Nos vero juxta dicta in prima quaest. per actum non intelligimus aliud, nisi receptionem formae, quia subiectum actuatur, diciturque ipsa actuatio subiecti, nec est aliquid ens modale absolutum, sed mera relatio subiecti ad formam, seu perfectibilis ad perfectivum, quae relatio potest dici actus perfectus, quando scilicet denominat subiectum perfecte actuatum, quod tunc est, cum intelligitur habere formam in ratione termini, id est post illam immediatam successione; tunc enim intelligitur subiectum sub esse quieto, & verificatur illa propositio, habitibus praesentibus cessat motus, ut in simili diximus disp. 5. q. 2. de causalitate; potest etiam dici actus imperfectus, & est cum imperfecte actuatur subiectum, videlicet in illa immediata successione, in qua licet subiectum habeat formam, non tamen habet ipsam in ratione termini, & tunc illa relatio habet rationem motus; potest etiam illa relatio actus secundus dici in primo sensu, quia est aliquo modo exercitium potentiae mobilis, & etiam actus primus in secundo sensu, quia motus est prior forma, non quidem absolute, nam ut sic subsequitur, cum sit relatio ab illa dependens, sed in ratione termini ad quem; in definitione vero sumitur abstrahitive, ut possit ab aliis particulis coarctari. Nec refert, quod in text. Graeco pro ly *actus* habeatur *endelectia*, quod idem significat, ac actum perfectum, quia ratione Simpl. legit *energia*, id est actus imperfectus, non refert, nam endelectia potest quancunque perfectionem sive simpliciter, sive secundum quid significare; explicatio hujus particulae colligitur ex Scoto in 4. distinctione decimaprimum q. 1. E. & disp. 12. q. 4. ad argumentum & 2. disp. 1. q. 5. T.

26 Secunda particula est *ly entis in potentia*, seu ut ait Arist. *ejus, quod existit in potentia*, pro cuius explicatione variant Doctores; nam Hurtad. cit. qu. 1. ait, per hanc particulam intelligi non solum mobile, sed etiam agens, & per potentiam non solum passivam, sed etiam activam; Averſa citat. ait, per hanc particulam exprimi, non solum ordinem motus ad subiectum, sed etiam ad terminum, itaut per id, quod est in potentia, intelligitur tum mobile, quod est in potentia subiectiva ad formam, tum terminus, qui est in potentia obiectiva, ut per motum fiat, respectu cuius est etiam actus imperfectus, actus enim perfectus termini est suum esse, & existentia; fundatur Averſa in hoc, quia ordo ad terminum est principalis in motu, & debet explicite poni in definitione, sicut ordo ad subiectum, tum quia Aristot. text. 6. inter alia exempla, quibus definitionem motus explicat, ponit, sicut generatio est actus generabilis, & corruptio actus corruptibilis, generabile autem, & corruptibile est terminus generationis; & corruptionis & ex text. 7. & 11. asserit aliud exemplum, sicut edificabile est actus edificabilis, nempe domus, ut Arist. declarat, & hic est etiam terminus actionis. Alii volunt intelligi ens corporeum, & materiale, ut motum physicum substantiis spiritibus negant; Alii dicunt intelligi corpus, quia putant, solum motum accidentalem hic definiri, cuius subiectum est solum corpus, noluit tamen expresse dicere, esse actum corporis naturalis; quia nondum probaverat, omne mobile debere esse corpus, quod præstat 6. Phys. 32.

Sed in primis, nequit intelligi per ens in potentia ipsum agens, ut dictum est q. 1. tum quia hucusque probavimus, motum informaliter non esse actionem; tum quia Arist. semper de mobili, non de agente explicat, & præcipue text. 9. nam cum præmississet in text. 8. idem simul posse esse activum, & passivum, licet non secundum idem, subiungit postea, quod motus est actus ejus, non prout est activum, sed passivum, & in potentia, quod etiam replicat text. 16. & text. 17. addit, quod accidit motum actuare movens, quia accidit moventi, quod movendo moveatur, ergo per Aristot. motus, ut motus, non est actus entis activi, sed passivi, aliter non accideret motui, sed esset de intrinseca sui ratione. Accedit etiam, quod sic esset actus primi motoris, quod tamen ibi absolute negat Arist.

27 Secundo nequit per *ly entis in potentia* intelligi terminus, ut dicebat Averſa, quia Arist. clarissime quocunque exponit hoc ens in potentia, semper loquitur de subiecto, ut patet in text. 6. q. 16. & 23. Tum quia motus non potest esse actus termini, quod enim actuatur aliud, est in illo, illudque præsupponit, motus in sententia ipsius non est in termino, nec terminum præsupponit. Tum quia potest terminus præexistere, & postea in subiecto induci, & tamen ibi erit vera ratio motus, sed in nullo sensu potest dici terminus actuari, & motus actus termini; quod vero ait, necessario debere explicari ordinem ad terminum, jam per primam particulam explicatur, cum dicitur, quod est actus, quia si per actum intelligitur actuatio, seu receptio formæ in subiecto, explicatur subiectum, & terminus: negatur quoque, generabile, & corruptibile ab Arist. sumi pro termino generationis, & corruptionis, sed potius sumitur subjective pro materia, eo quia generatio, ut respicit terminum, sumitur in ratione productionis, non mutationis; idem possemus dicere de edificabili, quod intelligitur, non de domo, sed de materia domus, ut patet in text. 7. nam ibi adducit exempla de saltatione, medicatione, &c. Quod vero saltare, & mederi dicitur, non est locus, vel fanitas, sed subiectum; nec urget, quod in text. 11. dicat, quod edificatio est actus edificabilis, scilicet domus, nam potest explicari, quod intelligatur de materia domus; vel secundo, & melius, quod ibi non asserit, edificationem esse actum domus, sed totam edificationem esse actu edificabilis, non antequam edificetur domus, vel postquam est edificata, sed quando actu edificatur, ex quo non sequitur, domum actuari, sed potius materiam propter receptionem illius formæ artificialis domus, & quamvis domus edificari dicatur, tunc edificatio non sumitur, prout dicit mutationem, sed potius productionem.

28 Restat ergo, ut per *ly entis in potentia* intelligatur subiectum, sed adhuc per hoc non debet ens corporeum intelligi secundum veritatem, cum Angeli sint mobiles motu physico, licet secundum Arist. sit verum, cum putaverit Angelos immobiles; neque tandem per ens in potentia intelligitur corpus, quia ut videbimus in seq. qu. sub hac definitione comprehenduntur mutationes substantiales; quarum subiectum non est corpus, sed materia. Igitur per ens in potentia intelligitur Arist. non ens transcendentaliter sumptum, sed illud, quod potest esse subiectum motus communis ad mutationem accidentalem, & substantialem, unde & mobile dicitur, & in potentia subiectiva, tale autem est ens, non nominaliter sumptum, scilicet ens reale, sive existens, sive non, sed participative acceptum, scilicet pro ente in actu existente potente recipere formam aliquam, idcirco dixit Arist. est actus ejus, quod existit in potentia; ita Scotus nuper cit. & in 1. d. 5. q. 2. E.

Tertia particula est *in quantum in potentia*, ubi advertendum quod *ly in quantum* potest sumi vel reduplicative, vel specificative ex Scoto quolib. 3. H. primo modo importat causam inherenter prædicari cum subiecto, secundo modo dat solum intelligere, & explicat rationem, sub qua accipitur, quod id per ipsum specificatur: in proposito non sumitur reduplicative, quia sic inferret propositionem universalem, videlicet quod

omne ens in potentia moveretur, quod est falsum, sed sumitur specificative, & importat rationem, secundum quam motus est actus mobilis, in mobili enim sunt duæ rationes, nam est ens in actu extra suas causas, & etiam in potentia ad aliud, nimirum ad terminum motus, & secundum hanc considerationem motus est actus mobilis. Sed est dubium, quomodo subiectum possit dici esse in actu per motum, & per motum adhuc esse in potentia ad terminum.

Aliqui asserunt, mobile esse in actu respectu motus, quia habet illum, & quia motus est ratio formalis, qua mobile sit in potentia proxima ad recipiendam formam, ideo dicitur esse actus entis ut in potentia. Qui tenet, hic solum definiri motum successivum; dicunt, de ratione motus esse actuare subiectum secundum aliquam partem formæ, & cum hoc simul ordinare ipsum ad ulteriorem perfectionem, & consequenter respectu istius erit in potentia, ad differentiam formæ accidentaliter imperfectæ, quæ licet actuatur subiectum, & ipsum relinquat in potentia ad perfectionem formam, non tamen ipsum ordinat ad illam perfectionem ulteriorem, sed ita se habet, ac si non esset ulterior perfectio. Ex illis vero, qui sustinent, omnem motum hic definiri, aliqui declarant per istam particulam explicari potentiam, quam habet mobile, non quidem ad formam, sed ad motum, respectu cuius potentia motus est actus. Ruvius hic q. 1. & Averſa citat. explicant istam potentiam in ordine ad formam, non ad motum, & quia motus est quædam via naturaliter præcedens terminum, ideo quando subiectum habet motum, dicitur esse in actu, sed non completo, & perfectio, quia per istum actum ordinatur ad perfectionem actum, qui in secundo instanti naturæ intelligitur advenire, & ideo quando subiectum movetur, est in actu per motum, sed adhuc est in potentia ad formam; quæ explicatio in hoc differt a secunda, quod illa ponebat subiectum per istam ordinationem esse in potentia ad formam acquirendam in tempore sequenti, ista solummodo ponit ordinationem, & potentiam ad formam in instanti naturæ subsequentem, sequitur etiam Caraffa, & Complut. cit.

29 Attamen nequit sustineri prima expositio, nam motus non est aptitudo, vel potentia ad formam, sed ratio, qua talis potentia, & aptitudo actuatur, nec est ratio constituens subiectum potens acquirere, & recipere formam, sed ipsamet acquisitio, & receptio formæ. Secunda expositio in seq. quaest. impugnabitur, ubi omnem mutationem comprehendendicemus, pro nunc ita consutatur; motus ut motus dicitur actus mobilis in ordine ad proprium terminum, per quem actuatur mobile, non in ordine ad terminum alienum, respectu cuius non dicitur actuare mobile, cum per ipsum non acquiratur, ergo sicut dicitur actus mobilis respectu proprii termini, ita mobile debet dici actuari a motu, quatenus est ens in potentia ut sic respectu termini illius motus, non ut est in potentia ad terminum alienum, sed qualibet pars formæ subsequentis est terminus alienus respectu motus actualis, ergo, &c. Tum quia pars prior motus ita se habet ad formam subsequentem, sicut pars formæ prior ad illam, quia utraque potest esse sine illa parte sequenti, nam mobile, dum actu successive movetur, potest se filtrare, ergo sicut forma præcedens non ordinat subiectum intrinsece ad partem succedentem, neque motus, alioquin si motus diceret ordinem intrinsecum ad illam, non posset esse sine illa, vel non posset illa pars non succedere. Tum quia sicut se habet motus partialis ad formam partialem, ita totalis ad totalem; ergo si motus partialis vere dicitur actus entis in potentia, ut in potentia, etiam totalis erit huiusmodi respectu formæ totalis, quomodo ergo subiectum per istum totalem motum erit in potentia ad ulteriorem perfectionem, cum non adit alia ulterior perfectio? Si dicas, motum totalem constituere subiectum in potentia ratione suarum partium. Contra est, nam sequeretur, definitionem proprie enti incompleto primo, & principaliter convenire: tum quia si motus in communi est actus entis in potentia, ut in potentia, quilibet inferior erit talis, ergo etiam totalis, qui sub communi motu continetur. Tertia expositio ex se est vana, nam omnis forma actuatur subiectum, ea ratione, qua ipsum est in potentia, & aptitudinem dicit ad illam, & sic quilibet actus formalis esset motus. Quarta fundatur in illa entitate modalis prævia sapius a nobis impugnata.

Ob id dicunt aliqui Scotista, quod forma potest dupliciter considerari, ut declaravimus disp. 1. q. 4. vel sub immediata successione in materia ad non esse immediate præcedens, vel post illam immediatam successione, primo modo forma præcedit naturam motum, sed habet rationem principii, non termini, seu finis; secundo modo subsequitur, & habet rationem finis, quietatque mobile; motus, inquitur isti, dicitur actus entis in potentia, quia vere per motum actuatur subiectum, cum habeat formam; sed quia habet illam sub ratione principii, non sub ratione finis, unde nec dicitur tunc esse sub quiete, sed sub motu, idcirco adhuc in potentia erit ad formam sub ratione finis, & ut quietari possit, quod erit post illam immediatam successione, quam potentiam reduplicat *ly quatenus*. Attamen potest dupliciter explicari hoc esse post immediatam successione, vel quod dicit instantis aliquid naturæ, itaut forma in eodem instanti temporis consideretur, & ut immediate succedit privationi, & post illam immediatam successione, licet in diversis instantibus naturæ, vel quod *ly* post dicat tempus sequens, & realem durationem subsequentem ad illam successione immediatam; & juxta diversitatem

tem hanc, diversimode etiam explicatur ab istis hæc potentia subiecti ad formam post immediatam successione, qua subiectum per motum dicitur constitui in potentia.

30 Sed licet ista expositio probabilitatem aliquam habeat, patitur tamen nonnullas difficultates; nam si iste ordo successione ad non esse præcedens immediate, & ad esse præhabitu eisdem formæ explicetur per instantia naturæ, sequeretur, quod in eodem instanti temporis subiectum simul moveretur, & quiesceret; moveretur, quia in primo instanti naturæ forma immediate succederet privationi; quiesceret, quia in secundo instanti naturæ, sed eodem temporis instanti forma esset in esse perfectio, & haberet rationem finis; ac consequenter non esset motus, sed quies. Si vero explicetur talis ordo secundum diversam durationem realem, itaut in tempore sequenti forma habeat durationem finis, ut nos etiam diximus disp. cit. quamvis melius salvaretur potentialitas subiecti ad formam in esse perfectio, & quieto; non tamen subiectum per motum dici poterit in tali potentia ad formam, ut habet esse in tempore sequenti, essentialiter constitutum, tum per rationem contra primam expositionem, quia motus non est aptitudo, seu potentia ad formam, sed ratio, qua talis aptitudo actuatur; tum etiam, quia si forma dumtaxat in subiecto duraret per instantis, non haberet rationem perfecti finis, & in esse quieto, & tamen vere subiectum moveretur, & verificaretur tota definitio motus, ergo nequit tunc subiectum dici in potentia per motum ad formam in esse perfectio, & quieto; quia non videtur probabile, motum ordinare subiectum essentialiter, ut tali motui subiacet, ad aliquam perfectionem, quam non habebit; quia sic daretur via sine termino; tum quia, ut dicebamus contra 2. expositionem, per accidens se habet ad motum, quod permaneat forma in tempore sequenti, ergo non respicit essentialiter formam in tempore sequenti permanentem, nec ad illam ut sic essentialiter ordinat subiectum; quæ omnia possent contra quarum expositionem adduci. Dices, etiam nos disput. cit. concedere, motum respicere formam in ratione finis, & perfecti, quod habet forma, quando motus non est, essentialiter enim res ad suum finem ordinatur. Resp. si motus sumatur secundum se, proprie respicit formam in ratione termini ad quem sub ratione principii, quomodo ab ipsa essentialiter pendet, at si consideratur, ut est a natura, quæ formam, & permanentiam ipsius in subiecto intendit ex 8. Phys. 61. sic forma erit finis motus, sed proprie est finis naturæ.

31 Probabilis erit, & facilius dicitur, quod per *ly in potentia* ut colligitur ex Scoto 1. dist. 1. q. 5. T. explicatur alterum extremum importatum per respectum motus, scilicet non esse formam, seu privatio immediate præcedens, & sensus sit, motus est actus, & actuatio entis potentialis, quatenus respicit potentiam, idest ut respicit non esse immediate præcedens; quæ expositio potest colligi ex definitione mutationis tradita 6. Physic. 32. ubi facit Doctor cit. mutari est aliter se habere nunc, quam prius, ubi per *ly* habere explicatur actuatio subiecti, & receptio formæ, per *ly* aliter nunc, quam prius, explicatur ordo ad non esse immediate præcedens, cum ergo motus in communi sit idem fere cum ista mutatione, optima est expositio ista, quia per *ly* actus entis in potentia explicatur informatio subiecti a forma, per *ly* quatenus in potentia significatur ordo ad non esse immediate præcedens, in quo formalitas motus consistat. Tum quia qualibet relatio debet per sua extrema definiri, ergo & motus, qui est relatio per formam in subiecto, & privationem immediate præcedentem, quæ sunt ipsius extrema, debet etiam definiri; non videtur autem privatio per aliam particulam importari posse, quam per *ly* quatenus in potentia. Tum quia per alias particulas non respicit motus privationem tempore præcedentem in subiecto, nam si subiectum simul cum forma crearetur, adhuc daretur actuatio entis potentialis, quia vere subiectum haberet potentiam actuatam respectu illius formæ, ergo si per *ly* quatenus in potentia datur intelligi adhuc aliquid subsequentem motum, scilicet formam, vel aliquid aliud, sequitur, quod subiectum realiter moveretur, quamvis non præcederet sub privatione formæ, quia tota definitio motus salvaretur, quod tamen est falsum ex dictis quæstione secunda.

Dices, si hoc esset verum, non recte motus diceretur actus ejus, quod existit in potentia quatenus huiusmodi, sed potius quod sit actus ejus, quod existebat in potentia, quia cum est motus, mobile non est in potentia cum privatione annexa. Resp. per *ly* existit in potentia intelligitur ens materiale, & potentiale; quatenus est fundamentum respectus informationis passivæ, & actuacionis, & ideo recte dicitur existens in potentia, per *ly* quatenus in potentia specificatur extremum respectus informationis ad non informationem formaliter per motum importari, quod extremum est privatio formæ in subiecto, & potentia ipsius subiecti cum privatione, in quo sensu adveniente forma recedit ex dictis disp. 4. q. 5. art. 5. ad 1. cont. 2. concl.

32 Ex quibus omnibus colligitur primo, alias definitiones non esse ab ista diversas, sed potius eandem, & claritatis gratia additas esse, ut patet ex sensu ipsarum. Secundo, hanc definitionem optimam esse, quia explicat quidditatem motus physici in transitu subiecti a termino a quo, ad terminum ad quem consistentis, non tamen esse pure quidditativam, sed datam per additamentum, puta per propria extrema, quomodo omnis respectus definitur. Patet etiam alia conditio motus, quod sci-

licet sit actus imperfectus, quia talis dicitur ex hoc, quod est respectus secundum quid realis, ac etiam, quia non determinat subiectum perfectum, sed potius perficit, nam quamdiu manet ille respectus ad non informationem, nunquam dicitur subiectum acquisivisse formam, sed solum acquirere, ut ait Arist. text. 11. & 16.

In contrariam objicies. Tum quia motus nequit definiri, quia non est quid univocum ex 3. Physic. 4. Tum 2. quia non est in uno aliquo determinato genere, ergo ex proprio genere, & propria differentia non conflat, & per consequens nec habebit propriam definitionem, quæ ex genere, & differentia integratur. Tum 3. quia male dicitur, quod sit actus, nam actus, & forma convertuntur, ergo si motus est actus, erit etiam forma, & sic erit in aliquo determinato genere, & terminus motus, sicut forma; & quia actus, & potentia sunt termini metaphysici, & contrarii, ergo male ab Arist. in eadem metaphysica definitione adhibentur. Tum 4. si motus est actus, ergo erit actus entis in actu, non in potentia, quia actus nequit constituere, nisi ens actuale. Tum 5. quod constituit ens in potentia, quatenus in potentia, est potentia, ergo motus erit potentia, non actus. Tum 6. propositio quatenus ipsam inferit propositionem per se, & de omni ex 1. Post. capite 4. ergo si motus est actus entis in potentia, quatenus in potentia, erit etiam per se actus omnis entis in potentia, & sic motus accidentaliter esset actus materiarum primarum, quæ est ens potentiale. Tum 7. si motus esset actus mobilis ut sic, cum nihil possit esse tale sine actu, secundum quem est tale, ut nullus potest esse sciens sine scientia; ergo nihil esset mobile, nisi actu haberet motum, quod est falsum, nam calefactibile est tale ante calefactionem. Tandem videtur alius convenire, nam anima est actus corporis physici organici, quatenus est in potentia ad viram; tempus, & forma remissa actuatur subiectum, relinquendo ipsum ad aliquam formam in potentia, & passio est, qua subiectum ut quid potentiale respicit terminum.

33 Resp. ad 1. ex dictis in Logic. divisionem entis in decem summa genera immediate esse famulam, & artificialem, qua supposita, quamvis dentur plures univoci conceptus communes illis predicamentis, non tamen erunt generici, quia si assignaretur aliquod commune genus, non essent decem genera generalissima, & hoc modo negat Aristot. motum univocum esse scilicet quod sit etiam genericus, cum hoc tamen fiat, quod habeat proprium conceptum quidditativum, qui licet non sit rigorosa definitio, est tamen oratio explicans suo modo quidditatem rei definitæ, quia constans ex conceptu contrahente, & contrahibili, per hoc patet ad secundum. Ad 3. ex dictis supra de forma, quod actus potest sumi dupliciter, vel fundamentaliter, & est forma, vel formaliter, & est respectus actuans ad actuabile, seu perfectivi ad perfectibile, primo modo actus convertitur cum forma, non secundo modo, motus vere dicit respectum actuabilis ad actuans, quia est actus mobilis, & se tenet ex parte subiecti: quare nec erit in determinato genere, nec terminus motus; neque actus, & potentia sunt semper termini metaphysici nisi in communi sumantur, sed in præsentibus solum sumuntur contrahente; neque sunt contrarii, ut in hac definitione accipiuntur, quia mobile non dicitur esse in actu, & in potentia respectu ejusdem. Ad 4. patet ex dictis, quomodo motus formaliter denominat subiectum actuari, & moveri, quatenus est quidam actus imperfectus, & quomodo *ly* in potentia respicit carentiam formæ præcedentem. Ad 5. per idem dicimus, quod subiectum non dicitur esse in potentia formaliter per motum, sed per potentiam passivam, & per carentiam formæ præcedentem. Ad 6. jam diximus, *ly quatenus* non sumi reduplicative, sed specificative, quomodo non facit propositionem per se quatenus ipsum, nisi reduplicative sumatur. Ad 7. concedimus, motum non constituere mobile in esse mobilis, sed ut tale præsupponere, sed dicitur actus mobilis ut sic, quatenus est ratio actuandi formaliter illam mobilitatem, & aliquo modo ut actus secundus se habet. Ad ultimum, anima non est actus formaliter, sed fundamentaliter, non est actus imperfectus, sed perfectus; tempus non distinguitur realiter a moto, si de intrinseco loquamur, extrinseco vero addit quid rationis; forma remissa relinquit subiectum in potentia ad ulteriorem formam, quomodo etiam motus, per quem ipsa acquiritur, sed patet, quod per *ly in potentia* mobile non respicit formam subsequentem, sed terminum a quo; passio tandem est receptio formæ in ordine ad agens, motus vero in ordine ad terminum a quo.

QUESTIO V.

Quibus moribus allata definitio conveniat.

34 Certum est ex dictis qu. 1. & præc. definitionem hanc non convenire, nisi motui physico viribus naturæ factibili, non motui in sua communitate sumpto, dubium tamen esse potest an omni motui conveniat, & præcipue conveniat motui instantaneo, & successivo, & si utriusque competit, an omni contento sub ipso scilicet deperditivo, & acquisitivo, naturali, violento, neutro, artificiali, æterno, & operationibus animalicis, ut sunt sensationes, & intellectiones.

Jandunus 6. Phys. q. 2. & 3. Tolet. q. 1. Contimb. cap. 1. q. 1. art. 2. Masius de Motu q. 2. Perer. lib. 15. cap. 3. Moric. disp. 7.

disp. 7. Physic. q. 1. motus instantaneus excludunt ab hac definitione, solum successivos comprehendunt, & ut probabilior sequitur Amic. q. 3. ubi etiam excludit motus deperditivos, violentos, & artificiales, ac etiam operationes animasticas, quas etiam excludunt Complut. disp. 16. Physicor. q. 2. & Caraffa de Concurfu disp. 17. & alii.

Dicimus, definitionem hanc communem esse mutationi instantaneae, successivae, naturali, neutrae, violentae, artificiali, aeternae, & operationibus animasticis, ita Doctor in 2. d. 12. q. 1. I. ubi ait Philosophum usque ad 5. Phys. indefinite, & universaliter locutum fuisse de motu, & mutatione, & quidem, quod mutatio instantanea comprehendatur, afferunt Sueff. 3. Physic. com. 6. Fer. q. 1. Ruvius, Hurt. Aver. Complut. & Caraff. saepe citati. Posset I. probari auctoritate Arist. qui tex. 4. ad colligendam definitionem motus praemittit, motum non esse praeter res ipsas, & statim addit, *mutatur enim semper id, quod mutatur, aut secundum substantiam, qui secundum quantitatem, aut secundum qualitatem, aut secundum Ubi*, ex quibus colligitur, institutum ipsum esse de motu ut est commune quidem substantiali, & accidentali agere, substantialis autem est instantaneus, saltem in viventibus, hinc tex. 6. probans definitionem motus inductione, connumeravit generationem, & corruptionem, idem habet tex. 17. ubi specialiter adducit generationem hominis.

35 Respondent, per generationem Aristot. non intelligere, nisi vel alterationem illam praeviam ad generationem substantialem, vel prout illa alteratio procedit, & pergit non solum ad disponendam materiam, sed etiam ad expulsionem formae substantialis, & introductionem novae formae, vel pro toto aggregato ex alteratione, & generatione, omnibus enim his modis semper generatio est quid successivum. Contra, quia secundum Arist. generatio ab substantia terminatur, alteratio ad qualitatem, & ut sic sunt species distinctae motus in communi, sed alteratio pro praevia dispositione non terminatur ad substantiam, sed ad qualitatem, ergo ut sic non est generatio. Tum quia qualitas, prout est forma accidentalis, non distinguitur specie a seipsa, ut est dispositio ad formam substantialem, ergo nec alteratio, ut terminatur ad qualitatem in se distinguitur specie, ut terminatur ad qualitatem ut dispositionem substantialem. Non minus falsa est 2. responsio. Tum quia nullum alterans generat. Tum quia, vel alteratio, ut praecedat ad expulsionem formae substantialis, & introductionem novae formae terminatur ad substantiam, vel non; si secundum, ergo non potest esse generatio, quod secundum Arist. ad substantiam terminari debet; si primum, habetur intentum, quod generatio formae substantialis est sub ista definitione, quae est instantanea. Si dicas, generationem esse quidem instantaneam, non tamen simul cum alteratione sumptam; Hae est tertia responsio alata, quae improbat, quia sicut hoc aggregatum ex substantia cum qualitate est unum per accidens, quia est ex rebus diversorum praedicamentorum, ita hoc aggregatum ex alteratione, & generatione est unus motus per accidens, ergo non potest consistere unam per se speciem motus ab aliis distinctam. Tum quia Arist. ait, generationem esse actum generabilis, & corruptionem actum corruptibilis, hoc autem non convenit nisi generationi substantiali, & materiae primae, non alterationi, & composito, quod est subiectum alterationis.

36 Amicus resp. Arist. ibi loqui de generatione substantiali, non qualibet, sed successiva, ut est generatio non viventium. Contra, quia Arist. in tex. 17. exemplum adducit de generatione hominis, quae fit in instanti. Tum quia ex dictis infra successio non semper arguit distinctionem specificam, ergo non est cur debeat excludere generationem substantialem instantaneam. Tum quia sub specie alterationis debent comprehendendi etiam accidentales mutationes instantaneae, ergo sub generatione quilibet generatio continetur, prob. antecedens, dantur aliquae mutationes naturales idest, quarum principium est natura, ut sunt sensationes, & intellectiones dependentes ab anima, quatenus est natura, & physicae considerationis, item si aqua divinitus in instanti acquireret frigiditatem deperditam, quae continetur sub hac definitione, quia Arist. consideravit praecipue motum positum in definitione naturae. Negat Amic. mutationes instantaneas esse naturales, quia proprie operationes naturales sunt successivae, eo quoniam natura semper ab imperfecto ad perfectum procedit; vel quia motus successivus est notior, & magis dat intelligere distinctionem naturalium a supernaturalibus. Sed falsum assumit ad operationes scilicet naturales requiri, ut natura de imperfecto ad perfectum tendat, cum hoc proveniat ex imperfectione agentis, ergo si aliquid agens ita perfectum detur, quod possit totaliter ponere in esse terminum, & simul, ex hoc non debemus arguere, non naturaliter agere, imo perfectius naturaliter. Tum quia haec conditio in definitione motus naturalis non ponitur; Neque successio requiritur, quia est notior, quia dantur etiam mutationes instantaneae aequae notae, ut est visio, tum quia neque haec conditio ponitur in definitione naturalis motus, neque si adesset, excluderet a motu naturali mutationes instantaneas, quia etsi non ita notae sint, non ob id sunt simpliciter ignotae.

37 Secundo motus in communi ad instantaneum, & successivum pertinet ad Physicum, ut patet, quia nec ad Metaphysicum, vel Mathematicum, qui ab omni motu abstrahunt, ergo illae mutationes debent a Philosopho considerari, non videntur tamen alio in loco explicari ab Arist. quam hic, quia usque ad 5. Physic. semper egit de universalioribus, & communi-

rioribus, solum ibi distinguere incipit motum proprie dictum a mutatione, ergo hic motum in communi considerat. Tum quia agens per actionem instantaneam ad Physicum pertinet, sicut passum passione instantanea, & absque ulla ratione hoc negatur ab Amico, quia ad nullum alium scientificum per se potest spectare, sed motus ab Arist. hic definitus est ille, qui semper est annexus cum actione, & passione, ergo &c. Tum quia recte potest ipsis mutationibus instantaneis applicari alata definitio, nam vere mobile per ipsam actuatur, quatenus erat sub privatione ad illam formam, nec requiritur, quod etiam sub motu sit in potentia ad aliam formam, ut patet ex q. praeced.

Ex quibus patet probatio de aliis moribus, quibus motus in communi, qui est physicae considerationis, se habet ut genus; & posset ostendi inductione, nam primo aliquo modo haec definitio potest motui deperditivo extendi, quia subiectum potentiale non solum respicit formam, sed etiam privationem ipsius, ergo quocumque sub aliquo est istorum, subiecti potentia aliqua modo actuatur; hinc Arist. exemplificat etiam de corruptione & diminutione. Secundo comprehenduntur motus violenti, quia licet subiectum non habeat inclinationem ad formam suam naturae disconvenientem, habet tamen potentiam, & capacitatem, quae ut sic potest intelligi actuari per motum, ex quo sequitur.

Tertio, multo magis competere etiam neutris, & artificialibus, unde Arist. exemplificat de agrotatione, qui est motus violentus, & de edificatione, qui est artificialis. Motus aeternus etiam est actuato subiecti, quia saltem subiectum secundum partes actuatur, verum est tamen, quod talis motus implicat ex dictis disp. praeced. Tandem convenit operationibus animae, quia sunt naturales, & vere anima per illas dicitur actuari, quatenus erat in potentia. Nec recte a Compl. excluduntur, eo quod finit actus existens in actu, & perfecti; qualis est anima, seu sensus, vel intellectus, qui iam factus est in actu per speciem, & per consequens perfectus, & secundus, & quod ex propria ratione non petunt operationes istae; quod mobile sit in potentia, & sub privatione, quamvis habeat capacitatem, sed in eodem instanti, in quo est intellectus, potest etiam habere suas operationes, non vero sunt actus existens in potentia, & imperfecti, quod requiritur ad rationem motus ex Aristot. Non recte excluduntur, quia etiam sunt actus existens in potentia, & per consequens alicujus imperfecti, nam scilicet intellectus sit in potentia proxima, & actu primo proximo ad eliciendam intellectionem, quando est specie fecundatus, adhuc tamen est in potentia tum activa, tum passiva respectu intellectionis, & vere mutatur. Et quavis possint esse sine motu, si simul essent cum intellectu quoad durationem, non sequitur, quod quando sunt, cum motu, quod subiectum non actuatur per illas, sicut qualitates connaturales resultant in se simul cum forma substantiali in generatione absque motu, attamen si deinde illis privaretur, esset in vera potentia subiectiva sub privatione, & consequenter in statu imperfecto.

38 In oppositum objicit ex 3. Phys. 1. ubi Aristot. dixit, naturam esse principium motus, & mutationis, & statim addidit, videretur autem motus continuus esse, ergo hic agit de motu continuo, & successivo; & 5. Phys. 8. negat generationem motum esse. Tum 2. motus sic debet mobile actuare, ut simul constituat ipsum in potentia ad ulteriorem perfectionem, quod instantaneo non convenit. Tum 3. quia non videretur convenire successivo, quia explicatur in hac definitione successio. Tum 4. quod nec operationibus animae, quia anima non est natura, & quia 3. de Anim. 22. ait Arist. sensationes esse motus specie diversos ab aliis, eo quia sunt actus rei perfectae, motus vero est actus rei imperfectae. Tandem nec violentis, vel artificialibus, quia definitur in gratiam motus positi in definitione naturae.

Resp. ad 1. Arist. in primo loco proponere illa, de quibus est agendum, & reddere rationem methodi, quam vult observare, dicens, quod semper communia sunt praemittenda, & ideo de motu in communi, de continuo, de cuius numero est motus, idest una praecipua species ejus, scilicet successivus, de loco, vacuo, & tempore loquendum, postea ad unumquodque illorum, quae sunt propria descendere; qua data expositione nihil concluditur. Vel dicendum, quod in motu instantaneo datur quoque continuas secundum partes subiecti, vel formae, ut patet in aeris illuminatione. Secunda auctoritas est pro nobis, quia cum ibi dicat, non esse motum; in hoc tertio asserit, sequitur, quod non eodem modo loquatur de motu, hic & ibi, & consequenter, quod hic definiat motum in communiori acceptione, prout ad generationem substantialem, & ad motum accidentalem est communis. Ad 2. negat assumptum, ut patet ex q. praec. Ad 3. nec debet explicari successio, quia genus a speciebus praefinitur, quomodo autem applicetur motui successivo, dicemus infra n. 52. Ad 4. patet ex dictis disp. 6. quomodo anima sit natura. Ad Arist. dicimus, non negare ab anima imperfectionem potentiae passivae respectu sensationum, sed imperfectionem ad formam potius corruptentem, & ad destructionem disponentem, qualis est potentia subiecti ad qualitates contrarias, ut etiam dicemus q. seq. art. 4. Ad 5. dicitur definiti in gratiam motus positi in definitione naturae, quia motus genericus necessarius est ad cognitionem inferiorum.

39 **D**Uobus in locis praecipue de motu locutus est Arist. in 3. & in 5. Phys. In 3. accepit motum secundum suam communitatem, quomodo hucusque locutus sumus, scilicet prout ad quancumque mutationem per se communis est, hinc ad quatuor praedicamenta spectare, ad substantiam, qualitatem, quantitatem, & Ubi offendit, & hoc modo non est passio corporis naturalis, quia ut sic excedit ipsum. In 5. vero divisit motum in communi in motum proprie dictum, & mutationem proprie dictam, & hanc solum ad substantiam esse, motum vero ad illa tria praedicamenta, quae divisio est generis in species, ut videbimus; & quia genus in species descendit per differentias, quae divisivae sunt generis, & constitutivae specierum, ut videamus, quot, & quae sint species motus, debemus prius differentias dividentes morum in communi aperire, & investigare, quamquam sit essentialis divisio, & quae accidentalis, ex qua postea patebit, quae sit species motus in communi, per quid constituatur, & inter se differant.

Prima divisio satis vulgata apud Doctores est in motum instantaneum, qui in instanti absolvitur, & in successivum, & quia successio in aliquo sensu est de conceptu motus, potest dupliciter accipi, nam si sumatur, prout dicit transitum a termino a quo ad terminum ad quem, sic motus successivus erit motus in communi, ut dicebamus in prima quaest. sed magis stricte loquendo successio sumi solet pro illa continua, & in tempore facta, & in hoc sensu sumitur, cum motus successivus ab instantaneo distingui dicitur per successione.

Secunda divisio motus in communi solet illa assignari, quae ab Arist. 5. Phys. 7. traditur, ubi ait, omne, quod mutatur, intelligi posse mutari, vel de subiecto in subiectum, vel de subiecto in non subiectum, vel de non subiecto in subiectum, vel de subiecto in non subiectum, & omnia secunda mutatione, quae impossibilis est, concludit, quod illis tribus modis potest contingere motus, per subiectum intelligit terminum positivum, per non subiectum terminum negativum, & consequenter potest fieri divisio bimembris, scilicet quod motus potest esse inter terminos positivos, vel unum positivum, & alterum negativum, quin potest subdividatur, nam vel terminus a quo erit negativus, & terminus ad quem positivus, vel totum e contra.

Tertia divisio motus est penes terminos, ad quos terminatur, nam vel terminatur ad ens simpliciter, qualis est forma substantialis, vel ad ens secundum quid, qualis est forma accidentalis, & consequenter motus vel est accidentalis, vel substantialis; ita colligitur ex Arist. 5. Phys. 8.

Quarta est in naturalem, violentum, & neutrum, quae divisio sumitur penes habitudinem, quam dicit subiectum ad formam, nam vel naturaliter inclinatur ad illam, & sic est motus naturalis; vel potius habet oppositionem, & repugnantiam, & sic est motus violentus, vel neutro modo se habet, & sic est neuter, ut supra diximus disp. 6. Aliae divisiones assignantur, sed vel convenienter tantum motui accidentali, vel solum successivo, ut videbimus art. ult. & quia aliae divisiones motus assignatae praeter primam sunt clarae, prius debemus explicare, quid formaliter addat successio, quae motum successivum constituit, & ab instantaneo distinguit, deinde quoniam divisio ex ipsis sit essentialis, & quae accidentalis.

ARTICULUS I.

Explicatur divisio motus in instantaneum, & successivum.

40 **A**Dvertendum est, quod motus successivus dicitur etiam continuus, ad non sumimus continuitatem in praesenti pro perpetuitate, quomodo Arist. 8. Phys. 54. & seq. dixit solum motum Caeli esse continuum, sed quatenus dicit partes termino communi copulatas, quae partes sunt in duplici differentia, nam vel sunt simultaneae, ut cum aer in instanti illuminatur, est motus continuus, quia totum continuum, & quilibet pars movetur, non solum extensivae, verum etiam intensive, & in hoc sensu non differt ab instantaneo; vel sunt successivae una post aliam, ut cum lignum calefit successivo, & in tempore prius secundum unam partem, quam secundum aliam, & hoc dupliciter, vel cum interruptione temporis, si v. g. modo moveatur lignum secundum aliquam partem per calefactionem, postea cesset a motu, deinde secundum aliam partem denuo moveatur, & calefiat, & haec est quaedam successio discreta, quia una non est alteri continuata; secundo absque temporis interruptione, ut cum lignum calefit per horam, & in hoc sensu accipitur in praesenti; ad quam successione ut habet Doct. in 2. dist. 2. qu. 9. Z. & ex Arist. 5. Phys. 18. 33. & 49. necessario requiritur, quod sit inter extrema habentia latitudinem aliquam, sive extensivam, sive intensivam, nam si terminus indivisibilis esset, non posset nisi totus simul acquiri, vel totus simul deperdi, ut diximus disp. praeced. q. 2. art. ult. Nec etiam hoc sufficit, sed requiritur adhuc, quod sit inter extrema habentia contrarietatem ad invicem, nam videmus multas alterationes tam secundum extensionem, quam secundum intensionem, fieri in instanti, ut est illuminatio, & hoc quia extrema non habent contrarietatem; quae contrarietas non necessario debet esse propria, qualis est inter formas positivas de genere qualitatis, quia motus successivus est ad quantitatem, & ubi, in quibus non adest vera contrarietas, sed sufficit, ut sit quaedam oppositio, qua non possit terminus ad quem a motore intentus statim induci in mobili, & terminus a quo statim expelli, sed necessarium

est, ut tale mobile prius moveatur a motore per media interjacentia inter terminos a quo, & ad quem, intelligendo per media omne id, quod necessario praecedat inductionem termini ad quem; ratio hujus est, quia quando adest ista oppositio, vere intelligitur, acquisitionem non esse simul, & in instanti, sed in tempore.

41 Ex quo colligitur, radicem omnis successione esse resistentiam mediae ad motorem, & mobile, quatenus, scilicet non potest mobile statim moveri in terminum ad quem a motore propter limitatam, & finitam virtutem, quae nequit separare istam resistentiam; tamen si esset virtus infinita, posset omnem resistentiam superare, & consequenter omnem tollere successione, ut docet Doct. cit. non enim ordo ille inter terminos oppositos est ita intrinsecus, ut non possit aliter fieri, & pertransiri ab uno ad alium terminum simpliciter loquendo, sed tantum respectu limitatae virtutis, & hoc voluit innuere Arist. cum saepius dixit, motum esse inter contraria, idest motum successivum tunc evenite, quando est inter terminos habentes oppositionem, & contrarietatem, ut non possit statim, & immediate ad invicem in subiecto succedere, sed necessario per aliqua media ab uno ad aliud venitur. Quarimus igitur, quid dicat hoc esse successivum, idest hoc, quod est esse prius secundum unam partem, quam secundum aliam in motu, per quod motus successivus differt ab instantaneo.

Aliqui dicunt, successione in motu esse quantitatem quandam, quia dicit pluralitatem partium sibi invicem succedentium, quae quantitas ab aliquibus ponitur praedicamentalis, cum sit quaedam pluralitas partium motus distincta a pluralitate partium formae, licet ab ista proveniat, ita Murcia in praed. quant. disp. 2. qu. 3. Hier. Pla. 3. Phys. qu. 3. Aver. q. 22. Phys. sect. 1. & q. 29. sect. 4. ubi etiam refert Con. 3. Phys. c. 2. q. 3. & Fonf. 5. Metaph. c. 13. q. 10. sect. 2. & qui ponunt motum in praedicamento quantitatis; ab aliis ponitur transcendentis, quatenus ratio partium est diversa, prout diversae sunt partes terminorum motus, nam aliae sunt partes quantitatis, aliae partes qualitatis; sive extensivae, & aliae partes ubicationis; hinc quia motus non est per ipsos quod realiter a terminis distinctum, ratio partium motus vagabitur per illa genera, ad quae est motus, ita specialiter haec opinio defenditur a Suar. disp. 40. Metaph. sect. 8. Alii asserunt, successione formaliter dicere negationem simultatis partium motus; ita qui universaliter negant, relationes esse aliquod ens a parte rei, ut Nominales omnes.

42 Dicimus, successione formaliter non dicere quantitatem quandam, sive praedicamentalem, sive transcendentem, neque negationem simultatis partium, sed dicere relationem, seu ordinem partium secundum prius, & posterius termino communi copulatarum, si successio est continua, vel ordinem plurimum non habentium terminum communem, si est discreta: ita colligitur ex Scot. in 2. d. 2. qu. 1. & 4. ubi saepe ait, successione dicere ordinem partium secundum prius, & posterius, ordo vero secundum ejus doctrinam est relatio, sequitur Capr. 2. d. 2. q. 7. ad 7. contra 1. concl. Jo. de Mag. & Reg. Paris. 3. Phys. q. 2. not. 1. & ut probabilior emplaceatur Amic. tr. 23. q. 2. dub. 1. prob. & 1. quod non sit quantitas praedicamentalis patet ex dictis q. 1. quod vero non sit quantitas transcendens. Prob. (quae ratio probat etiam de praedicamentali) ista ratio partium vel intelligitur de partibus terminorum, qui per motum acquiruntur, vel de partibus motus, nullum horum potest formaliter dicere successio, quia tam partes termini, quam partes motus possunt sine successione reperiri, post motum enim manet terminus secundum omnes partes, & si terminus, qui successive acquiritur, acquireretur in instanti, tunc mobile moveretur secundum omnes partes motus, quibus moveretur in tempore, & successive, quia adest respectus informationis ad omnes partes formae, & ad privationem totalem immediate praecedentem, qui respectus partialiter essent in mobili, si successive fieret motus, ergo successio formaliter nequit dicere rationem partium formae, vel motus. Dices successione dicere rationem partium motus, non ut sic, sed ut una est extra aliam, seu ut una alteri succedit, quomodo non reperietur in motu instantaneo, & hanc extremitatem partium motus, seu impossibilitatem in eodem tempore, & subiecto formaliter importari a successione; Contra, ergo saltem habetur, quod partes motus sunt de materialibus ipsius successione, haec autem extremitas nequit vocari quantitas nisi abusive, nam reperitur, ubicumque adest ordo, & tamen ordo non est, nisi quaedam relatio secundum prius, & posterius, ergo successio non est quaedam quantitas formaliter, quae ex se dicit quaedam partium rationem.

43 Secundo, quod non dicat simplicem negationem simultatis partium probat, quia successio est quoddam nomen constituens illud, cui competit, in ordine ad aliud, id enim succedere dicitur, quod advenit post aliud, sed negatio simultatis partium ut sic non constituit illud, cui convenit in ordine ad aliud, nisi quatenus per relationem prioris, & posterioris explicatur. Quapropter formaliter dicit relationem ordinis, sive prioris, & posterioris, quia nequit intelligi aliqua sibi invicem succedere, nisi intelligatur ista relatio inter illa, & statim ac talis relatio intelligitur, concipitur ratio successione perfecta. Tum quia denominativa formaliter importat formam, & connotat subiectum, quae forma postea per nomen abstractum formaliter, & absolute significatur, sed ens successivum dicit partes aliquas secundum prius, & posterius ordinata.

tas, ergo formale entis successivi erit iste ordo, & materiale partes succedentes. Et quia ordo non solum inter entia continuata ad invicem potest esse, sed etiam inter omnino separata; sed aliquo modo conjuncta, hinc successio erit duplex, continua, & discreta. Successio igitur in motu nil aliud dicit, nisi ordinem partium motus secundum prius, & posterius uni termino copularum, quatenus una pars ita alteri succedit, ut semper una sit prior, altera posterior, nec ambæ simul unquam erunt, sed sunt unitæ, & copulatæ mutati esse, quæ ad instar indivisibilium in quantitate continua permanenti copulant, & uniuersas partes motus, ita ut differentia inter partes motus, & mutata esse est, quod per partes motus acquiruntur partes formæ terminantis, per mutata esse acquiruntur indivisibilia ipsius formæ continuantia partes illas.

Sed contra arguitur. Tum quia Arist. in Prædic. de quant. inter species ipsius numeravit motum, & tempus ex hoc, quod sunt entia successiva. Tum 2. motus successivus habet proprias partes propriis continuatis continuatas, ergo ista continuatio successiva est quadam peculiaris species quantitatis; Prob. consequentia, quia ubi est pluralitas partium, quarum una excludit aliam, non solum per exclusionem identitatis, sed etiam per exclusionem coexistentiæ, ibi est quantitas prædicamentalis, quia ista exclusio, seu impossibilitas est quadam extremitas partium, sicut enim quantitas permanens facit partes extra partes in ordine ad locum eundem, ita quantitas successiva, seu successio facit partes extra partes in ordine ad idem tempus; constat autem, extremitatem esse rationem formalem quantitatis ex dictis d. 9. q. 1. ar. 1. Tum 3. successio nequit intelligi absque partibus, ergo partes sunt de essentia successivis, & consequenter, cum ratio partium sit factum quadam transcendentalis quantitas, successio formaliter dicitur rationem quantitatem. Tum 4. relatio ista ordinis in motu est relatio rationis, ens successivum est quid reale; ergo &c.

44 Resp. ad 1. Arist. loqui ibi secundum famolam opinionem, cujus est signum evidens, quod in 5. Met. non numeravit, nec tempus, nec motum, sed dixit, esse per accidens quanta, ut mox dicemus. Ad 2. negamus consequentiam cum probatione, non enim omnis continuitas partium est vera quantitas, quia hæc reperitur, tam in substantia, quam in qualitate, etiam si a quantitate essent separata, nec omnis impossibilitas, & extremitas partium est quantitas, sed solum illa, quæ per se convenit partibus, quæ vero per accidens, & per aliud, non est proprie quantitas; nam non tantum quantitas habet partes extra partes sed etiam qualitas in compositum quanto, & tamen ista extremitas, & impenetratio partium albedinis v. g. non solum est quantitas distincta a quantitate partium, quia in tantum albedo habet istam impenetrationem, in quantum est in corpore quanto, idem etiam dicendum de relatione producentis ad productum, si enim productum successivum acquiratur, relatio etiam successivæ insurgit, non tamen ista successio est quantitas, cum per accidens ipsi adveniat, & maxime, quia relatio nequit subiectare quantitatem. Ad 3. etiam alium nequit intelligi sine subiecto, nec relatio sine extremitate, non tamen sequitur, quod sint de eorum essentia, hinc verum est, rationem partium esse quantitatem quadam transcendentali, sed est tantum materiale respectu successivis. Ad 4. successivam istam esse relationem rationis in motu prout a relatione simpliciter reali distinguitur, non prout convertitur cum secunda intentione, ut diximus de motu qu. 1. vide art. 3. in fine.

ARTICULUS II.

Quæ motus diviso sit essentialis, & que accidentalis, declaratur.

45 Circa primam divisionem in instantaneum, & successivum aliqui asserunt illam essentiali esse, ita Hurt. disp. 11. Phyl. sect. 10. Tat. 6. Phyl. q. 2. §. Primo sciendum, &c. Morif. disp. 7. Phyl. q. 1. & 2. At Peter. lib. 14. c. 8. Iand. 3. hyl. q. 2. Conimbr. c. 1. q. 2. & alii distinguunt successivum a continuato, & successivum, ajunt, consistere, ut non acquiratur forma tota simul, sed pluribus acquisitionibus, continuato vero consistere, ut illæ acquisitiones sine interruptione fiat, successivum dicunt esse differentiam essentiali motus, continuato vero proprietatem. De 2. divisione in motum de subiecto in subiectum, &c. sustinet Averfa q. 26. sect. 9. & 10. essentiali esse, diversaque species essentialiter constituere, explicans per subiectum intelligi terminum realem positivum contrarium, per non subiectum vero privationem alterius termini, idem sentiunt Compl. disp. 21. q. 1. & 3. De 3. divisione est fere omnium sententia, essentiali esse. At de 4. qui sustinent motum non solum a termino, sed etiam a subiecto specificari, debent adhuc sustinere hanc divisionem esse datam per esse essentialia.

Dicimus 1. tertiam divisionem esse essentiali, non vero secundam, & quartam. Concl. hæc quoad tertiam divisionem habetur a Scot. 1. dist. 2. q. 7. T. & dist. 13. A. & Q. & 3. dist. 14. q. 2. E. quibus in locis docet, motum penes terminos distingui, ita ut diversitate specifica terminorum valeat inferri diversitas specifica motuum, & habetur ab Arist. 5. Phyl. 8. & patet, nam quilibet respectus specificatur a termino ad quem, ergo cum motus sit respectus, ab eodem specificari debet, ergo si termini sunt specie distincti, etiam motus, ut dicemus q. seq. ar. 1. Quo ad 2. partem de secunda divisione colligitur a Doct. 4. dist. 10. q. 2. D. & 2. dist. 2. q. 7. in fine, quibus in locis ait, terminum a quo positivum non esse per se terminum, sed tantum concomitantem, nec a termino a quo

positivo ad terminum ad quem positivum esse unum, sed duos motus; ex qua doctrina sic arguitur; nulla divisio essentialis datur per extrinsecam, & per accidens requisita ad constitutionem constitutorum, sed hæc est hujusmodi; Probatur, quia nullus motus necessario perit de sua ratione formalis esse inter positivos terminos, sed inter terminos contradictorios, nam potest aliquis moveri ad terminum ad quem positivum absque deperditione termini a quo positivum saltem per potentiam Dei; vel e contra, & tamen iste motus esset ejusdem speciei dum alius ex 5. Phyl. 31. ubi habetur, *Omnis igitur dealbatio omni dealbationi idem secundum speciem erit*, quod etiam exemplificari poterit de illuminatione facta in instanti, & in tempore, quæ ejusdem erunt speciei, & tamen prima esset a non subiecto in subiectum, id est a privatione ad formam, facta a subiecto in subiectum scilicet et remissioni lumine ad intensum, tum quia idem motus successivus potest utroque modo appellari; tum quia Arist. 1. Phyl. assignavit principia motus in communi, scilicet materiam, formam, & privationem, ut diximus disp. 1. q. 2. quod tamen esset falsum, si terminus a quo positivus esset per se terminus motus; vide art. seq. & q. seq. art. 1. ubi de hoc iterum redibit sermo. Tandem quo ad 3. partem de quarta divisione patet, quia ut q. seq. dicemus, motus a subiecto minime specificatur, ista autem divisio est data in ordine ad subiectum. Accedit, quod in motu respectus subiecti ad formam est materiale motus ex dictis q. 1. hæc divisio est per tales respectus, ut patet, unde post motum naturalitas, violentia, vel neutralitas manent, ergo non erit essentialis motui, sed accidentalis, & extrinsecæ.

46 Dicimus 2. quando successio, & instantaneitas proveniunt in motu ex rationibus ipsorum terminorum, ut ex propria natura successivæ, vel in instanti solum petant produci, ista divisio in instantaneum, & successivum essentialis erit; at si provenient ab aliquo extrinsecæ, puta vel ex impotentia agentis, vel ex motu locali, & continua approximatione agentis ad passum, ita ut terminus utroque modo possit acquiri, accidentaliter erit. Prima pars de essentiali divisione potest colligi ex Arist. in omnibus illis locis, quibus Adversarii demonstrare nituntur, motum essentialiter successivum esse, ut videbimus art. seq. & ex Doct. ubicunque docere videtur, motum essentialiter successivum esse, & in tempore necessario fieri, mutationem vero in instanti, ut in 2. dist. 2. q. 12. F. & in 3. dist. 3. q. 1. B. & probari potest, nam quod nequit separari ab aliquo, vel est differentia essentialis, vel passio inseparabilis nobis differentiam essentiali circumscribens, sed forma, quæ in tempore est tantum acquisibilis, nequit acquiri in instanti, & quæ est in instanti acquisibilis, nequit fieri in tempore, ergo ista successio, & instantaneitas necessario conveniunt motibus, quibus tales formæ acquiruntur, ergo divisio motus per istam erit essentialis, quatenus est data per aliquos modos intrinsecos motui, qui possunt nobis circumscribere differentias essentialis.

Ex quo patet 2. pars, quod quando forma non petit, vel in instanti solum, vel in tempore acquiri, successio, & instantaneitas accidenti acquisitioni illius formæ, & consequenter ejusdem essentialis speciei erit acquisitio illius, sive in instanti, sive in tempore fiat. Tum quia ex Arist. 5. Phyl. 31. *Omnis dealbatio omni dealbationi idem secundum speciem erit*, ergo si lumen acquireretur in instanti, vel in tempore, illuminationes illæ erunt ejusdem speciei. Tum quia motus dicitur respectum subiecti ad formam, & respectum informationis ad non informationem ex quo 1. sed respectus subiecti ad formam ejusdem est rationis, quando forma in instanti acquiritur, & quando successivæ, ut patet, nam iste respectus manet transacto motu, & eodem modo denominat lumen v. g. aerem illuminatum, sive in instanti, sive in tempore fuerit acquisitum, ita ut non est diversæ speciei respectus, quem dicit subiectum ad totam formam, & ad partem formæ; similiter respectus totius informationis ad non informationem totalem est ejusdem speciei cum respectu informationis partialis ad non informationem partialem, quia sicut forma est ejusdem rationis, ita privatio ipsius; successivum autem solum dicit de novo respectum ad esse partiale immediate præcedens, & subsequens, & instantaneum carentiam talis respectus, quæ possunt separari a motu, ergo &c. Hæc conclus. sustinetur a Murcia 3. Phyl. disp. 1. q. 1. cap. 4. & ut probabilior sequitur Amic. tract. 23. q. 5. concl. 5.

47 Quoniam autem secundum veritatem quilibet motus in tempore factus potest de potentia Dei in instanti fieri; præterquam localis motus includens totam realitatem termini ad motus, ut dicemus art. 5. idcirco successio secundum veritatem solummodo motui locali totam realitatem includenti essentialis erit, aliis vero motibus accidentaliter conveniet, propter scilicet impotentiam agentis creati non potens vincere resistentiam mediæ, cum sit finita, & limitata virtutis, ut diximus cum Scoto 2. dist. 2. q. 9. ar. præc. in notat. unde eodem modo se habebunt formæ suæ secundum veritatem quoad successivum, & instantaneitatem, ac se habet naturaliter lumen, quod utroque modo potest acquiri, & visio, quæ licet in instanti fiat, potest tamen, si obiectum secundum partes, & successive præsentetur aspectui, fieri successivæ. Attamen quia Arist. non agnovit potentiam istam Dei absolutam, sed quod naturaliter evenit, putavit ab intrinsecæ, & ex naturis rerum convenire, ita ut non possit oppositum contingere, ideo in sententia ipsius formæ illæ, quæ naturaliter in tempore dumtaxat acquiruntur, nullo modo possunt haberi in instanti, & quæ solum in instanti, nullo modo in tempore; tales præcipue erunt, quæ alias formas habent contrarias immediatas, & etiam quantitas, & ubi locale, ut art. 4. dicemus, consequenter in sententia Philosophi successio motibus istis, & instantaneitas erunt essentialis differentie, vel illas circumscribent.

Hoc totum autem est intelligendum de successione, quæ cum continuatione convertitur, non quæ interruptionem habet, nam ut docet Doct. 2. d. 2. qu. 9. N. motus successivus continuus debet esse, unde Arist. potius dixit, motum esse continuum, quam successivum, ut in 3. Phyl. 1. & 70. & 4. Phyl. 99. & 113. & 5. Phyl. fere per totum; ratio hujus est, quia ad unitatem numericam motus, ut dicemus seq. qu. requiritur unitas temporis, ita ut si tempus esset interpolatum, non unus, sed plures numero motus censeretur, plura autem individua divisa non possunt unam numero essentiam integraliter constituere. Argumenta contra istas concl. solventur facilius in seq. art.

ARTICULUS III.

Per quid motus proprie dicitur a mutatione strictè sumpta distinguatur.

48 Certum est apud omnes, motum in communi non esse passionem corporis naturalis, quia ipsum excedit, cum possit materiam primæ convenire, quatenus communis est ad mutationem substantialem, & accidentalem, unde distingui solet in motum proprie dictum, & in mutationem proprie dictam, & ille pro principali passione naturalis corporis assignatur, & ab ista essentialiter distinguitur, hinc ut cognoscamus hanc præcipuum corporis naturalis passionem, debemus propriam differentiam ipsius constitutivam investigare. Averfa, & Compl. loc. cit. præc. art. ajunt, per hoc motum a mutatione distingui, quia termini motus, sive a quo, sive ad quem sunt positivi, & contrarii, mutationis vero unus est positivus, alter privativus, & contradictorie opponuntur. Qui sustinet, divisionem in successivum, & instantaneum esse essentiali, etiam asserunt per istas differentias motum, & mutationem essentialiter inter se distingui.

Dicimus 1. motum, ut est passio corporis naturalis, non distingui a mutatione, quia habet terminos positivos, mutationem vero unum privativum, alterum positivum, aut quia motus est successivus, mutatio instantanea, sed distingui, quia termini ad quem motus est aliquid esse secundum quid, id est accidentale, terminus a quo privatio istius esse; subiectum vero aliquid potentiale ad ipsum, sive fiat in instanti, sive in tempore; at terminus ad quem mutationis est aliquid esse simpliciter, seu substantiale terminus a quo est privatio istius, subiectum vero aliquid essentialiter incompletum, & potentiale est istud esse; ita ex nostris Ant. Andr. 11. Met. qu. un. Prima pars, quod non differant panes terminos positivum, & privativum, ut patet ex Scoto cit. art. præc. concl. 1. & rationibus ibi adductis. Tum quia multi transitus a non subiecto in subiectum, conveniunt corpori naturali, non solum neutri, ut illuminatio aeris, verum etiam naturales, ut sunt omnes sensationes, intellectiones, & si aqua esset a Deo omni frigiditate privata absque calore, & postea ex se rediret ad frigiditatem, ergo quia transitus isti vere sub passione corporis naturalis continentur, mutatio, ut a motu passione distinguitur, non differt per habere terminum a quo privativum. Tum quia transitus materiam ab una forma substantiali ad aliam non est motus proprie dictus, sed mutatio, sed multi ex istis sunt a subiecto in subiectum, ergo hæc non est differentia distinguens motum a mutatione; minor prob. quia non est major ratio cur, si inter albedinem, & nigredinem reperitur motus aliquis per se unus, & non inter ligni formam, & formam ignis.

49 Resp. neg. sequelam, nam albedo ita ex nigredine fit, ut non æque, & indifferenter ex quovis alio fieri possit, sed solum ex nigro, vel ex alio colore medio, quatenus participat nigredinem, non ex alia qualitate, calidum ex frigido, quantitas major non nisi ex minori fit, & in latiore motus deorum fit ex loco sursum, at una forma substantialis potest ex quavis alia generari; propter igitur istam naturalem exigentiam, quam habent ista accidentia, ut ex determinato termino a quo fiat, quæ in formis substantiabilibus non adest, datur inter illa per se motus, non inter ista. Sed contra, quia ut notat Doct. 2. d. 2. q. 12. C. etiam in aliquibus formis substantiabilibus reperitur iste determinatus ordo, unde acetum non nisi ex vino fieri potest, forma cadaveris ex forma viventis in Averf. opinione, & forma corporis organici ex semine, nec ex quovis, sed ex illo, quod provenit ab aliquo ejusdem speciei. Nec valet, quod ajunt, animal ex semine tantum produci, non quia requiritur necessario forma feminis, sed ex necessitate dispositionum, quæ formam animalis præcedere debent, & istæ solum formam feminis comitantur per se. Non valet, quia in nutritione caro major non nisi ex minori fit, & e contra, non solum ratione quantitatis, sed ratione ipsius carnis, quæ divisibilis est seclusa quantitate, ex dictis disp. 3. q. 4. & disp. 9. q. 1. nam etiam augetur forma substantialis, tum quia si dispositiones requisitæ ad formam animalis per se concomitantur formam feminis, non corrumpent istam formam, sed cum illa permanerent, ergo non ratione dispositionum, sed ipsius substantialis formæ petit animaliter produci. Tum quia corrupta forma feminis, corrumpuntur omnia accidentia illam formam consequentia, & in semine subiectata; ergo non est, cur magis propter dispositiones formæ prærequiritur, quam propter seipsam. Tandem, vel istæ

dispositiones possunt esse absque forma feminis, vel non; si primum, ergo si in ligno essent, animal ex ligno posset generari, quod non videtur verum; si secundum, ergo quia istæ dispositiones proveniunt a forma feminis, debemus etiam dicere, animal non tantum dispositiones illas prærequirere, verum etiam substantialem formam, sine qua nec illæ dispositiones essent, vide qu. seq. art. 1. concl. 1.

50 Secundo, quod neque per successivum, & instantaneum distinguantur, patet ex Doctore, qui motum localem naturalem posuit, quem concedit in instanti fieri posse, ut in 2. d. 2. qu. 11. & 12. & 3. d. 4. & 4. dist. 43. qu. 5. & alibi. Tum quia etiam admissio, quod divisio per instantaneum, & successivum sit essentialis, adhuc non per hoc motus proprie dictus, ut est corporis naturalis passio, constituitur per successivum, quia dantur multæ mutationes instantaneæ, quæ naturaliter conveniunt corpori, ut de sensationibus diximus. Tum quia mutatio est solum ad substantiam secundum Arist. 5. Phyl. 9. motus ad accidens, sed datur mutatio substantialis successivæ, ut est nutritio, & generatio inanimatorum ex dictis in lib. de Gen. ergo successivum, & instantaneum non distinguunt motum proprie dictum a mutatione dicta.

Tertio quod distinguantur assignato modo est Arist. 5. Phyl. 8. ubi volens indagare distinctionem mutationis a motu, non arguit, eo quia mutatio est in instanti, motus in tempore, vel quia mutatio est inter contradictoria, motus inter contraria; sed probat duplici ratione, scilicet quia quod generatur, non est, quod movetur, est, id est, ut explicat Doct. 2. d. 2. q. 1. l. & 4. d. 11. qu. 3. Ee. subiectum generationis non necessario est in actu completo, sed debet esse aliquid potentiale ad esse simpliciter; quod vero movetur, est necessario ens in actu, nec ut sic aliquid esse simpliciter carer. Secunda ratio; quod movetur est in loco, quod generatur non est in loco, ergo mutatio non est motus, scilicet ut declarat Doct. in 4. cit. omne, quod movetur, necessario est in loco, vel per formam prius acquisitam in mobili, quod tali motu movetur, ut evenit in alteratione, & latione, quibus quantitas, quæ est ratio essendi in loco occupative, & circumscriptive, præsupponitur, vel est in loco per eandem formam, secundum quam movetur, ut in auctione, at quod generatur, id est quod est subiectum generationis, quatenus est tale subiectum, nec est in loco per formam prius acquisitam, quia quantitas non est subiecto generationis ratio formalis recipiendi formam substantialem, nec est in loco per formam, secundum quam movetur, quia substantialis forma non est ratio formalis locationis circumscriptivæ: ecce quomodo tam secundum Arist. quam secundum Scot. motus, & mutatio non distinguuntur, nisi secundum differentias in concl. assignatas; & recte quidem, nam respectus cujuscumque differentie ex differentis extremorum cognoscitur, cum igitur extrema motus in communi, quia ad quatuor tantum prædicamenta terminatur, primo dividantur in esse simpliciter, & in esse secundum quid; id est substantiale, & accidentale, quorum privationes, & subiecta sint alia, & alia, & motus in communi primo in motum proprie dictum, & in mutationem proprie sumptam dividatur, per differentias assignatas debet dividi. Tum quia ex nostra positione clare patet, quomodo quilibet motus sit passio corporis naturalis, quia nullum ens, nisi compositum, est subiectum accidentium ex dictis disp. 3. q. 1.

51 Dicimus 2. motum accidentalem, & proprie dictum juxta dicta art. præc. concl. 2. posse dividi in instantaneum, & successivum tamquam in species, præcipue secundum Arist. cujus principalis intentio est motum successivum explicare, & motus instantaneus potest mutatio secundum quid vocari, ut facit idem Arist. 5. Phyl. 7. successivus vero absolute motus secundum eundem tex. 9. & hoc per anthonomasiam, sicut motus accidentalis absolute motus appellatur. Conclusio dependet ex dictis art. præc. cit. nam si instantaneum, & successivum in sententia Arist. sunt modi essentialis motus, & motui accidentali conveniunt, essentialiter ipsum dividit, ex quibus Arist. peculiariter motum successivum consideravit, ut patet ex toto progressu Philosophiæ, nam specialiter locutus est de illis motibus, qui in actionibus rerum naturalium reperiuntur, & generationi, ac corruptioni inserviunt, tales sunt motus successivi, & præcipue in Physicis intendit agere de motu locali, ut patet in 6. & 8. Phyl. de instantaneo vero parum est locutus. Et quia successio nequit intelligi perfecte, quin etiam intelligatur terminus positivus a quo, cum sit ordo inter utrumque, talia autem, ut plurimum sit terminus contrarius, vel habens rationem contrarii, qualia sunt media, vel gradus remissiones formæ, hinc est quod talis motus circumscribitur ab Arist. per hoc, quod est, esse a subiecto in subiectum, id est a contrario in contrarium, non quod terminus a quo positivus sit specificativus essentialiter motus successivi, sed potius est quid connotatum termini a quo primarii, & ut terminus concomitans terminum per se primarium, qui est privatio formæ.

Contra primam concl. instatur ex Averfa. Tum quia Arist. 5. Phyl. 7. præmittit divisionem illam motus facti vel ex subiecto in subiectum, &c. ut diximus initio qu. determinat deinde in eodem tex. & 9. mutationem esse, quæ fit a non subiecto in subiectum, seu inter terminos contradictorios, motum vero, qui fit a subiecto in subiectum, & inter terminos positivos; hinc ait tex. 9. *Quoniam autem omnis motus mutatio quædam est, mutationes autem tres, quæ dicuntur sunt, harum autem esse, quæ sunt secundum generationem, & corruptionem, non sunt motus, hæc autem sunt, quæ secundum contradictoria sunt.*

fiunt, necesse est eam quae ex subiecto est, in subiectum motum esse solum. Tum 2. quia in tex. 10. volens probare, ad substantiam non esse motum, ait, quia substantia nihil est contrarium; idem repetit in tex. 18. & alibi asserens, motum inter contraria versari, ut in 1. Phys. 43. & 44. ait album fieri ex nigro. Tum 3. quia 1. de Gener. 31. explicans augmentationem, ait, quod augmentatio non est transmutatio ex potentia magnitudine ad actualem magnitudinem; sed est actualis magnitudinis additamentum, id est augmentatio non est transmutatio a privatione quantitatis ad quantitatem, sed a minori quantitate ad maiorem, & reddit rationem, quia potius esset generatio, quam augmentatio, ergo per Arist. motus est inter terminos positivos, mutatio vero inter privativos. Tum 4. quia successio essentialiter respicit extrema positiva, cum sit ordo inter ipsa, ergo motus successivus essentialiter respicit terminum a quo positivum, mutatio privativum; non enim potest intelligi, quomodo motus successivus dicat ordinem ad privationem formae, cum partem formae praesupponat.

52 Resp. ex dictis in expos. tex. 5. Phys. cap. 1. & 2. & ex Ant. Andr. cit. quod in tex. 7. Arist. ait, mutari esse, vel a positivo ad positivum, vel a positivo ad negativum, & e contra, & hoc dupliciter potest esse vel simpliciter, ut cum ex non lignum sit lignum, vel secundum quid, ut cum ex non albo fit album, & subjungit, quod hi duo modi dicuntur mutationes, scilicet generatio, & ineritio, vel simpliciter, vel secundum quid; nil aliud asserit in tex. 7. ex quo patet, hanc divisionem non esse generis in species, sed potius quamdam diversitatem explicandi transitum a termino a quo ad quem, quia idem motus ad albedinem reducit ad omnia membra, ut etiam ipse Averſa concedit scilicet, 12. ad 1. sequitur deinde in tex. 8. ad ostendendam differentiam inter motum, & mutationem ex duobus capitibus, ut diximus in probatione Concl. ubi nequit Arist. intelligi de mutatione a non subiecto in subiectum communi ad mutationem simpliciter, & secundum quid, ut patet, quia sic transitio ex non albo in album non esset motus, nec rationes ibi adductae hoc approbant; sed de mutatione simpliciter scilicet de generatione, & corruptione substantiali: cum subjungit in tex. 9. motum solum esse a subiecto in subiectum, loquitur de motu accidentali, & successivo, non de motu, prout a mutatione substantiali distinguitur, quomodo locutus erat tex. 8. quod patet ex diversis rationibus, quas in tex. 8. & 9. adducit, nam in 8. distinguit motum a mutatione, quia quod generatur, non est, nec est in loco, quod movetur est, & est in loco, at in tex. 9. distinguit, quia motus est inter contraria, mutatio inter contradictoria, per quam differentiam datur intelligi instantaneitatem, & successio, quia radix successio est contrarietas extremorum, quod non de motu accidentali in communi esse, hinc negatur consequentiae falsitas. Ad 5. fluxus, & tendentia ad formam, sicut & successio, si sumuntur, ut dicuntur successivum a termino a quo ad terminum ad quem sunt de essentia motus in communi, ut diximus art. 1. si vero ut dicant tendentiam ad terminum per partem post partem, tunc licet sint de essentia alicujus motus, non tamen motus, qui est passio physica, ut patet ex dictis.

ARTICULUS IV.

Ad quae praedicamenta sit motus.

55 **L**oquimur de motu etiam in communi, ut praescindit a motu proprie dicto, & a mutatione proprie sumpta explicatis art. praec. & pro intelligentia advertendum ex Sc. in 4. d. 10. q. 6. A. quod motus potest primo sumi latissime; quatenus dicit acquisitionem novam cujuslibet entitatis realis in subiecto, & in hoc sensu in omnibus reperitur praedicamentis, ut dixit Arist. 3. Phys. 3. & 12. Met. tex. 19. 1. Phys. 50. & 56. quibus in locis ait, in unoquoque praedic. reperiri unam primam contrarietatem; hinc 1. Phys. 62. dicit, ad relationem, & quando esse generationem. Secundo potest sumi magis proprie pro acquisitione per se alicujus termini; ad quam requiritur, ut terminus propria actione acquiratur, & non ad acquisitionem alterius termini praecedentis; quod potest dupliciter evenire, vel quod non praesupponat necessariam aliam acquisitionem, ut evenit in motu locali, vel quod licet praesupponat, terminus tamen de novo adveniens est propria acquisitione acquisitus, quia est per se intentus a natura, ut est in generatione substantiali, quae licet alterationem supponat, terminus tamen, s. forma substantialis est per se a natura intentus, & propria sit actione, & in hoc sensu accipitur in praesenti, quoniam igitur, an per se motus, qui ad terminum per se modo explicato terminatur, sit ad omnia praedicamenta, an vero ad quatuor tantum enumerata ab Arist. 3. Phys. 5. scilicet ad substantiam, quantitatem, qualitatem, & Ubi.

Prima opinio fuit Galeni 1. Met. c. 6. & Vallesii contr. 29. negantium motum ad quantitatem. Alii negant qualitatis extensionem esse per se motum, eo quod sit ad extensionem quantitatis. Communis tamen opinio asserit, ad quatuor praedicta praed. motum esse, ita Arist. cit. & cum eo omnes Interpretes, sed est diffusum an ad omnes species horum praedicamentorum sit motus, nam Averſa q. 26. sect. 10. sublinet motum in substantiis solum esse, ubi forma a subiecto dependens, non vero quando independenter sunt a subiecto, quod consequenter debet dicere in aliis praedicamentis, & scilicet Deus conservaret aliquam formam, & postea in subiecto induceret. Insuper videtur esse communis cum Arist. 5. Phys. 18. & 7. Phys. c. tex. 12. usque ad 20. alterationem non terminari ad omnes species qualitatis, sed tantum ad tertiam, scilicet ad qualitatem sensibiles.

56 Dicimus, motum per se esse ad substantiam, etiam quando

forma est a subiecto independentis, ad quantitatem, qualitatem, & ad omnes ipsius species, & ad ubi, non vero ad alia praedicamenta. Prima pars, quod in illis quatuor praedicamentis reperitur, potest probari. Tum quia substantialis forma habet propriam acquisitionem, nec est ens occasionatum, sed maxime a natura intentum, cum sit perfectior omni forma acquisibili; non solum quando a subiecto dependet, sed etiam cum est ab illo independentis, quia tota definitio motus potest huic receptioni novae formae independentis a subiecto adaptari, nam vere esset actus entis in potentia, quatenus in potentia, verique subiectum aliter se haberet per se nunc, quam prius, nec respectus ille educi ad id, ut ex quo educitur, est necessarius ad rationem formalem motus; hinc Doct. in 4. d. 43. q. 5. intantum inanitionem, negat esse motum, non quia anima rationalis est a corpore independentis, sed quia subiectum tempore non praecedit. Tum 2. idem patet de quantitate, augmentatio enim est per se a natura intenta, ut maximum bonum subiecti, ad hoc ut possit proprias exercere operationes, nam si ad rationem termini per se requireretur, quod acquiratur nulla praesupposita mutatione, solum ad Ubi daretur per se motus, quia motus localis est omnium primus: quae ratio non solum probat de augmentatione, verum etiam de motu locali, & de alteratione, non solum quoad intentionem qualitatis, verum etiam quoad extensionem, etenim non solum intentio, sed extensio quoque per se intenditur a natura, & propria sit acquisitione, & licet qualitas extendatur ad extensionem quantitatis, non tamen sequitur, omnino per accidens extendi, quia etiam ipsa habet partes entitativas extensas. Verum est tamen, quod si alteratio sumitur pro acquisitione qualitatis, quae ad corruptionem, & generationem disponit, aut ista comitatur, sic solum ad tertiam speciem qualitatis erit, scilicet ad passionem, & passibilem qualitatem, & in hoc sensu sumpsit Arist. alterationem 7. Phys. quamvis rationes, quibus probat non dari motum ad alias species parum concludant, & solum negatione responderit, nisi velimus dicere loqui in sententia Platonis, ut notat Doct. ex Comment. quol. 13. R. Plato enim asserbat, scire nostrum esse quoddam remanesci, & etiam in sententia Antiquorum asserentium, habitum esse de praedicamento relationis, ut refert ipse Arist. in praed. c. de ad aliquid, vide Doct. cit. ubi aliam dat expositionem. Si vero latius alteratio sumatur pro acquisitione cujuscumque qualitatis per se intentae a natura, sic ad omnes species qualitatis datur motus, ita colligitur ex Arist. 2. de An. 57. & 58. ubi docet, dari alterationem ad qualitates, & habitus animae distinctam, & alterius generis ab alteratione, quae est ad corporeas, & sensibiles qualitates, & 8. Phys. 20. & 26. admittit motum ad sensationes, & imaginationes, qui non potest nisi ad alterationem reduci, ergo si alteratio communiter sumitur, erit ad omnes species qualitatis, s. ad primam, secundam, & tertiam, nam quarta forma nempe, & figura potius sunt relationes quaedam consequentes dispositiones partium, & colorum; quare ad substantiam est motus, qui dicitur generatio, & corruptio, ad quantitatem auctio, & diminutio, ad qualitatem est alteratio.

Ad Ubi vero est motus localis, seu motus localis, hic enim est terminus intrinsecus in mobili acquisitus per motum localem, ut supra ostensum est disp. q. 3. art. 1. ubi probavimus, locum extrinsecum, seu superficiem ambientem non esse sufficientem terminum motus localis; & hic est communis omnium sentus extra Nominalium scholam, adeo ut mirum sit, quomodo Recentiores quidam negent ad praedicamentum Ubi motum proprie dictum; cum enim Ubi propria fiat actione, & propria habeat novitatem, non minus, quam forma alia quaelibet absoluta, non videtur cur terminare nequeat motum cum omni proprietate. Sed adhuc majorem nobis asserit admirationem fundamentum, quod hoc ipsum firmat assertum, inquit enim Ubi non posse terminare motum, quia Ubi intrinsecus est ipse formalissimus motus, quo mobile movetur ad superficiem ambientem. Quod certe falsissimum est, sicut enim calor formaliter loquendo non est ipsamet calefactio, sed terminus per eam acquisitus, ita nec Ubi est formaliter motus localis. sed terminus per ipsum acquisitus; videatur Doct. quol. 11. ubi de hac re agit ex professo, hoc enim adeo evidens est, ut de hoc disputare pigeat, & pudeat.

57 Secundo, quod in aliis praed. non reperitur motus, Prob. inductione, & primo de relatione, quia ista non acquiritur propria acquisitione e, nam relatio intrinsecus adveniens non insurgit, nisi prius aliquod absolutum acquiratur, & potius refutat, quam producat, neque est ens per se intentum, sed potius occasionatum. De quo patet, quia hoc praed. consistit potius in quadam extrinseca denominatione, aut in relatione mensurae, quae est rationis; ut notavimus disp. 13. q. 1. ad primum; de habitu ostenditur, nam si sumatur pro habere vestes, & similia, nisi aliud est, nisi quidam respectus non per se acquisitus, sed resultans ex approximatione vestium ad corpus, si sumatur pro habere formam aliam, jam patet, quod motus ad istum respectum nil aliud erit, quam motus ad formam primo, & per se, talis autem forma, vel est substantia, vel quantitas, vel qualitas, & sic non debet assignari motus distinctus ad habitum, quam sit ille ad formam terminatus. Ad solum Arist. non assignavit motum, quia & si vere aliquando corpus aliquod mutetur situm; iste motus est secundum partes, & est quidam motus localis partialis. Restant actio, & passio, de quibus plures rationes adducit Arist. in tex. breviter tamen ostenditur, quia isti respectus resultant ex inductione alicujus formae in subiecto ab agente, & consequenter nec propria acquiruntur acquisitione, nec

per se inveniuntur, solum enim agens intendit formam illam in subiecto. Accedit, quod si actio terminaret motum, vel passio, fierent per aliam actionem, & passionem, & sic processus in infinitum. Probat sequela, quod per se acquiritur per se etiam recipitur in subiecto virtute agentis, & consequenter per actionem, & passionem.

58 In oppositum potest argui, quod ad quantitatem, & qualitatem non sit motus, sed proprie spectat ad disp. de Aug. & Alter. in lib. de Gen. praerequirunt enim multorum cognitionem, quae in illis lib. traditur, fuit hic ista summaria cognitio; quod ad substantiam non sit motus, solum ostendit ex hoc, quod ad ipsam sit tantum mutatio, sed nos non urget, quia loquimur de motu in communi prout de ipso locutus est Arist. 3. Phys. colligitur tamen solutio quoad motum proprie dictum, quomodo de ipso egit Arist. 5. Phys. ex dictis art. praec. solum igitur potest urgeri de motu ad Ubi, non quidem probando, quod nihil per talem motum acquiratur, ut asserunt Nominales, huius enim opinionis falsitas patet ex dictis disp. 11. sed supposito, quod Ubi sit respectus locati ad locans, sic potest urgeri, quod ad tale Ubi non datur per se motus. Tum quia ad relationem non est per se motus 5. Phys. 10. Tum 2. quia ejusdem motus essent duo per se termini, quod est falsum. Prob. sequela, quia motus localis est ad locum, a quo specificatur, & denominatur, ergo si est ad Ubi, erit ad duos terminos. Tum 3. ultima sphaera localiter movetur, & tamen non acquirat aliquod Ubi; insuper motus in vacuo est motus localis, nec est ad aliquod Ubi, ergo terminus motus localis non erit in praed. Ubi, Tum 4. quia Ubi non acquiritur propria acquisitione cum enim in augmentatione acquiratur major quantitas, acquiratur consequenter amplior locus, ergo, &c.

Resp. ad 1. Arist. loqui de relatione intrinsecus adveniente. Ad 2. posse esse unius motus duos terminos; aut modo unus sit intrinsecus mobili, alter extrinsecus, locus est extrinsecus locato, quia est respectus fundatus in superficie continente, Ubi est terminus intrinsecus; denominatur vero iste motus a loco tamquam a notiori, nec per hoc est in alio praed. quia locus pro formali est in praed. Ubi. Ad 3. patet ex dictis disp. 11. & 12. quomodo ultima sphaera moveatur localiter, & quod corpus in vacuo motu localiter acquirat. Ad 4. concedimus, in illo casu non esse motum ad Ubi, quia subiectum prius non praecessit sub privatione, negamus tamen illationem universalem.

Secundo, quod datur ad alia praed. Prob. Tum quia secundum Scot. in 3. d. 1. q. 2. K. relationes extrinsecus advenientes acquiruntur per se abique eo, quod fiat mutatio secundum aliquod absolutum in altero extremorum, sed, quod per se terminat actionem agentis, per se intenditur ab agente, ergo quilibet respectus extrinsecus adveniens poterit terminare motum, talia sunt sex ultima praed. explicatur magis in speciali de Habitu, nam ille respectus unionis per se fit, & intenditur ab agente, five sit unio vestium cum vestito, five formae cum subiecto, non enim agens intendit calorem, quia si esset separatus, consequeretur suum finem, sed intendit calorem in subiecto, seu inherentiam caloris, nec intendit motum vestium sed unionem; similiter unio hypostatica secundum Scot. ibi potest motum, vel mutationem per se terminare, & tamen a nullum aliud praed. reducit, nisi ad Habitum, vel saltem ad nullum ex illis quatuor. Tum quia quaelibet relatio per se fit, quia propria actione distincta ab actionibus, quibus sunt extrema, ergo poterit per se motum terminare. Prob. consequentia; illa actio, quae v. g. fit similitudo in pariete, est nova actio, ergo habet mutationem annexam, quae in novitate consistit.

59 Respondetur, Scot. ibi non loqui universaliter de quacumque relatione extrinsecus adveniente, sed indefinite, ut patet legenti, & sufficit, quod naturaliter de Ubi verificetur per se, & aliquo modo de situ ut affinis est cum Ubi. Ad id de Habitu dicimus, quod illa unio vestium proprie non pertinet ad praed. Habitum, nisi secundum quendam modum explicandi per verbum habere, sed proprie ad praed. Ubi, quia est quaedam continentia localis, estque terminus motus approximationis; at unio formae absoluta cum subiecto vere est in illo praedicam. (unio enim formae relativae, cum sit identificata cum illa, non est in praed. distincto) & quamvis aliquando producat de novo, ut quando forma separata existit, postea inducitur in subiecto, non tamen potest dici ista unio per se acquiri, sed forma est, quae acquiritur a subiecto per se, neque unio per se intenditur, sed forma unita, ipsa enim habet rationem finis secundum propriam entitatem, unio vero est quaedam conditio formae intentae, non ratio formalis, propter quam intenditur. Ad id de unione hypostatica, quia haec est quaedam relatio ad Verbum terminata, & potest de novo cuilibet naturae advenire abique eo, quod aliud absolutum recipiat, non videtur negari, posse motum ad illam, & consequenter ad praed. Habitum, si ad illud est reducibilis, tamen hoc non est naturalis speculationis, sed supernaturalis, hinc naturaliter loquendo motus est ad quatuor tantum praedicamenta. Ad 2. concedimus, relationem propria fieri actione distincta ab actionibus, quibus sunt extrema juxta disp. 7. qu. 2. negamus tamen, per se fieri propria, & nova actione, distinctionem enim actionis habet ex se, sed novitatem habet ab extremo noviter producto, si est intrinsecus adveniens, quare per accidens habet novitatem, & consequenter mutationem annexam, quod non sic evenit in substantia, & quantitate respectu alterationis, nam si per impossibile nulla esset alteratio, neque necessitas aliqua ad ipsam, adhuc posset ex se terminare actionem propriam, & novitatem ex eo, quod non sunt entia occasionata, sed per se intentae, nec a qualitate essentialiter omnino dependentia. Dices, ergo respectus Ubi erit quid occasionatum, quia etsi non resultaret, partem agens curaret

de illo, dummodo approximationem corporum consequeretur quam tendit. Resp. idem esse approximationem intendere, ac respectum Ubi, non enim datur alius terminus realis illius realis actionis præter illum respectum, ut diximus disp. 11. ad quem consequatur, ut est in aliis respectibus.

ARTICULUS V.

An quilibet horum motuum possit fieri in instanti.

60 Quæsti sensus non est, an motus cum sua successione, & continuatione possit fieri in instanti, implicat enim, quia successio, cum dicat ordinem prioris, & posterioris, non potest esse in instanti fieri; sed an motus, qui est successivus, possit in instanti fieri, s. an terminus motus possit acquiri non solum successive, sed etiam in instanti, quod dupliciter potest evenire, ut not. Doct. 2. d. 2. q. 11. C. primo quod acquiratur per motum includentem totam realitatem, & est quando per illum motum instantaneum acquiratur totum id, quod per successivum habetur, secundo quod acquiratur per motum includentem realitatem termini motus, ut quando per motum instantaneum solum habetur id, quod terminasset, & absolvisset motum successivum, ut in motu locali terminus est ultimum Ubi, & loquimur etiam de potentia absoluta Dei. Communiter negatur, motum posse in instanti fieri, quod si esset, non diceretur motus, sed mutatio, quam opinionem Thomistæ præcipue sustinere debent, & ad omnes motus extendere saltem naturaliter, eo quod iudicantur impossibile cum D. Th. 1. p. q. 53. art. 3. mobile quiescere in toto tempore, & in instanti illius moveri, & mutari. Regentes tamen Parisenses 6. Phys. q. 1. collat. 2. docent falsam per Dei potentiam omnem motum fieri posse in instanti, eo quia tempus potest a motu separari, ut ab eo realiter distinctum.

Dicimus primo, naturaliter loquendo licet generatio vivendum instantanea sit, nutritio tamen, generatio non vivendum, augmentatio, alteratio inter contrarias qualitates, & motus localis sunt successive, non in instanti; potest etiam naturaliter dari aliqua alteratio in instanti. Concl. habet multas partes, quas non oportet omnes probare, sed ex lib. de Gen. supponere, quæ scilicet ad generationem, nutritionem, augmentatorem, & alterationem successivam spectant, pro nunc sufficit, quod cum isti motus sint inter contraria requisita ad motum, & agens creatum sit limitata virtutis, non potest statim secundum omnes partes mobilis, quibus non est æque applicatum, vincere resistentiam contrarii, sed prius secundum unam partem, quam secundum aliam; fortius enim agit in propinquiora, quam in remotiora, ex quo sequitur, alterationem inter contrarias qualitates fieri successive, & consequenter generationem inanimatorum, nutritionem, & augmentatorem, quæ alterationem consequuntur: generatio vero vivendum, quia requirit determinatum subiectum debite dispositum, & organizationem, nec in quacumque minima parte potest infundi anima, hinc in instanti completivo organizationis fit animatio, hæc omnia solum in proprio loco: probatur modo de motu locali, nam in isto reperitur sufficiens contrarietas ad successivum, sursum enim, & deorsum sunt termini motus localis inter se contrarii, habentque latitudinem quandam extensivam, & agens est finita, limitata virtutis, non potens vincere istam resistentiam, ergo, &c. ita Doct. in 2. d. 2. q. 9. N. O. & Z. accedunt rationes Arist. in tex. & ratio Scot. in 2. d. 2. q. 11. & 12. si naturaliter fieret motus localis in instanti, vel fieret per medium, vel non; si primum, ergo naturaliter idem mobile simul in pluribus locis adequatis; secundum est falsum, quia ordo præfixus a superiori agente est necessarius inferiori, ergo cum sit a Deo præfixus ordo partium universi, non poterit agens creatum absque omni ordine se movere ad quodlibet Ubi.

61 Secundo, quod fiat naturaliter aliqua alteratio in instanti est Scot. 2. dist. 2. qu. 11. contra Thomistam, quem fere omnes Recentiores sequuntur, & patet in illuminatione aeris. Resp. D. Th. aerem successive illuminari propter motum localem Solis; addit Cajet. aerem ante illuminationem non vere quiescere, quia semper acquirit novos respectus majoris, & minoris propinquitatis Solis ad ipsum, licet neque proprie moveri dicatur, quia ad relationem non est per se motus. Contra, inquit Doct. si Sol, vel aliud luminosum in instanti fieret in aere tenebroso, in eodem instanti fieret illuminatio. Nec valet dicere cum Cajet. hoc esse verum, quia fit transitus ad potentiam Dei supernaturalem. Non valet, quia actio supernaturalis non terminatur ad illuminationem, sed ad esse luminosum, vel ad locum in illo aere, illuminat o vero esset actio naturalis, sicut cum cæcus supernaturaliter illuminatur, naturaliter postea videt, tum quia si in aere tenebroso accenderetur lucerna, hæc esset productio substantialis ignis, quæ secundum ipsum est in instanti, & in instanti aer illuminaretur; tum quia visio, intellectio, & volitio in instanti eliciuntur.

In oppositum de motu locali instatur (nam contra alios motus relinquuntur ad lib. de Gener.) probando, non fieri successive; primo, quod impartibiliter acquiratur, & deperditur, non potest successive acquiri, & deperdi. Ubi est huiusmodi, ergo, &c. Major patet, quod successive acquiratur, prius secundum unam partem, quam secundum aliam sit, non totum simul. Minor prob. Ubi est circumscriptio, quæ consistit in indivisibili, ita quod quocumque addito, vel variato, variatur quoque circumscriptio; tum quia si deperderetur in tempore ita ut post instans sit aliqua pars ipsius Ubi, aut erit in eadem parte mobilis, in qua primo erat, aut in alia; si primum, ergo illa pars quiescit, quamvis totum moveatur, quod est falsum; si secundum, ergo de subiecto in subiectum migraret.

62 Resp. ex Scot. quod. 11. L. ubi ait; quod divisio in respectum provenit ex divisibilitate absoluta, in quo fundatur, vel ad quod terminatur; hinc sicut superficies loci, quam respicit Ubi, est duplex, alia adæquata, & æqualis mobili, quæ scilicet mobile ambit, & continet: alia totalis, & inadæquata, & est tota illa superficies inclusa inter terminos a quo, & ad quem, qui se habent ut loci adæquati, sic Ubi, seu præsentia mobilis ad superficiem est duplex, adæquatum, seu æquale; inadæquatum, & totale, & sicut prima superficies respectu mobilis se habet ut indivisibilis, quia non excedit, neque exceditur, ita Ubi correspondens, superficies vero altera, scilicet totalis, quia se habet ut excedens mobile, & divisibilis, est acquisibilis per partes, prius enim mobile acquirat secundum eandem partem sui prioris partem superficiem, quam posteriorem, sicut prius unam partem aeris abruptit, quam aliam, & eadem pars superficiem prius habetur a priori parte mobilis, quam a posteriori, quando utrumque ex partibus constat, sic præsentia mobilis correspondens erit etiam divisibilis, ut prius secundum unam partem istius præsentia mobile dicatur præsens, quam secundum aliam: tunc ad argumentum dicimus; minore esse veram de Ubi adæquato, de quo etiam probationes procedunt, non de totali, & sic solum sequitur, motum ad illud esse instantaneum, quod aliud non erit, nisi mutatum esse; at motus ad istud erit successivus, sicut successivus, & in tempore potest illa superficies acquiri, & pertransiri; unde dicebat Arist. quod mobile in tempore semper est in majori spatio, quia scilicet in tempore non potest esse in spatio sibi æquali, aliter non moveretur, sed in majori, non quod istud spatium, vel major locus sit quædam congeries locorum adæquatorum, quia tunc continuus ex indivisibilibus componeretur, sed est unus continuus, in quo sicut in quolibet continuo infinita loca indivisibilia continentur, quæ in quolibet instanti acquiruntur, & ex ista compositione, & divisibilitate loci materialis debemus investigare divisibilitatem, & compositionem loci pro formali quoad partes suo modo integrantes.

63 Dices, si successio Ubi provenit ex successione alicuius absoluti, ergo debet dari istud absolutum successive intrinsicum mobili, quod fit causa successus Ubi. Tum quia continuum debet habere propria indivisibilia, quibus continuatur, ut patet, at non potest intelligi, quomodo in respectu possit dari pars alteri parti per indivisibile medium unita, omnes enim respectus videntur numero distincti. Resp. ad 1. ex quo cit. negando, successivum respectus extrinsecus adveniens provenire ex successione absoluti, sed bene provenire divisionem, ex quo postea sequitur, posse esse successivum in respectu absque successione in absoluto, superficies enim non est successiva, sed permanens, at circumscriptio ex superficie proveniens potest esse successiva, quatenus potest partibiliter acquiri, cum habeat propriam novitatem. Ad 2. dicimus, dubium hoc esse commune omnibus respectibus quando enim aliqua forma producitur successive, non potest in instanti insurgere in causa relatio producentis, & in effectu relatio producti, nec est idem omnino, & indivisibilis respectus, quo causa dicitur producens omnes partes, aliter producendo primam partem diceretur actu producens secundam partem, ut arguit Doct. in 3. d. 8. probando eundem respectum non respicere plures terminos totales, neque sunt in causa plures respectus distincti omnino, & quasi divisi, quot sunt partes formæ, aliter essent numero infiniti, nec diceretur causa unica productione producere; integratur ergo ex istis respectibus partialibus unus totalis, qui ad acquisitionem illius formæ continuam, & successivam, successive, & continue insurgit in causa, & possemus dicere, quod continuatur suo modo, ita ut acquisitione partium formæ insurgant partes respectus, & ex acquisitione indivisibilium continuantium partes formæ insurgant indivisibilia continuantia partes respectus, quæ in motu dicuntur mutata esse: fatetur, rem difficilem explicatam esse; nec mirum, si enim quiddam relationis vix concipere possumus, multo minus ipsius compossibilitatem, quæ neque in rebus magis materialibus perfecte potest intelligi.

64 Secundo præter rationes adductas in explicatione tex. 6. Physic. c. 8. arguitur adhuc; Tum quia in Ubi non est contrarietas, cum non sint activa, & passiva, neque suscipit magis, & minus, ergo non potest successive acquiri. Tum 2. quod movetur, partim est in termino a quo, partim in termino ad quem; sed nihil potest esse partim sursum, partim deorsum. Tum 3. si detur motus localis; vel mobile in eo est in loco sibi æquali, vel majori; non primum, quia mobile, quandiu est in loco sibi æquali, non movetur; neque secundum, quia mobile in motu quantum acquirat spatium ex parte termini ad quem, tantum deperdit ex parte termini a quo, ergo semper spatium sibi æquali. Tum 4. quod videtur in instanti, fit in instanti, motus ab oculis videtur in instanti, quia visio fit in instanti. Tum 5. quia in quolibet instanti mobile acquirat novam relationem distantiam, ergo in quolibet instanti movetur localiter. Tum 6. D. Aug. de resurrectione ait, corpora gloriosa pari celeritate pertransire spatium, sicut radius Solis illuminat totum spatium, sed hoc fit in instanti, ergo &c.

Resp. ad 1. non requirit ad motum successivum contrarietatem strictè sumptam, sed illam explicatam art. 1. quæ est in Ubi, & ex hoc quod non suscipit magis, & minus, solum sequitur, non esse motum secundum intentionem, erit tamen secundum extensionem. Ad 2. responderi Doct. in 2. d. 2. q. 9. X. neg. in motum, quando mobile est tale, ut secundum ipsum sit etiam successio in motu, s. quod sit divi-

divisibile, nam secundum unam partem est in una loci parte, & secundum alteram in alia, imo secundum eandem est partim in termino a quo, partim in termino ad quem, quatenus est in aliquo medio, quod est aliquid utriusque, unde idem non potest esse partim sursum, partim deorsum, loquendo de Ubi adæquato, non vero de partibus, & mediis; non simul, sed in tempore. Ad 3. dicimus esse in majori loco, ad improbationem respondemus, in quolibet motu esse infinitas deperditiones, & acquisitiones syncategorematicæ, ut dictum est disp. 9. qu. 2. & sic excedit ipsum mobile. Ad 4. non quamlibet visionem fieri in instanti, nisi quando res ita se habet, quia ad visionem requiritur etiam objectum, at quando species successive deferuntur ad oculum, ut est in motu, successive etiam videtur res illa. Ad 5. distantia non fit nisi per motum, & consequenter successive, non in instanti, quamvis loquendo de termino distantia insurgat in instanti, sed talis insurgit mutatum esse, non motum. Tandem ad Aug. dicimus, quod velit solum circumscribere brevissimum illud tempus, quo Beati movebuntur, non quod vere, & proprie erit instantaneus motus.

65 Tertio, quod non detur naturaliter instantanea alteratio, arguunt Thomistæ. Tum quia nullum quiescens in aliquo tempore potest in instanti terminativo moveri, vel mutari, ergo cum omnis instantanea mutatio sit terminus motus, nequit dari naturaliter instantanea mutatio, quin adjuncta sit motui successivo. Prob. antecedens, de ratione quietis est, ut quiescens non aliter se habeat nunc, quam prius, ergo in quolibet nunc temporis mensurantis quietem quiescens eodem modo se habet tam in primo, quam in medio, & ultimo, & de ratione motus est ut mobile aliter se habeat nunc quam prius, ergo in quolibet nunc temporis mensurantis motum mobile est in alia, & alia dispositione. Tum 2. ubi adest prius, & posterius, ibi est motus successivus, non instantaneus, in qualibet mutatione intervenit prius, & posterius, quia mutari est aliter se habere nunc, quam prius 5. Phys. 6. Tum 3. omnis terminus ad quem subsequitur, inquit Cajet. aliquid fieri secundum naturam cursum, quia nihil novum repente fit, quin aliqua præcesserit via ducens ad illum terminum, ergo nihil potest in instanti acquiri.

Resp. ad 1. neg. antecedens, ad prob. ly nunc dupliciter sumi potest, vel pro indivisibili continue, aut terminante temporis partes. vel pro parte temporis illi nunc propinquiori; sive sit præterita, sive futura, unde solemus dicere, nunc Petrus venit; in definitione quietis, quæ est privatio motus successivi; non potest sumi primo modo, quia in instanti mobile nec quiescit hac quiete, nec movetur motu successivo, sed sumitur secundo modo, at in definitione mutationis ly nunc accipitur primo modo, & est sensus, mutari est rem aliter se habere nunc indivisibiliter, quam prius divisibiliter, ut diximus disp. præc. qu. 2. art. 2. ex quo neg. consequentia, in illo enim instanti mobile non quiescit quiete opposita motui successivo, nec movetur tali motu, sed mutatur, & non habet quietem huic mutationi oppositam, quod dicitur immutatum esse. Ad 2. majorem esse veram, si prius, & posterius sunt partes intrinsecæ, falsam, si unam intrinsecam, alteram extrinsecam, in proposito ly nunc est intrinsecam mutationi, prius vero extrinsecam. Ad 3. patet ex dictis d. 5. qu. 2. quomodo fieri non debeat præcedere terminum. Et certe si istæ rationes concluderent, non solum offenderent, hoc esse naturaliter verum, & gratia materiæ, ut inquit Thomistæ, sed absolute, & gratia formæ, ita ut oppositum etiam de potentia Dei implicaret fieri, nam quod est de ratione alicuius nequit ab illo separari, & quidquid responderetur ab ipsis, si istæ rationes formarentur contra casus illos, in quibus ponunt mutationem instantaneam, poterit a nobis in proposito applicari, ut satis dicitur in tract. de Angelis.

66 Dices, si possibile est alteratio instantanea, & si medium divisibile sit, cur non etiam motus localis? vel si dimensio est causa successus in motu locali, cur non etiam in illuminatione? Resp. Doct. in 2. dist. 2. q. 12. ad 2. quod quando agens est tantæ virtutis, quod respiciat totum passum tamquam terminum indivisibilem, & formalem secundum ultimum gradum, potest formam illam in instanti introducere, ut est in illuminatione, at in aliis motibus non ita evenit, qualitates enim, quæ habent contrarium, non respiciuntur ab agente ut formæ indivisibiles propter resistentiam contrarii, nec agens habet illas secundum ultimum gradum statim, sed ordinate propter eandem rationem: in motu locali dimensio mediæ est causa, cur fit successivus, quia ordo præfixus est, ut non perveniat ad extremum nisi transeundo per medium, & quia quæ potest idem simul esse in medio, & in extremo, hinc non respicitur illa spatii dimensio a virtute motiva tamquam aliquid indivisibile, ut fit in illuminatione, ex qua non sequitur illud absurdum, quia lumen secundum eandem partem non est in toto spatio, sed secundum diversas.

67 Dicimus 2. omnes motus successivi in præc. concl. numerati possunt de potentia Dei in instanti fieri, & includere totam realitatem, præter localem, qui eo casu dumtaxat includeret realitatem termini motus, etiam spectata potentia Dei. Prima pars, quod possint in instanti fieri, est Scot. in 2. d. 2. q. 11. & 12. & 3. dist. 2. q. 3. & dist. 4. §. Possit dici &c. & 4. d. 43. qu. 5. Prob. de alteratione, tota ratio successus provenit ex resistentia contrarii ad motorem non potentem statim illum superare, sed Deus potest vincere subito omnem resistentiam, & suspendere omnem actionem inter contraria, unde & qua-

Maffrii, & Belluti Tom. II. Physica.

litates in summo potest in eodem subiecto collocare, ergo &c. ex quo sequitur, generationem, nutritionem, & augmentatorem fieri posse in instanti, quia successio in istis provenit ex successione alterationis. De motu locali probatur, nam corpus Christi in opinione admittente conversionem adductum in instanti descendit sub speciebus sacramentalibus, qui est quidam motus localis, & quando in instanti fuit generatum in utero Beatæ Virg. in instanti materia requisita fuit ad locum debitum adducta, ut fere omnes Theologi sentiunt; resurrectio quoque erit in instanti, in qua potest contingere, quod materia rarior constringatur adveniente nova substantiali forma, & densio rarefiat, qui sunt motus locales, ad quos sequuntur alii motus locales aeris circumstantis; tum quia nulla apparet ratio implicantis.

68 Secundo, quod alii motus, præter localem, includant totam realitatem motus, patet, quia Deus non induceret solum in subiecto id, quod ultimo alterationem successivam terminaret, sed totam entitatem qualitatis, idem de substantia, & quantitate dicendum. Quod vero localis motus solum includeret realitatem termini motus, ex Scot. 2. dist. 2. qu. 9. Z. & qu. 12. ad 2. & in 3. d. 4. C. ubi loquens de motu locali instantaneo a Deo factio, ait, hoc esse, quia cum fit agens supremum, habet omnia media pro non mediis, & ita se habet in termino motus instantanei, ac si transisset per media, ergo de mente Scot. in motu locali instantaneo non habentur illa Ubi intermedia in mobili, sed statim fit in Ubi ultimatum, quod est moveri motu includente realitatem termini motus; clarior hoc habet quod. 7. supra M. & videtur esse contra Fuentes 6. Phys. q. 2. dist. 1. art. 2. concl. 2. Probatur, si hoc posset fieri, necessarium pro eodem numero motum instantaneum deberet corpus illud occupare medium, & finem spatii; sicut per eundem numero motum successivum occupat totum illud spatium, sed hoc est impossibile, ergo &c. Major patet ex definitione motus includentis totam realitatem, & exemplo aliorum motuum; minor prob. non potest facere Deus, quod idem corpus in eodem instanti occupet totum spatium, nisi replicatum illud toties, quoties requiritur ad totalem repletionem, v. g. decies, sed istæ replicationes non integrant vere, & proprie unum numero motum, sed tot motus sunt numero distincti, quot replicationes, ergo &c. Major patet ex communi consensu in explicando, quomodo idem possit esse simul in pluribus locis, minor prob. ad unitatem numericam motus requiritur locus numerica termini, ut in quaestione sequenti disputabimus; illa autem Ubi non faciunt unum Ubi continuum, sicut fit, quando successive per illud spatium movetur, sed potius sunt plura distincta Ubi, ergo &c. Minor patet, quia corpus replicatum non continuatur sibi ipsi, sed est contiguum, nam nequit replicari absque superficie, & consequenter sicut corpus replicatum æquivalere duobus, ita illa eadem corporis superficies se haberet, ut duo extrema, quod est esse contiguum; tum quia per motum successivum non solum decem Ubi, sed infinita syncategorematicæ acquiruntur, sicut instantia continuantia tempus sunt infinita, quæ Ubi non habentur per illas replicationes. Isti tamen transitus rectius dicuntur mutationes, quam motus, juxta dicta art. 3. concl. 2. quia motus proprie sumitur pro successivo, licet sit quæ de nomine.

69 Sed contra instatur, quod motus localis in instanti factus includat totam realitatem. Tum quia si tanta virtus movet in tanto tempore motu includente totam realitatem, ergo major virtus eodem motu movebit in minori tempore, ergo infinita in instanti movebit motu includente totam realitatem. Tum quia concedit Doct. in 2. d. 2. q. 12. C. quod possit Angelus in instanti moveri de uno ad alium locum, & simul habere omnia Ubi media ordine quodam natura, non durationis, ergo multo magis de potentia Dei poterit aliquid moveri in instanti de uno ad aliud Ubi includendo omnia intermedia, quod est moveri motu includente totam realitatem.

Resp. neg. ultimam seq. sufficit enim ut possit movere in instanti, ut dicitur in concl. & hoc propter repugnantiam adductam, non propter impotentiam infinitæ virtutis. Ad 2. Scot. ibi loquitur de Ubi medio, quod est aliquid extremorum, v. g. Ubi adæquatum est palmare, si esset quantitas bipalmaris, essent duo Ubi adæquata, inter quæ mediarent infinita Ubi palmaria communicantia, quæ essent aliquid utriusque adæquati Ubi, non vero de medio, quod nihil est extremorum, quale esset palmus aliquis non communicans, qui mediaret inter illa Ubi, inter quæ media hæc est differentia, quod primum, cum fiat per divisionem secundum partes proportionales, non actu mediat, sed potentia, secundum vero actu mediat, quia est per partes æquales, non communicantes, factique actu latera distare, & consequenter ordinat inter Ubi extrema per media ista non est ejusdem rationis, nam inter illa est ordo potentialis, inter ista actualis, ut ait ibi Doct. Ad propositum, inquit ipse, quod si Angelus moveret se ab extremo ad extremum, inter quæ esset primum medium, haberet ordine quodam naturæ ista Ubi media, non actu accipiendo illa, sed potentia, sicut nec actu mediant; at si moveretur ab extremo ad extremum per secunda media, sc. non communicantia, necessario deberet illa habere actualiter, sicut actualiter mediant, & consequenter ordine durationis, quia non potest simul plura Ubi habere; & hoc est quod ait Scot. quod habet omnia illa Ubi intermedia ordine quodam nature, inter quæ est ordo potentialis ex natura rei, sed non oportet, quod ea habeat ordine durationis; hinc non sequitur; Angelum in instanti movere se motu totam realitatem includente, sed solum realitatem termini, nam omnia illa media solum potentialiter, non actualiter habet; ita P. Vulpes disp. 19. de Angelis art. ult.

MOTUS in communi, ut diximus in principio huius quod dividitur in naturalem, violentum, & neutrum, tamquam in species accidentales, quæ divisio, & si præcipue motui accidentali conveniat, potest tamen in aliquo sensu etiam substantiali accommodari, corruptio enim dicitur violentia materiæ, & inclinatio ejus in formas aliquo modo neutra, ex dictis disp. 2. qu. 5. & disp. 6. unde potest postea motus naturalis subdividi in motum ad substantiam, quantitatem, qualitatem, & Ubi; similiter motus neuter, & violentus suo modo, & quilibet etiam subdividi juxta diversitatem essentialium motus; sed præcipue de motu locali violento solent assignari tamquam species cum Arist. 7. Phys. 10. pulsio, tractio, vectio, vertigo, seu circumvolutio; pulsio dividitur in impulsionem, & expulsionem; impulsio requirit, ut movens, seu pellens non relinquat id, quod movet, quamdiu movetur, sed illi conjungatur, vel immediate, vel mediante aliquo instrumento; expulsio est, quando expellens, seu movens relinquat mobile, dum movetur, ut projiciens lapidem; tractio est, quando movens trahit mobile ad se; vectio, quando ad motum unius movetur aliud illi adhaerens; vertigo denique, cum aliquid circumagitur.

Secundo dividi potest in rectum, & reflexum; motus rectus erit transitus a termino a quo ad terminum ad quem, reflexus est regressio per eandem viam ab eodem termino ad quem, qui in reflexione habet rationem termini a quo, ad terminum a quo priorem, qui erit terminus ad quem hujus reflexionis; & hæc divisio licet conveniat magis motui locali, potest tamen omnibus aliis motibus accommodari, maxime successivis, ita Arist. 8. Phys. 64. 65.

71 Tertia dividitur in velocem, & tardum; velox est, quo mobile brevi tempore multum spatium absolvit; tardus vero, quo multo tempore breve spatium conficit; Arist. 4. Phys. 90. & 7. Phys. 21. quæ differentia non proveniunt in motu ex majori, vel minori interpositione molarum inter partes motus, ut dicebant Antiqui, alioqui pars rotæ axi propinquior, quia tardius movetur, deberet scindi ab ea, quæ est versus circumferentiam, & velocius circumagitur, & hoc, quia illa quiescit, ista movetur; sed proveniunt ex majori, vel minori virtute motiva 2. Cæli 36. ex majori, vel minori densitate, & raritate mediæ 4. Phys. 71. ex figura mobilis magis, vel minus apta ad scindendum medium ex Arist. ibid. & ex resistentia, vel facilitate ipsius mobilis; hinc velocitas, & tarditas in motu se habent, sicut raritas, & densitas in corpore, raritas enim est, qua corpus habet parum de materia sub magna dimensione, densitas multum de materia sub parva dimensione 4. Phys. 84. ubi per dimensionem intelligitur major vel minor extensio in ordine ad locum, ut in lib. de Gener. dicitur; sicut ergo raritas, & densitas nil aliud supra eandem quantitatem addunt, nisi novos respectus ad majorem vel minorem locum, ita velocitas, & tarditas supra eundem motum addunt respectum ad majus, vel minus tempus; & ista divisio non solum motui locali, verum etiam cuilibet generationi, augmentationi, & alterationi successivæ convenit.

Quarta divisio, quæ ex præcedenti sequitur, est in motum regularem, & irregularem, seu uniformem, & difformem; primus est, qui fit semper eadem velocitate, & tarditate, secundus, qui fit modo velocius, modo tardius, ita 5. Phys. 54.

72 Et quoniam hoc, quod est, motum esse velocem, vel tardum, constituit motum in ordine ad alium motum, unde fieri potest, ut idem motus respectu diversorum sit simul tardus, & velox, sequitur, unum motum esse cum alio in velocitate, & tarditate comparabilem, de qua comparatione agit Arist. 7. Phys. a. tex. 21. usque ad finem, ideo quia de tarditate, & velocitate egimus, operæ pretium est aliquid de ista comparatione subjungere. Sciendum est igitur, quod comparatio est unius, vel duorum in aliquo tertio collatio secundum æquale, vel inæquale, magis, vel minus; dicitur unius, vel duorum, quia idem potest cum se ipso comparari secundum diversa tempora, vel dignitates, status, & similia; dicitur in aliquo tertio, quod dupliciter fieri potest, vel immediate, ut homo, & cygnus in albedine, vel immediate in duobus, & mediate in uno, ut Petrus est ita albus, sicut Sortes est niger, comparatio immediate est in albedine, & nigredine, mediate vero in intentione; ex quo elicitur istud tertium debere esse univocum, nam æquivocum non est aliquid unum participatum a pluribus, quod requiritur ad comparationem, sed est immediate plura in multis; an vero debeat esse non solum univocum, verum etiam species specialissima, dubium est inter Doctores. Arist. in-textu videtur asserere, debere esse in specie a thoma, attamen possumus dicere, comparationem stricte sumptam debere fieri in aliqua specie ultima, at non per hoc debet negari, posse fieri in genere comparationem aliquam saltem large sumptam, & non ita proprie, solum enim dicere, calidum esse majoris activitatis, quam sicum, & tamen activitas caloris specie differt ab activitate sicci, & multæ aliæ comparationes similes sunt, quæ eo magis improprie erunt, quo tertium illud erit universalius & remotius a specie specialissima. Et ratio est, quia sub genere, ut inquit Arist. multæ latent æquivocationes propter differentias specificas, quarum una semper est altera perfectior; Arist. vero de prima solum est locutus; & istæ sunt regulæ commu-

nes a Philosopho assignatæ, deinde adfunt alia regulæ, quibus motus in particulari comparari possunt, supponendo prius, quod in quolibet motu quatuor reperiuntur, movens, mobile, tempus, & spatium, seu latitudo formæ; quas regulas assignavimus in exposit. tex. lib. 7. Physic. cap. 3. in fine, & quia nulla occurrit difficultas alicujus momenti, vide ibi, nec eadem bis repetamus.

QUESTIO VII.

De Proprietatibus Motus.

DUÆ præcipue sunt motus proprietates, unitas, & contrarietas, & quidem de contrarietate pauca dicemus, quia nullum diffidium est apud Doctores unitas vero est triplex, generica, specifica, & numerica, quas unitates certum est ab intrinseco sumi ex propria ratione formali motus, sed quia rationem istam formalem motus non cognoscimus, nisi argutive, & per extrinsecam, ut fit in qualibet relatione, ideo querendum est, unde tales unitates sumantur; quinque autem sunt, quæ ad motum concurrunt, scilicet terminus a quo, sive per se, ut privatio, sive concomitans, ut forma positiva corrumpenda, terminus ad quem mobile, agens, & tempus; fatentur omnes, unitatem genericam vel specificam a tempore non desumi, quia in eodem tempore possunt fieri motus speciei, & genere diversi, sicut idem motus genere, vel specie in diversis temporibus. Insuper si loquamur de unitate generica, qua motus naturalis, & Physicus a motu supernaturali distinguitur, sic a subiecto desumi debet, quia ut diximus q. 1. motus in sua universalissima ratione dividitur in successivum termini ad quem facta in subiecto, & in successivum termini ad quem post terminum a quo sine subiecto, quare subiectum erit, quod facit motum Physicum differre a creatione in ratione mutationis acceptæ, ut scilicet dicit respectum ad non esse immediate præcedens; idem quoque asserendum de unitate generica, qua motus ut passio corporis naturalis, & proprie dictus differt a mutatione proprie dicta, ut dictum est quæst. præc. art. 3. ubi non solum penes terminos distinctionem illorum assignavimus, verum etiam penes subiecta cum Arist. 5. Phys. 8. dubium ergo est de aliis: nam qui tenent, motum a mutatione distingui, eo quia ille est inter terminos positivos, ista vero inter terminos privative oppositos, consequenter coguntur asserere, unitatem genericam motus proprie dicti a termino a quo positivo desumi; quod multi extendunt ad omnem motum, & mutationem, videlicet unitatem genericam, & specificam a termino a quo, & a termino ad quem accipi: citantur pro hac sententia Sampson 5. Phys. qu. 6. Burleus qu. 2. Mureia disp. 2. qu. 1. c. 2. Morif. disp. 7. Phys. qu. 6. Aversa vero qu. 26. sect. 12. addit, non solum unitatem specificam a termino a quo, & ad quem, sed etiam a subiecto, & ab agente desumi, ita ut variatio speciei cujuslibet, secundum ipsum variat specificum motum; at Fuentes 5. Phys. qu. 1. n. 4. asserit, motum pro fluxu formæ a nullo termino specificari. De unitate numerica loquitur Arist. 5. Phys. a. tex. 34. ad quam asserit requiri unitatem numericam mobilis, termini ad quem, & temporis, sed postea 8. Phys. 49. 82. & seq. adjungit unitatem numericam motoris, ita ut quocumque istorum variato, variari quoque unitatem numericam motus fit necesse, quod dictum de motore præcipue asseritur a Masio 5. Phys. sect. 2. q. 1. & ab omnibus illis defendi debet, qui motum ab actione nullo modo ex natura rei distinguunt.

ARTICULUS I.

Offenditur, a quo unitas motus generica, & specifica sumatur.

DICIMUS, neque ab agente neque a termino a quo, sive positivo, sive privativo per se desumi unitatem motus genericam, & specificam, neque istam a subiecto, licet generica sumatur, sed utramque per se a termino ad quem esse accipiendam, Concl. est Scoti 1. d. 2. q. 7. T. & d. 13. A. Q. & 3. d. 14. qu. 1. E. & 4. d. 43. qu. 1. D. quibus in locis docet, motum a termino ad quem specificari, estque fere communis, & prob. 1. quod ab agente non specificatur est Arist. 5. Phys. 31. & deinceps, ubi loquens de motus specificatione, non assignat motorem, tum quia eadem forma specifica potest a diversis agentibus specie produci, ergo & eadem mutatio, quia magis forma dependet ab agente, quam mutatio; tum quia motus ex se non respicit agens, neque agens est extremum relationis per motum importatæ ex dictis q. 1. ergo nequit ab agente specificari.

Secundo, quod non specificatur a termino a quo, neque unitatem genericam accipiat ab illo, patet ex dictis qu. præc. art. 1. & 3. & prob. adhuc: Tum quia non desumit suam unitatem a termino a quo negativo, & per se, quia quod non est, non potest ens reale specificare, & unitatem realem tribuere; tum etiam quia iste terminus a quo evanescit in motu, nec per se intenditur a natura, specificatio autem, & unitas sumitur ab eo, quod maneat in motu, & per se intenditur a natura. Neque a termino positivo & concomitanti: tum quia Arist. 5. Phys. 48. negat motum a termino a quo denominari, sed a termino ad quem. Tum quia quando subiectum transit a contrario in contrarium, negari nequit, & unitas sumitur ab eo, quod deperditiva, acquisitiva altera: querimus igitur, an motus iste, qui distinctus genere ponitur ab istis mutationibus per hoc, quod est inter terminos positivos, est quid integratum ex illis duabus mutationibus, vel omnino distinctus; si primum, ergo est ens per accidens, quia includeret in suo conceptu formali mutationem privativam, & mutationem positivam, quæ sunt specie omnino distinctæ; si secundum, ergo eadem forma simul acquiratur duobus motibus specie distinctis, scilicet motu isto, &

mutatione acquisitiva, quod est falsum, quia sicut unica actio sufficit ad unicum formam, ita unicus motus; imo quodlibet mobile non solum istis tribus motibus assignatur moveretur, cum a contrario in contrarium transit, verum etiam aliis duobus, videlicet ab intentione nigredinis ad remissionem ejusdem, & a remissione albedinis ad intentionem ejusdem, & sic quinque motibus simul moveretur, quod est entia multiplicare sine necessitate. Tum quia per Aversam terminus a quo non dat unitatem specificam motui, quæ a termino ad quem desumitur, sed genericam, ergo idem terminus ad quem duas unitates specificas tribuere; Probat, quia motus ab albo in nigrum accipit unitatem genericam ab albo, & specificam a nigro; motus a non nigro: in nigrum a termino a quo privativo accipit unitatem genericam, a nigro unitatem specificam, quæ esset distincta ab unitate specificæ motus ab albo in nigrum, sicut diversa sunt genera, sub quibus continentur, ergo duæ unitates specificæ distinctæ ab eadem nigredine provenirent, contra Arist. 5. Phys. 31. dicentem omnis igitur dealbatio omni dealbationi idem secundum speciem erit, & omnis denigratio denigratio.

75 Nec valet, quod ajunt, nigredinem sumi posse dupliciter, vel materialiter, seu secundum propriam entitatem, vel formaliter, ut terminus motus: hoc modo, non illo specificat motum, & quia ut terminus nata est terminare motum, vel a contrario positum, vel a privatione, ideo duplex formalitas termini in illo reperitur, secundum quas duos motus specie distinctos potest specificare. Non valet quia id est ratio formalis terminandi motum in nigredine, quod est ratio, cur appetatur a natura, & intendatur, & qua subiectum perficitur, unde rationem finis habet, sed talis non est respectus, & ordo, quem forma dicit ad terminum a quo, sed entitas ipsius, ut patet, ergo secundum istam formaliter terminat: & cum hæc sit ratio tantum, non nisi unam specificam unitatem tribuere potest. Tum quia termini motus sunt impossibiles ex 5. Phys. 26. sed terminus positivus a quo, puta albo remissa stat cum termino ad quem, scilicet cum albedine intensa, ergo terminus positivus non erit per se terminus motus, & ideo non poterit ab ipso motus desumere aliquam vel unitatem, quia non specificatur motus per se ab eo, quod per accidens se habet ad motum. Dices, albedinem ut remissam, quomodo est terminus, æque esse impossibilem cum albedine intensa. Contra albedo ut remissa dicitur entitatem illam albedinis, & carentiam albedinis intensæ, secundum primum manet, non secundum privationem, ergo secundum privationem annexam est per se terminus a quo motus, non secundum entitatem positivam; ergo secundum hanc entitatem non dat motui unitatem.

76 Tertio, quod a subiecto, quamvis unitatem genericam motus physici desumatur, non tamen specificam per se, & essentialiter. Prob. ex Arist. sæpe cit. tex. 31. ubi nullam fecit mentionem de subiecto, sed omnem dealbationem esse ejusdem specie dterminavit: quo loco non de unitate specifica subalterna loquitur, ut falso exponit Aversa, sed de unitate specifica specialissima, & a thoma, quam intendebat explicare Arist. ait enim: Specie autem unus est cum genere sit unus. & in individua specie fit, deinde subjungit exemplum dealbationis, & denigrationis. Tum quia idem calor specie erit, sive in aqua, sive in ligno inducatur, ergo eadem educitio, & motus specie essentiali erit, quia immediatus subiectum concurrat ad formam, quam ad motum, nam illam respicit secundum esse ipsius formæ, istum vero, quatenus ad respectum informatum esse concurrat, qui est materiale motus, ex dictis q. 1. Tum quia esse calidum ut novum est ejusdem speciei in omnibus subiectis, quia est effectus formalis caloris, & ab una causa formali est unicus effectus formalis, ergo motus a subiecto non specificatur, quia novitas solum addit respectum ad non esse præcedens, quod semper est ejusdem rationis, sicut esse de novo acquisitum est ejusdem rationis in quocumque subiecto.

77 Tandem quod a solo termino ad quem per se specificatur, patet ex sufficienti divisione, & ex Arist. sæpe cit. Tum quia terminus ad quem est per se inrensus in motu, & ad ipsum motum ordinatur, se habet ut finis, unde a termino ad quem denominatur, ut a calore calefactio, a sanitate sanatio, &c. A termino ad quem accipit perfectionem, ut generatio est alteratio perfectior; quia forma substantialis est perfectior qualitate: quod totum est etiam verum de motu formaliter sumpto, & pro fluxu formæ, nam calefactio proprie non dicitur calore, sed fluxum seu acquisitionem caloris, alioquin non recte diceretur motum pro materiali specificari a termino ad quem, quia ut sic solum dicit formam acquisibilem, & sensus esset, quod a seipsa specificaretur; & in hoc sensu quoque locutus est Scot. loc. cit. ex quo patet falsitas opinionis Fuentes negantis motum, pro fluxu ab aliquo termino specificari. Addit tamen Doct. in 1. d. 2. q. 7. T. quod quamvis ex distinctione specifica terminorum semper inferatur specifica distinctio motuum, non tamen ex distinctione specifica motuum, semper inferri potest distinctio specifica terminorum, nisi quando alia duæ propositiones verificantur, prima est, motuum differentium specie sunt fluxus differentes specie, vel forme, secundum quas sunt fluxus, differunt specie, secunda est forma fluens, vel forma secundum quam est fluxus, est ejusdem rationis cum forma terminante; ubi autem altera istarum est falsa, propositio illa, quod mutuum specie differentium sunt termini specie diversi, est falsa; quomodo autem hoc intelligatur, patebit ex solutione argumentorum.

In oppositum arguitur, quod ab agente specificatur motus, tum quia 3. Phys. 23. motor ponitur in definitione motus, ergo ab ipso debet specificari. Tum 2. quia generatio univoca, & æquivoca solum penes agentia differunt, & tamen specie distinguuntur ex Scot. 4. d. 43. q. 1. D. idem dicendum de generatione hominis, & resurrectione

ne, & de aliis motibus supernaturalibus, & naturalibus respectu ejusdem termini comparatis. Tum 3. quod etiam a subiecto specificatur, & a termino a quo; Probat, quia motus hæc tria essentialiter includit, scilicet terminum a quo, terminum ad quem, & subiectum, ergo ab his tribus specificatur. Tum 4. ad idem, quia naturale, & violentum sunt contraria 1. Cæli 10. quæ specie differunt 2. Phys. 64. ergo motus naturalis, & violentus specie differunt, sed naturalitas, & violentia sumuntur in ordine ad subiectum, ergo, &c.

78 Resp. ad 1. ex dictis q. 1. contra Hurt. & q. 2. sustinentem, motum formaliter esse actionem (ubi etiam alia argumenta fuerunt soluta, quæ possent ad propositum adduci) quod ibi Arist. solum enumeravit, quæ necessario ad motum concurrunt, non quæ ipsum specificant. Ad 2. dicimus quod si generatio univoca sumitur pro toto progressu, quo productum generatur complete, specie differt ab æquivoca, si eodem modo sumatur, quia diversi sunt termini inducti ab illis agentibus in materia, dum illam disponunt, & sic forma fluens non est ejusdem rationis cum forma terminante, ut dicebat Doct. cit. nam forma fluens est forma prius inducta ad dispositionem materia, non enim eodem modo in principio disponitur materia muris producti ex putri, & materia muris ex semine generari, at si generationes univoca, & æquivoca sumuntur pro introductione ultimæ formæ, erunt ejusdem speciei, sumendo illas in ratione mutationis, & solum per connotationes diversorum agentium differunt, idem quoque dicendum de resurrectione, & generatione hominis, & de aliis motibus, differunt enim extrinsece, non intrinsece; vel sumuntur generationes in ratione productionis, non in ratione mutationis, ex quibus patet, quomodo intelligendus est Doct. cit. dum generationes istas specie distinguunt asserit. Ad 3. negamus conseq. non enim quodlibet specificatur ab omni eo, quod in suo conceptu essentiali ingreditur, sed ab eo dumtaxat, quod se habet ut determinans; sicut materia, quam vis sit de conceptus hominis, non tamen specificat illum, sed solum forma; modo subiectum est nimis commune, & potest recipere plurimos motus specie, vel numero distinctos, & etiam genere, ideoque unitas generica potest aliquo modo ab ipso desumi, non specificari, terminus vero a quo nequit specificare, quia est non ens, & concurrat recedendo, ut diximus; adde, quod privationes specificantur a formis, quibus opponuntur, & consequenter tota specificatio ad ipsam formam reducitur. Ad 4. verum est consequens reduplicative, non vero simpliciter considerando in se motus illos, naturalitas enim, & violentia accidunt motui, sicut rectum, & circulare quantitati.

79 Secundo, quod a termino a quo positivo specificatur, præter rationes superius adductas, q. præc. art. 2. & 5. Probat adhuc: tum quia ex 5. Phys. 4. & 48. habetur, quod motus magis denominatur a termino ad quem, quam a termino a quo. Supponit igitur Arist. ab utroque simpliciter denominari, & specificari, licet minus principaliter a termino a quo. Tum 2. quia ex 7. Phys. 5. unus specie motus est, qui ex eodem specie termino in eandem specie terminum tendit. Tum 3. quia motus aeris fursum ad superficiem ignis a terra, & motus ejusdem a concavo Lunæ ad eandem superficiem differunt specie, sicut motus rectus, & circularis ad idem ubi terminatus, ut cum Ar. 7. Phys. 21. docet Scot. in 3. d. 14. q. 1. E. & 4. d. 43. q. 1. D. ex ista enim differentia Ar. 1. Cæli a. tex. 5. usque ad 15. colligit numerum corporum simplicium & concludit præter quatuor elementa, corpus quoque cælestis admitti debere, quod circulariter moveatur; sed omnes isti motus penes terminos a quibus differunt; vel penes media, quæ in ordine ad terminos ad quos se habent ut termini a quibus, &c. Tum 4. motus a nigro in album per viride specie distinguuntur a motu a nigro in album per rubeum, & tamen non nisi in mediis differunt, quæ respectu albedinis se habent ut termini a quibus ut diximus: item motus a quantitate tripalmari ad bipalmarem, & a palmari ad bipalmarem specie differunt, quia una est auctio, altera diminutio.

Resp. ad 1. y magis sumere Ar. pro simpliciter, scilicet denomi. natur motus a termino ad quem simpliciter, nullo modo a termino a quo, ut patet ex adductis exemplis in tex. 48. de sanatione, & ægrotatione, quæ nullo pacto a terminis, a quibus denominantur. Ad 2. sicut quemlibet motum aquitivum unius contrarii comitari deperditivus alterius, sic ad unitatem specificam motus acquisitivi concomitantur se habet unitas specifica termini a quo positivi, non per se: hinc solum ait Ar. motum eundem specie esse, qui ab eodem specie termino a quo ad eundem specie terminum ad quem tendit, non tamen e converso, si est a diverso specie termino ad eundem specie terminum motum specie differre, alioqui sibi contradiceret 5. Phys. 31. Ad 3. dicimus, omnes motus locales esse ejusdem speciei essentialis, quia omnia ubi sunt ejusdem rationis, ut docet Doct. 1. d. 2. q. 7. D. & solum accidentaliter differunt propter differentias positionum universi, similiter sicut esse rectum, & circulare accidunt lineæ, ita etiam motui, ut etiam explicamus in lib. de Cælo; ex quo sequitur solum accidentaliter motum a termino a quo specificari: Ar. autem loquitur reduplicative, ut scilicet illa ubi cum illis differentibus accidentalibus considerantur, ut exponit Doct. cit. & ut sic specie differunt, sicut homo albus, & homo niger reduplicative, differunt specie, sunt contrarii, & impossibiles; & in hoc sensu recte concluditur numerus simplicium corporum, quia loquitur de illis corporibus, quatenus habent diversas aptitudines ex propria natura ad unum locum, non ad alium; tum quia non est ratio demonstrativa.

80 Ad 4. sustinendo, medios colores esse specie ab extremis, & inter se diversos, dicimus, non esse eundem specie motum a nigro in album per rubeum, & per viride, si motus illi a nigro ad rubeum, & rubeo in album sumantur, ut unum motu aliquo modo integrant propter unitatem termini ad quem ultimam, non quatenus tantummodo ad albedinem ambo terminantur, & hoc quia forma fluens

non est ejusdem rationis cum forma terminante, ut de generatione unica, & æquivoca diximus; revera tamen sunt plures motus, quam duo, nam est motus a nigro in rubeum, & motus a nigro in viride; qui specie differunt, deinde motus a viridi in album, & e rubeo in album, qui solum numero discrepant: quæ doctrina sumitur ex Scot. in i. cit. & sequitur Ruvius in hac q. unde non recte respondet præc. confirmationi concedendo, motus illos locales rubeum, & circulares specie differre, non propter terminos a quibus, sed propter terminos ad quos formales; idem enim ubi, inquit, est quasi diversum a se ipso, quatenus respicit ubi fursum, & ubi deorsum, aut motum circulare, & rectum: non recte respondet, quia possit quoque dici eandem albedinem differre formaliter a se ipsa, quatenus respicit viriditatem, & rubeum. Ad illud de auctione, & diminutione concedimus specie differre, negamus tamen habere pro termino per se eandem quantitatem bipalmarem, nam auctio per se ad illam terminatur, cum sit motus acquisitivus, diminutio vero per se ad carentiam quantitatis majoris, concomitanter ab bipalmarem, quia est motus deperditivus.

Tertio, Objicies, quod specificetur a subiecto, quia motus, quo movetur unum subiectum, v. g. homo, dicit essentialiter ordinem ad ipsum, nec de potentia Dei potest esse motus alterius subiecti v. g. equi, aut motus equi motus hominis, etiam si terminos haberent ejusdem rationis, scilicet calorem, vel frigus, ergo eorum motuum specifica distinctio sufficienter colligitur ex diversitate specifica subiectorum abiq; recursum ad terminos; unde licet sit idem specie calor in aqua vel ligno inductus, non tamen hinc recte inferitur ejusdem specie motum, quia motus dicit essentialiter ordinem ad subiectum, sic ut in alio esse nequeat, quem ordinem non dicit calor.

Resp. neg. conseq. quia etiam motus, quo Petrus calefit, dicit essentialiter ordinem ad ipsum, nec potest idem numero convenire Paulo, & tamen rite non inferitur inde diversitas specifica in motibus illis: tum quia si motus specificari potest a subiecto abiq; recursum ad terminum; sicut ex diversitate specifica subiectorum deducitur diversitas motuum, sic etiam aliquando ex tinitate subiecti deduci potest unitas motuum, & sic motus contrarii in eodem subiecto facti simul, vel successive unus post alterum dicerentur ejusdem specie; sicut ergo unitas, vel distinctio specifica motuum non attenditur a tempore, quia in eodem tempore fieri possunt motus specie diversi, & in diversis temporibus idem specie motus, ita pari ratione non obstante ordine illo essentiali motus ad subiectum, unitas, vel distinctio specifica motuum non debet penes ipsum attendi, quia in eodem subiecto possunt motus specie diversi exerceri, & idem specie motus in diversis subiectis, quare concludimus diversitatem specificam subiectorum materialiter se habere ad motum.

ARTICULUS II.

Explicatur, unde unitas numerica, & contrarietas motus desumantur.
 Quoad primam partem art. not. ut ex Scot. 4. d. 10. q. 3. ad 4. & d. 43. q. 1. D. colligi potest, quod unitas numerica motus est duplex, alia est unitas identitatis ad seipsum, alia est unitas continuitatis; prima, quæ ab aliis intrinseca, & metaphysica appellatur, a propria hæcitate, & individuali differentia habetur, & adest in motu, & in qualibet parte motus independentem a parte quacunq; subsequenti, secunda habetur in ordine ad aliam partem motus subsequentem, cui continuatur, & unitur sicut in quolibet continuo hæc duplex unitas reperitur, nam gradus primus caloris v. g. dicitur unus numero, & si cum secundo minime unitur loquendo de prima unitate, quia propria differentia est independentens a differentia secundi gradus, non tamen potest dici unus numero calor, idest unum continuum, & integrale quoddam cum secundo, nisi in ordine ad ipsum, cui unitur, & continuari debet; sed pro majori hujus unitatis continuitatis dilucidatione.

Advertendi sunt etiam hi termini scilicet *esse simul*, *consequenter se habere*, *esse continua*, & *esse continua* ab Ar. 5. Phys. a. tex. 21. de clarati, ut vidimus in expositione textus, illa dicuntur *simul esse* prout ad motum esse simul spectat, quæ eidem tempori coexistunt, ut motus duorum deambulantium eodem tempore; illa se habent *consequenter*, seu *deinceps*, inter quæ nil mediat ejusdem rationis, sic duo motus ejusdem specie, quorum unus post quietem alteri succedit, consequenter se habere dicuntur, illa dicuntur *contigua*: quorum extrema sunt simul, & carent quocumque medio, sive ejusdem, sive diversæ rationis, ut si in eodem instanti esset ultimum mutatum esse deambulationis, & primum mutatum esse calefactionis, quod posse dari diximus disp. præc. q. 2. art. 1. isti motus dicerentur contigua illa *continua* dicuntur, quorum extrema sunt unum, ut partes lineæ puncto continuate, quod dupliciter evenire potest, primo quod unum tantum sit extremum utriusque partis, sive sit utriusq; proprium, sive non; & in hoc sensu etiam quæ specie differunt, continuari possunt, ut de formis contrariis diximus disp. 9. q. 2. art. 5. ad 4. sic etiam duo motus contrarii possent continuari, v. g. incipient duo agentia contraria in diversis partibus subiecti agere, itaur in aliquo instanti perveniant ad unum indivisibile subiecti, in quo fortius agens introducat indivisibile formæ ab ipso productæ, & consequenter impediatur contrarium, ne indivisibile oppositum inducat, sit quoq; tantæ activitatis istud agens, ut in tempore sequenti inducat propriam formam in alteram subiecti partem corruptendo oppositam, tunc ista pars subiecti moveretur motu contrario priori, & tamen isti motus non se haberent simul, quia sunt in diversis temporibus, non consequenter, quia nihil mediat alterius rationis, non essent contigua, quia non haberent duo extrema, scilicet duo mutata esse, nam agens debilius non potuit indivisibile suæ formæ illo instanti producere, ergo continui erunt, quia uniticus est terminus, cui copulantur, scilicet mutatum esse indivisibile a fortiori producti. Secundo modo aliquid potest dici continuum, quia partes uni communi termino copulantur, qui est pro-

prius, & connaturalis utrique, & hoc modo solum quæ ejusdem sunt speciei, continuari possunt; & quæ primo modo se habent, possunt etiam ad consequenter se habentia reduci, quatenus inter illa nihil mediat ejusdem rationis, vel ad contigua, quatenus non habent unum commune extremum proprium, & connaturale: & in hoc sensu intelligendus est Arif. 5. Phys. 39. & seq. quando negavit, specie diversa continuari posse, licet rationes, quibus idem conatur offendere 8. Phys. a. tex. 62. parum urgeant, ut dicimus in lib. de Cælo. His præceptis.

82 Dicemus 1. quod unitas numerica entitativa, intrinseca, seu metaphysica motus, quamvis intrinsece proveniat a propria hæcitate, extrinsece tamen dignoscitur, & sumitur ab unitate numerica mobilis, & termini ad quem, non vero temporis vel motoris, ita Doct. 4. dist. 43. q. 1. ad ult. & q. 3. M. & 2. d. 20. q. 2. etiq; fere communis, & prob. nam in primis requiritur unitas numeralis mobilis, quia accidens non migrat de subiecto in subiectum, nec potest in duobus subiectis simul reperiri: requiritur quoq; unitas termini ad quem, nam iste est principalis in motu, a quo specificatur, ergo si unitas numerica mobilis, quod non pertinet ad specificationem, requiritur ad unitatem numericam motus, multo magis unitas numerica termini ad quem; tum quia unitas numerica extremorum concurrat ad unitatem numericam respectus, sed respectus motus respicit aliquo modo subiectum, & terminum ad quem, ergo &c. Ex quo sequitur etiam adeste unitatem termini a quo, quia unitas formæ unica est privato. Quod vero non requiritur unitas temporis, habetur ex Ar. 5. Phys. 36. ubi ait, quod si esset idem mobile, & eadem rediret sanitas, rediret quoq; eadem mutatio quamvis in alio tempore, & ratio est manifesta, quia motus nullam dependentiam dicit ad tempus extrinsecum, ut innuimus disp. 13. q. 4. & fusius dicimus in lib. de Gen. & de Cælo. Quod tandem non requiritur unitas motoris numerica; Prob. quia motus non est idem cum actione, ut diximus q. 2. & essentialiter solum a subiecto, & termino ad quem dependet, ergo quamvis varietur agens, variabitur quoque actio, quæ ab ipso dependet, non tamen motus; tum quia unitas numerica motoris, & agentis non requiritur ad unitatem numericam effectus, ut ostensum est disp. 8. q. 3. art. 1. & tamen effectus ab agente dependet, ergo multo minus ad unitatem motus.

83 Dicimus ad 2. ad unitatem continuativam motus requiri unitatem continuativam mobilis, termini ad quem, & temporis, non autem motoris, ita Doct. cit. quem fere omnes sequuntur, & prob. ad hoc ut motus dicatur continuus, requiritur, quod partes ipsius uni mutato esse copulativo copulentur, & uniantur, ergo forma, quæ per motum acquiritur, debet habere partes uni indivisibili copulatas, quod est esse continuum. Consequenter probat. quia sicut partes formæ acquiruntur per partes motus, ita indivisibilia permutata esse, ergo si est unum mutatum esse, unum indivisibile erit in forma, quia per unum mutatum esse non possunt duo indivisibilia acquiri. Ex quo etiam probatur unitatem continuativam mobilis requiri, quia nequit forma continua in subiecto non continuo introduci; nam si non est continuum, habebit duo extrema, & indivisibilia terminativa simul contigua, in quibus necessario erunt duo indivisibilia formæ, nequit enim esse idem indivisibile formæ in duobus indivisibilibus subiectis. Unitas vero continuativa temporis non requiritur, ut aliquid necessario requisitum, nam si tempus non esset, adhuc posset dari motus, ut suo loco dicemus, sed requiritur tantum ut signum unitatis motus, nam si tempus, cui coexistit unus motus, non est continuum tempori, cui alter motus coexistit, sed aliud tempus inter ista mediat, signum est, quod illi motus non sunt continui, quia motus est ens successivum, & in continuo fluxu, ergo non potest unus motus continuari motui precedenti, inter quos intermediat quies, quia primus non est. Tandem de unitate motoris, quod non sit necessaria, patet ex præc. concl. tum quia lapis deorum continue velocius, & velocius movetur, quæ major velocitas provenit a novo aere succedente, & novo impetu acquisito esse ipsa gravitate, ut dicitur in lib. de Cælo, & quando aliqua tota movetur si in actuali motu ab alio agente moveretur, abiq; interruptione fere ille motus, & continue; tum quia ex variatione agentis non discontinuatur forma, quæ acquiritur, nec habet plura indivisibilia, sed eadem est, & continua, ergo neque motus esset discontinuus.

84 In contrarium urgebis contra unitatem mobilis; Tum quia ex 5. Phys. 23. habetur, quod motus primæ cordæ, & ultima in unico tempore est continuus, tamen diversæ sunt cordæ, quæ moventur. Tum 2. quia si canis vivus e turri deiciatur, & in medio moriatur, est idem motus, non tamen idem mobile, quod argumentum sit etiam de virga partim viridi, & partim sicca, & de gutta aquæ, quæ in medio congeletur. Tum 3. quia motus progressivus animalis est unus, non tamen mobile est unum, quia dum unum pedem movet, alium figit. Tum 4. contra unitatem temporis, quia tempus semper est continuum, ergo semper habebit ab illo continuitatem; immo secundum Scot. 4. d. 43. q. 3. etiam naturaliter potest idem motus redire, ergo neque, ut signum requiritur. Tum 5. contra unitatem termini, quia potest esse idem motus continuus, per quem acquirantur termini specie distincti, ut diximus in not. ergo non requiritur unitas termini, patet consequentia, quia unum numero infert unum specie, & genere. Tum 6. quod requiritur unitas motoris est Arif. 8. Phys. 49. & 82. ubi ex unitate, & continuitate motus primi mobilis infert unitatem primi motoris addens, motum lapidis proiecti non esse continuum, cum fiat ex impulsu novi, & novi aeris.

Resp. ad 1. Ar. ibi loqui de motu manus pulsantis, non de motu chordarum. Ad 2. dicimus, in motu canis, & virgæ esse idem mobile, quia eadem forma corporeitatis, quæ est subiectum motus; aqua

aqua vero congelata non differt specie secundum communem opinionem: & si differt, solum sequitur, alium esse motum secundum unitatem entitativam, non vero continuativam, quia in tota congelatione semper servatur continuus mobilis, nam licet nova quantitas adveniat cum nova substantiali forma, tamen unum continuum facit cum quantitate formæ quæ corruptendæ, & hoc sufficit. Ad 3. dicimus; motum progressivum animalis non esse proprie unum motum continuum, sed ex multis motibus, & quietibus compositi. Ad 4. resp. unitatem continuativam temporis non debere attendi penes durationem, & existentiam, sed penes mensurationem, itaur debeat continue mensurare modo explicato disp. 13. q. 4. art. 2. & si cessat a ratione mensuræ propter carentiam, & interruptionem motus, est signum diversitatis numerice motus: quando autem idem numero motus produceretur discontinuitas mensurationis temporis; & si non esset signum diversitatis numerice motus, erit saltem signum interruptionis, & novæ reditionis motus, & hoc sufficit: non enim requiritur tempus, ut quid necessario requisitum, a quo essentialiter motus dependeat a priori, sed solum a posteriori. Ad 5. sicut ille motus unus esset unitate numerice continuativa, sed duplex unitate numerice entitativa, ita terminus acquisitus erit unus unitate continuativa, & multiplex unitate entitativa. Ad ultimum dicimus, Ar. non loqui de quacunq; continuitate motus, sed regulari necessaria, & perpetua, ad quam videretur necessario requiri unitas primi motoris, nam si essent plures quia forent æqualis virtutis, posset unus in unam partem, alter in alteram partem movere, & hac unitate non est unus motus lapidis violentus, quia modo velocior, modo tardior; & quia ratio illa est solum probabilis, non demonstrativa, consequenter non necessario ad unitatem numericam motus, de qua loquimur, requiritur unitas numerica motoris, hinc 5. Phys. 7. ubi ex professo tradidit, quæ necessario requiruntur, nulla de motoris unitate fecit mentionem.

85 Quoad 2. partem art. breviter sciendum, quod oppositiones, & contrarietates motus alia ipsi conveniunt secundum se, alia vero secundum accidens, primæ sunt tres, una est inter motum, & immobilitatem, altera inter motum, & motum, tertia inter motum, & quietem: oppositiones secundi generis possent esse plures juxta divisiones accidentales in præc. q. assignatas, in præsentia solum de oppositionibus primi generis aliqua dicemus.

De oppositione motus cum immobilitate est not. differentiam esse inter immobilitatem, & quietem; quies enim dicit privationem motus, & consequenter erit in subiecto apto moveri, immobilitas vero dicit negationem, quæ potest esse duplex, alia extra genus quæ æqualiter convenit enti, & non enti, ut si diceremus, chimeram esse immobilem, alia est in genere, quæ ponit aliquid subiectum, de quo predicatur, non tamen aptum moveri, ut cum dicitur, Deus est immobilis; ex quibus patet, motum, & immobilitatem contradictorie opponi.

86 De secunda oppositione inter motum, & motum fute loquitur Ar. 5. Phys. a. tex. 46. ubi advertit, quod quinque modis potest dici duos motus inter se opponi, quos recensimus in explic. tex. 5. Phys. c. 5. vide ibi, & conclusimus cum Ar. contrarietatem motus proprie sumi debere ex contrarietate terminorum ad quos, per concomitantiam, & extrinsece per contrarietatem terminorum a quibus, quod etiam docet Doct. pluribus locis, sed præcipue 2. d. 2. q. 7. ad ult. Ratio est, quia motus specificatur a termino ad quem, & ab ipso suam sumit denominationem, ipsamq; magis respicit, quam terminum a quo, quia moveri a contrariis terminis dicit recessum a contrariis, ita moveri ad contrarios terminos, dicit accessum, & quia specificatur etiam motus aliquo modo saltem per concomitantiam, & per accidens a termino a quo, idcirco quia eadem sunt principia constitutiva, & distinctiva, poterunt ratione terminorum a quibus duo motus opponi inter se. Quapropter tota per se, & principalis ratio, cur duo motus inter se contrariantur, desumitur ex terminis ad quos, itaur si isti termini nullam habent contrarietatem, nec motus ad illos terminati; si opponuntur, ut possint simul esse in eodem subiecto in gradibus remissis, non vero intensis, ut sunt qualitates primæ, & similes, motus quoq; ad istas qualitates eodem modo erunt, compossibiles, & incompossibiles, tandem si nullo modo inter se comparantur, ut sunt actus vitales oppositi circa idem obiectum, nec etiam ullo pacto motus ad illos actus erunt simul: ceterum non est præsentis negotii examinare, an qualitates contrarie possint simul esse, necne, sed ad lib. de Gener. pertinet.

Dices, ergo motus fursum a terra ad medium, & motus deorsum a concavo Lunæ ad idem medium non erunt contrarii, quia idem terminus ad quem, quod tamen est falsum, quia nequeunt in eodem reperiri. Tum quia duo ubi non sunt inter se contraria, & tamen motus ad illa nequeunt esse simul, ergo contrarietas motuum non sumitur a terminis ad quos. Resp. ex dictis art. præc. concedendo, non opponi essentialiter, sed tantum accidentaliter, quod sufficit, ut non possint in eodem reperiri. Ad aliud dicimus, illam contrarietatem, quæ est inter terminos ad quos motus, reperiri inter motus ipsos, sive proprie, sive late sumptam.

Tandem quoad 3. oppositionem inter motum, & quietem diximus in explic. tex. Phys. c. 6. neq; aliud hic occurrit dicendum, Q U Æ S T I O VIII.

De causis motus.

EX dictis hucusq; declarata manet causa formalis motus, scilicet essentia, & quidditas ipsius constituens, nec non & finalis, nam terminus ad quem se habet ut finis motus ad quem ordinatur, & jam ostendimus ad quatuor prædicamenta per se terminari, & ad species illorum; causam materialem, in qua (nam cum sit accidens quoddam respectivum, causam materialem esse qua non habet) declaravimus disp. 2. & 3. ubi vidimus, corpus substantiale

esse adæquatum subiectum motus accidentaliter, quia est adæquatum susceptivum accidentium, materiam vero, seu aliquod essentialiter imperfectum esse susceptivum formarum substantialium, & consequenter subiectum mutationis: solum circa hoc est specialis difficultas, quæ solet a Doctores in his lib. agitari, an scilicet possit aliquid indivisibile moveri: tandem de causa effectiva aliqua subjungere debemus, ut exactam motus cognitionem habeamus, & præcipue an idem possit seipsum movere, an vero necessario ab alio petat moveri, ut possimus deinde examinare discursum Arif. quò utitur ad indagandam existentiam primi motoris ex hoc, quia omne, quod movetur, ab alio petat moveri; hinc in tres articulos dividitur præfens questio.

ARTICULUS I.

An indivisibile possit moveri, seu esse causa subiectiva motus.
 Indivisibile est duplex, vel spirituale, ut Angelus, & animal rationalis, vel materiale, ut linea, superficies, & punctum, sive continuativum, sive terminativum; non quarimus modo an indivisibile spirituale possit moveri, quia hoc est clarum, nisi ponatur casus, quod Angelus existat in puncto, & tunc eadem erit difficultas, ac de materiali indivisibili; nec quarimus de isto, quatenus est in continuo, nam est certum, ut sic per accidens moveri ad motum totius continui, sed de ipso supposito, quod separatim existat, sive hoc sit possibile, sive non, an possit moveri, non quidem motu augmentationis, quia partibus caret ea ratione, qua est indivisibile, sed aliis speciebus motus, consideramus autem istud indivisibile secundum se, quomodo est prorsus indivisibile, tam formaliter, quam virtualiter: non vero prout recipere potest a Deo modum aliquem, quo virtualiter divisibile reddatur, sicut putant Conimbr. 6. Phys. c. 10. q. un. esse possibile; nam præterquam quod est falsum, indivisibile materiale posse esse virtualiter divisibile, & extensum, ut innuimus disp. 9. q. 2. ar. 4. non facit adhuc ad propositum, quia tunc esset in loco divisibili, sicut Angelus; & posset successive moveri in spatio divisibili: quærimus igitur, an indivisibile materiam primæ possit mutari substantialiter recipiendo indivisibile alienius formæ substantialis, & an indivisibile materiale sive quantitativum possit moveri localiter, & alterari, maxime successive. Successio autem ex Scoto 2. dist. 2. q. 9. ad 3. princ. ex duplici capite potest provenire in motu locali, quod idem proportionaliter est de aliis motibus asserendum, vel ex divisibilitate mobilis, vel ex divisibilitate spatii, idem enim mobile secundum eandem partem prius pertransit unam partem spatii, quam alteram, & sic est successio ex divisibilitate spatii, & idem mobile secundum unam sui partem prius pertransit eandem partem spatii, quam secundum aliam, & sic est successio ex divisibilitate mobilis, & quælibet istarum divisibilitatum sufficit ad successionem in motu. Hoc prænotato; prima opinio negat, si indivisibile esset separatum, posse etiam de potentia Dei continue, & successive moveri, ita multi Interpretes Ar. 6. Phys. quos sequuntur Conimbr. cit. Scot. 6. Phys. qu. 4. Masius sect. 2. q. 6. & 7. Ruvius cap. 10. q. un. Roccus q. 4. & alii.

89 Dicimus tamen, quod si indivisibile foret separatum, posset esse causa subiectiva successivi motus, & continue moveri omnibus illis motibus in not. enumeratis; est Scot. 2. dist. 2. q. 9. ad 3. princ. & omnium Scottistarum, & sequuntur ex Recentioribus Plaxa 6. Phys. q. ult. Murcia q. 6. Moris. disp. 6. Phys. q. 5. Avera q. 26. sect. 7. Amicus tract. 25. q. 10. quam probat Doct. indivisibile, dum est in continuo, movetur per accidens ad motum continui recipiendo suo modo in se motum, ergo si esset separatum, posset per se successive moveri. Antec. probatur exemplo perfecti sphaerici super perfecte planum tangentis ipsum in puncto, & aliis exemplis ex mathematicis, ut vidimus disp. 9. q. 2. art. 2. Tum quia indivisibilia subiecti continui recipiunt in se indivisibilia formæ receptæ divisibilibus, ut indivisibilia materia informantur ab indivisibilibus formæ substantialis, & indivisibilia substantialia materialia ab indivisibilibus quantitatis, & hæc ab indivisibilibus qualitatis corporeæ, & tandem ista omnia cum totum localiter movetur, dicunt proprias præsentialitates ad indivisibilia loci ipsi correspondentia ex dictis disp. 11. q. 5. Tum quia implicat aliquid recipi in continuo, & non recipi in indivisibilibus continuativis saltem secundum aliqua indivisibilia, aliter daretur aliqua pars subiecti continua, quæ reciperet formam, abque indivisibilibus continuativis, & forma esset extensa sine indivisibilibus, quæ omnia sunt falsa ex disp. 9. q. 2. art. 2. Prima conseq. prob. quia supposita separatione indivisibilium a continuo, illa eadem indivisibilia, quæ subiectabantur in indivisibilibus continui, quando erant continuo unita, possent a partibus formæ separari, & recipi in illis. Tum quia nulla apparet implicancia; eadem enim inferuntur ex motu indivisibilis in continuo, & ex motu indivisibilis separati, ut patebit ex solutione argumentorum.

90 Respondent, diversam esse rationem, quando indivisibile est unitum, & quando est separatum, nam unitum movetur per accidens, separatum movetur per se, ad moveri per accidens est moveri per motum existentem in alio, moveri per se est motum in re existentem, hinc non eadem sequuntur absurda ex utraq; positione. Contra, moveri per accidens non solum est moveri eo modo, verum etiam per motum in se existentem, dummodo ad motum alterius moveatur, ut pars ad motum totius, indivisibile veto hoc modo movetur, quia in se recipit aliquid de novo, ut probatum est, ergo nulla differentia. Accedit principaliter, quod si indivisibile separatum, ideo non posset moveri successive, quia describeret lineam, & illam faceret ex punctis compositam, quia semper esset in loco sibi æquali, idem sequeretur absurdum, quando est conjunctum cum perfecte sphaerico, nam punctum illud, quod tangitur planum, semper est summe plano approximatum, non solum in quiete

& in instanti, sed etiam in motu, & in tempore, ergo si est neces- se, quod semper sit in spatio indivisibili, jam ut conjunctum lineam ex punctis compositam describeret.

Resp. Conimb. & Masius, punctum sphaerico unitum moveri continue non ratione sui, sed ratione sphaerici, quod semper ambientem habet superficiem, & continue, planum vero tangit secundum tactus discretos, quatenus in quolibet instanti temporis tangit in puncto. Contra, haec responsio coincidit cum illa Comput. de tactu sphaerici per saltus in disp. 9. q. 1. ar. 4. impugnata; Tum quia ut ait Doct. cit. si sphaerium illud esset in vacuo, & sola linea recta esset plena ipsi supposita, tunc quod localiter moveretur secundum locum extrinsecum, esset punctum tangens lineam; hoc enim acquireret praesentiam localem ad extrinsecum, non sphaerium, quam lineam tangeret successive, non discrete, quia post unum punctum lineae sequitur lineam, non aliud punctum, ergo si illam lineam non tangeret, deberet aliquantisper distare, & deinde aliud punctum tangere, & consequenter nec esset semper lineae approximatum, nec in quolibet instanti temporis per contactus discretos tangeret lineam, ut dicebant Conimb. quia pars illa lineae non tacta correspondet illi cui parti temporis, in qua non fieret contactus, & cum tam pars illa lineae plura, & infinita habeat indivisibilia, quam pars illa temporis plura, & infinita instantia, jam nec in quolibet puncto lineae, nec in quolibet instanti temporis fieret contactus. An vero motus iste debeat necessario fieri a Deo, vel ab agente creato, parum refert, sufficit offendere non implentiam, & saltem ab Angelo videtur indivisibile posse localiter moveri, nam de aliis motibus posset dici agens corporeum esse determinatum ad agendum in subiectum quantum.

91 In oppositum arguitur ex Ar. q. 6. Phys. tex. 7. 32. & 37. & 8. Phys. tex. 40. & 46. & alibi saepe offendit pluribus rationibus, quod movetur, esse divisibile, & indivisibile nullo pacto moveri posse. Si dicas cum Scot. eir. Ar. intelligi debere de mobili a quo desumitur continuitas motus, & successio, non de mobili, cuius motus sumit tantam successione a termino, & spatio, ut est indivisibile. Contra, inquit Adverf. si haec fuisset Ar. intentio, cum hoc sit clarissimum, ad quod tot rationes adduxisset ad hoc probandum? omnes enim concedunt, indivisibile partibus carere, & consequenter non posse successione motus a partibus ipsis desumi, ergo intentum Ar. est offendere implentiam absolutam motus indivisibilis separati, tum quia ita negat per se moveri posse, sicut concedit moveri per accidens, at certum est, cum per accidens movetur, motum non esse successivum ex divisibilitate indivisibilis, sed solum ex parte spatii, ergo neque hoc modo secundum Arist. per se moveri potest.

Resp. intentum Arist. colligi posse, vel ex propositionibus, quas proponit, ut cum absolute ait, indivisibile nullo pacto moveri posse, omne mobile esse continuum, esse divisibile in partem motam & moventem, &c. vel ex rationibus, quibus tales propositiones probat; si infirmamus propositiones, plane videtur, intentum ipsius esse, negare omnem motum indivisibili separato; at si rationes perpendamus, non probant, nisi quod nequeat moveri motu successivo, successione proveniente a mobili, hinc Scot. cit. lit. X. ait, & istud concludunt rationes suae, & non plus, sicut patet discurrendo per rationes ejus omnes, & ex hoc capite deducit Doctor intentum Philosophi, ponderemus igitur rationes ipsius.

92 Secundo ex Ar. cit. omne, quod movetur, partim est in termino a quo, & partim in termino ad quem, quando enim totaliter est in termino a quo, non movetur, quando est in termino ad quem totaliter, neque movetur, sed motum est, sed indivisibile, quia caret partibus; nequit esse partim in termino a quo, & partim in termino ad quem, ergo &c. Tum 2. ex 6. Phys. 89. omne, quod movetur, prius pertransit spatium sibi aequale, vel minus, quam majus, sed indivisibile non potest prius pertransire spatium minus se ergo prius aequale, quam majus se, & pertransiendo semper spatium sibi aequale, pertransit totum continuum, supra quod movetur, ergo illud componeretur ex indivisibilibus aequalibus indivisibili motu, quod est falsum. Tum 3. quia omnis motus est in tempore, & omni tempore est accipere minus tempus, in quo minus mobile moveri potest, ergo omni mobili est accipere minus mobile in infinito, & ita nullum indivisibile est mobile. Tum 4. quia sequeretur, continuum, super quod moveretur, ex indivisibilibus componi, quia mobile commensuratur loco, & semper est in aequali spatio; impossibile est autem, indivisibile commensurari divisibili, nam quod commensuratur alteri, tangit illud, contactus autem fit per quantitatem, qua indivisibile caret: Tum 5. ex 6. Phys. 4. tempus, motus, & magnitudo se consequuntur in divisione, ergo mobile erit divisibile, sicut tempus, & motus. Tandem ex tex. 86. & 4. Phys. 32. pars in toto movetur, sed in potentia movetur per se, quia separata posset mensurari spatium, ut punctum totaliter movetur per accidens, ergo nullo modo separatum movetur per se.

Ref. rationes istas, si essent verae, concludere de indivisibili conjuncto, nam quando acquirit de novo indivisibilia forma in continuo suo modo movetur, quod tamen non esset verum, si propositiones assumpta: in rationibus essent omnino verae: dicimus ergo, quod major verificatur, si mobile sit tale, ratione cuius sit successio in motu; vel dicendum, & redit in idem, mobile esse partim in termino a quo, & partim in termino ad quem stat dupliciter, primo quod secundum aliam, & aliam partem sui sit in termino a quo, & ad quem; secundo ut secundum idem sui sit partim in termino a quo, & partim in alio, scilicet in aliquo medio non quietendo, sed in quantum est aliquid utriusque seu in quantum est, per quod tendit de uno ad alterum, in primo sensu convenit mobili divisibili, in secundo convenit indivisibili. Ad 2. responderi Doctor, majorem esse falsam, si loquimur de transitu indivisibilis, alioquin da-

retur primum mutatum esse in motu locali; at si loquimur de transitu mobilis divisibilis, esse veram de toto non ratione totius, sed ratione partis, non comparando partem ad Ubi sibi aequale, & totum ad Ubi actuale, sed respectu alicujus determinati puncti in spatio, quod punctum prius pertransit totum ratione alicujus partis; & in hoc, quod pertransit illud, pertransit aliquid minus se, & haec est intelligentia illius propositionis, sed hoc provenit ratione divisibilitatis mobilis; ideo indivisibile, quando movetur, prius est in majori se quam in aequali. Ad 3. negatur universaliter esse verum, in omni minori tempore posse accipere minus mobile, nisi in motu successivo proveniente ex divisibilitate mobilis. Ad 4. responderi Doct. lit. Y. ly semper si circumscribit instans quodlibet temporis, verum est, quod punctum esset semper in aequali loco, si circumscribit tam instans, quam tempus, in quo fit motus, est in spatio majori, non simul sed successive, quo sensu indivisibile potest divisibili commensurari; neg. ad contactum esse semper necessarium, ut inter quanta fiat, quia possunt duo indivisibilia se tangere; immo de ratione contactus est, ut fiat per indivisibilia, ut fuisse diximus disp. 9. q. 2. art. 2. & 4. ad primum, hoc n. argum. est potissimum, quo fautores indivisibilium conantur offendere compositionem continui ex indivisibilibus, cui respondere solent Adversarii hac eadem Scoti doctrina, ut facit Masius 6. Phys. sect. 1. q. 4. quam tamen in hac quaestione nolunt admittere. Ad 5. Ar. loquit de mobili, secundum quod est successio in motu. Ad 6. per differentiam illam Ar. solum indicare voluit, punctum non esse a toto separabile, ut est pars; vel quod quamvis hoc afferat, rationes tamen, quibus hoc probat, non concludunt, nisi de mobili, quo sumitur successio.

94 Tertio ex Ruvio: Tum quia si posset localiter moveri praesentia quam acquireret, non esset spiritualis, sed corporea, ideoque ex partibus corporeis constans, & inferret durationem continuum corpoream, quale est tempus, ergo deberet recipi in subiecto corporeo extenso. Tum 2. si indivisibile posset v.g. caleferi, deberet in se recipere successive calorem, non tantum in fluxu, verum etiam in eodem se quieto, sed calor est accidens corporeum ex propria natura natum recipi in subiecto quanto, ergo &c. Tum 3. vel indivisibile discurreret per indivisibilia caloris, vel per latitudinem caloris; non primum, quia tunc motus non esset continuus; si secundum, ergo quia latitudo caloris est calor ipse extensus natus in subiecto extenso recipi, non poterit in indivisibili subiectari. Tum 4. ex Masio, aut calor in indivisibili inductus posset calefacere, aut non; non secundum, quia est contra naturam caloris; neque primum, quia talis virtus esset finita, non infinita, & quia finita virtus posita in minori subiecto, minus potest, quam in majori, sequitur in indivisibili nullam habere virtutem, quia indivisibile est subiectum non quantum. Tum 5. quaelibet alteratio suapte natura est dispositio ad formam substantialem, sed haec perit esse in materia trine dimensa, non in indivisibili, ergo nulla alteratio fit in indivisibili subiecto. Tum 6. qualitas, sensibilis est intrinsecae talis, ut insensibilis esse minime possit, sed qualitas, quae in non quanto, seu indivisibili recipitur, esset insensibilis, quia obiectum sensus est quantum, ergo implicat dari qualitatem in indivisibili receptam.

97 Resp. ad 1. etiam dum est unitum, habet propriam praesentiam immediate in ipso, non in toto continuo receptam, licet integer unam praesentiam totalem, & continuum cum praesentia totius, ut ostensum est quod esset falsum, si ratio ista valeret; dicimus ergo, quod eodem modo esset praesentia illa corporea, sicut punctum, quod quamvis indivisibile sit, dicitur esse ordinis corporei, quia est aliquid corporis, cum hac tamen differentia, quod punctum nullas habet partes, illa vero praesentia dividitur in partes secundum longitudinem sed successive, quomodo aliquod divisibile potest in indivisibili recipi, ut dicitur de contactu sphaerae in motu. Ad secundam ex dicendis in lib. de Gen. in qualitate datur duplex motus, scilicet intensio, & extensio, qualitas extensiva nata est recipi in subiecto quanto, non intensiva tantum, ut esset calor in indivisibili receptus, qui materialis diceretur, non solum quia haberet illas partes entitativas possibiles extendi in subiecto quanto, verum etiam quia esset ex se continuativa qualitatis extensivae, cum sit indivisibile extensivum; & hoc, quia intensio respicit idem subiectum, & ideo potest in indivisibili esse; extensio vero diversas subiecti partes, unde subiectum quantum exposcit. Ita respondet Lich. 2. dist. 2. q. 9. exponendo lit. Doct. quam doctrinam ipse Ruvius in lib. de Gen. amplectitur. A 3. indivisibile discurreret per partes caloris intensivas, non extensivas; & certe tam haec, quam praecedens ratio valerent de indivisibili conjuncto. Ad 4. possumus concedere, calorem ex se tunc habere virtutem finitam producendi aliquod intensivum caloris, quod tamen non sit extensivum, & calculatio illa valet de qualitate extensa. Ad 5. sicut quando est unitum, alteratio in ipso facta inservit ad receptionem indivisibilis continuativi formae substantialis, sic quando esset separatum, disponeret ad istam generationem indivisibilis substantialis. Ad 6. potius facit contra separabilitatem indivisibilis a continuo, quam contra motum ipsius, sicut enim quando est unitum, vere haec et qualitatem illam indivisibilem, sic supposito, quod separatio esset possibilis, posset quoque eandem in se recipere; sive actu possit fieri, sive non.

96 Quarto mobile per motum tantum spatii acquirit, quantum relinquunt, quia motus localis dicit deperditionem termini a quo, & acquisitionem termini ad quem, sed punctum, dum quietest, est in spatio sibi aequali, ergo dum movetur, erit semper in spatio sibi aequali, & sic linea ex punctis componeretur. Tum 2. vel punctum solum rangeret puncta spatii, seu lineae, vel partes lineae; si primum, ergo non continue movetur, quia indivisibilia in instanti, non in tempore acquiruntur; si secundum, ergo non esset in spatio semper ut in puncto, sed ut in spatio divisibili; tum quia Deus videtur

deret, quando indivisibile tangeret, & commensuraret spatium divisibile, ergo posset ibi illud conservare, & sic permanenter commensuraret, quod est falsum.

Ref. ad 1. quod si mobile consideraretur in ultimo instanti motus localis, vera est major, si in ipso fluxu motus, est falsa, quia semper est in majori spatio, non simul, sed successive, ut dictum est disp. 9. q. 2. ar. 4. ad primum, & in hoc motus localis differt ab alteratione, quia in alteratione terminus a quo positivus, & contrarius non deperditur simul, sed successive, ut calor; at Ubi, quia est quid indivisibile, statim deperditur. Ad 2. responderi Lich. cit. in resp. ad rationes cont. 2. concl. ibi positam, quod indivisibile tangit lineam semper in puncto, etiam dum in tempore movetur; Sed falso ut patet ex Doct. cit. lit. Y. dicente tangere in linea, tum quia est responsio Conimb. nec immediate post posset aliquid tangere, cum non sequatur immediate punctum; dicimus ergo in motu esse in linea successive, non simul, & hoc modo divisibiliter tangit divisibilitate se tenente ex parte spatii, ut saepe dictum est; ad impugnationem concedit Fuentes 6. Phys. q. 2. dist. 2. art. 2. Deum posse conservare punctum in illo divisibili spatio & negat falsitatem: sed non recte, quia idem esset dicere, ac conservare omnia ubi acquibilia per motum localem successivum, & sic posset motus localis includens totam realitatem motus fieri a Deo in instanti, quod falsum esse ostendimus q. 6. ar. 5. tum quia sequeretur, indivisibile materiale replicatum posse facere extensum, & adaequari extenso, quod implicare demonstravimus cum Arist. disp. 9. q. 2. ar. 1. dicimus igitur, Deum non videre punctum simul tangere spatium divisibile, sed successive, quare negatur consequentia, solum enim posset ipsum conservare, quando est simul in loco adaequato, scilicet in puncto, quod evenit in quolibet instanti.

ARTICULUS II.

Utrum idem possit movere seipsum, an necesse sit ab alio moveri.

97 Hec difficultas est eadem cum illa examinata disp. 7. q. 4. ar. 2. an scilicet idem possit in seipsum agere, dum enim agit in seipsum saltem actione aequivoca, jam producit de novo aliquam formam in se, quam prius non habebat, & per consequens a seipso formatur, & movetur; denovo tamen exagitur, ut possimus distincte percipere, an recte demonstraverit Arist. per motum existentiam primi Motoris: tum quia non omnes difficultates ad motum pertinentes fuerunt ibi solutae.

Est igitur sententia Arist. praecipue 7. Phys. r. & 2. & 8. Phys. 29 quod nihil potest seipsum movere, sed necesse est, quod movetur, ab alio moveri; quomodo autem hoc distum verificetur in omnibus valde laborant expositores, & diversimode exponunt, nam quidam ajunt, verificari solum in motu conjuncto cum vera efficientia, non cum resultantia. Alii, quod etiam in isto sit vera propositio Arist. eo quia res per resultantiam producta generantur tanquam principali agenti debent adscribi. Alii, quod sit vera solum in motu physico, ut sunt localis, alteratio, & augmentatio, non in motibus metaphysicis, ut sunt actiones sensuum, intellectus, & appetitus. Alii etiam in istis afferunt locum habere. Alii distinguunt de motis, nam vel sunt inanimata, & sic ab alio supposito distincto moveri debent, pura a generante: vel sunt animata, & ista non moventur ab alio supposito distincto, sed in partem per se moventem, & in partem per se motam dividuntur, unde movens distinguetur a moto ut includat ab includente, tale est cor in animalibus: quod postea quidam concedunt a seipso moveri, quidam vero motum illum tribuunt generanti, & alii variis modis distinguunt, ut salvent veritatem propositionis Arist.

98 Dicimus tamen, idem posse se ipsum movere, quatenus est agens aequivocum, non univocum, nec est necesse ab alio distincto, vel ut pars a toto, vel suppositaliter moveri in eodem genere, & ordine motus, quo ipsum movetur, ita Doct. praecipue in 2. d. 2. q. 10. quem praeter Scotistas sequuntur Greg. 2. d. 6. q. 1. ar. 3. Jand. 8. Phys. q. 2. Plaza 2. Phys. dist. 1. q. 7. Aversa q. 14. sect. 5. & alii quamplures, & probata manet haec Concl. art. cit. in praesenti. Confirmatur quibusdam exemplis, nam motus localis cordis est cum vera efficientia, non per resultantiam, & ab ipso immediate provenit, non a generante, etiam secundum Arist. cit. similiter reductio aquae ad pristinam frigiditatem, & motus gravium, & levium in propria loca, nam generanti solum tribuuntur per quandam proprietatem, non quod vere, & proprie motus illos causet, ut ibi dictum est, & fufius dicimus in lib. de Caelo; cum de gravibus agimus, aliter pater diceretur causa praecipitii filii per se, & principalis; rursum potentia sensitiva, & intellectiva agunt in se ipsis; nec refert, quod prius immutentur ab obiecto, quia hic motus non est ejusdem rationis cum motu a potentiis caularo, & tamen si ratio Arist. valerent universaliter de quocumque motu concluderet, tum quia voluntas secundum communem est causa totalis physica suae volitionis, sicut quilibet appetitus, nec nullo pacto physice movetur a potentia cognoscitiva, vel ab obiecto, sed solum ab isto metaphysice, quae non est vera motio, ut vidimus dist. 7. q. 8. ar. 3. & 5. ergo non erit denegandum, idem posse se ipsum movere saltem aequivoce. Diximus in eodem genere, & ordine motus, quia clarum est in alio genere motus, quod movetur ab alio moveri, sic gravia moventur a generante, quoad alium primum, seu motu generationis, quia ab ipso accipiunt virtutem motivam, qui motus necessario praesupponitur illi, & universim omnia a prima causa in agendo moventur. Multas responsiones adducit Adversarii, quas refellere non est negotium, sed vel manent ex dictis art. cit. impugnat, vel confutantur in singulis locis, in quibus de istis mobilibus in in particulae agemus.

99 Sed contra hanc concl. praeter objectiones art. cit. adductas, & disp. de gravibus, & levibus in lib. de Caelo adductas, posset adhuc instari ex Ar. qui 8. Phys. 28. ait, omne, quod se movet, debet

distingui in partem per se moventem, & in partem per se motam; per quae propositio non tantum est vera de eo, quod organice movetur, ut est animal, ut exponit Scot. 2. d. 2. q. 10. H. sed etiam universaliter, adeo ut movens, & motum debeant semper esse distincta, nam 7. Phys. c. 1. ait, nihil posse seipsum primo movere, quod probat, quia quod primo inest alicui, non removeretur ab eo, etiam si ab illo removeatur, aliter primo, & per se illi non conveniret, sed ratione illius, ergo nullum mobile potest seipsum primo movere; Prob. conseq. quia tunc quiesceret simul, & non quiesceret, nam cum omne mobile sit in partes divisibile, si una pars quiescit, totum mobile quiescet ad quietem partis, & non quiesceret vero, quia moveret se primo, & consequenter independentem a quolibet alio, etiam a parte, ergo nullum potest se primo movere. Accedit, quod 1. de Gen. 73. volens Arist. probare contra Democ. atomos non moveri ex se, ait vel dividerentur in partem per se moventem, & in partem per se motam, & sic non essent atomi, sed divisibiles, vel se ipsis moverentur secundum se tota, & sic idem susciperet contraria, quae ratio non concluderet, nisi dicitur, omne quod se movet, necessario dividi debere in partem per se moventem, & in partem per se motam.

100 Resp. Doct. cit. dictum Arist. 8. Phys. intelligi de eo, quod organice se movet; ad impugnationem respondet lit. I. quam responsonem ut clarius adducamus, & distinctius percipiat vis rationis Arist. praemittendae sunt duae distinctiones, primo, est de ly primo, nam dupliciter sumi potest, vel pro primitate totalitatis, & sic illud dicitur primo convenire alicui, quod convenit toti, & cuilibet parti ipsius, sic Sol est ex se primo lucidus, quia totus Sol, & quaelibet pars est lucida, & hoc modo opponitur convenientiae alicujus secundum partem, ut homo dicitur animus propter nasum, cui primo limitas convenit; alio modo sumitur pro primitate adaequationis, & causalitatis praecise, & sic illud primo dicitur convenire alicui, quod inest per se, & secundum quod ipsum, ut homo primo dicitur risibilis, quia risibilitas fluit in seipsum agere, dum enim agit in seipsum saltem actione aequivoca, jam producit de novo aliquam formam in se, quam prius non habebat, & per consequens a seipso formatur, & movetur; denovo tamen exagitur, ut possimus distincte percipere, an recte demonstraverit Arist. per motum existentiam primi Motoris: tum quia non omnes difficultates ad motum pertinentes fuerunt ibi solutae.

101 Ad argumentum igitur inquit Doct. quod illa propositio, nihil potest se primo movere, si intelligatur de motione, ut a totali, & partiali praedicatur, est vera de eo quod moveret se primo duplici illa primitate, de quo etiam currit probatio ipsius, ut patet, nam quiesceret ad quietem partis, eo quia ponitur motivum sui primo in priori sensu, & secundum totum, non quiesceret, quia moveret se primo in secundo sensu, & independentem a partibus: non tamen est vera de eo quod prima tantum primitate dicitur se movere, sicut ponitur a nobis aliquid a se ipso posse primo moveri; quod etiam patet in parte illa animalis quae per se primo dicitur movens, & mota, ut est cor, nam si cor hac duplici primitate moveret se, quiesceret, & non quiesceret, solum ergo prima primitate primo se moveret, & si ratio valerent, nec posset dici corpus primo quiescere, nec primo quantum. Attamen si moveri accipitur pro motione totali, sic totum primo se movet primitate causalitatis, quia motio totalis ut sic non causatur a parte, nec ipsi convenit, unde valet dicere, pars non movetur motione tali, sicut etiam pars se primo movet hac primitate motione partiali, quae primo ab illa causatur, non a toto; nec sequitur, quod si a parte removeretur motio totalis, removeretur quoque a toto, ut patet: & quamvis si a parte removeretur motio partialis, removeretur etiam totalis a toto, hoc tamen provenit propter essentialem dependentiam, quam habet totum a partibus, sicut enim subiectum dependet a partibus, ita passio subiecti a passione partium dependet, quam doctrinam sequitur Suar. disp. 115. Met. sect. 7. n. 39. & 40. & Amic. tract. 26. q. 3. dub. 2. Ex quibus patet nullo modo rationem Ar. concludere, aliquid non posse ullo pacto se primo movere, quamvis Expositores ipsius tanquam demonstrationem efficacissimam magnificant; & forsitan non sine ratione Valfel. in com. 7. Phys. miratur, quod Ar. Interpretes Graeci, & Barbari in illa defendenda tam pertinaci contentione usi fuerint: eo vel maxime, quod tribuendo motum inanimatorum generanti nihil salvant, cum admittant principium proximum, & immediatum in ipsis inanimatis. Ad Conf. Ar. ibi loquitur non de motu locali, sed de motu alterationis, de quo verum est, quod idem non potest se ipsum movere, nisi secundum se totum, & sic cum mixto requirit in miscibilibus contrarias qualitates, si atomi essent secundum de totis alteratae ex seipsis, susciperent proculdubio contraria.

102 Secundo quicquid movetur, vel est animatum, vel inanimatum, animata ab alio moventur, quia in partem per se moventem, & in partem per se motam dividuntur, inanimata moventur a generante secundum Ar. 8. Phys. a. tex. 28. & alibi, quia dans formam dat

dat etiam consequentia ad formam, generans dat virtutem motivam inanimatis, ergo & motum. Tum 2. quia unum oppositum negat aliud, sed motio activa, & motio passiva sunt relationes oppositae, ergo nequeunt eidem supposito convenire. Tum 3. nequit idem esse perfectum, & imperfectum respectu ejusdem, sed si aliquid posset seipsum movere, esse perfectum, quia in actu virtuali cui actus est perfectior formali, & imperfectum, quia in potentia formali, ergo, &c. Tum quartum quia sic moveret totus processus Arist. in 7. & 8. Phys. ubi per distinctionem motoris a mobili probat existentiam primi motoris, si enim idem posset seipsum movere, dici posset Caelum a seipso moveri.

Ref. pro veritate nostrae concl. sufficere partem illam animatorum seipsam primo moventem, dicimus tamen etiam viventia a seipsis posse moveri ut patebit in proprio loco, & quando Ar. hoc negavit intelligi debet de motu organico, ut colligitur ex rationibus quibus probat non moveri a seipsis in tex. 29. & 30. vide expositionem tex. Vel dicimus, quod aliquid a se moveri stat dupliciter, uno modo per exclusionem extrinseci motoris particularis per se, & immediate illud moventis, quomodo baculus a manu immediate motus non dicitur a se moveri, & hoc modo inanimata a se ipsis moventur; Secundo per exclusionem etiam cujuslibet alterius, cuius motio necessaria est, ad hoc ut illud moveri possit, & in hoc sensu non viventia a seipsis non moventur, quia cum non sint apta moveri in propriis locis, ut sunt animata, neque propriis locis ad alia loca, sed ab aliis locis ad propria, necesse est, si moveri debeant, esse extra propria loca, & ibi non impedita, in qua dispositione ex se ipsis nequeunt collocari, sed vel ab aliquo generante extra propria loca, vel ab aliquo illuc deferente, & aliquo impediante, non sic animalia, quae in quibuscumque fuerint locis quocumque, & quandoque possunt se movere, nullo alio motore praesupposito: & haec est ratio, cur Ar. animalia a seipsis moveri, non tamen animata saepe pronuntiavit. Nec propositio illa, dans formam, &c. est vera, nisi ut de causa remota, & immediata, quod concedimus. Ad 2. verum est motionem activam, & passivam in abstracto repugnare, ita ut unum neget alterum, at in concreto non ita inter se repugnant, cum dicant quandam dependentiam accidentalem, non enim sequitur, est movens, ergo non est mobile, cum possint idem suppositum concernere. Ad 3. verum est de perfectione formali, vel virtuali, quando tamen actus virtualis ita actuatur, ut reddat potentiam subiecti fatiatam, sicut est anima rationalis, respectu sensitivae, & vegetativae, at quando actus virtualis non fatiat appetitum materiae, ut possit exercere omnia munera alterius formae, potest idem dici perfectum virtualiter, & imperfectum formaliter, sicut potest respectu ejusdem esse simul in actu virtuali, & in potentia formali: ut in simili diximus art. saepe cit. Ad 4. patebit ex seq. art.

ARTICULUS III.

An sufficienter per motum ostendatur existentia primi Motoris.

104 Duplici medio demonstrari potest existentia primi Motoris physico, & metaphysico, medium physicum est motus, quo usus est Ar. 8. Phys. & 12. Met. metaphysicum est causalitas, & productio, quo demonstravit 2. Met. 2. in nullo genere causae posse in infinitum progredi, sed ad unum primum deveniendum esse: demonstratur primo medio, quia omne, quod movetur, ab alio moveri necesse est, se quia non potest dari in moventibus processus in infinitum, ideo deveniendum erit ad unum primum motorem immobilem: secundo medio ostenditur, quia omne, quod fit, & producit, ab alio producit, sed in producentibus non potest esse processus in infinitum, ergo ad primum producens pervenietur, quod a nullo producatur. Averroista, & praecipue Zab. lib. de invent. primi mot. putant non aliter demonstrari posse existentiam primi Motoris, nisi medio physico; Thomista vero quamvis medium metaphysicum non respiciant, admittunt tamen sufficienter demonstrari per motum, ut est videre apud Masium 8. Phys. disp. de primo Mot. sect. un. q. 2. Compl. disp. 29. q. ult. Ruvius 8. Phys. tract. de primo Mot. qui Scotum pro se cit.

105 Dicendum est tamen, non sufficienter demonstrari motum per existentiam primi Motoris: ita Doct. q. 3. Prol. V. & 1. d. 2. q. 1. per totum, quem fere omnes Recentiores sequuntur, & Prob. Tum quia illud principium: omne, quod movetur, ab alio moveri necesse est, non est ita firmum, si de alicuius omnino distincta, & supposita intelligatur, nec animalia ita moventur etiam secundum Arist. nec inanimata, ut diximus in praec. art. Tum quia quod fit penitus immobilis fundatur in illo principio, quod omne mobile sit divisibile, & continuum, ut patet ex tex. 40. quod principium est falsum ex dictis art. 1. & quia anima rationalis aliquo pacto movetur per se, & si non motu locali, saltem motu alterationis, quare ad summum indivisibilitatem localem posset in ferre, non alias. Tum quia vel per motum in communi devenitur in cognitionem existentiae primi Motoris, vel per motum aeternum, ut vult Zab. primum dici nequit, quia nec Ar. de isto motu est lo-

cutus probando talem existentiam, nam a tex. 21. usque ad 40. ubi de motu universaliter loquitur, solum ostendit ex ista propositione, in quolibet motu debere dari unum motorem, qui ab alio non moveatur, unde concludit, animata a se ipsis moveri, quia constat ex parte per se movente, & parte per se mota, gravia, & levia, quoad actum primum moveri a generante, & tex. 35. demonstrat in motu baculi deveniri ad movens non ab alio motum, baculus enim movetur a manu, & manus a virtute hominis; at a tex. 40. incipit ostendere, posse dari aliquod movens penitus immobile, & tex. 45. expresse ait. *Quoniam autem oportet motum semper esse, & non intermitteri, necesse est esse aliquid perpetuum, quod primum movet*, ecce quod ex perpetuitate motus ostendit existentiam primi Motoris; & revera rationes ex motu in communi desumptae non ostendunt istam existentiam. Sed neque dici poterit sufficienter ex perpetuitate motus demonstrasse dari primum motorem, quia opinio Arist. de mundi aeternitate implicatoria est, ut vidimus disp. praec. ergo motus iste perpetuus non potest esse medium alicujus demonstrationis, quia ex falsis non potest verum ostendi; quia propter rationibus infirmis Arist. in Phys. dari primum motorem probavit, quia neque sufficienter distinctionem motoris a mobili, neque immobilitatem tam per se, quam per accidens primi motoris demonstravit.

106 Quomodo autem ex medio metaphysico fortius demonstratur talis existentia, non est praesentis negotii, sed ad Met. attinet, & fute ostendit Doct. 1. d. cit. quam doctrinam ex professo sequutus est Suar. & abunde explicavit disp. 29. Met. sect. 1. breviter tamen vim hujus rationis aperiemus. Datur in entibus aliquod ens effectibile, igitur vel ab alio, vel a se: non secundum, quia nihil producit seipsum ex dictis disp. 8. q. 2. art. 1. si primum, quæritur de illo alio, vel est a se, vel ab alio, quare vel dabitur status ad unum incausatam, & improductum, vel erit processus in infinitum: non secundum, quia repugnat, ergo primum, repugnantia ostenditur; tum quia cunctae istae infinitae causae sunt causatae, & dependentes, ergo ab aliqua alia prima, quae extra istam seriem incausata reperitur; tum quia vel una causa dependet essentialiter in causando ab alia, vel tantum accidentaliter, quocumque dato semper sequitur dari unam primam causam incausatam, nam si sunt essentialiter subordinatae, quia cum causa, quae in causando dependet ab alia nequeat sine illa causare, alioqui non dependeret, jam reperiretur in rerum natura infinita multitudo causarum essentialiter subordinatarum, quod repugnat. Si vero essent accidentaliter subordinatae, non sequitur quidem dari actu multitudinem infinitam causarum, quia istae causae possunt ab invicem separari, essent tamen istae causae infinitae successive, sicut posuit Ar. infinitatam generationum successivam, sed ista infinitas est etiam impossibilis, si non daretur prima causa omnino incausata, ergo &c. Pr. minor, quia nulla difformitas potest perpetuari, nisi in virtute alicujus permanentis, quod nihil sit illius successionis, alioqui quia istae causae accidentaliter ordinantur, & a casu, sequeretur, mundum a casu per infinitum tempus durasse, ergo quamvis istam infinitatem successivam, ut possibilem admitteremus, necessario tamen erit deveniendum ad unam causam infinite durantem, a qua tota series infinita successive rerum causarum dependeat. Clarius igitur, & fortius ex causalitate concluditur existentia primae causae quam ex motu, quia distinctio inter movens, & mobile non ita ab omnibus conceditur, sicut distinctio inter causam efficientem, & productum. Dices, nulla scientia probat existentiam sui objecti, Deus est objectum saltem principale in Met. ergo nequit a Met. probari existentia Dei. Resp. majorem esse veram per demonstrationem a priori, falsam vero per demonstrationem a posteriori, quo modo Met. procedit demonstrando existentiam primae causae, scilicet ab effectu ad causam, ita Doct. in Prol. cit.

107 Ex dictis patet responso ad ultimam confirm. praec. ar. concedimus enim processum Ar. in 7. & 8. Phys. non esse ita firmum, ut sufficienter existentiam primi motoris demonstrarit: quamvis non recte dici posset Caelum a seipso moveri, sicut moventur inanimata, quia ista ad propria loca tendunt, & ideo a seipsis moventur, non tamen ex motu caelesti eodem modo potest inferri Caelum a se ipso moveri, quia verisimilius est, cum aliquid inanimatum est in proprio loco, quod quiescat in illo, quam quod moveatur.

Cum igitur dari unum primum ens non ad Physicum, sed ad Metaphysicum spectet investigare, rationabiliterque de aliis attributis primi Motoris in 8. Phys. disputantur a Doctoribus, puta de libertate, infinitate, unitate, divisibilitate, immensitate, & immutabilitate ejusdem, in Metaphysica ipso primo Motore favente pertractabimus. Similiter quae de motu solent etiam in physico agitari, puta an gravia, & levia a seipsis moveantur localiter, an detur quies in puncto reflexionis, a quo projecta moveantur, & similia, quia ad motum in communi non pertinent, sed ad motum in specie, puta localem; ideo haec omnia ad lib. de Caelo differimus, ubi motum localem praecipue considerabimus. hic vero solum de motu in communi est sermo. Satis.